31
2 H
15

Digitized by Google

M. ANTONII MAIORAGII

IN TRES ARISTOTELIS LIBROS,

De Arte Rhetorica,

QVOS IPSE LATINOS FECIT,

Explanationes.

NVNC PRIMVM A' PRIMO COMITE, Auctoris Amitino, in lucem prolatæ; & Clariſsimis & Illuſtribus viris ARCIMBOLDIIS fratribus, ANTONELLO protonotario Apoſtol. & Senatori Regio, & IOANNI Candiæ & Vallegij domino, dicatæ.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, Apud Franciſcum Franciſcium Senenſem.
M. D. LXXI.

J. Joseph a Cornea

312. H 15



M. ANTONIO MAIORAGIO DICENDI MAGISTRO SINGVLARI, LATINIS GRAECISQ. LITERIS PERPOLITO, ET LIBRIS EDITIS ILLVSTRI, QVI PVBLICE DOCVIT ANN. XIIII. VIXIT XLI. BARTHOLOMAEVS COMES, VXORIS FRATRI B. M. POSVIT.

M. ANTONII MAIORAGII Sepulchrum Mediolani in porticu, addita dextro ædis diui Ambroſij lateri, cum hac inſcriptione conſpicitur.

C. PETRONII VENETI.

MAIORAGIVS LOQVITVR.

Edideram iam multa tibi, cordata iuuentus;
Quæ legis, in ſtudijs ocia grata terens:
Et multò lætus mox edere plura parabam,
Condita tunc fuerant quæ mihi ſcripta domi.
Plurima quin etiam meditabar ſcribere, ſolers
Dum cupio ſtudijs inuigilare tuis.
Approperata nimis, mors importuna, ſed omnes
Luſit conatus, deſtituitq́; meos:
Nec malè tornatos incudi ſæua libellos
Reddere me ſiuit, nec reuocare rudes:
Nec iam finitos permiſit promere capſis,
Nec paſſa extremam eſt his adhibere manum.
Rurſus inexpletos imperfectosq́; reliqui,
Quos aggreſſus eram ſcribere nuper ego.
At tu, cui uiuus ſemper prodeſſe cupiui;
Oſsibus, & cineri fauſta precare meo:
Et, ſi quid uitij rude ſæpe uolumen habebit,
Emenda; idq́, mihi non licuiſſe, puta.

M. ANTONII MAIORAGII OPERVM Elenchus.

Horum alia edita, alia edenda, alia inchoata ſunt.

EDITA.

Oratio in Aleatores, pro decreto Alphõſi Daualí & Senatus Mediolanenſis.

Oratio, habita in nuptijs ſapientiſsimi ſenis, Iacobi Philippi Sacci, ſenatus Mediolanenſis præſidis.

Oratio de mutatione Nominis.

Panegyricus, Ioan. Angelo Arcimboldio Mediolani archiepiſcopo dictus.

Laudatio Magdalenæ Comitis, matris ſuæ mortuæ.

Encomium Luti.

Deciſiones xxv. quibus M. Tullium Ciceronem ab omnibus Cælij Calcagnini criminationibus liberat.

Antiparadoxon libri ſex, in quibus M. Tullij Ciceronis omnia Paradoxa refelluntur.

Apologia in Marium Nizolium Brixellenſem.

Reprehenſionum contra eundem libri duo.

Recuſatio omnium eorum, quæ idem in Deciſionibus ipſius Maioragij tamquam malè poſita notauit.

De Senatu Romano libellus.

Epiſtolicarum Quæſtionum libri duo.

Cõmentarius in Oratorẽ M. Tullij Ciceronis ad M. Brutũ.

Commentarius in dialogum de Partitione oratoria M. Tullij Ciceronis.

Paraphraſis in quattuor Ariſtotelis libros de Cælo.

Paraphraſis in duos eiuſdem libros de Generatione & Interitu.

Explanationes in tres eiuſdem libros de arte Rhetorica, quos ipſe Latinos fecit.

Oratio pro Hieronymo Crotto, iuriſcõſulto; dum in Academiam Mediolanenſem reciperetur.

Chria ſuper memorabili quodã Ferrandi Gõzagæ facto.

Apologia in Gaudentium Merulam Nouarienſem.

Oratio aduerſus eos; qui Ornandæ orationis ſtudium, & dicendi Elegantiam damnant.

Oratio de Muſica.

Oratio de arte Poetica.

Oratio de Varietate.

Oratio de laudibus Auri, ſiue Philochryſus.

Oratio de Amore; quam habuit, cum quartum Aeneidos Virgilij librum eſſet interpretaturus.

Præfatio de Agriculturæ laudibus in Virgilij Georgica.

Præfatio in M. Tullij Ciceronis Topica.

Præfatio in eiuſdem libros de Oratore.

Præfatio in eiuſdem libros de Officijs.

Præfatio in Homeri Iliadem.

Præfatio in eiuſdem Odyſſeam.

Præfatio in Heſiodum.

Præfatio in Pindarum.

Præfatio in Demoſthenem.

Epiſtolarum liber.

Carminum liber.

Dialogus de Eloquentia.

Commentarius in Virgilij Georgicôn libros duos priores.

Cõmẽtarius in Horatij librũ de arte Poetica ad Piſones.

Commentarius in M. Tullij Ciceronis de Oratore ad Quintum fratrem librum primum.

EDENDA.

Orationes quattuor, iã olim editæ; in Aleatores, in Sacci nuptijs, de mutatione Nominis, & Panegyricus Ioan. Angelo Arcimboldio dictus: ita ab ipſo auctore postremo uitæ tempore emendatæ, ut prioribus meliores multò ſint effectæ.

Oratio in litteras.

Oratio de præſtantia litterarum; quam habuit ad ſenatum Mediolanenſem, quo tempore publicè docere cœpit.

Oratio de Grammaticæ artis excellentia, quam ad ſenatum populumq; Mediolanenſem habuit.

Oratio de Parẽtũ in erudiẽdis liberis, atque Adoleſcẽtiũ ĩ ſtudijs optimarũ artiũ officio, ad Mediolanẽſes ciues.

Oratio de Audiendi ratione, ad Mediolanenſes iuuenes.

Oratio de modo Proficiendi in eloquentia, atque in ſtudijs bonarum artium.

Oratio de Vitæ atque morum diſciplina.

Oratio de contemnẽdis Obtrectatoribus, ad Mediolanẽſes.

Oratio ad Auditores ſuos, cũ Mediolano diſceſſurus eſſet.

Oratio, ſcripta rogatu ... iuriſperiti; qua is petit, ut in Collegium iuriſconſultorum Mediolanenſium cooptetur.

Oratio pro Octauiano Rauerta, Tarracinæ Epiſcopo; dum in Academiam Mediolanenſem reciperetur.

Oratio pro Ioan. Stibio, ſummi põtificis commiſſario decumano; dũ in Academiã Mediolanẽſem reciperetur.

INCOHATA

quamplurima; ſed, de quibus nos comperti aliquid habuimus, hæc ſunt.

Oratio ad Alphonſum Daualum; de Bibliotheca publica, Mediolani inſtituẽda, & omni librorũ genere inſtruẽda.

De Nominibus ꝓpriis ueterũ Romanorũ libri quattuor.

De Riſu oratorio & Vrbano libri duo.

De Ludo litterario inſtituendo liber.

De officio Parentum & Filiorum liber.

De modo Proficiendi in ſtudijs bonarum artium liber.

Sympoſiacôn ad Plutarchi imitationem libri decem.

Commentarius in Virgilij Aeneidos librum quartum.

Commentarius in Ciceronis libros tres de Officijs.

Explicationes in eiuſdem Paradoxa.

Conuerſa ex Græcis multa, quæ à quibuſdam imperitis diſperſa ac diſsipata fuerunt; nominatim autem hæc.

Iſocratis Archidamus,

Platonis Gorgias,

Aeſchinis Demoſthenisq; orationes inter ſe contrariæ,

Aeliani de Varia Hiſtoria libri,

Hermogenis ars Rhetorica,

Heronis Iſagoge rerum Geometricarum,

Nicomachi Geraſeni Arithmeticæ inſtitutionis libri.

CLARISSIMIS ET ILLVSTRIBVS VIRIS, ARCIMBOLDIIS.

Fratribus, ANTONELLO Protonotario Apoſtol.& Senatori regio, & IOANNI Candiæ & Vallegij domino, Primus Comes. S. P. D.

FAMILIA *veſtra,* ANTONELLE & IOANNES ARCIMBOLDII, *ampliſsima & nobiliſsima, ſemper claruit viris maximè illuſtribus religione; conſilio, rebus præclarè geſtis, & ſummis omnis generis litterarum ſtudijs. quod ego in ſingulis partibus uerum eſſe oſtendere ſi uelim, nominatis ſingillatim & enumeratis horum generum præſtantibus viris; inanem & immenſum laborem ſuſcipiam. non enim facilè id fieri poteſt cùm magnus ſit eorum numerus: neque illi ipſi parùm noti ſunt etiam litterarum imperitis; neque deſunt teſtimonia hiſtoricorum; atque aliorum ſcriptorum, à quibus eorum nomina ſumma cum laude immortalitati fuerunt commendata. Satis uiget, et celebratur memoria Cardinalium, Archiepiſcoporum, Abbatum, ſenatorum & magnorum conſiliariorum, belli ducum, & aliorum præſtantium uirorum armis & pro ſuis principibus tractandis, & pro ſua patria ſuſcipiendis. notiſsimi ſunt homines, & litteris elegantioribus ornatiſsimi, & omni diſciplinarum genere exculti: ita prætereà boni, & ſimplicis veritatis amici, vt nemini nocuerint unquam, ſtuduerint autẽ in omni vita omnibus prodeſſe, quibus poſſent. quorum omnium veſtram familiam magnum numerum tuliſſe, ſciunt omnes. Tantùm dico, mores eorum, qui nunc ſunt, ſi cætera deſint, ueſtræ familiæ præſtantiam, qualis ac quanta ſit, facilè declarare poſſe, uel uos duo (ut miſſos alios faciam) mihi ſatis eſſe poteſtis: quorum ſi quis diligenter attendat omnes actiones, facilè intelliget; uos neque adhuc unquam feciſſe, neque poſthac facturos eſſe quidquam tanta familia inferius, tam illuſtribus maioribus minus. Scio, modeſtiſsimas aures ueſtras, & pudoris, et uerecundiæ plenas, hæc non modò reſpuere atque aſpernari, ſed etiam ijs offendi non parùm; &, quod uerè Chriſtianorum, uereq; bonorum eſt hominum, malle eſſe, quàm uideri bonos. ſed tamen pluris eſt apud me, meque magis mouet ipſius ueritatis uis: atq; illud, quod, dum uos quodam modo deſcribo, nihil* ἐγκωμιαστικῶς *adfingens, uerum omnia quæ in uobis ſunt* ἱστορικῶς *exponens; exemplum prodo, & propono ad imitandum multis, unde moueantur probè quid illos facere deceat. Ac primum illud, unde multa quiuis poſsit conijcere, ad ueſtræ uitæ genus attinentia: quòd domus ueſtra aſsiduè plena eſt, non ſalu-*

tatorum, quorum undas aut magnas cateruas euomunt ędes ambitioſorum hominum; ſed pauperum & egentium, & uos in rebus ſuis conſulentium, & ad uos confugientium, & ueſtram opem implorantium. ut enim ambo concordiſſime unà uiuitis, ita ambo conamini certatim in ueſtro uterque genere ſic excellere: ut altero neque ſacerdos, modò eiuſdem ordinis, neque regius ſenator alius præſtantior haberi; altera neque paterfamiliâs, neque ciuis quiſquam melior eſſe poſſit. Sed te hoc loco primùm alloquar ANTONELLE, *quippe qui fratrem tuum* IOANNEM *non iam ætate ſed dignitate honoris gradu & titulis antecellis. Nam te protonotarium Apoſtol. ſanè quam egregium, ſenatorem dum ſeueritatem comitate temperas ualde bonum, iuriſconſultum præſtantiſſimum; atque inſuper politioribus litteris, & liberalibus diſciplinis excultiſſimum, non ita multis menſibus antè apoplexia correptum, ſeruauit Deus Opt. Max. vt multa præclara, quæ iam inſtituiſti, poſſes abſoluere, atque ad finem perducere. niſi enim tantus morbus te tam ſubitò oppreſſiſſet; iam bona ex parte Baſilius, Chryſoſtomus & Gregorius latinè & ornatè per te loquerentur. Dij boni, qui ac quantus nitor ad graues horum ſanctiſſimorum ac beatiſſimorum patrum ſententias ex te accedebat? quam illorum orationi expolitionem tuus labor, diligentia, ſtudium, eruditio adhibebat? qui pares ſunt in utriuſque lingua ac ſermonis facultate, uiri ſingulares, ſanctè iurabant; malle ſe Baſilium, Chryſoſtomum, & Gregorium latinè te interprete loquentes, quàm græcè ſua ipſorum lingua utentes audire. Sed ſperamus breui te, cùm magno Dei beneficio priſtinas uires iam fere receperis, tua ſtudia repetiturum; &, quæ tam feliciter incepiſti, ad exitum perducturum: licet autem tam grauis tamq́ repentinus morbus uires tuas, & animi, & corporis non ſolùm attenuaſſet, ſed etiam proſtrauiſſet; non tamen (quæ tui eſt animi præſtantia, & amor in ueræ ac ſanctæ religionis cultum) à præclaris operibus te abſtinere unquam potuiſti. primùm enim in ſenatum interim uenire non deſtitiſti, et nunc uenis aſſiduè; neque pateris patriam, & ciues tuos, magno tuæ clementiæ & ſapientiæ præſidio deſtitutos, te deſiderare; deinde dignum eſt, unde alij tui loci atque ordinis homines exemplum ſumant. nedum pulchrum eſt, ſpectare, quàm diligenter, in officio contineas illos Monachos, qui tibi crediti, Vicoboldunenſe templum diuo Petro dicatum, colunt, omni genere cultus ad ueram religionem attinentis: quos ſermones de religione & tu & illi ad plebem inſtituendam habeatis; quibus ſodalitatibus inſtitutis, rebus diuinis operam detis; quæ illic fiant quotidie, quæ ſtatis diebus: quæ cogitentur, quæ dicantur, quæ canantur, quæ peragantur ad pietatem, et caritatem, ad religionem pertinentia; ad dei, diuorum diuarumq́ gratiam ineundam, promerendam, et uobis in omnibus conciliandam. Te uerò* IOANNES *quid præſtantius dici, aut fingi poteſt; ſiue de ſapienti, patrefamiliâs, ſiue de bo-*

no ac

no ac præſtanti ciue, ſiue de homine pacis amico atque alumno, ſiue de uiro bono atque eo qui ſe non ſibi ſed alijs eſſe natum exiſtimet, ſiue denique de comarcho in ſubditos iuſtitia inſigni, loquamur? nemo domum ſuam melius, quàm tu, omnibus rebus, quæ ad uictum cultumq́ pertinent, inſtruit; nemo magnum liberorum vtriuſque ſexus numerum ſanctiùs inſtituit; nemo (quod tuum eſt ingenium, induſtria, experientia, iudicium) maiorem ex prædijs ſuis, pari agri modo, fructuum copiam atque vbertatem percipit. tu ob in incredibile quoddam religionis ſtudium noſtro Archiepiſcopo ſanctiſſimo es gratiſſimus. tu ob multas ac ſummas virtutes Arburquerquenſium duci principi noſtro, es cariſſimus. tu præterea omnibus ciuibus ſummis infimis medijs es acceptiſſimus. Ea eſt tua prudentia, & rerum humanarum cognitio, integritas, religio, ſanctitas morum: vt modò admirandæ illi templi maximi virgini matri dicati fabricæ, modò xenodochio uel noſocomio maximo præficiaris; modò decurio creeris. quarum quidem rerum procuratio licèt ſatis occupatum tenere quemuis poſſit, & ſatis negocij cuiuſuis exhibere: tu tamen interea grauiſſimas multas multorum controuerſias dirimere non ceſſas, tanquàm honorarius arbiter, & pacificator quidam eximius. vbi uerò ſeruatis legibus ab ijs magiſtratibus quos dixi, tibi ceſſandum eſt, maiores labores te excipiunt, pro uniuerſa ciuitate ſuſcipiendi: ſeorſum autem pro uirginibus, & mulieribus deo conſecratis; pro collegijs uel decurijs ſacerdotum, quos omni uirtute ornatos, huc acciuit noſtræ religionis Antiſtes Carolus Borrhomæus Cardinalis, omni omnium laudatorum laude maior. denique pro non minùs piorum, quàm honeſtorum ciuium noſtrorum ſodalitatibus multis: quibus non tam obeundis, frequentandis, ac colendis adſcriberis; quàm inſtituendis, tuendis, fouendis, atque augendis præeſſe ſoles. Ea porrò omnia omni, & animi, & corporis conata ſic obis, ſuſcipis, ac procuras; perinde ac ſi patriam tuam, omnem curam colendæ ac tuendæ religionis tibi uni commendaſſe ac credidiſſe exiſtimes. Tibi porrò pauperum cura omnium prima atque præcipua incumbit. quod quàm uerum ſit, cognitum eſt proximè: cum tu inter primos propulſandæ uel tolerandæ famis, ſuſtinendæque penuriæ, donec Deus nobis conſuleret, primam ac præcipuam curam & priuatim, & publicè ſuſcepiſti; ut eo penè eſſes in pauperes, quo es in liberos tuos amore atque animo. Iam uerò in populos tibi ſubditos tam iuſtum te præbes: ut nemini ne minima quidem in re iniuriam fieri patiaris; & unicuique, quod ſuum eſt, tribuatur, omnes inter ſe concordes in ſumma tranquillitate uiuant. Sed nimis longum eſſet, commemorare ac percenſere; quæ ambo communiter, quæ ſinguli magna cum laude aut dicatis aut facia tis; quàm præclara, quàmque eximia ſemper fuerint ueſtræ familiæ ſtudia. unum tantùm iam dictis adijciam; quo expoſito appareat, quæ in præſenti

à me de uobis, deq́ue genere ueſtro, dicta ſunt non ſine ratione fuiſſe commemorata. Veſtra familia bonas litteras magno ſemper amore, incredibili ſtudio, atq; animi propenſione complexa eſt et Mediolani, et alibi ubicunq; ea uiguit. mitto iam ſuperiora tempora, ſino alia loca, in quibus ea ſemper fuit ſui ſimilis. Iam exacti ſunt anni amplius C X X X. cũ in hac urbe floruit NICOLAVS ARCIMBOLDIVS; vir nobiliſsimus, doctiſsimus, & optimus; iuriſconſultus clariſsimus, ſenator grauiſſimus immo ſenatus ipſius princeps, & conſiliarius ducis ſapientisſimus: qui ſæpius ſummis de rebus ad maximos reges duceſq́ue & ad alios potentisſimos principes partim à Philippo Maria Vicecomite, partim ab huius genero Franciſco Sfortia principibus noſtris, legatus miſſus; eas legationes magna cum laude obiuit. cuius poſtea filij duo hanc noſtram vrbem, ſuam ipſorum patriam, mirandum in modum illuſtrarunt. Eorum alter OANNES ita bonus, integer, innocens, caſtus, religionis cultor eximius fuit; ita ſuæ nobilitatis clarorumq́ue natalium ſemper memor, ab omnibus ſordibus procul remotus, largus ac beneficus; ita conſtantis magniq́ue animi, grauis, & ſeuerus; atque idem contrà prudentia qua plurimum valebat comis, humanus, clemens, & ſuauis moribus; ita præterea uigilans, induſtrius, diligens, asſiduus, fidelis, & ſimplicis ueritatis amicus: ut omnes, quibuſcum uerſaretur; illum non tam diligerent q̃ amarent, colerent q̃ obſeruarent, ad mirarentur q̃ ſuſpicerent. rurſus idem ita omnis quidẽ liberalis doctrinæ, ſed præſertim omnis diuini atq; humani iuris peritus fuit; ita omni ſapientia, omnibus denique uirtutibus atq; optimis artibus præſtans: ut ij principes, quibus ille in rebus maximi momenti operam dediſſet; illum quantis maximis et quã plurimis potuerint honoribus ornarint, auxerint, cumularint. Nam Galeatius Maria Sfortia, Franciſci filius, dux Mediolani, eum ad omnes, ad quas quidem ipſe potuit, honoris ac dignitatis gradus euexit; &, ne ſingula referam, ad Florentinos, ad Venetos, ad Gallorum regem, ad Cæſar. m, ad ipſum Pontificem Max. legauit. Xyſtus. I I I I. Pontif. Max. primùm eundem protonotarium Apoſtolicum, Nouariæq́ue epiſcopum fecit; deinde S. R. E. Cardinalem creauit: & tam carum ſemper habuit, ut eum rebus maximis maximeq́; honorificis ſemper adhibuerit; Peruſiæ, patrimonij prouincijs, et Etruriæ legatum praeeſſe uoluerit. Innocentius V I I I. Romæ iuſtitiæ ſigni referendarium, Mediolani Archiepiſcopum eſſe iusſit; & aliquot inſuper alijs honoribus ſacris, tanto Cardinali dignis, cohoneſtauit. Alter Nicolai filius GVIDO ANTONIVS Ioanni fratri archiepiſcopus ſuccesſit: cum anteà Galeatio Maria, & Ludouico Sfortijs ducibus ſummis magiſtratibus et amplisſimis honoribus perfunctus; & ad Florentinos, Venetos, ad Neapolis, ad Pannoniæ regem, ad Summum Põtificem maximis de rebus Legatus, et ab ijſdem largè donatus fuiſſet. in quo archiepiſcopo non una atq; altera tantùm uirtus; ſed omnes erant, quaſcunque

cunque, quis poſsit dicere: neque eæ quidem mediocres, ſed excellentes; & præſertim largitas, beneficentia, liberalitas, magnificentia. etenim tantum ſtudium colendæ atque amplificandæ religionis in eo extitit: vt archiepiſcopi curiam, quam dono a duce acceperat, uetuſtate penè collapſam, magnis ſumptibus renouarit & inſtaurarit; templi maximi ſacra, cæremonias, ſacerdotũ munerum auxerit; demum eidem templo templiqúe Fabricæ magnam uim rerũ pretioſiſsimarum moriens legarit. Atque hi uiri tales ac tanti; quales ac quantos, ut potui, deſcripſi ex eiuſdem ætatis memoriæ hominum fide dignorum monumentis aliquot; nominatim autem Franciſci Philelphi, Ióannis Simonetæ, Donati Boſij, Bernardini Corij, Onuphrij Panuinij; & ex Nicolai ipſius tumulo, qui magnificentiſsimus Mediolani apud Franciſcanos in cella S. Bernardini conſpicitur; ex eo item libro, in quem non niſi explorata de uita & moribus noſtrorum archiepiſcoporum ordine ſunt relata: hi, inquam uiri, hoc eſt Nicolaus pater, & filij Ioannes & Guido Antonius, Franciſcum Philelphum, quem modò dixi, magiſtrum ſuum, hominem ea ætate litteratorum omnium facilè principem, in hac urbe Florentiſsima admodum carum habuerunt, & certatim fouerunt. Poſtea eadem familia ueſtra nunquam deſtiit alijs itidem fauere, ad quos apud nos publicè docentes primæ deferuntur. Mitto cõmemorare, quæ contulerit noſtra memoria in Gerardum Dicæum, quæ in Othonem Lupanum, uiros ſanequàm egregios. mitto dicere, quæ uos ipſi nuper in Franciſcum Cicereium, qui Othoni ſucceſsit, Maioragij amitini mei (de quo iam dicam) diſcipulum: qui nunquam ceſsat commemorare ueſtra in ſe beneficia; qui ait, ſe præcipue a uobis adiutum fuiſſe in parando interpretandi munere, in obtinendis adipiſcendiſqúe, in augendis ſuorum laborum præmijs; in ſuis denique rebus omnibus maioris momenti ad uos confugere conſueuiſſe. Maioragium ipſum ueſtra domus aluit, auxit; &, quantus quantus erat, effecit. ille contrà, uti (quod par erat) ſtuderet aliquam gratiam referre, uos ambos ſtudioſe docuit, & Græcis & Latinis litteris erudiuit, unà cum OCTAVIANO *fratre ueſtro ueſtrûm utroque natu maiore. Octauianum dico, egregium illum poſtea iuriſconſultum, deinde protonotarium apoſtolicum, contradictarum auditorem, utriuſque ſignaturæ referendarium, uirum maximum futurum; niſi Camertium agri & Vmbriæ Vicelegatum, ob ſummam ſeueritatem ſingulari comitate conditam omnibus carum, Deus ad ſe immortalis aduocaſſet ætate florentem, & in ſumma ſpe a Pio IIII Pontif. Max. collocatum ille ueſtram domum, ſatis iam per ſe decoratam, litterarum monumentis, quantum in eo, fuit, decorauit; ſatìs iam illuſtratam, illuſtrauit. ille parenti ueſtro ſummo uiro, & cum quouis ueteri heroë comparando, præclarum illum panegyricum dixit: eidem Paraphraſim in libros Ariſtotelis de Cœlo & Mundo dedicauit: dedicauit item Paraphraſim in eiuſdem libros de Genera*

tione

tione & Interitu Octauiano Veſtro. Neque dubium eſſe cuiquam poteſt; qui & illum, & uos, & remipſam probè noſſet; quin, ſi adhuc uiueret, uobis inſcriberet etiam has in tres Ariſtotelis libros de arte Rhetorica, quos ipſe latinos fecit, Explanationes: opus uidelicet eorum omnium, quæ quidem ipſe ſcripſit, præſtantiſſimum; & lectu (niſi me fallit meus in auctorem amor) digniſſimum; neque cuiquam huius generis interpretationi & facilitate, explicationis, & commoditate orationis, & exemplorum copia (quod in hoc ſcribendi genere maximè expetendum videtur) poſtponendum id quod etiam multò audaciùs dicerem, ſi poſtrema huic manus acceſſiſſet; ſique, ut auctor perduxit ad finem, ita emendare atq; recognoſcere potuiſſet. Quales quales tamen ſunt: cùm has explanationes in lucem proferre, & eloquentiæ ſtudioſis, quibus ſemper prodeſſe ſtuduit Maioragius, communicare decreuiſſem; uobis ſimul dedicare conſtitui. neque id iniuria, an verò, quod auctor ipſe, ſi viueret, ſine dubio feciſſet; id ego facere negligam: qui, quantam poſſum, eius hominis mortui uoluntatem tueri, in animum induxi meum; quiq; cupio extare monumentum aliquod, quod meam quoque in uos obſeruantiam teſtetur? Huc acceſſit illud, quò mihi hoc facere liberet magis: quòd me, alioquin uehementer cupientem, non deſtitit cohortari, & uolentem ut id facerem impellere, Ambroſius Barbauarius, philoſophus et theologus egregius, quin immo ſacræ Theologiæ Patauij interpres, ſummi iudicij uiris probatus maximè; & propterea Prædicatorij ordinis non modicum ornamentum: ille ipſe denique, cuius conſilio atque iuſſu Venetijs opus ipſum hac forma, quam uidetis, eſt deſcriptum. Eſt prætererea, quare uobis hi libri potiùs, quàm alij cuiquam debeantur; ſatis magna illa cauſſa: quòd, ſi dona probe conuenire debent ijs, quibus dantur; nihil his rhetoricis libris, atque eorum interpretatione uobis quadret magis, eloquentiæ uidelicet ſtudioſis. quòd ſi conquirendus mihi erat aliquis, nobilitate inſignis, cui donarem tam nobile opus, vos eſtis nobiliſſimi; ſi, quod eſt amplum, amplo dandum fuit, uos eſtis amplisſimi; ſi elegans, eleganti, elegantisſimi; ſi politum, polito, politisſimi; ſi præſtans, præſtanti, præſtantisſimi; ſi bonum denique bono donandum fuit, uos eſtis optimi. His omnibus de cauſſis hos tres libros, & in eos explanationes uobis, non alij cuiquam, uti qui iure optimo uobis debeantur datas, donatas, dicatas eſſe volo. Accipietis igitur præclarisſimi fratres munus iam diu uobis multis nominibus debitum, & nunc tandem à me vobis perſolutum. Ego uerò non tenebo uos diutius: quin iam Ariſtotelem ipſum, latine per Maioragium de facultate dicendi diſputantem; deinde eundem magiſtrum ueſtrum à philoſopho dicta, quadam eximia ratione explicantem, atque illuminantem omnia, audiatis. Valete.

Mediolani, Calendis Ianua. Anno M D LXXI.

M. ANT.

M. ANT. MAIORAGII
PRAEFATIO IN TRES ARISTOTELIS LIBROS, De Arte Rhetorica.

VETVSTISSIMA conſuetudo fuit, ut ait Plinius, referendi benemerentibus gratiam, ut ij, qui mortales aut omnes, aut certe quam plurimos beneficijs affeciſſent in deorum immortalium numerum cum exceſſiſſent è uita cooptarentur. fuit enim olim uniuerſis ferè gentibus perſuaſum, Deum eſſe mortali iuuare mortalem, & hunc eſſe unum ad æternam gloriam curſum. ſic Herculem quondam, & Liberum patrem poſt exantlatos innumerabiles penè labores tandem grata poſteritas numinibus aſcripſit. ſic Athenienſes Cecropem ſuum coniugij auctorem à quo ciuilem cultum edocti fuerant. Lacedæmonij Caſtorem, & Pollucem qui deinde cæteras etiam apud gentes ac nationes pro Deis habiti ſunt. Aegyptij Theuthum à quo literas acceperant. Itali Ianum, quem ob ſingularem prudentiam ac ſapientiam bifrontem fuiſſe confinxerunt. Romani Quirinum urbis parentem, & conditorem, & denique alios alij complures poſt mortem numinibus æquatos Deos indigetes appellarunt. Quod ſi quiſquam conditione hac mortali natus dignus haberi debet, qui diuinos honores conſequatur, ij certe non tantum mea, ſed etiam bonorum omnium ſententia digni ſunt, qui, quod ait poetarum princeps Virgilius —— Phœbo digna locuti, Inuentas aut qui uitam excoluere per artes. è quorum numero, cum hac in re quamplurimi laborarint, duo præſtantisſimi omnium, qui poſt homines natos unquam floruerunt Plato atque Ariſtoteles ingenij gloria ſic inter ſe contenderunt, ut alijs omnibus longo interuallo poſt ſe derelictis, uter eorum alteri præſtet, uix quiſquam ſanæ mentis iudicare audeat. uterque enim eſt in ſuo genere ſummus, uterque uehementer admirandus. ſed is, quem nonnulli philoſophorum Homerum appellant Plato; quem eloquentiæ Romanæ parens M. Tullius Cicero audet etiam Ariſtoteli præponere, quoniam, ut opinor, nondum hunc planè intus, quod aiunt, & in cute cognouerat, alta quadam ac diuina mente præditus ea perſcrutari conatus eſt, quæ non modo nullo ſenſu ſatis percipi poſſunt, ſed uix cogitatione atque intelligentia comprehendi. & quod caput eſt, quorum antegredientes cauſæ uel nullæ ſunt, uel ſaltem non neceſſariæ. qui tamen cum Antiſtes haberetur ſapientiæ, ſic ab omnibus dum adhuc uiueret, obſeruabatur, ut eum tanquam aliquem non in terris natum hominem, ſed e cœlo delapſum Deum intuerentur. Declarauit hoc Dionyſius Tyrannus aliàs ſæuitiæ, quod ait Plinius, ſuperbiæque natus, qui uittatam ei nauem, tanquam Apollini Delphico uenienti miſit obuiam. ipſe uerò quadrigis albis egredientem in litore excepit. ſed alii Platonem omnes admirati ſint, dum ipſe Plato cum omnibus unum præter cæteros Ariſtotelem ſuſpexerit. conſtat enim Platonem Ariſtotelis ſolertiam, & incredibile ingenium tantopere miratum fuiſſe, ut quoties in Gymnaſium docendi gratia ueniret, circumſpicere ſolitus fuerit, an Ariſtotelem, qui eius frequens erat auditor, alicubi ſedentem uideret, quod ſi forte præſens ille non fuiſſet, exclamabat, ὁ νοῦς οὐ πάρεστι mens non adeſt. perinde quaſi cæteri omnes præ uno Ariſtotele priuati mente uiderentur, tantus in eo ſplendor ingenij tantum animi decus elucebat. nam omnino poſt Platonem cui dubiam atque incertam uictoriam reliquit, omnium eruditorum teſtimonio, totiusque iudicio Græciæ, cum prudentia, & acumine, & uenuſtate, & ſubtilitate, tum uero eloquentia, uarietate, copia, quam ſe cunque in partem dedit, omnium fuit facile princeps. Quod ſi fortaſſe quiſpiam tam pertinax in ſententia fuerit, ut hunc in cæteris Platoni parem, aut etiam

inferiorem

Inſeriorem exiſtimet, quod minimè concedo, illud quidem certè ſateatur neceſſe eſt, in explicandis rerum naturalium cauſis, atque in tradenda ſcientiarum uia atque ratione, quam methodum uocant, Ariſtotelem eſſe Platone longe ſuperiorem. cum apud illum nihil ſerè cum uia ac ratione tradatur, apud hunc uerò nihil omnino ſine Methodo.

Quamobrem mira profectò quædam res fuit, & quæ non ab hominis natura proficiſci potuerit, ſed quæ à diuinitate quadam neceſſario extrinſecus aduenerit, ſicut ait magnus ille peripateticus ex Arabia, quòd in uno homine tanta ubertas ingenii, tam incredibilis rerum omnium cognitio, tanta optimarum artium ſcientia extiterit, ut omnino diuinum potius quam humanum Ariſtotelis ingenium exiſtimari debeat. tres enim omnium excellentiſſimas artes, ut ait ille idem Auerroes, ipſe ſolus, & inuenit, & perſecit, hoc eſt diſſerendi rationem, quam Logicen uocant, naturalem ſcientiam quæ Phyſice dicitur, & primam ac diuinam Philoſophiam, quę proprie ſapientia nominatur. nam quicquid ab antiquis, de his rebus antea dictum ſuerat, pro nihilo putandum eſt, quia nullam harum maximarum artium partem penitus abſoluerunt. nec quiſquam eorum, qui poſt Ariſtotelem ſcripſere, quicquam his artibus addidit, quod alicuius eſſe momenti uideatur. ſed illud multo maxime mirandum eſt, quod in tot Ariſtotelis ſcriptis, quæ pasſim à pręclarisſimis ingenijs continenter uerſantur, nullus unquam apertus error, aut animaduerſione dignus repertus ſuerit, niſi quis paucula obijciat in quibus a Chriſtiana pietate diſſentire creditur. quæ res profecto declarat immenſam quandam ac uerè diuinam huius uiri rerum omnium ſcientiam. uerum, ut reliqua prętermittamus hoc tempore, quæ ſunt ab hoc auctore diuinitus conſcripta opera, & quæ tot ubique terrarum rarisſima quotidie exercent ingenia, quis non admiretur, ſi bene intelligat, quam conquiſita cura, quamque aptè, diſtinctè, ornate præcepta Rhetorica conſcripſerit, atque enodata diligenter expoſuerit hoc in opere quod à nobis in latinum ſermonem antea conuerſum nunc interpretandum publicè ſuſceptum eſt? ipſis enim inuentoribus artis Rhetoricæ, quemadmodum ait Cicero, tantum ſuauitate, & breuitate dicendi præſtitit, ut nemo illorum libros cognoſcat, ſed omnes ad hunc quaſi ad quendam multo commodiorem explicatorem reuertantur. qui non tantum de arte loquitur, quod alij plerique faciunt, ſed id etiam ex arte, atque adeo artificioſisſimè facit. nam cum hoc ſcriptore, uel Ciceronis teſtimonio, nemo omnium doctior, nemo acutior, nemo in rebus uel inueniendis, uel iudicandis acrior ſit, cum aureum orationis flumen ubique ſundat, cum admirabili quadam ſcientia, & rerum copia ſcateat, tum certe hoc in opere tam eruditè præcepta colligit, tam ingenioſè diſponit, tam politè eloquitur, ut nihil uſquam in hoc genere præſtantius reperiri, nihil melius dici aut excogitari poſſe exiſtimem. uidit profecto ijs oculis etiam hæc præcepta Rhetorica, quibus res omnes obſcuras, atque ab ipſa natura inuolutas acutisſime uidit, & in lucem è tenebris eduxit. quemadmodum enim in reliquis philoſophiæ partibus cæteros omnes ſcribendo ſuperauit, ita etiam in hac arte tantum excelluit, ut nullus artis ſcriptor neque gręcus, neque latinus ſit cum eo comparandus. niſi forte quis Ariſtoteli noſtrum opponat Ciceronem, extra omnem ingenij aleam poſitum, ut optimè Plinius ait, qui ſine ulla dubitatione, ſiquis dicendi ſacultatem, & neruos oratorios, omnemque eloquendi ſuppellectilem ſpectet, quam non tantum in orationibus, ſed in omnibus ſcriptis ſuis utitur, & Ariſtoteli, & Platoni, & Demoſtheni, & denique omnibus qui poſt homines natos aliquid unquam oratoriè ſcripſerunt, aut eloquentiæ laude præſtiterunt longe præponendus eſt. ſed ſiquis ad artis præcepta referat oculos, & quid, quoque modo præcipiat Ariſtoteles, quid & quo modo Cicero diligenter aduertat, non dubium eſſe uidebit. quin hac in parte Ariſtoteles Cicerone multo ſit excellentior, neque uerò hoc accidit iniuria. nam Cicero ſe totum ad uſum forenſem, atque exercitationem contulit, ut quæ ab ineunte ætate, & ab Ariſtotele, & ab alijs artis ſcriptoribus didicerat, non iam in præceptis contineret, ſed re ipſa experiretur, ipſa uerò præcepta longo uſu doctus uel contemneret, uel docere non admodum curaret. Ariſtoteles autem uir ab agendis cauſis, & à forenſi ſtrepitu remotus atque ocio ſuo literario contentus, certum ac definitum tempus pomeridianum tradendis Rhetoricæ præceptis, & erudiendis in oratoria facultate iuuenibus aſſignauit. nam ut Cicero ſcribit, adoleſcentes non ad philoſophorum morem tenuiter diſſerendi, ſed ad copiam

piam

piam rhetorum in utranque partem diligenter exercuit. non igitur mirum, ſi in dicendi quidem facultate, uiribuſque eloquentiæ propter aſſiduum forenſem uſum Ariſtoteli Cicero longe antecellit, in arte uero docenda præceptiſque tradendis, qua in re non tam frequenter uerſabatur, multò fuit inferior. in eis enim rebus ingenium ualet, in quibus ſtudium ac diligentia ponitur. quod ſi præſtantiſſimum omnium dicendi magiſtrum Ariſtoteles hac in re ſuperat, multo facilius omnes alios, qui ſine dubitatione ad Ciceronis gloriam non aſpirant, ſuperabit. Atque hæc quidem cauſa me potiſſimum impulit, ut cum annis ſuperioribus Ciceronis opera, quibus artem, & Rhetorica præcepta complexus eſt, interpretatus fuerim, hoc anno hos Ariſtotelis libros Rhetoricos aggrederer, ut tandem ſi fieri poteſt, una cum Cicerone præclaram illam & eximiam oratoris perfecti ſpeciem, & pulchritudinem adamantes Ariſtotelium uim comprehendamus, rerumque cognitionem cum orationis exercitatione iungamus. ſic enim nobis aliquando continget, id quod Alexandro Macedonum regi, cui Philippus pater Ariſtotelem doctorem acciuit, a quo, & agendi præcepta, & eloquendi acciperet. ſed huic tantę utilitati res quædam erat impedimento, quam nos magno labore totiſque uiribus noſtris amoliri ſtuduimus, idque iam ex aliqua parte feciſſe uidemur, & quod ſupereſt, ut ſpero, paulatim deinceps conficiemus. nam hic tam eximius eloquentiæ theſaurus, qui tribus his Ariſtotelis libris continetur, iacebat adhuc apud nos partim barbarorum inſcitia deformatus, & ſquallore quodam obſitus, partim etiam à paulo doctioribus uiris ignoratus. ſed huic operi multa adiumenta nuper contulit uir eruditus Petrus Victorius, quem, ut meritus eſt, honoris, & amplitudinis gratia nomino. qui multos ſanè locos, & emendauit, & nitori priſtino reſtituit, commentarioſque non uulgares in totum opus conſcripſit. qui quidem ſi opus etiam ipſum in latinum ſermonem conuertere uoluiſſet, & paulo uberius præcepta Ariſtotelis illuſtraſſet, hoc me labore conuertendi, & interpretandi fortaſſe leuaſſet. nunc quod ille dedit grato animo accepimus, & poſthac etiam eius laboribus, quatenus licebit, perfruemur. ſed quoniam non omnia, quod ait poeta, poſſumus omnes, etiam nos plurima quæ ille non attigit, adiungemus, & communi utilitati, quoad facultas noſtra tulerit, ſemper inſeruiemus. nam ſi Ariſtotelis ſummi doctoris pręcepta ſingula cum Ciceronis oratorum principis, tum aliorum ueterum latinorum exemplis illuſtrauerimus, rem, & nouam, neque ab alijs adhuc tentatam, & perutilem conficiemus. in quo mihi uideor illud iure optimo uſurpare poſſe, quod in oratore ad Brutum Cicero: Magnum opus omnino, & arduum conamur, ſed nihil difficile amanti puto. amo autem, & ſemper amaui ingenium, ſtudia, mores ueſtros optimi iuuenes, neque ullus tam magnus eſt labor, qui pro utilitate ueſtra ſuſceptus non mihi iucundus ſit futurus. incendor porro quotidie magis cum iſtam diligentiam ueſtram, iſtam aſſiduitatem, & frequentiam, iſtam denique alacritatem in optimarum artium ſtudijs conſpicio: qui pleno curſu ad eloquentiam properatis, quam intelligitis unam quandam eſſe de ſummis uirtutibus, ut apud Ciceronem L. Craſſus affirmat, & ueterem illam doctrinam ſtudetis aſſequi, quę fuit eadem, & rectè faciendi, & bene dicendi magiſtra. neque enim erant apud antiquos diiuncti doctores, ſed ijdem uiuendi pręceptores atque dicendi. ut ille apud Homerum Phœnix, qui ſe à Peleo patre Achilli iuueni comitem eſſe datum dicit ad bellum, ut illum efficeret oratorem, uerborum actoremque rerum. ſed apud uos nihil attinet eloquentiam ipſam laudare, quam rerum omnium reginam poeta neſcio quis ueriſſime dixit eſſe. quam eſſe copioſe loquentem ſapientiam prudentiſſimi uiri definiuerunt. illud tantum dicam nihil ex omnibus rebus eſſe in quo uos iſta ętate uel fructuoſius laborare uel glorioſius uerſari poſſitis. de hoc autem Ariſtotelis opere illud audacter & ſecure uobis polliceri poſſum, ſiquis omnia, quæ in eo traduntur dicendi præcepta didicerit, nihil eum amplius omnino quod ad perſuadendi facultatem attineat, deſideraturum. ſic enim accuratè ſingula pertractat; ita diligenter omnia perſcrutatur, ut nihil enucleatius aut explicatius fieri poſſit. quanto enim ſtudio, quæ communia ſunt omnium dicendi generum, & quæ propria ſingulorum primo libro perſequitur? ut nihil omnino quod aut in deliberationem cadat, aut exornari debeat, aut in iudicium ueniat, inueniri

ueniri poſſit, de quo non copioſe præcepta tradat. quanto porro acumine, quantaque doctrina duo illa quæ bene tractata ab oratore admirabilem eloquentiam faciunt, ſecundo libro præcipit, quorum alterum eſt, quod Græci ἠθικὸν uocant, ad naturam, & mores, & ad omnem uitæ conſuetudinem accommodatum, alterum quod ijdem παθητικὸν nominant, quo perturbantur animi, & concitantur, in quo uno regnat oratio. ac de hoc quidem quo uehementes animi commotiones continentur, quod eſt uehemens, incenſum incitatum, quo cauſæ eripiuntur, quod cum rapide fertur, ſuſtineri nullo modo poteſt, initio ſecundi libri copioſè uerba facit. deinde ſingularum ætatum atque ordinum mores ita perſpicuè ſpectandos proponit, ut ne pictor quidem quiſquam eximius alicuius rei ſpeciem euidentius exprimere ualeat, tum locos ac ſedes argumentorum unde ueriſimilia ducantur, atque etiam unde fallaces concluſiunculæ, quæ uidentur quidem ueriſimiles, ſed re uera non ſunt, ingenioſiſſimè, atque acutiſſimè docet. quid in tertio libro, quanta cura ſubtilitateque tradit ea, quæ ad diſpoſitionem, & elocutionem pertinent: Atque hæc quidem omnia quæ tribus his libris diuinitus à Philoſopho traduntur, ſi uobis, ut ſperò clarè dilucideque interpretatus fuero, atque exemplis optimorum ſcriptorum, & in primis eius, quem in delicijs habemus, oratorum principis. M. Tullij Ciceronis illuſtraro, tum uerò me egregie nauaſſe operam exiſtimabo, neque uos, ut opinor, diligentiæ meæ pœnitebit. quippe qui me doctore atque interprete, ſi diligenter aduertere uolueritis, dicendi præcepta ab Ariſtotele, uſum uero præceptorum ab exemplis facile percipietis. Iam igitur ad ea, quæ prius examinanda ſunt, quam Ariſtotelis opus interpretemur, accedamus.

In Orat. ad Brut.

Quae praedicenda ſunt.

Seuerinus Boetius ait hanc eſſe magiſtrorum conſuetudinem, ut cum aliquod opus interpretandum aggrediuntur, primo ſex illa breuiter expediant; quod ſit auctoris conſilium ſiue propoſitum, qui Græcæ σκοπὸς dicitur, quæ utilitas operis, qui ordo, quæ inſcriptio, an eius auctoris cuius nomine circunfertur proprium ac legitimum opus ſit, & denique ad quam philoſophiæ partem referatur, quæ nos etiam ne ab alijs deficiamus, paucis uideamus. Ac primo dicimus illud Ariſtoteli propoſitum eſſe, ut in hoc opere doceat, qua ratione uiaque conſequamur ea, quæ ſunt in quaque re ad perſuadendum accommodata. nam, ut refert Gellius, commentationum ſuarum artiumque quas diſcipulis ſuis tradebat Ariſtoteles duas ſpecies habuiſſe dicitur, alia erant quæ nominabat ἐξωτερικά, alia quæ ἀκροαματικά. ἐξωτερικὰ uocabat ea, quæ ad rhetoricas exercitationes, & ad ciuilium controuerſiarum cognitionem conducunt, ἀκροαματικὰ uerò in quibus philoſophia remotior, occultiorque continetur, ut quæ rerum cauſas, & naturę obſcuritatem inueſtigant, cui diſciplinæ tempus tribuebat in lycio matutinum, neque ad eam temerè quenquam admittebat, niſi quorum antea ingenium, acumen, eruditionis elementa, & denique ſtudium in diſcendo, & laborem cognitum haberet, illas uero ἐξωτερικὰς meditationes pomeridianis horis in eodem Lycio faciebat ad eaſque iuuenes omnes ſine delectu admittebat. ac primo quidem has diſputationes à cauſis forenſibus, & ciuilibus ad inanem ſermonis elegantiam tranſtulerat, ut apud Ciceronem L. Craſſus ait, ſed deinde cum florere Iſocratem nobilitate diſcipulorum uideret, mutauit repente totam formam propè diſciplinæ ſuæ, uerſumque quendam de Philocteta paulo ſecus dixit, ille enim turpe ſibi ait eſſe tacere cum barbaris, hic autem cum Iſocratem pateretur dicere. itaque ornauit, & illuſtrauit doctrinam illam omnem, rerumque cognitionem cum orationis exercitatione coniunxit. ſunt igitur hi Rhetoricorum libri ex eorum numero, qui ἐξωτερικοὶ dicuntur, in quibus accuratè dicendi artem tradit, nihilque prætermittit eorum, quę fidem in dicendo facere poſſunt, quod ante Ariſtotelem nemo planè perfecerat. utilitatem autem huius operis atque artis magnam eſſe pluribus ipſe argumentis docet, quippe non ignoraret multos eſſe, qui totam hanc dicendi rationem non mediocriter improbarent, & multa ciuitatibus incommoda, multaque detrimenta importare conten-

Lib. 20. cap. 4.

3. de Oratore.

contenderent. quorum è numero Socrates pręcipue fuit, qui quodam pertinaci ſtudio,
rhetoras inſectabatur, & irridebat, atque contemnebat, eo quod ipſe doctrina quidem
& ingenio abundaret, ſed à re ciuili, & à negocijs animo quodam iudicio abhorreret.
Ariſtoteles igitur hanc artem iniquè uituperari, cum magnam utilitatem, uberrimoſque
fructus afferat, facile docet, quod etiam poſt Ariſtotelem multis in locis Cicero, &
ſecundo libro Quintilianus copioſe perſequitur. quin Iſocrates ad Nicoclem ſcribens,
multis rationibus oſtendere conatur eos improbè facere, qui dicendi facultatem impro-
bare audent. extat præterea Epiſtola ad Alexandrum Magnum, quam aliqui Ariſtote-
lis, aliqui Auaximenis Lampſaceni eſſe exiſtimant, qua doctiſſimè ſuauiſſimeque orato-
ria dicendi ratio exornatur, & utiliſſima eſſe oſtenditur. Ordo uero quo nihil ex omni-
bus rebus melius inueniri poſſe Xenophon ſcribit, ſic ab Ariſtotele ſeruatur hoc in ope-
re, ut in alijs etiam omnibus ſolet. neque enim quiſquam unquam auctor ordinatius
ſcripſit, neque tàm accuratè non ſolum librum libro, ſed etiam ſententias ſingulas inter
ſe copulauit, ut ſiquis non dicam uerſum, ſed uerbum unum immutarit, tota quodam-
modo ſtructura perire uideatur. tractat autem ea primo quæ communia ſunt omnium
dicendi generum, deinde ſingula Rhetoricæ ſiue cauſarum genera perſequitur, tum quæ
ad animi commotiones, & ſingularum ætatum atque ſortunarum mores attinent. deni-
que ſedes argumentorum explicat. poſtremo qua diſpoſitione, quo elocutionis genere
ſit utendum aperit. quæ omnia ſic inter ſe connectuntur, ut admirabilis harum rerum
ſeries appareat. Inſcriptio eſt de Arte Rhetorica, quod in Oratore ad Brutum his uer-
bis oſtendit Cicero; Atque etiam ante hunc Ariſtoteles principio Artis Rhetoricæ dicit
illam artem quaſi ex altera parte reſpondere Dialecticæ. & Quintilianus libro ſecundo, *cap. 2.*
Ariſtoteles, inquit, de Arte Rhetorica tres libros ſcripſit. licet enim multi dubitarent,
utrum ars eſſet Rhetorica nec ne, ſicut apud Ciceronem Marcus Antonius oſtendit, ta- *2. de Ora.*
men Ariſtoteles artem eſſe cenſet, idque accurata diſputatione declarat, ſicut etiam apud
nos Quintilianus ſecundo ſuarum inſtitutionum libro, neque tamen unam ex eis arti-
bus eſſe uult, quæ exquiſitæ ac perfectæ ſunt, ſed ex eis quæ στοχαστικαὶ uocantur, eo quòd
coniecturis plurimum utuntur, qualis eſt etiam ars medicorum, & gubernatorum. un-
de facultas potius quædam, quam ſcientia uocatur. ſicut etiam huic affinis Dialectica.
quanuis enim finem ſuum non aſſequatur, neque ſemper dicendo perſuadeat, nihilomi-
nus tamen ſi nihil eorum prætermiſerit, quæ ſunt ad perſuadendum accommodata, mu-
nere ſuo functa eſſe dicitur, & non aliter eſt ars quam medicina, quæ non ſemper ſa-
nare poteſt. ſequitur ut uideamus an hoc opus proprium ac legitimum ſit Ariſtotelis,
quod in ſingulis ferè huius auctoris operibus ab antiquis interpretibus quæri diligen-
ter ſolet. cuius rei tres fuiſſe cauſas Hammonius cenſet, quia tres occaſiones nacti qui- *in Præd.*
dam, quæ non erant Ariſtotelis propria opera illi tribuerunt, ac prima quidem fuit no-
minis ambiguitas. nam alij fuerunt etiam Ariſtoteles præter hunc Stagyritam, quorum ope-
ra propter ambiguitatem, quidam huius auctoris eſſe cenſuerunt. altera fuit occaſio quia
multa opera cum una atque eadem inſcriptione circunſerebantur. nam ipſius Ariſtote-
lis diſcipuli ut Eudemus, Phanias, Theophraſtus, præceptorem ſuum æmulati de ijſdem
rebus, quibus ille, ſcripſerunt. tertia cauſa fuit huiuſmodi. tradunt enim Ptolemæum Phi-
ladelphum operum Ariſtotelis fuiſſe maximè ſtudioſum, atque illis pecunias multas tra-
dere ſolitum, qui ſibi aliquos Ariſtotelis libros attuliſſent. quare factum eſt, ut multi
pecuniarum auidi nonnullorum operum inſcriptionem mutarent, & appoſito Ariſtotelis
nomine Philadelpho traderent. ſed tamen à præclaro ingenio uiris duabus quaſi notis
germani Ariſtotelis libri cognoſcuntur, hoc eſt, ſententiarum acumine, & elocutionis
genere. ſed de hoc opere nemo dubitat, quin germanum ipſius Ariſtotelis ſit, quod præ-
ter ſententiarum acumen, & dicendi genus, etiam teſtimonio tum ipſius auctoris, tum
aliorum complurium doctiſſimorum hominum, & Græcorum, & Latinorum probari facile
poteſt. quin Cicero noſter, & Quintilianus multis in locis Ariſtotelem huius operis au-
ctorem agnoſcunt. Illud igitur tantum ſupereſt, ut explicemus, ad quam philoſophię par-
tem hi libri Rhetorici referantur. Ac Cicero quidem initio librorum de inuentione, ci-

uilis

uilis ſcientiæ, quam politicam appellant, magnam & amplam partem eſſe cenſet eloquentiam artificioſam, quam, inquit, Rhetoricam uocant, & Quintilianus Ciceronis ſententiam ſecutus eſt. quam tamen Cicero uidetur ab Ariſtotele ſumpſiſſe. qui & primo Ethicorum Rhetoricam ciuili ſcientię ſubiecit, & hoc in opere tanquam germen quoddam eiuſdem ciuilis diſciplinę dicit eſſe. At uero Simplicius in Cathegorias ſcribens hanc artem ad eos libros pertinere cenſet, qui continent ea, quę quaſi quędam inſtrumenta ſunt ad diſſerendum. Ariſtoteles certe primo libro, Rhetoricam ait e Dialectica, & ciuili ſcientia conflatam eſſe, ut ad utranque quodammodo referri poſſe uideatur. hoc igitur modo ſint explicata ſex illa, quę ante operis explanationem quęri ſolere Boetius ſcribit. nunc ad opus ipſum interpretandum aggrediamur.

M. ANT.

M. ANT. MAIORAGII COMMENTARIVS IN PRIMVM ARISTOTELIS LIBRVM, De Arte Rhetorica.

TEXT. *Rhetorica Dialecticæ affinis eſt, & quaſi ex altera parte reſpondet.*

COMM. CVM de aliqua re tractaturi ſumus, quo melius definitionem eius intelligamus, illud in primis inueſtigandum eſt, quo in genere ſit ea res collocata, quamq; habeat ſubiectam materiam. quod quidem Ariſtoteles vbique ferè diligentiſsimè facere conſueuit: atque hæc eſt cauſa quare huius etiam operis initio, cum de Arte Rhetorica tractare velit, prius inquirat, in quo genere rerum poſita ſit. ſed cum intelligat eam nullum habere determinatum genus, aut certã materiam in qua verſetur, ſicuti neque Dialectica, quia de rebus omnibus communiter in vtranque partem diſputat: ideo ſtatim eam Dialecticæ comparat, & per quam ſimilem ei eſſe oſtẽdit, adeo ut pene cum ea reciprocetur, quaſi ſit ex eodem hauſta genere, & cum ea nata, atque, vt ita dicam, ex eodem trunco, eademque ſtirpe progenita. licet aliquo modo, ſicut infra docebimus, inferior eſſe videatur. Itaque vult eam eandem pene vim habere, quam habet Dialectica, & quaſi partem quandam ſiue propaginem eius eſſe, quoniam argumentandi formulas, & probandi rationes à Dialectica ſumit, neque ferè quicquam habet proprium, præter finem, & elocutionem, & orationis ornamenta. Materia verò communis harum artium, quam tractãt, & in qua uerſantur, ſunt res omnes, quæ ad hominum opiniones, & veriſimiles probabilesq; rationes attinent: vt exempli gratia, quæ cõmuniter de vita atque moribus, de natura rerum, de ratione diſſerendi tractantur, & de quibus nullæ ſunt adhuc artes conſtitutæ, quas plerique etiam ſine arte Dialectica aut Rhetorica natura ipſa duce tractare commodè ſciunt. cum igitur hæ duæ artes tantopere ſimiles ſint, vt iiſdem pene rationibus in probando vtantur, & in eiſdem rebus communiter verſentur, uoluit Ariſtoteles initio declarare maximam earum cognationem atque affinitatem, ideo dixit, Rhetoricam eſſe ἀντίστροφον Dialecticæ, ideſt adeo ſimilem, vt cum ea conuerti poſsit, & eandem vim habeat. Hunc locum in Oratore ad Brutum M. Cicero ſic expreſsit; Atque etiam ante hunc Ariſtoteles principio Artis Rhetoricæ, dicit illam artem quaſi ex altera parte reſpondere Dialecticę. & in Academicis quæſtionibus, Huic quaſi ex altera parte oratoria vis dicendi adhibebatur. quæ Ciceronis conuerſio mirificè ſententiam Ariſtotelis exprimit. quãuis Petrus Victorius, vir alioqui ſatis eruditus, iniquè Ciceronem accuſet, dicatque non ſatis ab eo perceptam eſſe Ariſtotelis ſententiam, quod certè, mihi non probatur. Quid enim aliud hoc in loco ſignificare vult Ariſtoteles, quàm inter Rhetoricam & Dialecticam affinitatem eſſe maximam, adeo vt ambæ vim eandem habeant, atque in eiſdem rebus uerſentur? quod etiam Alexãder Aphrodiſæus agnoſcit, qui verbum illud Ariſtotelis ἀντίστροφος, idem eſſe ait, quod ἰσόστροφος, hoc eſt eiſdem in rebus verſans. tam enim opiniones hominum, & veriſimilia argumenta ſequitur Rhetorica, quàm Dialectica. neque ferè alia in re differunt, niſi in dicendi quadam aduenticia forma, quod Rhetorica latior eſt, Dialectica verò cõtractior; vt ſiquis elocutionem & orationis ornaměta Rhetoricæ detrahat, eadem pene ſtatim quæ Dialectica ſit futura. Hæc igitur eſt Ariſtotelis ſententia; Rhetoricam in eiſdem rebus verſari, quibus etiam Dialectica verſatur, hoc eſt in eis, quæ ex hominum opinione pendent, & ab omnibus intelligi quodammodo poſſunt. Videamus nunc an idem etiam Cicero ſentiat, quod certè multis ex locis probari poteſt. ſed ex illo præcipuè, qui eſt in Partitionibus, vbi ita inquit; Nihil enim eſt aliud eloquentia, niſi copioſè loquens ſapientia, quæ ex eodem hauſta genere, quo illa, quæ in diſputando, vberior eſt, atque latior. potuit ne apertius dicere Cicero, Rhetoricam in eiſdem rebus verſari, quibus Dialectica? quid in Oratore ad Brutum, & in ſecundo de Finibus, nonne Zenonis ſententiam approbat Cicero, qui dixerat omnem vim loquendi in duas tributam eſſe partes, Rhetoricã palmę, Dialecticam pugno ſimilem eſſe? quòd latius loquerentur Rhetores, Dialectici autem contractius. atqui eadem manus eſt, ſiue contrahatur in pugnum, ſiue dilatetur in palmam, ſed tantum fortuita quadam forma & ratione differt. Idem in Oratore ad Brutum ait, Dialecticorum ſcientiam Rhetoricę vicinam atque finitimam eſſe. de claris Oratoribus ita inquit; in Dialectica exercebar, quę quaſi contracta & aſtricta eloquentia putanda eſt, ſine qua etiam tu Brute iudicaſti te illam iuſtam eloquentiam, quam Dialecticam dilatatam eſſe pu-

tant, conſequi non poſſe. Scit igitur Cicero uerã eſſe Ariſtotelis ſententiã,& in eiſdem rebus Rhetoricam,& Dialecticam uerſari. neque aliam ferè inter has artes eſſe differentiam, niſi quia non eandem dicendi formam ſequuntur. At inquit Victorius, lapſus eſt Cicero, cum affinxerit Ariſtoteli, quod hic ab ipſo traditum nullo modo uidetur. imo uero nihil affingit Cicero, ſed Ariſtotelis ſenſum aptiſſime interpretatur. tu uero Victori fruſtra uideri uis argutus, qui dicas Ciceronem exiſtimare ab Ariſtotele notatam eſſe contrarietatem (hoc enim tu uerbo uteris) quæ ſit inter Rhetoricam & Dialecticam, qui dixerit, ex altera parte reſpondere paucis uerbis duo magna peccata. Vnum quod inuſitato latinis uerbo uſus es. quis enim unquam apud ueteres ac probatos ſcriptores latinos contrarietatem legit? alterum quod aperte ea Ciceroni tribuis, quæ ille nunquam dixit: qui non modo hoc in loco, ſed neque uſquam alibi poſuit unquam ullam inter Rhetoricam & Dialecticam repugnantiam, ſed ubique maximam inter eas ſimilitudinem eſſe oſtendit, & penè eaſdem eſſe uult, paruoque orationis aduentitio diſcrimine inter ſe diſtingui, ut ſatis apparet ex locis, quos iam ſupra citauimus, atque ex aliis etiam multis, qui paſſim in eius operibus occurrunt. Sed nimirum illud te in errorem impulit, quod opinaris, ex altera parte reſpondere, idem ualere, quod aliquo modo contrarium eſſe. quod omnino falſum eſt. neque enim uſquam apud Ciceronem, quod quidem ego ſciam, ea uerba reperiuntur in ea ſignificatione poſita, quamuis tu aſſeueranter dicas plurimis in locis ita locutum fuiſſe Ciceronem & in Orationibus, & in libris, quos de philoſophia ſcripſit. ſed hoc, quod dicis, uno ſaltem exemplo te probare oportebat. neque poſtulare ut tibi tanquam Apollini Delphico crederemus. Ego quidem nuſquam adhuc diligentiſſimè quærens reperire potui locum ullum, ubi Cicero uerbis illis repugnantiam aliquam notet: quin potius eo uerbo reſpondendi, quo hic utitur, maximam frequentiſſimè ſimilitudinem indicat, ut reſpondere in amore, ideſt, ſimillimũ eſſe, reſpondere gloriæ alicuius, ideſt, parem & ſimilem gloriam acquirere, quæ locutiones paſſim occurrunt. Vt ad Brutum, Nihil enim mihi minus hominis uidetur, quam non reſpondere in amore. quinto de Finibus, reſpondent extrema primis. primo Tuſculanarum, ſatis Græcorum gloriæ reſponderunt. at inquies fortaſſis; id, quod adiunxit, ex altera parte, repugnantiam quandam notat, quod tum demum uerum eſſet, ſi de oppoſitis & contrariis rebus uerba fierent, atque inter ſe compararentur. & niſi ſequens uerbum eſſet adiunctum, quod omnem tollit dubitationem, cum reſpondere ſæpiſſimè ſignificet idem, quod prorſus ſimilem eſſe. nam quod in Oratore ſubiungit ea uerba Cicero; ut hoc uidelicet differant inter ſe, quod hæc ratio dicendi latior ſit, illa loquendi contractior, non ideo fecit, ut locum hunc Ariſtotelis explicaret, quem iam ideo interpretatus fuerat, ut affinitatem harum artium oſtenderet, ſed ut declararet, non eſſe penitus eandem artem. licet uicina & ſimillima ſit, cum enim in eiſdem rebus communiter ambæ uerſentur, ſi formam etiam dicendi, finemque penitus eundem haberent, nulla res eſſet, qua diſtingui poſſent. itaque una atque eadem eſſet ars Rhetorica & Dialectica, quod minimè uult Ariſtoteles. eſt enim affinitas & ſimilitudo harum artium non in fortuita atque aduenticia forma dicendi, ſed in facultate, & ſubiecta materia, quæ licet uaga ſit & incerta, eſt tamen utrique arti communis. quo fit, ut optimè Cicero ſententiam Ariſtotelis expreſſerit, cum dixit, Rhetoricam quaſi ex altera parte reſpondere Dialecticæ. nam illud aduerbium, quaſi, non alia de cauſa addidit, niſi ut translationem emolliret. quod frequentiſſimè facere conſueuit. Sed uide ne fortaſſe ingenioſiſſime Cicero in explicanda Ariſtotelis ſententia locum etiam illum exprimere uoluerit, quo idem Ariſtoteles Rhetoricam uocat ὁμοίωμα καὶ παραφυὲς Dialecticę, hoc eſt ſimulacrum & ſurculum, uel propaginem. ſicut enim propago ex altera parte reſpondet arbori cui agnaſcitur, & ipſius arboris pars quędam eſt, ita Rhetorica Dialecticæ quaſi ex altera parte reſpondet, & eius pars quædam eſt, ut infra docebit Ariſtoteles. Verum ut breuiter hunc nodum diſſoluamus, uidendum eſt quid apud Græcos ἀντίστροφος ſignificet, & quid apud Latinos ex altera parte, reſpondere. nam apud Græcos ἀντίστροφος non uno modo, ſed pluribus capitur. interdum enim de ijs dicitur, quæ prorſus idem ſignificant, & inter ſe conuertuntur, neque in ulla re penitus differunt, quales ſunt definitiones, quę uiciſſim retro commeant, & cũ definito conuertuntur, ut homo eſt animal rationis particeps & mortale, & contra, animal rationis particeps & mortale eſt homo. hæc à gręcis uocantur ἀντίστροφα, quaſi latinè dicas inter ſe commutabilia. ſed nõ ſatis benè latinè dici poſſunt, ſibi uiciſſim ex altera tantum parte reſpondere, cũ idem penitus ſignificent. neque ſolum ex altera, ſed etiam ex utraque parte reſpondeant. idem enim definitio prorſus ualet, quod res definita. hæc Cicero uocat, pariter æqualiterque reſpondentia, ut in Lælio, cum ſignificare uellet, debere nos amicos noſtros eadem prorſus beneuolentia proſequi, qua nos illi proſequuntur, ſic ait; Vt noſtra in amicos beneuolentia illorum erga nos beneuolentiæ pariter, æqualiterque reſpondeat. hoc eſt eadem penitus ſit, & mutua. atque hoc ſanè modo Rhetorica non eſt ἀντίστροφος Dialecticæ. alioquin eadem penitus eſſet. quod minimè uolumus. interdum ἀντίστροφα dicuntur, quæ ex eodem trunco proficiſcuntur, ut in arboribus rami, qui à dextra parte prodeunt, ſunt ἀντίστροφοι illis, qui pro

deunt

deunt à ſiniſtra. quod Iulius Pollux oſtendit, qui ſecundo libro ſcibit, duas primas coſtas ſub pectore, quæ ſpinam communem habent, ſed in pectore non coniunguntur, ἀντιστρόφους uocari. hæc bene dici poſſunt latinè ex altera par te reſpondere, ſicuti Rhetorica, quam Ariſtoteles ait, eſſe Dialecticæ propaginem ſiue traducem. quod acutiſſime Cicero uidit. interdum ἀντίστροφος de ijs dicitur, quæ re quidem ſubiecta ſunt eadẽ, ſed diuerſam tamen habent rationem, ut aſcenſus & deſcenſus. fieri enim poteſt, ut in eodem loco aſcendamus & deſcendamus. quare locus quidem ſubiectus unus atque idem eſt, ſed diuerſa tamen aſcendendi, & deſcendendi eſt ratio. atque hæc etiam bene dicuntur, ex altera parte reſpondere, ut ſi quis dicat aſcenſus deſcenſui ex altera parte reſpondet. hoc modo ueritas, quam Dialectica ſibi proponit. eſt enim Dialectica ueri & falſi diſce ptatrix, & bonitas, quam ſibi maiori ex parte pro ponit Rhetorica. dicuntur ἀντίστροφα, quoniã licet eadem ſint quatenus ad res ſubiectas attinet, ratione tamen differunt. res enim ueræ dicuntur, quatenus ad aſſentiẽdum intelligentiam mouẽt. bonæ uero quatenus ad expetendum mouent uo luntatem. ita Rhetorica Dialecticæ eſt ἀντίστροφος, & quaſi ex altera parte reſpondet. quamuis enim ambæ de rebus omnibus communiter in contra rias partes diſputent: tamen in eo differunt, quod Dialectica de rebus omnibus diſputat, quatenus allata ratione probari poſſunt, ut uideãtur eſſe ueræ. Rhetorica autem magis quatenus in conſulta tionem & ciuilem quæſtionẽ ueniãt, ut bonæ eſſe uideantur. interdum ἀντίστροφος dicitur quod ſimi le eſt, & eandem uim habet, ut quarto Politicorũ Ariſtoteles ait, oligarchiam, hoc eſt principatum paucorum in ciuitate in qua non leges ſed principes dominantur, & pro libidine ſua cũcta admi niſtrant, eſſe ἀντίστροφον Tyrannidi, ideſt, eandem uim habere, quam habet Tyrannis. Vt enim Tyranni non iuſtitiam ſed propriam utilitatem & libidinem ſequuntur, ita illi qui in eo genere oligarchiæ dominantur. quem locum optimè Perionius Ciceronem imitatus conuertit, ex altera par te reſpondet. qua in ſignificatione hoc etiam in loco capi optimè poteſt. Vt intelligamus Rhetoricam eandem uim & facultatem habere, quam habet Dialectica. & eiuſdem ſimulacrum quoddam eſſe, ſicut oligarchia maximam habet cum Tyrannide ſimilitudinem. quin etiam in eodem libro dicit Ariſtoteles, Tyrãnidem eſſe ἀντίστροφον Monarchiæ. quatenus eſt unius tantum hominis principatus. habent enim Tyranni uim & poteſtatem eandem, quam reges habent, licet in eo differant, quod reges ac monarchæ ad communẽ utilitatem legitime imperant, Tyranni uero proprium commodum ſpectantes ex libidine ſua do miñãtur. itaque quo ad uim & poteſtatem idem eſt rex & Tyrannus, at uero quo ad finem differunt, ut optimè dici poſſit Tyrannis ex altera par te Monarchiæ reſpondere, ſicuti Rhetorica Dialecticæ. tribus igitur præcipuè de cauſis Rhetorica Dialecticæ Græcè dicitur ἀντίστροφος, Latinè affinis, & quaſi ex altera parte reſpondens. primo quia ex eodem eſt hauſta genere, atque ex eodem quaſi trunco proficiſcitur. deinde quia communiter in eiſdem rebus uerſatur, & materia ſubiecta eſt eadem, tum quia uim & facultatem probandi ſimillimam, & penè eandem continet. Sed aduertendum eſt, duplicem artis Rhetoricæ materiam conſtitui poſſe, alteram uagam & incertam & communem cum Dialectica, quæ ſunt res uerisimiles in omni genere. poteſt enim Orator de omni re propoſita copioſè diſputare: alteram magis propriam. quæ ſunt ciuiles quæſtiones. uult enim Hermogenes Rhetoricam in ciuilibus quæſtionibus uerſari, quæ naſcuntur ex legibus aut moribus in unaquaque ciuitate conſtitutis de eo, quod iuſtum exiſtimatur, aut honeſtum, aut utile. uel de omnibus ſimul, uel de aliquibus eorum, quod ante hunc apud Ciceronem L. Craſſus primo de Oratore his uerbis oſtendit. Sic in cauſis publicis iudiciorum, concionum, ſenatus, omnis hæc & antiquitatis memoria, & publici iuris auctoritas, regendæ Reip. ratio ac ſcientia tanquam ali qua materies ijs Oratoribus qui uerſantur in Rep. ſubiecta eſſe debent. hanc autem propriam Oratoris materiam rectè propoſitum poſſumus appel lare, quoniam eam orator ſibi tractandam proponit. ſi igitur communem materiam, & hoc, quod dicimus propoſitum accuratè diſtinxerimus, longe facilius Rhetoricæ & Dialecticæ ſimilitudinem & differentiam cognoſcemus. nam ſimilitudo maxima eſt in illa communi materia, quæ eadem utrique ſubiecta eſt. ea uero continet, ut ſæpe iam dixi, communes opiniones & uerisimiles rationes. propoſitum autem, ſicut etiam dicendi ratio diſtinguit has artes. quia Rhetor ma iori ex parte ciuiles quæſtiones ſibi tractandas proponit, ut infra docebit Ariſtoteles. Dialecticus autem potius ea tractare ſolet, quæ ad cognitionem & ueritatem ſpectant. quamuis igitur his duabus artibus communiter eadem materia ſubiecta ſit: differunt tamen dicendi ratione, & fine propoſito. dicendi enim ratio Dialecticæ contracta eſt & compreſſa oratio. propoſitum uero cognitio quædam generalis & communis. at Rhetoricæ ratio eſt oratio lata ac diffuſa. propo ſitum autem proprie eſt ciuilis quæſtio de iuſto, honeſto, & utili. Quo circa Dialectica quærit opiniones inſerere, & uerisimiles rationes, quæ ad cognitionem pertineant. Rhetorica uero quærit opiniones & uerisimiles rationes quæ ad ciuiles quæſtiones ſpectent. quemadmodum igitur Dialectica ſe habet ad cognitionem, ita Rhetorica ad quæſtionem ciuilem. & quibus rationibus contractis utitur Dialectica ad inſerendam cognitionis opinionem, iiſdem dilatatis utitur Rhetorica ad perſuadendas ciuiles quæſtiones, quoniam autem Oratori, maiori ex

parte propoſitum eſt, ea tractare quæ in conſultationē ueniūt, ut etiam Ariſtoteli placet. ideo apud Ciceronem in arte rhetorica propoſitum & conſultatio idem pœnitus eſt. Vt in Topicis, & in Partitionibus apertisſimè uidere licet. uocat autem Cicero propoſitum ſiue conſultationem, omnem infinitam quæſtionem, quam orator tractet, quam Græci theſin uocant. Hactenus igitur ſatis explicatum eſſe mihi uidetur, optimè Ciceronem dixiſſe Rhetoricam quaſi ex altera parte reſpondere Dialecticæ. Quamuis autem utriuſq; artis propoſitum ſit proprie, quod diximus, hoc eſt Dialecticæ cognitio ueritatis, Rhetoricæ quęſtio ciuilis, nihil tamen prohibet, quin etiam rhetor ſæpenumero communiter eas quæſtiones tractet, quæ ad ſolam cognitionem ſpectent eum dialecticis argumentis oratoria tantum adhibet ornamenta. Quare Cicero libro de Finibus ſecūdo, duo Rhetoricæ genera facit. alterum populare & forenſe. quod interdum paulo eſt hebetius in quo tantum ciuiles quæſtiones tractātur. alterum philoſophicum, quod ingenioſius eſt, & de omnibus rebus grauiter & copioſè diſſerit. Sed utrunque tamen Rhetoricæ genus quatenus ad facultatem, & communem materiam attinet, Dialecticæ reſpondet. Quod ſi quis ita uoluerit hoc Ariſtotelis principium interpretari; Rhetorica ijſdem in rebus, quibus Dialectica uerſatur, nihil recuſo, modo intelligat, optimam eſſe Ciceronis conuerſionem. Quinque ſunt enim artes, quæ ad loquendi rationem attinēt, & omnes orationis uirtutes amplectuntur. nam tunc oratio maxime laudabilis eſt, cum emendata fuerit, & iucunda, & elegans, & probabilis, & denique uera. emendatam orationem docet efficere Grammatica, iucundam Poetica, elegantem Rhetorica, probabilem Dialectica, ueram Demonſtratiua ſcientia. Sed de Grāmatica atque poetica, nihil attinet hoc loco uerba facere. quomodo autem a Dialectica atque a Demonſtratiua ſcientia Rhetorica diſtinguatur, breuiter uidendum eſt. Tria ſunt, quæ ex argumentandi ratione gignuntur in animo noſtro fides, opinio, ſcientia. quæ quidem à tribus diſtinctis artibus proueniant neceſſe eſt, quoniam ipſa ſunt inter ſe diſtincta. neque enim omnino eſt eadem fides, quæ opinio, & utraque à ſcientia multum differt. ſed fides fit perſuadendo, opinio argumentando, demonſtratiua ſcientia demonſtrando. Rhetorica uero perſuadendi eſt opifex, Dialectica argumentandi, Demonſtratiua ſcientia demōſtrandi. Sed quoniam parua eſt inter fidem & opinionem differentia, niſi quod fides magis ſingularia reſpicit, opinio magis ea, quæ generalia ſunt: ideo fit ut etiam inter Rhetoricam & Dialecticā non multum interſit. ſed quemadmodum fides eſt quædam opinionis pars: ita etiam Rhetorica pars quædam eſt Dialecticæ. cum enim animus noſter intelligentia ſola contentus eſt, tunc aut ſcit, aut ſe ſcire opinatur, & hoc plerunque fit in generalibus, in quibus Dialectica frequenter uerſatur. cum autem intelligendo mouetur ad appetitum, tunc id credit uerum eſſe, quod confirmari audit, quod in ſingularibus ſæpius fit. idque Rhetoris officium eſt. multis autē modis Rhetoris officium ab officio Dialectici diſtingui poteſt. primo, quod Rhetor magis ea pertractat, quę ad mores & actiones attinent, accuſando defendendo, ſuadendo diſſuadendo. Dialecticus autem, quæ ad cognitionem interrogando reſpondendo, deinde quod rhetor de animi commotionibus uerba facit quas dialecticus non attingit. Tertio quod rhetoris auditor quilibet etiam imperitus eſſe commodè poteſt, dialectici uero non niſi paulo ingenioſior. Quarto quòd inſtrumenta, quibus rhetor utitur, ſunt enthymema & exemplum, quibus autem dialecticus ſyllogiſmus & inductio. Quinto quod rhetor magis ea, quæ ſingularia ſunt, pertractat, dialecticus uero potius generalia. Quæ quamuis ita ſint, adeo tamen inter ſe hæ duæ artes coniunctæ ſunt, ut non modo ſorores ac germanæ, ſed penè eędem eſſe uideantur. quare Cicero dialecticam, ait eſſe contractam quandam eloquentiam & aſtrictam. rhetoricam uero dilatatá dialecticam. & Ariſtoteles hoc loco utranque ijſdem in rebus uerſari docet, quoniam utraque uериſimilia ſequitur, & quæ communia ſunt ad intelligēdum, à reliquis autem artibus facile diſcernuntur, quoniam aliæ propriam ac certam materiam ſubiectam habent, in qua ſola uerſentur. Vt Geometria magnitudines, Arithmetica numeros. Medicina morbos & vulnera. Rhetorica uero & Dialectica, ſicut antea dictū eſt, nullá certā habent materiam, ſed communiter de rebus omnibus diſputant. & quid in quaque re ueriſimile ſit inquirunt. Quod ſi inter ſe comparentur Rhetorica tribus modis æqualis eſt Dialecticæ, & tribus modis eſt inferior. Ac primo quidem æqualis eſt, quoniam ambæ de cogitationis & rationis actionibus, non autem de rebus ipſis conſtitutæ ſunt. Vnde rationales artes uel ſermocinatices à quibuſdā appellantur. & Dialectici recētiores dicunt Dialecticæ ſubiectam materiam eſſe, Ens rationis. hoc eſt, quicquid ipſa ratio cogitando fabricatur & colligit. Secundo ęqualis eſt. quoniam ambæ rationem quidem argumentandi continēt, ſed tamen non gignunt in animo ſcientiam, uerum fidem & opinionem tantum. quæ facilè contrariis argumentis cōuelli atque labefactari poſſit. Tertio eſt æqualis, quoniam ambæ nullis certis finibus aut cancellis continentur, ſed de omni re propoſita communiter & ueriſimiliter in utranque partem diſputant. At uero inferior eſt, primo quia non tam firmas & ſtabiles concluſiones habet quam Dialectica, neque tam acutè ſubtiliterque diſſerit, ſed hebetior eſt, & magis popularis. Secundo quia Dialectica ſyllogiſmo & inductione utitur ad probandum: Rhetorica uero enthymemate & exemplo. ſed enthymema quidam eſt ſyllogiſmus imperfectus, exemplum autem & imperfecta inductio.

ctio. Tertio eſt inferior quia Dialectica gignit opinionem in animo ſine ipſius animi perturbatione atque commotione. Rhetorica uero perſuadere non commode poteſt, niſi animum commoueat, atque in eo potiſſimum regnat oratoria locutio, quod eſt uehemens, incenſa, incitata, quod cum rapide fertur ſuſtineri nullo modo poteſt, ſed animum huc atque illuc impellit. Partim igitur Dialecticæ Rhetorica æqualis eſt, partim inferior, ut ex hoc etiam intelligi facile poſſit cur Ariſtoteles dixerit eſſe ἀντίστροφον, & Cicero quaſi ex altera parte reſpondere, Dialecticæ. atq; hæc, qnatenus ad Ariſtotelis ſententiam explicandam, ſufficiant.

Vtitur autem procœmio, quod facere ſolebat in ijs libris, quos exotericos uocabat, ut ad Atticum libro quarto Cicero teſtatur, cuius hęc ſunt uerba; quoniam in ſingulis libris utor procœmiis, vt Ariſtoteles in ijs quos ἐξωτερικοὺς uocat. duabus autem de cauſis procœmium hoc adhibet, primo ut doceat Rhetoricam eſſe affinem Dialecticæ, & eſſe artem, deinde ut attentum & docilem auditorem efficiat. nam in tertio huius operis libro docet Ariſtoteles differentiam eſſe inter procœminm, prologum, & proluſionem, cum tamen ad eundem finem hæc tria tendant, nempe ut audientium fauorem promereantur. nam procœmium eſt orationis ſolutæ principium, prologus ad poetas tantum ſpectat, & eſt poematis initium, proluſio uerò Muſicorum eſt, cum ad cantiones ſuas audientes præparant. ipſum uero procœminm de quo agimus duobus modis conſiderari poteſt, uel per ſe, uel per comparationem ad auditorem. per ſe conſideratum procœmium nihil aliud eſt, quam propoſitio quædam earum rerum quæ tractandæ ſuſcipiuntur, quo genere procœmij ferè ſemper utitur Ariſtoteles. Statim enim à rebus ipſis incipit, quod etiam hoc loco facit. Tali procœmio ſæpe utitur etiam Cicero, ut primo de Diuinatione, ſic enim incipit; Vetus opinio eſt iam uſqne ab heroicis ducta temporibus, eaque & populi Rom. & omnium gentium firmata conſenſu uerſari qnandam inter homines diuinationem, quam Græci μαντικὴν appellant, ideſt præſenſionem & ſcientiam rerum futurarum. quo genere procœmii nonnunquam etiam in Orationibus utitur, ut Philippica ſeptima: Paruis de rebus ſed fortaſſe neceſſariis conſulimnr P.C. de Appia uia, & de Moneta conſul, de Lupercis Tribunus Pl. refert. Tales ſunt plurimi poetarum prologi, quibus indicatur, quid in toto opere contineatur. Vt Virgilius quatuor uerſibus complexus eſt omnia, quæ libris quatuor Georgicorum copioſè pertractauit, & Ouidius uno Carmine transformationum ſuarum materiam explicat, cum ita proponit;

In noua fert animus mutatas dicere formas
Corpora.

Per comparationem ad auditorem conſideratur procœmium cum efficere ſtudemus, ut amicè, & attentè, & intelligenter nos audiant. quod licet aliis in operibus Ariſtoteles nõ admodum curare uideatur, tamen hoc in loco prætermittere uoluit. poſtquam enim propoſuit, quæ & qualis ſit rhetorica, & in quibus uerſetur, deinde adiũgit ẽt eius utilitatẽ, ut ſibi cõciliet auditores, & attentos efficiat. Ergo tres in partes diuiditur hoc procœmium, In prima parte docet Rhetoricam eſſe Dialecticæ finitimam & ex arte conſtare. in altera parte oſtendit artis ſcriptores non ſatis rectè de rhetorica præcepiſſe cum ea prætermiſerint quæ ad probationem attinent. in tertia denique parte probat à Rhetorica magnam utilitatem prouenire. primo igitur probat Rhetoricam eſſe Dialecticæ finitimam, cum ita inquit;

TEXT. *Ambæ enim in eiuſmodi rebus ſunt, quæ a cunctis hominibus quodammodo cognoſci atque intelligi poſſunt. nec ſunt in aliqua definita ac certa ſcientia.*

COMM. Hæc eſt ratio propoſitionis, qua oſtendit affinitatẽ, quã habet Rhetorica cũ Dialectica, quòd ambæ res eas ſequuntur, quæ ſunt in medio poſitæ, & communi quodam in uſu, atqne in hominũ more & ſermone uerſantur. nam ut ait Cicero, in cæteris artibus id maximè excellit, qnòd longiſſimè eſt ab imperitorum intelligentia ſenſuque diſiunctum. in dicẽdo autem uitium uel maximum eſt, a uulgari genere orationis atque a conſuetudine cõmunis ſenſus abhorrere. & ſecundo de Oratore M. Antonius ſic ait; oratoris autem omnis actio opinionibus nõ ſcientia continetur. & paulo poſt; Vt igitur in eiuſmodi re quæ mendacio nixa ſit, quę ad ſcientiam non ſępe perueniat, quę opiniones hominum, & ſæpe errores aucupetur, ita dicam. habent igitur communem materiã Orator & Dialecticus, ſed orator frequentius ea ſequitur, quæ ad actionem pertinent, neque tantum fidem facere, ſed etiam mouere animos ad agendũ conatur. Dialecticus autẽ probationibus ſuis eſt contentus, nec quærit motus animorum miſcere. nemo autem eſt tam rudis atque imperitus, cuius in animo non facile gignantur opiniones atq; inſerantur, aut euellantur inſitæ. quo fit ut omnes ea non difficulter intelligant, quæ dialecticis aut rhetoricis argumentationibus cõprobantur. Vnde ſuauiter & eruditè Virgilius fingit etiam uulgus ignobile, quo tempore ſæuit animis, & faces ac ſaxa iaculatur, oratione mitigari, atque arrectis auribus aſtare, diligenterque audire, cum ita canit;

Ac ueluti magno in populo cum ſæpe coorta eſt
Seditio, ſæuitque animis ignobile uulgus.
Iamque faces & ſaxa uolant, furor arma miniſtrat,
Tum pietate grauẽ ac meritis ſi forte uirum quẽ
Conſpexere, ſilent, arrectiſque anribns aſtant.
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Atqui nullo modo placari poſſent animi uulgi neque mulceri dictis, niſi uulgares etiam homines quæ ab Oratore dicuntur, intelligerent. hac de cauſa dicit Ariſtoteles quæ tractantur ab Oratore & dialectico ab omnibus quodammodo cognoſci atque intelligi. quoniã autẽ Dialectica

& Rhetorica non ſunt in aliqua definita ac certa ſcientia, ideo uocantur communes artes ſiuè facultates. de rebus enim omnibus communiter uerba faciunt, quod nullis aliis artibus accidit. habent enim reliquæ propriam ac certam materiam quam tractent, & in qua verſentur, extra quã omnino nũquã egrediuntur. neq;.n. medicus de iuris prudentia diſputat, neque geometra de medicina. Rhetorica uero & Dialectica ad omnium ſciẽtiarum principia uiam habent, quod primo Topicorum docet Ariſtoteles. Vnde ſi propriè loqui uoluerimus, neque ſcientiæ dici poſſunt. nam ſciẽtia propriè dicitur, quæ cognitis penituſque perſpectis, & in unum exitum ſpectantibus, & nunquam fallentibus rebus continetur. Sed hæc omnia quæ tractantur ab oratoribus & dialecticis dubia ſunt, & incerta, tantumque animos audiẽtium probabilitate percutiunt & afferunt exigui temporis opinionem, quæ facile contrarijs argumentis euelli poteſt. nam in utranque partem hæc ferè omnia, ex quibus Rhetorica & Dialectica conflatur, diſputari poſſunt, quo fit ut nulla certa de ijs poſſit haberi ſcientia. quod Ariſtoteles ait hoc in loco, & apud Ciceronem ſecundo de Oratore M. Antonius affirmat.

TEXT. *Quo circa omnes homines utrarumque ſunt aliquomodo participes.*

COMM. Nemo eſt qui non aliquam Rhetoricæ & Dialecticæ facultatis partem à natura ſortitus ſit, quoniam ea, quæ ab his artibus tractantur, in communi ſenſu poſita ſunt. Vt quodammodo naturales eſſe uideantur. quod etiam Auguſtinus atteſtatur. & Carneades, ut apud Ciceronem M. Antonius refert, dicebat ideo nullam artem eſſe dicendi, qđ ita nati ſumus, ut blãdiri, & ſuppliciter inſinuare ijs, a quibus ſit petendum, & aduerſarios minaciter terrere poſſumus, & rem geſtã exponere, & id quod intendimus cõfirmare, & id, quod contra dicitur, refellere, & ad extremũ deprecari aliquid, & conqueri, quibus in rebus omnis oratorum uerſatur facultas. & Socrates dicebat unumquenque in cauſa propria ſatis eloquentem eſſe. ſed tamen alij natura ſunt in dicendo promptiores, & copioſiores. quod Cicero pro P. Quintio tribuit Hortenſio, cui ſummam, inquit, copiam facultatemque dicendi natura largita eſt. huius etiam filiam Hortẽſiam patris eloquentiam retuliſſe Quintilianus ſcribit. talis fingitur ille Drances Turni aduerſarius apud Virgilium libro undecimo, de quo ita Turnum loquentem inducit;

Larga quidem ſemper Drances tibi copia fandi Tunc cum bella manus poſcunt, patribuſque uocatis Primus ades. Sed non replenda eſt curia uerbis, Quæ tuto tibi magna uolant. Et paulo poſt, Proinde tona eloquio ſolitum tibi.

Talem dicunt etiam Demadem fuiſſe, qui cum antea piſcator eſſet breui tẽpore poſtea maximus Orator euaſit. Bene igitur ſentit primo de Oratore L. Craſſus, naturam primum atque ingenium ad dicendum uim aferre maximam. licet enim omnes homines rhetoricæ ſint aliquo modo participes, quemadmodum Ariſtoteles ait, tamẽ alij magis alij minus. ſunt enim quidam ita naturæ muneribus in his rebus habiles, ita ornati, & non nati, ſed ab aliquo Deo ficti eſſe uideantur. ſunt aliqui tam uaſti natura, tam rudes & agreſtes, ut nullo ſtudio nullaque exercitatione in oratorum numerum peruenire poſſint.

Omnes enim aliquo uſque & exquirere, & rationem reddere, & defendere, & accuſare aggrediuntur. TEXT.

Probat ab effectis id eſſe uerum, quod ſupra dixit, nempe ita formatos eſſe homines a natura, ut & rhetoricæ & dialecticæ ſint aliquo modo participes. duo ſunt enim officia dialectici, nempe interrogare aduerſarium, atque illi reſpondere. quas res omnes homines aliquo modo faciũt. nemo eſt enim, qui cum de aliqua re dubitat, aut diſputat, qui non modo interroget, modo reſpondeat. duo ſunt etiam quæ in forenſibus cauſis oratores frequentant, nempe accuſare & defendere, quæ duo ab omnibus hominibus aliquo modo fieri ſolent. ex qua enumeratione concluditur id eſſe uerum, quod ait Ariſtoteles, rhetoricã & dialecticã omnibus hominibus aliquo modo communicatam eſſe à natura. hoc loco aduertendum eſt has duas artes ab Ariſtotele diſtingui ab officio utriuſque. nam Dialectici officiũ facit, exquirere, & rationem reddere. vnde primo Topicorum Ariſtoteles Dialecticam uocat ἐξεταστικὴν, quod per interrogationẽ exquirat aliorum ſententias. & excutiat an aliquid in eis vitij ſit. quod apud Platonẽ vbique ferè Socrates facit. nam dialecticæ propoſitiones plerunque per interrogationem proferuntur. ſicut Ariſtoteles primo poſteriorum docet. eſt etiam dialectici officium rationem reddere, quod eius intereſt, qui in diſputando reſpondet. Vulgo dicunt, ſuſtinere concluſionem, ſed parum latinè. Cicero uidetur id, quod Græcè dicitur ὑπέχειν λόγον, interpretari, defendere ſententiam, ut primo de Finibus. accuratè autem quondam a L. Torquato homine omni doctrina erudito defenſa eſt Epicuri ſententia de uoluptate. ſecundo de Finibus. Sed qui audiebant, quo ad poterãt defendebant ſententiam ſuam. at uero libro de Oratore ſecundo, de Carneade ſic ait; Carneadis uero uis incredibilis illa dicendi & varietas, per quam eſſet optanda nobis, qui nullam vnquam, in illis ſuis diſputationibus rem defendit quam non probarit, nullam oppugnauit, quam non euerterit. quod autem ait Ariſtoteles hoc in loco ſatis patet. neque enim ferè quiſquam eſt, qui non aduerſarium ſuum interrogationibus irretire contendat. & qui non ſententiam ſuam defendere reſpondẽdo ſtudeat. quæ duo ſunt, ut antea dixi, dialectici munera. præterea quis eſt, qui non aliquando aliquem accuſet, aut defendat? cũ tamẽ hęc ſint oratoris officia? quare bene concluditur communem quodãmodo omnibus eſſe rhetoricam & dialecticam facultatem. quamuis illud ueriſſimum ſit, quod ait Horatius,

Doctrina

Doctrina ſed uim promouet inſitam.

TEXT. *At ex imperitorum numero, quidam hæc temere caſuque faciunt, quidam autem habitu quodam animi longo uſu comparato.*

COMM. Rudes homines & imperiti, neque ulla doctrina exculti, ſi forte eleganter & probabiliter loquátur, id uel natura uel conſuetudine faciunt. Sed qui ſine exercitatione tantum ipſa natura duce polite, & acutè, loquuntur, id alias melius, alias deterius efficiunt. quoniam certam uiam aut rationē loquendi non habent. itaque hoc temerè caſuque 2. *Iliad.* faciunt, ſicut apud Homerum Therſites ille, qui copioſe quidem & abundanter, ſed incompoſitè inornateq́ue loqui conſueuerat. Tales autem homines ſæpè accidit ut uulgo ingenioſiores habeātur, quam ij, qui ſunt eruditi. quod ſecundo libro *cap.* 2. Quintilianus docet, & copiam habere maiorē uidetur, quia ſine delectu dicunt omnia, docti uero in dicendo modum & electionem adhibere ſolēt. qui autem in dicendo & diſputando ſine doctrina ſe exercuerunt, ij longo uſu quendam habitum ſibi comparant, ut quamuis nullam artem habeāt, ſæpe tamen admirabiles eſſe uideantur. quod epiſtolarum libro ſexto Plinius his uerbis atteſtatur, uideó etiam multos paruo ingenio, literis nullis, ut bene agerent, agendo conſecutos, unde fuerūt qui dicerent nullam artem eſſe dicendi, ſed totam eam facultatem uſu atque exercitatione conſtare. qua in re Syrianus Hermogenis interpres Euagoram ſophiſtam damnat, qui cenſebat ſine arte fieri, ut aſsiduè dicendo dicendi facultatem cōſequamur. quod etiam apud Ciceronem primo de oratore L. Craſſus nituperat cum ita inquit; in quo fallit eos, quod audierunt dicendo homines, ut dicāt efficere ſolere. Verum etiam illud dicitur, peruerſe dicere homines peruerſe dicendo facillime conſequi. Illud tamen inter omnes conſtat, artem ſine exercitatione nihil ad dicendi facultatem conferre: exercitationem uero etiam ſine arte plurimum. quare hanc dicendi facultatem quidam potius exercitationem quam artem appellandam eſſe cenſuerunt. quod his uerbis in procemio librorum de Inuentione ſatis oſtendit Cicero; Ac ſi uolumus huius rei, quæ uocatur eloquentia, ſiue ſtudij, ſiue exercitationis cuiuſdam, ſiue facultatis à natura profectæ conſiderare principium, reperiemus id, ex honeſtisſimis cauſis natum, atque optimis rationibus eſſe profectum. Sed hæc eſt Ariſtotelis ſententia, quam ex hoc loco facile poſſumus elicere; rhetoricam atque dialecticam facultatem initium atque originem à natura ducere, incremētum ab uſu & exercitatione ſumere, artem deniq; ex obſeruatione fieri. quod etiam Cicero multis in locis ſentit, & Quintilianus, & omnes ferè artis ſcriptores. quo modo igitur facta ſit ars rhetorica uerbis illis oſtendit Ariſtoteles.

TEXT. *Cum autem hoc utroque modo fieri contingat, perſpicuum eſt certa uia atque ratione comprehendi poſſe. licet enim cauſam intueri, cur, & qui ex uſu, & qui fortuito hæc faciunt, id, quod nolunt aſſequātur. hoc autem ipſum iam artis opus eſſe nemo eſt, quin fateatur.*

COMM. Hunc locum M. Antonius apud Ciceronē ſecundo de Oratore totum expreſsit, atque interpretatus eſt, his quidem uerbis. Etenim cum pleriq; temerè, ac nulla ratione cauſas in foro dicant, nonnulli autem propter exercitationem, aut propter conſuetudinem aliquam callidius id faciant, non dubium quin ſi quis animaduerterit, quid ſit, quare alij melius, quam alij dicant, id poſſit notare. ergo id qui toto in genere fecerit, is ſi non plane artem, at quaſi artem quandam inuenerit. Ariſtotelis autem ſententia hæc eſt; Si temerè tantum, caſuque contingeret, ut alius alio melius diceret aut diſputaret, equidem nullam earum rerum artem eſſe putarem. neque enim fortuitæ res, quarū nulla certa cauſa proferri poteſt, arte comprehenduntur, neque quod temere ſemper ſit, id ullo modo fieri artificioſe poteſt. quod ſi quodam tātum uſu atque conſuetudine idem accideret, eodem modo nullum eſſe artificium crederem. neque enim earum rerum quæ tantum uſu cōſtant, ratio aut cauſa firma apparet, quæ ad artem redigi posſit. Sed cum utroque modo fieri contingat, nempe ut aliqui temere caſuque aliqui uero ex conſuetudine atque habitu melius quam alij dicant, ac diſputēt, non eſt dubium quin earum rerum ars eſſe posſit. Hanc autem ſententiam ſuam ſtatim addita ratione confirmat; cum igitur inquit, hæc neque tantum fortuito, neque tantum conſuetudine fiant, poteſt inueſtigari atque inueniri cauſa. cur, utrique quod cupiunt efficiant, cum enim quis alicuius rei cauſam ac rationem intelligit, non eſt dubium, quin etiam eiuſdem rei artem teneat. quod ſi quis rerum omnium cauſas teneret, is omnes omnino artes teneret. quare merito Virgilius ait;

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas.

Verbum illud græcum ὁδοποιεῖν, quod nos uertimus, certa uia atque ratione comprehendi, tranſlatum eſt, & proprie ſignificat, uiam munire, atque aditum patefacere, uel, ut Cicero uertere uidetur, uiam tradere, ſic enim primo de diuinatione: Si optimarum artium uias traderem ciuibus meis. quin ὁδοποιοὶ dicūtur ab Atticis, qui uiis muniendis præſunt, quos uiatores latine dici poſſe Budæus cenſet. Sed etiā artium magiſtri dici poſſunt ὁδοποιοὶ, quaſi uiam diſcipulis præſtruentes ad artes, quæ methodi uocantur.

Sed qui hactenus de arte dicendi conſcripſerunt, paruam quandam eius particulam confecerunt. probationes enim ſolæ ad artem pertinent, reliqua uerò ſunt additamenta. TEXT.

Hæc eſt ſecunda proœmij pars, in qua aperit eorum errorem, qui ante ſe de hac arte ſcripſerunt. non enim totam (inquit) artem tradiderunt, ſed tantum quandam eius particulam. nam ars rhetorica ex proprijs atque aduentitijs rebus conſtat. propriæ res artis rhetoricæ tantum illę ſunt, quibus fides fit, hoc eſt probationes, reliquæ uerò omnes ſunt aduenticiæ. ſed ut hoc facilius intel- COMM.

ligatur, ſciendum eſt finem artis rhetoricæ eſſe, perſuadere dictione, quod primo de inuentione Cicero docet, Tribus autem modis perſuadere poteſt Orator, uel a perſona ſua, uel a perſona auditoris, uel à re ipſa. ſed quoties à perſona ſua perſuadere vult, ſe talem eſſe ſtudet oſtendere, cui merito fidem habere debeant. quapropter omni diligentia remouet ea, quæ fidem adimere poſſunt, & quæ ſolent hominem ad mentiendum inducere. ſunt autem tres cauſæ, quibus homines mentiuntur, ut infra docebit Ariſtoteles, hoc eſt, ignorantia, malitia, & odium. uel enim falſa dicunt, quia ueritatem ignorant, & ſe putant uera dicere: uel quia ſunt improbi, atque alios decipere cupiunt: uel denique quoniam eos oderunt, contra quos mentiuntur. quare cum à perſona ſua perſuadere cupit Orator, conatur oſtendere ſe uirum eſſe prudentem atque intelligentem, qui non propter ignorantiam falſa dicat: deinde bonum ac probum hominem, qui neminem decipere uelit: tum beneuolum & amicum, qui non propter odium mentiatur. cum autem à perſona auditoris perſuadere ſtudet, tum motus animi miſcere contendit, ut iudicem uel ad beneuolentiam uel ad odium, uel ad miſericordiam uel ad indignationem impellere poſſit, quoniam non facile animum uerum uidet, ubi hæ commotiones officiunt. itaque commotus iudex ſecundum eos ſententiam fert, quos amat, aut quorum miſeretur. illos autem damnat, quos odit, aut quibus indignatur. At uerò à re ipſa non aliter perſuadere poteſt Orator, quam ſi argumenta multa colligat, ex uerisimilibus & ſignis, quæ enthymemata uocantur. atque his quidem tribus modis perſuaderi poteſt, ſed tamen ea perſuaſio, quæ naſcitur ab auditoris perſona, atque à perſona oratoris non eſt artis rhetoricæ propria, ſed extrinſecus aſſumpta atque aduenticia. quemadmodum enim dialectica duo habet ad probandum inſtrumenta, hoc eſt ſyllogiſmum & inductionem: ita etiam Rhetorica, enthymema & exemplum. quæcunque uero alia ad perſuadendum adiunguntur, ſunt ab artis proprietate remota, atque euenta, uel additamenta uocari poſſunt. quod quidem etiam Cicero præclarè intellexit, qui cum alijs in locis, tum in partitionibus ait primum ab oratore inueniendum eſſe quemadmodum fidem faciat eis, quibus uolet perſuadere. deinde quemadmodum motum eorum animis afferat. atque etiam prius explicat, quibus rebus fides fiat, quam quibus animi moueantur. hoc idem ſenſit etiam Cornificius ad Herennium, cum ita ſcribit. Tota ſpes uincendi ratioque perſuadendi poſita eſt in confirmatione & cõfutatione. nam cum adiumenta noſtra expoſuerimus, contrariaque diſſoluerimus, abſolute nimirũ munus oratorium confecerimus. Quintilianus etiam libro quinto ſolam probationem oratori neceſſariam eſſe oſtendit, cum alia omnia nonnunquam ſine detrimento abeſſe poſſint. ſed hoc apertius libro ſecundo de Oratore M. Antonius affirmat, ubi ita inquit; Nam hoc neceſſe eſt, ut is, qui nobis cauſam adiudicaturus ſit, aut inclinatione uoluntatis propendeat in nos, aut defenſionis argumentis adducatur, aut animi permotione cogatur. ſed quoniam illa pars in qua rerum ipſarum explicatio ac deſcriptio poſita eſt, uidetur omnem huius generis quaſi doctrinam continere, de ea primum loquemur. atque ita incipit de probatione uerba facere. concludendum eſt igitur ex Ariſtotelis, Ciceronis, & Quintiliani ſententia ſolas probationes eas eſſe, quæ naturam, & facultatem artis rhetoricæ conſtituant; reliqua uero licet artem adiuuent, non tamen ipſius eſſe propria, ſed extrinſecus aſſumi, & euenta atque accidentia eſſe, uel, vt ait Ariſtoteles, additamenta.

At iſti nihil de enthymematibus loquuntur, quod corpus eſt fidei faciendæ: de ijs uerò quæ ſunt extra rem poſita, plurima pertractant. TEXT.

COMM. Probat id eſſe uerum, quod ſupra dixerat, artis ſcriptores ea prætermiſiſſe, quæ ſola artem conſtituunt, quoniam de enthymematibus nihil præceperunt. atqui ex ipſis enthymematibus uniuerſa probandi uis ac fidei faciendæ ratio manat. in eis uerò tradendis illi ſunt occupati, quæ ſunt aduenticia atque extra rem poſita. notandum hoc loco ab Ariſtotele enthymemata uocari σῶμα τῆς πίστεως id eſt, corpus fidei faciendæ. atque hoc eleganti metaphora. ſicut enim in rebus naturalibus corpus eſt ipſa natura atque ſubſtãtia rei, cætera uero quodammodo ſunt accidentia atque euenta, ita hac in arte rhetorica, enthymemata ſubſtantiam artis perficiunt, cætera tantum perſuaſionem adiuuant. atqui iſti ſcriptores artis idem facere uidentur, ac ſiquis de homine ſe uerba facturum polliceatur, deinde tantum de ueſtibus eius atque ornamentis loquatur, nihil de corpore atque animo eius dicat. ſed uidendum eſt, qua ratione dixerit Ariſtoteles, enthymemata corpus eſſe fidei faciendæ. quod non ſatis apertè poteſt intelligi, niſi quis didicerit, quid enthymema ſit, & quot modis dicatur. quam rem nos copioſè perſecuti ſumus in ſecundo Repræhenſionum noſtrarum libro, contra Marium Nizolium hominem indoctum, quippe qui Platonem & Ariſtotelem totius philoſophiæ duo florentiſsima lumina ſcriptis ſuis ineptiſsimè proſciderit. & quia, quæ à nobis ibi ſcribuntur, locum hunc plurimum illuſtrant, ideo nõ nulla breuiter hic repetam. Enthymema (inquam) tribus modis dicitur, cõiter, propriè, & maximè propriè. Communiter autem enthymema uocatur omnis ab oratore præparata ad probandum materia, ſiue illa neceſſaria ſint, ſiue probabilia, ſiue artificioſa, ſiue artis expertia. cum enim, ut initio dictum eſt, rhetorica dialecticæ quaſi ex altera parte reſpondeat, ſicuti dialecticæ cõe inſtrumentum eſt ſyllogiſmus, ita etiam rethoricæ cõe inſtrumentum eſt enthymema. quod nihil aliud eſt quam oratorius ſyllogiſmus. & quemadmodum omnia q̃ tractantur in dialectica, ſyllogiſmi conficiendi gratia tractantur: ita quicquid ad probandum rhetor

tor cogitat, ad enthymema refertur. quærit autem rhetor quæ uerisimilia ſunt & ſigna rerum. ſed ex uerisimilibus & ſignis enthymema componitur, ut ſecundo priorum docet Ariſtoteles. quare quicquid probandi gratia rhetor quærit, enthymema recte uocari poteſt. quod etiam in Topicis Cicero docet, cum ait, omnem ſententiam apud rhetores proprio nomine enthymema dici, quod idem eſt ac ſi dixiſſet, omnem rationem ad probandum ſumptam. quod etiam apertius Quintilianus libro quinto declarat, cuius hæc ſunt uerba; Nam enthymema unum intellectum habet, quo omnia mente concepta ſignificat. & alibi ſic ait; Igitur enthymema, & argumentum ipſum, ideſt, rem, quæ probationi alterius adhibetur, appellant, & argumenti elocutionem. Ariſtoteles uero ſecundo huius operis libro palam oſtendit, enthymematis nomine cōmuniter accipi, quicquid probatione rhetorica continetur, cum etiam exemplum enthymemati ſubijciat, ſic enim ait, ut nos conuertimus; Ea ex quibus enthymemata fiunt, quatuor numero ſunt, probabile, exemplum, indicium, ſignum. nam quæ conſtāt ex eis, quæ plerumque ita fiunt, uel fieri uidentur, ea ſunt ex probabilibus: quæ autem inductione conſtant ex uno ſimili uel pluribus, hoc eſt, cum quis, poſita generali, uult illud ex ſingulis probare, ſunt ab exemplo. quæ uero conſtāt ex neceſſario ſigno, ſunt ab indicio. quæ denique fiunt, uel ex generali ſigno uel ſingulari, ſiue illud uerum ſit, ſiue nō, ſunt à ſigno. eodem in libro ait artem eam quæ Topica dicitur, enthymematū elementa complecti. hinc etiam enthymematicus orator dicitur, qui perpugnax atque argutus eſt in diſputando, & ex locis facile poſſit enthymemata ducere. quod Budæus in cōmentarijs ſuis annotauit, & hoc nomine Ariſtidem dictum fuiſſe oſtendit. quin Ariſtoteles in hoc primo libro ait, eum qui dialecticam artem didicerit, maxime enthymematicum eſſe ſolere. cōiter igitur enthymema uocatur omnis probatio rhetorica. proprie uerò ſignificat argumentationem, quæ ita ſeparatur ab exemplo ſicut in dialectica ſyllogiſmus ab inductione. nam dialectici duobus ad probandum inſtrumentis utuntur, hoc eſt ſyllogiſmo & inductione, quibus in Rhetorica reſpondēt ex altera parte enthymema, & exemplum, ſicut infra docet Ariſtoteles, his quidem uerbis; Voco autem enthymema rhetoricum ſyllogiſmum, exemplum uero inductionem rhetoricam. quin ſecundo Rhetoricorum ſic ait; Eſt autem cōis fides genere duplex exemplum & enthymema. quod uero enthymema proprie dictū ſit idē quod argumētatio rhetorica declarat Quintilianus, qui libro quinto ait enthymema eſſe argumēti elocutionem. nihil autem eſt aliud argumēti elocutio, quam ipſa argumentatio, ſicuti omnes intelligere poſſunt. nam etiam Cicero in Partitionibus, argumentationem ita definit, ut dicat eſſe argumenti explicationem. Maximè denique proprie rhetores enthymemata uocant eas argumentationes, quæ ex contentione contrariorum & pugnantium fieri ſolent, quæ ſecundo rhetoricorum ab Ariſtotele uocatur ἐλεγκτικὰ enthymemata, i. redarguentia, atque ea longe magis quam demonſtratiua laudari ſcribit, quia breuiter contraria colligunt, & quæ inter ſe conferuntur, auditori lucidiora fiunt. Hermogenes hæc tantum quę ex contrarijs fiunt, enthymemata uidetur agnoſcere. Cicero in Topicis de hoc enthymematis genere ita ſcribit; Ex hoc illa rhetorum ſunt ex contrarijs concluſa, quæ ipſi enthymemata appellant, non quod non omnis ſententia proprio nomine enthymema dicatur, ſed ut Homerus propter excellentiam cōmune poetarum nomē efficit apud Grecos ſuum, ſic cū omnis ſententia enthymema dicatur, quia uidetur ea, quæ ex contrarijs conficiatur, acutiſsima, ſola propriè nomen commune poſsidet. eius generis hæc ſunt,

Hunc metuere, alterum in metu non ponere.
Eam, quam nihil accuſas, damnas.
Bene quam meritam autumas, dicis malè mereri.
Id quod ſcis, prodeſt: nihil id, quod neſcis, obeſt.

Quintilianus libro quinto ſic ait, Expugnantibus uero, quod etiam ſolum enthymema quidam uocant, fortior multo probatio eſt. tale eſt illud Ciceronis pro Milone; eius igitur mortis ſedetis ultores, cuius uitam ſi putetis per uos reſtitui poſſe, nolitis. Ex his, ut opinor, ſatis perſpicuum eſt, cur hoc in loco Ariſtoteles enthymemata dixerit eſſe, corpus fidei faciendæ. cum hoc uerbum enthymema modo rhetoricam omnem probationem, modo argumentationem ſolam rhetoricam ab exemplo diſtinctam, modo tantum id argumentationis genus, quod à rhetoribus ex contrariorum contentione fieri ſolet, apud probatos auctores ſignificare reperiatur.

TEXT. *Nam criminatio, miſericordia, iracundia, cæteraq; huiuſmodi animi perturbationes, nequaquam ipſius rei propriæ ſunt, ſed ad mouendum iudicem pertinent.*

COMM. Cōfirmat hac ratione ſcriptores artis ea pertractare, quæ ſunt extra rem poſita. docent enim quomodo criminari aduerſarium poſsimus, atque iudicem contra illum concitare. Vel quomodo eundem iudicem ad miſericordiam flectere, aut ad indignationem incitare ualeamus. quibus rebus cōmoueri ac perturbari animus ſolet. Sed perturbationes non ſunt ipſius rei, de qua agitur, propriæ. Verum adhibentur extrinſecus mouendi iudicis gratia. quare qui de perturbationibus agunt, non ea tractāt, quæ ſunt artis rhetoricæ propria. quod etiam Quintilianus libro quinto queritur, nempe eam partem quæ ſit rhetoricæ propria negligi a ſui temporis Oratoribus. Pars, inquit, altera probationum, quæ eſt tota in arte, conſtatque rebus ad faciendam fidem appoſitis, plerunque aut omnino negligitur, aut leuiſsimè attingitur ab ijs, qui argumenta uelut horrida, & confragoſa uitantes, amœnioribus locis deſident. & paulo poſt; At qui cætera, quæ continuo orationis tractu magis decurrunt, in auxilium atque ornamentum argumentorum

mentorum comparantur. rurſus paulo poſt; nec ab nuerint eſſe aliquid in delectatione, multum uero in commouendis affectibus, ſed hæc ipſa plus ualent cum ſe didiciſſe iudex putat, quod conſequi niſi argumentatione, aliaque omni fide rerum non poſſumus. hoc loco notandum eſt criminationem quæ eſt græce διαβολὴ, ab Ariſtotele inter animi perturbationes collocari, quod ex ipſo contextu planum eſt, atque hoc non ſine ratione. neque enim quiſquam aduerſarium acriter criminari poteſt, quin animo commoueatur. id autem non alia de cauſa facit, niſi ut iudicem in eum incendat. rectè igitur criminatio ab effectu uocari perturbatio poteſt. quãuis Petrus Victorius aliter ſentiat. ut enim ſegne otium dicimus, & egeſtatem turpẽ, quod homines tales efficiat, ita criminationem poſſumus appellare perturbationem, quod animos perturbet. quin à diſinitione probari poteſt, criminationem eſſe animi perturbationem, uerum enim eſt illud effatum ſiue axioma, cui definitio conuenit, eidem etiam ipſum definitum. ſed perturbationis definitio criminationi conuenit, eſt

4. Tuſ. enim perturbatio, quod ait Cicero, appetitus uehementior. at qui criminatur uehementiori appetitu commouetur. præterea non dubium eſt, quin à maleuolentia quadam criminatio proficiſcatur. atqui Cicerone teſte, maleuolentia perturbatio eſt, quare criminationem etiam eſſe perturbationem neceſſe eſt. quod ſi criminari eſt perturbare, ſicut omnes intelligunt, certe etiã criminatio erit perturbatio. non ergo fallitur, ut Victorius exiſtimat, is, qui criminationem animi commotionem eſſe putat. quod autem criminatio perturbet animos, licet per ſe notum ſit, tamen etiam Virgilius oſtendit in undecimo Aeneidos. cum enim Drances inuectus eſſet in Turnum & multa in eum crimina congeſsiſſet, ita poeta de Turno ſubiungit.

Talibus exarſit dictis uiolentia Turni,
Dat gemitum, rumpitque has imo pectore uoces.

TEXT. *Quod ſi id in omnibus iudicijs fieret, quod in aliquibus ciuitatibus etiam hoc tempore fit, atque in illis præcipuè, quæ bonis legibus reguntur, nihil ſanè iſti haberent, de quo uerbum facere poſſent.*

COMM. Cum Rhetorica communis quædam facultas ſit, quæ de omnibus rebus propoſitis apud omnes uerisimiliter in utramque partem diſſerat, eius ẽt præcepta debent eſſe communia, atque æqualiter ubique ualere, ſed apud eos præcipue, qui bonis legibus & inſtitutis utuntur, quoniam ciuilis ſcientiæ magna quædam & ampla pars eſt artificioſa eloquentia, quam Rhetoricam uocant (vt ait Cicero). Sed quæ ſcriptores artis præcepta dant, inquit Ariſtoteles, ſunt eiuſmodi, ut nequaquam eis ubique uti liceat. nam ſi in omnibus iudicijs ſeruaretur id, quod iure optimo ſeruandum eſſet, ne Rhetores motus animi miſcerẽt: quod alicubi legibus cauetur, & apud eas præcipue nationes atque ciuitates, quæ bonis legibus utuntur, nihil eorum præcepta prodeſſent, qui hactenus de Arte dicendi ſcripſerunt. imò uerò cum nihil haberẽt de quo dicerent, inſantiſsimi reperirentur. quid autem ab ſurdius, quam ſiquis ſe dicendi magiſtrum profeſſus, deinde apud bonos uiros qui nihil extra cauſam audire uelint repente mutus appareat? Ciuitates autem illę, quæ bonis legibus reguntur, hoc loco ab Ariſtotele uocantur εὐνομούμεναι. Cicero fortaſſe bonis temperatas legibus diceret, ſic enim primo Tuſcul. ait; Rem uerò publicam noſtri maiores certè melioribus temperauerunt & inſtitutis & legibus.

Omnes enim exiſtimant legibus hoc caueri oportere, quidam etiam eo utuntur, & prohibent oratorem quicquam extra cauſam dicere, quemadmodum Athenis fit in Ariopago. TEXT.

Nemo eſt (inquit) qui non intelligat, hoc uitiũ eſſe maximum, & legibus coercendum, ne ita uagentur oratores in dicendo, ut relicta cauſa perſequantur ea, quibus iudex moueri ſoleat, non autẽ quibus probetur id, de quo agitur. ſunt etiam non nulli, qui non ſolum hoc aduertunt uitium, ſed ẽt illud extirpare conantur, quod Athenis Ariopagitæ faciunt. & oratori præcipiunt, nequid extra cauſam dicat. fuerunt autem Areopagitę ſenatores q̃dã Athenis, qui de grauioribus & capitalibus cauſis iudicabant, & à Solone ſapientiſsimo legiſlatore conſtituti fuerunt, ut primo de officijs teſtatur Cicero, cuius hęc ſunt uerba: Quamuis enim Themiſtocles iure laudetur, & ſit eius nomẽ quam Solonis illuſtrius, citeturque Salamis clariſsimæ teſtis uictoriæ, quæ anteponatur conſilio Solonis ei, quo primum conſtituit Ariopagitas, nõ minus præclarum hoc quam illud iudicandum eſt. eligebantur autem ex Theſmotetis, qui uiri fuiſſent integritate uitæ præſtantes & ſeueriſsimi, qui deinde perpetuo uiuerent in ea dignitate, unde magiſtratum illum Athenienſes uocabant διηνεκῆ, καὶ ἀδιάδοχον, ideſt perennem, & ſucceſsionis expertem. reliqui enim omnes mutabantur. dicti uerò ſunt Ariopagitæ à campo martio, qui locus erat Athenis, in quo tẽplum Martis erat ędificatum, quo in templo ſenatus Ariopagitarum habebatur. ubi primum iudicium capitis actum fuiſſe ſcribit Plinius. unde Iuuenalis curiam Martis appellat, cum ſic ait: 7. ca. 56.

Vt curia Martis Athenis.

Valerius Max. ita inquit; Athenarum ſanctiſsimũ conſilium Ariopagus, quod quiſque Athenienſiũ ageret, aut quonam quæſtu ſuſtentaretur, diligentiſsime inquirere ſolebat. Id uero notandum, quod ait hoc loco Ariſtoteles, non licuiſſe oratoribus apud Ariopagitas quicquam extra cauſam dicere, aut motus animi miſcere. quod etiam Quintilianus libro ſexto ſic ait; Athenis affectus mouere p præconem prohibebatur orator. Lucianus in Hermotimo tradit, Ariopagitas noctu atque in tenebris iudicare ſolitos, ne ad dicentes reſpicere poſſent, ſed tantum ad ea, quæ dicerentur. adeo procul erant ab omni animi perturbatione. quin etiã taciti iudicabant, ut Macrobius ſcribit, & in tabellis Lib. 2.

lis ſententiam ſuam ſcribentes in urnam mittebant, ita ut alter alterius, & omnes omnium ſentẽtiam ignorarẽt. hinc factum eſt ut qui maxime taciturnus eſſet, & arcana diligentisſime cælaret, taciturnior Ariopagita diceretur. & qui uehementer incorruptus eſſet, diceretur Ariopagita ſeuerior. Cicero ad Atticum libro primo; Senatus ἄρειος πάγος nihil conſtantius, nihil ſeuerius, nihil fortius. cũ igiẽ apud Ariopagitas orator eẽt dicturus, præco ita proclamabat; ἄνευ δὲ φροιμίων καὶ παθῶν, ideſt, ſine exordiis & affectibus. hac de cauſa (inquit Ariſtoteles) ſi in omnibus iudiciis id ſeruaretur, quod Athenis in Ariopago, iſti rhetores, qui nihil aliud quam de prooemijs & animi commotinnibus tractant, omnino ſilere, & muti eſſe cogerentur. huiuſmodi rhetnres etiam Carneades uehementer irridebat. ut apud Ciceronem libro de Oratore primo M. Antonius his quidem nerbis nſtendit; Quod ſi tantã uim uerum maximarum arte ſua rhetorica illi doctores complecterentur, quærebat cur de proœmiis & de epilogis, & de huiuſmodi nugis, ſic enim appellabat, referti eſſent eorum libri.

TEXT. *Et rectè quidem hoc exiſtimant, neque enim conuenit iudicem diſtorquere, atque inflectere ad indignationem, aut inuidiam, aut miſericordiam.*

COMM. Laudat eorum ſententiam & conſuetudinem, qui prohibent Oratoribus in dicendo motus animorum miſcere, quibus iudex ab animi æquitate uel ad indignationem, uel ad inuidiam, uel ad miſericordiam impellatur. debet enim iudex tanquã optimus gubernator rectum clauum tenere, & rectè ac uerè iudicare. quod elegãter ſanè apud Salluſtium C. Cęſar his uerbis expresſit; Omnes homines P. C. qui de rebus dubiis conſultant, ab odio, amicitia, ira, atq; miſericordia uacuos eſſe decet. haud facile animus uerum prouidet, ubi illa officiunt. Quintilianus libro ſextn longè aliter ſentit. qui putat hoc proprium oratoris officium eſſe, ita iudicem afficere, ut omnem inquirẽdæ ueritatis rationem amittat, ſic enim ait; Qui uero iudicem rapere, & in quem uellet habitum animi poſſet perducere, qun dicto flendum, & iraſcendũ eſſet, rarius fuit. atque hoc eſt, quod dominatur in iudiciis, hæc eloquentiam regunt. namque argumenta plerumque naſcuntur ex cauſa & pro meliori parte plura ſunt ſemp. Vt qui p hæc uicit; tãtum non defuiſſe ſibi aduocatum ſciat. Vbi uerò animis iudicum uis afferenda eſt. & ab ipſa ueri contemplatione abducenda mens, ibi proprium Oratoris opus eſt. Certè nõ poterat magis ab Ariſtotele diſſentire Quintilianus. Cicern etiam in Oratore ad Brutum putat Orationem in eo uno genere regnare, quod Græci παθητικὸν nominant. qun perturbantur animi, & concitantur. quod cũ rapidè fertur, ſuſtineri nullo modo poteſt. & M. Antonius in ſecundo de Oratnre libro, ſic ait: Nihil eſt enim in dicendo Catule maius, quam ut faueat Oratori is, qui audiet, utq́ue ipſe ſic moueatur, ut impetu quodam animi, & perturbatione, magis quam iudicio aut conſilio regatur. hoc multis etiam aliis in locis Cicero comprobat. quin apud ueteres in eo uehementer celebratur Pericles, quod tantum dicendn poſſet, ut tonare, fulgurare, permiſcere Græciam uideretur. Sed Ariſtoteles ut Philoſophus id approbat, quod rectum eſſet, & quod fieri deberet. Cicero autem & Quintilianus ut Oratores id unum ſpectant, qun iure quaque iniuria ſuperiores in cauſis eſſe posſint, neque tantum quod uerum eſt, quantum quod utile eſt ad uictoriam, quærendũ eſſe cenſent. non igitur mirum, ſi ab Ariſtotelis ſententia diſcrepant.

Idem enim eſt, ac ſi quis eam, qua uſurus eſt, regulam obliquam, ac tortuoſam efficeret. TEXT.

Hæc ſimilitudo eſt ab arte fabrorum ſumpta, qua probat nnn minus eos Oratores peccare, qui mouere iudicis animũ quærunt, & à ueritate auertere, quam ſi fabri regulam ſuam diſtorqueant, qua uti ſolent in dirigenda materia. nam ea ratione profectò totum opus obliquum et tortuoſum redderent. hac ſimilitudine Lucretius libro quarto eleganter uſus eſt his uerſibus: COMM.

Denique ut in fabrica ſi praua eſt regula prima,
Normaq́ue ſi fallax rectis regionibus exit.
Et libella, aliqua ſi ex parte claudicat hilum,
Omnia mendoſe fieri, atq; nbſtipa neceſſum eſt:
Sunt enim iudicia tanquam ad regulam dirigẽda.

Vt Cicero primo de Finibus: Seruata illa, quæ quaſi de Cœlo delapſa eſt ad cognitinnẽ nmniũ, regula, ad quam nmnia iudicia rerum dirigentur. Horatius primo Sermonum: adſit.
Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas.

Præterea non dubium eſt, eius, qui controuerſiam habet, nullas alias eſſe partes, quam docere rem aut eſſe aut non eſſe, factam aut non factam fuiſſe. TEXT.

Argumentum hoc eſt ab oratoris perſona ſumptum, quò docet eũ extra cancellos ac fines ſuos egredi, quoties nnn de re ipſa loquitur, ſed auditnres commonere ſtudet. Illud, inquit, planũ eſt, quoties aliqua de re controuerſia eſt, Vtrum ſit an non ſit, facta an non facta, proprium eſſe munus Oratnris, id tantum docere, ac probare, quod intendit. nempe eſſe aut nnn eſſe, ſiquidẽ de præſenti tempore controuerſia ſit, ſi uero de præterito, factam eſſe aut nnn factam. COMM.

Videtur autem Ariſtoteles hoc loco tantũ coniectnralem ſtatum oratnri tribuere, in quo quæritur utrum res ſit necne, facta ſit an non. reliquos autem adimere. quæ fuit etiam aliorum quorundam rhetorum opinin, ſicnti Quintilianus libro tertio ſcribit, cuius hæc uerba ſunt: Apud plures auctores legi, placuiſſe quibuſdam unum omnino ſtatum eſſe coniecturalem. Sed quibus placuerit, neque illi tradiderunt, neque ego uſquam reperire potui. Atqui poterat Quintilianus ex hoc loco ſententiã eorum comprobare. & certè maiori ex parte coniecturis utunẽ oratores. qđ in Tnpicis Cicero oſtẽdit ijs uerbis; Sed locus hic magis ad coniecturales cauſas, q uerſantur in

iudiciis,

iudicijs, ualet. cum quæritur quid aut ſit, aut euenerit, aut futurum ſit, aut quid omnino fieri poſſit. ac loci quidem ipſius forma talis eſt. admonet autem hic locus, ut quæratur quid ante rem, quid cum re, quid poſt rem euenerit. nihil hoc ad ius, ad Ciceronem inquibat Gallus noſter, ſiquis ad eum quid tale retulerat ut de facto quæreretur. Eſt igitur hoc proprium oratoris munus de facto quærere. quod in ſecundo de Oratore M. Antonius innuit cum ait: Ac noſtræ ferè cauſæ quæ qui dem ſunt criminum, plerunque inficiatione defenduntur. Sed qui non poteſt dicere ſe nihil feciſſe proximum, ait Quintilianus, habebit ut dicat, non id feciſſe quod obijcitur, ex quo naſcitur controuerſia de facti nomine, quæ definitione eſt explicanda. nonnunquam etiam & factum ipſum conceditur, & facti nomen, ſed iure factum defenditur, quæ controuerſia qualitatis dicitur. unde factum eſt, ut tres ſtatus ſiue conſtitutiones artis ſcriptores eſſe uoluerint. ſed Ariſtotelis tempore nondum ita diſtincti ſtatus erant, cum id nomen

3.cap.6. in uſu non eſſet. ſic enim ait Quintilianus: Statũ Græci στάσιν uocant, quod nomen primum ab Hermagora traditum putant, ſed alii ab Eucrate Socratis diſcipulo, alij à Zapyro Clazomenio. quanquam uidetur Aeſchines quoque in oratione contra Cteſiphontem uti hoc uerbo cum à Iudicibus petit ne Demoſthenem permittant euagari, ſed eum dicere de ipſo cauſę ſtatu cogant. non eſt igitur mirum ſi Ariſtoteles non uſus eſt diuiſione ſtatuum, cum id nomen in hac ſignificatione non dum in uſu eſſet eo tempore.

TEXT. *Vtrum autem magna ſit an parua, iuſta an iniuſta, ſi lator legis non definiuit, ipſum per ſe iudicem intelligere oportet, non autem à litigantibus diſcere.*

COMM. Oratori quod ſuum eſt iam ſuprà tradidit, nũc ea remouet ab Oratore quæ nõ ſunt eius propria. Cum enim, exempli gratia, probarit Orator rem eſſe factam, tunc non oportet ut docere iudicem conetur eam eſſe magnam aut paruam, iuſtam aut iniuſtam. quia debet hoc iudex ipſe, uel à legibus doceri, uel ſi leges de ea re non meminerunt, per ſe ipſum intelligere, non autem expectare ut ab Oratore doceatur. ex hoc igitur loco, ſenſus huiuſmodi elicitur: tantum abeſt ut iudex de magnitudine aut æquitate rei credere Oratori debeat, ut neque ſit ei ſuo arbitrio ſtatuendum, ſed uidendum quid ſuper ea re legibus conſtitutum ſit. Quod ſi nihil fuerit à legislatore definitum, tunc licebit iudici de ea re ſtatuere. neque enim legum latores omnia complecti poſſunt. hæc quidem Ariſtotelis eſt ſententia, ſed ab ea Cicero Quintilianusq́; longe diſſentiunt, qui uim eloquentiæ putant in eo maximè elucere, cum Orator rem factã aut amplificat aut imminuit, acriter improbat, aut ſtrenue defendit & iuſtam eſſe docet. Verum Ariſtoteles tantũ docet hæc extrinſecus aſſumi ad iudicem permouendum, non autem prorſus ea uituperat quippe qui docet accuratè quomodo poſſit orator oſtẽdere rem aut magnã aut paruam eſſe aut iuſtam aut iniuſtam. ſed artis ſcriptores reprehendit, qui relinquant ea quæ ſunt artis ipſius propria, & ea ſola tradant quæ ſunt aduenticia.

Maxime uerò expedit benè inſtitutas leges, omnia quæcunque poſſunt, complecti, ac definire, minimamque partem iudicum arbitrio relinquere. TEXT.

Quoniam ciuitatibus maximè prodeſt, vt rectè iudicia exerceantur, quæ aut diſtrahendarum controuerſiarum aut puniendorum maleficiorum cã reperta ſunt, vt ait Cicero pro Cecin. & in iudicijs tria ſint præcipua leges, Iudices, Oratores, docet Ariſtoteles hoc loco, qua ratione fieri poterit ut benè de omnibus rebus ſtatuatur. nempe ſi leges multæ latæ fuerint quæ diligentiſsimè ſeruentur, & ad quas reſpicientes Iudices ſententiam ferant. Sunt enim leges quaſi muti magiſtratus (ut ait Cicero) magiſtratus autem leges loquentes. at uero Iudices antequam iu forum iudicandi gratia ueni rent, iurare cogebantur, ſe ex lege iudicaturos, id quod primo de Inuentione Cicero his uerbis oſtẽdit: Iudices qui ex lege iurati iudicatis legibus obtemperare debetis. & in ſecundo quid iuratus iudex, quod ſi omnia legibus eſſent definita, & iudices in iudicando legibus obtẽperarent, nullum unquam prauum iudicium fieret. ſed quia leges ſunt generales ac certo quodam numero comprehenſæ, actiones autem hominum ſingulares ac propè infinitæ, non fieri poteſt, ut omnia legibus caueantur. itaque plurima etiam arbitrio iudicum ſtatuẽda relinquuntur. ſed quanto plura legibus definiũtur, tanto ciuitates ſecurius adminiſtrantur. hoc eſt quod Ariſtoteles admonet, in ferendis legibus ſummum ſtudium ac diligentiam adhibendam eſſe, atque omnia quæcunque poſſunt legibus eſſe definienda. idque tribus argumentis maximè ciuitatibus expedire probat. COMM. 3.de Leg.

Primò, quia longè facilius eſt, unum, aut paucos inuenire, quàm multos, qui benè ſentiant, & leges ferre, ac uerè iudicare poſſint. TEXT.

Primum argumentum à perſonis ſumptum eſt. leges enim ac iudicia debent à prudentibus & ſapientibus uiris fieri. ſed leges ab vno plerunque aut à paucis feruntur, iudicia vero à pluribus exerceri ſolent. At longè facilius eſt unum ſapientem uirum aut paucos inuenire quàm multos, id enim uerum eſt quod ait Iuuenalis: COMM.

Rari quippe boni, uix ſunt totidem numero quot

Thebarum portæ, uel diuitis oſtia Nili.

Itaque facilius eſt etiam vt benè leges ferantur, & ſapienter atque utiliter inſtituantur, quam ut iudicia rectè ac verè exerceantur. quod autem leges ab vno tantum vel à paucis ferri ſolitæ ſint ex hiſtorijs intelligi facile poteſt. nam Minos Cretẽſibus leges dedit, Lycurgus Lacedęmonijs, Solon Athenienſibus, Moſes Hebręis. apud Romanos Decem viri fuerunt electi, qui duodecim tabularum leges tulerunt. Vult igitur Ariſtoteles id eſſe iudicis officium, vt ab Oratore diſcat, vtrum res ſit an non ſit, facta an non facta, deinde ſtatim ad leges animum

mum referat, & ea pœna præmiove quo illæ ſtatuerunt, eum de quo ferenda ſententia eſt afficiat. qđ ſi de ea re leges nullæ fuerint, tunc Iudici duplex onus imponitur, hoc eſt, & legiſlatoris & iudicis. Oportet enim eum ſententia ſua non ſolum de p̄ſenti negocio ſtatuere, ſed etiam deinceps de ſimilibus omnibus, quia ſæpe res iudicatæ tranſeunt in leges. non eſt autem facile inuenire quemquam tam prudentem qui rectè utrumque munus præ- TEXT. ſtare poſsit. Itaque Lyſias in oratione contra Alcibiadem, admonet iudices ut meminerint, ſe in iudicium ueniſſe, non ut nouas leges ferrent, ſed ut ſecundum leges iam latas iudicarent.

TEXT. *Deinde quia legum lationes longo tempore, diligentique conſideratione fiunt, iudicia uerò plerumq; ſubita atque repentina ſunt, ut difficile ſit ipſos diſceptatores iuſtitiam, atque utilitatem rectè perſpicere ac tueri.*

COMM. Alterum argumentum eſt à tempore ductum. Melius (inquit) ea ſtatuuntur, quæ longo tempore diligentique conſideratione fiunt, quam quæ ſubitò, & paruo temporis interpoſito ſpacio. qui enim adhibent ad conſiderandas res & tempus & diligẽtiam, ij ſi prudẽtes ſunt, excogitare facile poſſunt, quid in rebus maximè conueniat utileque ſit. qui uerò ſine diligenti præmeditatione ſtatuunt aliquid ex ijs quæ audierunt, ij non raro decipiuntur. ſed leges à prudentibus Viris longo tempore diligentique conſideratione feruntur. iudicia uero plerumque auditis utriſque partibus repente fiũt. Vt tam breui tempore iudici difficilimum ſit uidere quid iuſtum aut utile ſit. quare longè melius leges feruntur, quam iudicia exerceantur. Quod autem leges non repente, ſed interpoſito temporis ſpacio, quo diligenter conſiderarentur, ferri ſolitæ Macrob. ſint, ex hiſtorijs intelligi poteſt. nam apud Roma- Sat. 1. ca. nos nulla lex rata eſſe poterat, niſi quæ ter per prę- 16. conem, tribus nũdinis promulgata fuiſſet, ut quicunque uellet ei contradicere priuſquam ſtabiliretur, arbitrio ſuo poſſet. ſed poſtquam trinundino publicata lex eſſet, & populus Romanus eius auctor fuiſſet, tum demum in æs incidebatur, atque in æde Saturni, quæ erat in Capitolio ſeruabatur. Minos Cretenſium Rex, ut primo libro Val. Max. ſcribit, nono quoque anno ſecedere in ſpeluncam quandam ſolebat, ut ibi ſolus quas leges laturus eſſet diligentiſsime conſideraret, poſtea uero rediẽs ad populum illi perſuadebat ſe ex Iouis ſententia, quem patrem ſuum eſſe dicebat, leges ferre. Budæus ex Demoſthene docet, quæ fuerit apud Athenienſes legum ferendarum conſuetudo, cuius uerba quia locum hunc Ariſtotelis illuſtrant adſcribere libuit: Solonem (inquit) commemorat Demoſthenes inter alia cum legibus ſuis hoc quoque inſtituiſſe, cum lex aliqua ad populum ferretur, ut à legiſlatore primum recitaretur, deinde in loco maximè celebri totius urbis, maximeque conſpicuo proſcriberetur ad tertiam concionem uſque. inde ſcribæ ut daretur palam pro concione legenda, vt ſi cuiquam quid non placuiſſet, in medium id proferret, & ſi ea tum quoque populo placuiſſet, ita demum nomothetæ daretur poſtremum probanda, qui uti eam probaſſet improbaſſetve, ita ferretur, antiquaretur ve. ipſi autem nomothetę ex iudicum numero deligebantur, ut eam operã populo iurati nauarent. ex his planum eſt id, quod ait Ariſtoteles: legum lationes longo tempore diligentique conſideratione fieri ſolitas.

Illud tamen maximum omnium, quòd legiſlatoris TEXT. *iudicium non de ſingulis, neque de præſentibus rebus. eſt; ſed de futuris, & de uniuerſo genere. Sententiæ uerò moderator, & index de præſentibus iam, & definitis rebus diſceptant, ac ſtatuunt: qui ſæpenumero uel amore, uel odio, uel utilitate propria mouentur ita, ut non amplius ueritatem intelligere ac uidere ſatis queant, cum propria oblectatio aut moleſtia uero inductio tenebras offundat.*

Tertium argumentũ eſt à rebus ipſis, quas tra- COMM. ctant legiſlatores & iudices, in quibus magna eſt ſanè differentia. nam leges de communibus ac generalibus rebus, & de futuris conſtitui ſolent. neque enim de uno homine, aut de una re tantum lex vlla conſtituitur, ut tertio de legibus ait Cicero. In priuatos (inquit) homines leges ferri noluerunt, id eſt enim priuilegium. & pro Domo ſua: Vetant leges ſacratæ, vetant duodecim tabulę, Leges priuatim hominibus irrogari, id eſt enim priuilegium. Ariſtoteles legis officiũ eſſe vult, vt generaliter ſtatuat de negocijs hominum, & in commune. Papinianus, lex eſt, (ait) commune præceptũ, Virorum prudentum conſultum. ſunt igitur leges de communibus ac generalibus rebus. præterea ſunt etiam de futuris. neque enim lex ulla fertur de illo quod iam factum eſt. ſiquidem legis uirtus eſt (vt ait Iuriſconſultus) imperare, vetare, permittere, punire, quæ omnia futurum tempus reſpiciunt, non autem de præſenti aut præterito leges fiunt, quare legiſlatores omni affectione uacant, omnibus enim æqualiter leges ſuas proponnnt, & deinceps pęnę comminatione ſeruari pręcipiunt. At uero iudicia neque communiter neque de futuro tempore fiunt, ſed de ſingulis rebus, & præſentibus aut præteritis. quæcunque enim in iudiciũ ueniunt, ea certis perſonis, ac temporibus implicita ſunt, & certam atque definitam quæſtionem habent, quam rhetores cauſam appellant. Iudices igitur perſonas illas & cauſas agnoſcunt, aut agnoſcere coguntur, quo fit, vt aut ament, aut oderint, aut aliqua propria utilitate moueantur. quæ cum accidunt, ſtatim ueritas amittitur. neque rectum vllo modo iudicium fieri poteſt. plurimum igitur expedit eſſe leges benè conſtitutas, quas in iudicãdo iurati iudices ſequantur. hæc eſt huius loci ſententia. ſed quem Ariſtoteles ἐκκλησιαστὴν uocat, alij ſenatorem alij concionalem interpretantur. quamuis enim id nomen à concione, quæ Græcè dicitur ἐκκλησία deducatur, tamẽ Latini ſermonis conſuetudo non patitur vt concionalem dicamus abſolutè, niſi aliquid adiungatur, vt clamor cóncionalis. neque certè Senator dici poteſt. Cum in concionibus

cionibus Græci ſolerent de Rep. ſtatuere, qđ pro Flacco ſic oſtendit Cicero: Græcorum autem totæ Reſp. ſedentis concionis temeritatę adminiſtrantur. nos igitur ſententiæ moderatorem conuertimus, Ciceronem imitati qui ſic in partitionibus appellat eum qui de futuris rebus aliquid ſtatuit. poſſemus concionatorē uertere atque id eſſet uerbum è uerbo, niſi Cicero uerbum hoc in deteriorem partem traheret. ſic enim ait oratione quarta contra Catil. intellectũ eſt, quid intereſt inter leuitatem concionatorum, & animum verè popularem. quod autem ait Ariſtoteles hoc loco, ſententiæ moderatorem, & Iudicem plerumque ſic affici ut uel amore, uel odio, uel propria utilitate moueã tur. ita M. Antonius ſecundo de Oratore confirmat: Plura enim multo homines iudicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut ſpe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quam ueritate, aut præſcripto, aut iuris norma aliqua, aut iudicij formula, aut legibus. hoc autem fit inter uiuentes, nã de mortuis longe incorruptius iudicamus, quod Cicero pro Marcello ſic affirmat: Serui igitur, ijs etiam iudicibus qui multis poſt ſeculis de te iudicabũt. & quidem haud ſcio an incorruptius quam nos. nam & ſine amore & ſine cupiditate & rurſus ſine odio & ſine inuidia iudicabunt.

TEXT. *In cæteris igitur rebus (ut antea dixi) quam pauciſsimis iudicem ipſum dominum conſtituere oportet. Verum utrum facta res ſit an non facta, futura an nõ futura, ſit nec ne ſit, iudicibus ipſis omnino ſtatuendum relinquere neceſſe eſt: neque enim ullo modo fieri poteſt, ut hæc legislator præuideat.*

COMM. Hæc eſt clauſula qua docet quæ ſint Iudicis partes & quid domo cognitum adferre debeat, & quid in iudicio cognoſcere. nam in ciuilibus controuerſijs leges dominari debent à quibus iudices inſtruuntur, ut cognita cauſa ſecundum eas iudicent, ſunt ergo iudices, quaſi in medio legum & litigantium atque ab utriſque aliquid diſcere debẽt. ſed à legibus quæ iuſta ſunt aut iniuſta, quæ magna ſunt aut parua. à litigantibus uero quæ facta ſunt aut non facta, quæ futura ſunt aut non futura. quòd ſi poſſent à legibus omnia diſcere, multo melius iudicia dirigerent. ſed quoniam hoc fieri non poteſt, ſaltem quamplurima legibus comprehendenda ſunt, vt ea percipientes iudices ad iudicandum paratiores ueniant, & arbitrio legum plurima, ſuo vero arbitrio pauciſsima ſtatuant, atque ea tantum quæ legibus comprehendi non potuerunt. Sed quia nullo modo fieri poteſt ut legislator præuideat, quid ab hoc aut illo homine factum ſit aut non factum, quid futurum ſit aut non futurum, quippe qui de communibus tantũ & indefinitis leges ferat. ideo neceſſe eſt, ut iudicibus hoc, auditis partibus, ſtatuendum relinquatur. Loquitur autem Ariſtoteles hoc loco de diſceptatore tãtum non autem de auſcultatore. Nam duo ſunt auditorum genera, ſicut in Partit. Cicero docet, auſcultator, & diſceptator. auſcultator eſt is qui audit tantũ ut delectetur, quod fit in demonſtratiuo genere, de quo nihil hic Ariſtoteles, quoniam nullius iudicij gratia fit. diſceptator uero is eſt, qui aliquid ſtatuit. Statuit autem aut de præteritis ut iudex, quocirca ſcire eum opus eſt, utrum res facta ſit an non facta, aut de futuris ut ſenatus aut concio. qui ergo ſententiam in Senatu, aut in concione dicturus eſt, intelligere debet utrum res futura ſit an non futura.

TEXT. *Quæ cum ita ſe habeant, perſpicuum eſt, eos ad artem illa reducere, quæ ſunt extra propoſitam materiam, quicunque res alias explicant; ut quid proœmium, quid narrationem habere oporteat, & quid unaquæque aliarum partium.*

COMM. Ad reprehenſionem ſcriptorum artis reuertitur, concluditque ex eis quæ dicta ſunt, eos uerè artem non docere, cum illa tãtum tradant quæ ſunt extra propoſitam materiam. cum enim ab eis docendum eſſet, quibus rationibus & argumentis probari oporteat, rem factam aut non factam eſſe, futuram aut non futuram, totam hanc tractationẽ prætermittunt, & in eo ſunt occupati ut doceant, quid habere procemium oporteat, quid narrationem, quid unamquanque aliarum partium. non tamen hoc ita debemus accipere, quaſi Ariſtoteles hæc ab arte penitus remoueat, cum ipſe de perturbationibus ſecundo libro multa pertractet, & tertio doceat quid in proęmio, quid in narratione, quid in cæteris partibus ſeruandum ſit. uerum hęc vult Ariſtoteles eſſe tanquam euenta, quæ proſint quidem in dicendo, ſed tamen Rhetoricę naturam non compleant. quoniam ſine illis poſſet Orator finem ſuum aſſequi, quod eſt perſuadere dictione, uel ea dicere quę ſunt ad perſuadendum accommodata.

TEXT. *Nihil enim in eis aliud ſibi proponunt, quam ut iudicem aliquo modo afficiant, de artificioſis uerò probationibus nihil præcipiunt. Vnde argumentorum copiam ſibi quis comparare poſsit.*

COMM. Ratio cur artis ſcriptores ad artem ea reducant quæ ſunt extra propoſitam materiam. quoniam illud unum ſpectant, ut uel ad beneuolentiam uel ad odium uel ad miſericordiam vel ad ſeueritatem iudicis animum impellant. quomodo autem res ipſa probari poſsit, quibuſque argumentis ab arte ductis confirmari, non tradunt. relinquunt igitur id, quod eſt præcipuum, & neceſſarium, atque illa ſequuntur quæ ſunt aduenticia. nam ex probationibus tantum artificioſis, acer & argutus in diſputando fit Orator, quas illi non attingunt. Artificioſæ probationes illæ dicuntur quæ ab ipſo Oratore inueniuntur, non extrinſecus aſſumuntur. ut illæ quæ ducuntur è locis & ſedibus argumentorum. qui uero facultatẽ eã acquiſiuit ut ꝓbationes huiuſmodi facile inueniat, dicitur ab Ariſtotele ἐνθυμηματικὸς, quaſi enthymematum copiam poſsidens, Budęus acrem in argumentationibus & argutum oratorem conuertit. talis fuiſſe Demoſthenes dicitur, qui magno ſtudio ſummaque diligentia ſcribebat orationes ſuas. Vnde Pitheas quidã

eius

eius aduerſarius, vt ſcribit Plutarchus, dixit eius enthymemata lucernam olere. quod eſſent ad lucernam diligentiſsimè elucubrata. quem tamen ita- vltus eſt Demoſthenes, vt reſpóderit, ſe non ignorare, Pitheæ moleſtiſsimum eſſe, ꝙ quis noctu lucernam accenderet. eum enim tanquam furem notauit, quibus lucerna eſt inimica. nulla uerò eſt probatio, quæ tantum valeat, quantum Enthymema, quemadmodum inferius docet Ariſtoteles. vnde cum duo ſint Oratorum genera, duæque probãdi ſpecies artificioſæ; ſunt enim qui enthymematibus delectentur, ſunt etiam qui exemplis; quoniã enthymema & exemplum probationes ſunt Rhetoricæ, longè ſunt vehementiores & acriores illi Oratores, qui bene enthymematibus vtuntur, quã qui exemplis. Licet etiam exempla multum valeant ad faciendam fidem.

TEXT. *Atque hac de cauſa, cùm eadem uia atque ratione deliberationes & iudicia tractentur, ſitque deliberationis tractatio ſpecioſior, & ciuitatibus utilior quàm conuentorum, & iudiciorum, de illa quidem nihil dicunt, de iudicijs autem omnes artem conſcribere aggrediuntur.*

COMM. Omni ratione conatur Ariſtoteles oſtendere, ab ijs qui ante ſe de arte dicendi conſcripſerunt, nequaquam artem perfectè traditam eſſe. nam hactenus docuit eos in ijs rebus docendis fuiſſe occupatos, quæ res nequaquam artis eſſent propriæ, neque ipſius Rhetoricę naturam attingerent. nũc oſtendit partem honeſtiorem atque vtiliorem totius artis ab eiſdem fuiſſe neglectam atque derelictam. huiuſque rei cauſam adfert. Artis (inquit) Rhetoricæ duo præcipua genera ſunt; Deliberationes, & iudicia. quæ quidem eadem methodo tractantur. Sed tamen tractatio deliberationum maiorem habet dignitatem, multoq́ue magis prodeſt ciuitatibus, quàm ſiquis in iudicijs & conuentis hominum aſsiduè uerſetur. iſti vero ſcriptores artis rem ridiculam faciunt. illam enim partẽ quæ ad deliberationes attinet, quæ longè pulchrior atque vtilior eſt, totam relinquunt, & de iudicijs tãtum artem tradunt. hæc quidem Ariſtoteles. in quibus duo notanda ſunt. primum eadem via atque ratione deliberationes & iudicia tractari. quibus.n. argumentis aliquid futurum oſtendimus, ijſdem paulum commutatis, iam factum eſſe demonſtrabimus. at deliberatio de futuro eſt, iudicium vero de præterito. deinde deliberationes eſſe ſpecioſiores atque vtiliores. nam id quod bonum eſt, quanto eſt cõius, tanto eſt pulchrius atque vtilius. ſed deliberationes plerumque de rebus cõmunibus ſunt, & ad Reip. ſtatum pertinentibus: iudicia verò de priuatis rebus maiori ex parte fiunt, & de ijs quæ vel ad vnum tantum vel ad paucos pertinent, itaque pulchriores & honeſtiores ſunt deliberationes quàm iudicia. præterea cum in ſenatu concionibuſque deliberationes verſentur, vbi de pace & bello, de publicis vectigalibus, de rerum publicarum adminiſtratione tractatur: iudicia verò in foro, vbi de pecuniarijs controuerſijs, de pactionibus & conuentis, de minutis quibuſdam rebus cõtinenter agitur, non eſt dubium quin deliberationes longè maiorem habeant dignitatem. & quamuis in iudicijs ſæpe defendantur innocentes homines, improbi vero condemnentur, quæ res iuſtæ atque honeſtæ ſunt, tamen ſplendidius eſt vtilitati publicæ inſeruire, & ſententia ſua, quæ vniuerſę ciuitati proſint, ſuadere. Voluit autem Ariſtoteles hoc loco deprimere atque extenuare iudiciale genus, cum appellet περὶ τὰ συναλλάγματα, quaſi in conuentis & pactionibus totum occupetur. atque in eis quæ homines inter ſe negociantur & contrahunt, quę ſæpe minuta ſunt, ac leuia. Quod autem ſpecioſius & ciuilius ſit deliberatiuum genus quàm iudiciale, declarat etiam M. Antonius in ſecundo de Oratore: Suadere (inquit), aliquid, aut diſſuadere grauiſsimæ mihi uidetur eſſe perſonæ. nam & ſapientis eſt conſilium explicare ſuum de maximis rebus: & boneſti & diſerti vt mente prouidere, authoritate probare, oratione perſuadere poſsit. & infra: Concio capit omnem vim orationis, & grauitatem varietatemq́ue deſiderat. ergo in ſuadendo nihil eſt optabilius quàm dignitas. rurſus paulo poſt: quia ſumma dignitas eſt populi, grauiſsima cauſa Reip. maximi motus multitudinis: genus quoque dicendi grandius quoddam & illuſtrius eſſe adhibendum videtur. quamuis autem honeſtiores ſint atque vtiliores deliberationes, tamen putat idem M. Antonius eodem in libro iudicia multo difficilius tractari, ſic enim ait: Omnium cęterarum rerum oratio, mihi crede, ludus eſt homini non hebeti neque inexercitato, neque communium literarum, & politioris humanitatis experti. in cauſarũ contentionibus magnum eſt quoddam opus. atq; haud ſcio an de humanis operibus longè maximũ. in quibus vis oratoris plerunque ab imperitis exitu & victoria iudicatur, vbi adeſt armatus aduerſarius, qui ſit & feriendus & repellendus. & quæ ſequuntur. Quintilianus etiam genus iudiciale difficillimum omnium cenſet. Sed nihil prohibet, deliberatiuum quidem eſſe honeſtius, ſed iudiciale difficilius.

Nam in deliberatiuo genere longè minus prodeſt ea, quæ ſunt extra cauſam dicere: minusq́ue callidi- tatis, ac fallaciæ capax eſt ſententiæ dictio, quàm iudicium; ſed magis aperta eſt ac popularis. TEXT.

Cauſam adfert cur qui de Rhetorica ſcripſerũt iudiciale tantum genus perſecuti ſint, deliberatiuum autem reliquerint. quoniam (inquit) in deliberationibus non prodeſt ea dicere quæ ſunt extra cauſam, in quibus iſti ſunt exercitati, neque fallacijs in dicenda ſententia locus eſt, quibus in iudicijs affatim vtuntur. ſed omnis oratio in deliberatiuo genere aperta eſſe debet & popularis. cũ de ſuis rebus conſultant homines aut de publicis ac communibus ſua ſponte parati ſunt ad audiendum, ſtatimq́ue uolunt eius qui dicit ſententiam audire. Quare non patiuntur Oratorem uagari, uel ea commemorare quæ nihil ad cauſam faciãt. COMM.

in iu-

in iudicijs uero quoniam de criminibus & maleficijs agitur, facile patiuntur iudices atque etiam iuſtum putant ut Orator motus animi permiſceat, indignetur, doleat, conqueratur, miſercatur. ac denique omnia faciat, ut ſuperior eſſe poſsit. quare etiam callide fallaciter ac doloſè licet in iudicijs agere. ſicut Cicero gloriatus eſt, in iudicio Cluentij tenebras ſe iudicibus offudiſſe. qua in re uehementer idem Cicero Demoſthenem laudat in Bruto. ſic enim de illo ſcribit: nihil acutè inueniri potuit, in eis cauſis, quas ſcripſit: nihil (ut ita dicam) ſubdoloſè, nihil uerſutè quod ille non uiderit, nihil ſubtiliter dici, nihil preſſe, nihil enucleate, quo fieri poſsit aliquid limatius. nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum uel uerborum grauitate, uel ſententiarum, quo quicquam eſſet elatius. Valent igitur fallacię, ualēt artes ac doli in iudicijs, in quibus nihil ſimplex, nihil apertum. adeſt enim iudex, qui, ſicut ait apud Ciceronem Antonius, tanquam machinatione aliqua tum ad ſeueritatem, tum ad remiſsionem animi, tum ad triſtitiam, tum ad lætitiam eſt contorquendus. Itaq; in iudicijs omnia ferè ex affectione, pauca ex ueritate iudicantur. quod contrà fit in deliberationibus.

2. *de ora.*

TEXT. *Hic enim diſceptator ipſe de ſuis ac proprijs rebus iudicat. itaque nihil aliud opus eſt, quam oſtendere, rem ita ſe habere, quemadmodum is ait, qui ſententiam dicit.*

COMM. Qui de ſuis proprijs rebus iudicat, diligenter aduertit, ne dolis ac fallacijs capiatur. itaque nihil apud eum artes iſtorum rhetorum qui captionibus delectantur, ualent. quod ipſi intelligentes deliberatiuum genus prætermiſerunt, in quo tantum illud probare opus eſt, rem eam de qua deliberatur fieri poſſe, atque utilem fore. utitur autem Ariſtoteles comparatione hoc loco, ut oſtendat totam orationem in deliberatiuo genere ſimplicem eſſe oportere, quoniam diſceptator ſua ſponte attentus eſt, neque facile decipi poteſt. at in iudicijs contra fieri, quoniam de alienis rebus diſceptator ſtatuit. de qua re ſic etiam Cicero in Partitionibus: Principia in ſententijs dicendis breuia eſſe debebunt. non enim ſupplex ut ad iudicē uenit Orator, ſed hortator atque auctor, quare proponere qua mente dicat, quid uelit, quibus de rebus dicturus ſit, debet, hortarique ad ſe breuiter dicentem audiendum. tota autem oratio ſimplex, & grauis, & ſententijs debet ornatior eſſe quam uerbis. notandum eſt quem Ariſtoteles κριτὴν uocat, à Cicerone diſceptatorem appellari. hoc eſt tam qui de præteritis ſtatuit, ut iudex, quam qui de futuris, ut Senatus.

TEXT. *In iudicijs uerò nequaquam hoc ſatis eſt, ſed auditoris animum occupare permagni intereſt, quoniam de alienis rebus futurum eſt iudicium. itaque ſæpe iudices commodum ſuum ſpectantes & ad gratiam audientes, litigantibus gratificantur, non uerè iudicant.*

COMM. Hæc eſt altera pars comparationis. quod (inq̃t) in deliberatione ſatis eſt, oſtendere rem ita ſe habere, atque utilem fore, id in iudicijs non eſt ſatis. uerum ſæpe utile eſt extra cauſam digredi, & iudicis beneuolentiam aucupari, qui facile capitur inſidiis, propterea quòd non de ſuis rebus ſed alienis eſt ſententiam laturus. quo fit ut frequenter ſeſe ad uoluptatem referat, cum ſe ab Oratore laudari intelligit, atque eius oratione delectatur. audit enim ad gratiam, & gratificatur ei, à quo iam permotus eſt, non autem uerum ſequitur iudicium. Duæ ſunt igitur cauſæ cur in iudicijs magis proſint rhetorum fallaciæ quam in deliberationibus, prima eſt, quòd in iudiciis non de ſuis rebus, ſed de alienis iudicant. eſt autem difficilis cura rerum alienarum. ut primo de officijs ait Cicero. & facile concedunt iudices id, quod nihil ad ſe pertinere arbitrantur. altera eſt, q̃ ſi gratificentur Oratori, putant ſe aliquod ex ea re cōmodum reportaturos, ut laudem, ac honorem, aut munera, aut aliquid huiuſmodi, unde uoluptatem percipiant. hic aduertendum eſt id quod Ariſtoteles ait: πρὸς τὸ αὑτῶν σκοποῦντες, conuerti a quibuſdam: rem ſuam conſiderantes. ſed malè. cum in iudiciis, ut ait Ariſtoteles, non de ſuis ſed de alienis rebus agi iudices intelligant. melius igitur ita conuertitur: commodum ſuum ſpectantes. nihil autem eſt quod magis iudicum animos inflectat, & impellat in dicentis ſententiam, quam oblectatio quædam quam percipit, uel ex inclinatione uoluntatis uel ex animi permotione, nam etiam in permotionibus animi quædam uoluptas eſt, ut in ſecundo huius operis docet Ariſtoteles. M. Antonius ſecundo de Oratore tres adfert cauſas. quare iudex Oratori cauſam adiudicet, ſic enim ait: Nam hoc neceſſe eſt, ut is qui nobis cauſam adiudicaturus ſit, aut inclinatione uoluntatis propendeat in nos, aut defenſionis argumentis adducatur, aut animi permotione cogatur. Sed ex his tribus duo ſunt quæ putat Ariſtoteles extra cauſam eſſe, hoc eſt inclinatio uoluntatis, & animi permotio, quæ uoluptate temperantur.

TEXT. *Atque hoc in cauſa eſt, ut multis in locis (ſicut antea dixi) Lex prohibeat, aliquid extra cauſam dicere: quod in ſententijs ipſi diſceptatores, quorum de re agitur, ſatis diligenter obſeruant.*

COMM. Quoniam (inquit) ſępe iudices blanda oratione deliniti, uel concitatione animi permoti falſa iudicant, ideo factum eſt, ut multis in ciuitatibus lege cautum ſit, ne liceat Oratori quicquam extra cauſam propriam dicere. quæ lex tantum in iudiciis ualet, non autem in deliberationibus. ubi diſceptator ipſe ſatis diligenter aduertit ne ab Oratore decipiatur, quoniam de ipſius re agitur. Eſt autem argumentum ab auctoritate ſumptum, quo docet parum prodeſſe rhetorum præcepta, cum neque in deliberationibus, neque in iudiciis ſapientum hominum locum habeant. Sed hæc tanquam Philoſophus ex ueritate, non autem ex communi conſuetudine pæcipit. ſiquidem Oratores omnes in eo maxime ſunt occupati ut audientium animos moueant, & quo uelint impellant. Philoſophi autem (ut M. Antonius ſecundo de Orat. ait) partim omnino motus negāt in animis ullos eſſe debere.

quique

quique eos in iudicum mentibus concitent, ſcelus eos aiunt nefarium facere. partim permediocres, ac potius leues motus debere eſſe dicunt. non igitur cum Oratoribus Philoſophi ſentiunt.

TEXT. *Iam uerò illud certum atque exploratum eſt, eam uiam atque rationem, quæ ad artem pertinet, totam in probationibus eſſe poſitam. probatio autem ac fides, quædam eſt argumenti concluſio. tunc enim maximè credimus, cum rectè concluſum eſſe arbitramur.*

COMM. Quoniam Rhetorica duas probationis ſpecies habet, quarum altera dicitur μέθοδος ἔντεχνος, ideſt uia ratioque artificioſa, altera uero ἄτεχνος, hoc eſt artis expers, ut infra copioſius apparebit, hoc loco probare contendit Ariſtoteles eam probationis ſpeciem quæ artificioſa eſt, à Dialectica proficiſci. neque quemquam poſſe probandi artē rectè percipere, niſi dialecticis imbutus fuerit. Hactenus igitur (inquit) oſtenſum eſt eam methodū, quę propria eſt artis rhetoricæ, non in commouēdis animis eſſe poſitam, neque in commemorandis eis, quæ ſunt extra cauſam, quemadmodum omnes ferè huius artis ſcriptores cenſuerunt, ſed totā in probationibus eſſe. probatio uero artificioſa nulla eſſe poteſt, niſi ex argumenti concluſione, quoniam nemo eſt qui ad credendum inducatur, niſi quando benè concluſum eſſe putat: ſed nihil artificioſe concluditur niſi per ſyllogiſmum & inductionem, quæ duo ſunt Dialecticorum inſtrumēta, quare non poterit Orator bene rationes ſuas ꝓbare niſi dialecticam artē didicerit. Quam Ariſtoteles μέθοδον uocat, Cicero conuertit docendi uiam atque rationem, ut in Oratore: Ars diſſerendi duplicem habuit docendi uiam. & paulò poſt: In omnibus quæ ratione docentur & uia primum conſtituendum quid quidque ſit. interdum etiam doctrinā interpretatur, ut in Part. Quot in partes diſtribuenda eſt omnis doctrina dicēdi. Græce πᾶσα τῆς ῥητορικῆς μέθοδος. in 2. de Orat. Quare mihi quidem uidetur nullo modo doctina iſta res poſſe tradi. Euſtrathius primo Ethicorum, Methodum ita definit: Μέθοδος δ' ἐστιν ἕξις ὁδοποιητικὴ μετὰ λόγου. ideſt Methodus eſt habitus animi, q cū rōne uiā aperit. Theodorus Gaza uiā rationemq; docēdi trāſtulit. Quintilianus duas Grāmaticæ partes facit Methodon & hiſtoriā. Methodon appellās (ut ait Budęus) quā Cicero uiā, artem, & rationē uocat. Idē Quintilianus Methodon uertit breue dicendi compendium. hinc Methodici dicuntur qui rationem artis & diſcendi compendia ſequuntur. quo nomiue uocauerunt ſe quidam medici illius Theſſali diſcipuli, ut auctor eſt Galenus libro quinto de curandi ratione. Idem Galenus totam artem medicam in duas partes diuidit, hoc eſt in μέθοδον & ἄσκησιν, quæ latine dici poſſunt uia & exercitatio, vulgo Theoricā & practicam uocant. quibus partibus omnes ferè artes utuntur, ut Methodus complectatur omnia artis præcepta, exercitatio uero præceptorum uſum. bene igitur Ariſtoteles hoc loco uocauit μέθοδον ἔντεχνον, eam artis rhetoricæ partem, qua probandi præcepta traduntur, quam quidem Dialecticæ uult eſſe ſubiectam, ſic enim ſubdit.

TEXT. *Rhetorica porrò concluſio, probatioque uocatur enthymema. hoc enim, ut uerè dicam, omnium probationum plurimum ualet. Eſt autem enthymema ſyllogiſmus ac ratiocinatio quædam. de omni uero ſyllogiſmo tractare Dialecticæ proprium eſt, uel uniuerſæ, uel certè cuiuſdam partis eius.*

COMM. Pergit id probare, quod cœperat, artem rhetoricam eſſe Dialecticæ ſubiectam. Inſtrumentum (inquit) quo Rhetores utuntur ad probandum, enthymema dicitur. ſed enthymema nihil aliud eſt quam ſyllogiſmus. at vero de ſyllogiſmo tractare propriū eſt Dialecticæ, quare etiam de enthymemate Dialectica tractabit. eſt autem hoc argumentum à genere, quod ita cōformari poteſt. Dialectica de omni ſyllogiſmo tractat, enthymema eſt ſyllogiſmus, ergo Dialectica tractat ēt de enthymemate. Quā Ariſtoteles uocat ἀπόδειξιν, quidam uertunt demonſtrationem, nos Ciceronē & Quintilianum ſecuti, concluſionem probationemq; uertimus. Cicero enim in Lucullo ſic ait: Itaque argumenti concluſio quę eſt Græce ἀπόδειξις, ita definitur, ratio quę ex rebus perceptis ad id quod non percipiebatur adducit. Quintilianus libro 5. ita ſcribit: ἀπόδειξις eſt euidens probatio, ideoque apud Geometras γραμμικαὶ ἀποδείξεις dicuntur. (cap. 10.) A. Gellius li. 17. Argumenta autem cenſebat aut probabilia eſſe debere, (cap. 5.) aut perſpicua, & minimè cōtrouerſa. idque ἀπόδειξιν uocari dicebat, cum ea, quæ dubia, aut obſcura ſunt, per ea quæ ambigua non ſunt, illuſtrantur. proprie uerò dicitur ἀπόδειξις, cum aliquid ita probatum eſt, ut de illo nihil amplius dubitari poſsit. unde ſyllogiſmus demonſtratiuus appellatur à logicis ea probatio, quæ ueram ac certam alicuius rei ſcientiam nobis induerit. quales ſunt Mathematicę demonſtrationes. Ariſtoteles igitur hoc loco non propriè ſed communiter locutus eſt. Neque enim Oratoris proprium eſt neceſſarias quærere concluſiones, licet eis aliquando utatur, ſed ei ſatis eſt probabiliter dicere, quod Ethicorum primo docet Ariſtoteles. Quod autem ait Enthymema probationum omnium plurimum ualere, docet alias ēt eſſe probationes rhetoricas pręter enthymemata. ſunt enim exempla, quæ magnam habent uim ad perſuadendum, ſunt teſtes, tabulæ, q̄ſtiones, cæteraque eius generis. ſed enthymemata uim omnium maximam habent. Quas uero πίστεις Ariſtoteles appellat, nos probationes uertimus. neque enim rectè ſentit Victorius, qui putat nos Latinum verbum nullum habere, quod huic Græco πίστις reſpondeat, ſed non aduertit, quid ſcribat Quintilianus libro quinto. (cap. 10.) Cum enim de Enthymemate, Epichiremate, Apodixi verba feciſſet, ita ſubiunxit: Hęc omnia generaliter πίστεις appellant. quod & ſi propria interpretatione dicere fidem poſſumus, apertius tamen probationem interpretabimur. Cicero tamen cum alibi, tum in Part. non ſemel fidem pro omni probationis genere uſurpat, quod Victorium non

aduertiſſe demiror, uerbum enim e verbo expreſſit Cicero, quod enim Græce πίςις id eſt latinè fides. Cicero igitur in Partitionibus cum quatuor orationis partes feciſſet, eam quæ confirmationem & reprehenſiooem complectitur, fidem appellauit. cum enim de exordio ac oarratione uerba feciſſet ſic ait: Nempe ea ſequuntut quæ ad faciendam fidem pertioent? C.P. ita eſt. quæ quidem In confirmationem & io reprehenſionem diuiduntur. & infra: Ageſis ergo: quoniam in confirmationem & reprehēſiooem diuiſeras oratioois fidem, & dictum de altero eſt, expone ounc de reprehendeodo. Fides igitur orationis ea eſt, quam Ariſtoteles πίςιν uocat, quæ omnem Rhetoricam probationem complectitur. ſicuti copioſius nos in reprehenſionibus cōtra Nizolium docuimus. Quod autem ait Ariſtoteles, de omni ſyllogiſmo tractare Dialecticæ propriū eſſe uel uniuerſæ, uel cuiuſdā partis eius, ſic eſt intelligendum; quæcunque in arte dialectica traduntut, ea omnia ad ſyllogiſmum referuntur, quod eſt totius Dialecticæ inſtrumentum. ſed tamen non ubique de ſyllogiſmo tractatur, vt in Categorijs de ſimplicibus uerbis, in Libro de Interpretatiooe tractatur de propoſitionibus, in Topicis de ſedibus argumentorū. ſed hæc tamen omnia referuntur ad libros Analyticos, in quibus agitur de omoi ſyllogiſmo. ſiquis uero didicerit artem Dialecticam, facile ptobare poterit ea, quæ ad Oratorem pertineot. hoc eſt quod concludit Ariſtoteles.

TEXT. *Non dubium eſt igitur, eum, qui perſpiciendi facultatem habet, ex quibus propoſitionibus, & quo pacto collocatis ſyllogiſmus fiat, in enthymematibus etiam acrem futurum. modo præterea intelligat, quæ ſit materia, quam tractent, & in qua uerſentur enthymemata; & quomodo à logicis ſyllogiſmis diſtinguantur.*

COMM. Cōcludit id quod propoſuerat, eum Oratorem ſibi facile magnam enthymematum copiam comparaturum, qui ſyllogiſmi naturam perceperit, atque iotellexerit, ex quibus eounciatis & quo modo diſpoſitis ſyllogiſmi confotmeutur. Sed quia nonnulla eſt inter propriam enthymematum materiā & ſyllogiſmorum differentia, oportet ut Orator Intelligat, quæ ſit enthymemati ſubiecta potiſsimum materia, & qua in re differat à logico ſyllogiſmo. ex hoc Ariſtotelis loco poteſt intelligi neminem enthymematicum fieri poſſe, hoc eſt rhetoricarum probatiooum peritum, niſi qui diſſerendi rationem perceperit. Verū ſciendum eſt ex Ciceronis ſententia triplicem eſſe diſſetendi rationē, unā præſſam & ſubtilem, quæ Dialectica dicitur: alterā eruditam & copioſam, quæ Rhetorica philoſophorum & elegans doctrina uocatur: tertiam popularem & hominum opinionibus accōmodatam, quæ rhetorica forenſis & popularis eloquentia nuncupatur. Sed tamen omnis argumentandi uis à prima illa præſſa & ſubtili manat. hāc diuiſionē ſecundo de Finibus poſuit Ciceto, cū ita ſcribit: Rhetoricè igitur nos mauis quam dialecticè diſputare. quaſi uerò perpetua oratio Rhetorum ſolū, non ēt philoſophorum ſit. Zenonis hoc eſt Stoici omnem uim loquendi (ut iam ante Ariſtoteles) in duas diuiſam eſſe partes dicere. rhetoricam palmæ, dialecticam pugno ſimilem eſſe dicebat, quod latius loquerētut rhetores, Dialectici verò compreſsius. obſequar igitur uoluotati tuæ, dicamque ſi potero rhetoricè, ſed hac rhetorica philoſophorum, nō noſtra illa foreoſi, quam neceſſe eſt cum populariter loquatur eſſe interdum paulo hebetiorem. atque hæc cauſa eſt cur Cicero Dialecticam omnium artium maximam appellet, quoniam iuſta eloquentia ſine illa acquiri nullo modo poteſt, ſic etiam ait io Bruto, ubi de Seruio Sulpitio uerba facit: Hic enim attulit, hāc artem omniū artium maximam, quaſi lucem ad ea, quæ cōfusè ab alijs aut reſpondebantur aut agebantur. Dialecticam mihi uideris dicere, inquit, rectè inquam iotelligis. atque in eodē libro de ſe loquens, ita ſcribit. Eram cū Stoico Diodoro, qui cum habitauiſſet apud me, cūque uixiſſet, nuper eſt domi meæ mortuus, à quo cum in alijs rebus tum ſtudioſiſsimè in Dialectica exercebar: quæ quaſi contracta & aſtricta eloquētia putāda eſt, ſine qua etiam tu Brute iudicaſti te illam iuſtam eloquentiam quam Dialecticam dilatatam eſſe putant, cōſequi oon poſſe. in oratore ad Brutū ita ait: Eſſe igitur pfectè eloquentis puto, non eā ſolum facultatem habere q̄ ſit eius propria fusè lateq; dicendi, ſed etiam vicinam eius atque finitimam dialecticorum ſcientiā aſſumere. Quin etiā multis alijs in locis, affirmat Cicero id quod hoc loco docet Ariſtoteles: Oratori Dialecticam eſſe neceſſariā, qđ nos multis rationibus primo Reprehenſionū libro contra Nizoliū probauimus. quāuis autem & Dialectica & Rhetorica ſint artes cōmunes, tamē Rhetorica frequentius de ijs, q̄ ad uitam & mores pertioent tractat, & de ijs, quæ ad rerū publicarū adminiſtrationes, vnde ciuilis ſcientiæ partem & Ariſtoteles & Cicero putant eam eſſe. hoc igiĩ ſcire debet Orator, rhetoricę facultatē in ciuilibus q̄ſtionibus potiſsimū uerſari. debet ēt Orator ſcire, qūo enthymemata à demonſtratiuis ſyllogiſmis differant. quos enim Ariſtoteles uocat λογικοὺς συλλογισμοὺς, nos demonſtratiuos ſyllogiſmos interpretamur, de quibus in libris poſteriorū tractat Ariſtoteles. atq; hāc eſſe huius loci ſnīam facile ex ijs, q̄ ſequunĩ ītelligi p̄t. nā tria sūt genera ſyllogiſmorū, vnū quo vera tantū ac neceſſaria colligūtur, qđ eſt omniū p̄ſtantiſsimum, & ἀποδεικτικὸς, καὶ ἐπιστημονικὸς, καὶ λογικὸς συλλογισμὸς appellatur, de quo in libris poſteriorū agitur. alterum quo uerisimilia tantū ac probabilia colligūtut, & διαλεκτικὸς συλλογισμὸς dicitur, de quo in Topicis. Tertiū quo colligūtur ea, q̄ veriſimilia quidem uidentur, ſed tamen non ſunt veriſimilia, & vocatur σοφιστικὸς συλλογισμὸς de quo agiĩ in Elenchis. Orator uero q nō tātū ea q̄ uera ſunt ac neceſſaria q̄rit, quātū ea quæ pbabilia ſunt, primū illud argumeotandi genus relinquit, duo poſteriora cōplectitur. quatenus igiĩ ad materiæ qualitatē Enthymema nihil differt à Dialectico atq; à Sophiſtico ſyllogiſmo, qm̄ enthymemate

memate fere concluduntur ea, quæ uel uerisimilia ſunt, uel eſſe uidentur. ſed à demonſtratiuo ſyllogiſmo plurimum differt, quoniam demonſtratiuus ſyllogiſmus uera tantũ & neceſſaria colligit, enthymema uero plerumque uerisimilia tantum & quæ uidentur eſſe uerisimilia. Sed qui uerũ colligere demonſtratiuo ſyllogiſmo didicit, is facile poterit etiam enthymemate quod uerisimile eſt colligere.

TEXT. *Eiuſdem enim facultatis eſt, & quid uerũ, & quid uerisimile ſit, intelligere.*

COMM. Hæ facultates,(inquit) inter ſe ſũt affines & cognatæ, ut qui ſolerti ingenio uerũ inueſtigare põt, ẽt quid ſit uerisimile poſsit agnoſcere. nã ita natura cõparatum eſt, ut q quod difficilius eſt efficit, is ẽt quod eſt facilius efficiat. Victorius hoc loco δύναμιν, non vult diſciplinam accipere, ſed facultatẽ ingenij. ſed meo quidem iudicio, fallitur. cum hic Ariſtoteles non de ingenio agat, ſed de facultate diſſerendi quæ diſciplina comparatur. nã ſupra dixit, eum, qui cognouerit ex quibus propoſitionibus & quo pacto collocatis ſyllogiſmus fiat, maximè enthymematicũ futurum, ubi ſanè de diſciplina ſentit. neq; enim quiſquã ſcire poteſt ꝓpoſitiones & argumentandi formulas, niſi qui didicerit, ẽt ſi ingenio polleat. qđ antè ait hoc loco quaſi corollarium eſt eius quod ſupra dixerat, quin ea conſuetudo eſt Ariſtotelis ut Dialecticã & Rhetoricã δυνάμεις appellet, nam infra ſic Rhetoricam definit: ἔστω δ' ἡ ῥητορικὴ δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν. quæ nos ita vertimus; Eſt igitur Rhetorica, uis quædam ac facultas inueniẽdi quid in quaque re ſit ad perſuadendum accommodatũ. nã Quintilianus δύναμιν interpretaẽ uim. ſic enim
cap. 15. ait libro ſecundo: Quod ego uim appello, pleriq; poteſtatẽ, nonnulli facultatem nocant, quæ res ne quid adferat ambiguitatis uim dico τὴν δύναμιν. Cicero uim ac facultatem uertit, ut nos eum imitati fecimus. nã in primo de Oratore ſic ait: cũq; eſſet omnis oratoris uis ac facultas in quinq; partes diſtributa, ſæpiſsimè etiam dicendi facultatem ait. & oratorũ facultas, nonnunquam ẽt coniungit artẽ & facultatem, ut primo de Orat. Qui in aliqua arte & facultate excellit.

TEXT. *Huc accedit, quòd homines ipſi à natura ad ueritatem ſatis informati ſunt; & in maiori rerum parte ueritatem conſequuntur. quapropter eiuſdem hominis eſt, qui ad uerum conijciendum aptus ſit, etiam ad res probabiles ita ſe habere, ut facile eas indagare queat.*

COMM. Duplex adiumentum(inquit) habent homines ad inueſtigandam ueritatem, hoc eſt artem & naturam. facultas enim logica docet uerũ à falſo diſtinguere, cuius qui imperitus eſt facile decipitur. ſic enim apud Ciceronẽ Cato 3. de finibus, Quemuis arbitramur ſine hac arte facile à uero abduci falliq́ue poſſe. & in Academicis Cicero Dialecticã ueri & falſi quaſi diſceptatricem, & iudicẽ appellat. Tuſcul. 5. uera & falſa diiudicat diſſerendi ratio & ſciẽtia. Natura deinde multũ homines adiuuat in ueri inueſtigatione. quamuis Democritus dixerit ueritatẽ in profundo merſã eſſe. Empedocles abſtruſa eſſe oia, nihil nos ſentire, nihil cernere, nihil omnino quale ſit poſſe reperire. Anaxagoras falſum eſſe ſenſuum iudicium, niuemq; nigram eſſe. deniq; plurimi Philoſophi fuerunt, qui dicerent nihil omnino percipi poſſe, qui ideo ſceptici dicti ſunt, qđ de rebus omnibus dubitarẽt. quorum ſectam etiã Cicero ſecutus eſt, & hanc ſententiam in Lucullo copioſè defendit. ſed Ariſtoteles de humano genere longè melius ſenſit. quod niſi prauis opinionibus abſtraheretur à ueritate, facile poſſet eam aſſequi. nam in primo libro de Moribus ad Eudemũ, ait homines ſingulos in ſe aliquid habere quod ſit ad ueritatem accommodatũ, quamuis eam perfectè nequeant intueri. eius hæc ſunt uerba: ἔχει γὰρ ἕκαστος οἰκεῖόν τι πρὸς τὴν ἀλήθειαν. quin etiam in minore primo diuinæ philoſophiæ, ueritatis cognitionem partim eſſe difficilem partim autem facilem ait. cuius rei dicit illud argumentum eſſe, quod nemo illam perfectè poteſt aſſequi, neq; tamen nllus eſt qui ab ea penitus repellatur. neq; quiſquam eſt qui nõ aliquid de natura rerum commode diſſerat. Sed tamen de eo dubitari poteſt qđ ait Ariſtoteles hoc loco: homines à natura ad ueritatem ſatis informatos eſſe. cũ longiori tempore ſint omnes imperiti quã bene intelligentes, & pauci cognitionem ueritatis aſſequantur. Verum ſciẽdum eſt duobus modis ueritatis cognitionem intelligi poſſe. primò quod ad humanas actiones & mores ac vitã attinet, quibus in rebus ꝓcipuè rhetorica uerſatur, atq; hoc modo pleriq; homines ueritatẽ agnoſcunt, quæ eadem eſt cum iuſtitia generali. hanc ueritatem ſecutus eſt Socrates, cum rerũ naturalium cognitionẽ deſperaſſet. itaq; primus e cælo dicitur Philoſophiam deuocaſſe, & de vita ac moribus diſputaſſe. vnde Cicero Socratem uirum bonum & ſimplicis veritatis amicum appellat. De hac ueritate primo de officijs ſentit Cicero, cũ ait: Sunt his alij multũ diſpares ſimplices & aperti veritatis cultores, fraudis inimici. nã (vt dixi) hęc ueritas eadẽ eſt cũ iuſtitia. Vnde Quintilianus libro *cap. 1.*
ſexto: Non admittit hoc idem ueritas fori. & ſequẽti capite: Illis ineſt uis mentis, & ueritas ipſa morũ. Cicero quoq; ſæpe in hac ſignificatione ueritatem vſurpat, vt libro epiſtolarum 13. ad Acilium: Neque id ambitione adductus facio, ſed tum familiaritate & neceſsitudine, tum etiam ueritate. & 3. de Offi. Cum ad veritatem cæpi reuocare rationẽ. Quare ſæpe etiam uerum pro iuſto & honeſto ponitur: Horatius primo Epiſtolarum ad Męcen.

Metiri ſe quemq; ſuo modulo ac pede verum eſt.

Virgilius 12. Aen. me uerius vnum.
Pro vobis fædus luere, & decernere ferro.

Sic etiam Cicero pro Murena: negat verum eſſe allici beneuolentiam cibo, & pro Domo ſua; Sed quid ad te, qui neges eſſe uerum quemquam vlli Reip. extra ordinem præfici? ad hanc igitur ueritatem quæ in uita & moribus uerſatur, homines à natura ſatis informati ſunt. vnde ſicuti initio dictum eſt, omnes homines Rhetoricæ ſunt aliquo

modo participes. altero modo cognitio neritatis dicitur ea quæ in rebus obſcuris atque ab ipſa natura inuolutis uerſatur, & in cauſis rerum naturaliũ inueſtigandis, quam licet multi deſiderent, pauci tamen aſſequuntur. atque ij ſapientiſsimi & prudentiſsimi uocantur. ut enim quiſque (ait Cicero. I. de Offi.) maximè perſpicit, quid in re quaq; uerisſimum ſit, quiq; & acutiſsimè & celerrimè poteſt uidere & explicare rationem, is prudentiſsimus & ſapientiſsimus rite haberi ſolet. ad hanc etiam neritatis cognitionẽ ipſa natura homines allicit, ut Ariſtoteles in principio librorum de prima Philoſophia tradit. & Cicero primo de offi. his nerbis: Ex qnatuor antẽ locis in quos honeſti naturam vimq; diuiſimus, primus ille qui in ueri cognitione conſiſtit, maximè naturam attingit humanam. omnes enim trahimur & ducimur ad cognitionis & ſcientię cupiditatem, in qna excellere pulchrum pntamus. quam cupiditatem ſecundo Georgicorum ſic expreſsit Virgilius.

Me uerò primum dulces ante omnia muſæ
Quarum ſacra fero ingenti perculſus amore
Accipiant cæliq; vias & ſidera monſtrent
Defectus ſolis uarios, lnnæq; labores.

& quæ ſequuntur. ſed hæc quæ latent homines ſi illis quæ nota ſunt conferantur, pauca ſunt, ideo ſubiungit Ariſtoteles; homines in maiori rerum parte ueritatem conſequi. Quo circa non eſt dubium, quin ille qui fuerit exercitatus in uero inueniendo, facile poſsit etiam illa reperire quæ probabilia ſunt, & ueri ſimilitudinem habent. Itaque concludi poteſt, eum, qui multum in Arte Rhetorica cupit excellere, oportere, diſſerẽdi rationem benè pcipere.

TEXT. *Iam igitur cur ij, qui de Arte dicendi ſcribunt, quæ ſunt extra cauſam perſequuntur, & cur ad iudiciale genus magis inclinarunt, ſatis oſtenſum eſt.*

COMM. Ea breuiter repetit, quæ ſuperiori diſputatione declarata ſunt. quæ quidem duo fuerunt. nam primò docuit artis ſcriptores ea tantũ tradidiſſe quę ſunt extra cãm poſita, cauſasq; attulit cur id fecerint. deinde etiam explicuit, cur relictis deliberationibus, q̃ rhetoricæ pars honeſtior eſt ac ſplendidior, ſe totos iudicialibus controuerſijs applicuerunt. cum autem dicat, magis inclinarunt, oſtendit ab eis deliberatiuum genus non penitus fuiſſe prætermiſſum, ſed eos in iudiciali magis elaboraſſe, quod etiam Ciceronem & Quintilianum apud nos feciſſe uidemus. Credo quia lõgè frequentius cauſæ forenſes tractarentur ab oratoribus, qnàm ſententiæ dicerentur. Quod Ariſtoteles πρὸς τὸ δικολόγειν dixit, nos ad iudiciale genus conuertimus. Eſt antem δικολόγειν proprie cauſam dicere. quod fit in iudicijs. nã δίκη cauſa eſt quæ apud iudicem agitur. quo uocabulo utitur etiam Cicero, ut dicas ſortiri ideſt ſortitione cauſas cognoſcere. 4. in Verr. Id ei poſtera die uenit in mentem è lege Rupilia ſortiri dicas oportere. & ibidem ſcribitur Heraclio dica. ponitur etiam δικολόγειν, pro eo qđ eſt declamare ad iudiciorum ſimilitudinem, quod Iſocrates faciebat, ut infra ait Ariſtoteles.

TEXT. *Vtilis eſt autem Rhetorica propterea ꝙ res ueræ ac iuſtæ natura meliores ac potentiores ſunt, quam contraria. quod ſi non rectè iudicia exerceantur; neceſſe eſt eas à falſis & iniquis ſuperari. hoc autem uituperatione ac reprehenſione dignum eſt.*

COMM. Antequam incipiat de arte dicendi uerba facere probat eam utilẽ eſſe, quod etiam primo Topicorum libro fecit, cum artem inueniendi traderet. Vbi Alexander Aprhodiſiẽſis factum Ariſtotelis nehementer probat. nam qui norunt quam utilitatem & quos fructus ex arte aliqua reportare poſſunt, ij longè fiunt alacriores ad eius præcepta pdiſcenda. Quatuor igitur rationibus Ariſtoteles hoc loco probat utilem eſſe Rhetoricam, primò ab artis ipſius officio uel effectu, deinde ab auditorũ perſona, tum ab aliarum artium comparatione, poſtremo à pſona ipſius oratoris. prima igitur ratio ducitur ab officio ipſius artis, quod eſt, ita accommodatè ad perſuadendum dicere, ut rectè iudicia exerceantur, & res ueræ ac iuſtæ defendantur. Cũ enim ita natura comparatum ſit, ut quæ uera ſunt ac iuſta multo meliora ſint quam contraria, debemus ẽt omni conatu contendere, ne ea prauis iudicijs euertantur, & ne a falſis & iniquis rebus ſuperentur. hoc enim eſſet magnopere uituperandum & animaduerſione dignu. ſed ars dicendi ſola hoc efficere poteſt, ut rectè iudicia exerceantur, & res ueræ ac iuſtæ cõſeruẽtur, falſæ autẽ & iniquę repellantur. ualde igitur ntilis eſt Rhetorica. hoc primũ eſt argumentũ. qđ Craſſus primo de Oratore adhibitis oratorijs ornamentis ampliauit. Quid tã potẽs tamq; magnificũ quam populi motus, iudicum religiones, ſenatus grauitatem unius oratione cõuerti? quid tã porrò regiũ, tam liberale, tã munificũ quã opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutẽ, liberare periculis, retinere homines in ciuitate? & M. Antonius ſecundo de Orat. eadem (inquit) facultate frans hominum ad perniciem, & integritas ad ſalutem uocatur. quis cohortari ad uirtutem ardentins? quis à uitijs acrius reuocare? quis nituperare improbos aſperius? quis laudare bonos ornatius? quis cupiditatẽ uehementius frãgere accuſando põt? quis mœrorẽ leuare mitius cõſolando? Qđ autẽ res ueræ ac iuſtæ ſuperentur à falſis & iniquis niſi rectè iudicia exerceãtur, ſatis intelligi põt ex caſu Socratis, qni cũ eſſet uir innocẽtiſsimus, capitis tamẽ condẽnatus fuit, nullam aliam ob cauſam niſi propter dicendi inſcitiã, ut primo de Oratore Cicero teſtatur. Valet igitur rhetorica cũ ad declinãdam ignominiam, tum ad euitanda pericula, quia benè dicendo iudicia diriguntur, ut rectè atque ordine fiant. & quod uerum ac iuſtum eſt, obſeruetur.

TEXT. *Præterea apud quoſdã homines, ẽt ſi exquiſitã ſciẽtiam haberemus, non facile eſſet argumentis, ab ea ductis, dicendo perſuadere. quæ enim à ſcientia proficiſcitur oratio, munus, operamque doctoris requirit; quod in perſuadendo fieri non poteſt. ſed omnem probationem & orationem à communibus ac probabilibus ducere opus eſt. ut in Topicis etiam diximus, cum docere*

mus

mus quomodo cum imperita multitudine congrediendum ſit.

COMM. Hæc eſt ſecunda ratio, quam ab anditorum perſona trahit. nam ij apud quos Orator nerba facit, plerunque ſunt imperiti; neq; in ulla ſciẽtia exercitati, quare licet aliquis eſſet in cæteris artibus & ſcientijs eruditus, Rhetoricã uero non teneret, tamen nullo modo poſſet id quod uellet perſuadere. nam ſi argumentis ab alia ſcientia quam à Rhetorica dnctis uteretur, ut à Philoſophia, uel Mathematicis diſciplinis, nemo imperitorum ea intelligeret, itaq; fruſtra argumentaretur. neq; enim ars ulla reconditarum ſine duce ac præceptore percipi poteſt, at cum aliquid perſuademus, eis uti argumentis debemus, quæ ab omnibus intelligantur, alioqui non poterimus id quod uolumus aſſequi. ſunt autem huiuſmodi argumenta illa quæ dncuntur à communibus & probabilibus, ſicuti declaratum eſt in Topicis. hæc Ariſtoteles. ad quorum intelligentiam ſciendum eſt, eſſe artes quaſdam & ſcientias proprias quæ certo quodam in genere uerſantur, & definitam habent materiam ut Arithmetica numeros, medicina morbos & uulnera, Philoſophia naturalis rerum cauſas, quæ ſcientiæ longum uſum & exercitationem requirunt, neque intelligi poſſunt, niſi ab eis qui ſunt illarum periti. quare ſiquis de illis coram imperita multitndine diſputaret, à nemine intelligeretur. neque poſſet aliquid per eas perſuadere. non igitnr concionibus & iudicijs aptæ ſunt. Verum duæ ſunt, quæ communes artes uocantur, quia de rebus omnibus communiter & ad uulgarem intelligentiam diſſerunt, neque nllam propriam ant certam materiam habent, in qua uerſentur, hoc eſt dialectica & rhetorica quibus uti poſſumus etiam apud imperitos. ſed quia dialectica præſsius & ſubtilius, rhetorica latius & copioſius diſputat, ideo fit ut rhetorica multò ſit aptior apud multitudinem quam dialectica. quã diſtinctionẽ Cicero in procemio librorũ de Oratore, ſic optimè expreſsit: quia cæterarũ artium ſtudia ferè reconditis atque abditis è fontibus hanriuntur, dicendi antẽ omnis rõ in medio poſita, cõi quodam in uſu, atq; in hominũ more, & ſermone uerſatur, nt in cæteris id maximè excellat, quod longiſsimè ſit ab imperitorum intelligentia ſenſuq; diſiunctum, in dicendo autẽ uitiũ uel maximũ ſit, à vulgari genere orationis, atq; à

1. de Ora. cõſuetudine cõis ſenſus abhorrere. Craſſus ẽt poſtea ſic ait: ſunt enim uaria & ad vulgarẽ popularẽ q̃ne ſenſum accõmodata oĩa genera huius forẽſis noſtræ dictionis. & M. Antonius ſecũdo de Orat. Nã & apud eos dicimus qui neſciũt, & ea dicimus quę neſcimns ipſi. itaq; & illi alias aliud ijſdẽ de rebns & ſentiũt, & iudicant. nõ proſunt igitur apud imperitos exqniſitæ ſcientiæ, niſi quis eas dicendi arte & facnltate ad cõem intelligentiã traducat. rõ eſt, quia tales ſcientię præceptore indigent qui eas doceat, neqne ab omnibus intelligũtur. citat aũt locum ex Topicis ubi docet communibus & ueriſimilibus argumentis agendum eſſe cum multitudine, quæ ſubtilium rationnm non eſt capax. locus autem eſt in octauo Topicorum.

TEXT. *Iam uero etiam opus eſt, res contrarias dicendo perſuadere poſſe; quemadmodum in ſyllogiſmis ac diſſerẽdi ratione fieri ſolet: non quidem ut utrunque faciamus, neque enim, quæ mala ſunt, perſuadere oportet; ſed ne lateat nos, quomodo hoc fieri poßit; & ſiquis huiuſmodi oratione non iuſtè utatur, eam refellere ualeamus.*

Tertia ratio qua probat utilem eſſe rhetoricã, COMM. quia docet in contrarias partes copioſè diſputare & contraria dicendo perſuadere. quod ſanè eſt perutile. non quidem ut in dicendo nobis ipſis contradicamus, neque ut quæ mala ſunt & iniuſta perſnadeamus, hoc enim eſt improbi hominis. nos autem oratorem bonum uirum eſſe uolumus, ſed ne quiſquam nos decipere poſsit, & artem intelligamus, qua rationes aduerſariorum uitioſas refellamus. fuerunt autem quidam qui rhetoricam & dialecticam ideo uituperarent, ꝙ ſępe ſibi ſunt contrariæ, & quod deſtruunt id quod effecerint, & ꝙ dicenda & non dicenda pręcipiant. Vnde Socrati obijciebant comici ueteres, docere eum qnomodo peiorem cauſam, meliorem faceret. denique tũ maximè dicunt uſum eſſe rhetoricæ, cum pro falſis contra ueritatem quis dicit. quibns rationibns motus Quintilianus ait, uix ex admirabili quodam caſu accidere poſſe, ut ex utraq; parte Orator dicat. 2. ca. 17. Verum M. Antonius ſecundo de Oratore frequẽter hoc accidere cenſet, ut Orator contrarias cauſas dicat, ſic enim ait: & nos contrarias ſępe cauſas dicimus, non modo, ut Craſſus contra me dicat aliquando, aut ego contra Craſſum, cum alterutri neceſſe ſit ſalſum dicere, ſed etiã ut uterque noſtrum eadem de re alias aliud defendat. Idem M. Antonius, ut ſcribit Val. Max. lib. ſeptimo dicebat ideo cap. 3. ſe nullam orationem ſcribere, ut ſi quando opus eſſet, contra ea quæ antea defendiſſet, dicere poſſet. & Craſſus primo de Orat. diſputandum eſt (inquit) de omni re in contrarias partes. quod etiam tertio de Oratore repetit, his quidẽ uerbis: in quibus de unſuerſo genere in utrãq; partem diſſeri copioſè licet. quæ exercitatio nunc propria duarum Philoſophiarũ (de quibus ante dixi) putatur. apud antiqnos erat eorum à quibus omnis de rebus forẽſibus dicendi rõ & copia petebatᷓ. de uirtute. n. de officio, de æquo & bono, de dignitate, honore, ignominia, p̃mio, pęna, ſimilibusq; de rebus in vtranq; partẽ dicendi, animos, & vim, & artẽ habere debemns. hanc igitur rõnem diſſerendi in contrarias partes docebat Ariſtoteles, atq; in ea adoleſcẽtes exercebat. qđ ait Plntarchus in Alexãdro. cum enim aliquando Caſſander Antipatrũ patrẽ ſuũ cõrã Alexandro defenderet, & Alexãdri argumẽta q̃bus illũ affinẽ eſſe culpæ ꝓbarat refelleret, cognito artificio ſubriſit Alexãder, dixitq;. hęc eſt illa fallax Ariſtotelis in vtrãq; partẽ diſputãdi rõ. neq; tñ tũ hoc in rhetorica faciebãt, ſed ẽt in dialectica. atque hoc eſt quod ait Ariſtoteles, quemadmodum in ſyllogiſmis ac diſſerendi ratione fieri ſolet. Alexander

xander Aphrodiſienſis primo Topicorum, ubi ait Ariſtoteles eam artem utilem eſſe πρὸς γυμνασίαν, ſcribit fuiſſe conſuetudinem ueterum ut in utranque partem diſputarent. conueniebant enim in ali quem locum, atque ibi poſita quæſtione quid ex utraque parte dici poſſet accuratè quærebant, atq; ita ingenium exercebant, ut poſtea cum opus eſſet; prompto animo diſputarent. non tamen (inquit Ariſtoteles) hoc ideo diſcere debemus, ut deinde utrumque faciamus, hoc eſt, ut tam quod iniquum eſt, quam quod æquum defendamus, neque enim probi hominis eſt, ea perſuadere conari quæ ſunt iniuſta, ſed ut artem percipiamus, & ne ab aduerſarijs noſtris decipiamur. hunc locum libro duodecimo eleganter & copioſe Quintilianus ita expreſsit: pertractare enim quo modo aut pro falſis, aut etiam pro iniuſtis aliquando dicatur, non eſt inutile, uel propter hoc ſolum ut eas facilius & deprehendamus, & refellamus. quemadmodum remedia melius adhibebit, cui nota quæ nocent fuerint. neque enim Academici cum in utramque diſſerunt partem, non ſecundum alteram uiuunt. neque Carneades ille qui Romæ audiente Cenſorio Catone non minoribus uiribus contra iuſtitiam dicitur diſſeruiſſe, quã pridie pro iuſtitia dixerat, iniuſtus ipſe uir fuit. Verum & uirtus quid ſit, ad uerſa ei malitia detegit, & æquitas fit ex iniqui cõtemplatione manifeſtior, & plurima cõtrarijs probantur. debent ergo Oratori ſic eſſe aduerſariorũ nota conſilia, ut hoſtium imperatori. in hac autem arte diſputandi in contrarias partes mirifice Carneades excelluit, de quo ita M. Antonius ſecundo de Orat. Carneadis uero uis incredibilis illa dicendi, & uarietas per quam eſſet optanda nobis, qui nullam unquam in illis ſuis diſputationibus rem defendit, quam non probarit, nullam oppugnauit, quam non euerterit.

cap. 1.

TEXT. *Ex alijs autem artibus nulla eſt quæ in contrarias partes diſſerat, uerum Dialecticæ ac Rhetoricæ tantũ hoc proprium eſt. ambæ enim eodem modo in utranq; partem diſſerunt, & contraria colligunt.*

COMM. Cum oſtendiſſet utile eſſe diſputare in utranq; partem, nunc docet id proprium eſſe Dialecticę ac Rhetoricę, cum præter has duas artes nullæ ſint aliæ quæ contraria colligant: ſed hæ duæ pariter non magis in hanc quam in illã partem inclinant, & tam contra ueritatem, quam pro ueritate certãt. Itaque quoties aliqui diſputant in contrarias partes id uel Dialecticè, uel Rhetoricè faciunt. & Dialecticè quidem ferè per interrogationem, ut apud Platonem pluribus in locis Socrates. Rhetoricè uero per continuam orationem, quod Cicero facit in libris de Finibus, de Natura Deorum, de Diuinatione, primo de Oratore.

TEXT. *Sed tamen res, quæ his artibus ſubiectæ ſunt, non eodem modo ſe habent. ſemper enim, quæ ueræ, ac meliores natura ſunt, illæ facilius etiam probantur, & perſuadentur. dico autẽ ut generatim, & plerunq; fit.*

COMM. Quia dixerat propriũ eſſe Dialecticæ atq; Rhetoricæ in utranq; partem diſputare, ne quis fortaſſe exiſtimaret, nullã in rebus eſſe differẽtiam, ſed omnes æqualiter in utranque partem eſſe probabiles, nunc oſtendit magnam in rebus eſſe differentiam. quamuis oratoris & Dialectici facultas hoc polliceatur, de omnibus rebus in contrarias partes diſputare. tamen ſemper uerior, & melior pars facilius defenditur, & pluribus argumentis abundat. ut exempli gratia ſi Dialecticus aut Orator paratus ueniat ad improbãdam iuſtitiam, quod apud Platonem Thraſymachus & Glauco faciunt. & alius contra ueniat ad eandem iuſtitiam defendendam, quamuis ille qui iuſtitiam improbat multa argumenta colligat, & ſtrenuè ſuam ſententiam tueatur, tamen quia cauſam urget iniquiorẽ, longè magis laborabit, quã is q̃ iuſtitiã defendit, hæc enim æquior cauſa eſt. quare non æqua conditio eſt in rebus, ſed ille ſemper magis laborat, qui uel falſi, uel iniqui patrocinium ſuſcipit, quam qui ueri, aut æqui. locutus eſt autem Ariſtoteles accuratè. nam cum de Dialectica & Rhetorica uerba faciat, res etiam duplices eis attribuit, quę uerę ſunt, & quæ meliores. nam ueræ ad Dialecticam pertinent, meliores ad Rhetoricam. deinde uerba etiam accommodauit, probantur, & perſuadentur. nam probare dialectici eſt, perſuadere autem oratoris. deinde correctionem adiungit, nempe ſe loqui de eo quod generatim & plerunque fieri ſolet. ſunt enim quidã adeo deprauati, ut plus apud eos mendacium ualeat, quã uera ratio. de quibus ita Cicero in Partitionibus: Et quoniã nõ ad ueritatem ſolũ, ſed ẽt ad opiniones eorum qui audiunt accommodanda eſt oratio, hoc primum intelligamus, hominum duo eſſe genera, alterum indoctum & agreſte, quod anteferat ſemper utilitatem honeſtati, alterum humanũ expolitũq;, quod rebus omnibus dignitatẽ anteponat. facile igitur fieri põt, ut homines uoluptarios magis capiat oratio quæ ad uoluptates adhortetur, quã quæ ad temperantiam. & ſæpe apud imperitos homines res falſæ facilius creduntur quam ueræ. maiori tamen ex parte uerũ eſt qđ ait Ariſtoteles hoc loco, res ueras & meliores facilius probari & perſuaderi quam contrarias. Vt difficilem ſemper cauſam habeant, qui uel à mendacio contra ueritatem, uel ab iniuſtitia contra æquitatem ſtare nolunt.

Præterea ſi turpe eſt homini, non poſſe ſibi ipſum corpore opitulari; multo turpius erit, oratione ſe defendere non poſſe, quæ magis, quàm uſus corporis, hominis propria eſt. TEXT.

Quarta ratio ſumitur ab ipſius oratoris pſona. nã utile eſt ſeipſum oratione poſſe defendere. qđ cũ ars rhetorica præſtet, erit omnino utilis. utitur aũt argumento à comparatione ſumpto. qui ſe, inquit, robore corporis tueri non poteſt, & vim vi repellere, qđ iure naturali conceditur, is paſsim tanquã ignauus & timidus contemnitur, quæ res illi magnam adfert ignominiam. quanto igitur magis ille contemnendus eſt, & infamia notandus, qui ſe nõ poteſt oratione defendere? cũ præſertim oratio ſit hominis magis propria, quam uſus corporis. COMM.

corpus enim nobis commune cum belluis eſt, oratio uero ſolius hominis eſt propria. quo fit ut primo Politicorum Ariſtoteles hac ratione probet hominem ex omnibus animantibus maximè ciuilem eſſe, quod ſolus utatur oratione, quæ ſemper, ad aliquem alium habetur. hunc locum primo de Oratore ita Craſſus expreſsit: Quid eſſe poteſt in ocio aut iucundius, aut magis proprium humanitatis, quam ſermo facetus, ac nulla in re rudis? hoc enim præſtamus uel maximè feris. quod colloquimur inter nos, & quod exprimere dicendo ſenſa poſſumus. quam obrem quis hoc non iure miretur, ſummeque in eo elaborandum eſſe arbitretur, ut quo uno homines maximè beſtijs præſtent, in hoc hominibus ipſis antecellat? & paulo ſuperius ea dixerat quæ maxime ad hunc Ariſtotelis locũ faciunt: quid autem tam neceſſarium quam tenere ſemper arma, quibus uel tectus ipſe eſſe poſsis, uel prouocare improbos, uel te ulciſci laceſsitus? in procemio etiam librorum de Inuentione ſic ait: Ac mihi quidem uidentur homines, cum multis rebus humiliores & infirmiores ſint, hac re maxime beſtijs præſtare quod loqui poſsint. quare præclarum mihi quiddam uidetur adeptus is, qui, qua re homines beſtijs præſtent, ea in re hominibus
cap.16. ipſis anteceIlat. & Quintilianus libro ſecundo: Et hercle (inquit) Deus ille princeps, parens rerum ſabricatorq; mundi nullo magis hominem ſeparauit à cæteris, quæ quidem mortalia eſſent animalibus, quam dicendi facultate. & quæ ſequuntur. pluribus enim uerſibus hanc rem eleganter perſequitur. quod autem turpe ſit non poſſe ipſum ſibi corpore opitulari, declarat Numanus ille apud Virgilium qui ita Troianos inuadit:

Non pudet obſi dione iterum, valloque teneri
Bis capti Phryges, & morti prætendere muros?

Declarãt honores & p̃mia fortium virorum, & cõtra dedecus & infamia eorum qui uel ordinem in bello deſerunt, uel clypeum abijciunt. ſic etiam infantes atque imperiti uiri contemnuntur. at uero per eloquẽtiam, & ſibi & amicis certiſsimum ac tutiſsimum præſidium comparatur.

TEXT. *Quod ſiquis obijciat, maxima incommoda eum importaturum, qui iniuſte hac dicendi facultate utatur: hoc iam commune eſt, cum alijs bonis omnibus, præter uirtutem; & cum eis præcipue, quæ maximas utilitates adferre ſolent; ut cum fortitudine corporis, cum bona ualetudine, cum diuitijs, cum arte imperatoria: quibus ſi iuſtè quis utatur, plurimum prodeſſe, ſin iniuſtè, non mediocriter obeſſe poteſt.*

COMM. Nunc refellit ea quæ cõtra dici poſſunt, & vno quidem argumento, ſed firmiſsimo. fuerunt enim quidam, qui dicendi facultatem uehementer improbarent, quoniam ſæpe accidit, ut per eam improbi ciues maxima damna ciuitatibus adferant. quod etiam Cicero primo de Inuentione teſtatur, his quidem uerbis. Nam & cum noſtræ Reip. detrimenta cõſidero, & maximarum ciuitatum ueteres animo colligo calamitates, non minimam uideo per diſertiſsimos homines inuectam partem incõmodorũ. ideo quidam nõ artem eſſe Rhetoricam ſed κακοτεχνίαν, id eſt prauitatẽ artis, ut uertit Quintilianus. & Lacedæmonij ciuitate ſua Rhetoricã expulerunt. & Socrates eandem facultatem inſectabatur, & Areopagitæ mouere animos prohibebant, à quibus uidetur quaſi reciſa orãdi poteſtas. ſed quamuis aliqui hac dicendi facultate iniuſtè utantur, non ideo tamen (inquit Ariſtoteles) eſt improbanda, neque enim in ipſa arte uitium eſt, ſed in eo qui malè utitur. nam (ut ait Cor. Gallus) Non res in uitium ſed male facta cadunt.

Alioqn ẽt oĩa alia bona pręter uirtutem, eſſent dãnanda, quoniam malè eis uti licet. quis enim neſcit quatuor eſſe bona quæ maximas adferunt utilitates, fortitudinem corporis, bonam ualetudinẽ, diuitias, artem imperatoriam? tamen ſiquis eis iniuſtè uoluerit uti, nõ eſt dubium quin maxima detrimenta ſit importaturus. Quare non debemus hanc artẽ ſicuti neq; alia bona dãnare, quamuis aliquis male poſsit eis uti, ſed eos homines uituperare, qui huiuſmodi rebus abutuntur. Cicero primo de Inuentione quęſtionẽ hanc ita concludit: Quare meo quidem animo nihilominus eloquẽtiæ ſtudendum eſt, & ſi ea quidam & priuatim & publice peruersè abutuntur: ſed eo uehementius, ne mali magno cum detrimento bonorum, & communi omnium pernicie plurimum poſsint. Quintilianus libro ſecundo, locum hunc Ariſtotelis ita expreſsit: Quo quidem modo nec duces erunt utiles, nec magiſtratus, nec medicina, nec ipſa demũ ſapientia. nam & Dux Flaminius, & Gracchi, Saturnini, Glauciæ magiſtratus, & in medicis venena. & in ijs q̃ philoſophorum nomine malè utuntur, grauiſsima nonnunquam flagitia deprehenſa ſunt. Cibos aſpernemur, attulerunt ſæpe ualetudinis cauſas. nunquam tecta ſubeamus, ſuper habitãtes aliquando procumbunt. non fabricetur militi gladius, poteſt uti eodem ferro latro. Quis neſcit ignes, aquas, ſine quibus nulla ſit uita, & (ne terrenis immorer) Solem, Lunamque præcipua ſiderũ, aliquando etiam nocere? Quod autem Ariſtoteles uirtutem ſolam excipit, qua non licet malè uti, hoc in ea quidem uirtute quæ ad mores ſpectat uerum eſt, ea enim in rectis tantum actionibus proſpicitur, ſed nõ in ea q̃ intellectualis dicitur, ſi propter eam ſuperbus atque arrogans fiat. Quintilianus li
bro quinto, utitur hoc ſyllogiſmo: Solum bonum cap.14.
uirtus. nam id demum bonum eſt, quo nemo malè uti poteſt. uirtute nemo male uti poteſt, bonum eſt ergo uirtus. fuit autem hæc opinio Stoicorum ut exiſtimarent, nihil omnino præter uirtutẽ eſſe bonũ. ut tertio de Finibus Cato copioſè diſputat. uerum ſciendũ eſt, ex Platonis diuiſione tria eſſe rerũ genera hoc eſt per ſe bona, per ſe mala, & media. per ſe bona dicuntur uirtutes ipſæ, quæ ita bonæ ſunt, ut nunquam malæ eſſe poſsint. itaque ſolæ per ſe dicuntur expetendæ. per ſe mala ſunt uitia & prauitates animi, quæ nunquam in bona conuerti poſſunt, unde ſola per ſe fugienda ſunt. Media uocantur ea quibus uel be-

nè, uel malè uti licet. e quorum numero quia plurima ſunt, quæ magnam hominibus utilitatem adferunt, ideo Peripatetici atque Academici bona illa uocare non dubitarunt, ut artes pleræque, ut diuitiæ, bona ualetudo, robur corporis honor, gloria, quæ tamen à Cicerone non dicuntur per ſe expetenda, ſed propter ſe hoc eſt propter adiunctam utilitatem atque honeſtatem. non eſt igitur mirum ſi Ariſtoteles hoc loco bonis omnibus, præter uirtutem, dicat illud eſſe commune, ut ſiquis eis iniuſte utatur, non mediocriter obeſſe poſsit.

TEXT. *Iam igitur dicendi Artem non eſſe in aliquo certo, ac definito genere, ſicuti neque Dialectica eſt, & magnopere utilem eſſe, perſpicuum eſt.*

COMM. Hæc eſt enumeratio eorum quæ hactenus probata ſunt. planum (inquit) à nobis factum eſt Rhetoricam cum Dialectica in ea re conuenire, quod earum neutra certam habet materiam quam tractet, & in qua uerſetur, ſed ambę communiter de rebus omnibus in utranque partem diſſerũt. deinde etiã oſtenſum eſt Rhetoricã magnas utilitates adferre poſſe. appellat aũt Ariſtoteles γένος ἀφωρισμένον certã materiã ab alijs diſtinctã, quæ uni alicui arti ſubijciatur, neque ab alijs artibus attingatur, ut argilla, & colores definita ſunt rerum genera in quibus figuli & pictores uerſentur. neque enim figulus aliud quam argillam tractat, neque pictor aliud quam colores. dico autem quatenus tales artifices ſunt. nihil enim prohibet unum hominẽ in diuerſis rerum generibus uerſari, ut ſi idem ſit pictor, & ſtatuarius, & faber, & medicus, ſed hæc omnia nequaquam una arte comprehendũtur. rhetor autem & dialecticus nullum genus rerum ab alijs diſtinctum habent in quo uerſentur, ſed quicquid eſt in omnibus rebus ueriſimile ac probabile id ſequuntur.

TEXT. *Praterea officium eius eſſe, non perſuadere, ſed ea uidere, quæ ad perſuadẽdum accommodata ſint; quod etiam in alijs artibus omnibus uſu uenit. neque enim medici officium eſt ſanare, ſed uſque eo rem perducere, quo ratio curandi patitur. nam fieri poteſt, ut ij benè, atque ex arte curentur, qui bonam ualetudinem recuperare nullo modo poßint.*

COMM. Illud (inquit) etiam perſpicuum eſt, officium rhetoricę non eſſe perſuadere dictione, quia ſi hoc eſſet, quoties non perſuaderet, officio ſuo non fungeretur. ſed eſſe, perſcrutari & diligenter excogitare omnia, quæ ſint ad perſuadendum accommodata. quod non tantum accidit in arte rhetorica, ſed etiam in alijs omnibus, quæ a Græcis στοχαστικαὶ uocantur, eò, quod coniecturis plurimum utuntur. ut medicina, ars imperatória. nam ſæpe fit ut medicus non ſanet, quãuis officium ſuum optimè exequatur. ut ſi ægrotus lætali morbo laboret, quem depellere nulla poſsit medicina. hunc enim quamuis medicus benè atque ex arte curet, non tamen ſanare poterit. ſatis igitur eſt medico ſi nihil prætermittat eorum, quæ morbum depellere poſſunt, tunc enim officio ſuo functus fuiſſe dicetur, quamuis ægrotus, non ſanetur. ita etiam Orator ſi quæ perſuadendi uim habent, omnia diligenter excogitauerit, & in medium protulerit, quicunque euentus conſequatur, officium ſuum præſtitiſſe iudicãdus eſt. hoc idẽ etiam Cicero primo de Inuentione tradit: Officium (inquit) eius facultatis uidetur eſſe dicere appoſitè ad perſuaſionem. finis perſuadere dictione. inter officium autem & finem hoc intereſt, quod in officio quid fieri, in fine quid officio conueniat, conſideratur. ut medici officium dicimus eſſe, curare appoſite ad ſanandum, finem, curatione ſanare. Quintilianus libro ſecundo ubi de Rhetoricæ artis fine uerba facit, Ciceronem reprehẽdit quod finem Rhetoricæ dixerit eſſe perſuadere dictione. ſed (ut rectè notauit uictorius) non ſatis aduertiſſe uidetur Quintilianus, quæ differentia ſit inter officium & finem, cum utrunque ferè confundat. quin ipſe ſibi contradicere uidetur in illis uerbis. Nam & gubernator uult ſalua naue in portum peruenire, ſi tamen tempeſtate fuerit abreptus non ideo minus erit gubernator, dicetque notum illud Dum clauum rectum teneant. Et medicus ſanitatem ægri petit. ſi tamen aut ualetudinis ui, aut intemperãtia ægri, aut alio aliquo caſu ſumma non contigit, dum ipſe omnia ſecundum rationẽ fecerit medicinæ fine non excidet. nam ſi gubernator uult ſalua naue in portum peruenire, & medicus petit ſanitatẽ ęgri, certè cum ea non ſuccedunt, fine ſuo & gubernator & medicus excidit. at Quintilianus ait gubernatorem uelle nauẽ ſaluam & medicum ſanitatem ęgri petere, & quamuis ea non ſuccedant, tamen fine ſuo non excidere. quę apertè repugnant. excidunt igitur fine & gubernator & medicus, quoties nõ ſuccedunt illis ea, quæ uolunt, quamuis officio ſuo non excidant. in hoc autem peccauit Quintilianus, quod officium a fine non diſtinxit. Pontanus in Dialogo qui Antonius inſcribitur, multis uerbis Ciceronis ſentẽtiã contra Quintilianum defendit. ſed quod ad hunc locum attinet, notauit ex Boethio duplicem finẽ in Arte Rhetorica conſiderari debere, alterum quidem in Oratore ipſo, in iudice uerò alterum. in ipſo quidem bene dicere. quod quid eſt (inquit) aliud quam dicere appoſitè ad perſuaſionem? in iudice uerò perſuadere. neque enim ſiqua impediant Oratorem quominus perſuadeat, dum officium ſuũ fecerit, idcirco finem conſecutus non eſt. etenim medici opera cum in ſanitatem intenta ſit, imperatoris in uictoriam, licet neuter finem qui extra cõſtitutus eſt, nonnunquam adipiſcatur, uterque tamen ſuum aſſequitur, ſi alter ægrotum rectè curauerit, alter exercitum ac rem bellicam benè adminiſtrarit. duplex igitur Oratoris finis eſt, benedicere, & perſuadere. ſed benedicere in ipſo eſt, & cum officio conuertitur, perſuadere autem in iudice, cuius gratia cauſæ forenſes aguntur. finem qui in ipſo eſt, ſemper conſequitur Orator. ſemper enim benè dicit, & ad perſuadendum accommodatè. atque hic finis idem eſt quod officium. finem autem qui extra ipſum eſt poſitus, non ſemper aſſequitur, cap. 15.

tur,

tur, neque enim ſemper perſuadet. atque hic eſt finis quo omnia dirigenda ſunt. quicquid enim molitur orator, id omne perſuadendi gratia molitur.

TEXT. *Illud etiam manifeſtum eſt, eiuſdem artis eſſe, & quod appoſitum eſt ad perſuadendum, & quod uidetur appoſitum intelligere: quemadmodum Dialecticæ, & qui uerus ſyllogiſmus eſt, & qui uerus uidetur.*

COMM. Habet etiam (inquit) Rhetorica ſimilitudinē cum Dialectica. quòd quemadmodum Dialectica non tantum uerum Syllogiſmum intelligere ſtudet, ſed eum etiam qui uerus uidetur, quamuis nō ſit: ita etiam Rhetorica quærit non tantū ea, quæ ſunt accommodata ad perſuadendum, ſed etiam, quæ uidentur accomodata quāuis non ſint. Sciendum igitur res quaſdam eſſe probabiles, quæ facile perſuaderi poſſunt, Græci πιθανὰ uocāt. Quintilianus uertit perſuadibilia, Cicero appoſita ad pſuadendum, quale eſt illud, Si mater eſt, diligit filiū. hoc enim eſt πιθανὸν. alias autem eſſe res quæ ſpeciem quidem habent probabilitatis, quamuis re uera non ſint probabiles, Græcè dicūtur φαινόμενα πιθανά, hoc eſt quæ uidentur appoſita ad perſuadendum, quale eſt illud: Si multus erat in calceis puluis, ex longo itinere ueniebat. hoc enim licet uideatur probabile, tamē facile refelli poteſt. hęc duo genera (inquit Ariſtoteles) eidē arti ſubijciuntur. ideo ſecundo libro huius operis non tātum docet quomodo enthymemata ducantur ex ueris locis, ſed etiam ex apparentibus ueris, ſicut in arte differendi poſt tractationem ſyllogiſmorum, adiunxit etiam Elenchos.

Quintilianus libro quinto, ubi de argumentis agit, credibilium tria genera facit: unum firmiſſimum quod ferè accidit, ut liberos a parentibus amari. alterum uelut propenſius; eum qui rectè ualeat in craſtinum peruenturum. Tertium tantum non repugnans, in domo furtum factum ab eo qui domi fuit. Sed ex his tribus generibus, primum ſolum πιθανὸν dici poteſt, reliqua uero duo φαινόμενα πιθανά. & quēadmodū in Rhetorica πιθανὸν dicitur id, quod eſt ad perſuadendū accōmodatum, ita in dialectica dicitur ἔνδοξον quod eſt probabile, neque communi opinioni repugnat. ergo etiam Dialectica quærit τὰ ἔνδοξα, καὶ τὰ φαινόμενα ἔνδοξα, ideſt quæ probabilia ſunt, & quæ uidentur probabilia.

TEXT. *Fallax enim & captioſus diſputator non ex facultate, ſed ex uoluntate, atque delectu debet æſtimari.*

COMM. Quia dixerat eiuſdem artes eſſe, cognoſcere nerum ſyllogiſmum, & eum qui ueri ſpeciem habet, ne quis fortaſſe de hac re dubitaret, & crederet tātum ad Sophiſtas pertinere cognitionem fallaciū concluſionum; oſtendit hoc etiam eſſe munus dialectici, neque enim is improbatur, qui res malas nouit, ſed qui eis utitur. immo laborare quiſque debet, ut quæ mala ſunt, agnoſcat, quo facilius ea uitare poſſit: ita qui differendi rationem amplectitur debet etiam perdiſcere, quomodo fallaces concluſiunculæ fiant, non ut eis utatur, ſed ut eas uitare, ac refellere poſſit. neque enim dici debet (ait Ariſtoteles) captioſus diſputator quia facultatem eam ſit conſecutus, ut poſſit fallere, ſed ſi ea ſpontè & conſultò uteretur, tunc eſſet captioſus appellandus. Dialecticus igitur & ueros & falſos ſyllogiſmos nouit, ſed ueris tantum utitur. falſos autem refugit. Sophiſta fallendi ſtudio ductus falſos tantum atque adumbratos perſequitur. Quē autem Ariſtoteles uocat σοφιστικὸν, nos fallacem & captioſum diſputatorem uertimus, Ciceronē imitati, qui ſic ait in Lucullo: quorum ſunt contorta & aculeata quædam ſophiſmata. Sic enim appellantur fallaces concluſiunculæ. & alibi in eodem opere: alterum eſt quòd fallacibus & captioſis interrogationibus circunſcripti, atque decepti quidam, cum eas diſſoluere non poſſunt, deſciſcunt a ueritate. dicitur autem Sophiſticus ille, qui laborat eo uitio, ut quamplurimos uelit diſputationū ſuarum laqueis irretire, ac decipere, neque ueri inueniendi gratia diſputat, ſed propter oſtentationem fallēdi, cupiditate litigat. Cicero in Lucullo, ſcribit eos Sophiſtas appellari, qui aut oſtentationis aut quæſtus cauſa philoſophantur. apud ueteres tamen hoc nomen in honore fuerat. nam & Georgias Leontinus, & Protagoras Abderites, & Prodicus Chius, & Hippias Elæus, & Iſocrates, & alii complures egregij uiri Sophiſtæ fuerunt appellati. ſed deinde cum multi non philoſophię ſtudio, ſed oſtentatione, aut lucro ducti ſe philoſophari ſimularent, cępit hoc nomen in deteriorem partem accipi, cum præſertim Socrates qui ſapientiſſimus habebatur, huiuſmodi homines inſectaretur, irrideret, & λογοδαιδάλους appellaret, ut ait in Orat. Cic.

Sed in arte dicendi tā is, qui fallacibus utitur argumentationibus, quàm is, qui earum ſcientia contentus eſt Orator uocatur: in differendi uero ratione qui ſtudio fallendi ducitur, Sophiſta. qui autem facultatē quidem habet fallendi, ſed ea non utitur, dialecticus appellatur. TEXT.

Locum hunc totum peruertit Trapezuntius, adeo ut ex uerbis eius nullus ſenſus erui poſſit. cum tamen Ariſtotelis uerba ſint aperta. cū enim dixiſſet eiuſdem artificis eſſe, & quod probabile eſt, & quod uidetur probabile, quamuis non ſit, intelligere: neq; hoc eſſe uitioſum, quòd quis ea ſciat quibus alium fallere poſſit, ſed ſi ſtudiosè fallit, tunc eſſe uitioſum: nunc duo genera facit eorū qui in Rhetorica uersātur, & duo eorū qui uerſant in Dialectica. Sunt enim quidā Rhetores qui didicerunt quidem fallaces argumentationes, ſed earum ſcientia contenti ſunt, neque eis utuntur, quoniam boni uiri ſunt & dicendi periti. Sunt autem alii, qui non tantum fallaciter concludere didicerunt, ſed etiam ad eam rem quodam ſtudio, fallendi gratia trahuntur. idem accidit in arte Dialectica. ſed tamen in diſtinctione nominum, eſt quædam differētia. nam in Rhetorica, nomine nō diſtinguitur is, qui fallendi ſtudio ducitur, ab eo COMM.

diligen-

qni fallacias refugit, ſed ambo Oratores uocantur. in Dialectica uero nomine diſtinguuntur. nã qui Dialecticam ideo didicit, ut per eam alios fallat, nocatur Sophiſta. qui uero didicit quidem fallendi rationes, ſed eis uti nõ nult, Dialecticus nominatnr. hic eſt Ariſtotelis ſenſus. Vidit hoc etiã Cicero, nempe & Rhetoricæ, & Dialecticæ duo eſſe cognata uitia. qnæ ſint a bono uiro fugiẽda. nam in Partitionibus, poſtqnàm admonuiſſet, ut diligenter caueamus, ne fallant ea nos uitia quæ uirtutem uidẽtur imitari, ſic ait; Et illam diſputãdi prudentiam imitatur concertatio captatioque uerborum, & hanc oratoriam uim inanis quædã profluentia dicendi.

TEXT. *Sed age iam de ipſa arte dicere aggrediamur. & quomodo, quibuſque rebus ea, quæ propoſita ſunt, aſſequi poterimus. rurſus ergo tanquam à principio, naturam eius definiendo quid ſit, aperiamus; deinde etiã de reliquis dicamus.*

COMM. Hactenus quodam procemio uſus eſt, quo docuit, quid ſibi propoſitum ſit hoc in opere, & quę ſit Rhetoricæ artis ntilitas. nunc proponit ſe iam de arte ipſa dicturum, & uiam ac rationem traditnrum, qua in ſingulis dicendi generibus ea perſuadere poſſimus, quæcunque uoluerimus. Eſt igitur hæc quaſi totius operis propoſitio. Ac primo quidem ſe uelle Rhetoricam definire pollicetur, deinde reliqua perſequi. quod ait, tanqnam à principio, oſtendit ea quæ dixit hactenus licet ad artem pertinent, non tamen eius naturam exprimere, porrò didicerat à magiſtro Platone id qnod primo de officiis ita poſuit Cicero: omnis enim qnæ à ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio debet à diffinitione proficiſci, ut intelligatur quid ſit id de quo diſputatnr. Et in ſecundo de Finibns ita inquit: Omnis autem in qnærendo qnæ uia quadam & ratione habetur Oratio, præſcribere primnm debet, ut quibuſdam in formulis ea res agatur, ut inter qnos diſſeritur, cõueniat quid ſit id de quo diſſeratur. hoc poſitum in Phædro à Platone probauit Epicurus, ſenſitque in omni diſputatione id fieri oportere. locus autem Platonis, quem Cicero citat ita ſe habet in Phædro: ut nos uertimns; Vnum in omni re principium eſt eis, qui bene conſultare uolunt, ut ſciant quid ſit, id de quo conſultatio eſt. Vel omnino aberrare neceſſe eſt. quòd cum præclare intelligeret Ariſtoteles dixit in Poſterioribus, definitionem eſſe demonſtrationis principium, & hoc loco principiũ artis Rhetoricæ uocat eius definitionem, quam ſtatim ita ſubiungit.

TEXT. *Eſt igitur Rhetorica uis quædam, ac facultas uidendi quid in quaque re ſit ad perſuadendum accommodatum.*

COMM. Hac definitione rhetoricæ natura ſatis explicatnr, primo enim appellatur δύναμις, hoc eſt uis ac facultas, quoniam non eſt ars exquiſita neq; ſcientia, qnamuis communiter & ars & ſcientia dicatur ſed improprie, deinde additnr τοῦ θεωρῆσαι hoc eſt intelligendi ſeu uidendi, quod ad artis officiũ & finem proprium pertinet, quid accommodatũ ad perſuadendum, hoc eſt quid ſit ueriſimile, nihil enim eſt accommodatum ad perſuadendum niſi ſit ueriſimile. Verum illud ſciendum eſt eſſe tria genera propoſitionum inter ſe diſtincta, quibus tres artes diſtinctæ utuntur. ſunt enim propoſitiones quæ demonſtratiuæ dicuntur, alię quę probabiles, & aliæ quæ ueriſimiles. Demonſtratiuæ ſunt illæ quæ ueræ ſunt ac neceſſariæ neque aliter eſſe poſſunt, nt omne totnm eſt maius ſua parte, ex nihilo nihil fit. quibus exquiſitæ ſcientiæ utuntur ut mathematicæ, & naturalis Philoſophia. probabiles illę dicuntur, ut primo Topicorum docet Ariſtoteles, quæ probantur aut omnibns, aut pluribus, aut certè ſapientibns, atque ijs uel omnibus uel plurimis, uel ijs quorum ſpectata eſt & perſpecta ſapientia, ut Deum eſſe, & diuina prouidentia mundum adminiſtrari. atque hęc quidem poſita ſunt in opinione. Veriſimiles illæ propoſitiones ſunt, quibus Rhetor utitur, quæ non per ſe neceſſariæ ſunt, neque ex aliquorũ opinione, ſed cum audiuntur ex quodam communi ſenſu, & ratiocinatione ueri ſimilitudinẽ habent. Vt ſi Clodius odio proſequitur Milonem, ergo eius uitæ inſidias machinabitur, atque hæ quidẽ Rhetoricæ propoſitiones maiori ex parte ab hominnm actionibus pendent. quod autem adiungit Ariſtoteles, in quaque re, nihil excipere uidetur de qno non poſſit Orator ueriſimiliter dicere. Quod Quintillanus aduertit, qui ſecũdo libro ſic ait: Omnia ſubieciſſe Oratori uidetur Ariſtoteles, cũ dixit, uim eſſe uidendi quid in quaque re poſſit eſſe perſuadibile. quæ ſententia fuit etiam Gorgiæ Leontini, de quo ita Cicero primo de Inuentione: Nam Gorgias Leontinus antiquiſſimus ferè rhetor omnibus de rebus oratorem optimè poſſe dicere exiſtimauit. ſenſit hoc etiam ipſe Cicero, qui in procemio librorum de Orat. ſic ait: Ac mea quidem ſententia nemo poterit eſſe omni laude cumulatus Orator, niſi erit omnium rerum magnarnm atque artium ſcientiam conſecutus. & Craſſus primo de Oratore: is erit Orator, mea ſententia, hoc tam graui dignus nomine, qui quæcunque res inciderit, quæ ſit dictione explicãda, prudenter & compoſitè, & ornatè, & memoriter dicat, cum quadam etiam actionis dignitate. Et tertio de Oratore: namque illos ueteres doctores auctoreſque dicendi nullum genus diſputationis a ſe alienum pntaſſe accepimus. ſemperque eſſe in omni Orationis ratione uerſatos. ex quibus Elæus Hippias cum Olympiam ueniſſet, maxima illa quinquennali celebritate ludorum, gloriatus eſt cuncta penè audiente Græcia, nihil eſſe ulla in arte rerum omnium quod ipſe neſciret. ipſa igitur profeſſio (quod ait alibi Cicero) bene dicendi & uis Oratoris ſuſcipere ac polliceri uidetur, nt omni de re, quæcunque ſit propoſita ab eo ornatè, copioſeque dicatur. Quintilianns libro ſecundo reprehendit hanc Ariſtotelis definitionẽ, his quidẽ uerbis: Quidam receſſerunt ab euẽtu, *In proœ. de Orat.* *cap. 5.*

ſicut

ſicut Ariſtoteles qui dicit; Rhetorice eſt uis inueniendi omnia in oratione perſuadibilia. qui finis & illud uitium de quo ſupra diximus, habet, & in ſuper quod nihil niſi inuentionem complectitur, quæ ſine elocutione non eſt oratio. Sed hæc mera cauillatio eſt, perinde quaſi neſciret Ariſtoteles inuentionem ſine elocutione non eſſe orationē. aut Rhetorem non eſſe Græcè ab eloquendo denominatum. an nō is qui facultatem eam nactus eſt, qua poſſit omnia quæ ſunt ad perſuadendum accommodata excogitare, poterit etiam cum ei libuerit, ea proferre? adde quod non tantum res inueniendæ ſunt, ſed etiam uerba ſicut in Partitionibus docet Cicero, ut nemo dici poſſit omnia inueniſſe, quæ perſuadēdi uim habeant niſi ſciat etiam quo genere elocutionis utendum ſit. & denique inuenire omnia, eſt nihil eorum prætermittere, quæ ad artem pertinent. quare fruſtra uoluit argutus uideri contra Ariſtotelem Quintilianus, cum præſertim Ariſtoteles definiat artem Rhetoricam, quatenus eſt θεωρητική, & præcepta tradit perſuadendi, non autem quatenus eſt πρακτική & re ipſa perſuadet. nam cognitio artis in ipſis præceptis eſt. Vſus autem, in eis eleganter explicandis, quæ iam artificioſè ſunt inuenta. quo fit ut ars ipſa quæ Rhetorica uocatur nihil aliud ſit quam facultas excogitandi quid in omni re ſit appoſitum ad perſuadendum, ut eam optimè definit Ariſtoteles.

TEXT. *Hoc enim nullius artis alterius officium eſt. nam artes aliæ ſingulæ tantum ea docere, ac probare contendunt, quæ materiæ illius ſunt, in qua uerſantur: Vt medicina quid ſalubre, quid inſalubre ſit; geometria, quæ ſint euenta, quæ magnitudinibus accidunt: arithmetica quid ſit numerus. eodem modo aliæ artes & ſcientiæ.*

COMM. Probat eam definitionem quam ſupra poſuit eſſe Rhetoricæ propriam, neque ulli arti præter hanc conuenire. Sic enim ueteres præcipiunt (ait in Topicis Cicero) cum ſumpſeris ea, quæ ſunt ei rei, quam definire uelis, cum aliis communia, uſque eo perſequi, dum proprium efficiatur: quod nullam in aliam rem transferri poſſit. hæc igitur Rhetoricæ definitio, non poteſt in aliam artem transferri. nam aliæ ſingulæ ſuam propriā ac certam materiam habent in qua uerſentur. exempli gratia medicina tantum ea conſiderat, quæ bonæ ualetudini proſint, aut quæ ſint ei contraria. geometria magnitudines & earum euenta, arithmetica tantum in numeris eſt occupata, atque ita reliquæ artes & ſcientiæ omnes proprium habent genus ac diſtinctum ab aliis in quo uerſentur, quod Rhetoricæ non accidit. Eſt autem hoc argumentum ab inductione ſumptum, quo probat, nullā eſſe artem, quæ uidere poſſit quid in quaque re ſit ueriſimile, præter Rhetoricam. nam ſi neque medicina, neque geometria, neque arithmetica, neque ars alia ulla poteſt hoc efficere. Rhetorica uero ſola poteſt. ergo Rhetoricæ propriū eſt hoc officiū. uocat aūt Ariſtoteles artes quæ certam habent materiā διδασκαλικὰς καὶ πιστικάς, quod in docendo ac probando ſint occupatæ. Vel quòd egēt præceptore qui doceat, & diſcipulo qui credat, & ſe docilem præbeat. nam, ut ait alibi Ariſtoteles, neceſſe eſt diſcentem credere. nam qui præceptori repugnat, neque ei fidem habere uult, qua ratione quicquam diſcere poteſt? ὑποκείμενον uocat id quod ſupra γένος ἀφωρισμένον, Cicero ſubiectam materiam conuertit, uel materiam in qua uerſantur, ſicuti nos uertimus. nam quod Victorius ſtratum conuertit, non ſatis appoſitè mihi feciſſe uidetur, ut interim taceam uerbum illud in ea ſignificatione nouum atque inuſitatum eſſe. Vulgo ſubiectum uocant, atque id uerbum, e uerbo. quod uero Victorius ὑγιεινὸν καὶ νοσερόν putat hominum corpora quæ nunc ualent, nūc ægrotant, intelligi debere, mihi ſanè non probatur, ac potius ad rationem uictus referendum arbitror, ideoque uerti ſalubre, & inſalubre. nam ut Corn. Celſus teſtatur, cum tres ſunt medicinæ ſpecies, 1.cap.1. una quæ uictu medetur, quam διαιτητικὴν Græci uocant, altera quæ medicamentis utitur, quam φαρμακευτικὴν appellant, tertia quæ manu ad ſanādum utitur, quam nominant χειρουργικὴν ea quæ uictu morbos curat omnium habetur pręſtantiſſima, quæ rerum quoque naturæ cognitionem ſibi uendicat. de qua ſentit Ariſtoteles hoc loco. quin Galenus Medicinam ita definit ut dicat eſſe artem ſalubrium & inſalubrium & neutrorum. in qua definitione ſentiunt omnes ſalubria dici non hominū corpora quæ ſana ſint, ſed quæ uim habent uel retinendæ uel recuperandæ ſanitatis, Cicero primo de Inuent. medicinæ materiā morbos & uulnera dicit eſſe. quæ uero uocat Ariſtoteles συμβεβηκότα πάθη nos euenta quæ accidunt conuertimus. nam paſsiones, præterquam quod latinè non dicitur, etiam non ſatis exprimit Ariſtotelis ſenſum. uocat enim Ariſtoteles ea πάθη quæcunque alicui rei præter ipſius naturam atq; definitionem eueniunt, quę Lucretius euenta nū cupauit. ſic enim ait in primo libro.

Cætera quonam
Aduentu manet incolumis natura, habituque
Hæc ſoliti ſumus (ut par eſt) euenta uocare.

Rhetorica uero de omni, penè dixerint, propoſita quæſtione uidetur intelligere poſſe, quod ſit appoſitū ad perſuadendū, atque ideo dicimus, eam, nō in aliquo proprio, aut definito genere, artis ſuæ uim habere. TEXT.

Nihil eſt (inquit) quod ab Oratoris tractatione ſeiungatur, ſed ad omnia paratus eſt quæcunque in quæſtionem aliquam cadere poſſunt. Vt de illis ueriſimiliter diſſerat. atque hęc (inquit) eſt cauſa cur dicamus Rhetoricam in nullo certo eſſe genere rerum. quòd autem dicit Ariſtoteles ὡς εἰπεῖν, hoc eſt penè dixerim, ideo facit quoniā nonnullæ quæſtiones reperiuntur ab Oratoria facultate tantum remotę, ut de illis Orator aut nihil, aut certè parum poſsit dicere, quamuis Gorgias Leontinus apud Platonem nihil omnino excipiat de quo non putat Oratorem poſſe dicere, COMM.

de quo

de quo ita Catulus apnd Ciceronem. 3. de Orat. ſed hic in illo ipſo Platonis libro de omni re, quęcunque in diſceptationem, quęſtionemque uocaretur, ſe copioſiſſimè dicturum eſſe profitetur. iſque princeps ex omnibus auſus eſt in cõuentu poſcere, qua de re quiſque uellet audire. cui tantus honos habitus eſt à Græcia, ſoli nt ex omnibns Delphis non inanrata ſtatua, ſed aurea ſtatueretur. & Craſſus primo dc Orat. ſed Oratorẽ plenum atque perfectum eſſe eum dicam qui de omnibus rebus poſſit, variè copioſeque dicere. nam quod Ariſtoteles ait περὶ τοῦ δοθέντος, Trapezuntius uertit de re data. ſed inepte, parumque latinè. nos de omni propoſita quęſtione, conuertimus, quod & Ariſtotelis ſententiam explicat, & eleganter dicitur, cum pręſertim hęc eſſet ueterũ oratorum conſuetudo, ut proponere iuberẽt quęſtionem, de qua quis audire uellet. nullam enim rem neque tantam, neque tam improuiſam, neq; tam nouam eſſe, de qua ſe nõ omnia, quę dici poſſent, profiterentur eſſe dicturos. auctor Craſſus primo de Oratore. quem morem etiam Cicero fatetur aliquando ſe imitatum fuiſſe. ſic enim primo Tnſcul. ponere iubebam, de quo quis audire uellet, & id aut ſedens aut ambulans diſputabam. neq; benè quod Ariſtoteles dixit, τὸ τεχνικὸν Trapezuntius uertit artem, neque enim τὸ τεχνικὸν eſt ars ſimpliciter, ſed quod artis uim & poteſtatem exprimit, unde Rhetores τεχνικοὶ περὶ τοὺς λόγους apud Platonẽ dicũtur. itaq; nos artis vim conuertimus. dicendi enim facultas non magis in uno quam in alio genere uerſari poteſt, quamuis frequẽtius in ciuilibus controuerſiis uerſetur. Vnde Hermogenes ciuilem quæſtionem, quod ipſe uocat: πολιτικὸν ζήτημα, putat eſſe propriã Rhetoricæ materiã, quę licet frequenter ſit, non tamen ſola eſt. cum cætera multa Rhetor amplectatur.

TEXT. *Probationum autem aliæ quidem expertes artis, aliæ uero artificioſæ ſunt. expertes artis eas uoco, quæ noſtra opera non pariuntur. ſed extrinſecus aſſumuntur: ut teſtimonia, quæſtiones, tabulæ, & eius generis cætera.*

COMM. Quoniam ſupra demonſtrauerat, probationes ſolas ad artem pertinere, de quibus nihil ferè dixerant artis ſcriptores, ideo nunc incipit de illis verba facere. Ac primo eas diuidit, oſtenditque alias eſſe, quę nõ inhęreant in ipſa arte, ſed extrinſecus aſſumantur, quę idcirco uocantur ἄτεχνοι, hoc eſt, artis expertes, qualia ſunt teſtimonia & tormenta, alias autem quæ ab ipſa arte ducantur, & ideo vocentur ἔντεχνοι: ideſt artificioſę, de quibus etiam ut ordo poſtulat, primò diſſerit. Quintilianus libro quinto locum hũc ita expreſſit: Ac prima quidem illa partitio ab Ariſtotele tradita conſenſum ferè omnium meruit, alias eſſe probationes qnas extra dicẽdi rationem acciperet Orator, alias qnas ex canſa traheret ipſe & quodammodo gigneret. ideoque illas ἀτέχνους, ideſt inartificiales, has ἐντέχνους ideſt artificiales vocauerũt. hanc autem diuiſionem etiam Cicero, & in Partitionibus & in Topicis, & ſecundo de Oratore ſecutus eſt. Sed illud ſciendum has probationes nõ ideo vocari artis expertes, qđ arte non indigeant. egẽt. n. & ſummis eloquentię viribus tractãtur (vt ait Quintilianus) ſed quia non excogitantur ab arte uel ab Oratore, nerum extrinſecus aſſumũtur. quatenus igitur ad vſum, omnes probationes sũt artificioſę. nã in fine primi libri docet Ariſtoteles accuratè, quomodo in iudiciis, de legibus, teſtimoniis, tabulis, quęſtionibus, iureiurando ſit agendum, qnaque arte ſint ea omnia tractanda. quod etiam Cicero in Part. in Top. in ſecundo de Orat. diligentiſſimè facit, & Quintilianus libro quinto. quatenus autem ad inuentionem attinet, quia non inueniuntur ab Oratore, ideo dicuntur artis expertes. & hoc eſt quod ait Ariſtoteles, ὅσα μὴ δι' ἡμῶν πεπόρισται, ἀλλὰ προϋπῆρχεν, quæ non à nobis excogitantur, ſed erant in cauſa, prius quam nos ad eam accederemus. huius generis formas Ariſtoteles quinque facit, leges, teſtimonia, tabulas, quęſtiones, iuſiurandum. Cicero nomine teſtimoniorum comprehendit has omnes probationes expertes artis. Quintilianus ſex enumerat ſpecies, pręiudicia, rumores, tormenta, tabulas, iuſiurandum, teſtes. de quibus ſuo loco dicemus. *lib. 5.*

TEXT. *Artificioſas autem eas, quæ artis præſidio & induſtria noſtra parari, atque excogitari poſſunt.*

COMM. Illę probationes dicũtur artificioſę, quę in arte tradũtur, quales ſunt loci ac ſedes argumentorum, vt à definitione, à toto, à partibus, & à cæteris huiuſmodi. hęc enim hęrent in ipſa re, vt ait in Topicis & in Partitionibns Cicero, atque induſtria noſtra reperiri poſſunt. quoniam ad certam viam ac rationem rednci poſſunt. quod Ariſtoteles ait, διὰ τῆς μεθόδου κατασκευασθῆναι. ſignificat, ratione ac uia pręparari. nos ſententiam ſecuti, uertimus, artis pręſidio diſcere. quod idem eſt, κατασκευασθῆναι, nos ſententiam ſecuti, uertimus, artis uerbo uſus eſt Terentius, aliquid (inquit) conuaſaſſem. poteſt etiã uerti, undique colligere (& quę abdita ſunt eruere) ac proferre, quod fit in colligendis uaſis, migrationis gratia.

TEXT. *Itaque harum probationum aliis quidem uti, alias autem inuenire opus eſt. Ita in ſuperiore genere de tractandis argumentis, in hoc etiam de inueniendis cogitandum.*

COMM. Hũc locum ſecundo de Oratore Cicero ſic expreſſit. vbi poſtqnam vſus fuiſſet eadem diſtinctione qua utitur Ariſtoteles hoc loco, verba etiã & ſenſum Ariſtotelis penè interpretatus eſt. Sed pręſtat totnm Ciceronis locũ recitare, qui ſentẽtiam Ariſtotelis illnſtrat. ſic enim ait: Ad probandum autem duplex eſt Oratori ſubiecta materies, una rerum earum quæ non excogitantur ab Oratore, ſed in re poſitæ ratione tractantur, ut tabulę, teſtimonia, pacta, conuenta, quæſtiones, leges, ſenatus conſulta, res indicatę, decreta, reſponſa. ſunt, & reliquę, ſi quę ſunt, quę non ab Oratore pariuntur, ſed ad Oratorem à cauſa atque à reis deferuntur. altera eſt quę tota in diſputatione, &

argu-

argumentatione Oratoris collocata eſt.ita in ſuperiore genere de tractandis argumentis, in hoc autem etiam de inueniendis cogitandum eſt.certe nemini dubium eſſe poteſt, quin ab Ariſtotele Cicero hæc omnia sũpſerit.ſenſus igitur eſt:Orator cogitare debet,quomodo ea quæ dicuntur artis expertia tractare artificioſè poſſit,quoniã in eis inueniendis laborare non eſt opus.ſunt enim in cauſa poſita, quæ uero ſunt artificioſa debet & inuenire,& artificioſè tractare.in priore igitur illo genere(inqnit Ariſtoteles) qđ eſt artis expers, cogitandum eſt,quomodo tractari argumenta debeant, in poſteriore uero quod eſt artificioſum, non ſatis eſt cogitare quomodo tractari debeant, ſed opus etiã cogitare quomodo ſint inueniẽda.

TEXT. *Earum uero probationum,quæ dicendo acquiruntur,tria genera ſunt.nam aliæ in uita ac moribus Oratoris poſitæ ſunt;alia in permouendo,atque afficiendo,prout opus fuerit, auditore: aliæ denique in ipſa Oratione, cum aut probatur aliquid,aut probari uidetur.*

COMM. Hæc ὑποδιαίρεσις hoc eſt ſubdiuiſio dicitur. nã relictis in præſentia probationibus illis quæ artis expertes dicuntur,de artificioſis agere incipit,atque eas primo diuidit. Artificioſę (inquit) probationes tribus generibus continentur. Vel enim ab Oratore ducuntur,uel ab auditore, uel à re ipſa.nam Oratio ſi per ſe conſideretur tria reſpicit, nempe dicentem à quo habetur, auditorem apud quem habetur,& rem ipſam de qua habetur.in eo qui dicit,mores ac uita conſideratur,vnde præcipua fides ducitur,ſi uir bonus ac probatus fuerit. in auditore ſpectantur affectiones & animi commotiones,quæ ſæpe ad credendum impellunt. in re ipſa,uidendum eſt quid argumentando probari aut refelli poſſit. hunc locum ita M. Antonius expreſſit 2. de Orat. Ratio omnis dicendi tribus ad perſuadendum rebus eſt mixta, ut probemus uera eſſe ea,quæ defendimus, ut conciliemus nobis eos,qui audiunt, ut animos eorum ad quemcunque cauſa poſtulabit,motum uocemus.& alibi:Nam hoc(inquit)neceſſe eſt, ut is,qui nobis cauſam adiudicaturus ſit, ant inclinatione noluntatis propendeat in nos,aut defenſionis argumẽtis adducatur, ant animi permotione cogatur. in Partitionibus duo prima genera ſic poſuit: maximeq́ne mouet ea,quæ motum aliquem animi miſcet Oratio:quæq; ſignificat Oratoris ipſius amabiles mores. Tria ſunt igitur, quibus artificioſè fidem facimus,morum ſignificatio,animi permotio,ab ipſa re ducta probatio. quod autem ait Ariſtoteles, διὰ τῶ δεικνύναι, ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι. hoc eſt (ut nos uertimus) cũ aliquid probatur aut probari uidetur,id reſpicit quod iam ſupra dixerat,poſſe oratorem & ueris & fallacibus uti concluſionibus,neque tamen ideo nomen ſuum amittere,cũ in dialectica res aliter ſe habeat. nam qui captionibus & ſophiſmatibus delectatur,non iam Dialecticus,ſed ſophiſta nocatur.Orator autem quáuis utatur adumbratis argumentis,& quæ uériſimilia uideantur, licet non ſint, nomen tamen ſuum obtinet.

TEXT. *Quæ à uita & moribus probatio naſcitur,ea tunc fit:cum ita habetur Oratio,ut eum,qui dicit,dignum, cui fides habeatur,uideri faciat.*

COMM. Prima ſpecies artificioſę probationis à uita & moribus ducitur, de qua præcepta clare incipit Ariſtoteles. tunc igitur hæc probatio adhibetur, quando ita exprimitur Oratio,ut à bono uiro proficiſci uideatur,nam ſi Orator bonus uir habitus fuerit,eius Orationi facile fides habebitur. debet ergo in Oratione ſua probitatem quandam præ ſe ferre,ſic enim erit ἀξιόπιστος, hoc eſt dignus cui fides habeatur. De hac probatione Cicero ſecundo de Orat.ſic ait: Tantum autem efficitur ſenſu quodam ac ratione dicendi,ut quaſi mores Oratoris effingat Oratio:genere enim quodam ſententiarum,& genere uerborum,adhibita etiam actione leui,facilitateque ſignificandi,efficitur,ut probi,ut bene morati,ut boni uiri eſſe uideantur.hoc præceptum Cicero diligentisſimè ſeruat in Orationibus,ut ſemper uel ſe,uel eos pro quibus dicit,bonis moribus prędit os oſtendat,& communi utilitati ſtudentes, ut pro lege Man.de ſe ipſo. Nam cum antea per ætatem nondum huius auctoritatem loci contingere auderem, ſtatueremque nihil huc niſi perfectum ingenio elaboratũ induſtria adferri oportere; omne meum tempus amicorum temporibus tranſmittendum putaui. Sed huius rei pulcherrimum eſt exemplum in Oratione contra Rullnm de lege Agra. totum enim illud exordium à uita & moribus ipſius Ciceronis ſumptum eſt, & admirabili artificio confectum.tale eſt etiam exordium pro Archia poeta.ſiquid eſt in me ingenij, Iudices, quod ſentio quam ſit exiguum.& quæ ſequuntur in Diuinatione contra Verrem: adductus ſum Iudices officio,fide,miſericordia,multorum bonorum exemplo, ueteri conſuetudine inſtitutoq́ue maiorum, ut onus hoc laboris, atqne officii, non ex meo, ſed ex meorum neceſſariorum tempore mihi ſuſcipiendum putarem. pro Roſc. Am. opprimi me onere officii malo, quam id, quod mihi cum fide ſemel impoſitum eſt, aut propter perfidiam abijcere, aut propter infirmitatem animi deponere. quod autem mores etiam eorũ pro quibus dicit exprimat ita, ut fide dignos efficiat,uel unus ille locus pro Milone ſatis oſtendit,ubi Milonem ita loquentem inducit:ualeant ciues mei,ſint incolumes,ſint florentes,ſint beati.ſtet hæc urbs præclara, mihiq́ue patria cariſſima quoquo modo merita de me erit.tranquilla Rep.ciues mei(quoniam mihi cum illis non licet)ſine me ipſi, ſed per me tamen fruantor.& quę ſequuntur.neque enim ullam orationem magis moratam potuiſſet Miloni dare. Sic Ilioneus apud Virgilium. 1. Aen.à moribus Troianorum fidem captat:

Non nos aut ferro Lybicos populare penates
Venimus,aut raptas ad litora uertere prædas.
Non ea uis animo,nec tanta ſuperbia uictis.

Hæc

Hæc eſt ars illius Sinonis ſecundo Aeneid. ut ſe probum virum fingat, quo facilius Troianis id quod vult perſuadeat, fingit enim ſe cognatũ Palamedis, & iuſtum ac fortem virum:

Illi me comitem & conſanguinitate propinquũ,
Pauper in arma pater primis huc miſit ab annis,
Dum ſtabat regno incolumis, regnumq; uigebat
Conſiliis, & nos aliquod nomenque decuſque
Geſsimus, inuidia poſtquam pellacis vlyſsi,
(Haud ignota loquor,) ſuperis conceſsit ab oris,
Afflictus vitam in tenebris luctuque trahebam,
Et caſum inſontis mecum indignabar amici.

cum ergo boni mores exprimuntur in Oratione, facile fides fit. cauſam ſubiungit Ariſtoteles.

TEXT. *Probis enim uiris & magis, & celerius credimus generatim quidem in omnibus rebus: ſed in iis præci puè quæ certo ſciri non poſſunt, ſed uariè traduntur.*

COMM. Ratio perſpicua quare is qui dicit, ſe bonum virum eſſe debet oſtendere. nihil enim aliud Orator ſibi proponit, quàm vt perſuadeat, & fidem faciat iis qui audiunt. ſed omnes multò magis & longè facilius probis viris quam aliis fidem habent. debet igitur Orator ſe bonum virum fingere. & hoc (inquit Ariſtoteles) verum eſt in omnibus rebus, ꝙ magis probis viris quam aliis credatur, ſed præcipue in eis rebus quæ nihil habent certi, ſed animum noſtrum diuersè trahunt, & dubitare faciunt. tunc enim proborum virorum ſententiam quærimus, atque illi acquieſcimus. hoc enim frequentiſsimè fieri ſolet, vt quoties de aliqua re dubitatur vtrum ſit æqua vel iniqua, referant ſeſe ij qui dubitant, ad aliquem probum ac ſapientem virum, & quod ille dixerit, veriſsimum eſſe cenſent. ἀμφιδοξεῖν ſignificat diuerſam opinionem habere. quod in rebus dubiis frequenter accidit, quæ uariè traduntur vt nos vertimus. Cicero pro Sex. Roſc. ſic ait: nemo credit niſi ei quem fidelem putat. at Epicharmus dicebat, neruos eſſe ſapientię non credere, vt Cicero ſcribẽs ad Q. Fratrem, citat, quoniam ſcilicet pauci boni viri ſunt. quod ſi omnes probi eſſent, omnia credi ſine periculo poſſent, nemo enim mentiretur. hac de cauſa Cicero pro Murena veritus Catonem aduerſariũ, probum virum, conatur illi fidem adimere, ſalua tamen eius auctoritate & uirtute. & cum nihil cõtra mores eius dicere poſſet, aut vellet, cœpit Stoicorum doctrinam cui Cato deditus erat, irridere, quod tam facete feciſſe dicitur, vt totum iudiciũ riſu diſſolueretur. ſit hoc igitur in præceptis, vt Orator non tantum ſe bonum eſſe uirum oſtendat, ſed etiam aduerſarium tanquam improbum criminetur, aut ſi hoc facere non poteſt, aut non vult, quauis ratione conetur illi fidem adimere.

TEXT. *Hoc autem etiam ipſo genere Orationis conſequi oportet: neque ſatis eſt Oratorem, ante conceptam de ſe bonam opinionem ad dicendum adferre.*

COMM. Quoniam rhetoricę præceptores dicunt oportere bonis moribus præditum eſſe Oratorem, alio qui non facile perſuadere poſſe. Itaque Cato definiuit Oratorem eſſe bonum virum, dicendi peritum. vt Quintilianus ait libro duodecimo, quo etiam in loco pluribus argumentis conatur oſtendere, nullum Oratorem eſſe poſſe, hoc tam graui dignum nomine, niſi qui etiã probus vir fuerit. hoc quidem plurimum ualere concedit Ariſtoteles, ſed tamen non eſſe ſatis affirmat. poteſt enim fieri vt Orator bonus quidem vir ſit. ſed tamen malus exiſtimetur. ergo debet eo genere orationis vti, quo vir bonus eſſe videat. de qua re Quintilianus libro ſexto ſic ait: ἦθος quod intelligimus, quodque à docentibus deſideramus, id erit, quod ante omnia bonitate commendabitur, non ſolum mite ac placidum, ſed plerunq; blandum eſt, humanum, & audiẽtibus amabile atque iucundum. in quo exprimendo ſumma uirtus ea eſt, vt fluere omnia ex natura rerum, hominumque videantur, quo mores dicentis ex oratione perluceant, & quodammodo agnoſcantur. debent igitur ex oratione ipſa mores dicentis perlucere, & agnoſci. Cicero in Bruto, Virtutem hanc fidei faciendæ à perſona ſua fuiſſe in M. Scauro ſcribit, non quidem à doctrina, ſed à natura. fatetur tamen etiam de hac re præcepta dari, vt quis probus vir appareat. In Scauri (inquit) oratione ſapientis hominis & recti grauitas ſumma, & naturalis quædam inerat auctoritas, non vt cauſam, ſed vt teſtimonium dicere putares, cum pro reo diceret. hoc dicendi genus ad patrocinia mediocriter aptum videbatur, ad ſenatoriam vero ſententiam, cuius erat ille princeps, uel maximè. ſignificabat enim non prudentiam ſolum, ſed, quod maxime rem continebat, fidem. habebat hoc à natura ipſa, qđ à doctrina non facilè poſſet: quamquam huius quoque ipſius rei queadmodum ſcis, præcepta ſunt. Menander autem cenſuit mores eſſe dicentis, qui perſuadeant. nõ autem orationem. cuius illud eſt, carmen τρόπος ἐσθ᾽ ὁ πείθων τοῦ λέγοντος οὐ λόγος. huius tamen ſententiam Plutarchus refellit. atq; omnino falſam eſſe multis argumentis docet.

TEXT. *Neque enim audiendi ſunt quidam artis ſcriptores, qui Oratoris probitatem in arte collocant; tanquam ſi boni mores Oratione expreſſi, nullam ad perſuadendum uim haberent.*

COMM. Reprehendit quoſdam dicendi magiſtros qui dicebant Oratorem fidem facere non poſſe, niſi bonus uir eſſet, atque ideo in arte Rhetorica numerabant ẽt Oratoris ante perſpectã probitatẽ, qua ſanè ratione apud eos, quibus incognitus eſſet, nihil perſuadere poſſet, & multo minus apud eos à quibus improbus exiſtimaretur. nihil ergo refert ad fidem faciendam, utrum probus an improbus ſit, modo ea Oratione utatur, qua uir probus uteretur. & ad tempus eos mores exprimat, qui boni ac ſãcti uulgo habentur. ſic enim facilè fidem faciet. hac ratione M. Antonius C. Norbanum ſeditioſum furioſumque hominem liberauit, cum illi optimi ciuis perſonam affinxiſſet. hac ratione Cicero iudicibus tenebras offudit, cum pro Cluentio dicens, eius mores eſſe probatiſsimos oſtenderet. hac ratione Cœlium adoleſcentẽ

perditum

perditum defendit, cum eius ſtudia, diligentiam in optimis artibus, & ſpem futuræ probitatis amplificaret.

Quin auſim dicere, maximam ferè omnium uim fidei faciendæ in moribus exprimendis eſſe poſitam.

Rem hanc amplificat, ut magis eos reprehendat, qui nihil de ea ſcripſerunt. Vim autem maximam perſuadendi in moribus eſſe ait, non tamen maiorem quam in Enthymematibus eſſe cenſet, ideo adiunxit aduerbium illud, ferè. Vidit hoc ẽt Oratorũm princeps Cicero, qui in omnibus ferè ſuis Orationibus in eo potisſimum occupatus eſt, ut quos defendit, ꝓbos eſſe uiros doceat, quos accuſat, improbos. neque enim probus uir male facit: & improbus raro benè. Sed quibus modis in moribus exprimendis fides haberi poſſit, docet egregiè Cicero ſecundo de Officiis, hoc modo: Fides autem ut habeatur duabus rebus effici põt, Si exiſtimabimur adepti coniunctam cum iuſtitia prudentiam. nam & ijs fidem habemus, quos plus intelligere quam nos arbitramur, quoſque & futura proſpicere credimus, & cum res agatur, in diſcrimenque uentum ſit, expedire rem & conſiliũ ex tempore capere poſſe: hanc enim omnes exiſtimant utilem ueramque prudentiam. iuſtis autem & fidis hominibus, ideſt bonis, ita fides habetur, ut nulla ſit in his fraudis iniuriæque ſuſpicio. itaque his ſalutem noſtram, his fortunas, his liberos rectisſimè committi arbitramur.

TEXT. *Alterum genus probationis, quod ab auditoribus proficiſcitur, fit, cum motum aliquem animi miſcet Oratio, neque enim eodem modo de aliqua re iudicamus, cum mœremus, & gaudemus, aut cum diligimus & odio proſequimur: qua in una re tantum eos laboraſſe dicimus, qui hactenus de Arte dicendi conſcripſerunt.*

COMM. Nunc aggreditur explicare quod nam ſit ſecũdum artificioſæ probationis genus, & id eſſe docet, quo perturbantur animi & concitantur, Græci παθητικὸν nominãt, in quo uno regnat Oratio, ſicut ait in Oratore ad Brutum Cicero: quod autem motiones animi fidem faciant, probat ea ratione, quod non ſumus in eadem ſententia, cum nos urget mœror, qua ſumus, cum lætamur. & ſi quem amamus, in eum multo mitiores ſumus, ẽt ſi peccarit, quam in eũ, quem odio proſequimur. itaque quoties animus in contrarias partes mouetur, uariatur etiam iudicium. quod cum intelligerent ueteres illi rhetores, in hoc tantũ uno probationis genere, ſuum omne ſtudium & artẽ collocarunt. quos merito reprehendit Ariſtoteles, quia duo præcipua probationum genera prætermiſerunt. cur autem commotiones animi iudicia uariẽt, declarat Quintilianus his uerbis, libro ſexto: Nam cum iraſci, fauere, odiſſe, miſereri cœperint, agi iam rem ſuam exiſtimant, & ſicut amantes de forma iudicare non poſſunt, quia ſenſum oculorum premit amor: ita omnem inquirendæ ueritatis rationem iudex amittit, occupatur affectibus, æſtu fertur, & uelut rapido flumini obſequitur. & paulò poſt: Huc igitur incumbat Orator, hoc opus eius, hic labor eſt, ſine quo cætera nuda, ieiuna, infirma, ingrata ſunt. adeo uelut ſpiritus operis huius atque animus eſt in affectibus. de hac re copioſè M. etiam Antonius ſecundo de Oratore uerba facit, ubi ait Orationis ui, quocunque uoluerit Orator, impelli iudicem poſſe. Sed tantam (inquit) uim habet illa quæ rectè a bono poeta dicta eſt flexanima, atque omnium regina rerum Oratio, ut non modo inclinantem erigere, aut ſtantem inclinare, ſed etiam aduerſantem & repugnantem, ut imperator bonus ac fortis capere poſſit. Quod autem ait Ariſtoteles προάγειν εἰς πάθος, ſignificat in perturbationem adducere. ſicuti tertio libro dixit προάγειν εἰς γέλωτα, in riſum adducere. ſed Cicero in partitionibus dixit miſcere animi motum.

Sed de his omnibus ſigillatim tractabitur, cum motiones animorum explicabimus. TEXT.

COMM. Hæc eſt ἀποδίωξις hoc eſt, reiectio, qua oſtendit ſe nolle hoc loco ea perſequi, quæ ad ſecundũ artificioſæ probationis genus pertinent. de hoc genere probationis (inquit) eo tempore uerba faciemus, cum explicabimus ea, quæ ſolent animos commouere. hoc autem facit initio ſecundi libri. nam ibi ſingulas animi permotiones diligenter exequitur.

Tertium probationis genus Oratione fit, cum aut uerum, aut, quod ueri ſpeciem habet, concludimus ex eis, quæ in quaque re ſint ad perſuadendum accommodata. TEXT.

COMM. Probatio quæ fit Oratione, non à perſonis naſcitur, ſed à rebus, atque negociis. nam (ut primo de Inuentione docet Cicero) omnes res argumentando confirmantur, aut ex eo quod perſonis, aut ex eo quod negociis eſt attributum. quod etiam Quintilianus libro quinto ſic affirmat: Nam nec ulla quæſtio eſt, quæ non ſit aut in re, aut in perſona. nec eſſe argumentorum loci poſſunt, niſi in ijs quæ rebus, aut perſonis accidunt. idem alibi: In primis igitur argumenta ſæpe à perſona ducenda ſunt, cum ſit, ut dixi, diuiſio, ut omnia in hæc duo partiamur, res, atque perſonas. ut cauſa, tempus, locus, occaſio, inſtrumentum, modus & cætera, rerum ſint accidentia Quare cum duas iã ꝓbationis ſpecies à perſonis fecerit Ariſtoteles, nunc adiungit tertiam quæ fit à rebus ipſis, per argumentationem, quando colligimus ea, quæ uera ſunt, aut ſaltẽ quæ uera eſſe uidentur. hæc enim utraque perſequitur Orator, uera (inquã) & quæ uidentur eſſe uera, licet non ſint. quę ut inueniat, ſingulas res diligentisſime perſcrutatur, & ex eis ducit, quicquid perſuadendi uim habet. Quod autem ait περὶ ἕκαστα, hoc eſt in ſingulis rebus, declarat Oratorem magis in eis occupatum eſſe, quæ ſingularia & indiuidua, quod Dialectici non faciũt. quæ tamen ex generalibus probationem habent. nihil enim neque ſyllogiſmo, neque enthymemate benè concluditur, niſi probationis uim ab aliqua generali ꝓpoſitione trahat. & hoc eſt,

cap. 8.

cap. 10.

quod

quod Dialectici dicunt, ex indiuiduis atque ſingularibus tantum propoſitionibus nihil rectè cõcludi ſolere, ut, exempli gratia, Cicero nequaquã probare poſſet iuſte interfectum fuiſſe Clodiũ, niſi inſidiatores omnes conſtaret, iuſte interfici poſſe. neque exterminandum eſſe Catilinam, niſi ſcirent omnes, eſſe patriæ proditores exterminandos. quãuis igitur in ſingularibus uerſentur Oratores, tamen probationum ſuarum robur a generalibus accipiũt. & hoc eſt quod ait M. Antonius in ſecundo de Oratore: Nulla denique eſt cauſa in qua id quod in iudicium uenit, ex reorum perſonis, ac non generum ipſorum uniuerſa diſputatione quæratur. & paulò ſuperius: ignari (inquit) omnes controuerſias ad uniuerſi generis uim & naturam referri.

TEXT. *Cum igitur omnes artificioſæ probationes per hæc fiant: perſpicuum eſt, eum ſolum hæc tria conſequi poſſe, qui diſſerendi rationem & morum atque uirtutum cognitionem, & perturbationum animi naturam perceperit, ut ſciat quid unaquæque perturbatio ſit, & qualis, & ex quibus excitetur, & quomodo.*

COMM. Nemo poterit eſſe perfectus Orator, niſi tres illas artificioſæ probationis ſpecies benè cognitas habuerit, & intellexerit qua ratione fieri poſſint. quod ſi quis à re ipſa ducere argumenta uoluerit, oportet ut diſſerendi rationem intelligat, ſine qua non fieri poteſt, ut ſedes argumentorum benè cognoſcat. ſi uero à perſona ſua perſuadere quæſierit, morum atque uirtutum cognitionem habeat oportet, ut Orationi mores affingat. denique ſi à perſona auditorum uoluerit fidẽ facere, non poterit, niſi perturbationum naturam intellexerit, ut ſciat qua ratione poſſint auditorũ animi permoueri. tria ſunt igitur Oratori perdiſcenda, ratio diſſerendi, mores, & perturbationes. hæc huius loci ſententia eſt. à qua non diſſentit Cicero. multis enim in locis diſſerendi rationem Oratori neceſſariam eſſe cenſet, ut in Oratore ad Brutum, in libro de claris Oratoribus, in Topicis. quam rem nos primo libro Reprehenſionum noſtrarum contra Nizolium copioſè perſecuti ſumus, docuimuſque nullo modo poſſe Oratorem eſſe qui diſſerendi rationẽ ignoret. quamuis Craſſus primo de Oratore, concedere uideatur inerti Oratori ut diſſerendi ſubtilitatem relinquat. at nos nõ inertem, ſed induſtrium & ualentem quærimus. Quod autem Orator morum ac uirtutum cognitionem habere debeat, ſic adfirmat primo de Orat. Craſſus: Quare hic locus de uita & moribus totus eſt Oratori perdiſcendus. quin etiam ſecundo de Inuẽtione, & in Parti. uirtutes omnes breuiter & accuratè perſequitur. Quintilianus omnia quæ ad uitam & mores attinent Oratoris eſſe propria cenſet, uerum à Philoſophis uſurpata. nam initio fuerunt hæc copulata ut ijdem eſſent ſapientes atque eloquentes, quod tertio de Orat. multis uerbis Craſſus oſtendit. Iam uero nemo dubitare poteſt quin cognitio perturbationũ ſit Oratori neceſſaria, cum in hoc uno regnet Oratio, ſicut ait in Oratore Cicero. Et M. Antonius ſecundo de Oratore nihil eſſe maius in dicendo cenſet. Eius hæc uerba ſunt: Nihil eſt enim in dicendo Catule maius, quàm ut faueat Oratori is, qui audiet, utq; ipſe ſic moueatur, ut impetu quodam animi, & perturbatione, magis quã iudicio, aut conſilio regatur. ſentit igitur cum Ariſtotele Cicero.

TEXT. *Itaque fit, ut Rhetorica ſit propago quædam, & quaſi pullulatio Dialecticæ; & facultatis eius, quæ de moribus tractat, quam rectè ciuilem ſcientiam appellabimus.*

COMM. Ex ijs, quæ ſupra dixit, concludit Rhetoricam ex Dialectica, atque ex ciuili ſcientia conflatam eſſe, atque ab utraque proficiſci. quod eleganti ſanè metaphora facit, uocat enim Rhetoricam οἷον παραφυές τι, id eſt quaſi pullulatio quædam Dialecticæ & ciuilis ſcientiæ, quæ translatio deducta eſt ab arboribus. nam ut ait Virg.

Pullulat ab radice aliis denſiſſima ſylua. 2. Georg.

Stolones uocabant latini ueteres ea uirgulta quæ ab radicibus arborum pullulant, quæ magnã quidem habent cum arboribus quibus adnaſcuntur ſimilitudinem, & earum naturam redolẽt, ſed tamen multò ſunt inferiora, neq; tam uberes fructus ferunt. ita etiam Rhetorica quaſi pullulat ab radicibus duarum excellentium ſcientiarum, hoc eſt Dialecticæ & ciuilis ſcientiæ. ſed non tamẽ eis æqualis eſt. quatenus enim argumentandi rationem amplectitur, & confirmare rationes ſuas, refellere aduerſarios quærit, Dialecticæ quaſi propago eſt. quatenus autem de uita & moribus tractat, & perturbationes animi perſcrutatur, ciuili ſciẽtiæ ſimilis eſt. Quod autem eam Philoſophiæ partem quæ de uita & moribus eſt, rectè ciuilem ſcientiam appellari poſſe cenſet Ariſtoteles, non diſcedit ab inſtituto ſuo. nam Ethicorum primo libro ſic ait: τὰ δὲ καλὰ καὶ τὰ δίκαια περὶ ὧν ἡ πολιτικὴ σκοπεῖ. id eſt, res honeſtæ atque iuſtæ de quibus ciuilis ſcientia pertractat. quin etiã paulo ante dixerat: ἡ μὲν οὖν μέθοδος τούτων ἐφίεται, πολιτική τις οὖσα. Atque hæc quidem ratio (quoniam ciuilis eſt) in his tota uerſatur. uocat igitũ Ariſtoteles πολιτικὴν hoc eſt ciuilem ſcientiam, omnem eã cognitionẽ quæ eſt de uita & moribus, quam uocant ἠθικὴν, & quæ eſt de tuenda re familiari, quæ dicitur οἰκονομικὴ, & quæ eſt de Rep. quæ proprio nomine πολιτικὴ, nuncupatur. quo fit ut ciuilis ſcientia cõprehendat omnia quæ ad humanas actiones & benè beateque uiuendum pertinent ut non ſine cã uocet eam Ariſtoteles dominam & principem omnium ſcientiarum, dicatque in ea ſummũ hominis bonũ eſſe. cui facultates eas ſubijcit quæ in maximo honore ſunt & precio, ut rem militarem, ut rem familiarem, ut Rhetoricam. Eſt igitur ciuili ſcientiæ ſubiecta Rhetorica tanquam eius pars quædam. 1. Ethic.

TEXT. *Atque ideo Rhetorica ſibi habitum, ac formam ſcientiæ ciuilis inducit: & qui huic arti incumbunt, partim ignoratione rerum, partim inani gloria ducti,*

partim alijs etiam humanis cauſis. ciuilem ſe tenere ſcientiam profitentur; cum particula tantum quadā, & imago Dialecticæ ſit, quemadmodum initio diximus.

COMM. Inuehitur in Rhetoras ſui temporis, qui cum Rhetoricā profiterentur, dicebant ſe ciuilem ſciētiam docere. cū tamen Rhetorica, licet habitum ac formā ciuilis ſcientiæ ſibi inducat, ea longè ſit inferior. Igitur dicendi magiſtri, uel quod eſſent imperiti, uel nimiū arrogantes, uel aliis etiam de cauſis arti ſuæ nomen mutabant. & pro Rhetorica, Politicā appellabant, dicebantque ſe tenere adminiſtrandæ Reip. rationem. quod apud Platonē Gorgias facit. & Quintilianus ſic ait: Cū uir ille uerè ciuilis, & publicarum priuatarumque rerum adminiſtrationi accōmodatus, qui regere conſiliis urbes, fundare legibus, emendare iudiciis poſſit, non alius ſit profecto quā Orator. Cicero tamen in proœmio librorum de Oratore ſeparat ciuilem ſcientiā ab Oratoria facultate cum ait. Iam uero conſilio ac ſapientia qui regere ac gubernare Remp. poſſent multi noſtra, plures patrū memoria, atque etiam maiorum extiterunt, cum boni per quandiu nulli, uix autem ſingulis ætatibus ſinguli tolerabiles Oratores inuenirentur. Duas autem potiſſimum cauſas adfert Ariſtoteles cur Rhetores falſam ſibi ſcientiæ perſuaſionem inducerent, hoc eſt ignorantiā, & inanem gloriā. Sunt enim plurimi qui licet imperiti ſint, tamen ſe doctos arbitrantur, & cum aliquid ultra primas literas progreſſi ſunt, omnia ſe intelligere, atque ſcire opinantur. ideo de omnibus rebus temere iudicant, nihil autem dubitant. cum uerum illud ſit quod uulgo dicitur. qui nihil dubitat, nihil intelligit. eſt autem differentia inter Ignorantiā & inſcitiam, ſicuti inter doctrinam & ſcientiam. nā ſcientia eſt rerum ſtabilium & certarum, quæ aliter ſe habere non poſſunt, ideo exquiſitè traditur, & cū explicatione cauſarum. nā ſcire propriè eſt, rem ex cauſis cognoſcere, ut ait Ariſtoteles. hæc Græcè uocatur ἐπιστήμη, cui contraria eſt ἄγνοια, quam nos inſcitiā nominamus. doctrina uero eſt omnis eruditio liberalis & ingenua, non perfecta neque penitus abſoluta, qualis eſt literarum cognitio, & poetarum, & hiſtoriarum, & artis Rhetoricæ, quę Gręcè dicitur παιδεία, cui contraria eſt illa quā Ariſtoteles hoc loco uocat ἀπαιδευσίαν, nos autē ignorantiam, uel ignorationem. Ariſtoteles primo Poſteriorum oſtēdit inſcitiam eſſe duplicem, alterā q̄ dicitur κατὰ ἀπόφασιν, alterā κατὰ διάθεσιν. quidā uertunt inſcitiam negationis, & inſcitiam diſpoſitionis. prior eſt illa inſcitia, quando quis aliquam ſcientiā nunquam didicit, & eius penitus rudis eſt, ut ſi quis Geometricas rationes non didicit, eius inſcitia κατὰ ἀπόφασιν dicetur, ideſt p negationem, quod illi negata ſit Geometriæ cognitio. altera eſt inſcitia longè deterior, quando quis malè peruerſeque didicit, & tamen recte ſcire ſe putat, hæc uocatur inſcitia κατὰ διάθεσιν, ideſt p diſpoſitionem, quæ raro poteſt emendari. Vnde Timotheus ille Muſicus celeberrimus duplicem ab eis diſcipulis mercedē exigebat, qui iam ab alio magiſtro didiciſſent. quod oporteret eos non tantū docere, ſed etiam dedocere. Rhetores igitur qui putant ſe tenere ciuilem ſcientiam hoc faciunt ignoratione rerum, & ſunt in illa inſcitia quæ diſpoſitionis uocatur. unde non facile poſſunt emēdari. ſunt etiam quidam qui hoc faciant non ignoratione, ſed inani gloria ducti, ut honorem adipiſcantur, tales dicuntur ἀλαζόνες ideſt uentoſi homines & glorioſi. nam ἀλαζονεία uitium eſt, quod latini uentum appellant, ut Lucretius.

-Magis omnia laudis.
Aut etiam uenti ſi fert ita forte uoluntas
Iactari cauſa.

Cicero pro A. Cluent. Verum omnes intelligimus in iſtis ſubſcriptionibus uentum quendam popularem eſſe quæſitū. Vnde uentoſus homo dicitur, qui inanis gloriæ ſtudio ducitur. Itaque Brutus ad Ciceronem ſcribens Epiſt. libro. 11. Ventoſiſſimum hominem Lepidum uocat. tales igitur erant plerique Rhetores, qui ſe res maximas, & rebus publicis utiliſſimas ſcire profitebantur. ut Polus in Gorgia Platonis. aliqui faciunt hoc aliis de cauſis, nempe ue lucrentur, fingunt ſe tenere ſcientiam quibus uiri boni fiant, & ciuiles, ſicuti Prodicus & Protagoras. & tamen (inquit Ariſtoteles) id uerum eſt, quod nos initio diximus, Rhetoricam eſſe tātum particulam quandam, & imaginem Dialecticæ.

Neutra enim earum alicuius definita rei ſcientia eſt; ut quærat quomodo res ea ſeſe habeat: ſed facultates quædam ſunt rationes & argumenta comparandi. TEXT.

Docet quomodo Rhetorica Dialecticæ imaginem præ ſe ferat, quòd earum neutra quærit naturam alicuius certæ rei quod omnes aliæ ſcientiæ faciunt. ſed ea quærunt ambæ quibus una quæq; res probari aut euerti poſſit. Ideo Cicero in Oratore ad Brutum Dialecticorum ſcientiā uicinam Rhetoricæ atque finitimam eſſe dicit. Quāuis autem formam atque habitum ciuilis ſcientiæ ſibi Rhetorica inducat, tamen potius imago Dialecticę, quā Politicæ dicitur, quia non ipſas res ciuiles conſiderat, eo modo quo Philoſophi ſolent, ſed tātum de illis in utranq; partē diſputat. diſputare autē proprium eſt Dialectici. & ſicut Dialecticus non quærit naturam rerū, ſed de rebus ipſis ratiocinatur, ideo dicitur rationalis ſcientia, ita etiam Rhetor, quo fit ut Rhetorica ſimulacrum & imago Dialecticæ dicatur. COMM.

Iā igitur de utriuſq; ui ac poteſtate, quoq́ue modo inter ſe coniunctæ ſint, ſatis (ut opinor) dictum eſt. COMM.

Admonet quid hactenus factū ſit. declaratum eſt (inquit) quā poteſtatē ac uim habeāt Rhetorica & Dialectica. & q̄uo uicinæ atq; finitimæ ſint. tria uero ſunt quæ potiſſimum in his artibus conſiderantur, poteſtas, probationes, inſtrumenta, & iam docuit Ariſtoteles poteſtate ſimilē eſſe Rhetoricā Dialecticę. ſupereſt igitur ut doceat etiā probationes eam & inſtrumenta ſimilia habere TEXT.

1.Poſt.

quare ita ſubiungit.

TEXT. *In probationibus autem quæ aut uerè demõſtrãt, aut tantum uidentur demõſtrare, quemadmodum in Dialecticis inductio eſt, & uerus ſyllogiſmus, & præterea tantum apparens ſyllogiſmus; ita etiam in hac arte. exemplum enim inductio eſt. enthymema uero ſyllogiſmus.*

COMM. Probationes aut ueræ ſunt, aut apparentes, utriſque Dialecticus utitur, aut ſaltem intelligit. ita etiam Rhetor, ioſtrumenta Dialectici ſuot Inductio, ſyllogiſmus, & apparens ſyllogiſmus, quibus ex altera parte reſpondent Rhetoris inſtrumenta quæ ſunt exemplum, enthymema, et apparens enthymema. ſimilitudo uero ex eo cognoſcitur, quod exemplum eſt inductio quædam, ſicut eoim inductio ex ſingularibus colligit ea, quæ uult, ita etiam exemplum, io eo taotum differũt, quod inductio plerunque generalia, exemplum maiori ex parte ſingularia colligit. enthymema ſyllogiſmus quidã eſt, ſed imperfectus, & dr̃ Oratoris ſyllogiſmus. hoc eſt qđ ſubiũgit Ariſtoteles.

TEXT. *Voco autem ego enthymema quidem Oratorium ſyllogiſmum, exemplum autem inductionem Oratoriam. Omnes enim Oratores cum aliquid dicendo probare uolunt; aut exemplis, aut enthymematibus utuntur: & præter hæc nihil habent.*

COMM. Hanc cognationem inſtrumentorum Rhetoricę ac Dialecticæ ſe excogitaſſe oſtendit. ut enthymema comprehendatur ſub ſyllogiſmo, exemplum uero ſub inductione. qua ſanè ratione erit enthymema ſyllogiſmi pars & exẽplum pars inductionis, & hoc eſt quod ait Quintilianus libro quinto. Enthymema ab aliis Oratorius ſyllogiſmus, ab aliis pars dicitur ſyllogiſmi. & alibi: nunc alii Rhetoricum ſyllogiſmum, alii imperfectum ſyllogiſmum uocauerunt. & certè Ariſtoteles primo priorum uocat enthymema ἀτελῆ συλλογισμόν, hoc eſt ſyllogiſmum imperfectum. quod ei deſit altera propoſitio, ut ioterpretes cenſeot uel maior, uel minor. nam quod notiſsimum eſt adiungere noo oportet. qua de cauſa Iuuenalis dixit curtum enthymema Satyra ſexta:

Aut curtum ſermooe rotato
Torqueat enthymema.

Conſtat. n. tantũ propoſitione & rõne. ut Clodius iure fuit interfectus, qm̃ erat inſidiator. Conſtat enim omnes inſidiatores iure interfici poſſe. quare hoc adiungendum non eſt. Omnis autem Oratoria probatio ducitur uel ab exemplo, uel ab enthymemate, neque præter hæc ullum inſtrumentum habẽt Oratores quo fidem facere poſsint. exempla ualent plurimum ad imperitam multitudinem commouendam, ſicut ait Macrobius ſeptimo Satur. & Ariſtoteles Ethicorum decimo. nam per ſimilia quaſi manu ducuntur ad ea de quibus eſt controuerſia, quod ioductione præcipuè fieri ſolet, qua in ſermonibus ſuis plurimum Socrates utebatur, ut primo de Inuentione docet Cicero, & apud Platonem uidere licet. tamen enthymemata perſuadendi uim maiorem habent, ut cenſet Ariſtoteles. quia firmius concludunt.

TEXT. *Quare ſi omnino neceſſe eſt, eum, qui probare aliquid uelit, aut ſyllogiſmo, aut inductione uti; quod ex iis quæ ſunt à nobis in libris Analyticis explicata, perſpicuum eſt: neceſſitas cogit, ut utrinſque illorum natura, utrique horum par, atque eadem ſit.*

COMM. In libris priorum docet Ariſtoteles, nihil omnino probari poſſe, niſi uel per ſyllogiſmum, uel per inductionem. nunc igitur argumeotatur ab enumeratiooe partium hoc modo: ſi uerum eſt id, quod docuimus io libris Analyticis, nullam probationem fieri poſſe, oiſi aut ſyllogiſmo, aut inductione, profecto neceſſe eſt, ut etiam oratores, cum aliquid probare uolunt, uel ſyllogiſmo, uel inductione utantur. ſed inſtrumenta quibus utuntur Oratores ad probandum ſunt exemplum & enthymema, quare neceſſe eſt, ut horum utrunque, ſit idem cum utroque illorum. erit igitur exẽplum idem quod inductio, & enthymema idem quod ſyllogiſmus. differunt autem perfectione tãtum. quod inſtrumenta Rhetorica ſunt imperfecta, Dialectica uero perfecta. Analytici libri uocantur ij, in quibus de ratione iudicandi diſputatur. quod Boethius in principio librorum quos de differentiis Topicis inſcripſit apertè teſtatur, cum ait: Et ea quidem pars quæ iudicium purgat atque inſtruit ab illis ἀναλυτικὴ uocata eſt, à nobis poteſt reſolutoria nuncupari. quod etiam Perionius in primum librum Topicorũ Ariſt. ſcribẽs multis rationibus affirmat. & Philopoous ait in Analyticis nihil aliud quæri niſi utrum ſyllogiſmi neceſſarij ſint & artificioſè confecti nec ne. quam rem ad iudicandi artem pertinere quis nõ intelligit? dicũtur autem Analytici, uel quod per eos quæſtiones reſoluantur & explicentur, uel quod per reſolutionem ſyllogiſmorum iudicetur utrum bene confecti ſint, nec ne. in eis igitur libris docuit Ariſtoteles in omnibus artibus & ſciẽtiis omnes probationes fieri uel per ſyllogiſmum uel per Inductionem, neque præter hæc duo inſtrumenta, ullum aliud reperiri, quod aptum ſit ad probandum. nanque etiam demonſtratiooes Mathematicæ, quæ omnium habentur firmiſsimæ & certiſsimæ, ſyllogiſmi oomine comprehenduntur. dicuntur enim ἀποδείξεις. i. probationes euidentes.

TEXT. *Quæ autem differentia ſit exempli, & enthymematis facile ex Topicis intelligi poteſt. ibi enim de ſyllogiſmo, & inductione iam antea dictum eſt.*

COMM. Poſtquam oſtendit inſtrumenta Rhetoricæ ſimilia eſſe inſtrumentis Dialecticæ, concludit nunc eum qui bene intelligat, quæ ſit inter inductionem & ſyllogiſmum differentia, facile etiam percepturum in quo differat exẽplum ab enthymemate. Quare cum in Topicis iam de ſyllogiſmo & ioductione dictum ſit, ex eiſdem etiam patet quomodo exemplum ab eothymemate diſtinguatur. Topica dicitur ea Dialecticæ pars quæ locos ac ſedes argumentorum complectitur, eam

Cicero

Cicero uocat artem inueniendi. Omnis enim ratio diligens diſſerendi duas habet partes unam inueniendi, alteram iudicandi. quarum utriuſque princeps Ariſtoteles fuit, ut ait Cicero. ars inueniendi τοπικὴ dicitur, quidam localem appellant. ars autem iudicandi nocatur διαλεκτική, in qua ſola Stoici elaborauerunt, & Topicam totam reliquerunt. Ariſtoteles autem octo libris hanc facultatem inueniendi acutisſimè & diligentisſimè comprehendit. in quibus etiam de ſyllogiſmo & inductione, & de eorum differentia tractauit. hoc eſt quod ait in præſentia.

TEXT. *Nam cum ex pluribus, & ſimilibus, ita ut uolumus, rem ſe habere oſtendimus, ibi quidem inductio eſt, at in hac arte exemplum.*

COMM. Docet quomodo fiat inductio atque exemplũ, nempe cum pluta ſumuntur, quæ intet ſe ſimilia ſint, ut id concludatur, quod dubium eſt. duo igitur requiruntur ad conficiendam inductionem, primò quod plura ſint ea quæ ſumuntur. neque enim unum ſatis eſt, quoniam fit per collationẽ, in qua neceſſe eſt ut ſẽper plura ſint, deinde oportet, ut ea ſint inter ſe ſimilia, nam ſi disſimilia fuerint, nihil cõcludi poterit. Cicero in Topicis hæc eadem ferè docet, ſic enim ait: Sunt enim ſimilitudines, quæ ex pluribus collationibus perueniũt quo uolunt. hoc modo: Si tutor fidem præſtare debet, ſi ſocius, ſi cui mandaris, ſi qui fiduciam acceperit, debet etiam procuratot. hæc ex pluribus perueniens quo uult, appellatur inductio, quæ Græcè ἐπαγωγὴ nominatur. qua plurimum eſt uſus in ſermonibus Socrates. Agricola putat inductionem eandem eſſe cum enumeratione partium, quod non ſemper uerum eſt. ut enim omnis enumeratio partium ſit inductio, non tamen contra. ſunt enim inductiones quædam quæ non fiunt ab enumeratione partium, ſed à pluribus diſtinctis atque ſeparatis, quæ tamen habeant aliquam inter ſe ſimilitudinem. fit ergo tribus præcipuè modis inductio, uel enim ex partibus totum colligimus, uel ex formis genus, uel ex ſimilibus quod dubium eſt probamus. Ac primo quidem cum ex partibus totum probatur, nulla pars prætermitti debet, alioqui non rectè concluditur. ut cum Cicero ptobare uult ab uniuerſo populo Romano Milonem diligi, neceſſe eſt ut enumeret omnes populi partes, quæ ſunt, plebs, equeſter ordo, Senatus. ſic ergo poterit inductionem formare: Milo à toto Senatu diligitur, & ab equitibus Romanis omnibus, & à plebeis, ergo ab uniuerſo populo Romano amatur. Cum autem à formis per inductionem probatur genus, omnes formæ ſunt enumerandæ, ut cum Cicero probat Pompeium eſſe ſummum imperatorem, quærit eas res, quæ in ſummo imperatore eſſe debẽt, & eas eſſe in Põpeio docet. ſic igitur à formis inductio formari poteſt: in Pompeio eſt eximia belli ſcientia, ſingularis uirtus, clarisſima auctoritas, egregia fortuna, ergo in eo ſunt quæcunque in ſummo imperatore eſſe debẽt. Sed cum ex pluribus ſimilibus, quod dubium eſt probamus, quæ propriè inductio uocatur, nõ opus eſt omnia ſimilia quærere, quæ poſſunt eſſe penè infinita, ſed ſatis eſt aliqua colligere. ut cum Cicero pro lege Man. ptobare uult, ſemper ad nouos caſus temporum, nouorũ conſiliorum rationes accommodandas eſſe. non opus eſt ut omnia exempla recenſeat in quibus noua conſilia ſumpta ſint, ſed ſatis eſt ut aliqua uel uetera, uel recentia commemoret. itaque ex ueteribus Scipionem Africanum in quo multa noua conſtituta fuerant, in medium adducit, ex recentioribus C. Marium, deinde recenſet ea quæ in ipſo Pompeio noua conſtituta ſunt, ut a ſimilibus ita concludat: Si plurima noua in Pompeio conſtituiſtis, hoc etiam conſtituere debetis. locus eſt notisſimus in extrema parte Orationis pro lege Man. ubi ita inquit: in ipſo Cn. Pompeio in quo noui conſtitui nihil uult Q. Catulus, quam multa ſint noua ſummaque Catuli uoluntate cõſtituta recordamini. quid tam nouum quam adoleſcentulum priuatum, exercitum difficili Reip. tempore conficere, confecit, huic præeſſe, præfuit, rem optime ductu ſuo gerere, geſſit. quid tã præter conſuetudinem, quam homini peradoleſcenti, cuius à Senatorio gradu ętas lõgè abeſſet, imperium atque exercitum dari. & totus ille locus. Laurentius Valla putat inductionem ſemper fieri pet interrogationem. quod licet frequentisſimum ſit, non tamen ſemper uerum eſt. cum etiam ſine interrogatione, multæ inductiones & exempla teperiantur. ut pro Milone Cicero inductione probat, iure ſceleratos ciues interfici poſſe, neque tamen utitur interrogatione. ſic enim ait: neq; enim poſſe aut Hala ille Seruilius, aut P. Naſica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut me cõſule Senatus nõ nefarius haberi, ſi ſceleratos ciues interfici nefas eſſet. Sed non ſatis intellexiſſe nidetur Valla, quæ uis ſit inductionis, & quot modis fiat. nam omnes enumerationes partium, aut formarum omnes ſimilitudines, omnia exempla, quibus aliquid uel generatim concluditur, uel ſigillatim, inductiones ſunt. quæ uel per interrogationem, uel ſine interrogatione proferri ſolent, ut omnibus notisſimum eſt.

TEXT. *Cum uero quibuſdam propoſitis, aliud quiddam eorum cauſa quæ propoſita, ſunt cõtingit propterea quod illa uel generatim uera ſint, uel plerunque fiãt, in Dialectica quidem ſyllogiſmus, in Rhetorica uero enthymema uocatur.*

COMM. Poſtquã inductionis & exẽpli naturã breuiter expoſuit, docet etiã quæ ſyllogiſmi ſit, atq; enthymematis natura. neceſſe eſt enim ut in ſyllogiſmo atque in enthymemate uis probationis omnis uel a duabus ꝓpoſitionibus generalibus, uel ab una ſaltem generali propoſitione proueniat. nam ubi nulla propoſitio generalis eſt, ibi nec ſyllogiſmus nec enthymema eſſe poteſt. eſt igitur hæc inter ſyllogiſmum & inductionem differentia, quod ſyllogiſmus à generalibus concluſionem trahit, inductio uero à ſingularibus. porrò illa

C 2 gene-

generalia quæ ponuntur in ſyllogiſmo, uel neceſſaria ſunt, & ſemper uera, ut ſe aliter habere non poſsint, ut ſiquis dicat nihil ex nihilo fieri, uel ſaltem einſmodi ſunt, ut maiori ex parte fiant, & raro aliter eueniant, ut ſiquis dicat, filios à parentibus amari. Ex his generalibus uel duæ propoſitiones fiunt in ſyllogiſmo, ut ſiquis probare uelit: omnem uirtutem eſſe magnopere expetendam, neceſſe eſt ut duas generales propoſitiones inueniat hoc modo: omnis animi habitus cum ratione conueniens & animum perficiens magnopere expetendus eſt, omnis autem uirtus, eſt animi habitus cum ratione conueniens & animum perficiens. ergo omnis uirtus magnopere eſt expetenda. Vel una ſaltem fit propoſitio ex generalibus. ut cum Cicero probare uult, iure interfectum Clodium, ita ſyllogiſmum format: omnis inſidiator iure interficitur, Clodius fuit inſidiator, ergo eſt iure interfectus. at uero ſine generali propoſitione ſyllogiſmus non fit. in Enthymemate quo plerunque ſingularia concluduntur, quia Rhetor magis ſingularia reſpicit, illa propoſitio generalis aliquando ponitur, ut ſi Philoſophi omnes rerum diuinarum atque humanarum cognitionem habent, ergo etiam Socrates qui eſt philoſophus. aliquando cum nouiſsima eſt, non adhibetur, ſed tamen ab eo manat omnis uis probationis. ut necandus eſt Lentulus, quia patriam prodidit. nam illud apertum eſt, omnes patriæ proditores eſſe necandos. oporte git ur ut in ſyllogiſmo ſint quædam propoſita. duæ ſunt enim propoſitiones quarum altera maior, altera minor uocatur, quarum cauſa, quiddam aliud efficitur, id uero quod efficitur, concluſio uocatur, quæ uim habet ex eo, quòd illæ propoſitiones uel generatim ueræ ſunt, uel plerunque ita fiant, idem fit etiam in Enthymemate, niſi quod ſæpe altera propoſitio prætermittitur, cum in ſyllogiſmo ſemper ambæ ponantur. Quod Quintilianus libro quinto ſic oſtendit: Enthymema ab aliis Oratorius ſyllogiſmus, ab aliis pars dicitur ſyllogiſmi, propterea quod ſyllogiſmus utique concluſionem & propoſitionem habet, & per omnes partes efficit, quod propoſuit, enthymema tantum intentum intelligi contentum ſit. Syllogiſmus talis. Solum bonum uirtus. nam id demus bonum eſt, quo nemo malè uti poteſt, nirtute nemo male uti poteſt, bonum eſt ergo uirtus. enthymema ex conſequentibus: Bonum eſt uirtus qua nemo malè uti poteſt. Et contra: Non eſt bonum pecunia. non enim bonum quo quiſquam malè uti poteſt, pecunia poteſt quis male uti, non igitur bonum eſt pecunia. enthymema ex pugnaotibus: An bonum eſt pecunia, qua quiſque poteſt malè uti? hæc Quintilianus. ex quibus intelligi facile poteſt, eandem uim quidem habere ſyllogiſmum atque enthymema, ſed inter ſe forma concludendi differre. etiam illud apertum eſt, quod hoc loco ait Ariſtoteles, nempe id quod in Dialectica ſyllogiſmus eſt, in hac arte dicendi eſſe enthymema. aliquando nero enthymema fit ex totidē propoſitionibus quot ſyllogiſmus, ſed ordine conuerſo, ut quo Cicero pro Cælio utitur: in Cælio nulla eſt luxuries, eſt enim deditus optimarum artium ſtudiis quo in hominum genere nulla luxuries eſſe ſolet. hoc autem ſi retro agatur fiet ſyllogiſmus, hoc modo: in eis qui dediti ſunt optimarum artium ſtudiis nulla luxuries eſſe ſolet, Cælius optimarum artium ſtudiis deditus eſt, ergo nulla eſt in Cælio luxuries. ſed hæc in ſecundo Reprehenſionum noſtrarum libro contra Marium Nizolium longe copioſius perſecuti ſumus.

cap 14. (margin note beside "libro quinto")

TEXT. *Neque illud dubium eſt, artem ipſam, facultatemque dicendi hoc utrunque in ſe bonum habere. ut enim in libris de diſſerendi ratione, quos Methodicos inſcripſimus, iam à nobis antea dictum eſt; ſic etiam in his de Arte dicendi res ſe habet.*

COMM. Nemo (inquit) dubitare poteſt quin ars Rhetorica habeat illa duo inſtrumenta, hoc eſt exemplum & enthymema. uocat autem hæc bona, id eſt commoda, quibus ars utitur. nam ita (inquit) ars dicendi ſuis utitur inſtrumentis, quemadmodum diſſerendi ratio. ſicut oſtendimus in Methodicis libris. qui nerò ſint libri Methodici dubitari poteſt. quidam exiſtimant eoſdem eſſe, qui etiam Topici uocantur, in quibus Methodum inueniendi tradit, unde Methodici uocentur, quidam autem diuerſos eſſe putant. nam Simplicius in Categoriis Methodicorum librorum Ariſtotelis meminit. Diogenes Laertius unum Methodicum ab Ariſtotele ſcriptum memorat. nam quod ait Victorius octo Methodica memorari à Diogene in Ariſtotelis uita, id ego apud Diogenem non reperio. ntcunque ſit, illi libri Methodici ad artem diſſerendi pertinebant. Quod autem Rhetorica habeat hoc utrunque in ſe bonum, affirmat etiam Cicero qui primo de Inuentione ſic ait: Omnis igitur argumentatio, aut per inductionem tractanda eſt, aut per ratiocinationem. & Quintilianus libro quinto: Omnis (inquit) probatio artificialis conſtat aut ſignis, aut argumentis, aut exemplis. nerum ſigna & argumenta ſub enthymemate comprehēduntur, itaque idem eſt ac ſi dixiſſet: omnem probationem artificioſam aut enthymematibus aut exemplis conſtare.

TEXT. *Sunt enim dictiones quædam Oratoriæ, quæ potiſsimum exemplis conſtant, ſunt etiam quæ tota argumẽtis & Enthymematibus conficiantur. ſicuti Oratores quidam exemplis magis, quidam argumentis delectantur.*

COMM. Probat Rhetoricam ntrunque bonum in ſe habere, quoniam aliqua probantur exemplis, aliqua uero enthymematibus. & ex Oratorum numero quidam frequentius ntuntur exemplis unde παραδειγματώδεις dicuntur ab Ariſtotele, quidam nero magis enthymematibus delectantur, quos ἐνθυμηματικοὺς, idem Ariſtoteles uocat. talis fuit

Demo-

Demoſthenes cuius enthymemata lucernam olere Pytheas dixit, & Ariſtides Orator quē Budæus ſcribit enthymematicum fuiſſe dictum. Cicero noſter in utroque genere plurimum excellit, ſed tamen exemplis multo magis quam Demoſthenes delectatur.

TEXT. *Orationes autem, quæ conſtant exemplis ſunt quidem ad perſuadendum accommodatæ, non minus quā aliæ; ſed illæ quæ ſunt enthymematibus refertæ, maiore quodam impetu animos commouent.*

COMM. Nunc oſtendit quomodo differant inter ſe exēpla atque enthymemata quatenus ad perſuadendi uim attinet. tam (inquit) ad perſuadendum accommodata ſunt exempla quam enthymemata, ſed tamen enthymemata maiore ui commouent animos. ſolent aūt exempla magis delectare, quā enthymemata, ſicut Ariſtoteles in problematibus ait, ſectione decimaoctaua. cuius rei tres adfert cauſas. primo quod homines gaudere ſolent cum aliquid diſcunt, atque id celeriter, ſed per exempla facilius diſcunt, quæ cognita ſunt, & ſingularia, cum enthymemata ſint probatioues ex generalibus, quæ minus intelligimus quā ſingularia. deinde magis credere ſolemus eis, quorum plures teſtes ſunt. exempla uero teſtimoniorum ſunt ſimilia. teſtimouiis autem facile fides fit. poſtremo cum ſuauitate quadam, quod ſimile eſt, percipitur, ſed exempla fabulæque demonſtrant id quod eſt ſimile. hæ ſunt cauſæ cur magis exempla delectent quam enthymemata. quod etiam Cicero docet iu Oratore ad Brutum. ſic enim ait: Commemoratio autem antiquitatis exemplorumque pro-

7.Satur. latio ſumma cum delectatione & auctoritatem orationi adfert, & fidē. & Macrobius ita inquit: Plebeia ingenia magis exemplis quam oratione capiuntur. Sed enthymemata tantam uim plerunque habent, ut etiam inuitos homines ad credendum impellant.

TEXT. *Verum quæ ſit utriuſque cauſa, quoq́ue modo ſit utroque utendum, alio in loco poſtea dicemus. nunc autem, de ijs, quæ tractare cæpimus, magis enucleatè, diſtinctèq́ue diſſeramus.*

COMM. Poſtquam ſatis docuit quæ ſint artis Rhetoricæ inſtrumenta, & quomodo à dialecticis diſtinguantur, quidq́ue habeant ſingula præcipui, nūc eorum tractationem reijcit iu aliud tempus. nam ſecundo libro copioſè docet, quæ ad enthymemata & exempla pertinent. hoc loco uult ea perſequi quæ commemorare cæpit, hoc eſt, quæ communia ſunt in arte dicendi.

TEXT. *Nam quod appoſitum eſt ad perſuadendum, ſemper ad aliquem refertur, ut ei perſuadibile ſit.*

COMM. Duo ſunt quæ docere conatur hoc loco, primò Rhetoricam non eſſe ſola ſcientia coutētam, ſed ad opus & officium ſuum ſemper tendere, ac per ſe eſſe non poſſe. deinde non conſiderare principaliter quæ ſingularia ſunt, ſicuti neque alias artes. docet igitur primò id quod eſt probabile & ad pſuadendum accommodatum, eam habere naturā, ut ad alterum ſemper referatur, & cum altero cōparetur, non autem per ſe eſſe poſsit. ſciendū igitur quædam eſſe, quæ per ſe eſſe atque intelligi poſſunt, & ad alia non referuntur, quales ſunt naturę rerū & earum appellationes, ut homo, Deus, cœlum, & eius generis cætera, quorum ſcientiæ per ſe eſſe poſſunt. quædam autem ſemper cum alio conferuntur, & intelligi per ſe non poſſunt, quæ à Græcis uocātur πρός τι, eò, quòd ſemper ad aliquid aliud referuntur. qualia ſunt ea quæ ſub eādem rationem cadunt ut pater filius, dominus ſeruus, magiſter diſcipulus, atque infinita alia. ergo (inquit Ariſtoteles) τὸ πιθανὸν ideſt perſuadibile, ut Quiutilianus uertit, idem etiam non eſt in priore genere, ut per ſe intelligi rectè dici poteſt, ſed eſt in ſecundo genere. quoniam ſemper alterum reſpicit. & ideo perſuadibile uocatur, quod alicui pſuaderi poſſit. quod ſi ita eſt, neque Rhetorica quæ perſuadibili utitur, erit per ſe, ſed ſemper ad alterum referetur. niſi enim ſit aliquis cui perſuadeat, certe perſuadere non poterit. cum reliquæ ſcientiæ multæ per ſe poſſint eſſe, ut Aſtrologus cognitione contentus alterum non reſpicit, cui ſuas rationes probet. niſi fortaſſe docere uoluerit, tunc enim non ſimpliciter erit Aſtrologus, ſed aſtrologiæ magiſter.

Id autem duplex eſt. aliud enim ſimul, atque auditum eſt, ex ui ſua probatur, & creditur; aliud autem arte indiget, ut propoſitis rationibus demonſtretur. TEXT.

Poſtquam oſtēdit cuius generis probabile ſit; nunc ipſum diuidit. duo ſunt (inquit) probabiliū genera. ſunt enim quædam ita aperta, & manifeſta ut arte non indigeant qua probentur, ſed ſua natura cum audiūtur, ſtatim probantur, ut ſi quis dicat, colendam eſſe religionem, amandos eſſe parentes, puniendos eſſe conſceleratos, ſapientes eſſe ueuerandos. hæc enim cæteraque huiuſmodi non egent argumentatione, quia ſua ſponte probantur. ſunt alia quę non probantur niſi argumētorum ui, & diſſerendi artificio. ut præſtantiorem eſſe iuſtitiam fortitudine, quoniam ſi omnes iuſti eſſemus fortitudine non indigeremus. ut aiebat Ageſilaus, Voluptatem eſſe rē optimam, quoniam Dei ſunt in perpetua uoluptate. melius eſſe iniuriam accipere, quam inferre, quoniam qui facit iniuriam improbus, qui eam accipit poteſt eſſe probus. hæc & cætera huiuſmodi non probarentur, niſi quis rationem adiungeret. itaque artis indigent. COMM. cap. 1.

Nulla uero ars eſt, quæ, quid in ſingulis rebus fieri debeat, conſideret: ut medicina non docet, quid Socrati, aut Calliæ ſalubre ſit; ſed quid homini ſic affecto, aut cunctis, qui eodem morbo laborant. TEXT.

Artium præcepta communia ſunt, & ad omnes res eiuſdem generis pertinent, neque ulla ars eſt, quæ ſingularia atque indiuidua conſideret. gignitur enim ars ab experientia, atque ex frequentatis actionibus, quod in Gorgia Platonis ait Polus, & Ariſtoteles in proœmio primæ philoſophię confirmat. non autem ex una aut altera actioue, ſed ex pluribus experientiis artium præcepta colliguntur COMM.

guntur. quo ſit ut communia ſint, & generalia. nã actiones rerum ſingularium ſunt, præcepta uero generalium. quod exemplo medicinæ docet Ariſtoteles. neque enim medicina quærit in præceptis ſuis quomodo curari Socrates posſit aut Callias, ſed qua ratione curetur is qui ſebri laborat, aut alio quouis morbo, quicunque is ſuerit. Medicus uero poſtquam ab arte didicit, quomodo ſebricitantes omnes ſanari posſint, tunc ad ſingulos deſcendit, & Socratem aut Calliam curat. nã actiones (ut dixi) ſunt ſingularium. quod ſi quis didiciſſet quomodo Socrates tantum ſanari poſſet, certè non poſſet alios curare. & opus eſſet tot artes medendi diſcere, quot homines ſunt. Sunt igitur artium præcepta communia, & non magis hanc quam illam perſonam aut rem reſpiciunt, ſed communiter omnes quæ ſunt eiuſdem generis. quod etiam Cicero uidit, quì in Academ. dixit artem ex multis animi perceptionibus conſtare. & quarto de Finibus ait: Artes eſſiciuntur ex cognitionibus comprehẽſionibuſque rerum. quod autem ait Ariſtoteles ſed quid homini ſic affecto, docet medicum non hominem illum, cui medetur, cogitare, ſed genus morbi. nam ſi alium etiam idem morbus inuaſerit, eadem adhibebit remedia, & quoſcunque eodem morbo laborantes inuenerit, ijſdem remediis omnes curabit. quare neceſſe eſt ut communia præcepta didicerit, quibus ſinguli homines ſanentur.

TEXT. *Hoc enim ad artem ſpectat; quod autem ſingulare eſt, atque indiuiduum, id infinitum habetur, & nulla ſcientia comprehendi poteſt.*

COMM. Artes (inquit) omnes id tantum amplectũtur quód eſt generale. quoniam communiter traduntur, ut earum præcepta cognoſci, ac memoriæ mãdari posſint. nam unicuique ſpeciei penè infinita ſingularia, atque indiuidua ſubiecta ſunt, quæ ſi ſingula perſequenda eſſent, nullus unquam finis appareret. idcirco Plato iubebat ut ab ultimis generibus incipientes, ad infimas uſque ſpecies deſcenderemus. atque ibi demum quieſceremus, quoniam indiuidua comprehendi ſcientia nõ poſſunt. huc accedit quod ſiquis benè ſpeciẽ nouit, noſcet etiam indiuidua, ſed non contra. Vt qui didicit, Rhetoricam eſſe benè dicendi ſcientiã, ſciet etiam Iſocratem, Demoſthenem, Ciceronem & alios qui Rhetores ſunt, benè dicendi ſcientiam tenere. & qui ſcierit uirtutem eſſe animi habitũ, ſciet etiam iuſtitiam & ſortitudinem eiuſmodi eſſe, quod enim ſpeciei conuenit, id etiam indiuiduis aptatur, & quod generi attribuitur, non abhorret à ſpecie. quo ſit ut cognitio generalium ſecum trahat etiam ſingularium cognitionem. & quo quis ea, quæ maximè generalia ſunt rectius intelligit, eo ſapientior eſt, & omnium is eſt ſapientiſsimus qui altiſsimas rerum omnium cauſas cognitas habet.

TEXT. *Neque igitur Rhetorica probabile quærit eiuſmodi, quod unius alicuius opinioni conueniat, ut Socratis, aut Hippiæ; ſed quod omnibus, qui ita animo ſunt affecti: quemadmodum etiam Dialectica.*

COMM. Concludit idem in Rhetorica fieri, quod in aliis etiam artibus, ut probabile quæratur, non quod uni tantum, aut alteri probabile ſit, ſed quod gentibus ac nationibus, nam etiam in Dialectica cuius imago quędam Rhetorica eſt, idem fieri ſolet. ut uериſimile quæratur eiuſmodi, quod aut omnibus aut pleriſque uериſimile uideatur, non quod huic aut illi. neque obſtat quòd ab unius hominis auctoritate nonnunquã ducatur argumentum, aut quòd uni nonnunquam aliquid perſuadere conamur, ut Socrati. hic enim eſt effectus artis, nõ ars ipſa. nam ars generaliter docet quomodo exemplis & enthymematibus perſuadere poſsimus, nos autem in agendo, artis pręcepta quę communia ſunt, ad ſingulos deducimus. ut docet ars poſſe nos alicuius auctoritate pro teſtimonio uti. hoc pręceptum eſt generale. ſed cum dico: neminem ſua ſponte peccare quoniam hoc Plato dixit; tunç à præcepto illo generali, deduco argumentum ab auctoritate unius hominis, atque hic artis effectus eſt. ita cum aliquid perſuadere uolo Socrati, tunç à præçeptis communibus, quę in arte didici ducam argumenta quibus id poſſim facere. quare quocunque te uerteris, ſemper inuenies, artium præcepta communia eſſe.

TEXT. *Nam neque illa ita ratiocinatur, ut undique arripiat ſine ullo diſcrimine quæ alicui uideantur; ſiquidem etiam deliris hominibus probabilia quædam uidentur: ſed ex iis argumentatur, quæ ratione allata probari poſſunt.*

COMM. Dialectica delectum adhibet, in eligendis ratiocinationibus ſuis. non enim admittit omnium opiniones, quoniam etiam ſtulti ac deliri homines quædam opinantur. ſed ea quærit quorum ratio probabilis reddi poſſit. in primo libro ad Eudemum idem docet Ariſtoteles, non eſſe omnium opiniones ſpectandas. quoniam etiam pueri & ægroti, & dementes habent ſuas opiniones, de quibus tamen homo ſanæ mentis, nullam ſibi ſuſcipiendam eſſe cogitationem exiſtimat. quod autem deliri homines ſuas habeant opiniones, hiſtoriæ docent. fuit enim quidam Athenis, qui putabat omnes naues quæ eſſent in Piræo ſuas eſſe. Horatius quendam memorat, qui ſe putabat miros audire tragœdos. Galenus tertio libro de locis affectis, ait quoſdam eſſe deliros, qui ſe putent eſſe uas fictile, ideo contactum expaueſcunt, ne frangantur. ſunt aliqui qui timent, ne cœlum in eos corruat, itaque perpetuam ſugam meditantur. Piſander timebat ne animæ ſuæ occurreret Aiax, cum greges porcorum cæderet, putabat ſe Græcos interficere. Pentheus putabat ſemper adeſſe furias, duplicem eſſe ſolem. de quo ita Virgilius quarto Aen.

Eumenidũ ueluti demens uidet agmina Pẽtheus,
Et ſolẽ geminũ, & duplices ſe oſtendere Thebas.

Sed huiuſmodi plurima ſunt exempla, omnes

enim

enim homines, ſiue ſanæ mentis ſint ſiue inſani ſuas habent opiniones. Verum Dialectici uel cõmunes omnium opiniones ſequuntur, uel plurimorum, uel ſapientum. ſtultorũ autem opiniones repudiant. non igitur ſine diſcrimine ſumunt ea, quæ cui uis homini uidentur, ſed adhibito delectu, quærunt, quæ facilius probari poſsint, atque in hac re conueniunt Rhetorica & Dialectica ut communes opiniones ſequantur, aut ſaltem probatorum hominum.

TEXT. *Rhetorica uero ex ijs, quæ in conſultationem uenire conſueuerunt. Eſt enim artis Oratoriæ proprium munus ea tractare, de quibus conſultamus, & quorum adhuc artes traditas non habemus, & apud auditores eiuſmodi, qui per multas ratione acutè rem intelligere non poſſant, neque procul poſita, ac longinquiora ſpectare.*

COMM. Videtur aliquo modo diſtinguere Rhetoricæ propriam materiam à materia communi Dialecticæ. nam Dialectica tractat eas quæſtiones quæ probari poſſunt allata ratione. Rhetorica uero, q̃ in conſultationem ueniunt, & ad agendũ aliquid potiſsimum ſpectant. eſt igitur hæc Oratori propriè ſubiecta materies, ut tractet ea de quibus homines deliberare ſolent, & quorum artes traditas non habemus. nam ſi de curando ægroto deliberãdum ſit, Orator non adhibebitur, ſed medicus, quia medicinæ ſcientiam habemus. aut ſi de ædificanda domo ſit conſultandum, non Orator, ſed architectus adhibebitur. Verum ſi de bello & pace, de cuſtodia regionis, de rebus exportandis & importandis, de puniẽdis maleficiis & de reliquis huius generis ſit agendum, tunc Orator admittetur. neq; enim de his rebus artes ullæ certè ſunt, & præterea Orator ad eos auditores loquitur, qui non exquiſitioribus doctrinis exculti ſunt, ideo res acutè cernere nõ poſſunt & ea quæ ſunt à ſenſibus ualde remota nequaquam intelligunt. & hoc eſt quod ait Cicero a. de Fin. Rhetoricam forenſem, quoniam populariter loquatur, neceſſario hebetiorem eſſe. dicuntur autem ea procul poſita, quæ non ſunt in ſenſu communi & quæ non ab omnibus intelliguntur, qualia ſunt ea, quæ doctrinis exquiſitioribus traduntur, & quæ mente atque intelligentia comprehenduntur, quæ non niſi ab acuto ingenio uiris, atque exercitatis intelligi poſſunt. huiuſmodi igĩt res ab officio Oratoris remotæ ſunt, & ſuis artibus continentur. ciuiles autem quæſtiones & controuerſiæ de quibus conſultare ſolent homines ad Oratores præcipuè ſpectant.

TEXT. *Deliberamus autem de rebus illis, quæ uidentur in utranque partem cadere poſſe.*

COMM. Cum deliberatio ſit in poteſtate noſtra, ut ea de quibus deliberamus, uel aggrediamur, uel reijciamus, neceſſe eſt, ut illa fieri poſsint, & non fieri. quo fit ut in utranque partẽ cadere poſsint. & hoc eſt quod ait in Partitionibus Cicero: illa prima ſunt ſuaſori aut diſſuaſori uidenda, quid aut poſsit fieri, aut non poſsit, & quid aut neceſſe ſit aut non neceſſe. Nam & ſi quid effici non poteſt, deliberatio tollitur, quamuis utile ſit. & ſi quid neceſſe eſt. neceſſe autem id eſt, ſine quo ſalui liberi ue eſſe non poſſumus. id eſt reliquis & honeſtatibus in ciuili ratione, & commodis anteponendũ. quod autem fieri non poteſt, id ſi tale eſſe cognoſcitur, in deliberationem non cadit. neque enim quiſquam deliberat, qua ratione perpetuo uicturus ſit, quoniam intelligit, ſibi moriendi neceſsitatem incumbere. neque quiſquam deliberat, quo modo uolare poſsit. ſcit enim ſibi alas non adeſſe. deliberant igitur omnes de ijs quæ ſunt in poteſtate ſua, quæque poſſunt uel facere, uel non facere.

De ijs uero, quæ nullo modo fieri poteſt, ut aliter aut fuerint, aut futura ſint, aut ſint, nemo eſt qui deliberet, ſi modo ea ita ſe habere intelligat. neq; enim in rebus eiuſmodi quiſquam aliter, quam eo modo cõſilium dare poteſt. TEXT.

Argumentum à cõtrariis, quo probat id, quod propoſuerat de ijs tantum rebus eſſe deliberationem quæ poſſunt in utranque partem cadere. nã ſiqua ſunt (inquit) quæ uel iam facta ſint, aut neceſſario ſint, aut ex neceſsitate ſint futura, nemo erit qui de ijs deliberet. niſi forte decipiatur, & exiſtimet ea non eſſe neceſſaria. nam ſi nouerit eſſe neceſſaria, quid proderit aliter de illis conſiliũ dare, cum aliter eſſe nullo modo poſsint? comprehendit autem omnia tempora non quod quiſquã de præterito deliberet, omnis enim deliberatio eſt de futuro, ſed ut ea remoueat, quæ non cadunt in deliberationem. nam quod factum eſt (ait Terentius) infectum fieri non poteſt. quod Ariſtoteles Ethicorum quinto ſic ait τὸ δὲ γεγονὸς οὐκ ἐνδέχεται μὴ γίνεσθαι fieri non poteſt, ut quod factũ eſt, ſit infectum. & Agathon poeta quadam in Tragœdia ſic dixit, COMM. In phor.

Etenim illud unum negatum eſt & Deo, ut
Infecta reddat, facta quæ fuerint ſemel.

Quam ſententiam poſuit etiam Plinius libro ſecundo & Phocyllides in carminibus ſuis, & Pindarus Olympiorum oda ſecunda. de præſenti nulla eſt ideo deliberatio, quoniam nullum eſt præſens tempus. quod enim eſſe præſens dicimus uel coniunctum ut appellat Quintilianus, uel inſtãs, ut uocat Cicero, non ita dicitur quia re uera ſit præſens, ſed propter uicinitatem, quòd uel modo tranſiuit, uel modo futurum eſt. momentum uero tantum præſens dici poteſt, quod non eſt tempus. cum igitur de præterito nulla ſit deliberatio, & præſens tempus proprie nullum ſit, ſequitur ut de futuro tantum tempore ſit omnis deliberatio. ſed illud futurum tẽpus aut eſt propinquius, aut remotius. ſi eſt propinquius, ſæpe tanquam præſens accipitur, non aliter atque quod modo trãſiit, atq; etiã præſens appellatur, ut Horatius:

Nunc eſt bibendum, nunc pede libero,
Pulſanda tellus. uidetur. n. de præſenti deliberare. cum tamen eſſet futurum. neceſſe eſt enim ut omnis deliberatio rẽ præcedat. itaque res de qua de-

liberamus ſemper eſt futura, atque eiuſmodi, ut res ea fieri nõ poſsit. fit tamen aliquando, ut res ea fieri nõ poſsit, de qua deliberamus, ſed id accidit inſcitia noſtra. nam ſi cognoſceremus eam eſſe talem, certe de ea nunquam deliberaremus. ut Demetrius rex cum iſthmum perfodere cogitaret, ſi putaſſet id fieri nullo modo poſſe, nunquam rem illam aggreſſus fuiſſet. ſed perficiendi ſpes eum fruſtrata eſt, ſicuti poſtea Caium etiam Cæſarem & Neronem, unde natum eſt prouerbium, ut illi dicãtur iſthmum perfodere, qui aliquid aggrediuntur, quod nunquam ſint effecturi.

TEXT. *Accidit autem ut quædam aliquando colligantur ex rebus antea concluſis: quædam autem ex ijs quæ nondum quidem concluſæ ſunt, ſed probatione indigent eo, quod minime per ſe probabiles ſint.*

COMM. Hoc loco docere inſtituit, qualia ſint ea, quibus utatur Orator ad probandum. ac primo duo genera remouet ab Oratore, quæ non ei conueniunt, licet Dialecticis & Philoſophis conueniãt, deinde tertium genus, addit, quod eſt Oratoris proprium. ait igitur: qui uolunt aliquid ratione concludere, aliquando id efficiunt, per eas propoſitiones quas antea probauerunt. id quod mathematici ſolent. de quibus ita Cicero Tuſcul. libro quinto: Mathematicorum iſte mos eſt, non Philoſophorum. nam Geometræ cũ aliquid docere uolunt, ſi quid ad eam rem pertinet eorum, quę ante docuerunt, id ſumunt pro conceſſo & probato: illud modo explicant, de quo ante nihil ſcriptum eſt. Philoſophi quamcunque rem habent in manibus, in eam, quę conueniunt, congerunt omnia: & ſi alio loco diſputata ſunt. ſæpe tamen etiam Philoſophi pro conceſsis utuntur eis, quæ iam antea demonſtrarint. quod Ariſtoteles ſępe facit, ut in libris de Cœlo, utitur eis, quæ probauit in Phyſicis; & in libris de Generatione, & aliis etiam in locis. aliquando uero qui ratione concludere uolunt, ſumunt eas propoſitiones, quæ nondum quidem concluſione probatæ ſunt, ſed tamen egent probatione, quia uel incertę ſunt, uel non ueriſimiles, neque creduntur ab aliquo, niſi ratio proferatur, quod accidit in plurimis propoſitionibus Philoſophicis, ut imperitus homo non crederet Solem eſſe longè maiorem tota terra, quia ſenſus uidendi non ita iudicat. hæc igitur propoſitio indiget probatione. ſicut illa; nihil inuenitur qđ inane ſit. & illa, Planetæ contrario motu mouentur atque cœlum, & ab occidente in orientem tendunt, & infinitę aliæ. quæ ſubiectis rationibus à Philoſophis probantur. hæc duo genera propoſitionum ab Oratore remota ſunt, cuius rei cauſam ſubiungit Ariſtoteles.

TEXT. *Quorum alterum neceſſe eſt, difficile eſſe ad intelligendum ob longitudinem; diſceptatorem enim rudẽ eſſe ponimus. alterum autem ad perſuadẽdum haud quaquam accommodatum eo, quòd neque ex rebus manifeſtis, neque ex probabilibus proficiſcatur.*

COMM. *In proœ. de Orat.* Quæ tractat Oratorem debent eſſe facilia, ut ab omnibus intelligi facilè poſsint. quod ita Cicero docet: dicendi omnis ratio in medio poſita communi quodam in uſu, atque in hominum more, & ſermone uerſatur. quoniã maiori ex parte apud imperitos habetur oratio. quin etiam ipſe diſceptator, hoc eſt iudex, & ſententię moderator plerunque rudis & ineruditus eſt, quo fit, ut primũ illud genus propoſitionum, quod aliis propoſitionibus antea probatum fuerat, intelligere non poſsit ob longitudinem. imperitus enim non poteſt in longum cogitationem ſuam extendere, qđ uir eruditus & in diſciplinis uerſatus facile facit. atq; hæc eſt cauſa, cur enthymemata ſæpe ex paucioribus fiant quam ſyllogiſmi, ut facilius ab auditoribus percipi poſsint, ſicut infra docebimus. illa igitur ratio mathematicorum qua propoſitionibus antea probatis & conceſsis utuntur ad ſequentium probationem, Oratori non eſt accommodata, neque ſanè illa altera quam Dialectici & Philoſophi uſurpant, ut propoſitiones ſumãt, quę ab imperitorum intelligentia ſenſuque diſiunctę ſint. tales enim propoſitiones non aptę ſunt ad perſuadendum. quia non ſumuntur ea quæ manifeſta ſunt, & ueri ſimilia. quem autẽ Ariſtoteles uocat ἀπλοῦν, quidam ſimplicem uertunt, atque id uerbum ẽ uerbo. ſed tamen non ſatis Ariſtotelis ſententiam explicant. nam apud Latinos ſimplex minime fallacem ſignificat, non autem imperitũ. poteſt enim quis eſſe doctus & ſimplex, ut Cicero in Oratore ad Brutum, de L. Cælio Antipatro: ò uirum ſimplicem, qui nos nihil cælat, ſapientẽ qui ſeruiendum neceſsitati putat. & Socrates primo de off. dicitur uir bonus, & ſimplicis ueritatis amicus. nos igitur rudem uertimus. ſic enim etiã primo libro de partibus animalium poſuit ἁπλῶς pro imperitè: λίαν ἂν ἁπλῶς εἴρηται. id eſt, ualde igitur imperitè dictum eſt.

Itaque neceſſe eſt enthymema, atque exemplum ex rebus eiuſmodi eſſe, quæ plerunque aliter etiam ſe habere poſſunt, ut exemplum quidem inductionis, enthymema uero ſyllogiſmi ſpeciem ac imaginem habeat. TEXT.

COMM. Iam igitur poſtquam remouit ab Oratore quę non ſatis ei conueniunt, propriam ei materiam aſsignat quam tractet, & in qua uerſetur. concludit autem ex ſuperioribus, ea de quibus Orator agit uariari facile poſſe, neque certa aut ſtabilia eſſe. quoniam Oratoris materia illa eſt, de qua conſultatur. conſultatio uero (ut iam demonſtratum eſt) de ijs rebus eſſe ſolet quæ in utranque partẽ cadere poſſunt. ergo cõcluditur Oratoris eſſe materiam ex rebus eiuſmodi quæ nihil in ſe firmitatis habeant, ſed aliter atque aliter ſe habere poſſint. Sed ut hoc facilius intelligi poſsit, ſciendum eſt, eſſe quatuor genera rerum, de quibus uerba fieri poſsint. ſunt enim res ſempiternæ, ſunt perpetuæ, ſunt fortuitæ, ſunt humanæ. res ſempiternæ dicuntur neceſſariæ, quoniam aliter ſe habere non poſſunt, & eodem ſemper tenore procedunt, ut res diuinæ ac cœleſtes & primæ rerum cauſæ. de quibus eſt prima philoſophia.

res

res perpetuæ dicuntur illæ quæ naturæ quodam ordine ſub lunari globo fieri plerumq; ſolent. quãuis enim non habeant eam firmitudinem quã res diuinę ac cæleſtes, quia mortales ſunt & caducæ, quendam tamen ordinem perpetuum ſeruant, ut ſpecies remaueant, indiuidua uarientur. res fortuitæ dicuntur illæ quæ in fortunæ caſu ac temeritate poſitę ſuut, ideo ſunt incertæ, dubiæ, inconſtãtes, & hominibus incognitæ, ut de illis neque ſciẽtia neque deliberatio eſſe poſsit. res denique humanæ dicuntur, quæ ad hominum actiones pertinent, quæ uariari quidem poſſunt, ſed tamen conſilio & ratione beuè diriguntur. & de illis uel beue, uel malè ſtatuere poſſumus. atque in his tota uis & facultas oratoris uerſat̃. nihil enim fere tractãt Oratores, niſi quod ad actiones humanas attiueat. vnde credit Hermogenes propriam Oratoris materiam eſſe ciuiles quęſtiones. quod maiori ex parte uerum eſt. in his ergo rebus cũ uerſetur Orator, utitur exemplo pro inductione, & enthymemate pro ſyllogiſmo.

TEXT. *Ex paucis autem, & ſæpe ex paucioribus enthymema fit, quam primus ille, atque integer ſyllogiſmus. ſi quid enim notum, atque exploratũ fuerit, id ſanè nihil attinet dicere, quod ipſe auditor illud adiũgit.*

COMM. Quia dixerat oratores apud huiuſmodi auditores facere nerba ſolitos, qui longinqua & remota non ſatis intelligere poſsint, ideo nuuc docet ex paucis enthymema fieri debere, & ſępe ex paucioribus, quam integer ſyllogiſmus fiat. neque enim ea dicenda ſuut, de quibus uemo dubitat. nam quę notiſsima ſunt, auditores ipſi ſubiungunt, & ex eis fidem habent. hic Ariſtotelis locus uidetur adhuc à nemine benè intellectns. omues enim aiunt in enthymemate ſemper alteram propoſitionẽ deeſſe, atque ideo uocari ſyllogiſmum imperfectum. quod ſi uerum eſſet, profectò dixiſſet Ariſtoteles ſemper ex paucioribus conſtare, non autem ſæpe, nunc cum dicat ſæpe conſtare ex paucioribus, oſtẽdit aliquando etiam ex totidem, aut fortaſſe ex pluribus conſtare. nos autem dicimus ideo ſyllogiſmum imperfectum enthymema uocari, non quia ſemper altera propoſitio deſideretur in eo, cum aliquando ambę adijciantur, ſed quia uunquam habet ueram ſyllogiſmi formam. Nam, ut ait in partitionibus Cicero, argumẽtandi duo genera ſunt, quorum alterum ad fidem directò ſpectat, alterum ſe inflectit ad motum. dirigitur cum propoſuit aliqnid, quod probaret, ſumpſitque ea, quibus uteretur, atque his confirmatis ad propoſitum ſeſe retulit, atque coucluſit. illa autem altera argumentatio quaſi retrò & contra prius ſumit quæ uult, eaque confirmat, deinde id quod proponendum fuit, iacit ad extremum. hæc Cicero. uerum ſciendum eſt in priori genere ſyllogiſmos omnes fieri, qui directò ad fidem ſpectant, in ſecundo uero uunquam ſyllogiſmos ſed enthymemata tantum fieri. cum enim monere animos uelint Oratores in enthymemate priore loco ponunt concluſionem, quam addita ratione probant. illa autem ratio plerumque eſt minor propoſitio, ut iure interfectus eſt Clodius, quia fuit inſidiator. dignus eſt ſupplicio Catilina, quoniam in patriam coniurauit. hoc eſt igitur quod ait Ariſtoteles, ex paucis euthymema fieri, quia maiori ex parte fit, ex una propoſitione cũ ratione adiuncta. Sed quia iuterdum accidit ut extremo loco, maior addatur propoſitio, ſi uon ita nota fuerit, ideo dixit Ariſtoteles ſæpe ex paucioribus fieri quam ſyllogiſmum, non autem ſemper, additur autem maior propoſitio extremo loco hoc modo: Voluptas propter ſe expetenda eſt, quoniã eſt bona, & omue bouum propter ſe eſt expeteudum. ita Cicero pro Cælio: Iu Cælio luxuries nulla eſt, eſt enim deditus optimarum artium ſtudijs, in eis uero qui ſunt optimarum artium ſtudijs deditì, nulla eſt luxuries. totidem igitur aliquaudo propoſitiones habet enthymema quot ſyllogiſmus, ſed tamen eandem argumentandi formam nuuquam ſequitur. atque ideo uocatur imperfectus ſyllogiſmus. illud etiam ex Quintiliani ſentẽtia dicimus enthymema ita diſtingui, ut aliud ſimplex ſit, aliud multiplex ſiue compoſitum. ſimplex enthymema ferè ſemper ex paucioribus conſtat, quam ſyllogiſmus. quouiam ex propoſitione atq; ratione fit, ut diximus, enthymema uero multiplex ſiue compoſitum. longè plures habere partes poteſt. & hoc eſt quod aiunt: Rhetoricam latè copioſeq; dicere. quia licet ex paucioribus enunciatis, quam fiat ſyllogiſmus, enthymemata ſimplicia conſtruat, tamen ea frequentiſsime multiplicat, & quodammodo conglobat, rationeſque rationibus continenter adiungit. vſque adeo vt iu vno compoſito enthymemate ſæpeuumero plurimorum ſyllogiſmorum terminos & vim complectatur. hac de cauſa dixit Ariſtoteles ex paucis enthymema conſiſtere, & ſępe ex paucioribus quam primns ſyllogiſmus intelligens de ſimplici non autẽ de multiplici & conglobato enthymemate. Quod vt apertius fiat, ſumamus vnum ex Cicerone compoſitum enthymema, & videamus quot in eo ſyllogiſmi eſſe poſsiut: tale eſt illud pro Milone: Quẽ igitur cum omuiũ gratia noluit, hunc uoluit cum aliquorum querela? qnem iure, quem loco, quem tempore, quem impune non eſt auſus; hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, cum periculo capitis nou dubitauit occidere? dico in hoc vno enthymemate, quinque perfectorum ſyllogiſmorũ terminos ac vim ineſſe qui ſigillatim conformari poſſunt, vt uos in ſecundo Reprehenſionum libro cõtra Nizolium copioſè docuimus. multo igitur ex paucioribus enthymemata ſua rhetores conficiũt, quàm Dialectici ſyllogiſmos. vt Cicero pro Milone vtitur hoc euthymemate à repugnãtibus: Eius igitur mortis ſedetis vltores, cuius vitam ſi putetis per vos reſtitui poſſe nolitis? quod ſi uoluerimus ad ſyllogiſmum reducere, multò pluribus verbis opus erit, ſic enim cõformabitur: Nou debẽt Iudices eius mortis vltores eſſe, cuius vitam etiam ſi poſsit reſtitui noliut. vos etiam ſi poſſetis, Clodio vitam reſtituere, nolletis, ergo non debetis mortis

eius

eius ultores ſedere.ita illud pro Ligario:cauſa tum dubia,ꝙ erat aliquid in utraque parte quod probari poſſet. ſic ad ſyllogiſmũ:omnis cauſa in qua aliquid ex utraque parte probari poteſt, dubia eſt, ſed in cauſa Cæſaris & Pompeij,aliquid erat quod ex utraque parte probari poſſet, ergo tũ cauſa dubia erat. ſed infinita ſunt exempla. quoties igitur ad ſyllogiſmum enthymemata reducuntur ſemper ferè pluribus uerbis opus eſt.itaq; iã perſpicua eſt Ariſtotelis ſententia, quam tamen ipſemet exemplo confirmat.

TEXT. *Vt ſi quis probare uelit, Doricum certamen uiciſſe,in quo uictor corona donatur; ſatis erit dicere:uicit enim Olympia.quòd autem in Olympijs uictor corona donetur, non opus eſt addere, omnes enim hoc ſciunt.*

COMM. Exemplum ſatis apertũ eſt. Doricus enim pancratiaſtes fuit,Diagoræ Rhodij nobilis Olympionicæ filius.tradunt autem Diagoram gaudio exanimatum cum tres filios uictores Olympiorum uidiſſet,A.Gellius libro 3.cap 15. ita ſcribit: Diagoras tres filios adoleſcentes habuit, unum pugilem,alterum pancratiaſtem, tertium luctatorem. eoſque omnes uidit uincere, coronarique eodem Olympiæ die.& cum ibi eum tres adoleſcentes amplexi,coronis ſuis in caput patris poſitis ſuauiarentur,cumque populus gratulabundus flores undiq; in eum iaceret, ibi in ſtadio inſpectãte populo, in oculis, atque in manibus filiorum animam efflauit.Cicero. 1. Tuſc. duos tantum Diagoræ filios eodem die uictores fuiſſe memorat, & Laconem quendam ad Diagoram acceſsiſſe dicentem:morere Diagoras,non enim in cœlum aſcenſurus es.huius igitur filius Doricus Pancratiaſtes fuit,de quo Tucidides primo libro meminit.erat (inquit) Olympias in qua Dorieus ſecundo uictor declaratus fuit.ludi vero in quibus corona uictorius donabatur à Græcis ἀγῶνες στεφανῖται uocabantur,quales fuerunt Olympici,Pithij, Nemæi, Iſthmij. ſed omnium celeberrimi Olympici fuerunt, ab Hercule in honorem Iouis conſtituti. hi quinto quoque anno fiebant,unde Olympias dicta quod Romani luſtrum uocauerunt. qui uiciſſent Olympia dicebantur olympionicæ. quod erat apud Græcos propè maius & glorioſius quam Romæ triumphare,ſicut ait Cicero pro Flacco.Idem Cicero,lu-
3 de Ora. dos olympicos appellat quinquẽnalem celebritatem.erat autem illa celebritas notiſsima. & nemo erat qui neſciret, uictores Olypiorum corona donari.atque hoc eſt,quod ait Ariſtoteles,ſiquis probare uellet,Dorieum in certamine coronatum,ſatis eſſe dicere:uicit enim Olympia. quoniã omnes ſciunt in eo certamine uictores coronari. erit igitur enthymema,ex concluſione & minori propoſitione,hoc modo:Dorieus certamẽ uicit, in quo uictor corona donatur, vicit enim Olympia. ſed eſt hæc conſuetudo,vt in enthymemate, pars quæ primo loco ponitur,quãuis concluſio ſit, tamen propoſitio dicatur,& quæ ponitur ſecundo loco, quãuis ſit minor,propoſitio tamen ratio uocetur.itaque ſtatuunt enthymema ex propoſitione & rõne fieri,quod autem ſit id,quod dixi, facile poteſt intelligi, ſiquis enthymema reducat ad ſyllogiſmum hoc modo:Omnes qui uincunt Olympia,certamẽ vincunt, in quo uictor corona donatur. Doricus uicit Olympia,ergo Dorieus certamẽ uicit,in quo uictor corona donatur. nã quod in ſyllogiſmo ponitur extremo loco, id in enthymemate primũ eſt: ergo in enthymemate concluſio primo loco ponitur,ſed (ut dixi) uocatur propoſitio, non propter uim ac poteſtatem, ſed propter locum quem obtinet.

Pauca uero neceſſaria ſunt eorum, ex quibus oratorij ſyllogiſmi conſiciuntur. maiori enim ex parte, quæ in iudicium ac deliberationem ueniunt,etiam aliter ſe habere poſſunt. TEXT.

Omnis argumentatio aut neceſſariò aut probabiliter concludit.Mathematici & Philoſophi quærunt eas argumentationes quę neceſſario concludant.Oratores autem eas,maiori ex parte quæ ſint ꝓbabiles,ſed tamen aliquando neceſſariò etiã Oratores concludunt.quamuis id rarius faciant.hoc eſt quod ait Ariſtoteles.in enthymemate pauca ſolent eſſe neceſſaria. quoniam ea de quibus iudiciũ eſt atque deliberatio uariari ſolent, & aliter atque aliter ſe habere. quod in rebus neceſſarijs non fit. Vnde Quintilianus & Hermogenes omnẽ neceſſariam argumentationem uidentur ab Oratore remouere,ſed Ariſtoteles & Cicero putant etiã hoc genus argumentationis Oratorem nonnunquam attingere. atque Ariſtotelis quidem ſententia ex hoc loco perſpicua eſt.cũ præſertim etiam inferius apertè dicat ea,ex quibus enthymemata fiant partim quidem eſſe neceſſaria,ſed maiori ex parte ꝓbabilia.Cicero uero primo de inuent.ſic ait:Argumentatio uidetur eſſe inuentum ex aliquo genere rem aliquam aut probabiliter oſtendens, aut neceſſariè demonſtrans. neceſſariè demonſtrantur ea,quę aliter ac dicuntur,nec fieri nec probari poſſunt.hoc modo:ſi peperit cum uiro cõcubuit. hoc genus argumentandi, quod in neceſſaria demonſtratione uerſatur, maximè tractatur in dicendo, aut per complexionem, aut per enumerationem, aut per ſimplicẽ concluſionẽ in Partitionibus,cõiecturam in ueriſimilibus,& in proprijs rerum notis poſitam eſſe totam ait,& ueriſimile id appellat quod plerumque ita fit, propriæ autem notæ argumentum quod nunquam aliter fit, certũq; declarat.ex his planum eſt & Ariſtotelem & Ciceronẽ ſentire, nonnunquam etiam ex neceſſarijs enthymema fieri. COMM.

Solent enim homines de ijs rebus deliberare, & cogitare,quas in uita gerunt, quæ uerò aguntur, eiuſdẽ generis omnia ſunt; neque quicquam, penè dixerim, eorum ex neceſſitate fit.

Hæc eſt ratio qua probat id, quod propoſuerat. nempe eſſe pauca neceſſaria in enthymemate.nam omnes deliberationes & iudicia de humanis actionibus eſſe ſolent.at actiones humanæ ſunt eiuſmodi,ut à nulla neceſsitate pendeant, ſed à libera uoluntate

luntat̃e proueniant. adeo ut nihil penè agatur neceſſariò. nam Ariſtoteles eorum ſententiam non ſequitur, qui animos noſtros libera uoluntate ac proprio arbitrio ſpoliant. & neceſsitate fati deuinciunt, vt ea tantum agant, ad quę fato impelluntur. quæ omnino falſa eſt opinio ac penitus repudianda. quod in libro de interpretatione Ariſtoteles acutè diſputat, & Cicero in libro de fato. nam ſi à neceſsitate fati penderent actiones noſtræ, uana eſſent omnia conſilia noſtra, uanæ deliberationes, nihil leges, nihil iudicia prodeſſent. irriti eſſent omnes conatus noſtri. fruſtra nobis eſſet data ratio, atque cogitatio, qua bonum à malo diſtinguamus, & alterum amplectamur, alterum fugiamus. ſed quia nulla eſt neceſsitas in actionibus humanis, ideo libera eſt uolũtas noſtra, & motus animi uoluntarij ſunt, ac liberi, qui probabilitate ducuntur, vt uel conſentiant, uel diſſentiant.

TEXT. *Hæc autem ipſa quæ plerunque fiunt, nec eodem modo ſe ſemper habent neceſſe eſt ex propoſitionibus eiuſdem naturæ confirmari; ſicuti neceſſaria ex neceſſarijs probantur. quod ex Analyticis libris clarius intelligi poteſt.*

COMM. Argumenta ſubiectæ materiæ reſpondent, ut ſi res neceſſariæ ſint, etiam concluſio ſit neceſſaria. ſi uero ſubiectæ res probabiles fuerint, erit etiam concluſio probabilis. quod primo libro priorum multis uerbis explicatum eſt. Itaque cum actiones humanæ de quibus deliberari & iudicari ſolet, tantum plerunque ita fiant, & à nulla neceſsitate pendeant, neceſsitas cogit, ut propoſitiones quæ ex illis fiunt, nullam neceſsitatem habeant, ſed tantum probabilitatem, quare neque concluſio neceſſaria fiet, ſed tantum probabilis. omnium enim argumẽtationum concluſiones principijs, unde originem habent ſimiles ſunt, quo fit ut quæ à neceſſarijs principijs oriuntur, neceſſariæ ſint, quæ à probabilibus probabiles. poteſt quidem fieri ut aliquando concluſio neceſſaria ſit, quamuis ſumptæ propoſitiones non ſint neceſſariæ, ſicuti nonnunquam ẽt uerum colligitur ex ijs, quæ uera non ſunt. ſed hoc non efficitur, ex ui propoſitionum, ſed ex mendoſa ratiocinandi formula.

TEXT. *Quare perſpicuum eſt, eorum, ex quibus enthymemata fiunt aliqua quidem eſſe neceſſaria; ſed maiori ex parte eſſe talia ut plerunque ita fiant.*

COMM. His ita poſitis, ſequitur ea concluſio, ut enthymemata pauca neceſſariò concludant, plurima uero probabiliter. & hæc eſt cauſa, quoniam res quæ enthymemati ſubijciuntur, non ſunt neceſſariæ, ſed eiuſmodi, ut quamuis plerũque ita fiant, tamẽ etiam aliter fieri poſsint. ſunt etiam quædam enthymemata quaſi media quæ ita probabilia ſunt, vt neceſſaria eſſe uideantur, & ideo dicũtur ab Oratoribus neceſſaria, ut Cicero pro P. Quintio: Etenim ſi ueritate amicitia, fide ſocietas, pietate propinquitas colitur, neceſſe eſt iſte, qui amicum, ſocium, affinem fama ac fortunis ſpoliare conatus eſt, vanum ſe & perfidioſum, & impium eſſe fateatur. Probat autem Ariſtoteles ab enthymematis definitione quod propoſuit, nempe ea, ex quibus enthymemata fiunt, non eſſe neceſſaria præter pauca quædam, ſed probabilia.

Ducuntur enim enthymemata ex ueriſimilibus & ſignis, itaque neceſſe eſt, ut horum utrunque alteri eorum reſpondeat, atque idem ſit. TEXT.

COMM. Hoc autem dixit etiam primo libro priorum, cum enthymema ita definit, ut dicat ſyllogiſmum eſſe, qui fiat ex ueriſimilibus, & ſignis. quod ſi res ſubiectæ enthymemati uel neceſſariæ ſunt, uel ꝓbabiles, & enthymema fit ex ueriſimilibus & ſignis, neceſsitas cogit, ut hæc inter ſe uiciſsim reſpondeant, nempe ut veriſimile ſit idem quod probabile, & ſignum ſit idem quod neceſſarium argumentum. hæc eſt Ariſtotelis ſententia. quæ tamen eget interpretatione. atque, ut ita dicam, limitatione. uidendum eſt igitur quomodo differant inter ſe ueriſimile & ſignum, & quomodo rebus probabilibus & neceſſarijs reſpondeant. cum enim omnis cognitio noſtra duplicẽ originem habeat, hoc eſt uel à ſenſu, uel ab intellectu, neceſſe eſt ut etiã omnia argumenta quæ nobis cognitionem aliquã adferunt, uel ad ſenſum uel ad intellectum referantur. ergo quę ad ſenſum pertinent uocãtur ſigna, quod aliquid ſignificent per ſenſum, ut per uiſum, aut per auditum, aut per alios. quod ita Cicero primo de Inuentione teſtatur: Signum eſt, qđ ſub ſenſum aliquem cadit, & quiddam ſignificat. ut ſi quis cruentum gladium uidet ſtatim argumẽtatur, cædem eſſe factam. ſi magnum ſtrepitum audit in foro, ſeditionem ortam eſſe ſuſpicatur. ſi uocem audit amici, cognoſcit eum adeſſe. ſic ex guſtu cognoſcitur mel, quia dulce eſt, ex tactu glacies, quæ frigida eſt, atque ita de cęteris. hæc igitur omnia quę à ſenſibus ducuntur argumenta, vocantur ſigna. quę uero ducuntur ab intellectu uel opinione, ueriſimilia dicuntur, ut quoniam intelligimus eos qui oderunt aliquem cupere illum perditum, dicimus ueriſimile eſſe Clodium inſidias Miloni ſtruxiſſe ut eum interficeret, quem oderat. & quia ſcimus audaces & auaros eſſe maleficos, ideo Cicero ueriſimile eſſe argumentatur Roſcium Capitonem maleficium admiſiſſe, quod eſſet audax & auarus. iam igitur notum eſt, quid inter ſe differãt veriſimile & ſignum. nullum autem ueriſimile tãtum, argumentum eſt neceſſarium. ſit enim ueriſimile argumentum ex rebus probabilibus, & quæ plerunque ita fiunt. ſignum autem aliquando neceſſarium eſt, ut ſi mulier lac habet, neceſſarium eſt, vt pepererit. fiunt igitur huiuſmodi ſigna ex neceſſarijs rebus, & appellantur à Cicerone propriè rerũ notę, vt infra dicemus. pauca tamẽ ſunt huiuſmodi ſigna quibus Orator vti poſſit, & hoc eſt quod ait Ariſtoteles, eorum ex quibus enthymemata fiunt, pauca eſſe neceſſaria ſunt autem alia ſigna plurima, quę nullam in ſe neceſsitatem habeant, ſed tamen orationem probabiliorem efficiant, quæ Oratores diligentiſsimè perſequunt.

Nam ueriſimile eſt tanquam id, quod plerunque ita fit: non tamen abſolute, ſicuti quidam exiſtimant; ſed TEXT.

quod

quod in eis verſetur, quæ aliter etiam euenire poſſunt:& quod ita ſe habeat ad id, cuius eſt uerìſimile, ſicuti ſe habet id,quod generatim atque uniuerſè ſit, ad id,quod ſit ſygillatim & in parte.

COMM. Cum uerìſimile & ſignum ita diſtinguantur,ut alterum neceſſario,alterũ probabiliter concludat, nunc aperit utrum eorum probabiliter, & utrum neceſſariò colligere ſoleat. ac primo uerìſimile dicit eſſe tanquam id quod plerunque fit, in rebus q̃ naturæ ordine procedunt. nam in communi opinione poſitum eſt uerìſimile, quod ait in Phædro Plato, ubi uerìſimile definit eſſe τὸ πλήθει δοκοῦν. i. quod multitudini ita eſſe uidetur. & Cicero in partitionibus:ſed appellemus (inquit)docendi gratia uerìſimile,quod plerunque ita fiat,vt adoleſcentiã procliuiorem eſſe ad libidinem. Quintilianus libro quinto credibile hoc uocat,ſic enim ait:Credibilium genera ſunt tria.unum firmiſsimum,quod ferè accidit ut liberos à parentibus amari. alterũ uerò propenſius, eum qui rectè ualeat, in craſtinum peruenturum. Tertium tantum non repugnans, in domo furtum factum eſſe,ab eo,qui domi fuerit.ſunt igitur uerìſimilia huiuſmodi.ſed aliqui decipiuntur, qui putant abſolutè plerumque fieri quæ uerìſimilia ſunt, ſicuti res naturales plerumque ita ſe habent, atque ideo perpetuæ uocantur.hoc autem non eſt in veriſimilibus, quæ licet plerunque fiant, tamen etiam aliter euenire poſſunt,vt q̃ matres diligant filios,uerìſimile eſt, nõ tamen abſolutè, nam aliquæ reperiuntur, quæ filios non diligunt vt Medæa, & Agaue. eſt autem uerìſimile eius naturę, ut ad alterum ſemper referatur.ita uero ſe habet ad id,ad quod refertur,ſicuti ſe habet genus aut ſpecies ad indiuiduum. nam quod in genere aut ſpecie probatum eſt, id etiam in indiuiduo probatum intelligitur, vt ſi animal & homo ſentit & mouetur, etiam Socrates ſentiet & mouebitur.ita,ſi parentes liberos diligunt, etiã Roſcium pater diligit, ut eſt apud Ciceronem. Et ſi adoleſcentes ad libidinem procliues ſunt, etiam Cælius adoleſcens erit procliuis ad libidinem.

TEXT. *Signorum uero duo ſunt genera: quorum alterum ita ſe habet ad id,cuius eſt ſignum, ſicuti quod in parte ſit,ad id,quod in uniuerſo genere;alterum autem ſicuti quod in uniuerſo genere ſit, ad id,quod in parte.*

COMM. Nunc ad ſigna reuertitur,& eorum duo genera facit, cum uerìſimiliũ unum tantum feciſſet. duo ſunt, inquit, ſignorũ genera, quorum alterum ita refertur ad id cuius eſt ſignum, ſicut indiuiduum ad ſpeciem uel genus, ut ſiquis diceret ſapientes eſſe etiam facetos, quoniã Socrates ſapiens, & facetus fuit. aut Oratores eſſe Philoſophos, quoniã Iſocrates Orator & Philoſophus fuit. aut Philoſophos obſcænè loqui,& uerecũdiam negligere,quoniam Antiſthenes & Diogenes hoc faciebant. ſed hæc paruam habent uim ad probandum, ut infra docebit. alterum genus contrarium eſt.nam ita refertur ad id cuius eſt ſignum,ſicuti genus uel ſpecies ad indiuiduum. ut ſiquis dicat hominem aliquem febri laborare,quoniam crebro reſpiret.aut fœminam eſſe adulteram quod ſola noctu uagetur.aut impudicum eſſe Cælium, q̃ turpiter loquatur.Sed hæc inferius copioſe perſequemur. Quintilianus libro quinto de ſignis,ita inquit.Hoc genus per omnia tempora perpendi ſolet,nam & coiſſe eam cum uiro quæ peperit,quod eſt præteriti,& fluctus eſſe,cum magna uis uenti in mari incubuit,quod coniuncti, & eum mori cuius cor eſt uulneratum,quod futuri, neceſſe eſt. ſed hæc exẽpla pertinent ad illud ſignorum genus, quod eſt neceſſarium & τεκμήριον uocatur.de quo ita ſubiungit Ariſtoteles.

TEXT. *Quum ex bis ipſis id ſignum, quod neceſſarium eſt, indicium uocatur, uel propria nota. quod autem non eſt neceſſarium,caret certo,ac proprio nomine,quo ab alijs diſtinguatur.*

COMM. Quintilianus hanc Ariſtotelis diſtinctionem poſuit libro quinto. ſic enim ait:Diuiduntur autẽ in has duas primas ſpecies, quòd eorum alia ſunt, quæ neceſſaria ſunt,quę Gręci uocant τεκμήρια,alia nõ neceſſaria,quæ σημεῖα. Cicero in Partitionibus, propriam notam uocat,quod Ariſtoteles τεκμήριον. ſic enim ait:Proprię autem notæ argumentum qđ nunquam aliter fit,certumque declarat, ut fumus ignem.ſignum uero quod non eſt neceſſarium,nõ habet proprium nomen.communiter ergo ſiue neceſſaria ſint, ſiue non neceſſaria, uocantur ſigna: propriè autem quæ neceſſaria ſunt, dicuntur τεκμήρια. hoc eſt indicia, uel propriæ notæ. quæ putat Quintilianus uix ad artem pertinere, cum tamen aliter Ariſtoteles & Cicero ſentiant.

TEXT. *At uero neceſſaria illa uoco ex quibus ſyllogiſmus ac firma concluſio ſit. quo circa genus hoc ſignorum τεκμήριον dicitur, hoc eſt indicium ac propria nota.cũ enim id quod dixerint, nullo modo ſolui poſſe exiſtimant, tunc opinantur id ſignum τεκμήριον eſſe; atque ita ipſum appellant,tanquam quod iam probatum,atque confectũ ſit.priſca enim Græcorum lingua τέκμαρ. idem erat quod extremum atque ultimum.*

COMM. Exponit accuratè quæ ſint ea ſigna quæ neceſſaria uocentur.ea inquit ſunt neceſſaria,ex quibus fit ſyllogiſmus. uocat autem Ariſtoteles hoc loco ſyllogiſmum concluſionẽ firmam, ſicut alijs etiã in locis plurimis, quæ nullo modo refelli poſsit. itaque ſecundo Priorum dicit hęc ſigna neceſſaria eſſe ἄλυτα,hoc eſt talia ut refutari nequeãt, & eadẽ uocat συλλελογισμένα,quaſi firmiter cõcluſa.ea uero quæ neceſſaria non ſunt,ait eſſe λύτα, quæ facile refellũtur,& ἀσυλλόγιστα,ideſt non firmiter concluſa. quod aũt τεκμήριον ſit neceſſarium, ab etymologia & notatione uocabuli probat. nam τεκμήριον uidetur idem ſignificare quod probatum atque confectum. deducitur enim ab hoc uerbo τέκμαρ, quod apud ueteres Gręcos idẽ ſignificabat, quod extremum atque ultimum. itaque quoties argumentũ eo deductum eſt,ut iam amplius refelli nullo modo poſsit, tunc uidetur ad finem perueniſſe.quare tunc uocatur τεκμήριον.

TEXT. *Genus autem illud ſignorum quod ita ſe habet ad id, cuius ſignum eſt, ſicuti ſingula res ad uniuerſum*

genus

genus tale eſt; ut ſi quis affirmaret ſignum eſſe, uiros ſapientes eſſe etiam iuſtos, quia Socrates erat ſapiens, & iuſtus. hoc quidem certè ſignum eſt; ſed facile diſſolui ac refelli poteſt; etiam ſi uerum fuerit id, quod dicitur. nihil enim in ſe firmi habet, neque neceſſario concluditur.

COMM. Reuertitur ad id quod ſuperius propoſuerat exequendum, ut oſtendat quæ ſigna ſint ad probandū idonea, & quæ non ſatis apta. diximus (inquit) eſſe quoddam genus ſignorum, quod ita refertur ad id, cuius eſt ſignum. ſicut ſingularia atque indiuidua ad ſpeciem uel genus ſuum. ut ſi quis probare vellet eos qui ſapientes ſunt, etiam iuſtos eſſe. atq; ita argumentaretur: Socrates erat ſapiens, & idem erat iuſtus, ergo ſapientes ſunt iuſti. ſed hoc genus ſignorum parum habet firmitudinis, quoniam facile refutari poteſt, etiam ſi uerum dicatur. neque enim ueram concludendi rationem ſequitur, nam ex duobus enunciatis ſingularibus nihil firmi concludi pt, ut primo priorū demonſtratū eſt. licet igitur in uno hōine uel in una re, duo uel plura ſpectentur, non tamen ideo ſequitur ut eadem ſint in aliis, quæ ſub eadem ſpecie, aut eodem genere continentur. ut ſi Cæſar fuit Imperator ſtrenuus, & idem fuit eloquens, non ideo ſequitur, ut omnes ſtrenui Imperatores ſint eloquentes. uidetur tamen Virgilius ſecundo Aeneidos hoc ſigni genere uti, cum Græcos inſidiatores eſſe dicat, eo quod Sinon Grǽcus eſſet inſidiator. ſic enim ait: Accipe nunc Danaum inſidias & crimine ab uno Diſce omnes.

TEXT. *Quod ſi quis ita dicat, hunc hominem ægrotare, ſignum eſt eo, quod febri laborat; aut, Hæc mulier peperit, quoniam lac habet: iam hoc erit firmum, & neceſſariè concluſum. atque hoc ſignorum genus ſolum tecmerium ac propria nota uocatur; ſolumque ſi uerum fuerit id, quod dicitur, refelli non poteſt.*

COMM. Hæc eo pertinent ut oſtendat inueniri ſigna quædam quæ neceſſaria ſint, & refelli non poſſint, nō quod hęc habeant à ſingularibus uim concludendi, ſed contra potius uim habent à genere, uel ſpecie. quoniam enim hunc hominem uideo febri correptum, dico eum ęgrotare. quoniam ſcio omnes qui febri corripiūtur, ægrotare. & quia mulierem hanc lac habere conſpicio, dico eam peperiſſe, quia ſcio mulieres omnes quę lac habent, iam peperiſſe. ſunt igitur in ſingularibus atq; indiuiduis hæc ſigna, ſed uim habent à generalibus. poſſunt autem in prima ſyllogiſmorum formula bene concludi, & tunc erunt perfecti ſyllogiſmi. quo fit ut refelli non poſſint, ſi uerum ſumatur. quod in alijs ſignis non accidit. atque ideo ſolum hoc genus tecmerium, ideſt propria nota uocatur. quod argumē tum eſt à rebus effectis. & à logicis uocatur, demō ſtratio quia eſt. ſunt enim duę ſpecies demonſtrationis. Altera dicitur demonſtratio propter quid, quę originem habet à cauſis, altera demonſtratio quia, quę naſcitur ab effectis. quo in genere ſunt hęc ſigna quę tecmeria uocantur.

TEXT. *Alterum genus ſignorum, quod ita ſe habet ad id, cuius eſt ſignum, ſicuti quod eſt in uniuerſo genere, ad id quod in parte eſt, ſit hoc modo; ut ſi quis diceret, Hunc hominem febri laborare ſignum eſt eò, quod crebrò reſpirat, ſed hoc facile ſolui poteſt, etiam ſi uerum fuerit; quoniam accidit etiam eum, qui febri non laborat, aliquando crebrò reſpirare.*

COMM. Exemplum adfert alterius generis, quando ex genere uel ſpecie probare uolumus id quod eſt in parte, ut ſi quis dicat, quia uideo hunc hominem crebro reſpirare, iudico eum febri laborare, quaſi omnes qui crebrò reſpirant febri laborēt. ſed uim paruam habet ad probandum hoc ſignorum genus, ideo facile refelli poteſt, etiam ſi verum fuerit. nam multi inueniuntur, qui crebro reſpirent, & tamen febri non laborent. hęc eſt Ariſtotelis ſententia. ſed Oratores tamen ab hoc genere ſignorum multa deducunt argumenta, quę licet ſingula per ſe ſint infirma, tamen conglobata ualent. ut ſi iuuenem uidero cum muliere loquentem, nō ſtatim eum adulterum putabo. neque enim iuuenes omnes qui cū mulieribus loquuntur ſunt adulteri, ſed ſi frequenter id fecerit, & ſine arbitris, & occultè, & nocturno tempore, tunc ex ſignorum multitudine poterit adulter exiſtimari. ſic enim vindicius ſeruus coniurationem filiorum Bruti cognouit, cum uideret eos cum Tarquinij legatis crebrò colloquentes, & id occultè, nocturnoque tempore facientes. Sic Sp. Melius in ſuſpicionē uenit affectati regni, quod plebem largitione corrūperet, quod nocturnos cōuentus ageret, quod corporis cuſtodes quęreret. ita Cethegus affinis cō urationi iudicatus eſt, quod eſſet amicus Catilinę, & cum eo frequenter verſaretur, & quod armorū maximam uim domi comparatam haberet. ita Cicero pro Milone conatur à ſignis probare Clodiū inſidiatorem fuiſſe, quod dixiſſet Milonem triduo periturum, quòd ſeruos agreſtes armaſſet, quod impedimenta reliquiſſet, ꝙ expeditus in equo profectus fuiſſet. hęc igitur ſingula parum habent firmitudinis, ſed copulata multum valent. ideo Cicero pro Roſc. Am. Erucīū accuſatorem meritò deridet, quod dixiſſet Roſcium odio patri eſſe. atque eius rei ſignum feceſſat. quod rus eum pater ablegaſſet. neque enim parentes omnes, qui filios ſuos rus ablegant, eos oderunt. quod ſi alia multa odij ſigna potuiſſet Erucius colligere, fortaſſe quod volebat, approbaſſet.

TEXT. *Quid igitur veriſimile ſit, & quid ſignum, & propria nota; quaque ratione differant, ſatis pro tempore dictum ſit. planius enim atque dilucidius de his omnibus, & qua de cauſa partim quidem nihil certi concludant, partim autem concluſionem firmam ſtabilemque habeant, in Analyticis libris iam antea diſputauimus.*

COMM. Repetit breuiter quid hactenus docuerit, & locum oſtēdit, vbi hęc eadem planius tractata ſint. hactenus inquit declaratum eſt quid ſit veriſimile, & quid ſit ſignum ac propria nota, quidque diſcriminis inter ſe habeant. qui vero cupit hanc rē latius intelligere, is ſecundum librum Priorum

Analy-

Analyticorum legat, ibi enim hęc planius traduntur, & docetur etiam qua de cauſa fiat vt aliqua ſigna nihil certi concludant, aliqua vero firmam cōclnſionem habeant. hoc loco Victorius plurimis verbis conatur oſtendere quæ ſit inter ſignum & veriſimile differentia. ſed meo quidem iudicio, nō ſe ſatis explicat. nam quod primò Quintilianum reprehendit, quod ex Hermagoræ ſententia dixerit ſignum eſſe nō eſſe Virginem Atalantam, quia cum iuuenibus per ſyluas vagetur. idque ait potius eſſe veriſimile quam ſignum. decipitur ipſe Victorius, cū ſignum ab effectis ducatur, & ab ijs quę ſub ſenſum cadunt, & a ſignis etiam coniecturæ ducuntur. quod victorius negare uidetur. Eſt igitur illa ſatis aperta differentia iuter ueriſimile, & ſignum. quod veriſimile ducitur à cauſis & communi opinione, vt quod Malleolus culeo ſit inſuendus, quia eſt parricida. & Antonius ſit hoſtis iudicandus, qnod patriæ bellum inferat. nā ita cenſent omnes, nempe eos qui parentes occidunt culeo inſuendos eſſe, & qui bellum patriæ inferunt, hoſtes eſſe iudicandos. Signum autem ducitur ab effectis rebus quæ ſub ſenſum cadunt, ut Areopagitæ puerum damnarunt, qui cothurnicibus oculos effodiebat, & deinde uiuas emittebat. id enim ſummæ crudelitatis ſignum eſſe iudicarūt. atque hæc diſtinctio facilis eſt, & expedita. Verum eſt quod apud auctores hæc aliquando nomina confunduntur. nam ſigna nonnunquam dicuntur veriſimilia. quia quæcunque probandi uim habent in hac arte communiter veriſimilia dicuntur, ſed propriè ita diſtinguuntur, ut nos diximus.

TEXT. *Quod autem exemplum ſit idem, quod inductio, & quibus in rebus inductio ſit, oſtenſum eſt. ſed tamen non ita ſe habet, ut pars ad totum, neque ut totum ad partem, neque ut totum ad totum; uerum ut pars ad partem. & ut quod ſimile eſt, ad id cui eſt ſimile.*

COMM. Cum Rhetoricam duobus ad probandum inſtrumentis uti docuiſſet enthymemate, & exemplo, & iam quibus ex rebus enthymema fiat aperuerit: nunc ad exemplum reuertitur, quod iam ſupra dixit eſſe inductionem oratoriam, nunc autem docere vult quomodo fiat. iam igitnr (inquit) oſtēdimus exemplum eſſe quandam inductionem & quo modo fiat inductio declarauimus, hic verò ſciendum eſt, non eſſe penitus idem exemplum quod inductio, quoniam inductio plura complectitur. & aliter fit in Dialectica, quam exemplum in Rhetorica, neque ordinem ſyllogiſmi ſeruare in colligendo, ſed ſuam quandam ac propriam rationem. quatuor enim modis colligere licet, uel totū ex partibus, quod fit in dialectica inductione. ut ſi quis probet omnem uirtutem eſſe animi habitum rationi conſentaneum, qnoniam & iuſtitia, & prudentia, & fortitudo, & temperantia tales ſint habitus. nel partem ex toto, qnod ſyllogiſmo fit, in quo ſit vna propoſitio ſingularis, vt ſiquis probet, iuſtè cæſum Clodium, quia fuit inſidiator, & omnes inſidiatores rectè poſsint interfici. uel totum ex toto, quod fit in primo modo primæ formulæ ſyllogiſmorum, in quo generalis propoſitio colligitur ex duabus generalibus propoſitionibus, ut ſiquis probet, omnem hominem moueri & ſentire, quoniam omne animal mouetur & ſentit, & omnis homo ſit animal. uel partem ex parte, quod tantum exemplo fit. vt Cicero probat iuſte à ſe poſſe Catilinam interfici, quoniam etiam Scipio Naſica iuſtè Tib. Gracchum interfecit. iam igitur perſpicuum eſt quod ait Ariſtotelis exemplum non eſſe, vt eſt pars ad totum, neque ut eſt totum ad partem, neque ut totum ad totum, ſed ut eſt pars ad partem. vt Cicero pro Roſcio Amer. probat exemplo non debere Iudices credere patrem à Roſcio fuiſſe interfectum, quia neque creditum fuit T. Clęlium Terracinenſem à filijs interfectum fuiſſe. & pro Milone probat à Milone iuſtè Clodium interfici potuiſſe, quoniam etiam Hala Seruilius Sp. Meliū, & L. Opimius Gracchū, & Senatus Catilinam iuſtè interfecit. & pro Archia, retinendum eſſe Archiam in ciuitate, quoniā multi honeſtiſsimi uiri illum honorant, & quoniā multæ ciuitates Homerum ſuum eſſe ciuem prædicant. hæc enim quadam ſimilitudine probantur. vnde ait Ariſtoteles exemplum eſſe tāquam quod ſimile eſt, ad id cui eſt ſimile.

TEXT. *Cum enim ambo illa, quæ ſumuntur, ſub eodem genere poſita fuerint, & alterum altero notius & apertius ſit; tunc id exemplum eſt: ut ſi quis probare uelit, Dionyſium appetere dominatum regium, cum ſalutis ſuæ cuſtodes petat; & dicat Piſiſtratum antea cuſtodes petiſſe, cum regnum appeteret, & cum eos impetraſſet, tyrannidem occupaſſe; Theagenemq́; idem Megaris feciſſe, & alios quoſcunque nouerit idem feciſſe. omnes exemplum fient Dionyſii, quem adhuc ignorant, an ea de cauſa cuſtodes petat. hæc enim omnia ſub eodem genere, ac propoſito continentur, quòd quicunque regnum appetit, cuſtodes ſalutis ſuæ petit.*

COMM. Docuit exemplum eſſe, ut eſt pars ad partem, nunc pergit ea docere quę præterea in exemplo eſſe debeant. oportet inquit vt ea, quæ ſumuntur ſub eodem genere ſint. nam ſi fuerint diuerſi generis, nihil firmiter concludi poterit. deinde opus eſt ut id, quod ſumitur probationis gratia, notius & apertius ſit eo, qnod probandum eſt. nam ſi ambo ęqualiter ignota fuerint, nihil proderunt ad faciendam fidem. Quatuor ergo ſunt quæ in exemplo requiruntur. primum vt ſit tanquam pars ad partem, deinde vt ſit ei ſimile de quo agitur, tum vt ambo ſub eodem genere poſita ſint. poſtremò, vt id quod ſumitur notius ſit, quam id quod probari debet. quod ſi aliqnid horum deſit, non rectè concludetur. ipſe autem Ariſtoteles probat exemplo id, quod docuit. Dionyſius Siculorum Dux, cū regium dominatum affectaret, finxit ſe timere inimicorum inſidias, qui eum vellent interficere, itaque petiuit à populo vt ſibi liceret habere ſatellites & cuſtodes ſalutis ſuæ. quos cum obtinuiſſet, eorum præſidio regnum inuaſit. ergo ſiquis Orator quo tēpore Dionyſius cuſtodes petebat, Sicu-

lis

lis perſuadere uoluiſſet, ne hoc illi concederent, quoniam regnum inuadere ſtatuiſſet. potuiſſet id exemplo Piſiſtrati probare, qui cum accepiſſet ab Athenienſibus ſalutis ſuæ cuſtodes, tyrannidem occupauit. quod etiam Theagenes Megaris fecit. quanto autem plura eiuſdem generis exempla reperiuntur, tanto firmior erit probatio, & hoc eſt quod ait Ariſtoteles debere oratorem, omnes recẽſere quoſcunque nouerit idem feciſſe. nam omnes id oſtendent, quod adhuc dubium eſt. Dionyſium ea de cauſa cuſtodes petere, ut regnum inuadat. hæc enim omnia exempla ſub eodem genere continentur. nempe omnes, qui ſalutis ſuæ cuſtodes petunt, regnum appetere. De Piſiſtrato Iuſtinus libro ſecundo ita ſcribit, cum oſtendiſſet Megarenſes ab eo debellatos: Sed Piſiſtratus quaſi ſibi non patriæ uiciſſet, tyrannidem per dolum occupat. Quippe nerberibus uolũtarijs domi affectus, laceratoque corpore in publicum progreditur, & aduocata concione uulnera populo oſtendit, de credulitate principum, à quibus hoc ſe paſſum ſimulabat queritur: adduntur uocibus lachrymæ, & inuidioſa oratione multitudo credula incenditur: amore plebis inuiſum ſe Senatui affirmat, obtinet ad cuſtodiam corporis ſui ſatellitum auxiliũ. per quos occupata tyrannide per annos triginta quatuor regnauit. de Theagene tyranno meminit Pauſanias libro primo, & ipſe Ariſtoteles quinto Politicorum, ubi etiam narrat quomodo regnum inuaſerit.

TEXT. *Iam igitur unde probationes illæ ducantur, quæ ſpeciem habent demonſtrandi, declaratum eſt.*

COMM. Repetit breuiter more ſuo q̃d hactenus docuerit, docuimus (inquit) unde probationes illæ ducantur, quæ demonſtrare uidentur. hoc autem ait, quia Rhetorica ueris demonſtrationibus non utitur, quemadmodum in Philoſophia fit, & in Mathematicis diſciplinis. habent igitur tantum ſpeciem & ſimilitudinem demonſtrandi enthymemata & exempla, de quibus locutus eſt Ariſtoteles.

TEXT. *In ipſis autem enthymematibus maxima eſt differentia, quæ omnes ferè plurimum fallit: atque eadem eſt enthymematum differentia, quæ in differendi ratione ſyllogiſmorum eſt. nam enthymemata quædam ſunt ipſius artis dicendi propria; ſicuti ſyllogiſmi etiam quidam Dialecticæ proprij ſunt: quædam autem ad alias artes, & facultates pertinent; quæ uel iam inuentæ ſunt, uel nondum planè cognitæ.*

COMM. Declarauit hactenus quæ ſint argumenta rhetorica, & quibus ex rebus conſtent. nunc docere incipit, unde illa ducenda ſint. neque enim enthymemata omnia ſunt unius generis, ſed maxima eſt inter ea differẽtia, quam cum pauci intelligant, ideo fit ut plurimi decipiantur. atque eadem (inquit) eſt in enthymematibus differentia, quę eſt in ſyllogiſmis. nam etiam aliæ artes & ſcientiæ, præter Rhetoricam & Dialecticam utuntur enthymemate & ſyllogiſmo, non tamen eo modo, aut iiſdem de rebus, quibus hæ duæ facultates. habet enim Rhetorica enthymemata propria ac ſua, ſicuti Dialectica proprios ac ſuos ſyllogiſmos habet. ut ſi dixero: retinendæ ſunt leges quoniam in eis eſt ciuitatis ſalus. hoc erit enthymema rhetoricum. at ſi dixero, hæc figura tres habet angulos ęquales duobus rectis, quoniam eſt triangulum. erit quidem enthymema non tamen rhetoricum, ſed geometricum. Ita ſi dixero: quicquid dicitur de genere: dicitur ẽt de ſpecie, ſed animal eſt genus, homo eſt ſpecies, ergo quicquid dicitur de animali, dicitur etiam de homine. hic erit ſyllogiſmus dialecticus. at ſi dixero: quicquid ſuo nutu deorſum ruit, graue eſt, terra ſuo nutu deorſum ruit, ergo terra grauis eſt. erit quidem ſyllogiſmus, ſed non tamen dialecticus, uerum phyſicus. ſunt igitur enthymemata & ſyllogiſmi quidam Rhetoricæ, & Dialecticæ proprij, quidam etiam aliarum artium & ſcientiarũ. quod autem ait Ariſtoteles, quæ iam inuentæ ſunt, ſignificare uoluit artes certum numerũ non habere, quoniam nouę artes frequenter inueniuntur, quod fieri uidemus etiam noſtra tempeſtate. multę igitur latent, quæ nondum inuentæ ſunt, plurimę etiam ſunt cognitę. ſed quamuis artis aliquę nondum penitus perſpectę ſint, tamen licet ex eis enthymemata ducere. quoniam non penitus earum natura ignoratur, licet ad certam viam & rationem nondum deducta ſit. vt exempli gratia putant aliqui artem inueniri poſſe qua plumbum in aurum conuertatur. hæc certe ars nondum eſt planè cognita, tamen aliquid de ea vel enthymemate, vel ſyllogiſmo concludere poſſumus.

TEXT. *Itaque ſæpe fit ut auditores fallant. & qui eiuſmodi enthymemata magis, quàm conueniat, amplectuntur, artis oratoriæ fines tranſiliunt.*

COMM. Enthymemata quæ pertinent ad alias artes & ſcientias, pręterquam ad Rhetoricam, ſæpe decipiunt auditores, qui ea in oratoris facultate putant eſſe, cum tamen propriè non ſint. imò verò ſi Orator huiuſmodi enthymemata diligentius pertractarit, quàm arti rhetoricæ conueniat, ab oratoris officio diſcedet, & quodammodo in cauſa propria pręuaricabitur, & relicto artificio quod profitetur, alterius artificis perſonam induet, & Oratoris nomen amittet. vt exempli gratia, ſi Orator de officio medici communiter, & ad vulgarem ſenſum atq; intelligentiam accommodatè diſſerat, in arte ſua verſabitur, & id oratorio more faciet. ſed ſi definitè diſtinctèq; de arte medica diſputare velit, & docere quid ſalubre atq; inſalubre proprie ſit, id iam non tanquam Orator faciet, ſed tanquã medicus, & quanto accuratius id fecerit, tantò facilius nomen ſuum amittet. idem etiam de alijs artibus & ſcientijs ſentiendum. Itaque Rhetorica & Dialectica diſputant quidem de rebus omnibus, ſed communiter, & ex vulgari intelligentia, non autem propriè ac definitè. hęc eſt Ariſtotelis ſententia, quæ quoniam paulo obſcurior videbatur, ideo pluribus eam verbis explicare voluit, & hoc eſt quod ait.

TEXT. *Hoc autem quod dico, clarius, & apertius erit, ſi pluribus uerbis explicetur.*

Qnì breuitati ſtudent plerunq; in obſcuritatē incidunt, ideo dixit Horatius: breuis eſſe laboro, Obſcurus fio. quod autem paucis uerbis obſcure dicitur, id pluribus explicatū fieri clarius & apertius poteſt. hoc eſt quod ait Ariſtoteles. ſic etiam Craſſus apud Ciceronem primo de Oratore; Hoc uideo dum breuiter uoluerim dicere, dictum à me eſſe paulò obſcurius. ſed experiar & dicam ſi potero planius.

TEXT. *Eos enim ego Dialecticos & Oratorios ſyllogiſmos uoco, qui ducuntur ex locis, in quibus latent argumenta. Loci uero ſunt ij, qui communiter dicuntur, de rebus, quæ ad mores, & ad naturam, & ad ciuilem ſcientiam pertinent, & denique ad alia multa, quæ ſpecie inter ſe differant; ut locus qui ex maiore & minore dicitur. neque enim ex hoc loco magis de rebus iuſtis, quam de rebus naturalibus, aut de qualibet alia re, uel ſyllogiſmo concludere aliquid, uel enthymemate probare licet. atqui hæc ſine dubio ſpecie differunt.*

COMM. Iam incipit præſtare, quod pollicitus eſt. pluribus enim uerbis docet, qui ſyllogiſmi dicantur Oratorij & Dialectici, & qui aliarum artium. Ergo Dialectici & Oratorii ſyllogiſmi dicuntur illi, qui à locis communibus ducuntur, in quibus latent argumenta communia quæ facile poſſint ab omnibus intelligi, quāuis de uariis rebus pertractare uideantur. nam ex uno atque eodem cōmuni loco poteſt Orator argumenta ducere, quę uel de moribus tractēt, uel de rebus naturalibus, uel de ciuili ſcientia, uel de aliis quibuslibet rebus, quę ſint inter ſe ſuis formis diſtinctæ. tales enim ſunt loci communes qui communiter de rebus omnibus in utranque partem argumenta continent. ut locus ille qui dicitur à comparatione maiorum & minorum, ex quo uel enthymemate. uel ſyllogiſmo de qualibet re concludere licet. quod autem ex hoc loco poſſint argumenta duci diuerſarum rerum & ſpecie differentium, exemplis declarabimus: ut de ijs quæ ad mores attinēt hoc erit argumentum: maior uirtus eſt iuſtitia quam fortitudo. nam ſi omnes iuſti eſſemus fortitudine non egeremus. Melius eſt iniuriam accipere quam inferre. quia qui facit iniuriam malus eſt. qui eam accipit probus eſſe poteſt. magis parentibus debemus, quam nobis ipſis. nam ſi parentes non fuiſſent, ne nos quidem eſſe potuiſſemus. de ijs quæ ad res naturales ſpectant ex eodem loco hæc erunt argumenta; melior eſt calor quam frigus. Calor enim res omnes procreat, & cōſeruat, frigus eas conſumit. melior aqua quā ignis. pluribus enim in rebus utimur aqua, quam igne. diutius uiuunt celibes, quam qui uxorem habent, nam ueneris uſus ſpiritus uitales exhaurit. de ijs quæ ad ciuilem ſcientiam pertinent, ex eodem loco ſint hæc argumenta. pręſtantiores ſunt leges quam iudicia, quia leges commune bonum ſpectāt, iudicia priuatum. melius eſt ut princeps regionem ſuam tueatur, quam alienam appetat. nā qui aliena cupidius appetunt, ſua ſæpius amittunt. Melius eſt ut Reſp. ab uno uel à paucis adminiſtretur quam à multis. facilius eſt enim unum ſapientem aut paucos inuenire quam multos. hoc modo ab aliis etiam rebus cuiuslibet generis licebit ex comparatione argumenta formare. non eſt autem dubium quin hæ res unde argumenta ducuntur, ſpecie differant. & quemadmodum nos enthymemata formauimus, licebit etiā eodem modo ſyllogiſmos formare communiter de rebus omnibus. ſatis igitur iam patet quæ ſit huius loci ſententia.

TEXT. *Propria uero cuiuſque artis argumenta ſunt, quæ conſtant è propoſitionibus ab arte illa ipſa deſumptis. exempli gratia, in rebus naturalibus propoſitiones ſunt, ex quibus nemo poterit aut enthymema aut ſyllogiſmum formare, qui ad uitam & mores pertineat; & in moralibus rebus ſunt aliæ propoſitiones, ex quibus nihil concludi poteſt, quod ad naturam ſpectet: atque eadem eſt in cæteris omnibus ratio.*

COMM. Iam docuit Dialecticos & Oratorios ſyllogiſmos communiter de rebus fere omnibus diſſerere, nunc docet quæ ſint propria cuiuſque artis argumenta. nempe ea quæ uni tantum arti accommodantur, & ad aliam traduci non poſſunt. ut ex propoſitionibus naturalibus, erit etiam concluſio naturalis, non autem moralis, ita ex propoſitionibus moralibus, non fiet concluſio naturalis ſed moralis. neque enim in Philoſophia morali, sut naturali ſunt loci communes unde argumenta ducantur ad alias artes pertinentia, ſed ſuis probationibus hæ duæ philoſophię contentæ ſunt, & proprias habent propoſitiones, quæ nihil in aliis artibus concludere poſſunt. ut ſi de materia aut forma rerum naturalium diſſerēdum ſit, hæc erit propria Philoſophiæ naturalis diſputatio. & ſi de ſumma hominis felicitate, deque uirtutibus ad eā ducentibus accuratè proprieque ſit agendum, hoc ad moralem Philoſophiam, non ad aliam artem pertinebit, atque ita ſit in aliis artibus.

TEXT. *Atque illa quidem argumenta, quæ communiter ex locis ſumuntur, neminem poſſunt huius, aut illius artis peritum facere; quoniam nullam habent certam ſibi ſubiectam materiam.*

COMM. Cum artes habeant ſua propria ac certa præcepta quibus perficiantur, ſiquis earum peritus eſſe uelit, oportet ut illa præcepta ꝓpria diſcat. alioqui nunquam eſſe medicus quiſquam poterit, niſi perceperit quæ ſalubria ſint, & quæ inſalubria, & quibus remediis unuſquiſque morbus aut arceri, aut depelli poſſit. idem de aliis ſentiendum. ſi quis autem communiter tantum, & ex opinione uulgari de aliqua arte diſſerat, non poterit dici peritus illius artis. ſed Dialecticus & Rhetor ex locis communibus de qualibet arte ex uulgari opinione diſſerunt, non igitur quemquam alicuius artis peritum efficere poſſunt. Itaque hoc habent argumenta communia ut non poſſint quemquā alicuius artis peritum efficere. quoniam nullam certam habent ſubiectam materiam ab aliis diſtinctam

ſtinctã ĩ qua uerſent̃.ut exẽpli grã. poterit Orator de Aſtrologia cõiter multa diſputare, & eam ſciẽtiã ornare atq; extollere, plurimaq; enthymemata in mediũ afferre, quare ſit Aſtrologia magnopere laudabilis atq; amplectenda, quãuis ipſe ſit Aſtrologię prorſus ignarus, atq; ita de reliquis artibus & ſcientiis. hęc igit enthymemata Rhetorica non efficiũt ut qs ſit eiũs artis peritus de qua diſſerit.

TEXT. *Has autem proprias artium propoſitiones quanto quis exquiſitiores elegerit, tanto magis per imprudẽtiam efficiet aliam ſcientiam, diuerſam à Dialectica, aut Rhetorica. ſi enim ad alicuius artis principia peruenerit; iam non erit Dialectica, aut Rhetorica, ſed erit illa ipſa ars, cuius ea principia fuerint.*

COMM. Iam declarauit qualia ſint argumenta communia, nunc igitur tranſit ad ea q̃ propria ſunt ſcientiarum. de quibus etiam Dialectici & Rhetores diſputare poſſunt, non tamen exquiſitè, ſed ex cõi opinione. nam qui ex aliqua ſcientia propoſitiones exquiſitiores eligit, & de ijs accuratè diſputat, iam non officio Dialectici aut Rhetoris fungitur, ſed eius ipſius artificis, cuius illæ propoſitiones ſunt. & quanto diligentius id facit, tanto magis aberrat à propoſito ſuo, uerſaturque in alia arte quàm in Rhetorica aut Dialectica. hoc autẽ quidam Oratores faciunt, ut eruditiores uideantur. diſputant.n. nonnunquam accuratè de mathematicis aut naturalibus propoſitionibus, quod cum faciunt non Oratores, ſed mathematici, aut Philoſophi dici debent. itaque dum ampliare fines ſuos uolunt, proprium nomen amittunt. uſq; eo ut ne Dialectica quidem aut Rhetorica dici debeat ars eorum, qui dum proprias alicuius artis propoſitiones tractant, ad eius artis principia fonteſque perueniunt, & unde ars illa proficiſcatur, accuratè ſeduloque diſſerunt. ſed erit ars illa de cuius principiis diſputatur ut geometria, uel Muſica, uel alia quælibet. hunc locum uidetur expreſſiſſe Sceuola primo de Oratore contra Craſſum: Quod uero (inquit) in extrema Oratione quaſi tuo iure ſumpſiſti, Oratorem in omni ſermonis diſputatione copioſiſſimè poſſe verſari: id niſi hic in tuo regno eſſemus, nõ tuliſſem, multiſq; p̃eſſẽ, qui aut interdicto tecũ cõtẽderent, aut te ex iure manu conſertũ uocarẽt, quod in alienas poſſeſſiones tã temere irruiſſes. agerẽt.n. tecũ lege primũ Pythagorei oẽs, atq; Democritici. & q̃ ſequũtur.

TEXT. *Maiorem autem partẽ enthymemata fiunt ex propoſitionibus illis, quæ propriæ peculiareſque ſunt alicuius artis, è communibus aũt locis longè pauciora.*

COMM. Quoniam artes multæ ſunt, & in ſingulis artibus eſt penè infinita propoſitionum multitudo, ideo fit ut enthymemata maiori ex parte fiant, ex propoſitionibus quæ propriæ ſint alicuius artis. longè uerò pauciora fiant ex locis communibus omnium ſcientiarum. primo libro Topicorũ tres p̃cipuè ſpẽs propoſitionum eſſe dicit, nã alias ait eſſe morales, alias naturales, alias deniq; logicas. harum aũt unaquæq; ſpecies ad artem propriam ſpectat. ſunt tamen ẽt enthymemata rerũ earũ ex quibus nondum artes traditas habemus, ſed pauciora. Sumet igitur Orator enthymemata, ex propoſitionibus uariarum artium, & ſcientiarum, q̃ uel iam inuentæ ſunt, uel nõdum cognitæ, ſed ea non exquiſire, uerum ex cõi tantum opinione tractabis, ne fines ſuos tranſire uideatur. hoc aũt cõmode facere non poterit niſi ex uariis artibus & ſcientiis multa didicerit. quare bonum Oratorẽ eſſe doctiſſimum oportet, ut ex plurimus ea ſeligere poſſit, quę ſint ad perſuadẽdũ accõmodata.

TEXT. *Quemadmodum igitur in Topicis, ita etiam in hoc opere diſtinguendæ ſunt enthymematum ſpecies, & loci unde ſumuntur argumenta. uoco autem ſpecies enthymematũ, proprias cuiuſq; generis propoſitiões; locos uero ſedes argumẽtorũ, æqualiter oĩbus cões.*

COMM. Siquis benè cognouerit, ſpẽs enthymematum, & locos cões, is totam hanc artem rectè perceperit. Itaq; proponit Ariſtoteles utrunq; ſe declarare uelle, ſicut ẽt in Topicis ſyllogiſmorũ ſpẽs & ſedes argumẽtorum expoſuit. ſed ne quis decipiatur, exponit accuratè, quas ipſe appellet ſpẽs enthymematum, & quos uocet locos. Species enthymematum (inquit) intelligi uolo, proprias cuiuſque generis propoſitiones, hoc eſt cuiuſq; artis, & cuiuſq; Rhetoricæ partis. ſunt. n. in unoquoq; genere cauſarum propriæ propoſitiones quos uocat Cicero certos locos, ſic .n. ait primo de Orat. certoſq; eſſe locos quibus in iudiciis uteremur, in quibus æquitas quæritur. alios in deliberationibus, qui omnes ad utilitatem dirigerentur eorũ, quibus cõſilium daremus. alios item in laudationibus, in quibus ad perſonarum dignitatẽ omnia referrentur. has igitur vocat Ariſtoteles proprias cuiuſq; generis propoſitiones. locos uero uocat ſedes argumentorum, qui non uni alicui generi ſed omnibus æqualiter communes ſint.

TEXT. *Prius igitur de formis enthymematum, quã de locis dicamus. ac primo Rhetoricæ genera uideamus. ut cũ ea quot numero ſint explicuerimus, ſigillatim deĩde cuiuſq; gñis elemẽta, p̃poſitioneſq; tractemus.*

COMM. Proponit quẽ ordinem ſeruaturus ſit in eis tradendis quæ ad probationẽ Rhetoricam pertinẽt. quoniã ſunt q̃dã enthymematum ſpecies cuiuſq; generis propriæ, & ſunt quidã loci cões omnium generum. uolo (inquit) prius enthymematum ſpecies tractare, quã ad locos tractandos aggrediar. uerum hoc non poſſum cõmodè facere, niſi docuero quot Rhetoricæ genera ſint, ut cũ ea quot numero ſint intellexerimus, tunc vnicuique generi, ſuas propoſitiones atq; elementa ſubijciamus. uocat aũt elementa ſedes argumentorum, quod ipſemet in ſecũdo huius operis declarat his uerbis, ut nos uertimus: Elementum autem, & locum enthymematis pro eodem capio. ſequitur aũt uiam docendi planiorem & faciliorem, ut prius ea tradat quæ ſingulorum generum propria ſunt. dein de quæ ſint omnium cõia. neque. n. rectè poteſt intelligi, quid multorum cõe ſit, niſi prius intelligatur, quid ſit propriũ ſingulorum. ut ſi quis dicat, locum à definitione communẽ eſſe iudiciali,

deliberatiuo,& demõſtratiuo generi,certe nemo poterit hoc bene intelligere, niſi prius didicerit q͂d ſit iudiciale,deliberatiuũ,& demõſtratiuũ genus,& q̃uo inter ſe diſtiuguantur, & quã ſingula ꝓprietatẽ habeant.de his igĩt primò tractãdũ eſt.

TEXT. *Sunt autem Rhetoricæ genera numero tria: tot enim etiam auditorum genera reperiuntur. nam ex tribus rebus Oratio conſtat; ex eo qui dicit, ex materia de qua dicitur,ex eo apud quem uerba fiunt.quin etiam cuiuslibet Orationis finis ad auditorẽ refertur.*

COMM. Quæ latini ſcriptores genera cauſarum uocãt, ea uocat Ariſtoteles genera uel ſpecies Rhetoricæ, quoniam in ſingulis totius artis uis ac facultas exprimitur. eſt enim omnis doctrina dicendi diuiſa in tres partes, ut in Partitiouibus Cicero docet,in uim Oratoris,Orationem,& quęſtionẽ. quæ partes omnes in unoquoque geuere requiruntur, ut exempli gratia nemo poterit in iudicio bene aliquẽ accuſare aut defendere, niſi uim Oratoriam habuerit, & quæſtionem agnouerit, & Oratione utatur. quibus in rebus tota eſt ars Rhetorica.idem fit etiam in deliberatione,atque exornatione. bene igitur tria dicuntur eſſe Rhetoricæ genera. noſtri genera cauſarum appellant, quoniam Oratores ſæpius cauſas, ideſt certas ac definitas quæſtiones, quàm propoſita, quæſtioneſque infinitas ac generales tractant. illud aduertendum Ariſtotelem in hoc opere generis ac ſpeciei nomen coufundere,ſæpeque alterum pro altero ponere. quod etiam apud nos frequentiſsime Cicero,& Quiutiliauus faciunt.nam illa exquiſita diſtinctio generis & ſpecici Dialecticorum & Philoſophorum eſt,non autem Oratorum. itaq; paulo ſuperius Ariſtoteles γένη τῆς ῥητορικῆς, ideſt Rhetoricæ genera dixerat,quæ nunc εἴδη hoc eſt ſpecies uocat. At uero totam artem auditorũ genere diſtiuguit, quod in Partitionibus etiam Cicero facit. idque ſe non ſine ratione facere oſtendit, cum enim ex tribus rebus conſtet Oratio, ex eo qui dicit,ex materia de qua dicitur,ex eo apud quem uerba fiunt,nemini dubium eſſe poteſt,q̃n duo prima ad tertium referantur.ſemper enim ad aliquem habetur Oratio.neque quiſque uerba facit niſi ut ab aliquo audiatur. ergo finis omnis Orationis ad auditorem refertur.eſt enim mentis interpres Oratio,quæ ſenſa animi declarat,ita ut intelligantur ab aliquo, quod niſi ſit qui audiat, fruſtra omnis habebitur Oratio, meritò igitur dicendi genera, geuere auditorum diſtinguuntur.

TEXT. *Neceſſe eſt autem,ut is,qui audit, uel auſcultator tantum ſit,uel etiam diſceptator;diſceptator uerò,qui uel de præteritis ſtatuat,uel de futuris.& & de futuris quidem ſtatuit, ut is, qui in concione eſt ſententiæ moderator,de præteritis autem, ut iudex. at uero auſcultator de Oratoris facultate iudicat. quare neceſſe eſt tria cauſarum eſſe genera;deliberationis,iudicij,exornationis.*

COMM. Vt probet tria eſſe Rhetoricæ geuera,docet auditorũ genera eſſe tria,nẽpe auſcultatorẽ,Iudicẽ, & ſniæ moderatorẽ.nã is qui audit,aut tantum auſcultat,aut ẽt iudicaturus eſt,qui diſceptator à Cicerone dicitur.q͂d ſi iudicaturus eſt,aut de præteritis aut de futuris ſtatuit.ſi de pręteritis iudex dicitur,ſi de futuris ſententiæ moderator,qui eccleſiaſtes Græcè dicitur. qui tautum auſcultat, is de Oratoris facultate iudicat,& auſcultator à Cicerone uocatur;Ariſtoteles θεωρὸν appellat. quod propriè ſpectatorem ſignificat.ſic ẽt appellabant Græci quos publice ad rem diuinam faciendam mittebant,& θεωρίδα nauẽ qua uehebantur.dicuntur ẽt θεωροὶ qui tantum uiſendi gratia aliquo proficiſcuntur. de quibus ita Cicero Tuſc. quinto:Eſſe autem quoddam genus eorum, idque uel maximè ingenuum,qui uec plauſum,uec lucrum quærereut,ſed uiſendi gratia uenirent, ſtudioſeque perſpicerent,quid ageretur. unde Philotheori dicuntur,qui uiſendi ſtudio trahuutur,quo uerbo Cicero utitur ad Trebatium ſcribens.habebãtur autem Orationes in celebritatibus gratię,qui Panegyrici dicebantur, & erant demonſtratiui generis,in quibus licebat ingenium & artẽ oſtentare.ꝙ qui melius feciſſet, is præſtantior Orator habebatur.hoc eſt quod ait Ariſtoteles,auſcultatorem de Oratoris facultate iudicare. huuc autẽ locum Ariſtotelis Cicero in partitionibus ita trãſtulit: C.F. Quid habes igitur de cauſa dicere. C.P. auditorum eam genere diſtingui.nã aut auſcultator eſt modo qui audit, aut diſceptator, ideſt rei, ſententiæq; moderator,ita ut delectetur, aut ſtatuat aliquid. ſtatuit autẽ aut de præteritis, ut iudex,aut de futuris,ut Senatus.ſic tria ſunt genera iudicij,deliberationis,exornationis. Quintilianus duplici diuiſione probat eſſe tria geuera cauſarum,prior diuiſio hæc eſt: Oratoris officiũ aut eſt in iudicijs, aut extra iudicia.in iudiciis eſt genus iudiciale. extra iudicia uel præteritum tẽpus ſpectat,uel futurum. pręterita uel laudamus, uel uituperamus.de futuris deliberamus. ita fiũt tria genera.altera diuiſio hæc eſt:ea de quibus dicendum eſt,aut certa ſunt aut dubia. certa laudantur aut uituperantur. dubia uel in noſtra poteſtate ſunt,ut ea ſequamur aut fugiamus de quibus eſt deliberatio. uel aliorum ſententiæ cõmiſſa,de quibus eſt iudicium. In hoc igitur conueniunt Ariſtoteles,Cicero,Quintilianus,quod tria ſint cauſarum uel Rhetoricæ genera.quamuis apud alios ſcriptores ambigatur.nam alij plura,alij pauciora fecerunt.genus autem in quo deliberamus συμβουλευτικὸν uocatur,à conſilio dando. iudiciale δικανικὸν ꝙ in eo lite contendatur. Demonſtratiuũ ἐπιδεικτικὸν, uel ἐγκωμιαστικὸν à laude hoc eſt à meliori parte: tamen M. Antonius ſecundo de Oratore, genus hoc quod ad laudationes ꝑtinet, remouere ur̃. quoniã licet aliquando accidat ut Orator laudet aut uituperet extra iudiciũ aut deliberationem,non tamen ideo ſequi debet,ut tertiũ genus cauſarũ adiungendum ſit. multa enim etiam alia facit Orator, quæ non ſunt genera cauſarum dicenda;ſed(ut dixi) Ariſtoteles,Cicero,& Quintilianus tria genera faciunt.

Epiſt. 7.

Delibe-

TEXT. *Deliberationis autem duæ ſunt partes; altera ſuaſio, altera diſſuaſio. nam & qui priuatè de re aliqua deliberant, & qui publicè concionantur, ſemper horum alterutrum efficiunt.*

COMM. Quoniam facultas Oratoria in utraoque partem diſputat. ideo fit, ut unumquodque Rhetoricæ genus duas cootrarias partes babeat. ut in deliberatione eſt ſuaſio & diſſuaſio. quod Ariſtoteles probat inductione hoc mõ: qui conſiliũ dant id uel ptiuatim faciunt, uel io concione publica. ſed & qui priuatè, & qui publicè conſulunt ſemper uel ſuadent uel diſſuadent, ergo duæ ſuot partes deliberationis, ſuaſio, & diſſuaſio. priuatæ ſuaſionis exempla ſuot pulcherrima apud Iſocratẽ Oratio ad Demonicũ, & Oratio ad Nicoclem. Apud Ciceronem oullæ quidem ſunt Orationes quæ priuatim aliquid ſuadeant aut diſſuadeant, ſed multæ ſunt epiſtolæ in hoc geoere, ut ea quá ad Luceium ſcribit libro quinto qua cooatur ei perſuadere, ut res ſuas geſtas ſcribat. extat ẽt epiſtola pulcherrima ad Quintum fratrem qua admooet eum quomodo rectè prouinciam adminiſtret, & ad gloriam atque honorem acquireodum adhortatur multæ uero ſunt Orationes quibus publicè ſuadet aliquid aut diſſuadet Cicero, ut ea quæ ꝓ lege Man. inſcribitur. qua populo ſuadet, ut Pompeium eligat imperatorem contra Mithridatem. & ea quæ contra Rullum dicta eſt qua populo diſſuadet legem agrariam, quam Plinius uehemẽter admiratur. quin omnes Philippicæ quamuis Antonij uituperationem contineant, ſunt tamen deliberatiui generis. nam eo tendunt, ut Antonius hoſtis patriæ iudicetur. nooa Philippica contioet quidem laudem Set. Sulpitij, ſed ea de cã ut facilius ſuadeat, ei ſtatuam erigendam eſſe, quapropter illa etiam deliberatiui generis eſt. ita omnes ferè conciones apud Liuium & cæteros hiſtoricos in hoc geoere ſuot, quoniam io eis ſemper aliquid aut ſuadetur, aut diſſuadetur.

TEXT. *Iudicij uero partes ſunt accuſatio, & defenſio: qui.n. in iudicio uerſãtur, horũ alterũ facere oportet.*

COMM. Sicuti duæ contrariæ partes ſunt in deliberatiooe ita ẽt in iudicio. nã qui uerſaotur in iudiciis neceſſe eſt, vt vel accuſent, vel defendant. quo fit ut accuſatio, & defeoſio ſint partes iudicialis generis. Cicero primo de Inuentione duas alias adiungit, hoc eſt petitionem, & recuſatiooem, ſed tamen alibi ſecutus Ariſtotelem duas tantum facit. nam petitio cum accuſatione cooiungitut, qui .n. petit, uocat reũ in iudiciũ tanquã ab eo læſus ſit, qđ ſine dubio ſpeciem bẽt accuſationis. ideo in Partit. ſic ait Cicero: ſed accuſatorem pro omni actore & petitore appello. ita recuſatio coniungitur cũ defenſione, ut Cicero. P. Quintũ defeodit, qui recuſabat Sex. Neuio ſe quicquam debere. & Roſc. Comædũ. à quo Fannius Chærea, quandam pecuniç uim petebat. duæ ſunt igĩt tãtũ iudicialis generis partes, accuſatio, quæ petitionẽ ẽt continet, & defenſio q̃ cõplectitur etiam recuſationẽ.

TEXT. *Exornatiõis deniq; partes ſunt laus & uituperã.*

COMM. Duas partes hẽt ẽt exornatio ſicuti reliqua genera, laudẽ & uituperationẽ res.o. certas ac præteritas uel laudare, uel uituperare ſolemus. hoc autẽ genus ſemper cũ duobus aliis cõmixtũ eſt. neque.n. unquam deliberatio, aut iudiciũ, ſine laude aut uituperatione eſſe poteſt, ſed exornatio ſine deliberatione, & judicio reperiĩ. quales ſuot Orationes fuoebres, quas Grçci ἐπιταφίους λόγους uocãt. raro tamen Oratores hoc genus tractant ſeparatim, & hæc eſt cã cur M. Antonius ſecundo de Oratore non putauit eſſe genus tertiũ. & certè nullã habemus Ciceronis Orationẽ q̃ ſit tantum in hoc geoere. nã pro lege Man. quãuis Pompeij laudes cõmemorentur, tamen ideo fit ut facilius perſuaderi poſſit eũ ſummũ eſſe imperatorem, & dignũ qui contra Mithridatem mittatur. niſi fortè quis ſecundã Philippicã in hoc geoere cõſtituat, q̃ tantũ Aotonij uituperationẽ cõtinet. ſed tamẽ ſiquis aduertat magis ad iudiciale & deliberatiuũ inclinat. ſe.n. in ea defendit Cicero, Antoniũ accuſat eo ſtudio ut hoſtis patriæ iudicetur, qđ deinceps in aliis ẽt Orationibus facit. apud Iſocratem eſt pulcherrima in hoc genere oratio, qua Euagorã Cypri regem laudat. itẽ altera qua laudat Helenã, & tertia quã Buſirim celebrat. Orationes Ciceronis in Catilinã plurimũ habeot demonſtratiui generis, quoniã uehementer eum uituperant, ſed tamen in deliberatiuo ſuot ponendç, quoniã in prima Catilinç ſuadet ut uel Roma diſcedat, uel reſipiſcat. in teliquis ſuadet Romanis ut bono ſint animo, docetq; quid ſit faciendũ ut Reſp. ſeruetur. duæ ſunt Otationes perelegantes apud Ciceronem, quæ uidentur eſſe demonſtratiui generis, quarum alterã habuit ad Quirites, alteram in Senatu poſt teditũ ſuũ ab exilio, ſed tamẽ alia quædã habent permixta, quæ non ſinunt eas abſolutè demonſtratiuas eſſe. uerũ (ut dixi) genus hoc permiſcetur omnibus diceodi generibus.

Quin etiam horum trium generum tempora diſtincta ſunt. nam deliberationi futurum tempus datur: qui enim deliberat, ſiue ſuadeat, ſiue diſſuadeat, de futuris deliberat. TEXT.

Docet hçc tria Rhetoricç genera tẽporibus ẽt diſtingui. neq;.n. omnia tempora ſingulis conueniunt. oã futurũ deliberationibus accõmodatur. ſiquidem nulla eſt de præterito deliberatio ſicut ait Demoſthenes ꝓ Cteſipbonte. quoniã mutari nõ põt id, qđ eſt præteritum. neq; ſanè p̃ſens tp̃s aptũ eſt deliberationi, niſi quatenus fututũ adiuuat. ſemp.n. deliberatio factum p̃cedit. quo fit ut, oĩs deliberatio ſit de futuro. ſic ẽt Cicero in Parti. ait deliberationẽ eſſe in ꝓuiſione poſteri tp̃is. COMM.

In iudicio uero præteritum tempus eſt propoſitũ. nam de rebus iam factis ſemper hic quidem accuſat, ille autem defendit. TEXT.

Sicuti deliberationi futurũ tp̃s accõmodatur, ita iudicio præteritum. cum enim in iudicio uel accuſemus vel defendamus, neceſſe eſt, vt ea iam facta ſiot, q̃ quis aut accuſat, aut defendit. & hoc eſt qđ ait Cicero iudiciale genus in præteriti di- COMM.

ſceptatione verſari: & quamuis aliqui videantur ēt de futuro poſſe accuſari, ut ſi patriam prodituri ſint: tamē id ex pteriti diſceptatione iudicatur, ut ſi iam cum aliquibus coniurauit, ſi pactns eſt, ſi mercedē accepit, ſiqd occultè machinatus eſt, q̄ omnia iā præterita ſunt. neq; enim tantum facta, ſed ēt prauæ cogitationes ac deliberationes puniuntur, qnæ ſemper iudicium præcedant neceſſe eſt, quare de præteritis ſemper eſt iudicium. neq; enim Catilina condemnatus eſt, quod Reip. ſtatum euertiſſet, ſed quod id facere decreuiſſet.

TEXT. *Exornationis maximè quidem proprium eſt præſens tempus. qui enim laudant, uel uituperant aliquem, ea quæ tunc in eo ſunt, conſyderant; ſed tamen etiam præterita reminiſcentes commemorant, & de futuris coniecturam faciunt.*

COMM. Præſens tempus propriè nullum eſt, ſed id præſens dicitur, quod in continuatione præteriti eſt, & futuri. hoc igitur exornationi pcipuè conuenit. cum. n. aliqnem viuentē adhuc laudamus aut vituperamns, nō id in primis ſpectamus qnalis antea fuerit, aut qualis futurus ſit, ſed qualis ſit in præſentia. nam ſi bonus vir antea fuiſſet, in præſenti verò malus eſſet, non poſſet iure laudari. neq; quemquā tantum ea de cauſa laudamus, q bonus ſit futurus. ergo præſens tempus exornationi præcipuè accommodatum eſt. Verumtamen quæ præterita ſunt plurimum exornationē adiuuant, & tanto laudabiliter is, quem exornamus, uidetur, quātò plures ab eo præclarè geſtas res commemorare potuerimus. quinetiam ex pteritis & præſentibus coniecturam facimus de futuris, vt ſiqnis hactenus ſe benè geſſit, & in præſentia pgit ſe benè gerere, credibile eſt eum perpetuò talem futurum. Quapropter in omnia tempora diffunditur exornatio, quāuis præſens tempus eius ſit maximè proprium. hoc genus Cicero mirificè laudat, qđ copiam ad dicendum maximam adferat. & utile ſit ciuitatibus. ſic enim ait in Partitionibus: Itaq; illud ſuperius exornatio dicitur: qđ cum latum genus eſſe pōt, ſaneq́ue varium: vnum ex eo delegimus, qđ ad laudandos claros viros ſuſcepimus, & ad improbos vituperādos. genus. n. nullum eſt Orationis, quod aut uberius ad dicendum, aut utilius ciuitatibus eſſe poſſit, aut in quo magis Orator in cognitione uirtutum, uitiorumq́ue uerſetur.

TEXT. *Finis præterea unicuique generi diuerſus eſt; & cum tria ſint genera, tres etiam erunt fines. nam in deliberando finis eſt utilitas, & detrimentum. qui. n. ſuadet aliquid, illud, tanquam melius, ſuadet: & qui diſſuadet, tanquam deterius diſſuadet: alia uero omnia huc referuntur; ut ſiquid iuſtum aut iniuſtum, honeſtum aut turpe dicatur.*

COMM. Hactenus diſtinxit genera cāuſarum per auditorum perſonas, oſtendit quæ partes unicuiq; generi ſubiectæ ſint, & unūquodq; genus ſuo tempore diſtinctum eſſe docuit. nunc etiam à fine diſtinguit eadem genera. nam ſuus cuique generi finis propoſitus eſt, & cum ſint tria genera, neceſſe eſt, ut etiam tres fines ſint. ac primo docet qui finis ſit deliberationis, & ait eſſe vtilitatem ac detrimentum, ut illam quidem ſequamur, hoc vero ſugiamus. eſt enim hæc Oratorum conſuetudo, ut cum aliquid ſuadere uolunt, id melius eſſe, quam reliqua de quibus deliberatur oſtendant, cum autem uolunt diſſuadere, demonſtrent illud eſſe deterius. qđ ſi de iuſto, aut iniuſto, de honeſto, ac turpi verba fecerint in deliberatione, non id ideo faciunt, quia iuſtitia uel honeſtas ſit præcipuua deliberationis finis, ſed ut facilius quod uolunt ſuadeant, aut diſſuadeant. nam quæ iuſta ſunt & honeſta, etiam habentur meliora, atque utiliora, præſertim apud bonos uiros, qui nihil utile cenſent eſſe, quod non idem etiam honeſtum ſit. hęc eſt Ariſtotelis ſententia, à qua Cicero ſecundo de Inuent. nonnihil diſſentire uidetur, ſic enim ait: In deliberatiuo autem Ariſtoteli placet utilitatē nobis & honeſtatē, & utilitatem. Idem ſentit M. Antonius ſecundo de Oratore, qui ita loquitur: Ergo in ſuadendo nihil eſt optabilius quam dignitas. nam qui utilitatem parat, non quid maximè uelit ſuaſor, ſed quid interdum magis ſequatur, uidet. Quintilianus etiam ab Ariſtotele diſſentit, ſic enim ait libro ſecundo: Ne his quidem acceſſerim, qui laudatiuam materiam honeſtorū, deliberatiuam utilium, iudicialem iuſtiorum quęſtione contineri putant, celeri magis ac rotuuda uſu diſtributione qnam uera. ſtant. n. quodammodo mutuis auxilijs omnia. nam & in laude iuſtitia utilitasq́; tractantur, & in conſiliis honeſtas, & rarò iudicialem inueneris cauſam, in cuius non parte aliqua eorum quid qnæ ſupra diximns, reperiatur. Cicero tamē in Partitionibns Ariſtotelis ſententiam ſecutus eſt. ſic enim ait: Eſt igitur in deliberando finis utilitas, ad quem omnia referuntur in conſilio dando, dicendaque ſententia.

TEXT. *In iudiciis quid æquum aut iniquum ſit quæritur, ſiqua uerò ſunt alia, huc referuntur.*

COMM. Iudicialis generis finis eſt æquitas. qui enim accuſat. ęquitatem uiolatā docet: qui defendit id pernegat, & ab æquitate non diſceſſum eſſe contendit. quod ſiquid aliud inciderit in iudicia, ut de utili aut inutili, de honeſto aut turpi, id ad ęquitatem referri ſolet. ſic etiam Cicero in Partit. In iudiciis quid æquum ſit quæritur. nā æquitatis ſeruandæ gratia iudicia cōſtituta ſunt, nempe ut maleficia puniantur, & controuerſiæ diſtrahantur; quod pro A. Cecina Cicero docet.

TEXT. *In exornationibus qui laudant, & uituperant, honeſtum, & turpe ſibi proponunt, & reliqua omnia huc referunt.*

COMM. Demonſtratiui generis finis eſt honeſtas. nam qui landant honeſta facta celebrant, quod ſiquid utile aut iuſtū eſſe factū dicunt, id ea de cauſſa faciunt, ut honeſtatē ac dignitatē eius quē laudant, amplificent. itaq; ad honeſtatem omnia referunt. hoc Cicero ſic expreſsit in Partit. omnia. n. ſunt profecto laudanda, q̄ coniuncta cum virtute ſunt, & quæ cum vitijs uituperāda. Quamobrem ſnus

alte-

alterius eſt honeſtas. alterius turpitudo.

TEXT. *Quod autem hi ſint fines unicuique generi propoſiti, illud apertè declarat, quod de aliis rebus interdum ne contendunt quidem; ut in iudicio. quin fecerit, aut quin læſerit. ſed nemo unquam iniuſtè ſe feciſſe, fateretur: alioquiu omnis ſtatim controuerſia tolleretur.*

COMM. Vnicuique generi finem ſuum aſsignauit, vt iudiciali æqnitatem, deliberatiuo vtilitatem, demonſtratiuo honeſtatem. nunc vero probat eos eſſe ueros fines cuiuſque generis, nam finis ille dicitnr quo omnia referuntur, & quo ſublato cætera omnia corruunt. ſed in iudiciali genere ad æquitatem omnia referuntur, & ſublata ęquitate, corruunt omnia iudicia, ergo in iudiciali genere finis eſt æquitas. quod autem tantum de ęquitate diſceptetur in iudicio, declaratur eo, quòd de aliis rebus aliquando nulla eſt contentio, fatetur enim reus interdum ſe feciſſe id quod obiiciunt aduerſarij. nt, Milo fatetur à ſe Clodium interfectum, & ſe etiam damnum dediſſe concedit, uerum nunquam fatetur ſe iniuſtè feciſſe. nam ſi hoc fateretur, nulla res poſſet damnationem remorari. ſed ſtatim omnis controuerſia tolleretur. ergo hic erit finis in iudicio, ut uideatur quid æquum aut iniquum ſit. reliqua uero utrum fecerit nec ne, utrum læſerit an non, & ſigna ſunt eiuſmodi, referuntur ad æquitatem.

TEXT. *Eodem modo qui conſulunt, alia ſæpenumero non curant; ſed nunquam faterentur, ſe uel inutilia ſuadere, uel ab utilibus retrahere. non eſſe autem iniuſtum, aut finitimos populos, aut eos, qui nihil læſerunt, in ſeruitutem redigere, ſæpe nō curant oſtēdere.*

COMM. Iam docuit æquitatem in iudicio finem eſſe. nunc in deliberatione probat utilitatē rebus omnibus anteponi. nam qui ſententiam dicunt, de reliquis rebus nō admodum ſoliciti ſunt, illud unū ſpectant ne inutilia ſuadere videantur, aut utilia diſſuadere. quin aliquando fatentur iniuſtum quidem eſſe debellare finitimos populos, & eos, qui nullam intulerunt iniuriam, in ſeruitutem redigere, ſed quoniam id Reipublicæ ſit vtile futurum, omnino eſſe faciendum, quare ad utilitatem omnia referunt. quod etiam Cicero primo de Officiis oſtendit, qui ait Corinthum à Romanis non alia de cauſa fuiſſe ſublatam, niſi ne aliquando propter opportunitatem loci bellum reparare poſſet. iniuſtum igitur erat Corinthum euertere, ſed quoniam erat utile Reipublicæ, iuſtitiam utilitas ſuperauit. quo circa nonnulli fuerunt qui dicerent iuſta & æqua eſſe omnia quæ poſſent aliquam utilitatem adferre Reipublicæ. tamen aliter cenſuit Ariſtides, qui, ſicuti ſcribit Cicero tertio de Officiis, cum Themiſtocles utiliſsimum Athenienſibus fore dixiſſet, ſi claſſem Lacedæmoniorum incenderent; dixit illud conſiliū utile quidem eſſe, ſed non honeſtum, quare fuit ab Athenienſibus repudiatum. Cicero in Partit. ait indoctis & agreſtibus hominibus, quæſtum, emolumētum, fructumque ſemper eſſe proponendum, humanis autem & expolitis laudē, honorem, gloriā, fidem, iuſtitiam, omnemque uirtutem. ſed quoniam maior hominum pars utilitatis ſpecie mouetur, ideo deliberationi ꝓponitur finis utilitas.

TEXT. *Simili ratione qui laudant, aut uituperant, non illud attendunt, utrum is; de quo dicunt, utilia an inutilia fecerit; ſed ēt in magna ſæpe laude ponunt, ſiquis utilitate propria neglecta, honeſtū aliquid effecerit.*

COMM. Honeſtatem eſſe demonſtratiui generis finem oſtendit. quoniam cum aliquem laudamus, aut uituperamus non quærimus an ea quæ geſſerit utilia an inutilia fuerint, ſed vtrum honeſta, an turpia. nam qui propriam utilitatem neglexerunt, ut honeſtatē ſequerentur, ij magnopere laudantur. ut M. Attilius regulus, ad certiſsima ſupplicia mortemque acerbiſsimam redire maluit, quam fidem hoſti datam fallere. & Codrus propriam uitam amiſit, ut patriam ſeruaret, quod apud Romanos Curtius, Decij, Fabij, multique alij fecerunt, qui ideo laudantur, quod utilitate propria neglecta, pro honeſtate mori non dubitarunt.

TEXT. *Vt Achillem in eo laudant, ꝗ opitulatus eſt Patroclo ſodali ſuo; quãuis ſciret ea de cauſa ſe moriturum, cum liceret ei uiuere. huic igitur mors eiuſmodi in primis honeſta fuit, uita uero fuiſſet utilis.*

COMM. Exemplo declarat id, quod ſupra dixerat in magna laude poni, ſiquis utilitate propria neglecta, honeſti aliquid effecerit. Achilli. n. prædictū fuerat, ſi in bellum proficiſceretur, non poſſe mortē effugere. ſed cum Patroclus Achillis amicus ab Hectore fuiſſet interfectus, Achilles ab vltione ſeſe abſtinere non potuit. maluit igitur ad mortē ante oculos poſitā proficiſci, quàm amicum ſuum inultum relinquere. quare Hectorem ſingulari certamine uicit, & interfectum circa muros Troianos raptauit, ut ait Virg. 1. Aen.

Ter circum iliacos raptauerat Hectora muros,
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.

Hac de cauſa indignatus Apollo, qui Hectorem amabat, induxit Achillem in fraudem vt à Paride ſagitta necaretur, de qua re ita Virg. 6.

Phæbe graues Troiæ ſemper miſerate labores
Dardana qui Paridis direxti tela manuſque
---Corpus in Aeacidę.

Sumpſit autem Ariſtoteles hoc exēplum à Platone. qui in conuiuio ſummopere celebrat Achillem ab hoc facto, quod pro amico ſuo Patroclo mori voluerit. & cum eum ad uitam reuocare non poſſet, voluit ſaltē eius mortē vlciſci, licet intelligeret ea ſe de cauſa periturum. quin etiam Socrates in Apologia hoc idem exemplum ponit. hoc autem laudis genus pulcherrimum eſt, ſicut ait M. Antonius ſecundo de Oratore: Grauiſsima (inquit) laus habeī eorum factorum, ꝗ ſuſcepta uidētur à uiris fortibus ſine emolumēto ac pręmio: ꝗ uero ēt cum labore, & periculo ipſorum, hæc habent uberrimā copiā ad laudandum. uim aūt exēpli declarat Ariſtoteles. mors (inquit) quā Achilles obiuit pro amico fuit in primis honeſta, ſed tamē uita quā ꝓ dignitate cōtēpſit, ei fuiſſet utilis.

TEXT. *Perſpicuum eſt autem ex ijs, quæ dicta ſunt, non*

aliter hæc tractari poſſe; niſi quis primo eorum propoſitiones habuerit.

COMM. Cum igitur in vnoquoque genere propoſitũ finem certum Orator habeat, quo dirigat omnia argumenta, ut quæ tractantur in iudicio, probet æqua, vel iniqua eſſe, quæ in deliberatione vtilia aut inutilia, quæ in exornatione honeſta vel turpia, certum eſt hæc à nemine commodè tractari poſſe, niſi qui didicerit vnde propoſitiones ducãtur, ex quibus argumentationes, ad hæc probanda, conformentur. ſunt autem propoſitiones quædam communes, quæ ad omnia genera cauſarum pertinẽt. ſunt etiam quædam propriæ cuiuſq; generis. docet igitur primò quę communes ſint, deinde etiam quæ ſint propriæ.

TEXT. *Propoſitiones uero rhetorum ſunt propria rerum notæ, ueriſimilia, & ſigna: nam omnis ſyllogiſmus ex propoſitionibus conflatur: enthymema uero ſyllogiſmus quidam eſt, qui conſtat ex prædictis rhetorum propoſitionibus.*

COMM. Tria ſunt propoſitionum genera quæ cauſis omnibus accommodari ſolent, & dicuntur rhetorum propria. primum eſt quod fit è propriis rerũ notis quæ τεκμήρια vocari diximus, & hæ ſunt firmiſſimæ propoſitiones. alterum quod fit ex ueriſimilibus. Tertium quod fit ex ſignis. & ſine his propoſitionibus Orator nihil probare poterit. quod ea ratione poteſt intelligi, quoniam omnẽ ſyllogiſmum ex propoſitionibus conflari neceſſe eſt. & enthymema eſt ſyllogiſmus quidam. ergo ut ex propoſitionibus fiat oportet. non autem ex quibuslibet propoſitionibus in hac arte fieri debet enthymema, ſed ex eis quæ propriæ rhetorum ſunt. propriæ autem rerum notæ, & ueriſimilia, & ſigna ſunt propriæ rhetorum propoſitiones ergo ex proprijs rerum notis, & veriſimilibus, & ſignis enthymemata fieri debent.

TEXT. *Sed quoniam, quæ naturam habent huiuſmodi, ut fieri non poßint, ea neque iam poſſunt eſſe facta, neque in poſterum fieri poterunt, cum tantum ea fiant, quæ fieri poſſunt, & quia, quæ uel nondum fuerunt, uel nunquam futura ſunt, fieri non poteſt, ut aut iam ſint facta, aut poſtea fiant: ideo neceſſe eſt, ut, qui conſulit, & qui in iudicio, & qui in demonſtratiuo genere uerſatur, propoſitiones habeat, de eo, quod fieri poteſt, aut non poteſt, & utrum res facta ſit an non facta, & utrum futura ſit, an non futura.*

COMM. Aliud genus propoſitionis, præter ſupradicta tria, rhetori neceſſariũ eẽ oſtẽdit, hoc eſt περὶ δυνατοῦ καὶ ἀδυνάτου. quidam de poſſibili & impoſſibili, uertunt, nos Ciceronem ſecuti, de eo quod fieri poteſt aut non põt, conuertimus. & hoc propoſitionis genus in omnia cauſarum genera diffundi vult Ariſtoteles. quãuis Cicero deliberatiuo tãtũ attribuere videatur. ſic. n. ait in Partitionibus: illa prima ſunt ſuaſori aut diſſuaſori uidẽda, quid aut poſſit fieri, aut nõ poſſit. ſed Ariſtoteles hoc mõ probat has propoſitiones ad omnia genera pertinere. Nihil fit, qđ fieri nõ poſſit, ergo omnia quæ fiunt fieri poſſunt. ita de præterito, nihil factum eſt, qđ fieri non poſſet, ergo omnia q̃ facta ſunt, fieri potuerunt. ita de futuro, nihil fiet, niſi quod fieri poterit, ergo q̃ fient omnia fieri poterũt. his ita poſitis, ſiquis probare velit, aliquid eſſe factũ, opus eſt ut probet fieri potuiſſe. nã ſi fieri nõ potuit, neq; factũ fuit. ꝙ ſi probare velit aliquid hoc tẽpore fieri, dẽt oſtendere illud poſſe fieri. nam ſi fieri non põt, neq; fit. deniq; ſi velit probare futurum aliquid, prius opus eſt docere, poſſe illud fieri, nam ſi fieri non poterit, neq; fiet. quare ꝑ omnia tẽpora hmõdi propoſitiones diffundũtur, ſed iudicium eſt de præteritis, exornatio de præſentibus, deliberatio de futuris, ergo ẽt in omnia genera cauſarum eędem propoſitiones ſpargũtur. quæ cum ita ſint, & qui conſulit, & qui in iudicio uerſatur, & qui exornat aliquẽ neceſſe eſt, ut propoſitiones habeat huius generis, quibus ꝓbet rẽ aut factã aut non factã eſſe, futurã aut non futuram.

Præterea cum omnes qui laudant & uituperant, qui ſuadent & diſſuadent qui accuſant & defendũt, non ſolum prædicta demonſtrare conentur, ſed etiã id, de quo agunt, uel magnum, uel paruum eſſe, ſiue bonum ſit ſiue malum, ſiue honeſtum ſiue turpe, ſiue æquum ſiue iniquum, aut per ſe conſideratum, aut aliorum comparatione: perſpicuum eſt, eos etiã oportere de magnitudine & paruitate rerum, & de maiori & minori propoſitiones habere, atque illas & generatim, & ſigillatim; ut quod maius bonum aut minus, quod maius peccatum, aut meritum, & de aliis eodem modo. TEXT.

COMM. Quintum genus propoſitionum adiũgit Oratori, quod ad amplificandum atque minuendum pertinet, & in omni dicendi genere plurimum ualet. vt doceat Orator, quam magna ſit res, de qua agitur, ut quam bona, quã honeſta, quam ęqua, & vt poſſit etiam illam cum reliquis comparare, & videre quæ maior ut quæ melior, quę honeſtior, quæ ęquior. aut quę maxima, ut quæ optima, quæ honeſtiſſima, quę æquiſſima. quod facere nullo modo poterit, niſi de magnitudine & paruitate rerum, & de maiori & minori propoſitiones habeat. Ergo (inquit Ariſtoteles) cũ Oratores oẽs quocũque in genere verſentur ſiue in demonſtratiuo ſiue in deliberatiuo, ſiue in iudiciali, non tantũ ea conſiderent, quę iã à nobis dicta ſunt, verum ẽt ſępe de magnitudine & paruitate rei uerba faciãt, & conentur rẽ amplificare aut minuere, & interdũ ẽt comparatione vtantur vt doceant maiorẽ aut minorẽ eſſe, non eſt dubium quin oporteat eos ẽt illud genus propoſitionũ intelligere quo de magnitudine aut paruitate rerum tractare, & de eo, qđ maius eſt aut minus. ut eis uti poſſint, uel generatim, uel ſigillatim ad demõſtrandũ, qđ ſit maius bonũ, aut maius peccatũ, atq; ita de reliqs. hæc autẽ res adeo neceſſaria eſt, ut Quintilianus exiſtimet, in ea vim omnẽ Oratoris conſiſtere. ſic enim ait octauo libro: Sed vis Oratoris omnis in augendo minuẽdoq; cõſiſtit. & Cicero in Partit. *cap. 3.* ait amplificationem eſſe grauiorẽ quandã affirmationem, quæ motu animorũ conciliet in dicendo fidem.

in Ora.ad Bru. fidem. quin ait alibi Cicero in amplificatione atque in mouendis animis Orationem regnare. hoc eſt quod ueteres illi Sophiſtæ, ſe artem tenere profitebantur, qua cauſa inferior dicendo fieri ſuperior poſſet.

TEXT. *Sed hactenus dictum eſt, quarum rerum propoſitiones ſibi parare Oratorem neceſſe ſit. deinceps uero de unoquoque genere ſeparatim dicemus: ut quæ ſint ea, ex quibus deliberatio conficitur, & ex quibus Orationes demonſtratiuæ; tertio uero de quibus eſt iudicium.*

COMM. Hactenus generatim docuit, quas propoſitiones habere debeat Orator, quæ in omni Rhetorica plurimum valēt, ſunt autem quinque genera, hoc eſt de propriis rerum notis, de ueriſimilibus, de ſignis, de ijs quæ fieri poſſunt, aut nō poſſunt, de magnitudine & paruitate rerum, in quo genere cōtinetur etiam quod maius aut minus, & omnis comparatio. atque hæc quinque propoſitionū genera, non huic tantum aut illi Rhetoricæ parti conueniunt, ſed æqualiter omnibus Rhetoricæ generibus. quare debet ea ſibi diligenter Orator comparare. deinceps uerò proponit Ariſtoteles ſe uelle de unoquoque genere ſeparatim uerba facere. ut quæ ſint in deliberatione ſpectanda, quæ in exornatione, quæ in iudicio. uerum quia deliberatio ſpecioſior atque utilior eſt, quàm ſint reliqua genera, ideo de illa primò tractare aggreditur.

TEXT. *At primò quidem uidendum eſt, in quibus bonis aut malis uerſetur is, qui deliberat: neque enim uerſatur in omnibus; ſed in eis tantum quæ naturam eā habent, ut & fieri & non fieri poſſint.*

COMM. Quærit igitur primò quales ſint illæ res quæ in deliberationem ueniant. neque enim de rebus omnibus deliberare ſolent homines. ut nemo deliberat, quomodo nunquam moriatur, quia ſcit ſibi neceſſario moriendum eſſe. neque quiſquā deliberat quomodo uolare poſſit, quia ſcit, non fieri poſſe ut homo uolet. Vtrum autem aliquid agat aut non agat eorū quæ in ſua poteſtate ſunt unuſquiſque deliberat. ergo cum ſint tria rerum genera, hoc eſt, ἀναγκαῖα, ἐνδεχόμενα, ἀδύνατα, quę à quibuſdam ita latinè exprimuntur, neceſſaria, cōtingentia, impoſſibilia. tantum unum genus in deliberationem cadit, nempe id quod cōtingens aut poſſibile dicitur. reliqua duo ſeparantur, & excludantur à deliberatione. quod enim ſciunt homines aut neceſſarium eſſe, aut impoſſibile, de eo nō deliberant. quod autem fieri poteſt, & ſæpe contingit, id iam in deliberationem uenit. & hæc eſt cauſa cur in Partitionibus dicat Cicero, illa prima ſuaſori aut diſſuaſori vidēda eſſe, quid aut poſſit fieri, aut non poſſit. quæ uero ſint ea quę in deliberationem cadant & quæ in noſtra poteſtate ſint, ut ea uel faciamus, uel fugiamus eleganter & copioſè diſputat Ariſtoteles Ethicorum tertio. qui locus hoc totum genus uehementer illuſtrat.

TEXT. *Quæcunque uero neceſſaria, uel iam ſunt, uel poſt hac erunt, uel quæ fieri non poteſt, ut aut nunc ſint, aut aliquando fiant; de ijs ſanè deliberatio non eſt.*

Remouet à deliberatione, quæ neceſſaria ſunt, & quę fieri nullo modo poſſunt. neceſſariæ ſunt res ęternæ. quare de ijs nemo deliberat, ut de mūdo, de cœli conuerſione. neceſſaria ſunt ēt quę certo naturæ ordine proueniunt, ut quod ſemel natum eſt, aliquando moriatur. quæ certè non cadūt in deliberationem. denique omnia quæ non aliter euenire poſſunt, neceſſaria dicuntur. quæ omnia excluduntur à deliberatione. impoſſibilia nobis dicuntur ea quę non ſunt in noſtra poteſtate. ut quę humanę naturę repugnant, ut uolare, immortale eſſe. uel quę ſupra vires noſtras ſunt, ut iſthmum perfodere, montes excidere. uel quæ in natura alias aliter eueniunt, ut imbres, ſiccitates, uel quę fortuita ſunt, ut theſauri inuentio. neque.n. fieri poteſt, ut homo hęc arbitrio ſuo regat. itaq; neque de ijs eſt deliberatio. quod autem quę neceſſaria ſunt, & quę impoſſibilia remoueantur à deliberatione, vidit etiam Cicero, qui ſecundo de Oratore ſic ait: Inciditur enim omnis iam deliberatio, ſi intelligitur non poſſe fieri, aut ſi neceſſitas adfertur. Quod ſi quando accidit vt homines de neceſſariis rebus, aut de illis quę fieri non poſſunt deliberent, id fit quoniam eas eſſe tales non intelligunt. cum primum autem Orator oſtēdit, aut alius quilibet, neceſſitatem aliter poſtulare, aut nullo mō fieri pōt, non amplius deliberant.

TEXT. *Neque tamen de omnibus, quæ cōtingere ſolēt, eſt deliberatio: cum aliqua uel à natura, uel à fortuna bona ſint, quæ aut contingere, aut non contingere poſſunt; de quibus nemo deliberare poteſt.*

COMM. Cum oſtendiſſet ſuperiùs neque de rebus neceſſarijs, neque de ijs, quæ fieri non poſſunt, eſſe deliberationem, ſed tantum de ijs quę contingunt, & eſſe poſſunt ac non eſſe. nunc oſtendit neque de omnibus quę contingunt eſſe deliberationem. nam à natura multa poſſunt euenire uel non euenire, ut quòd quis ſit ingenioſus aut hebes, memor aut obliuioſus, robuſto corpore aut imbecillo, pulcher aut deformis, de quibus tamen nemo deliberat. ita etiam à fortuna multa poſſunt euenire, aut non euenire, quę non cadunt in deliberationem, ut quòd quis theſaurum inueniat aut non inueniat, pauper aut diues naſcatur, obſcuro genere aut illuſtri. quæ bona poſſunt quidem optari, ſed non tamen arbitrio noſtro acquiri. remouet igitur Ariſtoteles à conſilio ea quę fortuita ſunt, quę licet contingentia ſint, non tamen arbitrio noſtro fiunt. remouet etiam naturalia quędam, quæ poſſunt quidem eſſe, & non eſſe, non ita tamen ut à uoluntate noſtra tanquam ab efficiente cauſa pendeant.

TEXT. *Sed planum eſt in ijs eſſe deliberationem, de quibus conſultamus. ea uero ſunt, quæ ad nos tantum referri poſſunt; & quorum principium agendi in noſtro arbitrio, poteſtateque ſitum eſt. nam uſque eo conſultando procedimus, donec inuenerimus, utrum à nobis ea fieri, an non fieri poſſint.*

Iam aperit, quæ ſint ea de quibus eſt deliberatio. ſunt enim contingentia, ſed quæ neque à natura, neque à fortuna, ſed à uoluntate noſtra proficiſcantur. nam de ijs tantum conſultamus, quorum principium agendi aut non agendi in nobis eſt, ut deliberat Senatus auctore Cicerone, utrum de Lentulo Cethego & aliis coniuratis ſuppliciũ ſumat. C. Cęſar non eſſe morte afficiendos cenſet, ſed in cuſtodia publica retinendos. at contra M. Cato quam primum necandos exiſtimat. eſt autem in poteſtate Senatus ut aut hoc, aut illud faciat. quod ſi certum eſſet, non poſſe fieri, neque eſſet ulla deliberatio. ſtatim enim incideretur. Vt deliberabat princeps quidam Larium Lacum Mediolanum uſque deriuare, ſed poſtquam intellexit ab architectis id fieri non poſſe, depoſuit etiã deliberationem. nam ſæpe quod eſt ualde difficile, ita reijcitur quaſi fieri non poſsit. ſæpe etiam quod ab aliquo poteſt effici, idem ab alio non poteſt. itaque ſuas quiſq; uires noſſe debet, & quod ait Horatius Metiri ſe quemque ſuo modulo ac pede uerum eſt.

TEXT. *Singula igitur diligenter enumerare, atque in ſpecies digerere, de quibus homines ſtatuere ſolent, & ea quantum fieri poſſet, ex ueritate perpendere, nihil opus eſt in præſentia. neque enim hoc Rhetoricæ artis officium eſt; ſed alterius, quæ diligentius, & accuratius ueritatem inueſtiget.*

COMM. Oſtendit ſe nolle omnia perſequi, quæ poſſent de ijs, quæ cadunt in deliberationem, dicit quoniam hoc ad Rhetoricam artem non pertinet, ſed potius ad ciuilem ſcientiam. de his enim exquiſitè tractauit, tertio libro Ethicorum ad Nichomachum. Duobus autem modis oſtendit ab eo peccari poſſe, qui non rectam uiam horum tractandorum ſequatur. primò ſi nimis curioſè ſingula perſequatur, & ea dicat etiam quæ ſine damno relinqui poſſunt. deinde ſi diligentius & accuratius ad ueritatem eadem perpendat. hoc enim huic arti non conuenit. quæ planius & rudius non ex ipſa ueritate, ſed ex hominum opinione, præcepta ſua dirigit, ſed conuenit morali Philoſophiæ, quæ non opinionem ſed ueritatem in huiuſmodi rebus perquirit. Eſt enim hominis eruditi uſuque periti (quod ait Ariſtoteles Ethicorũ primo) ſubtilitatem requirere in omni genere eatenus, quoad rei natura patiatur. nihil enim intereſt, utrum mathematicum ſuadentem probes, an ab Oratore neceſſariam rationem requiras.

TEXT. *Tantum uero abeſt, ut aliquid Rhetoricæ detrahamus; ut etiam ei longe plures præceptiones concedamus, quàm re uera concedi debeant.*

COMM. Ne quis fortaſſe cenſeret Rhetoricam artẽ ab Ariſtotele ſua facultate ſuisque bonis ſpoliari, quoniam dixit ad eam non pertinere diligentiorem tractationem earum rerum quæ in deliberationem ueniunt, oſtendit hoc loco, ſe non modo nihil Rhetoricæ detrahere, ſed etiam ei multa cõcedere, quæ non ad eius officium præcipue pertineát. nam omnia quæ de uirtutibus, & uitiis, quę de animi commotionibus tractantur in hac arte, propria ſunt moralis philoſophiæ, ſed tamen etiã Rhetorica quatenus eſt ciuilis ſcientiæ pars, ea complectitur. Craſſus tamen primo de Oratore cenſet locum de uita & moribus ſemper Oratoris fuiſſe. & Quintilianus hanc philoſophiæ partem quæ ad uitam & mores pertinet, non Oratores a Philoſophis ſed contra potius Philoſophos ab oratoribus accepiſſe contẽdit. uterque igitur, hoc eſt Orator, & Philoſophus de uita & moribus agit, ſed Orator apertius, & ex communi opinione, Philoſophus autem exquiſitius atque ex ueritate.

Quod enim antea diximus uerum eſt; nempe Rhetoricam ex Analytica ſcientia, ex parte ciuilis facultatis, quæ in moribus uerſatur, eſſe conflatam. ſimilis eſt autem partim quidem Dialecticæ, partim uero ſophiſticis diſputationibus. TEXT.

Quòd plura, quàm rei ueritas concedat, Rhetoricæ largiatur, oſtendit eo, quòd initio dixerat eam ex duabus artibus eſſe compoſitam, hoc eſt ex arte diſſerendi, quam appellat analyticam ſcientiam, & ex ea parte ciuilis ſcientiæ quæ ad uitam & mores ſpectat. ergo ratiocinationes quæ Rhetoricæ tribuuntur, ex Dialectica ſumũtur. & quæcunque de moribus & animi commotionibus tractantur in Rhetorica, ſunt à ciuili ſcientia ſumpta. quare ſi uerum ſpectare uolumus, nihil proprium habebit Rhetorica, & tamen huic arti multa tribuit Ariſtoteles. ex his perſpicuum eſt cur dixerit à ſe plura concedi Rhetoricæ, quàm re uera concedi debeant. quod autem ait partim eſſe ſimilem Dialecticæ, partim Sophiſticæ, id eo ſpectat, quòd ſupra dixerat Rhetoricam non tantum uidere quid ſit accommodatum ad perſuadendũ, ſed etiam quid uideatur accommodatum, licet re uera non ſit. COMM.

Quod ſiquis uel Dialecticam, uel hanc artem, non tanquam facultates, ſed tanquam ſcientias, exquiſitius tractare uoluerit; imprudens earum naturam penitus euertet eo, quòd illas ornandi ſtudio captus, tranſeat in ſcientias: quæ iam res aliquas certas, in quibus uerſentur, ſubiectas habent, non autem rationes & argumenta tantum. TEXT.

Dialectica & Rhetorica, ſi propriè loquamur, non ſunt ſcientiæ, ſed facultates quædam multis ſcientiis & artibus communes. quod ſiquis uelit eas tractare non communiter tanquam facultates, ſed exquiſitè tanquam ſcientias, rem abſurdã faciet. cum enim eas alienis ornamẽtis polire uoluerit, penitus earum naturam deſtruet. & per imprudentiam tranſibit in aliquas ſcientias. ut exẽpli gratia cum Rhetorica laudet & uituperet, debet Orator de uirtutibus & uitiis communiter uerba facere. ſed ſi uoluerit exquiſitè cuiuſque uirtutis naturam indagare, iam non erit Orator, ſed philoſophus. itaque nomen ſuum amittet. nã quæ res aliquas certas ſubiectas habent, ſunt ſcientiæ, non autem tantum facultates. Dialectica uero & Rhetorica nullam ſubiectam habent materiam, COMM.

tiam, præter rationes & argumenta, quæ debent accurate diligenterque inueſtigare. ſiqua uero tractant alia præter argumenta, debent ea nõ exquiſitè, ſed ex communi opinione tractare.

TEXT. *Verum nos quæ utilitatem adferant huic arti, in præſentia pertractemus, ita tamen, ut exquiſitam eorum explicationem ciuili ſcientiæ relinquamus.*

COMM. Proponit quid deinceps hoc in opere facturus ſit. nolo (inquit) eos imitari, qui rationes exquiſitas à Rhetore quærunt, & qui omnem ciuilem ſcientiam Rhetoris ui & artificio contineri putant. neque eos qui nihil à ciuili ſcientia Rhetori eam ſumere cenſent. ſed modum quendam in hac re adhibere conſtitui, ut ea pertractem, quæ ad dicendi rationem aliquam utilitatem adferre poſſunt, & tamen accuratam earum rerum tractationem ſcientiæ ciuili reſeruem. ex his Ariſtotelis uerbis intelligitur, ꝙ quãuis Orator de rebus ciuilibus uerba faciat, non tamen id facit, quatenus ciuilis ſcientiæ propriæ ſunt. ſed quatenus à communibus principiis pendent, & ab omnibus intelligi quodammodo poſſunt.

TEXT. *Res igitur maximæ, de quibus omnes ferè conſultant, & de quibus deliberantes in concione ſententiam dicunt, quinque numero ſunt; hoc eſt, de uectigalibus, de bello & pace, de cuſtodia regionis, de ijs quæ importantur, & exportantur, de ferendis legibus.*

COMM. Vſus fuerat digreſſione ſuperius, qua docuit, quõ res ciuiles Rhetoricam tractare oporteat, hoc eſt non nimis exquiſitè, ſed ad uulgarem ſenſum & intelligentiam accommodatè, nunc ad deliberatiuum genus reuertitur. de quo uerba facere cœperat. & proponit quæ ſint res maximæ, de quibus in concione publica ferè omnes conſultare ſoleant. cum enim iam declaratum ſit neque de rebus neceſſariis, neq; de iis quæ fieri non poſſunt, eſſe deliberationem, ſed tantum de rebus cõtingentibus. & cum res contingentes uel à natura uel à fortuna, uel à facultate noſtra proficiſci poſſint, deliberationem eſſe, non de illis quæ à natura, neque de illis quę à fortuna, ſed de ijs quę à poteſtate noſtra proficiſcuntur. nunc uidendũ eſt quæ ſint res illæ contingentes, quas habemus in poteſtate noſtra, ut eas uel aggredi uel non aggredi debeamus. ac primo de publicis rebus, poſtea etiam de priuatis agendum. res igitur publicæ quæ maximæ ſunt, & quæ in deliberationem ueniunt, quinque numerantur ab Ariſtotele. quibus omnis Reip. ſtatus continetur. primo loco ponuntur uectigalia. quæ Cicero pro lege Man. dicit eſſe neruos Reip. & pacis ornamẽta, & ſubſidia belli. neque enim quicquam eximium præſtare poteſt ea ciuitas, quæ non magna uectigalia poſſidet. Romani maximam habebãt uectigaliũ curam. & ordinem publicanorum, qui uectigalia exercebat, uehementer obſeruabant. quin etiam uectigalium cognitionem, cauſam imperij nuncupabant. & hoc eſt quod in primo de Oratore Craſſus ait ab Oratore cauſam imperij cognoſcendam eſſe. neque enim alia re magis poteſt aliquis populus declarare ſe alicui ſubiectum eſſe, atque eius imperio obtemperare, quàm cum illi uectigalia penſitat. & hæc eſt cauſa cur Romani victis ciuitatibus vectigalia imponerent, & ſtipendiarias facerent. Secundo loco ponitur deliberatio de bello, & pace, quæ certè grauiſſima eſt, & magnæ ſapientiæ indigens. Romani ius feciale conſtituerunt, & feciales ſacerdotes ac patrempatratum, qui de bello & pace religioſiſſimè conſultarent. de qua re Cicero primo de Officijs ita inquit: Ac belli quidem æquitas ſanctiſſimè feciali populi Romani iure pſcripta eſt: ex quo intelligi poteſt nullum bellum eſſe iuſtum, niſi quod aut rebus repetitis geratur, aut denunciatum ante ſit, & indictum. Tertio loco deliberatio eſt de cuſtodia regionis. neque enim ſatis eſt imperium acquirere & ampliare, niſi etiam rectè cuſtodiatur. ideo rectè dixit Ouidius.

Non minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri.

vituperatur in hac re Pyrrhus Epirotarum rex, alioqui ſummus imperator, quod multas quidem ciuitates bello ſubigeret, ſed quia non eas cuſtodiebat, facile amitteret. potior autem cura eſſe debet, ut ea quæ habemus conſeruemus, quàm vt alia acquiramus. Quarto loco deliberatio ponitur de ijs quæ importantur & exportantur. quoniam nulla ferme eſt regio quæ ferat omnia quæ ſint ad vitam degendam neceſſaria, fit ut egeant omnes importatione rerum exterarũ. & quia multæ ſunt feraces, quæ poſſint alijs ẽt regionibus annonã ſuppeditare, opus eſt exportatione, quo fit vt qui cõſiliũ dat, ſcire debeat quę in ciuitatem ſuam uel importanda, uel exportãda ſint, unde Romani præfectos annonæ, & Aediles cereales conſtituebant. Quinto loco de ferendis legibus eſt conſultatio, quoniam in legibus eſt ciuitatis ſalus, & ſine illis nulla ciuitas diutius ſtare poteſt. ſed accidit ſæpenumero vt aliquæ leges nouæ ferendæ ſint, & veteres abrogandæ, de qua re ſapientis eſt hominis bene conſultare, ut Cicero contra Rullum docet legẽ agrariã quã Rullus ferre volebat, non modo non vtilem Reip. ſed ẽt pernicioſam futuram. contra uero legem Maniliam de eligendo imperatore ad bellum Mithridaticum uehementer comprobat & vtiliſſimam Reip. futuram oſtendit. qua in Oratione tractat omnia quæ ponuntur hoc loco ab Ariſtotele, cũ oſtendat agi de certiſſimis populi Romani uectigalibus, & maximis, & bellum ita neceſſarium eſſe, vt ſit gerendum, & cuſtodiendam eſſe aſiaticã regionem. & eandem ita eſſe opimam & fertilem, ut multitudine earum rerum quæ exportantur, facile omnibus terris antecellat. quibus rationibus oſtendit de rebus maximis conſultari, ut facilius Quirites ad bellum Pompeio demandandum inducat.

Itaq; ſiquis de uectigalibus benè conſulturus eſt, eũ redditus ciuitatis noſſe oportet, quot quales ue ſint: ut ſiquis negligentia relictus ſit, adiungatur, & ſi quis minor eſt quam confici poßit, augeatur. TEXT.

Propo-

COMM. Propoſitis eis quę maxima ſunt in deliberando de primo tractare incipit. docens qua ratione poſsit Orator de uectigalibus bene conſultare. Scire (inquit) Oratorem oportet quot qualeſque redditus ciuitas habeat, ut de uectigalibus bene conſultare poſsit. nam ſępe fit ut ea negligantur, quę magnum lucrum adferre poſsint, & interdũ ex aliqua re minores fructus percipiuntur, cum longè maiores percipi poſſent. utrunque igitur inueſtigandum eſt, & quomodo noua poſsint inſtitui vectigalia, & quomodo iam inſtituta poſſint ampliari. quamuis hanc artem principes iam bene didicerint, qui omnes pecuniæ uias norũt. Ariſtoteles œconomicorum libro ſecundo, ſi modo Ariſtotelis eſt ille liber, exempla multorũ colligit, qui nouis rationibus pecunias compararuut. Demoſthenes in Olynthiaca prima cum bellum ſuſcipiendum pro Olynthiis contra Philippũ ſuaderet, de uectigalibus Athenienſium uerba facit, qui pecunias publicas in ludis theatralibus conſumerent, cum eas potius ad bellum gerendum conferre deberent. Cicero contra Rullum de populi Romani uectigalibus multa diſputat, qnæ docet ea lege quam Rullus ferre uolebat, non tantum minui ſed etiã diſsipari. ſic enim ait: Videte nũc proximo capite ut impurus helluo turbet Remp. ut à maioribus noſtris poſſesſiones relictas diſperdat & diſsipet. ut ſit non minus in populi Romani patrimonio nepos, quam in ſuo. proſcribit in ſua lege uectigalia, quæ Decem iuri uendant. & quæ ſequuntur. quod autem ait Ariſtoteles Oratorem ſcire debere, qui ſint redditus ciuitatis, Cicero in eadem Oratione demonſtat ſe optimè pręceptum hoc memorię mandaſſe, qui ita de populi Romani uectigalibus diſputant ut doceat ſe non tantum ſcire, quod qualiaque, ſint ſed etiam à quibus fuerint acquiſita. Veſpaſianus Imperator, ex qualibet re nectigal exigebat. unde cum à Tito filio leniter admoneretur, ne ex lotio uectigal quæreret, pecuniam filii naribus admouit, petiuitque an illa male oleret. at uero de augendis uectigalibus præclara eſt illa Magni Alexandri uox. cum enim à quodam admoneretur multo maiora uectigalia à ciuitatibus exigi poſſe, reſpondit. etiam cum olitorem odio proſequor, qui ſoleat herbas radicitus extirpare. nec malè Tiberius Cæſar. quẽ cum adhortaretur quidam, ut augeret nectigalia, dixit: Boni paſtoris eſt tondere pecus, non deglubere. interdum tamen opus eſt, maiora conficere uectigalia, qnare debet Orator eius rei uiam ac rationem noſſe, ut cum oportuerit, eam oſtendat.

TEXT. *Prætereà publicos ciuitatis ſumptus noſſe debet: ut ſiquis ſuperuacaneus eſt, adimatur; & ſiquis maior eſt quàm conueniat, minuatur.*

COMM. Hoc etiam ad rationem uectigalium pertinet, ut non tantum redditus annuos ciuitatis, ſed etiã ſumptus qui fiunt in ciuitate, noſcat Orator, atque id ea cauſa, ut qui nullius ſint utilitatis, ſumptus tollantur. & qui maiores ſunt, quàm oporteat, minuantur. ex hac ratione, leges ſumptuarię natæ ſunt. quę ſuperuacaneos ſumptus tollerent. & nimis magnos minuerent. & Cicero cõtra Rullum plurimis rationibus & argumentis, probat, ſumptum illum Legis agrariæ, non modo non utilem populo futurum, ſed etiam magnopere pernicioſum.

TEXT. *Non enim ſolum bona amplificando ditiores euadunt homines, ſed etiam ſumptus detrahendo.*

COMM. Ratio eſt, cur ſuperuacanei ſumptus adimendi ſint, & maiores minuendi. quoniam hoc ad amplificationem uectigalium pertinet. duobus enim modis (inquit) homines fieri ditiores ſolent. primo ſi bona ſua amplificauerint. deinde ſi ſumptus ſolitos minuerint. Itaque uerè exclamat in Paradoxis Cicero,

O dij immortales, non intelligunt homines,
Quam magnum vectigal ſit parſimonia.

Et paulò inferius: Ex meo tenui uectigali detractis ſumptibus cupiditatis etiam aliquid redundabit. rurſus infra: Nõ eſſe cupidum pecunia eſt, nõ eſſe emacem, uectigal eſt. contentum uero ſuis rebus eſſe, maximæ ſunt, certiſsimæque diuitiæ.

TEXT. *Hæc autem non tantum ex propriarum rerũ ſcientia poſſunt intelligi: ſed etiam hiſtoriarum peritum eſſe oportet, qui bene de his rebus conſulturus ſit; ut ſciat quomodo aliæ nationes, ad hanc rem idoneas rationes muenerint.*

COMM. Duæ ſunt rationes quibus Orator de uectigalibus bene conſultare poſſit, prima eſt, ſi bene cognouerit quibus rationibus, res familiaris amplificari ſoleat. eiſdem enim artibus ærarium & uectigalla publica poſſunt augeri, quibus res familiaris. deinde ſi peritus hiſtoriarũ fuerit, & agnonerit quomodo cæteræ nationes ac populi publicos ſumptus ſuſtineant, & quibus artibus amplificent. ut exempli gratia, Lampſaceni cum pecuniis egerent, & tritici medimnus qnatuor drachmis uenderetur, decem uendi iuſſerũt, & quod lucri factum eſt, à mercatoribus exegerunt. Lacedæmonij cum Samijs pecunias ſuppeditare uellent, neque copiam haberent, iuſſerunt ut omnes qui eſſent in ciuitate, & domini, & ſerui & iumenta diem unnm ieiunarent, & qnod in cibo ac potu eo die conſumpſiſſent, in publicum conferrent. Epheſij pecuniarum egentes legem tulerunt, ne mulieribus liceret aurum geſtare, cum autem mulieres legi parentes aurum depoſuiſſent, illud mutuo acceperunt. uerum huiuſmodi exemplis ætas noſtra reſertiſsima eſt. nulla eſt enim tam recondita pecuniæ acqnirendæ ratio, qnam principes noſtri non olſaciant. itaque non egent in hac re præceptis Oratoriis. ſatis ſua ſponte ſunt inſtructi. neque enim ceſſant exactiones capitum, hoſtiorum, prędiorum, ſalinarum, quin etiam excogitantur quotidie pro portoriis in ſingulas uini amphoras, atque in ſingulos tritici medimnos tributa noua. & quod uidetur eſſe leuius, in ſingulas carnium libras, & denique in merces omnes, uectigalia ſunt excogitata, ut nihil tam uile ſit, pro quo non vectigal pendere oporteat. quo fit ut

præce-

præceptum hoc Ariſtotelis non ſit hoc tempore neceſſarium.

TEXT. *Qui uero de bello & pace conſulturus eſt, copias ciuitatis noſſe debet; & quæ parata iam ſint, & quæ parari poßint: qualeſque ſint & illa quæ ſunt in prō-ptu; & illa quæ præterea poßint adiungi.*

COMM. Secunda res maxima de qua deliberatur in ciuitate eſt de bello & pace. debet igitur Orator qui de his rebus quæ ad bellum & pacem ſpectant, conſulturus eſt, bene cognoſcere vires ciuitatis ſuæ, & quas copias militum iam paratas babeat, & quas facile comparare posſit. prærerea quales ſint illæ copiæ, utrum robuſtæ an imbecilles, veteranorum militum an Tyronũ. & hoc eſt quod etiam Cicero tertio de legibus ait: Eſt (inquit) ſenatori neceſſarium noſſe Remp. idque latè patet, quid habeat militum, quid valeat ærario, quos ſocios Reſp. habeat, quos amicos, quos ſtipendiarios. Itaque cum in Philippicis adhortatur Cicero ſenatum ad bellum contra Antonium ſuſcipiendum, oſtendir non defuturas copias, quę non tantum belli impetum ſuſtinere, ſed etiam frangere posſint. ſic apud Virgilium Turnus Aeneidos vndecimo, cum Latinus ad pacem cum Troianis faciendam inclinaret, eã rẽ diſſuadens oſtendit non defore copias, quibus bellum contra Troianos commode geri posſit. ſic enim ait:

Non erit auxilio nobis Aetolus & Arpi.
At Meſſapus erit, felixque Tolumnius, & quos
Tot populi miſere duces. nec parua ſequetur
Gloria, delectos Latio & Laurentibus agris.
Eſt & Volſcorum egregia de gente Camilla
Agmen agens equitum, & florentes ęre cateruas.

COMM. *Quin etiam, quæ bella geſſerit, & quo exitu.*

TEXT. Hoc plurimum valet ad ſuadendum & diſſuadendum, commemorare bella iam præterita, & ex illis coniecturam facere de futuro. nam qui feliciter alias bellum geſſerunt, veriſimile eſt, etiã poſtea felicitatem eandem conſecuturos. contra qui multa bella geſſerunt infeliciter, tenuis ſpes eis bene rem gerendi relinquitur, itaque magis ad pacem inclinant. ita Latinus apud Virgilium fractus asſiduis belli offenſionibus exclamat.

Bellum importunum ciues cum gente deorum
Inuictiſq; uiris gerimus, quos nulla fatigant
Prælia, nec victi poſſunt abſiſtere ferro.

Cicero pro lege Man. cum de bello conſultet contra Mithridatem gerendo, diligenter commemorat, quæ bella iam fuerint, cum ipſo Mithridate geſta, & à Sylla, & à Murena, & à Lucullo, quemque exitum habuerint. vt ne diffidant Quirites Mithridatem poſſe vinci.

TEXT. *Neque tãtum propria ciuitatis bella, ſed etiam finitimarum ciuitatum expẽdere opus eſt; & præterea uires eorum, cõtra quos bellum fore exiſtimatur: ut cum potẽtioribus pax habeatur; cum inferioribus, in eorum quibus cõſilium datur, arbitrio ſit, utrum bellum gerere uelint.*

COMM. In omni deliberatione plurimum prodeſt hiſtoriarum cognitio. nam ex præteritis facile futura colliguntur. itaque debet Orator cum de bello verba facit, habere cognita præterita bella, non tãtum quę ſunt à ciuitate ſua geſta, ſed etiam à finitimis ciuitatibus. & ab eis pręcipuè cum quibus fore bellum exiſtimatur. ſic enim facile vires eorũ cognoſcentur, quibus cognitis, ſi potentiores sũt debet Orator pacem ſuadere: ſi vero ſunt inferiores, poterit eorum arbitrio, quibus conſulit, rem committere, vtrum bellum gerere velint, nec ne. Verum ars illa eſt imperatorum in concionibus cum milites ad bellum adhortantur, vt ſi victi antea fuerint, in fortunam conferant offenſionem, & dicant nunquam eſſe omnino deſperandũ, ſed potius virtute reſarciendum, quod fortunæ temeritate male geſtum fuit, ſi vero fuerunt antes victores, facilior eſt adhortatio, vt ſemel partã gloriam diligẽtisſimè tueri velint, vt ne eos pertimeſcant, quos iam penè debellarunt. exempla pasſim occurrunt. & apud T. Liuium & apud cęteros hiſtoricos. Cicero cum populum Romanum contra Antonium bellum ſuſcipere adhortatur Antonij vires imminuit, & fractas ac debiles eſſe oſtendit, ſic enim ait, in Philippica tertia: in Gallia mutilatum ducit exercitum, cum vna Legione, & ea vacillante, L. fratrem expectat, quo neminem reperire poteſt ſui ſimiliorem, & in quarta Philippica ſic ait: Eſt igitur Quirites populo Rom. victori omnium gentium, omne certamen cum excurſore, vim latrone, cum Spartaco. nam quod ſe ſimilem Catilinę eſſe gloriari ſolet, ſcelere par eſt, belli induſtria inferior. & quę ſequuntur.

Copias quoque ſpectare oportet, utrũ ſimiles ſint, an diſsimiles. nam hac de cauſa ſæpe contingit, uel ſuperiores in bello, uel inferiores eſſe. TEXT.

Compararatio copiarum ſæpe maximam vim habet in ſuadendo bello ac diſſuadendo. ſępe enim propter ſimilitudinem & disſimilitudinem, uel acquiritur victoria, vel offenſio belli accipitur. COMM. Itaque Cicero contra Antonium ſuadẽs bellum in eo plurimum occupatus fuit, vt oſtenderet longè fortiores & robuſtiores eſſe legiones quę contra Antonium ſtabant, quam quæ erant in Antonij exercitu. ſed huius generis pulcherrimum exẽplum eſt apud T. Liuium decade tertia. cũ P. Scipio ſuos milites adhortatur, vt audenti animo cõtra Annibalem progrediantur. ſic enim ait: ne genus belli neve hoſtem ignoretis, cum ijs eſt vobis milites, pugnandum, quos terra marique priore bello viciſtis. à quibus ſtipendium per viginti annos exegiſtis, a quibua capta belli præmia Siciliã ac Sardiniam habens. erit igitur in hoc certamine is nobis illiſque animus, qui victoribus & victis eſſe ſolet. & quæ ſequuntur.

Præter hæc etiam opus eſt, non tantum ſuæ Reip. bella, ſed aliorum etiam populorum animaduertere; & quẽ exitum illa habuerint, ſpectare: nam è ſimilibus rebus, ſimilia euenire conſueuerunt. TEXT.

Superius etiam dixerat expendenda eſſe bella finitimarum ciuitatum, ſed de ijs ciuitatibua intellexit contra quos bellum eſſet gerendum. nunc COMM.

uero

vero cũ loquaẽ de ſimilitudine & diſſimilitudine, docet nõ tãtũ eſſe noſcẽda bella ꝓpriæ Reip. ſed ẽt aliarũ nationũ, nõ cõtra quas pugnãdũ ſit. ſed quęcunq; bella geſſerũt, vt ex huiuſmodi cognitione hiſtoriarum, propter euenta poſſimus coniecturam facere, quem exitum ſit bellum habiturum. hoc enim ferè ſolet accidere, vt res ſimiles etiam ſimiles exitus conſeqnãtur. ut ſiquis diceret, non eſſe bellum ſuſcipiendum cum Syracuſanis, quoniam cum Athenienſes bellum contra eos ſuſcepiſſent, infelicem exitum habuerunt. Quin ſępe belli gerendi ratio, ex hiſtoriis intelligitur. ut ſiquis explicet quibus artibus Athenienſes perſicum bellum à ſe repulerint. aut quomodo Romani gentium uictores euaſerint. apud

Aen. 11. Virgilium Diomedes bellum contra Aeneam diſſuadet, ab infelici Græcorum exitu, qui cum Troianis bellum geſſerant. ſic enim ait:

O' fortunatę gentes, ſaturnia regna,
Antiqui Auſonij, quæ uos fortuna quietos
Sollicitat, ſuadetque ignota laceſſere bella?
Quicunque iliacos ferro uiolauimus agros,
Mitto ea quę muris bellando exhauſta ſub altis,
Quos Simois premit ille uiros, infanda per orbẽ
Supplicia, & ſcelerum pœnas expendimus omnes
Vel Priamo miſeranda manus.
--Itaque ne

Similem exitum ſortiantur admonet, atque ita concludit:

--Coeant in fœdera dextrę
Qua datur, aſt armis concurrant arma cauete.

TEXT. *De cuſtodia regionis qui dicturus eſt, ſcire debet, qua ratione cuſtodiri poſſit; & quot ei rei copiæ, qualeſq; ſint neceſſariæ: præterea locos, ubi præſidia ſint collocanda; quæ niſi peritus regionis ſcire non poterit.*

COMM. Hęc ratio cuſtodiendę regionis inter res maximas de quibus deliberant homines ab Ariſtotele tertio loco numeratur. tria ſunt igitur quæ ſcire oportet eum, qui de cuſtodia regionis bene conſulturus ſit. primum eſt, ut pręſidiorum rationem teneat. hoc eſt quomodo rectè præſidiis cuſtodiatur regio. Alterum, quot copię, qualeſque neceſſarię ſint. utrum pedites an equites. Tertium quibus in locis oportunè pręſidia collocari poſſint. quod, niſi qui regionis peritus eſt, commode non poterit conſultare. Cicero pro lege Man. docet Pompeium hoc diligẽter effeciſſe, ut regiones cuſtodiret: Siciliam adiit, Africam explorauit. inde Sardiniam cum claſſe uenit, nondum tempeſtiuo ad nauigandum mari. atque hæc tria frumentaria ſubſidia Reip. firmiſſimis præſidiis, claſſibuſque muniuit. inde ſe cum in Italiam recepiſſet, duabus Hiſpaniis & Gallia Ciſalpina pſidiis ac nauibus confirmata, miſſis item in oram Illyrici maris, & in Achaiam, omnemque Græciam nauibus, Italię duo maria maximis claſſibus, firmiſſimiſque pręſidiis adornauit. debet enim regio perpetuis præſidiis cuſtodiri, ſed tũ pręcipuè cum vel belli terror imminet, uel iam bellum adeſt. tunc enim qd ait Virgilius: Oĩs per muros legio ſortita periclũ *Aen.* 9.

Excubat, exercetque uices. quod cuiq; tuendum. quin etiam paulo ſuperius numerum ponit:

Bis ſeptem Rutuli muros qui milite ſeruent
Delecti, aſt illos centeni quemque ſecuti
Purpurei criſtis iuuenes auroque coruſci,
Diſcurrunt.

Atque hæc ideo noſcenda ſunt, ut ſi minor ſit, quã oporteat, augeatur cuſtodia; ſiqua redundans, auferatur, & ad locos magis opportunos traducatur. TEXT.

Rationem adfert duplicem, cur Orator ſcire debeat, quomodo cuſtodienda ſit regio. primo vt loca omnia tuta atq; ſecura ſint, & quoties opus eſt augeantur pręſidia. deinde ne inutili ſumptu Reſp. grauetur, ſed quę redundant pręſidia auferantur, & locis tantum neceſſariis atque oportunis diſponantur. nam aliquando comparãda præſidia ſunt, cum inſtat belli metus, aliquando uero dimittenda, cum nulla eſt belli ſuſpicio. quod ad Caninium ſcribens Cicero ſe feciſſe oſtendit, his uerbis: Quod ſcribis Apamea pręſidium deduci non oportuiſſe, uidebam Idem cæteros exiſtimare: moleſteque ferebam de ea re minus commodos ſermones maleuolorum fuiſſe. Parthi tranſierint nec ne; pręter te uideo dubitare neminẽ. itaque omnia pręſidia quę magna & firma parauceram, commotus hominum non dubio ſermone dimiſi, neque tantum in bello, ſed etiam in pace ciuitates pręſidijs firmantur, vt ne qui tumultus exoriri poſſint. quod ad Lẽtulum ſcribens Cicero, ſic oſtendit: te cum claſſe atque exercitu proficiſci Alexandriam, ut cum eam pace pręſidiiſque firmaris, Ptolomęus redeat in regnum. interdum etiam pręſidia ſunt ex aliquo loco deducenda, & ad alium magis opportunum traducenda. quod Pompeius ad Domitium ſcribens his uerbis oſtẽdit: Conſules pręſidia omnia deducturi ſunt, aut in Siciliam ituri. nam aut exercitum firmum habere oportet, quo confidamus perrumpere nos poſſe; aut regiones huiuſmodi obtinere, è quibus repugnemus.

COMM. (right margin, beside "Rationem adfert duplicem")

2. *Epiſt.* (right margin, beside "Caninium ſcribens Cicero")

Ad Att. 8. (right margin, beside "ad alium magis opportunum traducenda")

De annona uidendum erit, quanta, qualiſque ciuitati ſufficere poſſit; & cuius generis ſit ea, quæ ibi naſcitur, & quæ aliunde importatur: & quæ ſint res eæ, quas exportare, & quas importare oporteat; ut conuentiones, & pactiones cum eis fiant, quibuſcum opus eſt. TEXT.

COMM. Quarto loco, inter res maximas, quæ ciuitati neceſſariæ ſunt, annona ponitur, cui diligenter prouidendum eſt, ne uictus annuus deeſſe ciuibus poſſit. itaque ſcire oportet, quam magno rerum ad uictum pertinentium numero ciuitati ſit opus aliunde prouidere, quęque ſint illę res, quæ in regione non oriantur, & quas oporteat ex alijs locis petere, & contra quę ſine detrimento poſſint exportari, & ad alias nationes transferri. hæc autem ideo cognoſcenda ſunt, vt Orator ciues ad hortetur ad conuentiones & fœdera facienda, cũ cis, ſine quorum ope ciuitas non ſatis commode uictum annuum habere poteſt. Athenięſes agros

ſteriles

ſteriles habebant. itaq; frumento utebâtur aliunde importato, qđ Demoſthenes in Oratione contra Leptinē teſtatur. quare neceſſe illis erat, fœdera ſeruare cū eis à quibus frumētū accipiebāt. Romani eodem mō ex Africa, Sardinia, Sicilia frumētum Romam aduehebant. vnde Cicero pro lege Man. uocat eas tres prouincias, tria ſubſidia frumentaria populi Romani. atque ille M. Cato ſapiens, ſicuti quarta actione in verrem Cicero teſtatur, cellam penariam Reip. nutricem plebis Romanæ Siciliam nominauit. apud Romanos quoties opus eſſe videbatur præfectus annonæ creabatur, qui frumentum undique coemendum curaret, & Romam aduectum iuſto precio uenire iuberet. legimus etiam Iulium Cęſarem duos ędiles creaſſe, qui cereales dicti ſunt eò, quod cereris ideſt annonæ frumenticque curam haberent, vt ne populo Romano uictus deeſſe poſſet.

COMM. *Duo ſunt enim hominū genera, quos obſeruare neceſſe eſt, ne à ciuibus offendātur; nēpe qui potētiores ſunt, & qui rebus ſuppeditandis utiles eſſe poſſunt.*

TEXT. Qui in Rep. uerſantur, ad cōmunem utilitatē omnia referre debent. itaque prouidere eos oportet, ne quid eiuſmodi fiat, quod detrimentum aliquod adferre poſſit, vt ſi potentiores homines irritentur, aut ſi illi offendātur qui prodeſſe Reip. poſſunt. hoc eſt, quod ait Ariſtoteles, duo genera hominum obſeruanda eſſe. alterum eorum, qui viribus præſtantiores ſunt, qui ſi forte iraſcantur, plurimū obeſſe poſſunt: alterū eorū, qui res ad uictū neceſſarias in ciuitatē aduehunt, aut mittunt, aut aduehi cōcedūt. quales ſunt mercatores, fœderatæ gentes, aut ſtipendiariæ. nam potentiorum ſemper offenſiones declinandę. quod elegāti metaphora docet Ouidius illis uerſibus:

Stultus ab obliquo qui cum diſcedere poſſit,
Pugnat in aduerſas ire natator aquas.

Et Iuuenalis Criſpi prudētiam in eo laudat, quod Imperatori Domitiano nunquam reſtiterit:

Ille igitur nunquam direxit brachia contra,
Torrentem.

Neque tantum potentiores, ſed etiam inferiores qui nobis utiles eſſe poſſunt, obſeruare debemus. eſt enim imprudentis hominis, non curare quę utilia ſunt. unde Cicero pro lege Man. ſic ait: Putatis ne uos illis rebus frui poſſe, niſi eos qui uobis fructuoſi ſunt, conſeruaueritis, non ſolum calamitate, ſed etiam calamitatis formidine liberatos? & paulo poſt. A quo periculo prohibete Remp. & mihi credite id, quod ipſi videtis: hæc fides atque hæc ratio pecuniarum, quæ Romæ, quę in foro uerſatur, implicita eſt cum illis pecuniјs aſiaticis & cohæret. ruere illa nō poſſunt, ut hæc non eodem labefactata motu concidant. his igitur rationibus probat Cicero, publicanos, & homines Aſiaticos eſſe obſeruādos, quoniam Reip. utilitatem adferant.

TEXT. *Hæc omnia ſubtiliter uidendi facultatem habeat oportet, qui de ciuitatis ſecuritate conſulturus eſt.*

COMM. Quatuor illa quæ hactenus numerauit ita implicita ſunt & cohęrent inter ſe ut uix diuelli poſſint. neq; enim ſine uectigalibus & pecuniis ius ſuum obtinere ciuitas poteſt. ſed ſi eis abundauerit, & bellum commode gerere, & regionem præſidijs benè firmare, & annonæ copiam habere facile poterit. & hoc eſt qđ Olynthiaca prima Demoſthenes clamat. δεῖ δὴ χρημάτων καὶ ἄνευ τούτων, οὐδὲν ἔστι γίνεσθαι τῶν δεόντων. hoc eſt; opus eſt omnino pecuniis, ſine quibus nihil eorum, quæ neceſſaria ſunt, fieri poteſt. Itaque (quod ait Ariſtoteles) qui docere uult, qua ratione ciuitas ſecura eſſe poſſit, hæc omnia diligenter uidere debet. Cicero Philippica quinta, pecuniam ait eſſe neruos belli. & ad Att. 4. pecunia omnium dignitatem exęquat.

Sed illud non parui ponderis eſt, ferendarum legū rationem intelligere. cum in legibus poſita ſit totius ciuitatis ſalus. TEXT.

COMM. Vltimo loco ponit eam rem quæ omnium maximam poteſtatem habet. cum enim in legibus poſita ſit totius ciuitatis ſalus, permagni intereſt rationem cognoſcere, qua bonæ leges ferri poſſint. Erit igitur boni Oratoris uidere ne qua lex inutilis Reip. feratur. ſicuti Cicero legem agrariā Rulli antiquandam curauit, quod nō eſſet è Rep. ſed legem Maniliam ſuaſit, quoniam utilis eſſe uidebatur. quod autem ait Ariſtoteles, totius ciuitatis ſalutem in legibus eſſe poſitā, id copioſè Demoſthenes contra Ariſtogitonem diſputat Cicero Philippica undecima uim legum elegātiſſime illis uerbis expreſſit: Iuppiter ipſe ſanxit ut omnia, quæ Reip. ſalutaria eſſent, legitima & iuſta haberētur. eſt enim lex nihil aliud niſi recta, & à numine Deorum tracta ratio, imperans honeſta, prohibens contraria. & libro tertio de legibus: Salus populi ſuprema lex eſto. apud Romanos leges à latoribus ſępè nomen retinebant, ut lex Portia de ciuibus non uerberandis aut necandis. lex Cincia de donis & muneribus non capiendis. lex Licinia & Mutia ut in ſuam quiſque ciuitatem redigeretur. lex Memnia contra eos qui aliquem temere accuſant. lex Plectoria contra eos qui adoleſcentes circūſcriberent. At vero Tribuni plebis apud Romanos ſæpè nouas leges ferebant, ut ex hiſtoriis facile colligi poteſt.

Per Rab. *2. de Ora. in Bru.* *per Sex. Roſc.* *3. de off.*

Itaque ſcire neceſſe eſt, quot ſint Rerump. genera; & quæ cuique generi proſint, & quæ interitum adferant, ſiue illa Reip. propria ſint, ſiue aliena, & ei contraria. TEXT.

COMM. Qui benè leges conſtituere uelit, eū ſcire oportet quæ ſint Rerūp. genera. quoniā non oēs leges omnib. Rebuſp. cōueniunt. & ſępè fit, ut quod uni prodeſt, alteri noceat. non tantum igitur ſcire oportet genera Rerump. ſed etiā quę proſint, & quę obſint, & quę propria ſunt, & quę aliena. De hac re copioſè ſcripſiſſe dicitur Ariſtoteles, atque eius diſcipulus Theophraſtus. ſic enim Cicero quinto de Finibus: Omniū ferè ciuitatum non Græcię ſolum, ſed etiam Barbarię ab Ariſtotele mores, inſtituta, diſciplinas, à Theophraſto leges

etiam

etiam cognouimus. cunque uterque eorum docuiſſet, qualem in Rep. principem eſſe conueniret, pluribus præterea cum ſcripſiſſet, qui eſſet optimus Reip. ſtatus: hoc amplius Theophraſtus

3. Polit. quæ eſſent in Rep. inclinationes rerum, & momenta temporum, quibus eſſet moderandum, ut cunque ces poſtularet. uult autem in Politicis Ariſtoteles eſſe tria Rerump. genera quę laudabilia ſint. quib. ex altera parte tria q̃ uitioſa ſint opponātur. uel enim ab uno tanto principe tota pēdet Reſp. atque ille ſtatus Monarchia dicitur, uel ab optimatibus, & probitate præſtantibus uiris, & Ariſtocratia uocatur. uel denique ab uniuerſi populi libertate, qui tamen bene ſentientibus pareat, & leges obſeruet, & proprio nomine politia dicitur. Sed primus ille ſtatus ut eſt omnium optimus, ſi bonus princeps fuerit, ita peſſimus euadit, ſi malum principem habeat, & tunc appellatur Tyrannis. ſecundus autem fit uitioſus, cum pauci non qui meliores ſint, ſed qui potentiores Remp. capeſſunt, & tunc oligarchia nuncupatur. tertius in uitium tranſit, cum populus abutitur libertate, & neque legibus, neque benè ſentientibus parere uult, & tunc uocatur Democratia. tres igitur boni ſunt ſtatus Rerump. Monarchia, Ariſtocratia, Politia. tres etiam mali bonis oppoſiti Tyrannis, Oligarchia, Democratia. Debet igitur Orator cū de ferendis legibus eſt uerba facturus, diligenter aduertere quod ſit illud Reip. genus in quo deliberatur. & quibus rationibus conſeruari poſſit in columne, quibus etiam euerti, atq; interire ſoleat. Sic enim facile cognoſcet, quæ leges utiles eſſe poſſint, & quæ nequaquam accommodari ualeāt. Ex ijs uero quæ interitum adferunt Reip. quædā propria dicuntur, quædam aliena & contraria.

TEXT. *Dico autem à proprijs Remp. euerti, quoniam uno excepto optimo ciuitatis ſtatu, reliquæ omnes Reſp. & cum remittuntur, & cum efferuntur, intereunt.*

COMM. Docet quomodo à propriis rebus aliquando ſtatus Rerump. corrumpantur. hoc enim incredibile uidebatur. quòd à propriis rebus aliquid corrumperetur. unus eſt (inquit) ſolus optimus ciuitatis ſtatus, qui in nullum degenerare poſſit, atq; is eſt Monarchia, reliqui uero facile uitiantur atque intereunt, quoties aliquo modo relaxantur, & quoties intenduntur. hoc autem quod dicit ipſemet exemplo ſubiecto declarat. neque dubium eſt quin optimum ciuitatis ſtatum appellet Monarchiam, cum etiam in Politicis hunc ſtatum reliquis omnibus anteponat. & Homerus Iliados libro ſecundo ſic ait:

ὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔςω εἷς βασιλεύς.

hoc eſt:

Multorū imperium prauum eſt, rex unicus eſto.

TEXT. *Vt popularis ſtatus non ſolum remiſſus fit imbecillior, & tandem in paucorum dominatum delabitur; ſed etiam ſi uehementer efferatur, interit.*

COMM. Exemplum hoc eſt, quo declarat Ariſtoteles, quomodo popularis ſtatus interdum à ſuis rebus corrumpatur, nam ſi remittitur (inquit) fit imbecillior, & in paucorum dominatum tranſit. remitti dicitur popularis ſtatus cum populus negligentior fit, in iure ſuo retinēdo, & habenas Reip. pauſis relinquit. quod Romanis accidit poſt Gracchorum interitum, uſque ad Iulij Cæſaris dominationem. non enim eo tempore Reip. Romanæ ſtatus politia dici poterat, ſed potius Oligarchia, cum pauci & potentiores arbitrio ſuo cuncta adminiſtrarent. quod ſi uehementer efferatur populares ſtatus, interit. efferri dicitur, cum maiorem auctoritatem ſibi populus aſſumit, quam conueniat, & cum non ſapientum ſententiam, ſed cupiditatem ſuam ſequitur. ut cum plebs Romana defecit à patribus, & in ſacrum montem conceſſit, certè niſi Menenij auctoritas interceſſiſſet, male actum eo tempore de Rep. Romana fuiſſet.

Quemadmodum uitia prauitateſque naſi, qui uel grypus, uel ſimus ſit, non tantum remiſſa ad mediam rectamque formam ueniunt, ſed etiam uehementer aucta; ut ſi ualde fiat grypus, aut ſimus naſus, eo tandem perueniant, ut ne naſi quidem formam naſus habere uideatur. TEXT.

Hac eadē ſimilitudine uſus eſt quinto Politicorum cum de eadem re uerba faceret. ibi enim hæc longè diligentius & accuratius tractat. naſus (inquit) quatenus ad formam ſuam, duo præcipuè uitia poteſt habere, uel enim nimium depreſſus eſt, & quandam quaſi planiciem præ ſe ferens, & tunc dicitur ſimus, qualem habuiſſe Socratē memorant: uel nimium eſt elatus, & quaſi dorſum habet in medio quod emineat. & tunc grypus uocatur. utrũq; igitur uitiū duobus modis corrūpi poteſt, uel ſi remittatur, & ad mediam rectamque formam ueniat, tunc enim remotis illis uitiis, rectus erit naſus: uel ſi nimium intendatur. poſſet enim ſimus naſus ita deprimi, ut penitus aboleretur, & ne formā quidē naſi haberet, & tunc neq; ſimus dici poſſet. ita ēt dorſū illud quod eſt in naſo grypo, poſſet adeo creſcere, ut omnem naſi formam auferret, quare neque grypus eſſet. duobus igitur modis prauitates illæ naſi corrumpuntur atq; intereunt, uel cum naſus rectam formam recipit, uel cum penitus formam ſuam amittit. eadem etiam ratione Democratia & Oligarchia, q̃ ſunt quaſi duo uitia labeſq; Reip. duobus modis intereunt. uel cum ad bonam Reip. formam reducuntur, & populus publicam tantum utilitatem quærit, & qui probi uiri ſunt ac ſapientes Remp. adminiſtrant. vel cum intenduntur, & uſque eò procedunt, ut populus ex libidine ſua cuncta gerat, & potentiores non amplius publicam, ſed priuatam tantum utilitatem ſequantur. Cicero pro Seſtio de hac re ſic ait: Duo genera ſemper in hac ciuitate fuerūt eorum, qui uerſari in Rep. atque in ea ſe excellentius gerere ſtuduerunt: quibus ex generibus alteri ſe populares, alteri optimates & haberi & eſſe uoluerunt. qui ea, quæ faciebant, quæque dicebant, multitudini iucunda eſſe uolebant, populares: qui autem in ſe gerebāt, ut ſua conſilia optimo cuique proberentur, optimates

mates habebantur. ergo hi de quibus loquit Cicero, rectam adminiſtrandæ Reip. formam ſequebā tur. ſed ſi mores mutaſſent, facile ſeditiones, & diſcordias in Rep. concitaſſent, quod & Athenis & Romæ ſæpisſime contigit.

COMM. *Illud autem in ferendis legibus utiliſſimum eſt, nō ſolum aduertere & conſiderare, quis nam Reip. ſtatus ante acto tempore profuerit; ſed etiam apud exteras nationes, quæ Reip. ſpecies, quibus hominibus conueniant.*

TEXT. Legiſlator omnem curam & cogitationem ſuā ad utilitatem publicam referre debet. Itaque cum leges laturus eſt, præter cætera duo ſunt illi conſideranda. primò quæ leges & inſtituta præterito tempore ſuæ Reip. profuerint, & quomodo uel conſeruatum, uel auctum antea fuerit imperiū. ſic enim exemplo præteritorum poterit de futuris bona ſperare. deinde illud etiam aduertere debet, quomodo reliquæ nationes in Rep. ſua bene ſe gerant, & quo Reip. genere utantur. ut ab eorū ſimilitudine ſciat quid ciuitati ſuæ profuturum ſit. eſt autem id quod ait Ariſtoteles, huiuſmodi. Athenienſes utebantur populari ſtatu, hoc eſt Democratia, Lacedemonij ſtatu optimatium quæ dicitur Ariſtocratia, Macedones regio dominatu quam Monarchiam uocāt. ponamus igitur apud Romanos de ferendis legibus eſſe deliberationē, hic Orator primo uidere debet, quo Reip. genere utantur Romani, & cum intellexerit eos uti ſtatu populari, non adhortabitur ut Lacedæmoniorum aut Macedonum leges ſequantur, quoniam illi diuerſo Reip. genere utuntur, ſed animum ad Athenienſes transferet, & animaduertet, quæ leges apud eos utilisſimæ ſint, atque ita Romanis erit auctor, ut Athenienſium eas leges imitentur. id, quod feciſſe Decem uiros legimus qui duodecim tabularum leges ad exemplar legum Solonis conformarunt, & ad eam rem auctore, & interprete Hermodoro Epheſio uſi ſunt. hoc autem præceptum etiam ad rationem noſtri temporis accommodari poteſt, ut quoniam Heluetij Democratia utuntur, Veneti Ariſtocratia, Galli Monarchia. qui ſuaſurus eſt legem aliquam Mediolanēſibus non reſpiciet ad leges Heluetiorum, neque Venetorum, quoniam non eo genere Reip. Mediolanēſes utuntur. ſed potius aduertet quæ leges in Gallorum Rep. ſint utiles, & ad earum exemplar totam ſuaſionem ſuam diriget.

TEXT. *Itaque perſpicuum eſt ad legum ferendarum ſcientiam plurimum conducere terrarum peragrationem, in qua multarum gentium inſtituta, legeſque licet agnoſcere.*

COMM. Quoniam leges ferendæ ſunt, ad eorum imitationem qui bono ſtatu Reip. utuntur, & ei ſimili, in quo qui legem laturus eſt, uerſatur. id autem facere non poteſt, niſi qui exterarum nationum cognitionem habuerit. ideo concludit Ariſtoteles plurimum prodeſſe ad acquirendam ferendarum legum ſcientiam terras peragrare, & multorum populorum mores, inſtituta, leges intelligere. quæ res non tantum ex peregrinatione, ſed ēt ex libris qui de his rebus ſcribuntur, & ex auditu percipi poteſt. ſed ex peregrinatione putabant ueteres illi maximam prudentiam comparari, quā de cauſa Homerus Vlyſſem à peregrinatione ſtatim laudat, ſic enim incipit.

Dic mihi muſa uirum captæ poſt mœnia Troiæ.
Qui mores hominum multorum uidit & urbes.

Cicero libro Tuſcul. quinto multos Philoſophos numerat qui totam ætatem ſuam in peregrinatione conſumpſerunt.

TEXT. *At uero in conſilijs publicis hiſtoriarum & antiquitatis, cognitio mirifice utilis eſt.*

COMM. Peregrinatio plurimum ualet ad ea cognoſcenda quæ præſentis temporis memoria fiunt. at hiſtoriarum cognitio declarat ea, quæ iam pridem geſta fuere, uult igitur Ariſtoteles utranque cognitionem ab eo comprehendi, qui conſilia publica bene tractaturus ſit. quod etiam in Oratore ad Brutum Cicero ſentit. cognoſcat etiam (inquit) rerum geſtarum & memoriæ ueteris ordinem, maxime ſcilicet noſtræ ciuitatis, ſed & imperioſorum populorum, & regum illuſtrium. Neſcire autem quid antequam natus ſis acciderit, id eſt ſemper eſſe puerum. Quid enim eſt aliud ætas hominis, niſi cum memoria rerum ueterum cum ſuperiorum ætate contexitur? commemoratio autem antiquitatis exemplorumque prolatio ſumma cum delectatione & auctoritatem orationi adfert & fidem.

TEXT. *Sed hæc omnia uidere, ciuilis ſcientiæ, non autem Rhetoricæ proprium officium eſt.*

COMM. Ciuilis ſcientia tractat ea diligenter, quæ ad ferendas leges, & ad rerum maximarum conſultationem pertinent. ideo non hoc eſſe propriū Rhetoricæ dicit Ariſtoteles, niſi quatenus eſt ciuilis ſcientiæ ſimulacrum quoddam, & quandam adminiſtrandæ Reip. facultatem communiter præbet.

TEXT. *Res igitur maximæ, quarum cognitionem eum habere oportet, qui bene conſulturus ſit, hæ ferè ſunt. deinceps uerò dicamus, quo modo uel ex his ipſis, uel ex alijs, quæ in deliberationem cadunt, & ad ſuadendum, & ad diſſuadendum argumenta duci poſſimus.*

COMM. Iam expoſitæ ſunt res maximæ de quibus in Rep. conſultatur. ut cum à uectigalibus, à bello & pace, à cuſtodia regionis, ab annona, à legum latiōe receſſeris, nihil ſit aliud in publicis rebus qđ magni eſſe momenti uideatur. nunc uero uidendum eſt, quomodo & ab eis quæ dicta ſunt, & ab aliis, de quibus deliberare ſolent homines, argumenta duci poſſint. ſunt enim infinitæ pene res, de quibus & priuatim & publicè ſoleāt homines conſultare. ſed publicè ferè de illis tantum quinque generibus rerum conſultatur. quæ tamen longè lateque patent. & in ſingulis copioſiſſima eſt dicendi materies. ut quot modis & acquiri uectigalia & augeri poſſint, quæ ſint in bello, quæ in pace conſideranda, atque ita de alijs. priuatim ue-

rò quæ-

rò quæcunque pertinent ad motus animi uoluntarios, & ad liberas actiones ferè in deliberationē cadunt, de quibus omnibus generatim Ariſtoteles hoc loco præcepta tradere conſtituit.

TEXT. *Eſt autem & priuatim ſingulis, & publicè ferè omnibus, finis quidam propoſitus, ad quem aciem mētis dirigentes, omnia uel expetunt, uel fugiunt: atque (ut in ſumma dicam) ea eſt felicitas, & partes eius.*

COMM. Qui conſilium dare uult, is aduertere primò debet quem finem aut ſcopum ſibi ptoponant ij, qui deliberant. omnes enim ſibi finem quendam conſtituunt, quem aſſequi deſiderant. itaque uiā ac rationem quærunt, qua poſſint ad eum finem peruenire. non igitur deliberant de ipſo fine, ſed de iis, quæ poſſunt ad finem perducere. ut Imperator cum bellum geſturus eſt, proponit ſibi finem ipſam uictoriam. nam eius gratia bellum ſuſcepturus eſt. deinde conſultat, non iam de uictoria, ſed de ijs, quæ poſſint uictoriam acquirere. hoc eſt de uia ac ratione, qua poſſit hoſtes debellare. idem reliqui omnes faciunt, ut ſuis cogitationibus & actionibus finem aliquem proponant, quē omni conatu conſequi ſtudeant. ut tandem quietè feliciterque uiuant. Omnes enim & priuatim & publicè expetuut ea, quæ felicem ac beatum arbitrantur hominem efficere poſſe. fugiuntque cōtraria. quo fit ut felicitas & eius partes ſit finis, quo non tantum ſinguli homines, ſed etiam ciuitates & natiões cogitationes omnes ſuas referāt, & quem aſſequi concupiſcant. eſt enim felicitas ſummum bonum quod omnes expetunt, ut Ethicorum primo docet Ariſtoteles. neque tantū homines, ſed res omnes propoſitum quaſi finem & extremum habent, ut ſe conſeruent, in quamoptimo ſui generis ſtatu. quod quinto de Finibus Cicero docet. ideo ueteres bonum id eſſe dixerunt,

Ethic. I. quod omnia concupiſcunt, ut auctor eſt Ariſtoteles. quod autē omnes ſibi proponant felicitatē & quietem, declarat etiam ille Virgilianus Aeneas illis uerbis:

Per uarios caſus per tot diſcrimina rerum
Tendimus in Latium, ſedes ubi ſata quietas
Oſtendunt.

& in tertio Aeneidos idem Aeneas:

Viuete felices quibus eſt fortuna peracta,
Iam ſua.

Antiqui Romani omnibus rebus agendis quod bonum, fauſtum, felix, fortunatumque eſſet, præfabantur. auctor Cicero primo de Diuinat. ſed in quibus rebus ſit hominis ſumma felicitas Philoſophi diſputant, & uariis opinionibus diſtrahuutur, ut in libris de Finibus copioſè Cicero docet. Ariſtoteles eam ponit in uirtutis actione, hoc eſt in animo, ſed tamen etiam corporis & fortunæ bona uult adiungi. neque enim Infortunatus, & ægrotus, quamuis uir probus ſit, ex Ariſtotelis ſententia felix dici poteſt. cum igitur ea quæ bona ſunt, aut uidentur, gratia felicitatis, omnes expetant, ideo quid felicitas ſit, & quæ ſint eius partes Ariſtoteles explicat.

TEXT. *Quare ſumamus, exempli gratia, non ſubtiliter quidem, ſed ſimpliciter, quid felicitas ſit; & ex quibus conſtent eius partes. de hac enim, & de ijs quæ ad hanc referuntur, & de contrariis huic, omnes ſuaſiones, & diſſuaſiones eſſe ſolent: quæ enim felicitatē efficere poſſunt, aut aliquam eius partem, aut ex minore maiorem, ea ſunt amplectenda; quæ uero illam uel corrumpunt, uel impediunt, uel contraria ſunt, omnino ſunt fugienda.*

COMM. Accuratè tractare de felicitate, non eſt propriū Oratoris officium, aut potius Philoſophi. ſed tamen quia ſtudent omnes eam acquirere, & quatenus licet felices fieri, ideo debet Orator, qui ſententiam in concione dicturus eſt, ſaltem communiter intelligere quid ſit felicitas, & quæ ſint eius partes. hoc eſt quod ait Ariſtoteles uelle ſe docere quid felicitas ſit, & ex quibus eius partes conſtentur, non tamen ea ſubtilitate qua utuntur philoſophi, cum in diſputationibus ueritatem exquirunt, ſed ſimpliciter & communi more atque intelligentia. cuius rei rationem adfert, quoniā omnis ſuaſio atque diſſuaſio, quæ ſunt deliberationis partes, de illis rebus eſt, quæ ad felicitatem referuntur, & de illis quæ ſunt felicitati contraria. nam ea tantum amplectenda ſunt, quæ uel felicitatem adferre poſſunt, uel eius aliquam partē, uel ſaltem eam augere, atque ex minori maiorem facere. quæ uero nos felicitate priuant, uel quæ impediunt quo minus felices fieri poſſimus, uel denique quæ felicitati ſunt aliquo modo contraria, ſunt omnino fugienda. hoc eſt quod in Partitionibus ait etiam Cicero, Quare (inquit) in cohortando, atque ſuadendo propoſitum quidem nobis illud erit, ut doceamus qua ui bona conſequi, malaque uitare poſſimus. Omne uero bonum ſiue ſit animi, ſiue corporis, ſiue rerum externarū pars eſt quædam felicitatis. quemadmodum Academicis & Peripateticis placet. nam Stoici uirtutē ſolam eſſe bonam cenſebant. & ſapientem uirum ſēper felicem eſſe dicebāt, etiam ſi in Phalaridis taurum coniiciatur. quam ſententiam licet uera ſit, tamē communis ſenſus reprobat. Ariſtoteles igitur Peripateticorum princeps, felicitatē ſtatuit ex triplici bonorum genere cōſtare. hoc eſt ex bonis animi, corporis, & rerum externarum; quem multis in locis Cicero ſequitur. Quare cum ſuadendi atque diſſuadendi præcepta tradat hoc loco, primo felicitatem ipſam definit, deinde partes eius ſigillatim explicat. ponit autem quatuor definitiones ſeu deſcriptiones felicitatis quæ à communi hominum opinione pendent.

TEXT. *Ponamus igitur felicitatem, eſſe uitæ proſperitatem cum uirtute coniunctam.*

COMM. Hæc eſt prima felicitatis definitio, nam ex opinionibus hominum uariè felicitatem definit, ſed primò loco ponit eam definitionem quę uerior & communior eſſe uidetur. ſiquis enim fuerit uirtute præditus & proſperam habuerit fortunam, illi nihil deeſſe uidetur ad felicitatem. duo ſunt igitur neceſſaria ut quis felix dici poſſit, hoc eſt vitę proſperitas & virtus. nā ſiquis tantum proſperā uitā ageret, & uirtute careret, is non felix, ſed

miſer

miſer potius eſſet uocandus, quod libro Tuſcul. quinto copioſè Cicero diſputat. quin hoc ex ſententia Socratis probat his uerbis: velut in Gorgia Socrates cum eſſet ex eo quæſitum, Archelaũ Perdicæ filium, qui tum fortunatiſsimus haberetur, nonne beatũ putaret? haud ſcio, inquit, nunquam enim cum eo locutus ſum. Ain' tu? an aliter id ſcire non potes? non vllo modo. Tu igitur ne de Perſarum quidem rege magno potes dicere, beatus ne ſit? An ego poſſem, cum ignorem quã ſit doctus, quam vir bonus? Quid? tu in eo ſitam uitam beatam putas? ita prorſus exiſtimo, bonos beatos, improbos miſeros, miſer ergo Archelaus? certè ſi iniuſtus. Cẽſent igitur Plato, Ariſtoteles, Cicero enim miſerum & infelicem eſſe qui ſit improbus, etiam ſi fortunatiſsimus ſit. Sed quid ſi virtute quidem præcelleret, uerum aduerſam fortunã haberet, & varijs calamitatibus adficeretur,
5. Tuſ. nũ felix dici poſſet? minime uero. nam Theophraſtus in eo libro quem ſcripſit de vita beata (ſicut ait Cicero) multa diſputat, quamobrẽ is qui torqueatur, qui crucietur, beatus eſſe non poſsit. quare plurimis in locis Cicero miſeros eos uocat qui ſunt in calamitatibus etiã ſi uirtute præditi ſint. quamuis libro Tuſcul. quinto multa ſubtiliter & copioſè diſputat, quibus probare contendat, in ſola uirtute poſitam eſſe beatam vitã. Sed ex hoc Ariſtotelis loco, multiſque alijs concludi poteſt ad felicitatem duas res eſſe neceſſarias, hoc eſt vitæ proſperitatem, & virtutem.

TEXT. *Vel poſſeſsionem earum rerum quibus uita contenta ſit.*

COMM. Secunda definitio felicitatis hæc eſt, vt ille felix dicatur, qui poſsidet ea, quibus vita contenta ſit. ex qua definitione colligitur eos, qui cupiditatibus trahũtur, nunquã felices eſſe poſſe. neq; .n. vnquã expletur, nec ſatiatur cupiditatis ſitis, ait Cicero. & qui pauca concupiſcũt, ij minimũ in vita mali experiũtur. vnde rectè dictum eſt: nihil eſſe felicius animo ſua ſorte contento. quod Horatius eleganter in Epiſtolis ita docet:

Nil admirari prope res eſt una Numici
Solaq;, quæ poſsit facere, aut ſeruare beatum.

At uero non poteſt ullo modo vita contenta eſſe niſi fuerit cũ uirtute coniuncta. neque .n. põt iucundè uiui niſi cũ virtute viuatur. neque vnquã improborum animus quieſcit, ſed perpetuis quaſi furijs agitatur, vt Cicero docet. quare conuenit hæc definitio felicitatis cum ſuperiore.

TEXT. *Vel uitam cum ſecuritate iucundiſſimam.*

COMM. Hęc eſt tertia definitio felicitatis. nã omnino felicitas eſt in iucunditate vitæ, & idcirco Dei beatiſsimi putanẽ, qđ eorum uoluptates propriæ ſint, ut ait ille apud Terentium. qđ ſi quis ſibi voluptates ſecuras & ſtabiles cõparare poſſet, is beatiſsimus eſſet. neq; .n. tanquã Chamæleon beatus eſſe debet, qui facile mutari poſsit, ſed debet in ſecuritate uiuere, alioqui ne beatus quidem erit, ſi res aduerſas timuerit, vt Ethicorum primo docet Ariſtoteles. Metrodorus dicebat eũ eſſe beatum, cui corpus eſſet bene cõſtitutũ, & exploratũ haberet, ita ſemper fore. ſed hæc n probanda eſt ſñia, quia felicitas eſt tantum in uera uoluptate, ſed vera uoluptas eſt animi non corporis, ut apud Platonẽ multis in locis Socrates affirmat. nõ põt igitur uita eſſe iucũdiſsima, niſi ſit uirtuti copulata, neq; põt eſſe ſecura, niſi proſperam habeat fortunã. quo fit, ut eodẽ tendat hæc definitio quo duæ ſuperiores. Vt ille demum felix dici poſsit, cui uita proſpera ſit, & uirtutem iam ſibi comparauit.

Vel bonum, firmumq́ue ſtatum poſſeſsionum, & corporum, cum facultate cuſtodiendi, atque amplificandi. TEXT.

Quartã & ultimam felicitatis definitionẽ ducit Ariſtoteles ab eorũ opinione, qui felicitatẽ in copia rerum poſitam arbitrabãtur, & in bono firmoq; ſtatu poſſeſsionum ac corporum. cũ .n. rerũ omnium adfluunt undiq; copiæ, neq; quicquam deeſt aut ad uſus uitæ neceſſarios, aut ad pfruendas uoluptates, ſi præterea ſanitas corporis acceſſerit, à nõnullis ſumma putatur felicitas. modo timor omnis abſit, & ille ſtatus firmus habeatur. itaq; facultatẽ ẽt cuſtodiendi, atq; amplicandi cõiunctam eſſe uult Ariſtoteles, duo ſunt autem in hac definitione nẽpe poſſeſsiones & corpora, q̃ bonum firmumq́; ſtatũ habere debeãt. quorũ primum generale eſt ad omne genus diuitiarum, q̃ ſunt in noſtra poteſtate. alterum ad animalia tantum referri uidetur. neque. n. ſatis eſt multa poſſidere niſi etiam beſtię, ſerui, dominiq́ue ipſi ualeant. unde Horatius: COMM.

Valeat poſſeſſor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat uti.

Ariſtoteles Ethicorũ. 1. recitat Epigrãma, quod eſſet in Apollinis templo ſcriptũ in hunc ſenſum:

Optima iuſtitia eſt, res exoptanda ualere,
At iucunda ſequi quod quis habere cupit.

Ex quo põt intelligi felicem eum exiſtimari, qui & animi probitate, & corporis ſanitate, & uitæ iucunditate cæteris præſtiterit. nã primum ſemper locum animi bona poſsident, ſecundo loco bona corporis ponuntur, tertio demum loco collocantur externa bona. nam, ut ait Cicero in Academicis, conſtituebant Academici extremum eſſe rerũ expetendarũ, & finem bonorum, adeptum eſſe omnia e natura, & animo, & corpore, & uita, quã felicitatem expreſsit Horatius ad Tibullum ſcribens his uerſibus.

Quid uoueat dulci nutricula maius alumno?
Quam ſapere, & fari poſsit quæ ſentiat? & cui
Gratia, fama, ualetudo contingat abunde?
Et mundus uictus non deficiente crumena.

Omnes enim ferè confitentur felicitatem aut unum horum, aut plura ſimul eſſe. TEXT.

Poſt quã felicitatis definitionẽ attulit, nũc eã à cõi ſñia corroborat. ait. n. oẽs hoẽs cõfiteri felicitatẽ aut uno eorũ q̃ dicta ſũt, aut pluribus cõtineri. qđ aũt ait Ariſ. id eſt eiuſmodi. qdã. n. i una tñ re beatitudinẽ cõſtituebãt, ut Stoici i uirtute, Cyrenaici in uoluptate, Hier. Rhodius in indolẽtia, COMM.

Carneades in fruẽdis rebus ijs, q̃ primę ſecũdũ naturã ſunt. quidam autem res plures copulabãt, vt Callipho & Dinomachus voluptatem ad honeſtatem adiungendam eſſe cenſebant, Diodorus doloris uacuitatem cum honeſtate copulabat. veteres Academici quos etiam Ariſtoteles ſequitur, & animi, & corporis, & externa bona coniũgi ad felicitatem cẽſent oportere. ſed de his opinionibus copioſè Cicero diſputat de Finibus libro quinto.

TEXT. *Quod ſi felicitas eſt eiuſmodi: neceſſe eſt, eius partes eſſe nobilitatem, gratiam, amicitiam proborũ hominum, diuitias, bonam prolem, multitudinem filiorũ, facilem ſenectutem; præterea corporis uirtutes; ut bonã ualetudinẽ, pulchritudinẽ, uires, magnitudinẽ, certandi robur: quin ẽt gloriã, honorem, proſperã fortunam, uirtutem, atque eius partes; prudentiam, fortitudinem, iuſtitiam, temperantiam.*

COMM. Cum explicatũ iã ſit, quid ſit felicitas, videndũ nunc eſt quæ ſint eius partes, quas videtur Ariſtoteles quadã quaſi congerie numerare, cum tamen id miro quodam ordine faciat. quatuor. n. in partes oĩa bona diſtinguuntur, & gradus ẽt ſuos habent, vt quædam minora bona ſint quædam maiora. cum. n. hõ conſtet ex corpore, & animo, neceſſe eſt: vt ẽt & corporis & animi bona reperiantur. ſed cum animus longè præſtantior ſit corpore, erunt ẽt animi bona præſtantiora, quam bona corporis. at ea bona q̃ ad corpus referũtur, vel extra corpus ſunt, vel in ipſo corpore, atq; ita ſiunt duo bonorum genera, quorum tamen ea quæ in ipſo corpore ſunt, præſtant eis quę ſunt extra corpus. rurſus quæ ad animum referuntur, aut extra animum, aut in ipſo animo ſunt, ita fiũt alia duo bonorum genera: quorum ea quæ ſunt in animo, præſtant eis quæ ſunt extra animum. cum igitur ita diſtincta ſint quatuor bonorum genera, ſubtiliter & ingenioſè Ariſtoteles incipit ab infimo genere, & ad ſupremum ac præſtantiſſimum vſq; procedit. nam infimo loco ſunt ea bona quæ ad corpus quidem referuntur, ſed ſunt extra corpus, quorum ſeptem ſpecies numerat Ariſtoteles. hoc eſt nobilitatem, gratiam, amicitiam proborum hominum, diuitias, bonam prolem, multitudinẽ filiorum, facilem ſenectutem. ſcdõ loco ponuntur ea bona q̃ ſunt in corpore. quorũ ſpecies quinq; numerãtur, bona valetudo, pulchritudo, vires, magnitudo, certandi robur. Tertio loco ponuntur ea bona q̃ ad animum quidem referuntur, ſed tamen extra animum ſunt, atque huius generis tres numerantur ſpecies, gloria, honor, proſpera fortuna. Quarto & ſupremo loco ponuntur animi bona, quæ eſt virtus, & quatuor eius ſpecies, prudẽtia, fortitudo, iuſtitia, temperantia. hæc eſt Ariſtotelica bonorum diſtributio, quibus qui præditus fuerit, is uerè felix ac beatus erit.

TEXT. *Hac enim ratione nullius rei ad benè, beateque uiuendum indigebit is, cui bona omnia & quæ in eo ſũt, & quæ extrinſecus adueniunt, affatim adfuerint: nã, præter hæc, nulla bona ſunt.*

TEXT. Hæc (inquit) bona bipartitò diſtribuũtur. aut. n. in ipſo ſunt hoĩe, aut extrinſecus adueniũt. quòd ſiquis utraq; copioſè potuerit aſſequi, ei nihil omnino deerit, ad benè beateque uiuendum. neq;. n. vlla alia bona ſunt: & qui oĩa bona cõſecutus eſt, nullo adiuncto malo, is ſine dubio beatus eſt. ſic. n. ait Cicero libro Tuſc. quinto, videamus qui dicendi ſint beati. equidem hos exiſtimo, qui ſint in bonis nullo adiuncto malo. neque vlla alia huic verbo, cum beatum dicimus, ſubiecta notio eſt, niſi ſecretis malis oĩbus cumulata bonorum complexio. Qui igitur hẽt omnia bona cumulata, dicitur αὐταρκέστατος ab Ariſtotele. quaſi per ſe ipſum maxime contentus, neq; quicquam vltra deſyderans: nam ſuperius ẽt felicitatem ex quorundam opinione dixit eſſe, αὐταρκείας τῆς ζωῆς. hoc eſt cum ea poſſidentur, quibus vita contenta ſit.

In ipſo uerò ſunt ea, quæ uel in animo ſunt, uel in corpore, extrinſecus adueniunt, ut nobilitas, amici, pecuniæ, honor, opes etiam atque fortunã adeſſe oportere cenſemus, ſic. n. fiet uita ſecuriſſima. Hæc igitur ſingula, quid ſint, definiendo aperiemus. COMM.

COMM. Quoniã dixerat bona, aut in ipſo eſſe hoĩe, aut extrinſecus aduenire, nunc vtrumque diuiſionis membrum declarat. nã quę (inquit) vel in animo, vel in corpore ſunt, ea dicuntur eſſe in ipſo hoĩe. quoniam hõ ex animo & corpore conſtat. q̃ vero ſunt extra corpus & animum, dicuntur extrinſecus aduenire, ut nobilitas, amici, pecuniæ, honor. ſed quoniam felicitas debet eſſe firma & ſtabilis, ideo neceſſe eſt, vt hõ felix habeat ẽt opes ac potẽtiam, qua tueri facile res ſuas poſſit. præterea neceſſe eſt, ut ẽt eidẽ fortuna faueat, alioqui ne dici quidem felix poterit. ex hoc loco põt intelligi, Ariſtotelem fortunæ plurimum tribuere, cum ſine illa cenſeat hominem felicem eſſe non poſſe. quòd ẽt Theophraſtus eius diſcipulus cenſuit, vt Cicero quinto Tuſcul. & quinto de Finibus teſtatur. hanc autem bonorum diuiſionem poſuit etiã in Partitionibus Cicero. ſic. n. ait: Rerum autem bonarum & malarum tria ſunt genera. nã aut in animis, aut in corporibus, aut extra eſſe poſſunt. & inferius: Sed quoniam in tribus generibus bona mala ve verſantur, externis, corporis, & animi. & quæ ſequuntur. his ita declaratis Ariſtoteles ſingulorum definitionem ſubiungit.

Nobilitas gentis & ciuitatis ea eſt, ſi ipſa ex ſeſe ſuos ciues genuit, uel ſaltẽ uetuſtã originẽ habuit. TEXT.

COMM. Incipit à nobilitate quæ duplex eſt, aut totius gentis, aut vnius priuatæ familiæ. ac primò totius gentis nobilitatem explicat, quam eſſe vult, ſi ipſi ciues, aut indigenæ ſunt, hoc eſt ab initio ibi nati, aut ibi multis antea ſeculis vixerunt. nã quorũ maiores non aliunde venerunt, ſed in illis locis nati ſunt, quos incoluerũt αὐτόχθονας Græci vocãt. quo nomine dicti ſunt Athenienſes & Arcades ſicuti Demoſthenes in Oratione cõtra Aeſchinẽ de ementita legatione teſtatur. ſic. n. ait cũ de Arcadibus & Athenienſibus loqueretur: μόνοι γὰρ ἁπάντων ὑμεῖς αὐτόχθονες ἐστε κἀκεῖνοι. Cic. ꝓ Flacco, de Athenienſium ciuitate uerba faciens, ſic ait: quæ

uetu-

uetuſtate ea eſt, nt ipſa ex ſeſe ſuos ciues genuiſſe dicatur, & eorũ eadem terra parẽs, altrix, patria dicatur. Arcades uero de nobilitate tantopere gloriabantur ut dicerent ſe natos, antequam luna naſceretur, unde dicti ſunt à Græcis προσέληνοι. de quibus Ouidius ita primo Faſtorum:

Orta prior luna (de ſe ſi creditur ipſi)
A magno tellus Arcade nomen habet.

Atque in ſecundo Faſtorum de ijſdem Arcadibus ſic ait:

Ante Iouem genitum terras habuiſſe feruntur
Arcades, & Luna gens prior illa fuit.

Iuſtinus libro ſecundo tradit magnam inter Scythas & Aegyptios de generis uetuſtate fuiſſe contentionem, atque utrorumque argumenta rationeſque recitat. eſt igitur hæc prima gentis ac ciuitatis nobilitas, ſi uetuſtiſsimam originem habuerit, quæ res ualet multum ad perſuadendum, & probandam dignitatem atque excellentiam. quemadmodum nuper orta eſt cõtentio inter Ticinenſes & Cremonenſes utra ciuitas præcedere debeat. & Ticinenſes hoc argumento maximè nituntur, ſe ideo Cremonenſibus præſtare, quod nobiliores, & longè uetuſtiorem originem habeant. ſed nequaquam in hoc omnia poſita ſunt, ideo ſubiungit Ariſtoteles.

TEXT. *Et ſi primi ductores eius illuſtres fuerunt; & ſi multi principes, atque imperatores ex ea nati ſunt, quos æmulari alij ſtudeant.*

COMM. Vera nobilitas non tantum eſt in generis uetuſtate, quantum in maiorum ſplendore ac dignitate, alioqui multa obſcura oppida eſſent Romana ciuitate longè nobiliora, quoniam etiam multò uetuſtiora ſunt. ſed cum à primis ductoribus qui præſtantes fuerint, tum à multitudine principum & Imperatorum excellentium uera ciuitatis nobilitas pendet. quibus rebus nulla unquam fuit ciuitas, quæ Romanæ præſtiterit. primos enim ductores habuit Romulum & Remum, qui propter bellicam uirtutem Martis filij crediti fuerunt, deinde tot eximios uiros, tot belli duces, tot imperatores præſtãtiſſimos, ut ſi conferantur in unum, quot unquam in aliis ciuitatibus omnibus poſt homines natos fuerunt, Romanis æquari nullo modo poſſint. Virgilius Georgicorum libro Secundo totam Italiam à uirorum nobilitate celebrat:

Hæc genus acre uirum, Marſos, pubemque Sabellam,
Aſſuetumq; malo Ligurem, Volſcoſq; Verutos.
Extulit, hæc Decios, Marios, magnoſque Camillos,
Scipiadas duros bello, & te maxime Cæſar,
Qui nunc extremis Aſiæ iam uictor in oris
Imbellem auertis Romanis arcibus Indum.

Hac de cauſa ueteres ut ciuitates ſuæ nobiliores uiderentur primos ductores & conditores in Deos referebant, ut Athenienſes Cecropẽ urbis conditorem, Mauri Iubam, Germani Tuiſtionẽ, Macedones Gabyrum. Thraces Zamolxin, Aegyptij Theutum, & alij alios complures, quos imitati etiam Romani Romulum ſuum in Deos retulerunt, & Quirinum appellarunt. ſæpe uero fit ut alicuius uiri uirtus eximia totam gentem ac ciuitatem clariorem & nobiliorem efficiat, quod de Epaminonda dicitur, cum quo aiunt Thebanorum uirtutem & ortam eſſe, & interiiſſe. nã (quod aiebat Ageſilaus) non urbes aut loca viros nobiles efficiunt, ſed contra potius uiri præſtantes urbes & loca nobilitant. quamuis Themiſtocles ad ueram nobilitatem utrumque uideatur adiunxiſſe, hoc eſt & uirorum claritatem & urbis. nam (ut ait Cicero de Senectute) ita Seriphio cuidam in iurgio reſpondiſſe fertur, cum ille dixiſſet, non illum ſua ſed patriæ gloria ſplendorem aſſecutum, nec hercle (inquit) ſi ego Seriphius eſſem, nobilis; nec ſi tu Athenienſis eſſes, clarus, unquã fuiſſes. nobilis eſt igitur, ex Ariſtotelis ſententia, ea ciuitas, quæ & uetuſtam originem habuerit, & primos ductores illuſtres, & in qua multi præſtantes uiri nati fuerint.

Priuata uero nobilitas uel à uiris uel à mulieribus pendet; & cum utrique legitimè coniuncti ſunt. TEXT.

Nunc tranſit ad priuatam nobilitatem, quam ab utroque ſexu deduci uult, hoc eſt & à uiris, & à mulieribus, non quidem ex quauis coniunctione, ſed ex legitimo & conceſſo matrimonio. quod autem ab utroque parente nobilitas ducatur, docet ẽt Cicero in Piſonem, cum ei obiicit ignobilitatem, ſic enim ait: COMM.

O paterni generis oblite, materni uix memor:
Ita neſcio quid iſthnc fractũ, humile, demiſſum, ſordidum, inferius ẽt eſt, quam ut Mediolanenſi præcone auo tuo dignum eſſe uideatur. & ſecũda Philippica obiicit Antonio, ꝙ hoĩs libertini filiã uxorem duxiſſet, tum te (inquit) omnes recordarentur libertini generum & liberos tuos nepotes Q. Fadij libertini hominis fuiſſe, nã (vt aiunt Iuriſconſulti) partus uentrem ſequitur. ut ſi quis è ſerua naſcitur, eſt ſeruus, ẽt ſi patrẽ nobiliſſimũ habeat. ita ex libertina libertinus, ex ingenua ingenuus. Itaq; Martialis ſalsè ridet Quirinalẽ quendã qui ex ancilla filios ſuſtulerat. ait. n. eũ eſſe uerè patrẽfamilias. & Plutarchus in libro de liberorũ educatione pcipit ne ex quauis muliere filij ſuſcipiantur, quoniã tã à matre, quã à prẽ nobilitas pẽdet. Lacedæmonij pecunia mulctarũt Archidamũ regẽ ſuũ, ꝙ uxorẽ paruã duxiſſet. neq; ſatis eſt utrũq; parẽtẽ eſſe nobilẽ, uerũ opus ẽ ẽt ut legitimo mrimonio cõiuncti ſint. neq; n. ſpurij ac nothi nobiles dici poſſunt, neq; in ius hereditatis ac familiæ ſuccedũt, niſi fortè legibus ſoluant, tunc n. ſuccedũt quidẽ in familiã. ſed tamẽ naturalẽ illã maculã delere nũquã poſſunt, ut Plutarchus ait. hac de cã Solon ille ſapiẽtiſſimus Athenienſiũ legiſlator, ſtatuit ſpurios parentibus nihil debere, à quibus perpetuam infamiam accepiſſent. Athenienſes locum habebãt, in quo ſpurij ſeorſum ab ingenuis ſeſe exercerẽt Cynoſarges appellatum. adeo contaminari etiam nobilitatem putabant,

l. Partũ. C. de Rei uendic. l. Placuit. C. de libe. cauſ.

 ex ſpu-

ex ſpuriorum conſuetudine, ſed Themiſtocles qui ſpurius fuit, vt ſcribit Plutarchus, adoleſcẽtes nobiles & ingenuos blandiciis alliciebat, & ſecũ ad Cynoſarges ducebat, vt paulatim tolleretur illud diſcrimen ſpuriorum & legitimorum.

TEXT. *Et quemadmodum etiam in ciuitate, cum primi au ctores generis clari fuerunt uel uirtute, uel diuitijs, uel alia re, quæ in precio apud homines ſit.*

COMM. Idem in priuata nobilitate, quod in publica ſpectatur, vtrum primi auctores generis clari fuerũt. fiunt autem homines clari, vel propter virtutem ac probitatẽ, vel propter diuitias, vel propter ſcientias atque artes, vel propter alias res, quæ in precio, atque in honore ſint. vt Heraclidæ in Græcia propter virtutem Herculis nobilitati fuerunt cũ ab eo ducerent originem. ſic apud Romanos Bruti nobiles habebantur, propter eius Bruti virtutẽ qui Tarquinium ſuperbum exegit. ita Decij, Scipiones, Cornelij, aliique complures. quod vero propter diuitias etiam nobiles ſint homines & in quarto libro Politicorum & in quinto ſentit Ariſtoteles idem quod hoc in loco, nobiles enim eos ait eſſe, qui maiores habuerunt, & virtute, & diuitiis excellentes. ſed diuitias tamen veteres & antiquas intelligi vult, non nuper acquiſitas. nam qui nuper ditati ſunt, ſi obſcuri antea fuerant, nullo modo nobiles dici debent. cum præſertim ſoleant arrogantes & inſolentes eſſe, nobilitas autem ſemper eſt cum virtute & affabilitate cōiunċta. exquiſitæ etiam artes & ſcientiæ nobiles viros efficiũt, quod exemplo multorum probari poteſt, qui ab humili genere nati, propter artes & ſcientias clariſſimi facti ſunt, vt Socrates, Euripides, Aeſchines, & apud Latinos Cicero, Virgilius, Horatius aliique complures.

TEXT. *Et ſi ex familia multi illuſtres fuerunt, & uiri, & mulieres, & iuuenes, & ſeniores.*

COMM. Quanto plures in vna familia fuerint & viri, & mulieres præſtantes, tanto nobilior exiſtimabitur, ſiue iuuenes illi fuerint, ſiue ſenes, ſiue antiqui ſiue recentiores. vnde Fabiorum apud Romanos familia nobiliſſima fuit exiſtimata, quod vno eodemque tempore trecentos præſtantes bellatores habuerit, qui ſinguli belli duces egregij eſſe potuiſſent. de quibus Ouidius ſecundo Faſtorum ſic ait:

Hæc fuit illa dies in qua Veientibus aruis,
Tercentum Fabij ter cecidere duo.
Vna domus vires, & onus ſuſceperat vrbis.
Sumunt gentiles arma profeſſa manus.
Egreditur caſtris miles generoſus ab iiſdem.
E queis dux fieri quilibet aptus erat.

Hoc autem in exornatione plurimum valet, vt cũ aliquem laudamus, eius maiores qui clari in aliqua re fuerunt, cõmemoremus. quod Iſocrates in Euagora diligenter facit, quamuis contra Saluſtium, Cicero parum prodeſſe ad laudem, Maiorum excellentiam cenſeat. ſed hoc facit, quoniam ipſius Maiores clari non fuerũt. ideo ſic ait: ſatius eſt enim me meis rebus geſtis florere, quam maiorum opinione niti, & ita viuere vt ego ſim poſteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum. Iuuenalis etiam cenſet Maiorum gloriam parum adferre laudis, niſi propria laus adiungatur, quod omnino verum eſt. vnde laudantur illi verſus eiuſdem poetæ.

Malo pater tibi ſit Therſites, dum modo tu ſis
Aeacidæ ſimilis, vulcaniaque arma capeſſas,
Quam te Therſitæ ſimilem producat Achilles.

Bona uero proles, & multitudo filiorum, quid ſit, omnibus notum eſt. Atque in Rep. bona proles eſſe in telligitur; cum multi bonique iuuenes in ea fuerint; & bona dicitur uel ex uirtute corporis, ut, cum magnitudinem, pulchritudinem, uires, certandi robur habet; uel ex uirtute animi; nam temperantia, & fortitudo iuuenis uirtutes ſunt. TEXT.

In explicandis felicitatis partibus non ſequitur ordinem illum quo propoſuerat eas, vel vt oſtendat hoc in loco ſe non admodum exquiſitè hæc tractare ſicuti ſupra iam admonuit, vel quòd hic potius quendam naturalem ſequi voluit, cum enim de nobilitate verba fecerit, nunc ad bonam prolem & multitudinem filiorum tranſit. nobilitas enim ex bona prole & multitudine filiorum propagatur, quod eſt quaſi ſeminarium Reip. diuidit autem bonam prolem, ſicuti etiam nobilitatẽ diuiſerat, in publicam, & priuatam. non quòd ſint aliqui publici filij. ſed quòd & communiter proles conſiderari poteſt, & priuatim. & communiter quidem bona proles eſſe dicitur in ciuitate, quando in ea eſt iuuenum multitudo bonis moribus prædita, quæ & corporis & animi virtute præcellat. virtus corporis in iuuene eſt, magnitudo, pulchritudo, vires, certandi robur. virtus animi eſt, temperantia & fortitudo. nam qui iuuenes temperãtes & aĩo forti ac præſenti fuerint, ij facile Rep. tueri, ac defendere poſſunt. hac de cã Lycurgus apud Lacedæmonios inſtituit, vt maxima liberis educãdis cura adhiberetur, quo tẽperantes & fortes iuuenes euaderent. neque enim quiſquam priuatim liberos ſuos educabat. ſed cum primum nati eſſent in Leſchen deferebant, quo in loco maiores natu ſedentes, ſi viderent infantem pulchrum ac robuſtum educari iubebant, ſin minus exponẽdum dabant, tanquam is, qui non à natura bene formatus eſſet, nec ſibi nec Reip. vtilis eſſet futurus. deinde nutricibus imperabant ut ſine deliciis infantes nutrirent. ſeptimo uerò anno, diſtribuebãtur in cohortes, ut ſe iam tum in armis exercerent. & eis præficiebatur is qui temperantior & fortior eſſet, cui cæteri parere cogebantur. at uero ſenes aliqui ſemper aderant, qui certamina proponerent & uictoriæ præmia. frequentius etiam nudi & ſine calceis incedebant, ut labores pati, & acrius bella gerere deinde poſſent. ſed cum ad annum duodecimum perueniſſent, quotannis pallium unũ ſingulis dabatur. ſomni uero gratia torum ex arundine confectum ſibi ſubiiciebãt. ſic igitur iuuẽtus Lacedæmone inſtituebatã, ut deinde fortiſſimi bellatores, & patriæ ſecuri cuſtodes euade-

euaderent. ſic apud Virgilium Numanus quidam Aeneidos nono ſeueram filiorum educationem iactat:

Durum à ſtirpe genus, natos ad flumina primum
Deferimus, ſæuoque gelu duramus & vndis.
Venatu inuigilant pueri, ſyluaſque fatigant,
Flectere ludus equos, & ſpicula tendere cornu.
At patiens operum, paruoque aſſueta iuuentus,
Aut raſtris terrā domat, aut quatit oppida bello.
Omne æuum ferro teritur.

Socrates apud Platonem in Euthyphrone ait hoc eſſe præcipuum in Rep. vt iuuentus bene curetur, & inſtituatur, vt ſit quāoptima. & ſeptimo de legibus ait Plato, ſi bene iuuentus educetur omnia in Rep. bene procedere. pars igitur magna quædam felicitatis eſt, in Rep. bonam eſſe prolem.

TEXT. *Priuatim autem bona proles, & multitudo filiorum intelligitur; cum quis multos, & huiuſmodi uirtutibus inſtructos habet filios, & mares, & fœminas.*

COMM. Egregia res omnino eſt, & rara felicitas habere multos & virtutibus inſtructos liberos. quòd ſanè paucis accidit. quin contra potius ex improbitate filiorum, maximas ſæpenumerò moleſtias parentes capiūt. at ſiquis paterfamilias & mares, & fœminas habuerit, quales eſſe concupiſcit, is in ea parte verè felix dici poteſt. quod Q. Metello cō-
7.cap.1. tigiſſe Val. Max. ſcribit, qui præter cæteras felicitates, eodem tempore tres filios cōſulares, unum etiam cenſorium, duos triumphales, & quartum prætorium vidit, tres filias nuptui dedit, earumque ſobolem ſinu ſuo excepit.

TEXT. *Fœminarum uirtus in corpore, uenuſtas, & magnitudo eſt: in animo temperantia, & ſedulitas, ſtudiumque ſuorum operum; modo tamen ne incidat in illiberalitatem.*

COMM. Quia bona proles etiam in fœminis ſpectatur, ideo docet quæ ſint virtutes fœminarum, quæ vel in corpore uel in animo ſunt. in corpore debet eſſe venuſtas & proceritas. commendatur enim mulier à venuſtate, quæ tamen ſine magnitudine nō admodum grata eſt, ſicuti neque magnitudo ſine venuſtate, vnde Catullus dixit: Nulla in tam magno corpore mica ſalis. ſed apud Virgilium Iuno ſuas Nymphas ita commendat, vt ambo hæc complectatur.

Sunt mihi bis ſeptem præſtāti corpore Nymphę:
Quarum quæ forma pulcherrima Deiopeium
Conubio iungā ſtabili, propriamque dicabo.

Sic autem pulchritudo mulierem ornat (ut Bion dixit) quemadmodum fortitudo virum. ſed non ſatis eſt eſſe pulchram mulierem, niſi ſit etiam honeſta & temperans. nam ſi boni mores pulchritudini reſpondeant, tum res quędam præclara eſt, vt aiebat Plato, quem imitatus Virgilius dixit in quinto Aeneid.

Gratior & pulchro veniens in corpore virtus.

Quin etiam ea virtus in muliere commendatur, ſi fuerit ſedula & operum ſuorū ſtudioſa, viri enim eſt, acquirere, quæ ad vſus vitę neceſſaria ſunt, mulieris autem ea cuſtodire. Phidias Elienſibus veneris imaginem fecit, quæ teſtudinem pede premeret. ſignificans proprium mulieris officium eſſe domum cuſtodire, & ſilentium ſeruare. ſed tamen non erit probanda mulier ſi fuerit illiberalis & auara. nam (quemadmodum Euripides dixit) mulierum genus auarum eſſe ſolet. erit igitur vehementer laudabilis fœmina, ſi corpore quidem pulchro, & magno fuerit, animo vero temperanti & ſedulo.

TEXT. *Similiter autem & priuatim & publicè, & in uiris & in mulieribus, ut hæc ſingula ſint, ſtudere oportet. nam qui impudicas habent mulieres, ut Lacedæmonij, dimidia ferè felicitatis parte carent.*

COMM. Oſtendit ſe non ſine cauſa fœminarum etiam mentionem feciſſe. quoniam hoc ad felicem ſtatū ciuitatis pertinet, vt & viri & mulieres virtutem amplectantur. itaque ij, qui ciuitatibus præſunt, ſtudere debent, vt ea quæ dicta ſunt, in vtroque ſexu reperiantur. quoniam ſi mulieres ſint impudicæ, dimidia fere parte felicitatis ciuitatem priuāt. ſicut accidit apud Lacedęmonios. nam Lacedęmonij maximam fœminis ſuis licentiam concedebāt, adeo vt heras appellarent. ſicut ait Plutarchus. quin etiam Virgines cum iuuenibus ludebant, & in armis ſeſe exercebant, & ſæpe etiam nudæ luctabantur. Veſtes autem apertas geſtabant ita vt nuda femora viderentur: vnde φαινομηρίδες dictę ſunt. de qua re Propertius libro tertio conſcripſit Elegiam, cuius eſt illud principium:

Multa tuæ Sparte miramur iura paleſtræ,
Sed mage virginei tot bona gymnaſij.
Quod non infames exercet corpore laudes,
Inter luctantes nuda puella viros.

Et paulò poſt:

Lex igitur ſpartana vetat ſecedere amantes,
Et licet in triuiis ad latus eſſe ſuæ.

Plutarchus contra Ariſtotelem ſentit, qui putat eam congreſſionem fœminarum cum iuuenibus nihil habuiſſe turpe. ſed magis Ariſtoteli quā Plutarcho credendum, qui facilius Lacedæmoniorum mores ſcire potuit. quippe qui multo antiquior Plutarcho fuit, & quo tempore florebat adhuc Lacedæmonicorum Reſp. de hac eadem re libro ſecundo Politicorum verba facit Ariſtoteles. docetque maxima detrimenta Rebuſp. mulierum licentiā adferre ſolere, niſi ſeueris legibus coerceatur.

TEXT. *Diuitiarum partes, ſunt pecunia, prædiorum multitudo, regionum poſſeſſiones; & præterea ſupellectilium copia, & pecudum, & ſeruorum: quæ res multitudine, & magnitudine, & pulchritudine excellant; & omnia ſecura, liberalia, & utilia ſint.*

COMM. Hæc tria bona quodammodo inter ſe cohærēt, nobilitas, bona proles, & diuitiæ, vt qui diues ſit, & bonam prolem habeat, etiam nobilis eſſe videatur. Quare primo loco voluit Ariſtoteles ea numerare. ſed cum iam de nobilitate, & bona prole verba fecerit, nunc docet q̄ ſint diuitiarum partes, & eas ſex eſſe oſtendit. quod ita per diuiſionem probari

bari poteſt, diuitiarum partes aut animatæ ſunt aut inanimatæ, ſi ſunt inanimatæ vel mobiles ſunt vel immobiles, & mobilium quidem duæ ſpecies ſunt pecuniæ, & ſupellectilia. immobilium etiam duæ ſpecies, prædiorum multitudo, & regiouum poſſesſiones. ſi verò ſint animatæ vel rationes participes ſunt, vel expertes. participes rationis ſunt ſerui, expertes rationis ſunt pecudes. atque hæ quidem ſunt diuitiarum partes, q̃ ut beatiorem vitam efficiant, tria debent habere, multitudinem, magnitudinem, & pulchritudinẽ. quæ tribus qualitatibus quaſi ornamentis inſigniri debent, vt ſint ſecuræ, liberales, & utiles. hæc eſt Ariſtotelis ſententia. à qua non multum abeſt qđ Cicero de officiis ſecũdo tradit, ſic enim ait: Quę ad vitam hominum tuendam pertinent, partim ſunt inanimata ut aurum, argentum, & ea, quæ gignuntur è terra, vt alia eiuſdem generis; partim animalia quæ habent ſuos impetus, & rerum appetitus. eorum autem alia rationis expertia ſunt, alia ratione vtentia. expertes rationis ſunt equi, boues, reliquæ pecudes, apes, quarum opere efficitur aliquid ad hominum vſum, atque vitam, & quæ ſequuntur.

TEXT. *Dicuntur autẽ utilia ea, quæ magis fructuoſa ſunt; liberalia uerò, quæ animi uoluptatiſque gratia poßidentur. fructuoſa illa uoco, unde redditus uectigaliaque capiuntur; uoluptaria, è quibus nihil, præter uſũ capitur, quod aliquo precio dignum ſit.*

COMM. Quia dixerat diuitias ſecuras, liberales, & vtiles eſſe debere, declarat quæ vis ſit eorum verborum, ac primo quæ dicãtur vtilia, nempe ea, quæ quia magnos fructus adferunt, fructuoſa dicuntur, deinde quæ dicantur liberalia, nempe ea, ex quibus voluptas percipitur. rurſus explicat, quę ſint fructuoſa, &, quę voluptaria. nam fructuoſa ſunt (inquit) ea, quæ redditum nobis & uectigalia præbent. uoluptaria uero quæ nullum fructum adferunt, ſed uoluptatem tantum. poſſunt tamen aliqua prędia & amœna, & fructuoſa eſſe, quod oſtendit Cicero pro Roſc. Am. tot prędia tã pulchra, tam fructuoſa. ſed tamen multi nobiles & urbana quædam & ruſtica prędia tantum amœnitatis & delectationis gratia ſibi comparant. qualia ſunt magnifica palatia uariis figuris & ornamentis diſtincta, tapetibus, tabulis pictis, cęteriſque eiuſdem generis referta. quales ſunt horti uariis arbuſculis, floribus, topiariis operibus diligenter exculti, quales in nobilium domibus pasſim uidemus. at ea unde uectigalia proueniunt, non tantum oblectationis quantum utilitatis gratia coluntur. ea igitur ſola fructuoſa dicuntur.

TEXT. *Securitatis ille finis eſt, ut eo in loco, atque eo modo prædia poßideantur, ut eorum uſus in domini arbitrio ſit.*

COMM. Iam quę ſint utilia, & quę liberalia prędia docuit, nunc oſtendit quę ſecura dici posſint. nempe ea quæ in tuto loco, legitimè posſidentur. nã duobus modis periculoſa poſſunt eſſe prędia, primo ſi in loco parum tuto ſunt, ut quę uicinos hoſtes habent, aut quę ſunt arcibus & munitionibus propinqua. uel etiam quæ nimis longinqua. unde facete Catullus uillam ſuam damnat, quod eſſet in longinquo loco poſita. ſic enim ait.

Furi uillula noſtra non ad Auſtri
Flatus oppoſita eſt, nec ad Fauoni,
Nec ſęui Borcę, aut apeliotę
Verum ad millia quindecim & ducenta.
O uentum horribilem atque peſtilentem.

Contra Cicero pro Roſc. Am. prędia Roſcij cõmendat ab opportunitate loci, quod omnia penè Tyberim tangerent. Annibal cum ad portas Romanas proprius acceſſiſſet, miratus eſt, agrum in quo caſtra poſuerat, Romę uenditum fuiſſe, & emptorem inueniſſe. ſunt etiam ea prędia parum ſecura, quę non iuſtè posſidentur, aut quę à malę fidei poſſeſſore empta ſunt. aut denique ſuper quibus poteſt eſſe lis & controuerſia. quare non aliter ſecura eſſe dici poſſunt, niſi quę ita ſunt in domini poteſtate ut quoties uoluerit poſſet ea uendere, aut donare, aut permutare. hoc eſt quod ait Ariſtoteles, TEXT

Id uero alicuius proprium eſſe, aut non eſſe dicitur, cum in eius poteſtate eſt alienare: dico autem alienare, donare, & uendere.

Declarat quid proprium alicuius eſſe dicatur, COMM. nempe quod alienare poteſt, hoc eſt donare, & vẽdere. qua ſanè ratione filius viuẽte patre nihil habet quod eius propriũ eſſe dici posſit. nihil enim inuito patre uendere, aut donare poteſt. niſi bona caſtrenſia, aut quaſi caſtrenſia, quæ non patri, ſed ſibi acquiſiuit, ut iuriſconſulti ſtatuũt. neque fidei commiſſa poſſunt dici propria, quia nõ licet ea uẽdere, aut quouis modo alienare. neque dotes ſunt propriæ maritorum, quoniam uxoribus inuitis eas alienare non licet. & denique nihil dici proprium poteſt, niſi quod ita eſt in alicuius poteſtate, ut ad nullum alium aliquo modo pertineat, & eo uti, uel nõ uti arbitrio ſuo posſit, ſicut ille Magus apud Virgilium Aeneidos libro. 10.

Eſt domus alta, iacent penitus defoſſa talenta.
Celati argenti, ſunt auri pondera facti
Infectique mihi. oſtendit. n. ea fuiſſe propria.

Omnino diuitem eſſe, magis in uſu, quàm in poſſeſſione ſitum eſt: nam huiuſmodi rerum actus, atque uſus ipſa diuitiæ ſunt. TEXT.

Sententia pulchra & uera. neque enim diuites COMM. ij ſunt appellandi, qui multa posſident, ſed qui diuitijs utuntur. nam poſſesſiones rerum ad uſum referri debent, alioqui fruſtra posſidentur. unde Cicero ſic ait: Diues eſt, cui tanta poſſesſio *in parad.* eſt, ut ad liberaliter uiuendum facile contentus ſit. & in libro de Amicitia, Diuitiæ opportunæ ſunt ut utare. & primo de officiis: expetuntur autem diuitiæ tum ad uſus uitæ neceſſarios, tum ad perfruendas uoluptates. quod ſiquis multa quidem posſideat, ſed eis non utatur, nullo modo poteſt diues appellari. qua ratione auari omnes quamuis plurima posſideant, mendici ſunt. unde Bias Prienenſis.

In Apoph. Quis diues? qui nil cupiat. quis pauper? auarus.

Dionyſius Syracuſanus, ut Plutarchus ſcribit, cũ audiuiſſet ciuem quendam magnum auri numerum defoſſum habere, iuſsit eum ad ſe aurum illud adferre, quod cum ille ciuis præ timore feciſſet, ſed tamen partem quandam auri ſibi reſeruaſſet, in aliam regionem profectus agellum emit, & eum colere cœpit. tunc Dionyſius illum ad ſe reuocauit, & ei totum aurum tradidit, quoniam eo uti cæpiſſet. declarans id, quod ait Ariſtoteles hoc loco, ipſas diuitias nihil aliud eſſe, quam earũ rerum quæ poſsidentur, uſum.

TEXT. *Bona exiſtimatio, eſt uirtute præditum ab omnibus iudicari, uel tale aliquid in ſe habere, quod omnes expetant, aut multi, aut boni uiri, aut prudentes.*

COMM. Hoc etiam ad felicitatem pertinet, ut quis bonam exiſtimationem & gloriã conſequatur. quod facile fieri poteſt, cum quis ab omnibus exiſtimatur maxima virtute præditus, aut in aliqua re excellere, quæ laudabilis ſit, & à bonis viris expetatur. Cicero ſecundo de officijs docet, quomodo gloriam aſſequi poſsimus, cum tamẽ antea duos libros de gloria ſcripſiſſet, ut ibidem ipſe fatetur. Summa igitur (inquit) & perfecta gloria conſtat ex tribus his ſi diligit multitudo: ſi fidem habet: ſi cum admiratione quadam honore nos dignos putat. Multitudo diligit beneficos & liberales. atque etiam benefica uoluntate mouetur, etiam ſi res forte non ſuppetit. præterea mouetur ipſa fama & opinione liberalitatis, iuſtitiæ, fidei, & omnium earum uirtutum, quæ quia proſunt aliis ab Ariſtotele dicuntur ἀλλοτρίαι ἀρεταί. Fides acquiritur prudentia & iuſtitia. quoniam iuſtis & prudentibus uiris omnes facile credunt. Eos autẽ admirantur, quos anteire cæteros uirtute putant, & magno atque excelſo animo eſſe. debet autem bona exiſtimatio magis expeti quam diuitiæ, quoniam eis magnopere præſtat. M. Antonius ſecundo de Oratore hoc utitur argumento: Si bona exiſtimatio diuitiis præſtat; & pecunia tantopere expetitur; quanto gloria magis eſt expetenda? Socrates dicebat breuem & compendiariam eſſe viam Val. Max. 7. ad gloriam, vt homines tales eſſent, quales videri vellent. magis autem curanda eſt fama, & bona exiſtimatio quam diuitiæ, vnde bene dixit ille apud Plautum in Muſtellaria: Epiſt. 5. Ego ſi bonam famã mihi ſeruaſſo, ſat ero diues. & Cicero ad P. Seſtiũ ſcribens ait ſe ex rebus ſuis geſtis nõ diuitias, ſed bonum nomen aſſequi ſtuduiſſe.

TEXT. *Honor autem eſt ſignum gloriæ, ex plurimis in alios meritis comparatæ. Iuſtè uero maximeque honorantur, qui iam beneficia contulerunt. uerũtamen etiam ille ſolet honorari, qui alijs benefaciendi facultatem habet.*

COMM. Cicero in Bruto ſic honorem definit: Honor eſt præmium virtutis iudicio ſtudioque ciuium delatum ad aliquem. cum enim aliquis quapiam in re ſe præclarè geſſit, & multis profuit, tunc honore dignus putatur. vt Romani Duellio, qui primis carthaginenſis bello nauali ſuperauit eum honorem conceſſerunt, vt à cœna cum funali tibicinæ præeunte domum rediret. & Ciceroni togato poſt patefactam Catilinæ coniuratione ſupplicationes decreuerunt, qui honor ante ipſum nemini togato conceſſus fuerat, vt idem ipſe Cicero teſtatur. quin ex Senatuſconſulto primus pater patriæ fuit appellatus. de quo ita Iuuenalis:

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

Verũ infinita ſunt exempla eorũ, qui propter res egregiè geſtas maximos ac penè diuinos honores conſecuti ſunt. eſt enim honor (vt quarto Ethicorum ſentit Ariſtoteles) maximum omnium bonorum quæ homini extrinſecus accidere poſſunt. qui tunc verus & ſtabilis eſſe ſolet, cum egregia virtute acquiritur. nam (vt ait Saluſtius) gloriam & honorem, & imperium bonus & ignauus ęque ſibi exoptant. ſed bonus vera via nititur. ignauus quia bonæ artes deſunt, dolis atque fallacijs contendit. eſt autem propriè præteritarum rerum geſtarum honor. hoc eſt quod ait Ariſtoteles, iuſtè eos honore affici qui iam beneficia contulerunt. ſed tamen homines vulgo ſolent etiam eos honorare, qui beneficia conferre poſſunt. hic autẽ non eſt omnino verus honor. quod Cicero ad Plancum ſcribens his verbis teſtatur: Is enim denique honos mihi videri ſolet, qui non propter ſpem futuri beneficij, ſed propter magna merita claris viris defertur & datur. Pendet autem honor ab ijs qui honorant, nec eſt in eius poteſtate qui honoratur. ſicuti primo Ethicorum docet Ariſtoteles. Plato quinto de legibus ait honorem vel in actionibus honeſtis eſſe, vel in animo virtutibus inſtructo, vel in corpore bene conſtituto. quo fit vt etiã pro pulchritudine ponatur, vt Virgilius primo Aeneid. de venere loquens.

—namque ipſa decoram
Cæſariem nato genitrix, lumenque iuuentæ
Purpureum & lætos oculis afflarat honores.

TEXT. *Id autem beneficium honore dignum putatur, uel quod ad ſalutem uitamque tuendam pertinet, uel ad opes; uel ad huiuſmodi bonum aliquod, cuius non ſit facilis adeptio, uel nunquam, uel nõ eo in loco, uel non eo tempore: multi enim propter res quaſdam, quæ paruæ uidentur, honorem aſſequuntur; ſed id aut propter modum, aut propter occaſionem accidit.*

COMM. Cum propter beneficia collata honores habeãtur, docet Ariſtoteles qualia ſint ea beneficia, quæ honore digna putentur. ac primo loco ponit ea quæ ad ſalutem & vitam tuendam pertinent. quæ certè omnium maxima ſunt. hinc Athenienſes Harmodio & Ariſtogitoni ſtatuas primi erexerunt, quod dominatu regio patriam liberaſſent, qui honos primis illis duobus habitus eſt. Romani Corona Ciuica donabant eum, qui ciuem Romanum in bello ſeruaſſet. Horatio Cocliti qui ſolus in ponte Hetruſcorum impetum ſuſtinuerat, ſtatua in comitio poſita

fuit, agri quantum uno die circumarauit, datum. unusquiſque ciuium aliquid eidem contulit, ut ſecundo libro primæ decadis auctor eſt Liuius. ſecundo loco ponuntur ea beneficia quæ ad opes augendas pertinent. non enim ſolum honores habentur eis qui patriam adiuuerint, ſed etiam qui auxerint, & imperium amplificarint. hinc honores fortisſimorū ducū, ſupplicationes, ouationes, triūphi, ſtatuæ. quorū plenæ ſunt hiſtoriæ. præterea illi etiam honorantur, qui aliquid eiuſmodi largiuntur quod non facile poſsit acquiri, ut qui nouas artes docent. quod accidit Gorgiæ Leontino. cui quoniam artem Rhetoricam primus docuit, tantus honos eſt habitus ab vniuerſa Græcia, ut ei Delphis aurea ſtatua locaretur. nel qui tradunt ea quæ non ſine magno labore parantur, nam honor à rebus ſemper arduis proficiſcitur. neque quiſquam honoratur, q rem aliquam facilem præſtiterit. res autem arduæ ſunt vel ſemper, ut benè Remp. adminiſtrare, potentisſimorum hoſtium impetum auertere. Vel in aliquo loco, vt Athenis ubi plures erāt Philoſophi reliquis ſapiētiæ gloria præſtare. Romæ ubi quamplurimi fortisſimi duces erant, imperatorijs artibus cæteros anteire. Vel eo tempore, vt liberalem eſſe in annona large eroganda, quando magna eſt frumenti penuria. Vel præſenti animo eſſe, & fortiter ſe gerere, cum alij iam in fugam verſi ſunt. accidit etiā aliquando ut propter quædam parua beneficia, magnos honores aliqui conſequantur, ſed id accidit propter modum aut opportunitatem. id quod accidiſſe Syloſonti ſcribit Herodotus in Thalia. is enim cum intellexiſſet Darium Hyſtaſpis filiū quandam veſtem, quam ipſe habebat, vehementer cupere, ſtatim eam illi dono dedit. Itaque Darius cum poſtea Rex Perſarum factus eſſet, totam Samiorum inſulā Syloſonti donauit. Artoxerxes cum ſiti laboraret, & ruſticus quidam vtrem ei ſordidum aquę plenum obtuliſſet, libentisſime bibit, iurauitque ſe nunquam ſuauius bibiſſe, quare poſtea ruſticum ſna magnificentia ditiſsimū reddidit. Idem cum pauper quiſpiam inſigni magnitudine malum punicum attuliſſet, ei ciuitatē adminiſtrādam dedit, qnod res ex paruis magnas poſſet efficere.

TEXT. *Honoris ſpecies ſunt immolationes, monumenta uel carmine, uel ſoluta oratione conſcripta, præmia certa, luci, ſuperiores in ſedendo loci, ſepulchra, imagines, & publica cibaria. & quibus barbari utuntur, habitus adorantium, & conſpectus euitationes; munera quæ apud ſingulas gentes in precio ſunt.*

COMM. Sicuti diuitiarum partes perſecutus eſt ſuperius, ita nunc honoris ſpecies exequitur, & vndecim enumerat. ac primo loco ponit θυσίας hoc eſt ſacrificia vel immolationes, quæ ſæpe claris viris tanquam Deis fiebant. ſcribit enim Plutarchus T. Flaminio tantum honorem habitum à Gręcia fuiſſe quod eam à Macedonū imperio liberaſſet, vt illi tanquam Deo libarent, & pœana canerent. Thucydides quinto libro tradit Amphipolitas annua ſacra atque immolationes inſtituiſſe Braſidæ Lacedęmonio. Romani Auguſto Cæſari dum adhuc viueret altaria conſecrarūt, & victimas immolarunt, vnde ſic ait Horatius:

Præſenti tibi maturos largimur honores.
Iurandaſque tuum per nomen ponimus aras.

Quod etiam Ouidius oſtendit primo Faſtorum ad Germanicum ſcribens, nempe ſacra Cæſaribus inſtituta.

Sacra recognoſces annalibus eruta priſcis,
Et quo ſit merito quæque notata dies.
Inuenies illic & feſta domeſtica vobis.
Sæpe tibi pater eſt, ſæpe legendus auus.

Tales erant etiam ſupplicationes quę Diis immortalibus fiebant in honorem eorum imperatorum qui benè Remp. geſſiſſent. Chriſtiani etiam diuinos eis honores tribuunt, qui vel pro Chriſtiana fide mori voluerunt, vel ſanctitate vitæ cæteris præſtiterunt.

Secunda ſpecies honoris continet monumenta, vel carmine vel ſoluta Oratione conſcripta. nam illud notisſimum eſt præclaros viros, & à poetis carminibus, & ab Oraroribus ſoluta Oratione ſolitos honorari, ſic Homerus Achillem celebrat & Vlyſſem. Vnde Alexander Magnus, fortunatum appellauit Achillem, quod ſuæ virtutis Homerū præconem inueniſſet. apud Romanos fuit ea conſuetudo, ut in epulis conuinæ canerent ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus. vt ex Originibus Catonis Cicero primo Tuſcul. citat. Cicero pro Milone duas has honoris ſpecies à Græcis tribui ſolitas tyrannicidis oſtendit. ſic enim ait: Græci homines Deorum honores tribuūt ijs viris, qui tyrannos necauerunt. quę ego vidi Athenis? quæ aliis in vrbibus Gręcię? quas res dininas talibus inſtitutas viris? quos cantus? quæ carmina prope ad immortalitatem, & religionem & memoriam conſecrantur. Xenophon vno libro laudes Ageſilai ꝓſecutus eſt, Iſocrates Euagorā Cypri Regem diligenter exornauit. Cicero pro lege Man. Pompeium ſummopere celebrauit. quod ēt in Oratione pro Cor. Balbo non minore eloquentia fecit. Virgilius cum alios nonnullos tum Auguſtum Cæſarem libro Sexto multis carminibns in cælum extollit. Tertia ſpecies honoris continet certa præmia, ut quę in certaminibns proponuntur, ſicut apud Virgilium libro quinto:

Munera principio ante oculos circoque locantur
In medio, ſacri tripodes, uirideſque coronę
Et palmæ precium victoribus, armaq; & oſtro
Perfuſę veſtes, argenti aurique talenta.

Et de iiſdem pręmiis inferius eodem libro

Ipſis pręcipuè ductoribus addit honores.

Plinius libro ſeptimo L. Siccium Dentatum mirè celebrat, quod ob inſignem fortitudinem pręmia quamplurima conſecutus fuiſſet, ut torques, coronas aureas, ciuicas, murales, obſidionales, equos, Phaleras, & eius generis alia. Cicero pro

lege Man. ſibi magno honori tribuit, quod prætură quaſi laboris ſui præmium conſecutus fuiſſet, & mens (inquit) labor in priuatorum periculis caſte integreque uerſatus, ex veſtro iudicio fructum eſt ampliſsimum conſecutus. nam cum propter dilationem comitiorum ter prætor primus centuriis cunctis renunciatus ſum, & quæ ſequũtur. Quarta ſpecis honoris ſunt τεμένη quos latini lucos appellant. de quo ita Valla libro. 4. Lucus nequaquam cæduus eſt, quin potius manu conſitus religioſusque, atque vel alicui Deo, uel alicui homini cineribus conſecratur. ideoque aut circa delubra numinum, aut circa ſepulchra uirorũ poſitus eſt. nam exiſtimabant antiqui animas heroum lucos habitare. quare præclaris viris & regibus poſt mortem lucos conſecrabant. Vnde Virgilius in 3.

Luco tum forte parentis
Pilumui Turnus ſacrata ualle ſedebat.

In Hiſpania Tarraconenſi fuit vrbs quæ dicebat, Lucus Auguſti, ut Ptolemæus teſtatur, quod ibi Auguſto Cęſari lucum conſecraſſent.

Quinta ſpecies honoris ſunt προεδρίαι, hoc eſt ſuperiores in ſedendo loci. hoc autem vbiq; ſeruatur, ut honoris gratia, uel in menſa, uel in quolibet conſeſſu locus ſuperior aſsignetur. apud Romanos erat ea conſuetudo, vt in Senatu priore loco ſententiam diceret is, qui dignitate & honore præſtaret. ita Homerus fingit Iouem in ſuprema cæli parte habitare, quoniam locus ſuperior ſemper maiorem habere dignitatem uidetur. Sexta ſpecies honoris ſepulchra ſunt, quæ aliquando magnifica ſtruuntur, ſicut apud Aegyptios Pyramides quibus regum corpora condebantur. & Mauſolæum Artemiſiæ reginæ, qnod inter ſeptẽ orbis miracula celebratur. apud Romanos erant ſepulchra extra vrbem in via latina, & Flaminia. vnde Iuuenalis: experiar quid concedatur in illos
Quorum Flaminia tegitur ciuis, atque latina:
Nã intra urbẽ Imperatores tantũ & Veſtales Virgines honoris gratia ſepeliebantur. hæc autẽ fuit antiqua conſuetudo, vt ſepulchris clari uiri honorarentur. unde Virgilius in 6.

At pius Aenæas ingenti mole ſepulchrum
Impoſuit, ſuaque arma viro, remumq; tubamq;.

ita P. Seruilius, ut Philippica nona Cicero refert, Ser. Sulpitio, qui in legatione ad Antonium mortuus fuerat, ſepulchrum publicè decernendum cẽſuit. ſic Ennio poetæ magno fuit honori apud poſteros, quod in ſepulchro Scipionum conſtitutus fuerit. ut pro Archia poeta Cicero teſtatur. & Ouidius:

Ennius emeruit calabris in montibus ortus
Contiguus poni Scipio magne tibi.

Septima ſpecies honoris ſunt imagines & ſtatuę. quem honorem aiunt Harmodio, & Ariſtogitoni, qui tyrannum necauerant primo conceſſum. deinde multis claris uiris paſsim erigi cæperunt. ſcribit Plinius morem fuiſſe, ut omnium qui viciſſent olympia ſtatuæ dicarentur. nullus unquã in hac parte maiorem honorem conſecutus eſt, quã Demetrius Phalereus, cui teſte Plinio Athenienſes trecentas ſexaginta ſtatuas poſuere. Romani non tãtum viris, ſed etiam fœminis quæ aliquid memorabile geſsiſſent ſtatuas erigebant. vt Clœliæ Virgini quę obſides ſecum alias uirgines à Porſena abduxerat, Cicero Philippica nona Ser. Sulpitio ſtatuam pedeſtrem Aenæam ſtatuit, circumque eam, locum gladiatoribus, ludiſque liberos, poſteroſque eius quaque uerſus pedes quinque habere uoluit, quod is ob Remp. mortẽ obiiſſet. Octaua ſpecies honoris ſunt publica cibaria. fuit hæc Athenienſium conſuetudo ut ijs, qui bene Rẽp. geſsiſſent victus publice daretur in Prytaneo. quod primo de Oratore Cicero docet, ubi ait Socratem interrogatum à Iudicibus quam pænæ æſtimationem commeruiſſet, reſpondiſſe ſeſe meruiſſe vt ampliſsimis honoribus & præmijs decoraretur, & vt ei victus quotidianus in prytaneo publice præberetur, qui honos apud Græcos maximus haberetur. quin apud veteres Romanos qui fortiter aliquid feciſſet farre publice donabatur, vnde victoria dicta eſt adorea, quod victores in bello, ador hoc eſt far pro præmio acciperent. ſcribit T. Liuius libro quinto primæ decadis cum M. Manlius Gallos à Capitolio deieciſſet, vniuerſos ciues Romanos ſe libras farris, & quartarios uini ad ædes eius quæ in arce erant contuliſſe. noſtro etiam tempore ſæpe principibus aliunde uenientibus honoris gratia publice dantur cibaria. Nona ſpecies honoris barbarorum propria eſt, & eorum qui reges & principes ſuos adorant. quod apud Perſas, Medos, & Indos fieri ſolitũ legimus, ut reges adorarent, & in ſalutando toto corpore prociderent. Iſmenias Thebanus cum iuſſus eſſet Artaxerxem adorare, nequid contra decus Græcorum faceret, annulum proiecit, & in eo ſuſcipiẽdo ſpeciem adorantis præbuit. tradunt hunc honorem Cyro Perſarum regi primum tributum ut adoraretur, qnod deinceps reliqui reges vſurparunt, ut etiam Alexander Magnus deuicto Dario voluit adorari, & cum à Calliſthene philoſopho reprehenderetur, eum mori voluit. contra Cæſar Auguſtus hanc rem adeo execratus eſt, ut ſiquis ad eum accedens caput nimium flexiſſet, tanquã adulator, foras exire iuberet. Calus uero Caligula & Diocletianus adorari voluerunt. Plinius libro. 8. tradit elephantos adeo dociles eſſe, ut reges adorent, & genua ſubmittant. quod autẽ adoratio ſit honoris ſpecies oſtendit etiam Iuno primo Aeneid. apud Virgilium, quæ ita de Troianis queritur.

& quiſquam numen Iunonis adoret.
Pręterea aut ſupplex aris imponat honorem.

Hic honor nunc paſsim omnibus ſuperioribus exhibetur, honoris enim gratia caput aperimus ac dimittimus & genua flectimus. monachi etiã auerſo cucullo totum dorſum incuruant. Decima etiam ſpecies honoris eſt barbarica, cum quis ita ſe proſternit, ut neque conſpicere audeat. qnod

apud

apud Turcas hac etiam tẽpeſtate fieri audiuimus. ut cum Rex per aliquam regionem tranſit, omnes occurrentes ſecedant in longinquam partẽ, & ſe demiſsis oculis proſternant, quaſi minime digni ſint tantum regem aſpicere. apud Perſas hæc fuit conſuetudo, ſicut oſtendit Plutarchus in Artoxerxe, cum ait, Cyrum Artoxerxis fratrẽ ſuis uincentibus elatum lætitia conclamaſſe, ἐξ ὁδῶν πονηροί. hoc eſt uiles & abiecti ſaceſsite. eũque diſcurrens equo frequẽter ita vociferaretur ait Plutarchus οἱ μὲν ἐξίσταντο προσκυνοῦντες. hoc eſt, illi ſecedebant, & adorabant. hæc honoris ſpecies à noſtris moribus prorſus eſt remota. niſi quod interdum uel in templis, vel in locis publicis tentoria quædam ipſis principibus locantur, vbi ſoli à cæteris ſecluſi ſedeant. quod ſine dubio fit honoris gratia. Vndecima atque vltima ſpecies honoris, ſunt munera. quæ multi ſortaſſe primo loco ponunt. tanto uero maiorem adſerunt honorem munera quanto vel rariora ſunt, uel à prẹſtantiore uiro ueniant. unde rectè dixiſſe uidetur Ouidius.

nam præſtantiſsima ſemper
Munera ſunt auctor quæ precioſa facit.

Horatius ad Iuliũ Florũ ſcribens de hac re ſic ait:
Clarus ob id factum donis ornatur honeſtis.

Virgilius tertio Aeneidos oſtendit Aeneam ab Heleno multis donis honoratum fuiſſe, ſic enim ait:
Dona dehinc auro grauia, ſectoque elephanto,
Imperat ad naues ferri. ſtipatque carinis
Ingens argentum. dodonæoſque Lebetas.

Cicero pro Archia poeta commẽdat eum ab hoc honore, quòd a Tarentinis & ciuitate, & aliis pręmijs donatus fuiſſet.

TEXT. *Eſt enim munus, eſt & poſſeſsionis largitio; & honoris indicium. quo fit ut auari, & ambitioſi munerũ ſint appetentes. nam utrique in eis inueniant, quod concupiſcunt: eſt enim in illis utilitas, quam appetunt auari, & honor cui maximè ſtudent ambitioſi.*

COMM. Hæc eſt ratio pulcherrima & ueriſsima cur omnes ferè muneribus capiantur, quod ait Ouidius:
Munera crede mihi placant hominesque Deoſq;
Placatur donis Iuppiter ipſe datis.

Hoc ideo fit, quoniam omnes uel propter utilitatem, uel propter honorem mouentur. ſed in muneribus eſt utrunque. ineſt enim utilitas, & tanto maior quantò munera precioſiora ſunt. ineſt etiã dignitas & honor, quem optimus quiſque uehementer expetit. atque hæc cauſa eſt cur hominum duo genera maximè diuerſa muneribus facile capiantur, hoc eſt auari & ambitioſi. quoniam utrique propter munera fiunt uoti compotes. nam auari tantum utilitate mouentur, quæ in muneribus eſſe ſolet. ambitioſi trahuntur honoris cupiditate munera uero plerunque dantur honoris gratia. ſed quia ſæpe fit vt munera iuſtitiam & recta iudicia ſubuertant: ideo lege duodecim tabularũ prohibitum erat ne magiſtratus munera caperẽt. & Cincius legẽ tulit de donis ac muneribus prohibendis, ut auctor eſt Cicero ſecundo de Oratore. clamat ẽt ille ſapiens Hebræus: Munera ſapientum oculos excecant, & mutant verba iuſtorum. Demoſthenes Aeſchini tanquam ingens crimen obiicit, quod à Philippo Macedonum rege munera cepiſſet.

TEXT. *Corporis uirtus eſt bona ualetudo, quæ ita accipiẽda eſt, ut morbo uacuum ſit corpus, & ad uſus bene conſtitutum. multi enim ſano corpore ſunt, ut Herodicus dicitur, quos nemo tamen ob eam ualetudinem beatos iudicaret, eo ꝙ uel ab omnibus humanis actionibus, uel ab earum maxima parte ſe abſtinent.*

COMM. Hactenus explicuit ea bona quæ extrinſecus adueniunt, quorum tres ſpecies ad corpus referũtur, nobilitas, bona proles, diuitię: duę vero ad animum, hoc eſt bona exiſtimatio, & honor; nunc ad ea bona tranſit, quæ inhærentia dici poſſunt, quorum tria ſunt genera. quædam.n. inhærent corpori, vt bona ualetudo, pulchritudo, vires, decertandi robur, bona ſenectus. quædam inhęrẽt animo, vt virtutes, quędam autem media ſunt, & non abſolute inhęrentia ſed aliquo modo vt amicitia, bona fortuna. Ac primo de bonis quę inhęrent corpori verba facit, quorum primum & optimum eſt bona valetudo, quam humorum quandã eſſe proportionem volunt. Ariſtoteles duabus rebus bonam valetudinem definit, primo vt morbo vacuũ ſit corpus. deinde vt ſit ad vſum bene conſtitutũ. neq;.n. ſatis eſt morbo carere, & ſano eſſe corpore, niſi etiã ita conſtitutum ſit corpus, vt ea commode agere poſſit, quę ad vſus vitę neceſſarios ꝑtinent. eſt.n. bona valetudo pars felicitatis, quod ſiquis ob corporis malam conſtitutionem vel ab omnibus humanis actionibus vel ab earum maxima parte ſe abſtineret, non certè beatus ob valetudinem dici poſſet, quod Herodico Selymbriano contigiſſe memoriæ traditum eſt, qui, ſicuti Plato ſcribit libro de Rep. tertio, cum eſſet imbecillo corpore ſe medicinæ ſtudio tradidit, & in cura corporis totus occupatus eſt. quod ſi parum à conſueto victu receſsiſſet, ſtatim ęgrotabat, ſed tãta vſus eſt in ratione victus ſui diligentia, vt ad ſummam vſque ſenectutem peruenerit. hęc igitur non poteſt appellari bona valetudo. ſed ea tantum quæ eſt in eiuſmodi conſtitutione corporis, vt bene fungi officio ſuo poſſit. hãc dicebat Alcmęon eſſe ἰσονομίαν, ideſt ęquilibritatem humidi, ſicci, calidi, & frigidi. quę quidem optanda eſt à Deo vt Iuuenalis ait:
Orandum eſt vt ſit mens ſana in corpore ſano.
Sed diligentia conſeruari põt. Cicero de officiis libro ſcđo tradit valetudinem ſuſtentari notitia ſui corporis, & obſeruatione earũ rerũ q̃ res aut prodeſſe ſoleant aut obeſſe, & cõtinẽtia in victu, & ꝓtermittendis voluptatib. poſtremo arte eorũ quorũ ad ſcientiã hæc pertinẽt. Gorgias Leõtinus cũ ad annos centum & nouem perueniſſet, interrogatus qua ratione tandiu ualetudinem ſuſtentaſſet, reſpondit, quia nihil unquam uoluptatis gratia feci.

TEXT. *Pulchritudo non eadem eſt in omni ætate, ſed diuerſa.*

uerſa.nam adoleſcentis pulchritudo eſt,ſi corpus ita conſtitutum habet, ut ad labores ſuſtinendos utile ſit,uel ad curſum,uel ad inferendam uim; & ſi quandam ore ſuauitatem præferat, quæ ſpectantes uoluptate compleat.

COMM. Pulchritudo (ut eam defiuit Cicero Tuſcul.libro.4.)eſt apta figura membrorum cum coloris quadam ſuauitate.& primo de Officiis ita inquit: pulchritudo corporis apta cópoſitione membrorum mouet oculos, & delectat hoc ipſo quod inter ſe omnes partes cum quodam lepore conſentiunt. eodem in libro duo pulchritudinis genera facit,quorum in altero venuſtas ſit, in altero dignitas,venùſtatem muliebrem eſſe dicit,dignitatem virilem. Ariſtoteles ſecundum ætates diſtinguit pulchritudinis ſpecies, vt alia ſit adoleſcentis pulchritudo,alia viri,alia ſenis.ac primo de pulchritudine adoleſcentis uerba facit,quam duabus in rebus ait conſiſtere,hoc eſt in robore corporis, & in oris ſuauitare.robur corporis in eo perſpicitur,ſi aptus eſt adoleſcens ad tolerandos labores, ad curſum,ad vim inſerendam.oris ſuauitas vehementer oculos mouet ac delectat. vnde fertur Ariſtoteles dixiſſe pulchritudinem eſſe quauis epiſtola commendatiorem.idem cum interrogatus eſſet cur quæ pulchra ſunt amarentur:reſpōdit,hæc eſt cæci hominis interrogatio. Iſocrates in Encomio Helenæ adeo pulchritudinem extollit,ut rem omnium maximè diuinam eſſe dicat. nam quæ pulchritudine carent,omnia contemnuntur,quæ vero pulchra ſunt,ab omnibus commeudātur.quin etiam uirtutem non alia de cauſa putat in tanto honore ac precio eſſe, niſi quod res quædam pulcherrima ſit. quin alia bona omnia inuidiæ ſunt expoſita, nemo autem pulchris hominibus inuidet,ſed eos potius admiratur. & cū fortitudo vincat alia omnia, tamen à pulchritudine ſuperatur. Proclus dixit omne pulchrum eſſe honeſtum,& amabile, quoniam naturæ diuinæ quandam imaginem habet. vnde καλὸν dicitur pulchrum à verbo καλέω quod ſignificat voco. quod ad ſe vocet atque alliciat hominum mentes.hac de cauſa veteres eos qui pulchritudine excellerent, reges creabant.& Homerus heroas ſuos à pulchritudine vehementer commendat. nam Achillem omnium pulcherrimum fuiſſe oſtendit.cum enim Nireum à forma ſummopere commendaſſet,illi tamen Achillem præpoſuit. & Virgilins Aeneam ſuū pulcherrimum appellat in quarto Aeneid.

—ipſe ante alios pulcherrimus omnes
Infert ſe ſocium Aenæas. & in ſeptimo Lauſum & Turnnm à præſtanti corpore laudat.
Filius huic iuxta Lauſus quo pulchrior alter
Non fuit,excepto Laurentis corpore Turni.

Herodotus ſcribit in toto exercitu Perſarum,quo nullus vnquam maior fuiſſe memoratur, neminē extitiſſe pulchriorem ac venuſtiorem Xerxe ipſo rege,neque ſtatura proceriore, ſed tamen imbellis ac timidus fuit. vnde non erat in eo vera pulchritudo.quæ ſicut hoc loco ait Ariſtoteles, conſtat ex robore corporis & oris ſuauitate.

Hac de cauſa Peutathli pulcherrimi habentur, quòd ad uim inferendam,& ad celeritatem ſimul apti ſint.

Probat à robore corporis pulchritudinem etiā pendere. nam pentathli idcirco pulcherrimi dicūtur,quòd robore præſtant,& vim inferre,ac celeriter currere poſſint. Peutathli dicebantur qui ex quinque certaminibus victoriam præmiumque reportabant, hoc eſt luctatione, curſu, ſaltu, diſco,iaculatione,Latini Quinquertiones à quinq; artibus appellarunt, & quinquertium eam exercitationem quam πένταθλον Græci vocant. in qua nemo poterat eſſe victor,niſi robore,& velocitate cæteris præſtitiſſet. qui vero vim eam haberet pulcherrimus exiſtimabatur.vnde etiam legimus Athletas & Pentathlos à mulieribus vehementer amari ſolitos. ſicut etiam hoc tempore, qui ſe bene in armis gerunt, & valentes habentur, longè magis amàntur, quàm qui pulchra quidem facie ſunt,ſed imbelles & ignaui.

TEXT. *Viri autem,& qui iam conſtanti ætate ſit,pulchritudo eſt; ut corpus ad militares labores idoneum habeat, & oris ſuauitatem, cum quodam terrore coniunctam,præferat.*

COMM. Viri debent curſum & luctationem adoleſcentibus relinquere,& in aciem contra hoſtes deſcendere. itaque viri pulchritudo ea iudicatur, ſi corpus robuſtum atque ita conſtitutum habuerit, vt militares labores commodè ſuſtinere poſſit,& decoram quidem faciem habeat, ſed tamen eiuſmodi ut aliquid in ſe terroris habere videat,quo facilius hoſtes ſuperari poſſint. hac pulchritudine pditum fuiſſe Cęſarem Auguſtum memorant,quē nemo rectis oculis poſſet intueri, quoniam licet eſſet aſpectu ſuauis & pulcher,tamen ab eius oculis terror quidam emicabat. ideo ſicuti ait Suetonius gaudebat, cum aduerteret aliquem eius aſpectu per territum. ſic etiam Aenæas apud Virgiliū, licet pulcherrimus fuiſſe dicatur, tamen poſtea inducitur,Marte ſecundo terribilis.

TEXT. *Senir denique pulchritudo eſt,ſi corpus habeat neceſſarijs laburibus largè ſufficiens; & ſi nullam ore triſtitiam oſtendat eo,quòd ijs morbis careat,qui ſenectutem deprauare ſolent.*

COMM. Senes etiam pulchros dicimus, qui aliquid in ſe roboris habent,& ſenſibus integris ſint,neque ita ſunt debilitato corpore, quin neceſſariis laboribus ſufficere poſſint, & qui læti ſunt & alacres, neque propter aliquem morbum triſtitia afficiuntur.duo ſunt igitur quæ ſenem pulchrū efficiunt, commoda valetudo corporis,& oris lætitia. nam maiori ex parte ſenes ſunt infirmo corpore,& triſtes.quod ſiqnis hoc vtroq; malo careat, pulchra ſenectute frui dicendus eſt.qua in re præcipuè cōmendatur Iſocrates, qui ad centum vſque peruenit annos ſemper in ſtudijs promptus & alacer integris ſenſibus,& ſano corpore. Xenophilus Pythagoricus, centum & quinque vixit annos omnis humani incommodi expers (vt ait Val. Max.)

in ſum-

in ſummo perfectisſimæ ſplendore doctrinæ extinctus eſt. Masſiniſſa Rex Numidarum præter cęteros omnes robore ſenectutis fuit admirabilis. vt Cicero in libro de Senectute memorat. tradũt etiam Valerium Coruinum ſumma corporis dignitate, atque integris uiribus ad annum uſque centeſimum perueniſſe, neque unquam a publicis negotijs deſtitiſſe.

TEXT. *Vires ex eo intelliguntur; cum quis eam facultatem habet, ut alterum moueat, quomodocunque uoluerit. Neceſſe eſt autem alterum mouere uel trahendo, uel impellendo, uel tollendo, uel deprimendo, uel collidendo. quare robuſtus ille ualenſque aut his omnibus, aut quibuſdam horum ualebit.*

COMM. Inter bona corporis tertio loco vires ponuntur, cum quis ita robuſtus eſt, ut aliũ mouere posſit quomodocunque voluerit. quinque autem modis poteſt aliquis alterum uiolenter mouere, uel cum per uim ad ſe trahit, ut Tritani filius miles Magni Pompeij hoſtem ex prouocatione dimicãtem arripuit, & ſecum in caſtra pertraxit, uel cum à ſe repellit, aut impellit, ut Syſiphus uerſat ſaxum nitendo neque proficit hilum. Vel cum extollit,

7.ca.20. ut Iunius Valens (quod Plinius ſcribit) uehicula cum culeis onuſta donec exinanirentur ſuſtinere ſolitus. & Ruſticellus mulum ſuum tollebat. uel cum deprimit, ut Pittacus aduerſarium ſuum rete deprehẽſum in terram traxit, deinde genibus eius uentri impoſitis interfecit, uel cũ collidit, ut Hercules Antæum ſublatum ita colliſit, ut necauerit. ergo robuſtus ille dicetur qui trahere, impellere, tollere, deprimere, collidere posſit, uel ſi nõ in omnibus ſaltẽ i aliquibus ualeat. Virg. in duodecimo Aeneid. cum Turni uires uellet oſtendere, ſic ait:

Nec plura effatus ſaxum circumſpicit ingens
Saxum antiquum ingens, cãpo qui ſorte iacebat,
Limes agro poſitus litem ut diſcerneret aruis
Vix illud Lecti bis ſex ceruice ſubirent.
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.
Ille manu raptum trepida torquebat in hoſtem.

In quinto Aeneid. de Darete ſic ait.

Nec mora continuo uaſtis cum uiribus effert.
Ora Dares.

Cicero 2. Philippica M. Antonio totius corporis gladiatoriam firmitatem obiicit. ex quo intelligitur uires corporis non eſſe ſelicitatis partem, niſi quando definita animi moderatione reguntur.

TEXT. *Magnitudinis uirtus ea eſt, cum quis & longitudine, & altitudine, & latitudine multos alios antecedit; modo ne tanto maior ſit, ut propter exuperantiã corporis, motus tardiores efficiantur.*

COMM. Magnitudo proceritaſque corporis commendatur, quæ proportionem dimenſionum habeat, ut altitudo & latitudo longitudini reſpondeat. neque enim quiſque in eo laudatur quod ſit longus, niſi etiam proportione craſſus & latus ſit. imo uero qui longi ſunt & ſubtiles, plerunque fatui ſunt. qui uero parui craſſique uel tardi uel prauo animo plerunque ſolent eſſe. ſed neque tã magnum eſſe oportet, ut moles corporis cum difficultate moueatur. neque enim agiles eſſe posſunt, qui tam magno craſſoque corpore ſunt. Vnde bene Hippomachus alipta dixiſſe fertur. cum. n. quidam proceræ ſtaturæ, magnaq; corporis mole tanquam pugil à natura factus laudaretur, rectè (inquit) ſi corona ex alto loco decerpenda eſſet. Virgilius autem libro ſeptimo Turnum à corporis magnitudine commendat:

Ipſe inter primos præſtanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice ſupra eſt.

In quinto uero Aeneid. ita de Entello ait:

Hæc fatus duplicem ex humeris reiecit amictum,
Et magnos membrorum artus, magna oſſa lacertosque,
Exuit, atque ingens media conſiſtit arena.

Aiunt autem heroicis temporibus homines fuiſſe magno corpore, & ſummis viribus, ut Hercules, Theſeus, Hector, Achilles, ſed poſtea paulatim degeneraſſe, & paruos atque imbecilles euaſiſſe. quod Iuuenalis Satyra quinta decima ſic ait:

—nec hunc lapidem quali ſe Turnus & Aiax,
Et quo Tydides percusſit pondere coram.
Aenæ, ſed quem valeant emittere dextræ
Illis disſimiles, & noſtro tempore natæ,
Nam genus hoc uiuo iam decreſcebat Homero.
Terra malos homines nunc educat, atq; puſillos.

Laudatur tamẽ Tydæus qui (ꝙ ait poeta quidã.)

Ingenio pugnax, corpore paruus erat.

Decertandi robur ex tribus conſtat; magnitudine, uiribus, & celeritate. nam & qui celer eſt, robuſtus appellatur: qui enim crura quodammodo uibrare, & celeriter mouere, atque ex longinquo loco poteſt, is natura curſor eſt. TEXT.

Nemo poteſt aptus eſſe ad oĩa gymnica certamina niſi robur habeat eiuſmodi quod ſit ex magnitudine corporis, ex uiribus, atq; ex celeritate compoſitum. hęc. n. tria ad decertandi robur quæruntur. ſiquidẽ etiã celeritas ſub uiribus continetur, & qui celer, ẽt robuſtus eſt. natura. n. quodam modo curſores, palęſtritas, & pugiles procreare uidetur. nam qui ita formatus eſt à natura, ut crura ſuo arbitrio ꝓiicere, atq; mouere celeriter posſit, & ex longinquo ẽt loco, curſor dicitur. qualis Achilles fuiſſe perhibetur, de quo ita Catullus in Epithalamio: COMM.

Naſcetur uobis expers terroris Achilles,
Qui perſæpe uago uictor certamine curſus,
Flammea præuertet celeris ueſtigia ceruæ.

Talis fuit Camilla Volſcorũ regina, de q̃ Vir. 7.

Illa uel intactæ ſegetis per ſumma uolaret,
Culmina nec teneras curſu læſiſſet ariſtas.

Plinius libro. 7. ſcribit Philippidẽ Athenis Lacedęmonem bidno cucurriſſe, hoc eſt ſtadia. MCLX. Aniſtem uero Lacedęmoniũ & Philonidem Alexãdri Magni à Sicyone Elim uno die ſtadia. MCC. In ſacris certaminibus ẽt curſoribus præmia proponebantur, & qui currendo uiciſſent coronabantur, ut Arias ille qui in Epigrammatis Gręcis ab Antipatro celebratur. ita Virgilius in quinto facit Aenæam curſoribus prœmia proponentem. cap. 30.

Hic qui forte velint rapido contendere curſu
Inuitat preciis animos, & præmia ponit.

TEXT. *Qui uero premere, fortiterque tenere, ad luctam eſt idoneus.*

COMM. Lucta ſpecies eſt roboris decertandi, quare luctatorem deſcribit Ariſtoteles eum eſſe, qui poſſit aduerſarium premere, atque eum firmiter ſtrictéque comprehenſum tenere. eſt autem eadem lucta quæ palęſtra, de qua Virgilius in 6.

Pars in gramineis exercent membra palęſtris.

Et Palęſtrici præceptores erant, qui motus geſtuſque formarent, vt ne pars vlla corporis indecore moueretur. atque illa ars chironomia dicebatur, quam ingenuis adoleſcentibus eſſe neceſſariã veteres exiſtimabant, & qui eam non didicerant, Apalęſtri dicebãtur, vt Cicero in Oratore ad Brutum. Aiunt Herculem etiam luctatorem eximiũ fuiſſe, quippe qui Anthæum brachiis comprehenſum ita preſſerit ad pectus ſuum, vt enecuerit. Corycus fertur fuiſſe luctator quidam inuictus, adeo vt prouerbio iactatum ſit, cum Corico luctari, de ijs qui ſumunt inanem operam. in ſacris certaminibus, etiã palęſtritæ victores coronabãtur.

TEXT. *Qui longe à ſe pellere, plagamque inferre poteſt, is erit pugil.*

COMM. Pugiles etiam à natura formantur, deinde arte & exercitatione, ſicuti alij athletæ, perficiuntur. ij uel pugnis vel ceſtibus contendebant. qui igitur eam vim habet, ut aduerſarium à ſe pellere, & plagas illi inſerre poſſit, pugil dicetur. tales multi memorãtur, ſed præcipuè Glaucus Caryſtius, de quo Pauſanias libro. 2. Eliac. qui. cum arando vomerẽ pugno vice mallet coaptaſſet, productus in Olympia à patre Demylo ad pugilũ certamen, propter inexperientiam plagis contundebatur, ſed pater exclamauit, ioſlige plagam ab aratro. quam ille uocem cum audiuiſſet, ita exarſit, ut aduerſarium proſtrauerit, & deinde ſæpius victoriam reportarit. itaque inter nobiles pugiles celebratur. talem autem Virgilius in quinto Aeneid. Daretem deſcribit, qualem hoc loco pugilem Ariſtoteles.

Talis prima Dares caput altum in prælia tollit,
Oſtenditque humeros latos, alternaque iactat
Brachia protendens, & uerberat ictibus auras.

Quod autem pugiles etiam ceſtibus contẽderẽt, oſtendit Cicero ſecundo Tuſcul. quęſt. ubi ſic ait: pugiles ceſtibus contuſi ne ingemiſcunt quidem. & inferius eodem libro: pugiles. uero etiam cum feriunt aduerſarium in iactandis ceſtibus ingemiſcunt: ergo apud Virgilium illud pugilum certamen fuit, inter Daretem & Entellum, quo Dares inferior euaſit.

TEXT. *Sed qui in utriſque ualet, hoc eſt lucta & pugillatione Pancratiaſtes erit, qui in tribus illis omnibus, pentathlus uocatur.*

COMM. In robore decertandi quinque conſiderantur hominum genera, tria quæ uerſantur in ſimplicibus certaminibus, & duo quæ in coniunctis. in ſingulis certaminibus primo loco ponũtur curſores. qui ſtadiodromi, & dolichodromi uocãtur. Iulius Firmicus ſi Mars reſpexerit leporem cæleſtem in horoſcopo, faciet ſtadiodromos. Secundo loco ponuntur luctatores, qui etiam palęſtritæ vocantur, qui mutuo complexu ſeſe vicisſim in terram proſternere nitũtur. Tertio loco ponũtur pugiles, qui dicuntur etiam pictæ. Plinius libro. 7. cap. 47. Euthymus picta ſemper olympiæ victor. atque hi verſantur in ſingulis certaminibus. Quarto loco numerantur pancratiaſtæ quos ait Ariſtoteles hoc loco duobus in certaminibus valere, nẽpe lucta & pugillatione. Suidas Pancratiaſten manibus pedibuſque pugnantem interpretatur, hoc eſt qui non tantum lucta & pugnis, ſed etiam calcibus feriat. Quintilianus libro. 2. cap. 9. Sic ille exercendi corporis peritus non ſi docendũ pancratiaſten ſuſceperit, pugno ferire vel calce tantum, aut nexus modo, atque in ijs certos aliquos docebit, ſed omnia quæ ſunt eius certaminis. Pancratium dicitur ars illa, quæ lucta & pugillatione exercetur, vnde Propertius libro tertio de Lacenis mulieribus:

Pulueruientaque ad extremas dat fœmina metas.
Et patitur duro vulnera pancratio.

Gellius libro. 3. cap. 15. tradit Diagoram Rhodiũ habuiſſe tres filios olympionicas, vnum luctatorem, alterum pugilem, tertium pancratiaſten. qđ ita debemus accipere, vt pancratiaſtes eſſet longè pręſtantior, quippe qui duo certamina viciſſet, hoc eſt luctando, & pugillatione certando, cum alij ſinguli ſingula tantũ viciſſent. Quinto loco ponuntur Pentathli, qui latine quinquertiones vocantur, & hi ſunt, qui & lucta, & pugillatione, & curſu victores euadũt. atque ita dicti videntur, quod quinq; nomina poſſent habere. poterant. n. dici luctatores, & pugiles, & curſores, & Pãcratiaſtę, & pentathli, quamobrem olympionicarũ omniũ qui corporis viribus contenderent pulcherrimi & pſtantisſimi habebantur Pentathli, quod ſupra docuit Ariſtoteles. ex hoc loco facile cognoſci poteſt Hermolai Barbari alioqui doctisſimi viri error, qui putauit plus eſſe pancratiaſten, quam pentathlum. pẽtathlos (inquit) eſt, qui generibus illis quinq; certat: pancratiaſtes qui certauit & vicit. decipitur ergo, quia putat eoſdem eſſe qui ex Pentathlis Pancratiaſtæ fiant. cum ab Ariſtotele apertisſime diſtinguantur ita, vt Pancratiaſtæ Pentathlis inferiores ſint. Sex. Pompei Pentathlũ (inquit) antiqui quinquartium dixerunt. id autem genus exercitationis ex his quinq; artibus cõſtat iactu diſci, curſu, ſaltu, iaculatione, luctatione. quod etiam Simonidis diſtichon illud ſignificat.

Pythia deuicit Diophon, atque Iſthmia, ſaltu
Et diſco, & lucta, & iaculo, & pedibus.

Sed Ariſtoteles pentathlum eum ait eſſe, qui curſu, luctatione, & pugillatione valeat.

Bona ſenectus eſt, cum tardè, atque ſine triſtitia aduenit: neque enim, qui celeriter ſeneſcit, bona ſenectute frui dici poteſt; neque qui ſerò quidem fit ſenex, uerum cum multis magniſque doloribus. TEXT.

Bonorum corporis hoc vltimum eſt, vt quis COMM.
bona

bona commodaq; ſenectute fruatur. in qua duo præcipuè requiruntur. primo vt tardè ſenectus adueniat, nam qui celeriter ſeneſcit, hoc bono frui dici non pôt, deinde ne ſecum dolores & morbos afferat. quamuis.n. aliquis ſerò fiat ſenex, tamen ſi poſtea multis magniſq; doloribus afficiatur, nõ habebit commodam ſenectutem. hoc aût bonum à continentia & frugalitate iuuentutis naſcitur. nã (vt ait Cicero) libidinoſa atq; intemperãs adoleſcentia effectum corpus tradit ſenectuti. vnde rectè prouerbio dicitur, Maturè fias ſenex, ſi diu velis eſſe ſenex. quod quamuis apud Ciceronem Cato durus hõ vituperet, qui velit in perpetuo labore, atq; animi contentione hoĩem viuere, tamen ſi de intemperantia relinquenda intelligatur, optimum erit, & ſalutare præceptum. illi vero tardè ſeneſcunt, qui nullas curas ſuſcipiunt, ſed lætè ac iucundè vitam agunt. qua de cã Democritus vitam beatam in tranquillitate vitæ poſuit. & lætitiæ riſuiq; indulgebat, ſic enim de illo Iuuenalis

Perpetuo riſu pulmonem agitare ſolebat Democritus.

Verum eſt.n. id qđ ait Comicus: curę & mala ſenium accelerant, qđ ab Heſiodo ſumptum eſt, qui ait, hoĩes ĩ calamitate ſtatim cõſeneſcere. & Theocritus ait eos, qui amore cruciantur, vno die canos fieri. Hippocrates tradit eos qui non prandent, celerius ſeneſcere. ſed in ſumma tria ſunt, q̃ efficiũt, ut tarda ſenectus adueniat, prima eſt frugalitas ac temperantia, quam ſanitatis matrem eſſe ſapientis uerìſimè prædicant, & omnium uirtutum domicilium, nam uictus tenuis hoc efficit, ut docet Horatius, ut in primis ualeas benè. Secundo loco ponitur labor & corporis exercitatio. nam ocium ita uires corporis abſumit, ut rubigo ferrũ, quod ait Seneca, ſic Ouidius:

Cernis vt ignauum corrumpant ocia corpus,
Et uitium capiant ni moueantur aquæ.

Contra uerò temperata exercitatio ita corpus reficit ac recreat, ut alacrius & prõptius efficiatur. Tertio loco uoluptas animi lætitiaq; diuturnam iuuentutem conſeruat. neq; patitur tam citò ſenectutẽ ſurrepere. cor.n. in quo uitalis eſt calor moleſtijs afficitur. contra uero lætitia exhilaratur, & uires ampliores acquirit, & hoc eſt qđ Ariſtoteles quarto Ethicorum ait riſum & iocum ad uitã degẽdam eſſe neceſſarium. Et Lycurgus ille ſapiẽtiſsimus Lacedęmoniorũ legiſlator, ſicut in eius uita Plutarchus ſcribit riſui tãquam Deo ſtatuam erexit, & Lacedæmonios ad lætitiam & iocos inuitauit.

TEXT. *Ad bonam uero ſenectutem & corporis uirtutes, & fortunæ bona concurrant oportet. nã niſi ſine morbo fueris, & niſi uires conſeruet; non erit expers moleſtiarum ac dolorum; nec uitam producere poterit, nec proſperam fortunam retinere.*

COMM. Duo ſunt (inquit) quæ ſenectutem bonã & tolerabilem efficiunt. nẽpe corporis uirtutes, & fortunæ bona. nã niſi ſenex morbo careat, & niſi conſeruet uires corporis incidet in moleſtias ac dolores. & niſi fortunam habeat proſperam, mendicitate preſſus infelix habebitur. hoc eſt quod Lælius ait apud Ciceronem. ſic.n. Catonem alloquitur: Eſt ut dicis Cato. ſed fortaſſe dixerit quiſpiam tibi pp opes & copias, & dignitatem tuam tolerabilem ſenectutem uideri, id aût non poſſe multis cõtingere. cui ita Cato reſpondet; ut fateatur in ſumma inopia ne ſapienti quidem poſſe leuem eſſe ſenectutẽ. pter hęc duo q̃ concurrere uult Ariſtoteles ad bonam ſenectutem hoc eſt corporis uirtutes, & fortunæ bona, Cato, tertiũ adiungit, hoc eſt artes exercitationemque uirtutum, ex quibus incredibilis iucũditas percipitur. eſt.n. (inquit) quiotè & purè & eleganter actæ ætatis placida ac lenis ſenectus: qualem accepimus Platonis; qui uno & octogeſimo anno ſcribens mortuus eſt: qualẽ Iſocratis, qui eũ librum, qui Panathenaicus inſcribitur, quarto & nonageſimo anno ſcripſiſſe dicitur, uixitque quinquennium poſtea. cuius magiſter Leontinus Gorgias centum & ſeptem compleuit annos; neque unquam in ſuo ſtudio, atque opere ceſſauit.

Eſt præterea alia ratio, qua quis etiam ſine uirtutibus, & bona ualetudine diu uiuendi facultatem inueniat: multi enim ſine corporis uirtutibus in longum tẽpus uitam prorogant, ſed in præſentia nihil opus eſt de huiuſmodi rebus exquiſitè diſputare. TEXT

Quia non eſt eadem bona ſenectus, & longa uita, non uult Ariſtoteles hoc loco docere quomodo quis longam uitam habere poſsit, quamuis eius rei præcepta tradantur. non me latet (inquit) eſſe quandam uiuendi rationem, quia licet aliquis ſit infirmo corpore & ægroto, poſsit tamen diu uiuere. ſed nihil opus eſt eam hoc loco diligenter explicare. uiam autem illam intelligit quam ſecutus eſt Herodicus, de quo ſupra dictum eſt. is.n. quotidianis deambulatiõibus & curationibus in longum tempus uitam prorogauit, quamuis eſſet admodum imbecillis. Marſilius Ficinus librũ ſcripſit de uita producenda. perſuaſum.n. habent eruditi uiri, poſſe uitam diligentia noſtra prorogari, ſicuti negligentia atq; intemperãtia breuius efficitur. Vnde uulgo dicunt à crapula plures homines occidi, quam à gladio. præcipuè igitur temperantia atq; exercitatio uitam prorogat, & uires conſeruat. unde ille Numanus apud Virgilium propter aſsiduam exercitationem ait ſuos in ſenectute uires non amittere. ſic enim ait: COMM.

Omne æuum ferro teritur, uerſaque iuuencum,
Terga fatigamus haſta, nec tarda ſenectus
Debilitat uires animi, mutatque uigorem,
Caniciem galea premimus, ſemperque recentes,
Conuectare iuuat prædas & uiuere rapto.

Sic etiam apud Ciceronem Cato docet in ſenectute uires & memoriam exercitatione conſeruari.

Gratia uerò, bonorumque uirorum amicitia quid ſit ignorari non poteſt; modo quid ſit amicus intelligatur. Eſt enim amicus, qui quæcunque arbitratur ei, quem amat, bono eſſe, eius ipſius cauſa facit. cui igitur multi ſunt huiuſmodi, is gratioſus dicitur: cui TEXT

uero

uero boni uiri tales ſunt, is bonos amicos habere prædicatur.

COMM. Hactenus ea bona perſecutus eſt, quæ corpori inhærent, nunc ad ea tranſit, quæ media ſunt, & non abſolutè inhærentia, ſed aliquo mõ, quorum duas ſpecies facit, hoc eſt amicitiã, & proſperã fortunã. ac prius de amicitia breuiter tractat, in qua duo conſiderantur, multitudo amicorum, & bonitas. amicorũ multitudo, πολυφιλία græcè dr̃, latinè gratia. hinc hoïes excellenti gratia vocat Cicero, qui magnos habent amicos, & retinere gratias omnium, eſt ſibi oẽs amicos facere. & gratioſus ille dicitur, qui pluribus amicis abundat. vt Cicero pro P. Quintio, ait P. Quintium cui exiguæ amicorum copiæ eſſent, cum aduerſario gratioſiſſimo contendere. Bonitas amicorum vocatur græcè χρηστοφιλία, latinè non põt vno verbo explicari. itaque vertimus bonorũ virorum amicitiã, quę ſanè plurimas cõmoditates adferre poteſt. hęc ignorari non poſſunt ab eo, qui, quid ſit amicus intelligit. itaq; declarat Ariſtoteles quid ſit amicus. atq; eum eſſe vult, qui pro illo quem amat omnia facit, quæcunq; illi prodeſſe exiſtimat. nõ igitur verus amicus proprium commodũ ſpectat, ſed eius quẽ amat. quo fit vt illi merito vituperentur, qui pp vtilitatem quærendas eſſe amicitias arbitrantur. hoc. n. ruſticorum, & imperitorum proprium eſt, de quibus ſic ait Ouidius:

Vulgus amicitias vtilitate probat.

Ariſtoteles octauo Ethicorũ triplicem ait eſſe amicitiam, quarũ vna ſpectat utilitatem, ſed hęc eſt vulgaris amicitia, quam ſenes amplecti ſolẽt. altera uoluptatem quærit, atq; hanc iuuenes potiſſimum ſequuntur. tertia refertur ad honeſtatẽ, atque hæc ſola eſt vera amicitia. de qua copioſè Cicero diſputat in Lælio, probatque nihil ex omnibus humanis rebus eſſe pręſtãtius. & ſiquis amicitiam è vita tolleret, idem fore ait ac ſiquis Solẽ tolleret è mundo. Idem Cicero primo de Finibus ita inquit: Meipſum ames oportet non mea, ſi ueri amici futuri ſimus. tamen pro Roſc. Am. ſic ait: Idcirco amicitiæ comparantur, vt commune commodum mutuis officiis gubernetur. Alexander Magnus cum aliquando interrogatus fuiſſet, ubi opes ſuas haberet, quoſdam amicos oſtendit, atq; ait, hi theſauri mei ſunt. vnde vulgo iactatum eſt: Vbi amici, ibi opes. & Saluſtius: Nõ exercitus (inquit) neque theſauri, præſidia regni ſunt, uerum amici. Sed de amicitia copioſius octauo, & nono libro Ethicorum diſputat Ariſtoteles. quare hic tantum contentus fuit amicitiam, tanquam partem felicitatis attingere.

TEXT. *Proſperitas uitæ eſt; cum quæ à fortuna proueniunt bona, uel omnia, uel plurima, uel maxima alicui uel ſiunt, uel iam præſto adſunt.*

COMM. Vt aliquis fortunatus dici posſit, non ſatis eſt vnum aut alterum fortunæ bonum habere, ſed oportet, aut oïa adeſſe, aut plurima, aut ſaltem ea quę maxima ſunt. hinc fortunati dicuntur, qui bonis eis cumulati ſunt, quibus cæteri multi priuantur, vt ſiquis in bello ſua prædia conſeruet, alij uero amittant, ita Virgilius ecloga prima:

Fortunate ſenex, ergo tua rura manebunt.
Et tibi magna ſatis.

Cic. tibi patrimoniũ Dij fortunent. libro de Oratore ſecundo Scopã Theſſalum fortunatum hominem appellat & nobilẽ. quaſi ſit idem diues & fortunatus, ſed proprie fortunatus ille dicitur cui bona eueniunt, quæ nõ accidunt eis, qui ſunt eiuſdem ordinis. ut Achilli accidit ab Homero laudari, quod non accidit Alexãdro Magno. quare cum ad eius tumulum Alexander acceſſiſſet: ò fortunate (inquit) adoleſcens qui tuæ uirtutis Homerum præconem inueneris. Sic apud Romanos Scipio ſuperior Africanus fortunatus fuit in eo, quod Annibalem deuicit, quem tot ſummi imperatores Romani uincere non potuerant. ſic Cicero clamat paulo arrogantius.

O fortunatam natam me conſule Romam.

quod à maximo coniurationis periculo patriam liberaſſet, quod aliis conſulibus non acciderat.

Eſt autem fortuna nonnullorum cauſa, quæ etiam ab artibus efficiuntur: ſed plerumque eorum cauſa eſt, quæ nulla arte fieri poſſunt: ut eorum, quæ natura quidem ſiunt, ſed etiam contra naturam fieri poſſunt. nam bonæ ualetudinis ars cauſa eſt, pulchritudinis autem & magnitudinis ipſa natura. TEXT.

In ſecundo libro Phyſicorum ubi tractat Ariſtoteles de cauſis, etiam de fortuna multa loquitur, quæ per ſe quidem nullius rei cauſa eſt, ſed temere tamen & ſine certa ratione multarum rerũ uidetur eſſe cauſa. & quidem aliquando cauſa eſt eorum quę ab arte proueniunt. unde Agatho poeta dixit, artem & fortunam mutuo amore copulari. cuius uerſiculum citat Ariſtoteles libro Ethicorum ſexto in hunc ſenſum, Namque ars fortunã fortunaque diligit artem. ut ægrotus arte medica ſanari poteſt, interdum tamẽ etiam ſi non arte curetur, fortunæ beneficio conualeſcit. nam ſanitas arte medica recuperatur, pulchritudo uero & magnitudo ſolent à natura fortuito prouenire. interdum uero quod ars efficere non poteſt, fortuna perficit, ut Iaſoni Pheræo contigit, de quo ita Valerius Max. diuinę fortunę uulnus Pheræo Iaſoni quidam exitij eius cupidus intulit. nam cum inter inſidias gladio eum percusſiſſet, uomicam quæ a nullo medicorum ſanari potuerat ita rupit, ut hominem à peſtifero malo liberaret. ſæpe tamen eorum cauſa eſt fortuna, quæ nulla arte poſſunt effici, ut eorum quæ à natura proueniunt, & tamen aliquando ſiunt contra naturã, tunc enim mala dicitur fortuna, ut ſiquis fratres habeat pulchros & magnitudine præſtantes, ipſe uero ſit deformis & puſillo corpore. contra uero proſpera dicetur fortuna ſi cæteri fuerint deformes & puſilli, ipſe uerò pulcher, & procerus. hęc autem à natura non ab arte proueniunt. ergo fortuna uerſatur partim in ijs quæ ab arte ſiunt, partim in ijs quę ſiunt à natura.

Omni-

TEXT. *Omnino bona illa proficiſcuntur à fortuna, quæ maximè ſolent inuidiam concitare. quin etiam eorum bonorum quæ præter omnem rationem eueniunt, fortuna cauſa eſt, ut ſi cæteri fratres deformes ſunt, hic autem formoſus; aut ſi theſaurum alij non uiderunt; hic autem inuenit; aut ſi is, qui propè ſtabat, iaculo percuſſus eſt, hic autem minimè; uel qui antea ſolebat frequentare, tunc non uenit, cum alij, ſemel tantum uenientes, interfecti ſunt. hæc enim omnia fortunæ beneficio contingere uidentur.*

COMM. Quoniam fortuna res quædam Incerta eſt, inſtabilis,& ſine ratione modo aduerſa, modo proſpera,ideo neq; bona eius certa eſſe poſſunt. quare imbecilla & commutabilia fortunæ bona dicuntur. tamen Ariſtoteles duabus quaſi notis docet quæ ſint ea bona quæ à fortuna proueniant. ſunt enim(inquit)ea quæ mouere ſolent inuidiã, & quæ ſine ratione alicui cõtingunt. neque enim ferè illis inuidetur,qui magno labore atque induſtria ſibi diuitias parant. uerum illis quibus ſine labore ſuo commoda proueniunt,ut ſi cui obuenit inſperata hæreditas, aut ſiquis præter merita ſua magnis cumuletur honoribus, dignitates acquirat. multa etiam eueniunt,quorum nulla penitus ratio reddi poteſt. ideo ad fortunam ea referũtur,cuius generis quatuor exempla ponit Ariſtoteles. primum eſt, ſiquis formoſus ſit cum alij fratres ſunt deformes. nã in ea parte fortunatus eſt, neque tamen ratio apparet,cur ita contigerit alterum exemplum eſt, ſiquis abſconditum theſaurũ reperit, cum alij qui verſabantur in eodem loco nunquam aduerterint. nam hic fortunatus hac in re dicetur. atque hæc quidem duo exempla pertinent, ad commoda quæ ſine ratione acquirantur. duo vero quæ ſequuntur ad incommodorum euitationem,quæ tamen ſine ratione fiat. vt cũ duo propè ſtarent,alter iaculo percuſſus eſt, alter non offenſus. certe hic fortunatus dici poteſt. ultimũ exemplum eſt illud. aliquis ſolebat locum quendã frequentare, caſu quodam non uenit eo die, quo locus ille plenus erat latronum, & alij qui nunquam antea fuerant in eo loco,uenerunt, atque à latronibus interfecti ſunt. hæc ſanè proſpera fuit eius fortuna,qui locum illum antea frequentare cõſueuerat. ſimile eſt illud quod Simonidi poetę contigit,cum enim eſſet in conuiuio apud Scopã Theſſalum, nunciatum illi fuit duos adeſſe iuuenes qui eum vocarent,& cum exiſſet, conclaue illud vbi epulabatur concidit, & Scopam cum reliquis conuiuis oppreſſit. Simonides autem ſolus incolumis euaſit.

TEXT. *De uirtute, quoniam in exornatione maximè proprius eſt eius locus, cum de laudando uerba faciemus, tunc quid ſtatuendum ſit, explicabimus.*

COMM. In partibus felicitatis uirtus primum ac ſummum locum obtinet, nã ſine uirtute nemo prorſus dici felix poteſt, etiam ſi cæteris omnibus bonis abundaret. ſed quia uirtus eſt maximè laudabilis,& laus ad Demõſtratiuum genus pertinet, ideo uult Ariſtoteles hanc felicitatis partem, ad eum locum transferre, nbi de laudandi ratione uerba faciet, tunc enim nirtutem atque eius partes explicabit.

TEXT. *Quæ igitur ſpectare oportet eos, qui ſuadẽt, tanquam futura, aut præsẽtia perſpicuum eſt; & rurſus qui diſſuadent: ſunt enim eis, quæ iam dicta ſunt contraria.*

COMM. Admonet quid hactenus docuerit,nempe quo modo quis ſuadere aliquid poſsit, oportet enim ut oſtendat id,quod ſuadet aut ad omnem felicitatem,aut ad plures eius partes, aut ad unam ſaltem pertinere. quod ſi diſſuadere uoluerit, debet ea quę ſunt felicitati contraria ſpectare, atq; oſtẽdere talia eſſe illa,de quibus deliberatur,ut felicitatem conturbare facile poſsint.

TEXT. *Sed quoniam deliberãti propoſita eſt utilitas; & qui deliberant, non de fine ipſo, ſed de ijs quæ ſpectãt ad finem deliberãt: ea uero ſunt, quæ in ſingulis actionibus proſunt, & quod prodeſt, bonum eſt: ideo de bono atque utili generatim mihi dicendum, &, quæ ſint eius initia atque elementa, quærendum arbitror.*

COMM. Proponit ſibi tractãdum eſſe generatim de bono atque utili. quoniã finis deliberationis eſt utilitas(ut antea demonſtratum eſt)cum autem deliberatur,non de ipſo fine deliberatur, ad quẽ omnia referuntur,ſed ea quæruntur, quæ poſſunt ad ipſum finem deducere. hoc eſt,quæ proſint in ſingulis actionibus. quæ idcirco bona ſunt, quoniã proſunt. quicquid enim prodeſt bonum eſt. quare qui ſententiam dicit, ea cognoſcere omnia debet quæ profutura ſint. hęc igit̃ cauſa eſt cur hoc loco de bono atque vtili generatim verba facere conſtituit Ariſtoteles. vt ecce deliberat populus Romanus vtrum bellum cum Mithridate faciat necne. certè ſi cognoſceret ex eo bello magnã utilitatem Romanis euenturam,non amplius deliberaret,ſed ſtatim bellum ſuſciperet. ergo Cicero diligenter enumerat bona quæ ſint ab eo bello prouentura. nempe gloriam,ſalutem ſociorum atque amicorũ,vectigalia populi Romani maxima, bona multorum ciuium,quibus enumeratis,excitat Quirites ad bellum decernendum. hoc enim multum prodeſt agere,quod gloriam,ſalutem, vectigalia,conſeruaturum ſit. ergo omnis deliberatio eſt de ipſis actionibus, quæ ad finem deducant, non de fine ipſo qui propter ſe expetitur,ſine ulla deliberatione.

TEXT. *Ponamus ergo bonum id eſſe, quod ipſum propter ſe ſit expetẽdum; & cuius gratia ſolemus aliud expetere; & quod res omnes expetũt; uel ſaltem illa, quæ ſenſu prædita ſunt, uel intelligẽtiam habẽt, uel ſi eis intelligẽtia daretur, & quicquid ratio atque intelligentia cuique dictaret.*

COMM. Iam incipit communiter illa declarare quæ bona ſunt, per uarias & multiplices boni deſcriptiones,ac prima illa deſcriptio uulgatiſsima eſt,illud eſſe bonum, quod ipſum propter ſe ſit expetẽdũ. in quo illud aduertendum eſt aliud eſſe propter ſe expetere, aliud expetere per ſe. nam expetere ꝑ ſe, eſt detracta etiam omni utilitate commodoq;

aliquid

aliquid amplecti.atq; hoc mō tm̄ honeſtas eſt per ſe expetenda,quæq; honeſtatē conſequi ſolent, ut honor & gloria.multi.n.pro honeſtate, & gloria, nō tm̄ omnē utilitatē contēnunt, ſed ēt uitā profundunt.ita ſunt multi(inquit Cicero)quibus uidemus optabiles mortes fuiſſe cum gloria, qualis fuit Codrus,Menecheus,& apud Romanos Regulus,Curtius,Decij,multique alij.ſed hęc quæ per ſe expetunt̄ licet maxima bona ſint, non tm̄ ſemp ſunt utilia illi qui ea poſſidet,aliis aūt multū proſunt,ut iuſtus uir ac liberalis non ſibi ſed aliis ꝓdeſt.at uero pp ſe expetere, eſt aliquid cupere nō tantū pp honeſtatem, ſed ēt pp adiunctam utilitatem,hoc mō pp ſe expetuntur artes & ſciæ,quæ & honorē & utilitatem adferre ſolent.atq; omnes uitæ cōmoditates q̄ penè ſunt innumerabiles pp ſe expetuntur.atq; hāc diſtinctionem ex Partitionibus Ciceronis ſumpſimus.qui ait,per ſe expetēda eſſe ea, q̄ ſita ſunt in officiis atq; uirtutibus, q̄ uero pp ſe expetuntur,partim honeſtate ipſa, partim cōmoditate aliqua expeti.Quoniam uero Ariſtoteles hoc loco quęrit bonū illud qđ utile ſit,nō autem qđ ſit tantū honeſtum, quia de genere deliberatiuo tractat cuius finis eſt utilitas, ideo nos uertimus, bonum qđ ipſum pp ſe ſit expetendū, non aūt per ſe.atq; hęc eſt prima boni deſcriptio. ſequitur altera:ut, bonum id ſit,cuius gratia ſolemus aliud expetere.multa ſunt.n. quæ non ꝑpter ſe expetimus,ſed alterius gratia. ut ægrotus ſumit amarum pharmacū non certè propter ipſum pharmacum,quod alioqui refugit,& abhorret, ſed pp bonam ualetudinem,quam ſperat,ex eo pharmaco ſubſecuturam. ita ſtudioſus adoleſcens ſummo labore ſtudiis operam dat nō propter ipſum laborem,quem natura refugit, ſed propter utilitatē & gloriam quam ſperat, ex ſtudiis ſe reportaturum. ſic Imperator non pro labore militari ſed pro uictoria certat.ſic mercator,non propter merces,infinitas penè moleſtias patit̄,ſed pro diuitiis, quas eſſe bonas perſuaſum habet. Itaq; cum alicui cōſilium damus,admonere ſolemus, ne tantum labores & moleſtias quæ ſunt in ea re conſideret, ſed fructus qui ex ea naſcuntur.quod pro P.Seſtio Cicero facit elegantiſſime. Hæc(inquit)imitamini per Deos immortales,qui dignitatem, qui laudē, qui gloriam quæritis.hæc ampla ſunt,hæc diuina, hæc immortalia,hęc fama celebrantur,monumentis annalium mandantur, poſteritati propagātur. eſt labor,non nego.pericula magna,fateor.multæ inſidiæ ſint bonis,ueriſſimē dictum eſt,ſed te id quod multi inuideant,multique expetant,Inſcitia ſit(inquit)poſtulare,ſi tu laborem ſumma cum cura efferas nullum.ſed hanc eādem rem in extrema parte eiuſdem orationis copioſius & elegantius perſequitur.ſic Aenæas apud Virgiliū ſocios ſuos adhortatur, ut conſtanti animo labores ac moleſtias ferant donec in Italia ſedes quietas inueniant. Tertia boni deſcriptio illa eſt, ut bonum dicatur, quod res omnes expetunt,quā fuiſſe perantiquam & peruulgatam ipſemet Ariſtoteles Ethicorum primo oſtendit, cum ait; ideo rectè bonū definiuerunt qđ oēs res expetunt. nihil eſt. n. quod non expetat ſalutem & perfectionem ſuā quatenus pōt,nā bonum id eſt cuiq;,qđ eſt naturæ cuiuſq; accōmodatū,& hoc eſt qđ oīa cōcupiſcunt.hoc eſt,ꝙ primo de Officiis ait Cic. generi animantū omni eſſe à natura tributum,ut ſe,uitam,corpuſq; tueatur, declinetq; ea,quæ nocitura uideantur. ſed hanc rē longè copioſius ſcđo de natura Deorū libro perſequitur. quamuis aūt res oēs bonum expetāt, tamen hoc clarius in eis ur̄, quæ ſenſu prædita ſunt,ut in animantibus omnibus,atq; ēt magis in eis quæ mentem atq; intelligentiā habent,ut in hoībus.melius.n.hō bona ſua cognoſcit,quā cęteræ aiantes. nam exēpli gratia, ſi equus intelligentiā haberet & bonum ſuum cognoſceret,certè non ore frenum acciperet, neque equitem dorſo ſuſtineret,ſed in libertatē ſeſe uendicare ſtuderet.inter hoīes etiā alij magis,alij minus bona ſua cognoſcunt. nam qui prudentiores ſunt,illi melius quid bonū ſit,& quid malū intelligunt.unde Virgilius in Georgicis ita exclamat:

O fortunatos nimium ſua ſi bona norint 2.Georg.
Agricolas.quibus ipſa procul diſcordibus armis
Fundit humo facilem uictum iuſtiſſima tellus.

Illud ēt bonū dr̄ qđ ipſa rō atq; intelligentia dictat,ut domū cuſtodire,coniuges,liberos,parētes incolumes ſeruare,& cętera eius generis quę ſunt in communi ratione, atque intelligentia poſita.

Et quæcunque ſingulis in rebus unicuique ratio tribuit,atque aſſignat,ea ſunt unicuique bona. TEXT.

In ſingulis actionibus humanis,q̄ rō docet eſſe facienda,quia ꝓdeſſe poſſint, ea ſunt illis quibus proſunt,bona, ut in menda re familiari rō docet,ut in æſtate pater familias ea prӕparet, quę hyberno tempore ſint ad uitam degēdam neceſſaria. quæ res omnino bona eſt, unde clamat Heſiodus: Aeſtas non ſemper fuerit,componite nidos. COMM.

Ita rō docet ut iuuenes laborent in acquirendis ſcūs,& ſi pauperes ſint,in amplificāda re familiari,qm̄(ut dici ſolet)optimū obſoniū labor ſenectuti.bonū eſt igit̄ laborare.idē ēt de cęteris ſētiēdū.

Illud quoq; bonū eſt,quo pſēte,res benè ſe hēt, nec quicquā amplius deſiderat; & qđ per ſe ſufficiēs eſt. TEXT.

Eſt hęc alia generalis boni deſcriptio,ut id bonū dicat̄,qđ pſētia ſua facit,ut res bene ſe habeat, & qđ alia re nō eget,ſed p ſe ſufficit.ut ægroto ſanitas bona eſt,qua pſente morbo liberatur.& pauperi diuitiæ bonæ ſunt,quoniā earū aduentu mendicitatem pellit.& uirtus animi atq; corporis,quę p ſe ſufficit hoīem beatū reddere.ſic ordo rerū bonus eſt,quoniā cū ordo ſeruat̄, benè ſe res habet. unde Xenophō dixiſſe fertur,nihil ex oībus rebus eſſe melius ordine ipſo.ſic animi tranq̄llitas bona eſt,q̄ nullius rei cupiditate trahatur,unde Aglaus Pſophidius ab Apolline beatiſſimus iudicatus fuit,qđ fructib. agelli ſui cōtentus nihil ultra cuperet. hinc non ſine cauſa laudatur illud Epicuri dictum à ſapientibus λάθε βιώσας,quod Ouidius in triſtibus eleganter expreſſit,his verſibus: Plin.7.

F Crede

Crede mihi benè qui latuit, benè uixit, & intra
Fortunam debet quiſque manere ſuam.

TEXT. *Quin etiam quod hæc ipſa conficiendi, & cuſtodiēdi uim habet, bonum eſt.*

COMM. Bona bipartito diſtribui poſſunt, vt alia ſint fines, alia quæ ad finem perducant. fines rerum omnium optimi ſunt, nam propter finem reliqua omnia fiunt. vt Imperator quæcunque agit ad eum finem omnia refert ut victoriã cõſequatur, ergo in arte imperatoria nihil eſt victoria pręſtantius. ſed tamen ea bona etiam dicuntur, quæ victoriæ conficientia ſunt, vt ſcīa rei militaris, virtus militum, fortunæ proſperitas. & quæ victoriam deinde conſeruant, vt pax & concordia. ſic ægroto finis eſt ſanitas, qnam vehementer expetit. conficientia ſanitatis ſunt remedia ſalutaria quæ adhibentur à medicis, quæ bona vocantur ab effectu. temperantia verò atque exercitatio cuſtodiendæ ſanitatis vim habent. ergo ēt ipſa bona ſunt. ſic Cicero multis rõnibus probare conatur bonum eſſe bello Antonium perſequi, quod ea res ſit libertatem & qnietem populo Romano allatura. pro M. Marcello bonam eſſe Cæſaris vitam probat, qnoniam ipſe ſolus conſtituere, atque conſeruare Remp. poſſit. ꝑ Archia poeta bonum eſſe docet Archiam in ciuitate retinere. qui res geſtas populi celebrare, atq; æternæ memoriæ commendare poſſet.

TEXT *Et quod hæc eadem conſequuntur, & quod contraria depellit, atque interimit.*

COMM. Id omne bonum eſt, vnde res bonæ proueniūt, vt à ſtudio ſcientia naſcitur, ergo bonū eſt ſtudiū. ab agricultura victus humanus progreditur, ergo bona eſt agricultura. vita ruſtica magiſtra eſt parſimonię, vt pro Roſc. Am. ait Cic. ergo bona eſt vita ruſtica. præterea bonum eſt illud quod mala depellit atq; aufert. vt lętitia tollit dolores atq; moleſtias, ergo bona eſt. bellum Mithridaticū (ait Cicero) delebit maculam in aliis bellis à populo Romano ſuſceptam, ergo eſt gerendum. Mors P. Clodij ſuſtulit timorem ciuium Romanorum (ait Cicero pro Milone) ergo bonum fuit vt Clodius moreretur. Lex Agraria quam Rullus ferre conatur, ærarium exhauriet, ſeditionem in populo concitabit, bona communia ad paucos traducet, ſed ea ſublata, cuncta hæc mala ceſſabant, ergo bonum eſt 11. Aen. eam abrogare. ſic apud Virgilium Drãces pacem cum Troianis ſuadet. quoniam ea miſerias depulſura, & bona allatura ſit.

Vnum etiam donis iſtis, quæ plurima mitti
Dardanidis, ducique iubes vnum optime regum
Adiicias, nec te vllius violentia vincat
Quin gnatam egregio genero digniſq́; hymenęis
Des pater: & pacem hanc æterno fœdere iungas.

TEXT. *Duobus autem modis aliquid eſſe conſequens dicitur; uel enim ſimul, uel poſtea. ut ſiquis diſcit, conſequitur ut ſciat, ſed poſtea; ſi bene ualet, conſequitur, ut uiuat, ſed ſimul.*

COMM. Quia dixerat ea bona eſſe, quæ bonorum ſunt conſequentia. nunc docet, quot modis aliquid dicatur eſſe conſequens. & duobus modis dici affirmat. vel quando vnà ſimulq́; conſequitur, vel qñ poſtea. quam diuiſionem ipſemet ſubiectis exemplis illuſtrat. dicimus. n. ſcientiam conſequentem eſſe diſciplinæ. quia ſiquis diſcit, conſequitur, vt ſciat. ſed poſtea. neque. n. ſimul poteſt quiſqnam eãdem rem & diſcere & ſcire, ſed oportet vt prius diſcat, deinde ſciat. dicimus etiam vitam conſequētem eſſe bonæ valetudinis, quoniam ſiquis benè valet, conſequitur vt viuat. ſed hoc ſimul accidit, atque eodem tempore. vnde quidam hæc non conſequentia, ſed potius adiuncta nominant, vt ſi Socrates eſt ſapiens, erit ēt bonus, quoniam bonitas adiuncta eſt ſapientię. ſed Ariſtoteles hæc non diſtinguit, & conſeqnentia uocat tam ea qnæ adiuncta ſunt, quam ea quę poſtea conſeqnuntur. quod etiã Quintilianus libr. 5. capite de argnmentis ſecutus eſt. ubi ſic ait: Ex conſequentibus ſiue adiūctis ſi iuſtitia eſt bonum, rectè iudicandum. ſi malum perfidia non eſt fallendum. idem retro. Nec ſunt his diſsimilia, ideoq́ne huic loco ſubiicienda cum & ipſa naturaliter congruant: Qnod quis nō habuit, non perdidit. Quem quis amat, ſciens non lædit. Quem quis hæredem ſuum eſſe uoluit, charum habuit. hęc Quintilianus, cum Ariſtotele ſentiens. ſnnt igitur duę ſpecies conſequentium. nam alia ſimul conſequuntur & dicūtur à Quintiliano conſequentia naturæ, ut ſapientię bonitas conſequens eſt, & uita bonę ualetudini. nam ſiquis benè ualet, naturaliter etiam & neceſſariò uiuit. alia uerò poſtea conſequūtur, & ab eodem Quintiliano dicuntur conſequentia temporis. quale eſt illud quod boc loco ponit Ariſtoteles. ſiquis diſcit, conſequitur ut ſciat. ita Cicero pro Roſc. Am. argumentum Erucij aduerſarij à conſequentibus euertit, ſic enim aiebat Erucius: Roſciū pater oderat, quoniam rus eum ablegarat. imò uerò (ait Cicero) uehementer Roſcium pater amabat, nam ei prędia fructuoſiſsima curanda tradiderat. item argumento à conſequentibus probat, Roſcium non eſſe parricidam. ſiquis uitę ruſticę deditus eſt, conſequitur, ut pranas cupiditates fugiat. eſt enim uita ruſtica magiſtra parſimonię. ſed Roſcius uitę ruſticę deditus eſt, ergo prauis cupiditatibus non trahitur. deinde probat à conſeqnentibus Roſcij patrem ab accuſatoribus interfectum fuiſſe, qnòd eius mortem Capitoni ſtatim nunciandam curanerint. occiſus eſt (inquit) à cœna rediens, nondū lucebat cum Amerię ſcitum eſt.

TEXT. *Quæ conficiendi uim habent, tribus modis dicitur; partim ut bene ualere, & corpus habere benè conſtitutum, conficiens eſt bonæ ualetudinis; partim, ut cibaria, quæ ſalubria ſunt, & conficientia ſanitatis; partim ut exercitatio corporis, quæ plerūque bonam efficis ualetudinem.*

COMM. Ponit tres ſpecies rerū conficientiū, quę ita diſtingui poſſunt. quæ conficiunt aut ſunt à natura hoc eſt intrinſecus, aut extrinſecus adhibentur. à natura ſunt, ut temperies humorum, & bona corporis conſtitutio, conficiens eſt bonæ ualetudinis. quę extrinſecus adhibentur aut ſunt tanquã

inſtru-

inſtrumenta. aut ſunt actiones tanq̃ inſtrumẽta, ut cibaria quæ ſalubria ſunt,& pharmaca,qnæ ſæpe conficientia ſunt ſanitatis. Actiones ut exercitatio corporis & deambulatio,qnæ frequenter bonam ualetudinem efficit. hæc ſunt Ariſtotelis exẽpla. ſed poſſumus etiã nos quot uoluerimus excogitare. ut ſi quærere uoluerimus quæ ſint eruditionis conficientia. primo dicemus à natura & intrinſecus eſſe ingeniũ & memoriã, deinde extrinſecus tanquã inſtrumenta eſſe libros & præceptores. poſtremò actiones ut aſsiduũ ſtudium & exercitatio. rurſus ſiquis quærat quæ ædificij conficiẽtia. primo intrinſecus erit ars & cognitio architecti, deinde extrinſecus inſtrumenta fabrorum atque ẽt ipſi fabri,qui tanquam inſtrumenta ponũtur, poſtremo ipſa edificatio, atque ita in cæteris omnibus. Hæc aũt ratio plurimum ualet, ẽt iudiciali genere uel ad confirmandum uel ad refellendum. ad confirmandum ut Cicero probare uult Clodiũ inſidiatorem fuiſſe. debet igitur quærere quæ ſint inſidiarũ conficientia. ac primo intrinſecus quærit animũ Clodij conſceleratum,qui à tali facinore non abhorreat, & odium quo Milonẽ proſequebatur,& cupiditatem quia ſperabat amoto Milone,ſuo arbitrio poſſe Remp. euertere. deinde extrinſecus quærit inſtrumenta inſidiarum, hoc eſt ſeruos agreſtes & barbaros in equis expeditos & electos. poſtremò congresſionem & impetum Clodij in Milonem ante oculos ponit. hoc igitur modo poſſumus exquirere, quæ ſingularũ rerum conficientia ſint.

TEXT. *His ita poſitis, neceſſe eſt, bonorum adeptiones eſſe bonas, atque etiam malorum depulſiones: huic. n. ſimul malum non habere, conſequens eſt; illi autem poſtea bonum habere.*

COMM. A conſequentibus probat eſſe bonnm,& adipiſci quę bona ſunt,& mala depellere. qui enim bonũ adipiſcitur, illi ſimul conſequens eſt, nt malũ non habeat. & qni malũ depellit, illi poſtea conſequens eſt, vt bonum habeat, ſtatim enim expulſo malo bonũ ſuccedit, vt cũ qnis morbum planè depulit, ſanus efficitur. & ſiqnis diuitias adipiſcitur, vno eodemq́ue tempore paupertatem expellit. & qui magiſtratum acquirit, ſimul ẽt honore decoratur. quod autem malorum depulſio, bona ſit, licet per ſe ſit apertum, tamen etiam veteri prouerbio declaratur, quo ita clamabãt: Effugi malum, inueni bonum. & Hieronymus Rhodius dicebat ſummũ bonũ eſſe, nihil dolere. & Ennius (vt Cicero ſecundo de finibus teſtatur) ita dixit: Nimium boni eſt, cui nihil eſt mali. cui tamen ipſe Cicero ſic reſpondet: nos beatam vitã nõ depulſione mali, ſed adeptione boni iudicemus. quibus verbis non negat Cicero mali depulſionẽ eſſe bonam. hoc enim perſpicuum eſt. ſed mali depulſionem non eſſe per ſe ſufficientem ait, ad beatam vitam.

TEXT. *Item ẽt pro minore bono maioris adeptio, & pro maiore malo minoris bona eſt: nam id totum, quo maius minori præſtat, fit illius quidem adeptio, huius autem depulſio.*

COMM. Bonũ quanto maius fuerit, tanto magis expetendum eſt. malum aũt quanto fuerit minus, tanto leuius offendit. Itaq; ſemper boni amplificatio bona eſt, & mali diminutio ẽt eſt bona. nam maius id eſt, qđ eſt ſemel tantum, atq; amplius; id ergo totum, qđ amplius eſt, cum acquirit̃ in bono, neceſſe eſt vt p̃cedens bonum cumulet, atq; illa cumulatio bona eſt, vt ſiquis è Prætore conſul fiat, dignitatẽ amplificabit, quæ bona eſt. cum autem aliquid de malo detrahitur, ea detractio bona dr̃, vt ſi morbus ſeſe remittat, ægrotus ſe melius habere dr̃, & quicquid de morbo detrahitur qui malus eſt, id accedit ſanitati, quã eſſe bonam omnes intelligunt. Quod aũt diminutio mali bona ſit, declarat etiam Dido apud Virgilium in quarto quę doloris modicam alleuationem quærit:

Non iam cõiugium antiquũ quod prodidit oro.
Nec pulchro vt Latio careat, regnumq; relinquat,
Tempus inane peto, requiẽ, ſpatiumque furori,
Dum mea me victam doceat fortuna dolere.

Sic Latinus in vndecimo minus malum eſſe cẽſet aliquã partẽ ſuæ regionis Troianis cõcedere, quã bellũ diutius gerere, atq; id eẽ bonũ cõcludit:

Conſulite in medium, & rebus ſuccurrite feſſis.

Cicero ad Octauiũ ſcribens ſic ait: In duobus malis cũ fugiendũ maius ſit, minus eſt eligendũ.

TEXT. *Virtutes etiam bonas eſſe neceſſe eſt, nam, qui eas poſſident, benè affecti ſunt; & ipſæ multa ac magna bona conficiunt: atque earum laus in actione cõſiſtit. ſed de ſingulis uirtutibus, quæ, qualeſque ſint, alio in loco dicendum erit.*

COMM. De virtutibus nõ dubitandũ eſt q̃n bonæ ſint. cũ primũ bonorũ gradum eis ſapientes oẽs attribuant. quidã ẽt eas ſolas dici poſſe bonas contendunt. nã Stoici nihil p̃ter virtutẽ bonũ eſſe ſtatuebant. Cic. 5. Tuſc. quęſt. copiosè diſpntat ſolã virtutẽ ſufficere ad benè beateq; viuendũ. dnobus autem modis ꝓbat Ariſtoteles virtutes eſſe bonas, primo qnia qui poſsident eas bene affecti ſnnt. ſupra uero declaratũ eſt id eſſe bonum, quo p̃ſente res benè ſe hẽt. deinde quia multa bona conficiũt. qui. n. præditus eſt multis uirtutibus, ille ſane & ſibi, & aliis quãplurimis utiliſsimns eſt, quoniã uirtutis laus in actione conſiſtit, & oẽs bonæ actiones à uirtute proueniunt. quin etiã Cyrenaici Philoſophi dicebant ideo uirtutem eſſe laudandã qđ eſſet conficiens uoluptatis. Cicero in Lælio dixit nos ſine uirtute nullam rem expetendam cõſequi poſſe. bene etiam Plautus in Amphytrione. uirtus (inquit) præmium eſt optimum. nirtus omnibus rebus anteit. uirtus in ſe omnia habet. omnia adſunt bona, quem penes eſt uirtus. reiicit autem Ariſtoteles hanc tractationem de uirtute in alium locum, hoc eſt ad genus demonſtratiuum.

TEXT. *Voluptas præterea bona eſt: omnes enim animantes natura inſtinctu eam expetunt. quare & quæ iucunda ſunt, & quæ pulchra bona eſſe, neceſſe eſt: iucunda enim ſunt efficientia uoluptatis; rerum autem pulchrarum aliquæ iucundæ ſunt, aliquæ ipſæ per ſeſe ſunt expetendæ.*

Voluptas duplex eſt, corporis, & animi. ntranque bonã eſſe vult Ariſtoteles ſiquis ea bene utatur. hoc autẽ probatur ea ratione, quod omnes animantes eã naturaliter expetunt, ea uero quæ ſunt à natura bona ſunt omnia. quo fit ut qui naturam ducẽ ſequuntur, errare non poſſint. ex hac ratione ſequitur, ut quæcunque iucunda ſunt, & quæcunque pulchra, ſint etiã bona. nã iucunda omnia uoluptatẽ adferunt. ex rebus autẽ pulchris aliquę iucundæ ſunt, & uoluptatis conficientes, aliquæ uero per ſe ſunt expetẽdæ, ut uirtutes ac dignitates. quod autẽ noluptas bona ſit pluribus argumentis decimo libro Ethicorum probat Ariſtoteles, atq; eo potiſſimũ quod animantiũ generi coniunctiſſima ſit, omnes enim quæ iucunda ſunt, ſequũtur, & quæ moleſta declinant. Eudoxus uoluptatem ſummũ bonũ eſſe dicebat, quod omnia uideret eã ſequi, & quæ ratione uterentur, & quæ eſſent rationis expertia. neque enim dicebat tanquam uoluptatis patronus, cum fuerit uir præſtanti temperantia, ſed quia rẽ ita ſe habere cenſuit. unde rectè dixiſſe putatur etiam Virgilius in Bucolicis:

Trahit ſua quemque uoluptas.

Sed ea diſtinctio Ariſtotelis uera eſt nempe uoluptates eſſe ſpecie diſpares. quoniã aliæ ſunt quæ percipiuntur ex honeſtis rebus, aliæ quæ ex turpibus & obſcœnis. quæ ex turpibus rebus percipiũtur nequaquam neræ uoluptates dici poſſunt, ſed ſunt adumbratæ tantum & belluinæ. ideo dicebat Architas Tarẽtinus nullã capitaliorẽ peſtem quã uoluptatẽ corporis hominibus à natura datam, & Plato dixit eſcam malorum eſſe uoluptatem. hanc (inquit Cicero) uoluptatem beſtiis concedamus, qua capiuntur homines ut hamo piſces. Eſt alia uoluptatis ſpecies, quæ ex honeſtis rebus percipitur, ad quam toto impetu feruntur proborum hominum mentes, quæ ſola nera uoluptas appellatur, ut in Philebo copioſè Plato diſputat. & hoc eſt quod Iſocrates Demonicum adhortatur, ut eas uoluptates uenetur, quæ gloriam & honorem adferre poſſunt. hæc ſpecies uoluptatis in mediocritate ac temperantia nerſatur, & tam corpore quã animo percipitur, ut quies, & relaxatio laborũ, cibus & potus, qui ad reficiendas uires adhibetur, & ad famen atque ſitim extinguendam, & ueneris uſus ad liberorum procreationẽ. animo uero percipitur ſumma uoluptas ex honeſtis actionibus, atque ex præmiis uirtutis, ut ex honore, gloria, dignitate. ſed præcipuè ſcientia rerumque cognitio unus eſt ſuauiſſimus animi paſtus. hæ ſunt uoluptates quæ bonæ uocantur, & quæ felicem ac beatum hominẽ reddũt. ad quas Cicero pro P. Seſtio copioſè & eleganter adoleſcentes adhortatur ex eo loco: Voſq; adoleſcẽtes & qui nobiles eſtis, ad maiorũ ueſtrorum imitationẽ excitabo; & qui ingenio & uirtute nobilitatẽ poteſtis conſequi, ad eã rationẽ, in qua multi homines noui, & honore, & gloria floruerunt, cohortabor. hæc eſt una uia mihi credite, & laudis, & dignitatis, & honoris, à bonis uiris, ſapientibus, & bene natura conſtitutis laudari & diligi. & quæ ſequuntur. notiſſimus eſt locus, & ad ueras uoluptates percipiendas utiliſſimus.

Vt autem ſigillatim aliqua dicamus, hæc eſſe bona neceſſe eſt; primo felicitatem, quia per ſe expetenda eſt, & ſe ipſa eſt contenta, & eius gratia multa alia expetimus. TEXT.

COMM. Hoc loco nominatim bona quædã appellat, ut qui ſententiã dicant, explicatiorẽ habeant perſuadendi rationẽ. ac primo nominat eã quę bonorum omniũ præſtantiſſima eſt, nempe felicitatem ſiue beatitudinẽ. ac tribus de cauſis probat eſſe bonã. primo quia per ſe ſit expetenda. cupiunt.n. omnes eã aſſequi, atq; ad eã dirigunt omnes cogitationes ſuas. deinde quia ſe ipſa eſt contenta. nã qui beatitudinẽ aſſecutus eſt, is nihil amplius omnino deſideraret. poſtremo quia beatitudinis gratia multa alia ſolemus expetere, quæ per ſe nequaquã eſſe bona uidentur, ut labores, uigilias, famem, ſitim, calorem, frigus, nam (ut ait Horatius)

Qui cupit optatam curſu contingere metam
Multa tulit, fecitque puer, ſudauit, & alſit.

Tot igitur ſe homines laboribus frangunt, nõ alia de cauſa niſi ut aliquando feliciter ac beate poſſint uiuere, atque ab beatitudinem actiones omnes ſuas dirigunt, quare fit ut omnium rerum beatitudo ſit optima. hac de cauſa cum aliquẽ omnibus bonis cumulatũ oſtendere uolumus, eũ felicẽ ac beatũ appellamus. ſic.n. Cice. Tuſc. 5. Huic uerbo cũ beatũ dicimus ſubiecta notio eſt, ſecretis malis oibus, cumulata bonorũ cõplexio. qđ tñ accidere nõ pōt dũ p̄ſenti uita fruimur. ſed tũc eramus beati cũ corporibus relictis in illã æternã domum euolauerimus, de qua ita Virgilius in 6.

His demum exactis, perfecto munere diuæ
Deuenere locos lætos, & amœna uireta.
Fortunatorum nemorum, ſedeſq; beatas.

Felicitatem igitur primum bonorum locum obtinere certum eſt.

Deinde iuſtitiam, temperantiam, fortitudinem, magnanimitatem, magnificẽtiam, atque alios huiuſmodi animi habitus; ſunt enim hæ uirtutes animi. TEXT.

COMM. Cũ felicitas bona ſit, neceſſe eſt, ut etiã partes eius ſint bonæ. ſuperius autẽ inter felicitatis partes numerauit uirtutes, deinde dixit eas eſſe bonas, nũc uero ſpecies etiã uirtutũ omnes inter bona munerari debere cenſet. ſunt autẽ uirtutis ſpecies multæ, ut iuſtitia, fortitudo, magnanimitas, & reliqui eius generis animi habitus. qui quoniam propriè naturam attingunt humanam, & animũ perficiunt, non tantum boni ſunt, ſed etiam bonorum principatum obtinent.

Itaque Aeneas ille Virgilianus ita filium ſuum alloquitur:

Diſce puer uirtutem ex me, uerumque laborem.

Iuſtitiã autẽ primo loco ponit Ariſtoteles, quoniã omniũ eſt domina & regina uirtutũ. quæ non ad ſua, ſed ad alterius cõmoda refertur. neq; heſperus aut Lucifer tantã ſui excitat admirationem, ut in quinto Ethicorum ait Ariſtoteles. ea quo factum

ctum

ctum eſt iam tritum ſermone prouerbium:
Iuſtitia in ſeſe virtutes continet omnes.

Quod autem bona ſit iuſtitia vel ex eo probari poteſt, quod, vt docet Cicero primo de officiis, ex hac vna virtute boni viri nominantur. ſecundo loco fortitudinem ponit, quoniam ea virtus & publica & priuata bona cuſtodit & conſeruat. neque patitur animũ de gradu deiici aut perturbari, quæ res mentis tranquillitatem ſeruat, in qua eſt beata vita. tertio loco ponit temperantiam in qua ſola virtutis eſſe domicilium perhibent. eſt enim ea quæ cohibet appetitus turbidos, & ita corpus afficit, vt obedire conſilio atque rationi poſſit, quin etiam cæteræ uirtutes & magnanimitas, & magnificentia ſummopere laudantur. eo quod animo decus & ornamentum adferunt.

TEXT. *Tum bonam ualetudinem, pulchritudinem, cæteraque eius generis, quæ corporis uirtutes ſunt, & multarum rerum bonarum conficientes.*

COMM. Sicut animi virtutes bonæ ſunt, ita etiam virtutes corporis. in eo tamen differunt, quod quanto animus corpore præſtantior eſt, tanto etiam animi virtutes ſunt corporis virtutibus præſtantiores. ideo vero bona eſt ſanitas & pulchritudo quĩa res multas bonas conficiunt, quod exemplo probat Ariſtoteles, à vulgari opinione ſumpto.

TEXT. *Vt bona ualetudo uoluptatis, & uitæ. itaque res optima uidetur eſſe bona ualetudo, quoniã duas res efficiat, quæ plurimi ab hominibus æſtimantur; hoc eſt uoluptatem, & uitam.*

COMM. Cum quis bene valet, voluptatem percipit, & iucunde ſecureq; viuit. vnde fit vt hoies bonã valetudinẽ eſſe rẽ optimã arbitrentur eo, quòd duarũ rerũ ſit conficiens, quæ res ab omnibus plurimi fiunt. voluptatẽ enim omnes naturaliter expetunt, & vitã diligunt atque carã habent. bona vero ualetudo vtrunque conficit. hac fortaſſe de cauſa Metrodorus dixit eũ eſſe beatũ, cui corpus benè conſtitutũ ſit, atque exploratũ fuerit ita diu futurũ. Plutarchus dicebat bonam valetudinem idẽ eſſe voluptatibus, quod cœli tranquillitatem halcyonibus, quoniam eis concedit ut tuto ſecureq; incubent. addit præterea ſanitatem eſſe condimẽtum ſuauiſſimum, ac maximè diuinum.

TEXT. *Diuitiarum uſus fructuſque bonus eſt: hæc enim eſt poſſeſſionis uirtus, & multorum commodorum conficiens.*

COMM. Nõ eſt bonũ diuitias multas poſſidere, ſed eis vti. nã uirtus poſſeſſionis in uſu fructuque tota uerſatur. & multæ ex ea commoditates proficiſcũtur. quo fit, ut qui multa quidẽ poſſident, ſed eis non vtuntur, eo bono careant, propter quod diuitiæ cõparantur. ſupra dixit etiã Ariſtoteles diuitẽ ex vſu, non ex poſſeſſionibus æſtimari. præclarè uerò Cicero: non æſtimatione cenſus (inquit) uerum uictu, atque cultu terminaẽ pecuniæ modus. non eſſe cupidũ pecunia eſt, non eſſe emacẽ uectigal eſt: contẽtũ uero ſuis rebus eſſe, maximæ ſũt, certiſſimæq; diuitiæ. qui igitur tantam poſſeſſionem habet, ut ad liberaliter uiuendum ea facile contentus ſit, is diues eſt, & hoc bono fruitur.

Amicus & amicitia bona ſunt; nam amicus propter ſe eſt expetendus, & multorũ bonorũ efficiẽs. COMM.

Seneca dixit amicitiã eſſe precioſiſſimũ genus diuitiarũ, & nullius rei ſine amico iucundam eſſe poſſeſſionẽ. Ariſtoteles nono Ethicorũ ait amicitiã eſſe maximã omniũ bonorum quę extrinſecus adueniunt. quod ita primo de Finibus Cicero confirmat: omniũ autem rerum quas ad beatè uiuendum ſapientia comparauit, nihil eſt maius amicitia nihil iucundius. Quod aũt multorum bonorũ efficiens ſit amicitia, copiosè docet in Lælio Cicero. nam nulla poteſt eſſe vita uitalis, quę non in amici mutua beneuolentia conquieſcat. Ariſtoteles dixit amicũ vnam eſſe animam in duobus corporibus habitantem. Pythagoras dixit amicitiam æqualitatẽ eſſe, & amicũ eſſe alterum ipſum, omniaque amicorum bona eſſe communia, ſicut Ariſtoteles libro Ethicorum nono copiosè diſputat. bene etiam Horatius dixit: COMM.
Nil ego contulerim iucundo ſanus amico.

Honor præterea, & gloria; ſunt enim res iucundæ, multaque commoda adferunt; & plerunque accidit, ut in hominibus ea ſint, propter quæ honorãtur. TEXT.

Tribus rationibus probat honorẽ & gloriã eſſe bonã. primò quoniã res iucundæ ſint. nã ex honore, & gloria ſumma iucunditas & voluptas percipitur, unde clamat Val. Flaccus. COMM.
—Tu ſola animos mentemque peruris
Gloria.
& Val. Max. nulla eſt tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur. & Cicero ꝓ Archia poeta. Trahimur omnes ſtudio laudis, & optimus quiſque gloria ducitur. deinde quia multa commoda ſecum adferunt. Honor enim alit artes (ait Cicero) & omnes accenduntur ad ſtudia gloria. cum autem quis in honore ac precio eſt, longe cõmodius & facilius ea, quę cupit aſſequitur. poſtremò maiori ex parte accidit, ut ex uirtutib. & rebus præclarè geſtis honor & gloria naſcatur. licet enim aliquãdo praui ẽt homines, & indigni honorentur, non tamen ille uerus eſt honor, ſed fictus & ſimulatus. itaq; diuturnus eſſe nõ poteſt. uerus autem honor ut quarto Ethicorum docet Ariſtoteles, uirtutis eſt præmium. egregiè dixit ẽt Val. Max. libro ſecundo. uirtutis uberrimũ alimentum honorem eſſe. quin propter honorẽ & gloriã magnamini uiri piculis uitã obiectare, atq; ẽt mori nõ dubitãt. de qua re ſic Euãder apud Virgiliũ.
Haud ignarus eram quantũ noua gloria in armis
Et prædulce decus primo certamine poſſent.
quoniam igitur bona eſt gloria, ideo trahit ad ſe ferè omnium animos, ſicut ait Horatius:
Sed fulgente trahit conſtricto gloria curru
Non minus ignotos generoſis.

Dicendi quoque facultas, & agendi; quoniam ex eis multa bona proueniunt. TEXT.

Duæ ſunt facultates quæ plurimum hominibus proſunt, hoc eſt dicendi copia, quam eloquentiam uocant, & agendi poteſtas, quæ res ad exitũ deducit. ab his duabus facultatibus, ait Ariſtote- COMM.

les, multa bona proueniunt. ac primo quanta ſit utilitas in eloquentia copioſè docet Cicero pluribus in locis, ut in procemio de Inuentione, in primo de Oratore, atque etiam in ſecundo. tum in Oratione pro Murena. & in ſcdo de natura Deorum. ſed eleganter & paucis uerbis primo de legibus ita inquit: ſuſa latius perpetua Oratione qua regat populos, qua ſtabiliat leges, qua caſtiget improbos, qua tueatur bonos, qua laudet claros uiros, qua præcepta ſalutis & laudis apte ad perſuadendum edat ſuis ciuibus, qua hortari ad decus, reuocare à flagitio, cōſolari poſſit afflictos. Quintilianus libro ſecundo multis argumentis probat utilem eſſe artem oratoriam. quod etiam ipſemet Ariſtoteles in principio huius operis diligenter oſtendit. de agendi uero facultate, nemo dubitare poteſt, quin ſit res utiliſſima. quomodo enim quis ea quæ ſunt honeſta atque utilia perficiet, niſi agendi facultatem habeat? hinc eſt quod in rebus gerendis acres & induſtrij uiri laudātur. quin omne rerum geſtarum decus, omnis utilitas, omnis gloria ab agendi facultate prouenit.

TEXT. *Item ingenij acumen bonum eſt, & memoria, & docilitas, & animi celeres motus, cæteraque eius generis omnia. nam eiuſmodi facultates bonorum conficientes eſſe ſolent: eodem modo ſcientiæ omnes, & artes.*

COMM. Inter animi bona, ſunt etiam quæ à natura donātur, multa quidem, ſed quatuor potiſſimū, hoc eſt ingenij acumen, memoria, docilitas, & animi celeres motus, ex quibus artes & ſcientię proueniunt, quæ ſine dubitatione bonæ ſunt. his autem bonis Græcam olim nationem abundaſſe Cicero pro Flacco teſtatur: uerumtamen (inquit) hoc dico de toto genere Græcorum, tribuo illis literas, do multarum artium diſciplinam, non adimo ſermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam. quod nos acumen ingenij uertimus, id Ariſtoteles uocat εὐφυΐαν, quam octauo Topicorum ait eſſe uim ſumendi uerum, & falſum aufugiendi. Luceius ad Ciceronem ſcribēs ait: qui propter acumen occultiſſima perſpicis. Cicero de claris Oratoribus ita inquit. ut hominis decus eſt ingenium, ſic ingenū lumen eſt eloquentia. M. Antonius ſecundo de Oratore Craſſi ingenium uehementer commendat, & Cicero ingenium Archiæ poetæ in Oratione quam pro illo habuit. quoniā igitur ingenium res quædam egregia eſt, ideo ſibi illud omnes uendicant, unde Martialis:

Qui uelit ingenio cedere rarus erit.

Memoria uerò & docilitas ſub ingenio comprehenduntur, ut quinto de Finibus his uerbis docet Cicero: prioris generis eſt docilitas, memoria, quę ferè oīa appellantur, uno ingenij noīe. eaſq; uirtutes qui habent, ingenioſi uocantur. Memoriam autem rerum omnium Theſaurum in procemio de Oratore uocat Cicero. & in Bruto ait, memoriam eſſe cuſtodem cæterarum ingenij partiū. atque in eodem libro tradit Hortēſium tanta memoria fuiſſe, ut quæ ſecum commentatus eſſet, ea ſine ſcripto uerbis ijſdem redderet. Curionem autem tam fuiſſe immemorem, ut aliquoties tria cū propoſuiſſet, aut quartum adderet, aut tertiū quæreret. at uero pręcellenti memoria plurimi memorantur ut Themiſtocles, Cyneas, Sceptius Metrodorus, & alij multi. Docilitas quam Ariſtoteles εὐμαθίαν ingenij quædam facilitas eſt à natura proueniens, cum ea quę audiuntur aut leguntur ſine difficultate percipiuntur. ſed quam Ariſtoteles ἀγχίνοιαν uocat, omnes ferè ſolertiam interpretantur. uerum hoc latinum uocabulum, non ſatis exprimere Græcum uidetur. ipſemet Ariſtoteles primo poſteriorū quid ſit ἀγχίνοια declarat, his q. dē uerbis: ἀγχίνοιά ἐστιν εὐστοχία τις, ἐν ἀσκέπτῳ χρόνῳ τοῦ μέσου. ideſt uis quædam inueniendi medij, momento temporis. itaque nos uertimus celerem animi motum, cum ut Ariſtotelis ſententiam exprimeremus, tum ut Ciceronem imitaremur, qui primo de Oratore ſic ait: Nam & animi atque ingenij celeres quidam motus eſſe debent, qui ad excogitandum acuti, & ad explicandum ornandumq́ue ſint uberes. hanc uirtutem ingenij uidetur in Aenea ſuo Virgilius expreſſiſſe quarto Aeneid.

Atque animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc,
In parteſq́ue rapit uarias, perq́ue omnia uerſat.

De ſcientiis autem & artibus quas eſſe bonas ait Ariſtoteles, non eſt dubitandum, cum tot bona ſecum adferant. unde Bias Prienenſis, ea tantū bona putabat, quæ portare poſſet. & Ariſtippus amicos admonebat, ut talia bona ſibi acquirerēt, quæ naue fracta ſecum enatare poſſent. intelligēs artes & ſcientias.

Viuere quoque ipſum; nam & ſi nihil aliud boni conſequatur, propter ſe tamen ipſum expetendū eſt. TEXT.

Bonum eſſe uiuere probari poteſt ea ratione, COMM. quod quamuis priuati bonis homines ſint, tamē uitam expetunt, & in ęrumnis uiuere malunt quam emori. quod quinto de Finibus ita Cicero declarat: Maximè autem in hoc quidem genere vis eſt perſpicua naturę, cum & mēdicitatem multi perpetiantur, vt viuant, & angantur appropinquatione mortis confecti homines ſenectute. & ea perferāt quę Philoctetam videmus in fabulis. qui cum cruciaretur non ferendis doloribus, propagabat tamen vitam aucupio ſagittarum. adeo vero vita expetitur, vt cum aliquid nobis eſſe cariſſimum ſignificare volumus, id dicamus eſſe ꝓpria vita carius. Cicero primo de legibus ita inquit: vita expetitur, quia nos in quo nati ſumus continet, hinc Virgilius in 6. dulcē appellat uitā:

Quos dulcis uitæ expertes, & ab ubere raptos
Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.

Et alibi ait etiam ab ijs qui ſunt apud inferos uitam deſiderari, quamuis malorum plena ſit, q̄ uellent æthere in alto
Nunc & pauperiem & duros perferre labores.

Id etiam, quod iuſtum, eſt bonum; nam ad communem utilitatem pertinet. TEXT.

Supra dixerat iuſtitiam eſſe bonam, quæ habitus eſt animi conueniens cum ratione ſpecieſque virtutis. nunc addit etiam id quod iuſtè fit eſſe bonum. nam à iuſtitia prouenit, & communiter omnibus prodeſt. eſt enim id proprium iuſtitiæ munus nemini nocere, & ſuum cuique tribuere. Cicero ſecundo de legibus, iuſtum pro iure vſurpauit. ibidem ait legem eſſe iuſtorum atque iniuſtorum diſtinctionem. quod ſi iniuſtum eſt malum, vt omnes intelligunt, certè vt iuſtum bonum ſit, neceſſe eſt. Plato in Minoe rerum omnium pulcherrimam eſſe legem & iuſtitiam tradit, contra vero Anomiam, & iniuſtitiam rerum omnium turpiſſimam.

TEXT. *Hæc quidem ferè ſunt, quæ omnes bona eſſe confitentur. ſunt alia de quibus controuerſia eſt, quæ illis argumentis bona eſſe probantur.*

COMM. Quæ hactanus bona numerauit Ariſtoteles eiuſmodi ſunt, vt de illis nemo dubitet, ſed omnes eſſe bona fateantur. nunc alia eſſe inquit, de quibus eſt controuerſia, quoniam alij bona eſſe aiunt, alij negant. vt voluptatem alij bonam eſſe dicunt, alij vero malam. honores alij cenſent appetendos eſſe, quod magnopere boni ſint, alij cõtemnendos, quod inter bona non ſint habẽdi. quidam artem oratoriam vt rem pernicioſam negligunt, quod Lacedemonij faciebant. multi vero tanquam rem optimam expetunt. hæc igitur de quibus eſt controuerſia docet Ariſtoteles, quomodo cognoſci poſſint vtrum bona ſint necne.

TEXT. *Cuius contrarium eſt malum, illud bonum eſt; & id cuius contrarium hoſtibus prodeſt, ut ſi noſtros ciues eſſe timidos maximè conducit hoſtibus, perſpicuũ eſt, ciuibus maximè prodeſſe fortitudinem.*

COMM. A contrario ſuo ſæpe cognoſcuntur res vtrum bonæ ſunt an malæ. vt, quoniam infamia res mala eſt, honor bonus eſſe intelligitur, & quia dolor eſt malus, ideo voluptas eſt bona, & quoniam malũ eſt oratione ſe ſuoſque defendere nõ poſſe, ideo dicendi facultas & ars Oratoria bona eſt. illud et eſſe bonum intelligitur, cuius contrarium hoſtibus prodeſt. id quod Ariſtoteles exemplo probat. timiditas ciuium noſtrorum prodeſt hoſtibus, quoniam eos ſuperiores efficit, ergo non dubium eſt, quin fortitudo ciuibus maximè ſit vtilis. hic autem locus eſt copioſiſſimus, adeo vt ſæpiſſimè Cicero, contraria conglobet, quo facilius intelligi poſſit quæ bona ſint, & quæ mala. vt pro lege Man. non offenſionibus belli ſed victoriis. item, vt vos qui modo ante oſtium Tyberinum claſſem hoſtium videbatis, ij nunc nullam intra Oceani oſtium prædonum nauem eſſe audiatis. præclarũ verò exemplum huius generis eſt in Oratione p P. Seſtio: ſed mihi omnis oratio eſt cum virtute non cum deſidia, cum dignitate non cum voluptate; cum ijs qui ſe patriæ qui ſuis ciuibus, qui laudi, qui gloriæ, non qui ſomno, & cõuiuiis & delectationi natos arbitrantur. nam ſiqui voluptatibus ducuntur, & ſe vitiorum illecebris & cupiditatum lenociniis dediderunt, miſſos faciant honores, ne attingant Remp. patiantur viros fortes labore, ſe ocio ſuo perfrui. & quæ ſequuntur. hæc enim magis ex aliorum contentione quam ipſa per ſeſe cognoſci atque intelligi poſſunt. ſicut ait Cicero pro lege Man. ita Pallas Euandri filius apud Virgilium in 10.

Fidite ne pedibus ferro rumpenda per hoſtes,
Eſt via. & Dido in quarto:
Nec tibi Diua parens gñis nec Dardanus auctor,
Perfide, ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, hyrcanæque admorunt ubera tygres.

Quod autem timiditas noſtrorum hoſtibus proſit, oſtendit Drances apud Virgilium libro vndecimo, qui ita Turni timiditatem inſectatur:
Cuius ob auſpicium infauſtum moreſque ſiniſtros,
(Dicam equidem licet arma mihi, mortemque minetur):
Lumina tot cecidiſſe ducum, totamque videmus,
Conſediſſe vrbem luctu, dum Troia tentat
Caſtra, fugæ fidens, & cælum territat armis.

Ita Cicero pro Murena pluribus argumentis probare contendit, vtiliſſimum Catilinæ, importuno gladiatori, atque hoſti Reip. fore, ſi Murena condemnetur, ut facilius perſuadeat Iudicibus, eſſe Murenam liberandum.

Et omnino quod inimici cupiunt, & quo gaudent, eius contrarium utile nobis eſſe uidetur; ideo rectè dictum eſt ab Homero: TEXT.
Gauderet certè Priamus.—

Illud etiam (inquit) vtile nobis eſt, cuius contrarium inimici noſtri cupiunt, & fieri gaudent. vt cupiunt inimici nos voluptatibus indulgere & ocio atque luxuria diffluere, ergo labor, & temperantia bona eſt. tradunt. C. Fabritium cum audiuiſſet Cineam Pyrrhi legatum de voluptate diſputantem, atque illam ſummum bonum eſſe affirmantem, dixiſſe., vtinam hoc populi Romani hoſtibus perſuadere poſſes. quo dicto ſignificare voluit temperantiam eſſe voluptate longe præſtantiorem. Exemplum Homeri quod Ariſtoteles citat, eſt in primo Iliadis, vbi Neſtor componere litem (quod ait Horatius) Inter Peliden feſtinat & inter Atridem. ſi Priamus (inquit) atque eius filii natam inter vos diſcordiam & contentionem audirent, profectò magnopere lætarentur. quo argumento probat vtilem eſſe concordiam. hunc locum vſurpauit etiam ille callidus Sinon apud Virgilium, ſecundo Aeneid. COMM.

Idque audire ſat eſt. iam dudum ſumire pœnas
Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.

Cicero pro lege Man. locum hunc attigit, cum ita ait de Mithridate: non modo adhuc pœnam nullam ſuo dignam ſcelere ſuſcepit, ſed ab illo tẽpore, annum iam tertium & vigeſimum regnat, & ita regnat, vt ſe non Ponto, neque Capadociæ latebris occultare velit, ſed emergere è patrio regno, atque in veſtris uectigalibus, hoc eſt in Aſiæ luce uerſari. certè quod his contrarium eſt, utile Romanis fuiſſet.

TEXT. *Neque tamen hoc perpetuo uerum eſt: nam interdum fieri poteſt, ut eadem res aduerſarijs utilitatem adferat: unde prouerbio dicitur, homines ab infortunijs, & malis conciliari, quoties idem utriſque detrimentum adfert.*

COMM. Accidit quidem plerunque ut quod hoſtibus bono eſt, id nobis malo ſit. ſed tamen hoc perpetuum non eſt, quoniam nihil prohibet ut aliquando accidat eandem rem aduerſarijs utriſque utilẽ eſſe, atque etiam utriſque inutilem, unde prouerbio dicitur: Conciliant homines mala. Plutarchus tradit Cretenſes, quamuis inter ſe diſsiderent, & inimicitias exercerent, tamen cum hoſtes externi aduentarent ſolitos conciliari, quæ conciliatio dicebatur ab illis Syncretiſmus. quod uerbum uſurpari poteſt in illos, qui cum hoſtes eſſent antea, poſtea rediguntur ad ſummam concordiam, ut Eraſmus adnotauit. Q. Curtius libro nono ſcribit, Sudracos & Mallos, cum antea bellare inter ſe conſueuiſſent, audito Alexandri aduentu, repẽte ſocietatem inter ſe iunxiſſe, & fœdera percuſsiſſe. Virgilius in octauo ſcribit Aeneam ad Euandrum Arcadem, qui à ſtirpe conuictus eſſet Atridis, ueniſſe, atque auxilium ab eo petiuiſſe, hoc argumento, quod Dauni eſſent & ſibi, & Euandro hoſtes acerrimi. ſic enim ait Aeneas:

Gens eadem quæ te crudeli Daunia bello
Inſequitur, nos ſi pellant, nihil abſore credunt.
Quin omnem Heſperiam penitus ſua ſub iuga
mittant.

TEXT. *Id etiam bonum eſt, in quo nihil nimium eſſe poteſt: quod enim maius eſt, quàm conueniat, id eſt malum,*

COMM. In foribus templi Apollinis Delphici ab Amphyctionibus tradit in Charmide Plato ſcriptam illam ſententiam fuiſſe μηδὲν ἄγαν, hoc eſt nequid
7.32. nimis. quam ſententiam Plinius ait Chilonis Lacedæmonij fuiſſe, & Terentius in Andria ait in uita apprimè eſſe utilem. quoniam, ut ait Plautus in Pœnulo, modus omnibus in rebus eſt optimus. atque ideo uirtutes omnes Philoſophi cenſent in mediocritate conſiſtere, omnem uero exuperantiam, atque defectum in uitio ponunt. quod Horatius in illi uerſibus atteſtatur:

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Sed tamen aliquæ res eiuſmodi ſunt, ut in eis nihil unquam poſsit eſſe nimium, ſed quo maiores fuerint, eo ſemper ſolent eſſe præſtantiores. talis eſt ſapientia. neque enim quiſquam poteſt eſſe nimium ſapiens. tales ſunt uirtutes morales ut iuſtitia, ſortitudo. nam nemo poteſt nimium iuſtus aut ſortis eſſe. quamuis interdum aliter imperitæ multitudini uideatur. de qua re ita Cicero Tuſcul. libro quinto: Eſt apud Heraclitum Phyſicum, de principe Epheſiorum Hermodoro: uniuerſos ait Epheſios eſſe morte multandos, quod cum ciuitate expellerent Hermodorum, ita locuti sũt: Nemo de nobis unus excellat, ſed ſiquis extiterit alio in loco, & apud alios ſit, an hoc non ita fit omni in populo? nonne omnem exuperantiã uirtutis oderunt? quid Ariſtides, nonne ob eã cauſam expulſus eſt patria, quod præter modum iuſtus eſſet? ſic apud Virgiliũ Latinus de Turno:

O præſtans animi iuuenis, quantum ipſe feroci
Virtute exuperas. tãto me impenſius æquum eſt
Conſulere, atque omnes metuentem expendere
caſus:

Sed re uera neque iuſtitia, neque ulla uirtus nimia eſſe poteſt.

Et cuius cauſa multi labores ſuſcepti ſunt, aut multi ſumptus facti, bonum iam eſſe uidetur; & iam finis exiſtimatur, multarumque rerum finis; quicquid autem finis rationem habet, id certe bonum eſt; unde huiuſmodi dicta uulgo iactãtur; certè Priamo gloriam. &, Turpe eſt manere diu. & prouerbium illud, In foribus hydriam. TEXT.

Qui multum laborat, aut magnos ſumptus facit, ut aliquid acquirat, non eſt dubium quin illud bonum exiſtimet, quoniam id tanquam finẽ quendam ſibi proponit. & finis qui uel à natura, uel à uoluntate pendet, ſemper boni rationem habet. ut qui laborat, & ſumptus magnos facit, ut præturam aut conſulatum acquirat, ſicuti romanorum candidati faciebant, certe præturam & cõſulatum eſſe bonum exiſtimat. & Athletæ frequẽter ſe exercebant, & temperantes erant, ut coronam in ludis gymnicis aſſequerentur, id faciebant, quia coronari pro uictoria rem præclaram eſſe arbitrabantur. & qui equos magnis ſumptibus alebant. quod feciſſe dicitur Alcibiades, ut ab Olympijs currendo coronam peterent, ſic literarũ ſtudioſi plurimos labores, uigilias, moleſtias ſubeunt, ut eruditionem acquirant, quod certè nõ facerent, niſi bonam eſſe doctrinam putarẽt. hoc eſt qđ Muſonius Philoſophus dicebat Deos omnia bona laboribus uendere. & Plato gloriam eſſe laboris filiam. & Heſiodus, uiam quæ ducit ad uirtutem arduam ac difficilem ait eſſe. & prouerbium, Difficilia quę pulchra. & Virgilius. latet arbore opaca COMM.

Aureus & folijs & lentó uimine ramus.

Ariſtoteles tribus exemplis probat, id eſſe bonũ, cuius cauſa multi labores ſuſcepti ſunt, & multi ſumptus facti, quorum duo ſumpſit ab Homero ex ſecundo libro Iliadis. ubi cum Græci laboribus diuturnis feſsi pararent à Troia re infecta diſcedere, Iuno Mineruæ ſuadet, ut ad eos proficiſcatur, & à fuga reuocet, doceatque quantum infamiæ dedecorisque ſubituri ſint, ſi tot exantlatis laboribus, & tot ſumptibus factis diſcedant, & eam gloriam Priamo relinquant, ut iactare poſſit, ſe Græcorum uictorem eſſe. atq; Helenam ꝑ qua tot fortiſsimi uiri in bello perierant, apud Paridem amatorem eſſe patiantur. deinde Vlyſſes à Palade admonitus blandis uerbis ſingulos duces alloquitur, & docet eis turpe fore, ſi, cũ tã diu circa Troiam fuerint, inanes reuertantur. ad quam Homeri ſententiam alluſit Cicero initio tertij libri de Offi. ubi filium ſuum ita alloquitur: Suſce

piſti

piſti onus prætereagraue & Athenarum, & Cratippi, ad quos cum tanquam ad mercaturam bonarum artium ſis profectus,inanem redire turpiſſimum eſt. hoc autem Homeri carmen ita uertit Eraſmus in Adagijs

Turpe eſt & manſiſſe diu uacuumq; reuerti.

Illud uero prouerbium, In foribus hydriam. ponitur quidem in Adagijs ab Eraſmo, ſed non explicatur.nam uir ille alioqui ſatis eruditus,locū quidem hunc Ariſtotelis citat, ſed nihil addit qđ ad eius intelligentiam faciat,imo totus aberrat ab Ariſtotelis ſentētia. Victorius ingenue fatetur ſe neſcire prouerbij uim explanare, & tamen ea dicit,quæ mihi ualde uidentur eſſe uerisimilia. nã Athenis aquam e fontibus hauriebant,& eam mulieres capite geſtabant, quod ſi labore feſſæ cum ad fores perueniſſent, hydriam depoſuiſſent, aut aquam effudiſſent,irritus fuiſſet earum labor.itaque hoc prouerbio taxatur eorum ignauia,aut imprudentia, qui cum rem penè ad exitum deduxerint,eam deſerunt. tanquam ſi in foribus aquam effunderent, quam è remoto loco non ſine labore petiſſent. ſed quia mutilum refert hoc prouerbium Ariſtoteles, ſicuti ferè ſolet omnia citare, neque integrū alibi reperitur, ideo fit obſcurius, neque aliter quàm coniecturis explicari poteſt. puto igitur integrum ita proferri poſſe: In foribus hydriam euertere. ſic enim cum Ariſtotelis ſententia conueniet, & irritum laborem ſignificabit.

TEXT. *Et quod multi expetunt, & pro quo digladiari inter ſe conſueuerunt; quod enim omnes expetunt, id bonum eſſe ſupra diximus,multi uerò, tanquam omnes uulgo uidentur.*

COMM. Illud etiam bonum eſt quod multi ſtudent aſſequi,& pro quo non dubitant, cum alijs contendere,& litigare,& denique digladiari, quod ſæpe fit pro agris & poſſeſsionibus, & pro magiſtratibus. probat autem id quod propoſuit à definitione boni quam ſupra poſuit. bonum id eſt qđ omnes expetunt, ſed maior hominum pars uulgò pro omnibus ponitur. ut ſi dicamus, omnes magis pugnant pro ſuis commodis,quam pro ſalute communi.ideo uerum eſt, quoniam licet aliqui ſint, qui magis communem ſalutem quam ſuam curent,tamen plerique aliter faciunt. Plato dicebat philoſophos propterea iuſtos eſſe, quòd ea quæ plerique uehementer expetunt,de quibus inter ſe digladiari ſolent,contemnant, & pro nihilo ducant. contra uero Cicero putauit anguſti eſſe animi atque demiſsi honorem atque dignitatem contemnere, ideo grauiſsimis uerbis Piſonē inſectatur, quod negaſſet ſe triumphi cupidū unquam fuiſſe. nam (inquit) ut leuitatis eſt inanem aucupari rumorem, ut omnes umbras etiam falſę gloriæ conſectari,ſic leuis eſt animi, lucem ſplendoremq; fugientis, iuſtam gloriam, qui eſt fructus ueræ uirtutis honeſtiſsimus, repudiare. hac ratione probatur imperium eſſe rem præclaram, quoniam plurimi alijs imperare concupiſcunt,unde Iulius Cæſar in ore ſemper græcos uerſus Euripidis de Phæniſsis habebat, quos ita uertit Cicero.3.de offic.

Nam ſi uiolandum eſt ius,regnandi gratia
Violandum eſt:alijs rebus pietatem colas.

Et quod eſt laudabile; nemo enim id laudat,quod bonum non eſt. TEXT.

COMM. Quicquid laude dignum eſt,id eſſe bonum neceſſe eſt. nemo enim apertè laudat id, quod eſt malum. etiam fortaſſe illud ſequatur. honeſtum autem etiam ſi à nullo laudetur,tamen natura eſt laudabile ut primo de officijs ait Cicero. quin omnes actiones quæ ab honeſtate proueniunt, laudabiles ſunt, atque ideo bonæ habentur. Itaque Aeneas, cum ea quæ Dido Troianis contulerat, commemoraſſet, eis uerbis:

Quę nos relliquias Danaum,terræque mariſque,
Omnibus exhauſtos iã caſibus, omnium egenos,
Vrbe domo ſocias.

Vt oſtenderet ea eſſe magna,ſic in extrema orationis ſuæ parte dixit: 1. Aene.

Semper honos nomenque tuum, laudesque manebunt.

Nam ea tantum, quæ bona ſunt, iure laudantur.

Et quod etiã inimici,ac maleuoli homines laudant; nam quod illi laudant, qui mala inde perpeſsi ſunt, perinde eſt, ac ſi iam omnes bonum id eſſe fateantur. ideo uero conſitentur quia planum & perſpicuum eſt. TEXT.

Cū inimici ac maleuoli hoies aliqđ laudãt,id ſine ulla dubitatione bonum ac præclarum quiddã eſſe oportet.neque.n. poteſt quiſquam inimicum ſuum ex animo laudare.niſi cū in eo ſint res eiuſmodi quas omnes bonas eſſe confitentur,ut is impudens ſit,qui contra dicere audeat. quod. n.planum ac perſpicuum eſt,negare impudentiæ.unde Cicero Saluſtium inimicum ſuum inſectatur, qđ cū in hiſtorijs eum laudaſſet, & egregium uirū appellaſſet in Senatu poſtea uituperat.ſic.n.ait:neque te tui piget homo leuiſsime,cū ea culpas,quę in hiſtorijs gloriæ mihi ducis: Idem Cicero pro lege Man. de Pompeio ſic ait: fidem uero eius inter ſocios quantam exiſtimari putatis, quam hoſtes omnium gentium ſanctiſsimam eſſe iudicarint? humanitate iam tãta eſt,ut difficile dictu ſit, utrū hoſtes magis uirtutem eius pugnãtes timuerint, an manſuetudinem uicti dilexerint.hanc laudandi rationem cum Virgilius eſſe maximam intelligeret,noluit in Aenea ſuo laudando prætermittere. itaque Diomedem Troianorum omnium atq; Aeneæ ipſius præcipuum hoſtem ita de Aenæa loquentem inducit, Aeneidos libro undecimo: COMM.

Munera quæ patriis ad me portatis ab oris.
Vertite ad Aeneam. ſtetimus tela aſpera contra
Contulimuſque manus,experto credite,quantus
In Clypeum aſſurgat,quo turbine torqueat haſtã
Si duo præterea tales Idæa tuliſſet
Terra uiros, ultro Inachias ueniſſet ad urbes
Dardanus,& uerſis lugeret Græcia fatis.

& paulo poſt de eodem Aenea atque Hectore.

Ambo

Ambo animis, ambo inſignes præſtantibus armis,
Hic pietate prior.

Admirabilem igitur uirum Aenæã fuiſſe oportet. quem inimiciſſimus Diomedes tantopere laudauit. itaque Latinus rex audito Diomedis encomio de Aenæa, ita ciues ſuos allocutus eſt:
Bellum importunum ciues cum gente Deorum,
Inuictiſq; viris gerimus. ſic etiã Dido Aeneid.
Ipſe hoſtis Teucros inſigni laude ferebat.

TEXT. *Quemadmodum enim illi ſunt improbi, quos amici uituperant, ſic illi boni, quos neque inimici uituperãt.*

COMM. Hoc eſt argumentum a contrario, quo probat id, quod propoſuerat, nempe quos etiam inimici laudant, eſſe bonos. ut enim quos amici vituperant, improbi ſunt, ita illi ſunt probi, quos inimici laudant, tanta eſt enim vis honeſtatis ac veritatis, vt etiam amici damnent amicorum vitia, & inimici cogantur inimicorum virtutes laudare. ſicuti C.Gracchus cum L.Piſonem in concionem vocari iuberet, & viator quæreret, quem Piſonẽ? quod erant plures. cogis me (inquit) dicere inimicum meum frugi. talis igitur vir L.Piſo fuit, vt ne inimicus quidem ſatis eum in appellando ſignificare poſſet, niſi ante laudaſſet. auctor Cicero pro Fonteio. habet enim hoc virtus (vt ait Cicero contra Piſonem) vt viros fortes ſpecies eius & pulchritudo, etiam in hoſte poſita delectet.

TEXT. *Ideo ſe contumelia affectos à Simonide poeta Corinthij exiſtimarunt, quòd ita ceciniſſet, Corinthios non incuſat Ilium.*

COMM. Hoc exemplum putat victorius non cohærere cum ſuperiore ſenſu, quo circa nouum quendam ſenſum excogitauit à propoſito penitus alienum, & cum uideret interpretationem ſuam huic loco non quadrare, finxit eſſe mendum in ſcriptura. mihi ſanè res aperta videtur, ideo Corinthios exiſtimaſſe contumelia ſe affectos à Simonide, quod diceret eos à Troianis non incuſari, quoniam nullã eorum mentionem Troiani facerent tanquã ignauorum hominum à quibus in bello nulla detrimẽta accepiſſent, cum interim de Achille, Aiace, Vlyſſe multa verba facerent, à quibus tot mala perpeſſi fuiſſent. vt ne ipſi quidem hoſtes poſſent eorum fortitudinem, & bellicam virtutem non celebrare, cum ſuis dolerent infortunijs. ad huius interpretationis confirmationem facit id, quod de contentione armorum Achillis traditur. cũ enim & Aiax & Vlyſſes ea arma peterent, neque Græci iudices ſatis extricarent vtrum eorum alteri præponerent, tandem in eam ſententiã diſceſſum eſt, ut à captiuis Troianorum peterent à quo plura detrimẽta cepiſſent, ab Aiace ne, an ab Vlyſſe. qui cum reſpondiſſent, ab Vlyſſe plura ſe damna perpeſſos fuiſſe, ſtatim Vlyſſes præſtantior eſt iudicatus. Neque enim hoſtes poſſunt aliquem vehemẽter incuſare, quin eius uirtutem extollant. quem autem non incuſant, eum quaſi contemnunt, & ignauum iudicant. merito igitur Corinthij ſe affectos à Simonide contumelia cenſuerunt, quòd dixiſſet, Corinthiis non indignatur Ilium. quamuis Plutarchus in vita Dionis aliter Simonidis dictum interpretetur. nẽpe, Corinthios quidem copias contra Troianos cum reliquis Græcis miſiſſe, ſed tamen à Troianis non incuſatos, quia Glaucus etiam Corintho oriundus cum exercitu Troianis auxilio venit. ſed hæc Plutarchi interpretatio nihil Ariſtotelis ſententiam adiuuat. quare prior eſt accipienda, quam etiam Eraſmus in Adagijs poſuit, & hunc Ariſtotelis locum citauit.

TEXT. *Et quod aliquis ex prudentibus, & bonis uiris, ac mulieribus praecellere iudicauit; & Vlyſſem Pallas, Helenam Theſeus, tres illæ Deæ Paridem, Achillem Homerus.*

COMM. Sæpe etiam bonum aliquid eſſe ex eo intelligitur, quòd à prudentiſſimis uiris, & lectiſſimis fœminis tale eſſe iudicatur. prudentium enim virorum iudicium raro fallitur. vnde Cicero Piſonem vehementer irridet, quod triumphum ſe contemnere dixiſſet, quem plurimi viri prudentiſſimi tã quam rem optimam expetiuerant. quorum in numero ponit Pompeium qui iam ter triumpharet, Craſſum P.Seruilium, Q.Metellum, C. Curionẽ, P.Africanum, multoſque alios. Ariſtoteles quatuor exempla ſatis nota & vulgata ponit. primum à iudicio Palladis, quam Homerus fingit Vlyſſi plurimum fauiſſe, atque illi ſemper auxilio fuiſſe, quod eſſet uir prudentiſſimus, alterum à Theſei iudicio, qui cum eſſet vir ſapientiſſimus, tamen Helenam adhuc puellam & virginem adamauit, atque illam rapuit. de qua re multa Iſocrates in Helenæ Encomio. nam eius laudes ex eo vehemẽter amplificat, quod tali viro placuerit. Tertium à iudicio trium Dearum Iunonis, Palladis, Veneris, quæ cum inter ſe de pulchritudine contenderent ad Paridem tanquam ad Iudicem profectæ ſunt. Quartum ab Homeri iudicio, qui cũ multi heroes in bello Troiano fuerint, tamen omnibus Achillem præpoſuit. Quare Alexander Magnus cum ad Achillis tumulum aſtitiſſet, O fortunate (inquit) adoleſcens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inueneris: hoc argumento uſus eſt Horatius ad Mœcenatem ſcribens,
Cum ita inquit.
--Magnum hoc ego duco
Quod placui tibi qui turpi ſecernis honeſtum.

TEXT. *Et omnino quæcunque aliis conſulto præponuntur.*

COMM. Illa generatim (inquit) bona putanda ſunt, quę præponuntur aliis, & quæ quiſpiam ſibi præ cæteris eligit, ea ſunt illi bona, niſi fortaſſe decipiatur. ut Cicero ad Atticum ſcribens, ait ſe bibliothecã, Craſſi diuitiis pręponere. & Horatius nõ ſe cupere ait, Opimæ Sardinię ſegetes feraces. Non æſtuoſę grata calabrię Armenta, non aurum aut ebur indicum. ſed ita precatur Apollinem: Frui paratis & ualido mihi Latoe dones, at precor integra cum mente, nec turpem ſenectam Degere, nec cithara carentem.

TEXT. *Statuunt enim homines ea facere, quæ ſupra dicta ſunt,*

ſunt, & quæ mala ſint inimicis, amicis autem bona, & quæ fieri poſsint.

COMM. Quoniam quæ eliguntur ab hominibus bona illis eſſe dixerat, nunc explicat, quæ ſint ea, quæ ſolent homines eligere. nempe illa primò quæ ſunt hactenus inter bona numerata, deinde quæ mala ſunt inimicis, tum quæ proſunt amicis, poſtremò quæ poſſunt ab eis fieri. quod autem ait Ariſtoteles homines ea facere quę mala ſint inimicis, licet hoc ab inſtitutis chriſtianis ſit alienum, tamen apud ueteres in magna laude ponebatur. unde ſecũdo libro Topicorum idem Ariſtoteles ait, eiuſdẽ indolis eſſe amicis benefacere, & inimicis malè. & Theſpeſius quidam à Plutarcho laudatur, quod inimicis eſſet ſuis moleſtiſsimus, in amicos autem liberaliſsimus. Cicero ſtatuit, boni uiri eſſe, nemini nocere, niſi à quo laceſſitus iniuria fuerit. quin ea tantum eligunt homines, quæ à ſe poſſe fieri exiſtimant.

TEXT. *Hæc autem duobus modis intelliguntur; uel quæ quoquo modo fieri poſſunt, uel quæ facile, nulloque negocio. facilia uerò dicuntur ea, quæ uel ſine moleſtia, uel breui tempore confici poſſunt, difficile namque uel moleſtiis, uel temporis longitudine definitur.*

COMM. In omni deliberatione quæritur quid fieri poſſit. & cum rem fieri poſſe conſtat, tunc videndũ eſt vtrum facile, an difficile ſit eam perficere. hoc eſt quod ait Ariſtoteles, duobus modis res poſſe fieri dicuntur, vel quoquo modo, hoc eſt magna cum difficultate & labore. vel facile & nullo negocio. cum autem alicui conſilium damus, oſtendere debemus eam rem ad quam adhortamur, uel eſſe facilem, uel non admodum difficilem. & hoc eſt quod ait in Partitionibus Cicero: Cum autem quæritur quid fieri poſsit, videndum etiam eſt, quam facile poſsit. nam quæ perdifficilia ſunt, perinde habenda ſæpe ſunt ac ſi effici non poſsint. ſed quomodo quæ facilia ſunt intelligi poſsint docet Ariſtoteles. duobus enim modis facilia dicũtur. vel quæ ſine moleſtia fieri poſſunt, uel quę breui tempore. ſicuti cõtra, difficilia dicuntur ea, quæ uel cum moleſtia fiunt, uel non ſine longo tẽpore. Cicero ſecundo de Inuentione totum hunc locum ita conuertit: Facile fieri id dicimus, quod ſine magno, aut ſine ullo labore, ſumptu, moleſtia, quam breuiſsimo tempore cõfici poteſt. Difficile antem fieri, quod quamquam laboris, ſumptus, moleſtiæ, longinquitatis indiget, atque aut omnes, aut plurimas, aut maximas cauſas hẽt difficultatis: tamen his ſuſceptis difficultatibus compleri, atque ad exitum perduci poteſt. in oratione pro Plancio ſic ait Cicero: ſed mihi in cauſa facili atque explicata per difficilis Iudices & lubrica defenſionis ratio proponitur. utrumque coniunxit etiam Virgilius in ſexto:

Facilis deſcenſus Auerni,
Sed reuocare gradũ ſuperaſque euadere ad auras
Hoc opus hic labor eſt.

Eergo cum alicui conſilium damus, oſtẽdere oportet, eam rem ab eo facile fieri poſſe. vt Iuno primo Aeneid. ad Aeolum, Aeole, namque tibi Diuum pater atque hominum rex.

Et mulcere dedit fluctus & tollere uento,

Statim enim proponit ab Aeolo fieri poſſe qđ ipſa erat petitura. & Venus cũ filium alloquitur ut Didonem in amorem Aenææ pelliciat, ſic ait:

Quo facere id poſsis noſtram nunc accipe mẽtẽ.

Cicero libro ſecundo Epiſtolarum, cum ſuadere uellet Curioni ut Miloni cõſulatus candidato faueret, ita inquit: Huic te unum tanto adiumẽto eſſe ſi uolueris poſſe intelligo, ut nihil ſit præterea nobis requirendum.

Bona quoque illa ſunt, quæ ita ſiunt, ut homines uolunt. uolunt autem uel nihil habere mali, uel ſaltẽ minus mali, quam boni; quod tunc euenit, cum pœna uel nos latuerit, uel puſilla fuerit. TEXT.

Quæ nobis ex animi ſententia ſuccedũt, ea bona iudicantur. ut Cicero ad Atticum, ſanè ita cadebat ut uellem. res enim iucunda eſt, noti compotem fieri. quod in Epigrammate Deliaco ſcriptum erat, ut primo Ethicorum docet Ariſtoteles, in hanc ſeutentiam; Suaue eſt, cuius ſi quod cupit, eueniat. ſic Turnus in decimo Aeneid. COMM.

Quod uotis optaſtis adeſt, perfringere dextra.
In manibus Mars ipſe viri.

Cicero ad Celiũ ſcribẽs, ſe nũciũ optatiſſimũ accepiſſe dicit, qđ is ſibi Quęſtor obtigiſſet, quẽ maxime cupiebat. Optãt aũt homines omni ꝓrſus malo carere, quo benè beateque uiuant. quòd ſi id nõ contingat, quoniam in humana uita ſemper rebus bonis, aliqua mala permixta ſunt, cupiũt ſaltem boni plus habere, quam mali. neque detrectant aliqua ſubire mala, dum intelligant ſe plura bona conſecuturos. id autem tunc accidit, cum adeo bonum id excellit quod ex aliqua re percipitur, ut pœna quã ſecum id malũ portat ita obruatur, ut ne ſentiri quidem uideatur, aut certè parũ ſentiatur. cum enim res ad optatum finem deducta fuerit, tunc euaneſcit præteritorum malorum recordatio, & ſubit pręſentis boni iucunditas, unde rectè dictum eſt; iucundi acti labores. &, ſuauis eſt laborum præteritorum memoria. ad quod alluſit Aenæas apud Virgiliũ:

Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit.

Et quæ propria ſunt, & quæ nullus alius poſſidet, & quæ reliquis præſtant, bona ſunt; in his enim honor ſpectatur. TEXT.

Quæ alicuius propria ſunt, ita ut nullus alius poſſideat, magna ſunt bona. hoc eſt quod Cicero tertia Philippica ait libertatem eſſe propriam Romani generis. & Sceuola primo de Oratore, proprium id bonum L. Craſſi eſſe uult quod de omnibus rebus poſſet copioſe diſputare, non autem commune reliquorum Oratorum. ſic Iuno apud Virgilium commendat munus ſuum quod eſſet Aeolo datura, tanquam id Aeoli proprium futurum, non in alterius poteſtate. COMM.

--Deiopeiam
Connubio iungam ſtabili propriamque dicabo.

& Ae-

& Aeneas tertio Aeneid. ſic Apollinem precatur:
Da propriam Tymbræ domum da mænia feſsis.
nam quæ propria ſunt, ſæpe communibus præſtant & honorem adferunt, vt in quinto Aeneid.
Hi proprium decus, & partum indignantur honorem
Ni teneant, vitamque uolunt pro laude paciſci.
& communiter quæ præſtant alijs bona ſunt. vt Cicero in Bruto; Hortenſius ſuos inter æquales longe præſtitit. & ſecundo de Innentione; Zeuſis muliebri in corpore pingendo reliquis præſtabar. & ſecundo de Orarore ſcribit Socratem lepore ac facetijs omnibus præſtitiſſe. & quinto Tuſc. ait, longè omnibus ſtudijs contemplationem rerum cognitionemque præſtare. Sic Virgilius oſtēdit meliores eſſe qui alijs pręſtant in aliqua re, vt octauo Aeneidos.
Quorum de numero qui ſeſe in bella ſequantur
Præſtantes uirtute legit. ſic in ſexto Miſenum laudat.
—quo non præſtantior alter
Aere ciere viros, Martemque accendere cantu.
Et in vndecimo Aeneam Hectori præponit hac ratione, quod pietate præſtaret. ait enim:
Ambo animis, ambo inſignes præſtātibus armis,
Hic pietate prior.

TEXT. *Et quæ ipſis congruentia ſunt; qualia ſunt, quæ uel propter genus, & familiam, uel propter eius ipſius facultatem, alicui conueniunt.*

COMM. Ea bona ſunt quæ cuique congruunt, id enim, ait primo de Officijs Cicero, quęque decet, quod eſt cuiuſque ſuum maximè. ſuum igitur quiſque noſcat ingenium. & ea, quæ ſibi congruētia ſunt, quærat. duobus autem modis dicuntur, aliqua cōgruere, uel propter genus & familiam, uel propter facultatem propriam. propter genus & familiam, quia, ſicuti docet Cicero, quorum patres aut maiores in aliqua gloria præſtiterunt, eorum plerique in hoc genere laudis ſtudent excellere. Vt Q. Mutius P. filius in iure ciuili, Pauli filius Africanus in re militari. quidam autem ad eas laudes, quas à patribus acceperunt, addunt aliquam ſuam; ut hic idem Africanus eloquentia cumulauit bellicam gloriam: quod idē fecit Timothęus Cononis filius; qui cum belli laude non inferior fuiſſet, quam pater, ad eam laudem, doctrinæ & ingenij gloriam adiecit. Qui ſunt igitur e nobili familia eis congruunt honores, magiſtratus, imperia, obſcuris hominibus magis congruunt artificia, quibus uictum acquirant. propter facultatem propriam, congruunt militi arma, ſtudioſo literarum, libri, atque unicuique artifici ſua inſtrumenta. Cicero pro Murena probare conatur conſulatum magis conuenire Murenæ quam Ser. Sulpitio. quod Murena eſſet egregius Imperator, Sulpitius autem Iuriſconſultus. melius autem Imperatores gerere Conſulatum poſsint quam Iuriſconſulti. Aiax apud Ouidium magis ſibi quam vlyſsi
13. Met. Achillis arma congruere contendit. primò propter genus & familiam. q̄ à Ioue genus duceret, ſicuti etiam Achilles. unde ſic ait: Frater erat, fraterna peto. deinde propter fortitudinē propriam, quod Vlyſsi lōge præſtaret. illum enim tanquam imbellem notat eis verſibus.
Sed neque Dulichius ſub Achillis caſside uertex
Pondera tanta feret, nec non oneroſa grauisque
Pelias haſta poteſt imbellibus eſſe lacertis.
ſe vero commendat vt fortem & ſtrenuum.
Deniq; quid uerbis opus eſt ſpectemur agendo,
Arma uiri fortis medios mittantur in hoſtes,
Inde iubere peti, & referentem ornate relatis.

Sunt etiam q̄ congruant locis, temporibus, perſonis, rebus, ætatibus, quæ omnia bona ſunt, & diligenter ab oratore conſideranda.

TEXT. *Et quæ ſibi deeſſe putant, etiam ſi parua fuerint; nam nihilominus ea ſibi agenda eſſe ſtatuunt.*

COMM. Cum ſibi quiſpiam rem aliquam deeſſe putat earum, quas appetit, quamuis parua ſit, tamen eā acquirere ſtudet, itaque dicitur illi eſſe bona. ut Cicero ad M. Fabium Gallum ſcribēs, Exedria (inquit) quædam mihi noua ſunt inſtituta in porticula Tuſculani, ea volebā tabellis ornare. etenim ſiquid generis iſtius modi me delectat, pictura delectat. putabat igitur ſibi bonum eſſe Cicero tabellas elegantes aliquas inuenire, licet res parua ſit. ſicut Horatius exprimit deſiderium ſuum illis verſibus:
Hoc erat in uotis modus agri non ita magnus
Hortus ubi & tecto uicinus iugis aquæ fons.
ſicut auarus ille quem ſic loquentem inducit idem Horatius.
—O ſi angulus ille
Proximus accedat, qui nunc deformat agellum.
accidit autem interdum ut etiam publice de paruis rebus deliberetur. vt Cicero Philippica ſeptima, Paruis de rebus ſed fortaſſe neceſſarijs conſulimur P. C. & quæ ſequuntur.

TEXT. *Et quæ ſine labore ad exitum perducuntur. nam ſunt ex eo genere, quæ fieri poſſunt, tanquam facilia; dicuntur autem ea ſine labore ad exitum perduci, quæ uel omnes, uel multi, uel pares, uel inferiores recte perfecerunt.*

COMM. Ea ſolent homines etiam aggredi, tanquam bona, quæ ſe putant ſine labore conficere poſſe, quoniam facilia ſint. ea uero eſſe huiuſmodi intelligūtur, quæ omnes rectè poſſunt efficere, uel ſaltem plerique, uel qui pares ſunt, uel qui ſunt inferiores. vt exempli gratia, Græci ferè omnes liberos ſuos in Muſica erudiebant. itaque Themiſtocles cum in conuiuio Lyram recuſaſſet, habitus eſt indoctior. ergo Socrates admodum ſenex fidibus diſcere uoluit, id. n. ſine labore ſe facere poſſe intelligebat, quod omnes ferè facerent. Et Plato cum uideret multos cum Socrate verſantes multum in Philoſophia proficere, poeſi relicta, cui præcipuè ſtudebat, ad ipſum Socratem profectus, plurimū etiam ipſe profecit. Cicero ſecundo Tuſcul. cum probare uellet non difficile eſſe dolorem tolerare, narrat quemadmodum Spartę pueri, verbera tolerent, neque ingemiſcant, deinde ſubiungit ea verba; quid

ba; quid ergo? hoc pueri poſſunt, uiri non poſſunt, & mos ualet, ratio non ualebit? ſic in adhortando plurimum valet, cum oſtendimus aut pares, aut inferiores multo ſe melius gerere. accenditur enim animus quadam quaſi indignatione cum à paribus, uel inferioribus ſe ſuperari videt.

TEXT. *Et ea in quibus gratificantur amicis, aut inimicis dolorem inferunt.*

COMM. Sæpe impelluntur homines ad aliquid faciendum, quòd alioqui ſua ſponte non facerent, ut amicis gratificentur, uel vt inimicos offendant. vtriuſque rei multa ſunt apud Ciceronẽ exempla, vt pro Roſc. Am. docet eam cauſam ſe ſuſcepiſſe amicorum rogatu precibusq́ue, à me (inquit) ij cõtenderunt, qui apud me, & amicitia, & beneficijs & dignitate plurimum poſſunt. quorum ego neq; beneuolentiam erga me ignorare, nec auctoritatẽ aſpernari, nec uoluntatem negligere debeã. ſic in Diuinatione contra Verrem: Adductus ſum Iudices officio, fide, miſericordia, multorum bonorũ exemplo, veteri conſuetudine, inſtitutoq; maiorum, ut onus hoc laboris atq; officij non ex meo, ſed ex meorum neceſſariorum tempore mihi ſuſcipiendum putarem. ita Philippica ſecunda ſe coactum iniurijs Antonij dicit ſe ad dicendum contra eam veniſſe, vt ei dolorem inſerret. idem facit etiam contra Saluſtium, ſi modo Ciceronis ea eſt oratio. nam mihi uidentur orationes illæ fictæ ab aliquo ingenioſo declamatore, neq; enim Saluſtij, neque Ciceronis omnino ſtylum redolent. & certe ſecunda quæ Ciceroni attribuitur, multum à Ciceroniana maieſtate, facultateq; degenerat. mitto enim numeros oratorios qui nulli ſunt in ea, cum in omnibus orationibus, eorum ſit Cicero diligentiſsimus obſeruator. mitto artẽ qua prorſus ea oratio caret, cum Cicero ſemper artificioſiſsime dicat. dico multa eſſe in ea inaniter & ſine ſale effutita. quid enim illis locutionibus inſipidius? ne incipiens quidem peccare, minimis rebus poſuit rudimentũ. & paulo poſt: ſed eſt quædam calumnia, quam vnuſquiſque noſtrum teſtante animo ſuo fert de eo, qui falſum crimen bonis obiectat. rurſus, iam dabo operam, quã maxime potero, ut breue id faciam. ſed eius generis ſunt aliæ multæ, non modo Ciceronis elegantia & venuſtate indignæ, ſed etiam tota illa ętate. nec dubito quin mecum ſenſuri ſint ij, qui diligentius eam orationem conſiderauerint, modo præterea fuerint in Ciceronis operibus diu verſati. ſed ad propoſitum redeamus. multa faciunt homines vt amicis morem gerant, & inimicos puniant. ſic Aeneas apud Virgilium, cum motus pietate parcere vellet Turno poſtea viſo Pallantis Baltheo, quem Turnus interfecerat, eũ morte multauit. ſic & amici mortem vltus eſt, & hoſtem puniuit. quod æquitas ipſa poſtulabat. ita igitur inquit:

Ille oculis poſtquam ſæui monumenta doloris
Exuuiaſque hauſit, furijs accenſus & ira
Terribilis, Tu ne hinc ſpolijs indute meorum
Eripiare mihi. Pallas te hoc vulnere Pallas
Immolat, & pœnam ſcelerato ex ſanguine ſumit.

Et quæcunque illi ſtudent agere, quos admirantur: & ad quæ natura ſunt aptiores, & in quibus exercitatiores; facilius enim ea, meliusq́ue ſe perfecturos exiſtimat. TEXT.

Imitari ſolent homines eos, quos admirantur vel iam mortuos vel adhuc viuentes. mortuos vt Cicero (quod ait Quintilianus) cum ſe totum ad imitationem Græcorum contuliſſet, effinxit vim Demoſthenis, copiam Platonis, iucunditatẽ Iſocratis. adhuc viuentes vt Sulpitius. L. Craſsi ſimilis eſſe ſtudebat in dicendo ſicuti Cicero ſcribit. hac de cauſa Romani maiorum imagines, qui præſtantes fuiſſent domi habebant, & eorum laudes ad tibiam canebant, vt iuuenes ad eorum imitationem excitarentur. ſic Euander apud Virgiliũ Pallantem filium ſuum Aenææ comitem adiungit, vt eadem ſtuderet agere quæ Aeneas agebat, ſic enim ait: COMM.

Hunc tibi præterea ſpes & ſolatia noſtri
Pallanta adiungam: ſub te tolerare magiſtro
Militiam, & graue Martis opus, tua cernere facta
Aſſueſcat, primis & te miretur ab annis.

Illa pręterea ſequuntur homines, ad quæ ſe magis aptos eſſe vident, & in quibus diutius exercitati ſunt, quoniã ſperant ſe melius & facilius ea pficere, vt Cicero multis in locis dolet, armis, de Rep. diſceptari inter Cęſarem & Pompeium, non autem conſilio & auctoritate, qua in re magis ipſe valebat, cum in armis non eſſet exercitatus. ſic Euripides dixit homines in ea re frequenter verſari, in qua ſe præcellere exiſtimant. & hoc eſt quod etiam illo vulgato verſu præcipitur.

Quam quiſque norit artem in ea ſe exerceat.

quod etiam Tibullus eleganter illis verſibus expreſsit.

Nauita de ventis, de tauris narrat arator.
Enumerat miles vulnera, paſtor oues.

Et quæ nemo uir abiectus aggreditur; ſunt enim ea maiori laude digna. TEXT.

Generoſo animo viri, non abiectorũ & viliũ hominũ veſtigiis inſiſtunt, ſed ea ſequuntur, quæ niſi vigilantes homines, niſi ſobrii, niſi induſtrii conſequi non poſſunt. vt ait Cicero pro cœlio. ſunt enim res eo maiori laude dignæ, quo præſtãtiores habuerint auctores. Itaque Virgilius in tertio Aeneid. inducit Andromachen interrogantẽ & petentem ab Aenęa vtrum eius filius Aſcanius excitaretur ad res egregias exemplo maiorum ſuorum, ſic enim ait: COMM.

Ecquid in antiquam virtutem animosq́ue viriles,
Et pater Aeneas & auunculus excitat Hector.

Nam à rebus egregijs atque excellentibus arcentur abiecti atque timidi homines, fortes atque conſtãtes admittuntur. quam rẽ ingenioſiſsime Virgilius ſignificauit in ſexto, cum Sybillam ita loquẽtem inducit: procul ò procul eſſe profani

Concla-

Conclamat vates, totoq; abſiſtite Luco.
Tuque inuade viam vaginaque eripe ferrum,
Nunc animis opus Aenæa, nunc pectore firmo.

TEXT. *Et ea quorum appetentes ſunt; nam ea non ſolum iucunda, ſed etiam alijs meliora eſſe uidentur.*

COMM. Quod quiſque appetit, id etiam aſſequi ſtudet. & hoc duplici de cauſa. primo quia res iucũda eſt optatis frui, deinde quia cupiditas & appetitus facit rem videri meliorẽ. eſt enim cæcus appetitus, & plerumque rationi dominatur. facile eſt autem ea ſuadere, quæ homines appetunt, vnde Cicero pro lege Man. Romanos ad gloriam excitat, cuius rei ſciebat eos appetentiſsimos eſſe. ſic enim ait: Et quoniam ſemper appetentes gloriæ præter cæteras gentes, atque auidi laudis fuiſtis, delenda eſt uobis illa macula Mithridatico bello ſuperiore ſuſcepta. cum autem animus aliquid expetit nõ poteſt quieſcere donec illud aggrediatur. quam rem optime Virgilius in nono ſub Niſi perſona ſic exprimit: Dij ne hunc ardorem mentibus addunt
Euryale? an ſua cuique Deus ſit dira cupido?
Aut pugnam, aut aliquid iam dudum inuadere magnum
Mens agitat mihi, nec placida contẽta quiete eſt.

TEXT. *Et ea præcipue, ad quæ natura procliues ſunt; ut uictoriæ ſtudioſi, ſi uictoriam ſperent. honoris auidi, ſi honor proponatur. auari ſi pecuniæ, & cæteri eodem modo.*

COMM. Non omnes ad eaſdem res natura ſunt inclinati, ſed alius ad aliam rem, ſicut eleganter Horatius oda prima declarat, ex eo loco, Sũt quos curriculo puluerem Olympicum collegiſſe iuuat. & Cicero quarto Tuſc. affirmat. Vnde etiã in procemio librorum de officijs ſic ait: eodem modo de Ariſtotele & Iſocrate iudico, quorum uterque ſuo ſtudio delectatus, contempſit alterum. ergo ſolent ea præcipue homines ſectari, quæ quodam inſtinctu naturæ diligunt, ut qui bellicoſi ſunt, & Martiales in quibus flaua bilis dominatur, quia uincendi cupidi ſunt, quoties victoriam ſperant, rem aggrediuntur. ita qui ſunt ambitioſi & Iouiales in quibus ſanguis excellit, propoſito honore ſtatim negocia ſuſcipiunt. qui uero Mercuriales quidem ſunt, ſed anguſti & puſilli animi, auaritiæ dediti, mouentur tantũ lucri cupiditate. idem etiam de reliquis ſentiendum. proderit igitur plurimum ad perſuadendi rationem eorum naturã agnoſcere quibus conſilium datur. de qua re ſecũdo libro copioſè tractabit Ariſtoteles.

TEXT. *Ac de bono quidem atque utili ex ijs, quæ dicta ſunt, argumenta ſumi poſſunt.*

COMM. Repetit ea quæ hactenus docuit, ut ad ſequentia quaſi gradum faciat. ſimul ẽt admonet, omnia quæ ſuperius tanquam bona numerauit, quæ ad felicitatem tendunt, vtilia dici poſſe. quaſi idem ſit bonum atque vtile. dicit enim ex eis, quæ declarata ſunt, de bono atque vtili argumenta ſumi poſſe.

Sed quoniam ſæpe accidit, ut duo proponantur, quæ ambo ſint utilia, uerum utrum utilius ſit, dubitant: deinceps de maiori bono, magiſque utili nobis dicendum eſt. TEXT.

Quę iam ſuperius bona ſunt enumerata, per ſe cõſiderãtur, non quatenus ad alia bona referũtur. nunc aũt docere vult Ariſt. quõo inter ſe bona conferri poſsint, vt intelligatur, quod maius bonum ſit, aut qđ minus. nã ſæpe accidit, vt de duabus rebus ſit deliberatio, quarũ vna facienda ſit, altera dimittenda, tunc certè videndũ eſt vtra ſit melior ac vtilior vt ea ſuſcipiatur. quare debet Orator agnoſcere quid melius ſit atque vtilius. hoc etiam vidit Cicero, qui primo de Officijs ideo Panetiũ reprehendit, quod triplicem tantum poſuiſſet conſilij capiendi deliberationem, hoc eſt de honeſto, de vtili, & cum pugnare videtur cum honeſto, id, quod videtur vtile. quoniam non ſolum vtrũ honeſtum an turpe ſit deliberari ſolet, ſed etiam duobus propoſitis honeſtis, vtrũ honeſtius, itemque duobus propoſitis vtilius, vtrum vtilius. vt exempli gratia deliberat aliquis adoleſcens vtrum medicinę, an iuri ciuili det operam. vtrumq; certè ſtudium vtile eſt, ſed videndum vtrum vtilius. Cicero primo de Inuentione ſic ait: Ex comparatione, in qua per cõtentionẽ vtrum potius, aut quid potiſsimum ſit, quæritur, ad hunc modum: utrum exercitus in Macedonia contra Philippum mittatur, qui ſocijs ſit auxilio, an teneatur in Italia, ut quam maximę contra Annibalem copiæ ſint. COMM.

Id igitur, quod præſtat, eſt tantum quantum id, quod ſuperatur; atque amplius: ſuperatum autem in eo, quod præſtat, incluſum eſt. TEXT.

Cũ de maiori & minori ſit verba facturus primo deſcribit quid ſit maius, quid minus. maius ẽ enim id, quod alteri pſtat, minus aũt id, qđ ab altero ſuperatur. quod vero pſtat alteri, tantum eſt, q̃tũ illud, cui præſtat, atque ẽt amplius. vt exempli gratia, Turnus qui toto vertice ſupra alios eminebat, quemadmodum ait Virgilius, ſi quinq; cubita fuiſſet altus, cæteri vero quatuor tantum, non eſt dubitandum, quin tantus eſſet, quanti alij, atq; etiam amplior. quoniam in quinque cubitis, ſunt primò quatuor quæ ponitur aliorum fuiſſe menſura, deinde vnũ, quo Turnus ponitur alijs præſtare. quod autem ſuperatur, includitur in eo, qđ ipſum ſuperat. vt octo ſuperantur à decem. neque eſt dubium, quin in decẽ, ẽt octo contineãtur. qđ vero de quantitate dictum eſt, intelligitur etiã de qualitate, vt ſi maiori eloquentia præditus eſt Cicero, quàm Hortenſius, tantum dicendo poterit, quantum Hortenſius, atq; etiam magis. Si Cato Cęſari ſapientia præſtat, erit tantum ſapiens quantum Cæſar, & præterea magis etiam. atque idem de reliquis ſentiendum. COMM.

Et maius quidem, atque plus ſemper ad aliquid, quod minus ſit, refertur: magnum autem & paruum, & multum & paucum cum multorum magnitudine, multitudineque conferuntur. & quidem quod præſtat, magnum eſt; quod autem ſuperatur, paruum: at- TEXT.

que eadem ratio eſt de multo & pauco.

COMM. Maius, atque plus in eo differunt, quòd maius dicitur de quantitate continua, vt de linea, ſuperficie, corpore: plus autem dicitur de diſiuncta q̃titate, vt de numero, vt viginti, non dicuntur maiora q̃ duodecim, ſed plura, & corpora quod ad mẽſuram attinet, non dicuntur plura alijs, ſed maiora. in eo uero conueniunt maius atque plus, quòd ſemper ad aliquid referuntur, quod minus ſit, neque. n. per ſe re, aliqua maior dicitur, ſed ad aliam comparata, vt maior fuit virtus Cæſaris quam Põpeij, quod Pompeiũ Cæſar vicerit. qui ẽt ea nomina, magnũ paruum, multũ paucum nunquam per ſe intelliguntur, ſed ſemper cum alio cõferuntur. ſicut in categorijs copioſè docet Ariſtoteles. nam ſi magnum per ſe diceretur, nullus mons paruus dici poſſet, neque vllum tritici granum poſſet dici magnum, nunc dicimus montem paruum conferentes eum, cum alio maiore, ita granum tritici magnum, quia ſunt alia minora. Itaque fit vt qcquid alteri præſtat, id magnum dicatur, & quicq̃d ab alio ſuperatur, dicatur paruum. idem accidit ẽt in multo, & pauco. nam eadem poſſunt dici multa & pauca, ſi ad diuerſa referantur. vt decem ſi conferantur cum duobus, multa ſunt, ſi cum centum, ſunt pauca, per ſe uero nihil multũ aut paucum dicitur. præterea hæc non ſunt contraria, magnum, inquam, & paruum, multum & paucum. nihil. n. ſibi ipſi contrarium eſt: ſed idem poteſt & magnũ & paruum eſſe, vt puer natus annos quindecim ſi conferatur ad puerum anniculum erit magnus, ſi ad iuuenem natum annos triginta iuſtæ ſtaturæ, paruus erit. non ſunt igitur magnum & paruum contraria, alioquin idem homo eſſet ſibi ipſe contrarius, quod fieri nullo modo poteſt. atque etiã cum ad virtutem & potentiam magnum & paruum referuntur, ſemper cum aliquo conferuntur, vt Alexander Magnus dictus eſt, aliorum Imperatorum comparatione. & cum ait Cicero, Nemo vir magnus ſine aliquo afflatu diuino vnquã fuit, intellexit alijs præſtantem & excellentem.

TEXT. *Quoniam autem id bonum eſſe dicimus; quod ipſum propter ſe, non propter aliud, eſt expetendum; & quod res omnes expetunt, uel quæ, ſi eis mens atque intelligentia daretur, expeterent; & quod efficiendi, & conſeruandi uim habet; uel cui res eiuſmodi ſunt conſequentes; & quoniam id cuius gratia, eſt finis, & contra finis eſt, cuius gratia fiunt alia; idq́ue priuatim alicui bonum eſt, quod illi eſt accommodatum: neceſſe eſt, ut, quæ plura ſunt uno, & paucioribus maiora ſint bona; modo in eis unum illud, atque illa pauciora connumerentur.*

COMM. Cum de maiori & minori bono ſit verba facturus, breuiter repetit eas boni deſcriptiones quas ſuperius explicuerat, quoniam aliter non ſatis cõmode ſibi præſtare poſſe videbatur id, quod nolebat. ſed cum iam ſuperius declaratæ ſint à nobis illæ deſcriptiones, non opus eſt eas iterum exponere. pendet autem ſenſus, vſque ad eum locum: neceſſe eſt, vt quæ plura ſunt vno, notandum eſt bonum habere rationem finis. nã omnium actionũ noſtrarum ſcopus ad aliquod bonum dirigitur, & contra finẽ habere boni rationem. nam finis alicuius gratia fiunt omnia, vt Imperator bellũ gerit, quò victoriã conſequatur, nel quo regionem ſuam defendat, certè uictoriam expetit, quia eam eſſe bonam iudicat, & tuetur regionem, quia ſibi ſuiſq́ue id fore vtile intelligit. præterea notandũ eſt, aliquid eſſe, quod licet per ſe bonum non ſit, tamen alicui priuatim bonum eſt, ꝙ illi ſit accommodatum. ut Pharmaca per ſe bona non ſunt, ſed ęgroto ſunt bona. nulla enim remedia quæ uulneribus adhibentur (ſicut ait Cicero ad Octauium ſcribens) tam faciunt dolorem, quã quæ ſunt ſalutaria. & caſtigatio per ſe nullo modo bona eſt, ſed quoniam plerunque ſolet eos, qui peccarunt, meliores reddere, ideo dicimus caſtigationem peccãtibus eſſe bonam. ſicut auctor ad Herennium ſecundo libro, citat ex Plauto:

Amicum caſtigare ob meritam malam noxam
Immane eſt facinus, verum in ætate vtile,
Et conducibile.

quod autem concludit Ariſtoteles plura bona vno, & paucioribus eſſe maiora, ſic expreſsit Cicero in Topicis: Numero ſic comparabuntur, ut plura bona paucioribus bonis anteponantur. quã rem copioſius tertio Topicorum exequitur Ariſtoteles. ſed illud aduertendum eſt, qđ hoc loco addit Ariſtoteles, oportere vt unum illud, aut illa pauciora connumerentur cum pluribus. alioqui non erit verum ſemper, quod dicitur. nam fieri facile poteſt vt pauciora bona pluribus antecellant. Virtus. n. ſola cætera oĩa ſuperat. neque ſi in unũ omnia bona conferantur, aliqua ex parte uirtuti reſpondere poterunt, unde Critolaus nobilis Philoſophus, quẽmadmodũ Cicero ſcribit libro Tuſcul. quinto, dicebat, Siquis in alteram lancem animi bona imponeret, in alterã corporis & externa, tantũ propendere illam boni lancem, ut terram & maria deprimat. ita bona ualetudo ſola præſtat & robori, & pulchritudini, & diuitijs ſimul iunctis. ſed ſiquis connumeret illud unũ, aut illa pauciora cum pluribus, tunc ſine ulla dubitatione plura paucioribus anteponentur. ut ſi duæ res proponantur, quarũ altera tantũ gloriã ſine utilitate ſit allatura, altera uero & gloriam, & utilitatem, erit hæc illi præponendæ. ut mercatura diuitias tantum ampliare põt, iuriſprudentia præter diuitias, ẽt magiſtratus, dignitates, honores adferre ſolet. ergo mercaturæ iuris prudentia præſtat. Eſt huius rei pulcherrimũ exemplũ apud Ciceronem pro Murena, ubi cõparat artem militarẽ cũ iure ciuili, probatq́; illam eſſe multò pſtãtiorẽ. atque inter cætera multa poſuit ẽt illa nerba: Ac nimirũ rei militaris uirtus pſtat cæteris omnibus. hæc nomen populo R. hæc hnic urbi æternã gloriã peperit. hęc orbem terrarũ parere huic imperio coegit. omnes urbanæ res, omnia hæc noſtra pręclara ſtudis, & hęc forenſis laus, & induſtria latẽt in tutela, ac pſidio bellicæ uirtutis. uult igitur Cicero ius ciuile contineri ſub pręſidio rei milita-

militaris, non alia de cauſa niſi ut probet artem militarem eſſe præſtantiorem.

TEXT. *Hoc enim modo præſtant; & quod in eis incluſum eſt ſuperatur.*

COMM. Non alia ratione plura bona pancioribus præſtant, niſi in eis, illa pauciora comprehendantur. nam ita uel voum quod iocluditur, uel pauciora pluribus comprehenſa ſuperantur. & hoc eſt qd̄ Peripatetici dicebant, in uirtute quidem eſſe beatam vitam, ſed ſi virtuti, bona etiam corporis, & quæ externa vocantur, adiongerentur, vitam longe fore beatiorem. ſic enim virtus ceteris bonis in cluſa ſuperatur.

TEXT. *Et, ſi, quod maximum eſt in aliquo genere, maximo alterius generis præſtabit; etiam genus generi. et contrà, ſi genus generi præſtabit, etiam quod eſt maximum maximo.*

COMM. Hic locus eſt duplex, quoniam viciſsim retro commeat, & conuertitur, atque vtroque modo valet ad probandam excellentiam. ſi inquit, in aliquo genere, ſiue ſpecie, quoniam hic noo diſtinguimus genus à ſpecie, quod maximum eſt, præſtat ei, quod eſt maximum in alio geoere, noo eſt dubium quin etiam geous generi præſtet. vt ſi p̄ſtans Imperator, qualem fuiſſe vult Cicero Murenam, eximium Iuriſconſultum, qualis fuit Sulpitius, dignitate vincat, certe etiam ars Imperatoria iuri ciuili præſtabit. & ſi eximius Orator, vt Demoſthenes, præſtantior eſt, quā ſit excellens Geometra, vt Archimedes, etiam eloquentia Geometriæ præſtabit. hæc autem ratio conuertitur, ut ſi aliquod genus alicui generi præſtet, etiam quod maximum eſt in eo geoere, præſtabit ei qnod eſt maximum in alio genere. vt ſi philoſophia præſtantior eſt Grammatica, etiam excellens Philoſophus excellentem Grammaticum ſuperabit.

TEXT. *Vt, ſi maximus uir maxima muliere maior erit, & ſimpliciter uiri mulieribus maiores erunt; & ſi mulieribus uiri maiores ſint, etiam maximus uir maxima muliere maior erit. eandē. n. habet rationē exuperātiæ generū, & eorū, quæ ſunt in ipſis generibus maxima.*

COMM. Exemplo confirmat id, quod ſuperius dixerat. vir, & mulier duo ſunt genera hominum diſtincta. ponamus igitur maximum uirum, ut Orionē, ſuperare maximam mulierem, ut Pentesilæam, ſanè concludi poterit abſolutè uiros eſſe mulieribus maiores. quoniam nulla molier uoquam tam maxima reperta fuit, ut non uir aliquis maior inueniretur. ergo ſi conuertatur hæc ratio, & dicamus ita, uiri maiores ſunt mulieribus, profectò rectè coocludi poterit, ergo etiam maximus uir, maxima muliere maior erit. hoc autem ideo fit, quoniam ipſorum geoerum exuperantiæ ſeruant eandem rationem, quam habent ea, quæ maxima ſunt in ipſis generibus, & contra. ut iuſtitia, & fortitudo ſunt duo uirtutum genera diſtincta, ſed iuſtitia maior eſt uirtus qoam fortitudo, ergo etiam uiri iuſti meliores erunt, quam fortes. ut enim ſe habent genera inter ſe, ità etiam ea quæ generibus ſubiecta ſunt, ſiquidem æqualiter generibus participent. hoc antem dico, quoniam poteſt aliquis eſſe mediocriter iuſtus, & alius egregiè fortis, quo caſu, uir ille fortiſsimus erit præſtantior iuſto. ſed ſiquis fuerit iuſtiſsimus ut Ariſtides, & alius fortiſsimus ut Themiſtocles. tunc certè iuſtiſsimus fortiſsimo præſtabit.

TEXT. *Et quando huic illud fuerit conſequens, hoc autem illi non fuerit; certè hoc maius erit.*

COMM. Omnia conſequentia, quæ oon coouertuntur, ut ſiot inferiora neceſſe eſt. hoc autē quatenus ad perfectionem attinet. alioqui conſequentia plerunque plura complectuntur, ut animal homini coolequens eſt. nam ſi eſt homo, eſt etiam animal, oon autem contra. qnare animal maius eſt, & generalius, ſed homo melior & perfectior, qoia oon tantum animal eſt, ſed etiam rationis particeps. Ita ſi quis beoe ualet, ſequitur ut uiuat, non autem cootra. quare latius quidem eſt, & maius uiuere, quam bene ualere, quia multi uiuunt, qui nequaquam bene ualent, ſed tamen bona ualetudo melior eſt qoam uita, quia qui bene ualet, non tantum uiuit, ſed etiam ſine corporis ulla moleſtia uiuit. debet igitur hic Ariſtotelis locus ita intelligi, quoniam de bono loquitur, ut qnod alteri non eſt conſequens dicatur maius, non quia ſit generalius. aut quia plura cōplectatur, ſed quia maiorem adfert commoditatem, uel qnia perfectius eſt, ideo maius bonnm appellatur.

TEXT. *Tribus autem modis aliquid conſequi dicitur; aut uno & eodem tempore, aut deinceps, aut ui & poteſtate; uam uſus eius quod conſequitur, in altero conſiſtit. uno uero & eodem tempore uita bonam ualetudinem conſequitur, ſed non contrà; neque enim bona ualetudo conſequi uitam. deinceps autem, ut diſciplinam conſequitur ſcientia: ui ac poteſtate, ut ſacrilegium facere plus eſt, quam furari; nam qui ſacrilegium facit, etiam furabitur.*

COMM. Explicat qnot modis aliquid dicatur alteri cōſequens eſſe, & ait tribus modis dici. primo cum vno eodemque tempore conſequitur, atque ita præcedens coniunctum eſt conſequenti, vt ab eo ſeparari nullo modo poſsit, tunc enim omnino præcedens eſt melius, vt bona valetudo ita vitam præcedit, ut ei coniuncta ſit, & ab ea ſeparari non poſsit, nam qui beoe ualet neceſſe eſt ut ulta fruatur. ergo bona valetudo melior eſt, quam ſit vita. Secundo modo dicitur conſequi poſtea non autē ſimul, & tunc id quod conſequitur omnino eſt melius, quoniam prius eſt in conſideratione, neque ſemper accidit, vt diſciplinam conſequitur ſcientia, quoniam oportet prius diſcere, quam quis ſcire poſsit. decipitur autem omnino victorius hoc loco, qui putat Ariſtotelem contra omnium opinionem ſentire plus eſſe diſcere, quam ſcire. quod omnino falſum eſt. niſi fortaſſe plus intelligat eo modo, quo oos diximus, ideſt amplius & latius ac generalius, quia plorimi quidem diſcuot, ſed pauci verè ſciunt. quo fit vt quā uis diſciplina latior ſit & geoeralior, tamen ſcientia ſit melior. Tertio modo conſequi dicitur ui ac poteſtate.

poteſtate.ponit autem exemplum Ariſtoteles in malo quamuis de bonorum comparatione loquatur,quoniam contrariorum eſt eadem doctrina. Sacrilegium facere plus eſt quam furari,id eſt maius peccatum. multi enim furantur, qui tamen à ſacrilegio abſtinent.ſed ſiquis ſacrilegium committit,non eſt dubium,quin ſit etiam furaturus. poſſumus etiam in bono ſumere exempla, ut pro patria vitam profundere plus eſt,quam pecunias erogare. nam qui uitam pro patria periculis obiectat,is etiam pro eadem patria pecunias erogabit.in ſumma ſemper ea meliora ſunt in bonis, atque in malis deteriora,quæ rarius ab hominibus fieri ſolent. Vt Cicero victoriam Pompeij de Piratis amplificat,quam nullus alius Imperator,præter Pompeium aſſequi potuiſſet. hoc,inquit,tantum bellum,tam turpe,tam uetus,tam late diuiſum atque diſperſum quis unquam arbitraretur,aut ab omnibus Imperatoribus uno anno, aut omnibus annis ab uno Imperatore confici poſſe? Igitur à conſequenti probat uirtutem Pompeij maximam & ſingularem extitiſſe.

TEXT. *Illa quoque maiora ſunt quæ rem magnam magis exuperant:neceſſe eſt enim,ut etiam illam maiorem exuperent.*

COMM. Cum duo ſunt, quæ cum aliquo tertio conferantur,atque illud tertium ambo ſuperant, neceſſe eſt vt vel æqualiter ipſum ſuperent, vel alterũ magis alterum minus.ſi æqualiter ſuperant,ſine dubio ſunt æqualia.ſi uero inæqualiter, id quod magis ſuperat,omnino maius erit,neque tantum illo tertio maius,ſed etiam altero. ut ſi quindecim & uiginti cum decem conferantur, certè ambo ſuperant decem,ſed inæqualiter. nam uiginti magis ſuperant decem,quã quindecim,ergo maior etiam numerus erit viginti quã quindecim. ſed exẽplum clarius ponemus. Res magna erat olim apud Romanos Prætorem vrbanum fieri, ſed maior erat fieri conſulem aut dictatorem.conferatur ergo conſulatus & Dictatura cum prætura:profectò uterque magiſtratus eſt maior. ſed Dictatura magis exuperat præturam quam conſulatus,ergo etiam conſulatu maior erit Dictatura.ita noſtra tempeſtate res magna eſt Epiſcopũ fieri, ſed maior eſt fieri Cardinalem & pontificem. quod ſi Cardinales & Pontifices cum Epiſcopis conferantur,vtrique ſuperabunt Epiſcopos,ſed Pontifices magis quam Cardinales.ergo Pontifex Cardinale maior erit.

TEXT. *Et quæ maioris boni conficientia ſunt, ea maiora ſunt bona.hoc enim maioris boni natura poſtulat, ut maius bonum conficiat.*

COMM. Quæ maius bonum conficiunt,ea maiora ſunt bona.hoc enim ipſa natura poſtulat,vt quod maiorem uim bonitatis habet,id maius ex ſe bonũ producat.hoc autem licet exemplo demõſtrare. nam ſapientia maius eſt bonum quam ſit bona ualetudo.ergo ſtudia bonarum artium quibus acquiritur ſapientia,multo meliora ſunt, quam ſit exercitatio corporis,quæ conficiens eſt bonę valetudinis.Et ſi maius bonum eſt bene agere,quã bene dicere,melior erit Philoſophia moralis,quę bene agere docet,quam Rhetorica,quæ docet bene dicere.

TEXT. *Et contrà,maius illud bonum eſt,cuius conficiens eſt maius:ut,ſi,quod eſt ſalubre magis eſt expetendum,quàm,quod eſt iucundum;certè bona ualetudo uoluptate maior erit.*

COMM. Hic locus vicisſim retro commeat, & ex altera parte ſuperiori reſpondet.quando enim conficiens maius eſt,etiam bonum quod conficitur erit maius. vt quod ſalubre eſt, iucundo præſtat. ſed quod eſt ſalubre bonam efficit ualetudinem, iucundum autem voluptatem. ergo etiam bona valetudo voluptati præſtat.& ſi rei militaris ſciẽtia, maior eſt mercatura, certe etiam gloria diuitias ſuperabit. Ex hoc duplici loco multa argumenta deducuntur,vt quod animi magnitudo maior ſit uirtus,quam ſint aliæ,hoc eſt temperantia & iuſtitia,quoniam quæ magno animo & fortiter excellenterque geſta ſunt,ea neſcio quo modo quaſi pleniore ore laudsmus. hinc rhetórum *I. de Off.* cãpus(ait Cicero)de Marathone,Salamine, Plateis,Thermopilis,Leuctris,Stratocle. Hinc noſter Cocles,hinc Decij,& quæ ſequuntur.& inferius cum oſtendere velit,multas res urbanas maiores & præſtantiores eſſe quam bellicas. probat maioris boni conficiẽtes eſſe res vrbanas quam bellicas.Vt Solon qui leges tulit Athenienſibus & Ariopagum conſtituit, magis Reip. profuit, quam Themiſtocles qui clariſſimam de Perſis in Salamine uictoriam reportauit. & quanquam Pauſanias Lyſanderque rebus geſtis imperiũ Lacedæmoniorũ dilatarunt,tamen ne minima quidem ex parte Lycurgi legibus,& diſciplinæ conferendi ſunt.

TEXT. *Et quod propter ſe expetendum,eo,quod propter aliud;ut uires corporis rebus ſalubribus præſtant. hæ nanque propter aliud,illæ uero propter ſe,expetuntur.*

COMM. Hæc inter ſe ſpecie comparantur,ut ait in Topicis Cicero,vt anteponantur quæ propter ſe expetenda ſunt,iis, quæ propter aliud. exemplum Ariſtotelis eſt apertum,res ſalubres expetuntur propter bonam ualetudinem non autem propter ſe,uires autem corporis propter ſe expetuntur. ergo rebus ſalubribus pręſtant.& bellica uirtus propter gloriam expetitur, rerum autem cognitio propter ſe,ergo rerum cognitio uirtuti bellicæ antecellit.& diuitię propter uſum expetũtur, bona uero exiſtimatio propter ſe.ergo bona exiſtimatio diuitijs præſtat,ut eſt apud Ciceronem ſecundo de Oratore.

TEXT. *Quod eſt boni proprium, & quod rationem finis habet eo maius eſt,quod non habet: nã hoc alterius gratia eſt,illud autem ſui ipſius:ut exercitatio ſit bonæ ualetudinis gratia.*

Boni proprium eſt propter ſe expeti, & finis rationem habere. quod igitur boni proprium eſt & quod habet rationem finis,eſt eo maius, quod non habet. ratio eſt, quoniam quod non habet rationem finis propter aliud expetitur, vt exercitatio propter bonam ualetudinem: quod autem finis rationem habet,ipſius gratia quæritur, ut bona ualetudo. hoc modo ſcientia melior eſt,quã ſtudium literarum. Victoria melior,quam apparatus bellicus. proles melior quam matrimoniũ. & ita de reliquis.

TEXT. *Et quod minus eget alio,uel alijs,maius eſt; quia magis quam alia ſe ipſo eſt contentum. illud autem minus indigere dicitur,quod uel paucioribus, uel facilioribus indiget.*

COMM. Hac ratione callidi rerum æſtimatores prata & areas quaſdam magni ęſtimant,quod id genus poſſeſſionum ſumptibus non indigeat. quod.n. minus eget alijs maius eſt bonum, ſic Virgilius Olivueta vineis anteponit. quod vineæ quaſi perpetuam culturam deſiderant. Olivueta uero ſine cultura proueniant.

2.Georg. Eſt etiam ille labor curandis vitibus alter,
Cui nunquam exhauſti ſatis eſt. nanque omne quotannis
Terque quaterque ſolum ſcindendum,glebaque uerſis
Aeternum frangenda bidentibus.
Et paulò poſt:
Contra non ulla eſt oleis cultura,neque illæ
Procuruam expectant falcem, raſtroſque tenaces,
Cum ſemel hæſerunt aruis,auraſque tulerunt.

Hac rõne Cice.in Paradoxis probat ſapientes cæteris omnibus præſtare, quoniam ſoli contenti ſunt rebus ſuis,ſatis eſſe putant,quod eſt; nihil appetunt,nulla re egent,nihil ſibi deeſſe ſentiũt, nil requirunt. ita Philoſophorum vita præſtat alijs,quòd paucis,& minimis contenta ſit, quare laudantur illi veteres Anaxagoras, Crates, Democritus,& apud Romanos Curius, Fabritius, Tubero, multique alij, qui paucis contenti diuitias contempſerunt. quin Horatius gloriatur ſe paucis & facilibus cibis eſſe contentum. Me cicorea leueſque maluæ, Impune paſcunt. in hoc tota Diogenis cynici ſapientia conſiſtebat.quòd omnia contemneret, quem adeo miratus eſt ille Magnus Alexander, vt dixerit,ſe,niſi Alexander eſſet, velle Diogenem eſſe.

TEXT. *Et quando res aliqua ſine altera non eſt, aut non eſſe poteſt,altera uero ſine hac;certè illa maior eſt: id enim magis quam alia, ſe ipſo contentum eſt, quod non indiget. itaque maius bonum uidetur.*

COMM. Quod ſine altero eſſe poteſt,melius eſt, quam quod alterius eget ope. quod enim alterius non indiget,ſe ipſo contentum eſt. quare fit ut etiam maius bonum ſit. Hoc argumento Xenophon probat agriculturam omnibus reliquis artibus anteſtare. quod nullæ poſſint artes vigere, niſi agri colantur, vnde victus hominibus præſtetur. at uero quamuis nullæ eſſent artes aliæ, tamen agricultura ſola poſſet humanum genus ſuſtentare. quare cæteræ artes omnes egent ope agriculturę,& ſine ea eſſe non poſſunt. agricultura autẽ alijs artibus non indiget,& ſine illis eſſe poteſt. eſt igitur artium præſtantiſſima. ſic etiam probatur in bello magis excellere virtutem Ducis quam militum. nam licet milites robuſti ſint & bellicoſi, tamen ſi Dux timidus & imbellis fuerit, nihil egregij præſtatur,& ſæpe belli offenſio capitur. at contra Dux fortis & præſenti animo, ſæpe milites timidos & imbelles corroborat, & uictoria potitur. unde Iphicrates Athenienſis dicere ſolebat,ſe malle ouiũ exercitum Duce Leone,quam exercitum Leonum oue Duce. Cæſar apud Lucanum quinto Pharſaliæ pulchra ſimilitudine docet,lõgè præſtautiorem eſſe Ducis virtutem quam militum. ſic enim ait.

Cęſaris an curſus ueſtræ ſentire putatis
Damnum poſſe fugæ? Veluti ſi cuncta minentur
Flumina,quos miſcent pelago ſubducere fontes
Non magis ablatis unquam decreuerit ęquor,
Quàm nunc creſcit aquis.

TEXT. *Et ſi hoc alicuius rei principium fuerit,illud autem non fuerit,& ſi hoc cauſa fuerit, illud autem non,eadem ferè ratione;quoniam ſine cauſa,& ſine principio fieri non poteſt ut aliquid ſit,aut fiat.*

COMM. Principij magna virtus eſt,vt Ethicorum primo docet Ariſtoteles,itaque maius bonum id eſt,quod alicuius rei principium,quam ſit res ipſa, quæ ab illo principio naſcitur. vnde vulgo dicitur etiam principium eſſe totius dimidium. ſic enim Horatius in Epiſtolis Dimidium facti qui cœpit habet, Sapere aude. qđ ab Heſiodo ſumptum eſt, & à Platone non ſemel vſurpatum. ſic Ariſtoteles in Elenchis ait,primis inuentoribus rerum eſſe gratias agendas,quod occaſionem alijs dederint artes perficiendi. nam facile eſt deinde, rebus iam inuentis aliquid adiungere. ſunt.n. principia tanquam ſemina,ſine quibus nihil naſci aut germinare poteſt. quare vim quandam diuinam habent rerum bonarum principia. quoniam a Deo primo bonorum omniũ auctore profluuut. & hoc eſt quod ait in Vatinium Cicero. omnium rerum magnarum à Dijs immortalibus principia ducenda ſunt. & quemadmodum principium maius eſt bonum, ita etiam cauſa. quoniam idem ferè pondus habent principium & cauſa. neque.n. quicquam ſine cauſa,& ſine principio fieri põt. differunt.n. cauſa & principium cogitatione tantum,non autem re ipſa. vt pater dicitur eſſe cauſa filij,quatenus efficit,vt filius naſcatur. dicitur etiam eſſe principium, propter ſemen, & uim generandi. Cicero de Fato ſic ait: cauſa eſt, quę efficit id, cuius eſt cauſa, ut uulnus mortis, crudelitas morbi, ignis ardoris. comparantur

etiam interdum inter ſe cauſæ, ut Alexāder Magnus dicebat ſe magis dēre Ariſtoteli p̄ceptori quam Philippo patri. quia Philippus cauſa fuiſſet nt eſſet. Ariſtoteles autem ut bene eſſet. hac ratione magis laudantur Duces quam milites. licet.n. vtriq; ſint cauſæ victoriæ, tamē cauſa principalis ab ipſo Duce pendet. & melius eſt eſſe ſtudioſum, quam copia librorum abundare, quia licet vtrunque ſit eruditionis cauſa, tamen ſtudiū eſt principale, adeo ut non libri, ſed ſtudinm dicatur eruditionis eſſe cauſa.

TEXT. *Et cum duo principia ſunt, quod à maiore principio proficiſcitur, maius eſt; & cum duæ ſunt cauſæ, quod à maiori cauſa naſcitur, maius eſt: & contra propoſitis duobus principijs, quod rei maioris principium eſt. illud eſt maius; & propoſitis duabus cauſis, quæ maioris rei cauſa eſt, illa eſt maior.*

COMM. Hic locus in ſeipſum connertitur, nam à principio & cauſa cognoſcitur effectus, & contrà ab effectu cognoſcitur principium & cauſa. ponantur ergo duo principia quorum alterū maius ſit, alterum minus. certè quod à maiore principio p̄ficiſcitur, maius erit. vt architectus & Imperator ſunt duo principia. nam principiū hoc loco pro efficiente cauſa ponitur, vt rectè Egidius ſentit. verum Imperator architecto præſtat, ergo etiam quæ fiunt ab imperatore quatenus imperator eſt maiora ſunt quam quæ fiunt ab architecto quatenus eſt architectus. bellum enim quod adminiſtratur ab Imperatore maius eſt, quā ædificium qđ moliť architectus. Sic Cicero pro Murena docet maiora eſſe Murenæ opera qui dux eſſet egregius, quam Sulpitij qui eſſet iuriſconſultus. eodem modo ſi duæ proponantur cauſæ quarum altera maior ſit, altera minor, quod à maiore cauſa naſcetur, erit maius. Cauſam uero pro fine capimus. ut diuitiæ, & dignitates ſunt duæ cauſæ, quę mouent homines ad agendum, ſed dignitas diuitijs præſtat. ergo quæ propter dignitatem fiunt maiora ſunt, quam quæ propter diuitias. quin ēt contra à rebus effectis principia & cauſæ cognoſcuntur. nam quod eſt maius, habet etiam maius principium. Vt cognoſcere ortus & occaſus ſyderum & traiectiones ſtellarum cæteraque quæ in cœlo fiunt, maius eſt, quam artem ratiocinandi ac diſſerendi tenere, ergo maior eſt Aſtrologia quam Dialectica. adminiſtratio Reip. præſtātior eſt, quam cauſarum forenſium tractatio, ergo Senator præſtat cauſidico. ſimili ratione quæ maiora ſunt à maioribus cauſis proueniunt. vt præſtātius eſt ingenuarum artium ſtudijs operam dare; quàm mercaturæ. ergo ſcientia melior eſt lucro. magis laudatur qui beneficium alicui tradit, quā qui aliqnem oblectat, ergo utilitas uolnptati antecellit. hoc loco ab effectis, multis in locis utitur Cicero, cum ſe magis Reip. profuiſſe diſputat, quam omnes alij, quippe qui patriam à coniuratione Catilinę liberarit. Vt in Piſonem; mihi togato Senatus non, ut multis, bene geſtæ, ſed, ut nemini, cōſeruatæ Reip. ſingulari genere ſupplicationis Deorum immortalium templa patefecit.

Ex ijs quæ dicta ſunt, perſpicuum eſt, utroque modo poſſe aliquid maius uideri. nam ſi hoc principium eſt, illud autem non eſt, uidebitur eſſe maius: & contrà, ſi non principium hoc eſt, illud uero eſt principium. quod enim ultimum finiſque eſt, maius eſt, non quod eſt principium. TEXT.

Hoc quaſi corollarinm eſt ſuperioris loci, quo docet in utranque partem eum ualere. nam principium actu ac re ipſa puſillum eſt, & imbecillū, poteſtate uero maximum. quare ſi duo proponātur qnorum alterum principium ſit, alterum nō ſit, poſſimus dicere id, qnod eſt principium, eſſe maius, qnod maiorem habeat poteſtatem, quoniam à principio fluunt omnia, ipſum uero non aliunde prouenit, & contra, poſſumus ēt dicere principium actu eſſe debile & infirmum, atque, ideo maiora eſſe quæ non ſunt principia: quod enim eſt ultimum in rebus, & qui finis eſt, maior eſt principio. Valet igitur hic locus in contrarias partes. quod exemplo ſatis claro probat Ariſtoteles. COMM.

Quemadmodum Leodamas cum Calliſtratum accuſaret, dixit, eum qui conſilium dederat, magis in culpa eſſe, quàm, qui ſcelus cōmiſerat; neque.n. ſcelus illud commiſſum fuiſſet, niſi eius auctor, & conſiliarius extitiſſet. TEXT.

Hoc argumento, quo diſertus Orator Leodamas contra Calliſtratum uſus eſt, probatur, principium habere maiorē uim quam id, quod nō eſt principium. qui dat conſilium, aiebat Laodamas, magis peccat; quam qui ſcelus committit. quoniam ſcelus non committeretur, niſi conſiliarius auctor fieret. hic enim conſiliarius tanquā principium ponitur, quoniam, ut ſupra dixi, principium hoc loco pro cauſa efficiente debet intelligi. Leodamas fuit Aeſchinis præceptor, ut tradit Plutarchus in Aeſchinis uita. Quare in oratione contra Cteſiphontem Aeſchines eum magnopere laudat, atque in dicendo Demoſtheni opponit, atque etiam ſuauiorem ait eſſe. Fuit autem Athenienſis genere. ſed uidetur accuſationibus operam dediſſe: nam hoc loco oſtendit Ariſtoteles duos inſignes uiros in iudicium ab eo uocatos Calliſtratū, & chabriam. Calliſtratus Aphidnęus fuit, tanta eloquentia præditus, ut δημαγωγὸς fuerit appellatus. ſicut apud Romanos M. Antonius diſertus. eſt enim δημαγωγὸς, qui dicendo multum in concione ualet. de hoc meminit Plutarchus in Demoſthenis uita. cum enim Calliſtratus orationem habiturus eſſet, & omnes ad eum audiendum concurrerent, etiam Demoſthenes adhuc adoleſcentulus eum andire uoluit. cūque Calliſtratus tanta dicendi facultate peroraſſet, nt omnes eum admirati uenerarentur, & magno cum applauſu domum deducerent, ſic eloquentiæ percipiendæ deſiderio flagrare Demoſthenes cæpit, ut relictis omnibus alijs ſtudijs, illi uni deinceps operam dederit. ergo Demoſt-

henis eloquentiæ fuit auctor & principium Calliſtratus.

TEXT. *At uero cum accuſaret Chabriam, dixit, eum magis peccaſſe qui fecerat, quam qui conſuluerat: neque enim flagitium extitiſſet, niſi eſſet inuentus qui faceret. huius.n. gratia deliberant, ut, quod ſtatutum fuerit, efficiant.*

COMM. Argumentum ſuperiori oppoſitum, quo probatur id eſſe maius quod non eſt principiũ, quã quod principium eſt. idem (inquit) Leodamas in accuſatione Chabriæ dixit eum in maiori eẽ culpa qui commiſerat facinus, quam qui ei conſiliũ dederat. conſilium.n. nullum habet momentum, niſi inueniatur qui illud ſequatur. nam qui deliberant, id ideò faciunt, vt quod ſtatutum fuerit exequantur. quoties igitur effectus nõ ſubſequitur, inanis eſt deliberatio. vtrunque igitur argumentum eſt probabile, cum tamen inter ſe contraria ſint. Chabrias fuit egregius Dux Atheniẽſium. atque etiam ſtudijs Philoſophiæ deditus, de quo multis in locis Demoſthenes & præcipue in oratione contra Leptinem, vbi eum uehementer laudat, & res ab eo geſtas extollit. hic dicere ſolebat, eũ optimè Ducis munere fungi poſſe, qui res hoſtium quàm maximè cognitas haberet. huius etiam illam ſententiam eſſe quidam arbitrantur; ceruorum exercitum Duce Leone formidabiliorem eſſe, quam exercitum Leonum ceruo Duce. fuit autem accuſatus proditionis vna cum Iphicrate à Leodamante. & cum obiurgaretur ab Iphicrate collega quod cum eſſet in periculo capitis, tamen ad gymnaſium quotidie accederet, & hora ſolita pranderet, ergo (inquit) ſi nòs Athenienſes condemnarint, te ſqualidum & famelicum, me uerò pranſum & unctum interficient.

TEXT. *Et quod rarius eſt, affluenti eſt præſtantius; ut aurum ferro: quod quamuis minus ſit utile; tamen eius poſſeſſio maioris æſtimatur, quia difficilior eſt.*

COMM. Hunc locum in Topicis Cicero duobus verbis expreſſit, ſic.n. ait, rara vulgaribus. quod in libro de Amicitia confirmat, omnia præclara, rara eſſe, hoc autem apertiſſimo exemplo probat Ariſtoteles. nam ſine dubitatione ferrum vtilius eſt auro, ſine quo neque agricultura exerceri, neque domus ædificari, neq; artes tractari cõmode poſſent, cum interitu aurum nullum nobis vſum pſtet, tamen quia rarius eſt & eius poſſeſſio difficilior, ideo precioſius habetur. Cicero de finibus libro ſecundo ſic ait: in omni enim arte, vel ſtudio, vel quauis ſcientia, vel in ipſa uirtute optimũ quidque rariſſimum eſt. ſic etiam Iuuenalis: Rari quippe boni uix ſunt totidem numero, quot Thebarum portæ, vel diuitis hoſtia Nili. ita primo de Oratore Cicero laudat eloquẽtiam quot paucíſſimi & rariſſimi ſint boni Oratores, & pro lege Man. non eſſe copiam virorum fortium ait, quo magis Pompeij uirtutem extolleret.

TEXT. *Quod in aliquibus rebus contra ſe habet: ſiquidem quod uulgare eſt, ei, quod eſt rarum, anteponitur, quoniam frequentior eſt uſus. id.n. quo ſæpius utimur, præſtat ei, quo rarius, unde dicitur, Optima quidem aqua.*

COMM. Aliquando quæ vulgaria ſunt raris anteponũtur, propter utilitatem, quam nobis præſtant. cũ eis frequentius utamur. nam quod eſt in uſu frequentiori præſtantius eſſe uidetur. & hæc eſt cauſa cur Pindarus prima ſtatim oda olympiorum dixerit, optima quidem aqua. nam Plutarchus conuiuiorum libro quinto narrat hanc fuiſſe ueterũ conſuetudinem, ut eas res quæ plurimis uſibus hominum inſeruirent, diuinas appellarent, ut aquam, lucem, terram. Cicero de Amicitia ſic ait: Itaque non aqua, non igni, ut aiunt, pluribus in locis utimur, quam amicitia. nam aqua & igni cõtineri uitam omniũm veteres arbitrati ſunt, unde ſolebant interdum exulibus aqua & igni interdicere, hoc eſt rebus omnibus ad uſum vitæ neceſſarijs. quoniam ſine aqua & ignis auxilio nullum animal diutius uitam propagare poteſt. interdum tamen propter copiam aqua vilis appellatur, ſicut Horatius primo Sermonum.

Venit uiliſſima rerum Hic aqua.

TEXT. *Et omnino, quod difficilius eſt, procliuiore maius eò, quod etiam rarius eſt. & contra, nonnunquam quod procliuius eſt, difficiliori præſtat: ſic enim ſe habet ut uolumus.*

COMM. Quæ magna cum difficultate ſibi homines acquirunt, ea ſolent habere cariora, quo fit ut maius & precioſius æſtimetur, id quod eſt difficilius, quoniam etiam rarius eſt. unde prouerbio dicitur, difficilia quæ pulchra. quod à Solone profectum aiunt. cum enim Pittacus ſe ipſum imperio abdicans dixiſſet, difficile eſt bonum eſſe uirum. Solon reſpondit, difficilia quæ pulchra. Ariſtoteles ethicorum ſecundo ſcribit artem & uirtutem ſemp in difficili uerſari. quo fit vt uirtus omniũ rerum precioſiſſima ſit, quoniam difficile acquiritur. quod eleganter Heſiodus oſtendit ijs carminibus, quæ nos ita conuertimus.

Anguſtum collem, tenuis quo ſemita ducit,
Ipſa colit virtus, magno ſtipata labore.
Sic voluere Dei, ſed ſummo in vertice montis
Planicies ignota iacet, tutique receſſus:
Semper vbi feſſæ valeant requieſcere mentes.

Nonnunquam autem contra accidit, vt quod procliuius eſt, difficiliori anteponatur. quando ita fit vt volumus. quod etiam in Topicis vidit Cicero, cum ait, procliuia laborioſis præſtare, vt ſiquis ciuilem ſcientiam, arte imperatoria diceret antecellere, quod imperator in aſſiduis laboribus & periculis verſetur, ſenator autem tranquille & ſecure conſilijs ſuis Remp. adminiſtret. Cicero contra Rullum utrumque coniungit, illis uerbis. Nolitote dubitare plurimo ſudore & ſanguine maiorum ueſtrorum partam vobiſq; traditam libertatem, nullo ueſtro labore conſule adiutore defendere.

Præte-

TEXT. *Præterea id maius eſt, cuius contrarium eſt maius, & cuius priuatio maior: & uirtus, non uirtute, & uitioſitas, non uitioſiate maior eſt. nam illæ fines ſunt. hæc autem non ſunt fines.*

COMM. Sæpe fit ut ex cõtrarijs cognoſcantur quæ maiora ſunt aut minora. nam cuius contrarium eſt maius, id etiam maius eſſe ſolet. Vt ſiquis dubitaret vtrum bona ualetudo, & diuitiæ, quæ ambo bona ſunt, ſint paria, an alterum alteri præſtet, contraria ſpectet. nam ſi morbus corporis maius eſt malum, quam paupertas; etiam bona ualetudo maius erit bonum quam diuitiæ. ita iuſtitiam fortitudini præſtare poteſt ex eo probari, quod iniuſtus homo, timido eſt deterior. Sic Plato probat omnium bonorũ maximam eſſe iuſtitiã, quoniam iniuſtitia malorum extremum eſt. illud prętерea maius eſt bonum cuius priuatio peior eſt. vt grauius eſt infamia notari, quam pecunijs ſpoliari, ergo bona exiſtimatio diuitijs præſtat: peius eſt cæcum eſſe, quam ſurdum, ergo viſus auditu præſtantior eſt. quod autem addit Ariſtoteles virtutem non virtute, & vitioſitatem non vitioſitate maiorem eſſe, ita intelligendum eſt affectionem quidem & deſiderium uirtutis eſſe bonum, ſed tamen habitum virtutis eſſe meliorem. vt ſi quis bene quidem ſit affectus erga pauperẽ, ſed nihil ei largiatur, alius vero ſuis opibus ſuſtẽtet, hic certè maioris erit boni cauſa, magiſque laudandus. idem de vitioſitate ſentiendum. ſiquis cupit alicui malefacere, neque tamen malefacit, alius uero damnum inferat, hic fanè grauius peccat. Virtus.n. & vitium ex actionibus ſpectantur, & finis rationem habent. nam (ut ait Ouidius) Exitus acta probat.

Finis autem omnibus in rebus magni momenti ac ponderis eſt, affectiones autem bonæ, quaſi uię quędam & progreſsiones ſunt ad virtutem, non autem uirtutes. quoniam uirtus iam habitus eſt, ex multis actionibus cõfirmatus. neque.n. iuſtus dicit is, qui ſemel aliquid iuſtè gerit, aut qui tantum cupit iuſtè gerere: ſed qui ita omnino decreuit, & quæ iuſta ſunt cognoſcit, atque ea diligenter obſeruat, & exequitur.

TEXT. *Et, quorum opera pulchriora aut turpiora ſunt, ipſa ſunt maiora; & quorum uirtutes, aut uitia maiora, etiam opera maiora ſunt; quoniam ut ſe habent cauſæ & principia, ita etiam euenta, atque ut euenta ſe habent, ita etiam cauſa & principia.*

COMM. Ab operibus ſæpe cognoſcuntur hominum virtutes, & vitia, & contra ex virtutibus & vitijs, ſępe de operibus coniecturam facimus. quoniam virtutes & vitia ſunt tanquam cauſę principiaq́; atque euenta principijs reſpondent. atq; vt euenta ſe habent, ita etiam cauſę & principia. Vt res ab Alexãdro geſtę, maiores ſunt quam illę, quas geſſit Annibal. ergo Alexander Annibale maior fuit Imperator. maius eſt hoſtes pellendo ſecurã tueri ciuitatem, quam à voluptatibus abſtinere. ergo fortitudo maior eſt virtus quam temperantia. Pompeius ſæpius cum hoſte conflixit, quam quiſquam cum inimico concertauit, plura bella geſſit, quam cæteri legerunt, plures prouincias confecit, quam alij concupierunt, ergo longè cęteris præſtat imperatoribus. idem argumentum ualet etiam in vitijs, vt turpius eſt belluinas ſequi voluptates, quam in periculis animo cadere, ergo maius vitium eſt luxuria quam timiditas. plus nocuit Reip. Romanę Syllę dominatio, quã Gracchorum tribunatus. ergo Sylla fuit ciuis perniciosior quam Gracchi. quin hæc ratio uiciſſim retro cõmeat, qui enim maiori virtute prędití ſunt, etiam opera maiora ſolent efficere. vt Pompeius virtute bellica cęteris antecellit, ergo Mithridatem debellabit, quem neque Sylla, neque Murena, neque Lucullus debellare potuerũt. Parum valent foris arma, niſi ſit conſiliũ domi. ergo quę conſilio gerũtur, pręſtantiora ſunt, quam quę uiribus corporis. idem de uitio ſentiendum. maiora vitia ſunt etiam rerum turpiorum cauſæ, vt nemo fuit vnquam Marco Antonio ſceleſtior, ergo plura detrimenta Reip. inferet, quam quiſquam alius vnquam improbus ciuis, niſi prouideatis. his exemplis vbique ſcatet Cicero, vt ſecunda Philip. vt audacior quam L. Catilina, furioſior quam P. Clodius viderere.

per l.Mã.

TEXT. *Et quorum exuperantia magis expetenda, aut melior eſt, ut acutè uidere magis expetendum eſt, quam acutè olfacere, ergo etiam uiſus olfactu præſtantior.*

COMM. Res bonę quanto maiores ſunt, tanto pręſtantiores. itaque etiam ab exuperantia cognoſcuntur. nam quarum excellentia magis laudatur, illę maiores ſunt. vt ſi in maiori precio atque honore eſt excellens iuriſconſultus, quam excellens medicus, non eſt dubium quin iuris ciuilis ſcientia medicinæ antecellat. exemplum Ariſtotelis eſt comparatio inter duos ſenſus uiſum & olfactum. poteſt igitur ita formari argumentatio; melius eſt acutè uidere, quam acutè olfacere, ergo viſus olfactu præſtantior. Plato enim dixit oculorum in nobis eſſe ſenſum acerrimum. Ariſtoteles libro de ſenſu comparat inter ſe viſum, & auditum, atque nonnullis rationibus probat viſũ eſſe præſtantiorem, quamuis auditus dicatur eſſe diſciplinæ ſenſus, quoniam per eum omnes artes diſcimus. nam ſi quis eſſet omnino ſurdus, nihil vnquam diſceret, ac ne loqui quidem vnquam poſſet.

TEXT. *Et ſociorum ſtudioſum eſſe, magis decet, quam pecuniarum: quare ſtudium ſociorum comparandorum, quam pecuniarum laudabilius eſt. & conuerſo ordine rerum meliorum exuperantia meliores ſunt, & honeſtiorum honeſtiores.*

COMM. Alterum exemplum quo idẽ probatur. ſiquis amicorum ſibi cõparandorum ſtudioſus ſit, magis laudatur, quam qui pecuniam ſtudioſè quærit. ergo præſtantius eſt amicos curare, quam pecunias. atque hic locus in ſeipſum recurrit, & retro commeat, rerum bonarum etiam exuperantiæ bonæ ſunt, & meliorum meliores. Vt

honor & diuitiæ res bonæ ſunt, ſed honor diuitijs præſtat, ergo melius eſt in maximo honore eſſe, quam in maximis diuitiis. eloquentia & ars imperatoria res bonæ ſunt, ſed ars imperatoria præponitur eloquentiæ, præſtat igitur egregium eſſe imperatorem, quam egregium oratorem.

TEXT. *Et quorum cupiditates honeſtiores, & meliores ſunt, ea quoque meliora ſunt, & honeſtiora. maiores .n. rerum maiorũ ſunt appetitiones; atque ideo honeſtiorum & meliorum ſunt etiam meliores & honeſtiores cupiditates.*

COMM. Nemo res egregias gerit niſi earum ſit appetens, quarum autem rerum cupiditas magis laudatur, illæ ſunt meliores & honeſtiores. Vt laudatur & is qui amico gratificari ſtudet, & qui patriæ prodeſſe. ſed honeſtior & melior eſt ea cupiditas qua ducitur aliquis ut patriæ proſit, quam ut amico gratificetur, ergo amicis patria pręſtat. quanto autem res ſunt maiores, tanto etiam ſolent in nobis maiores excitare cupiditates, ut cupit quidem aliquis iucundè & ocioſè uiuere, ſed quia dignitas & honor res quædam eſt multo pſtantior ocio & iucunditate, ideo ſpernit ocium & uoluptatem, ut dignitatem & honorem acquirat. Itaque rerum honeſtiorum cupiditates ſemper honeſtiores ſunt. Vt honeſtũ eſt bene familiam ſuam inſtituere, ſed honeſtius rectè Remp. adminiſtrare. ergo cupiditas rectè adminiſtrandæ Reip. honeſtior & melior eſt, quã bene inſtituendę familiæ.

TEXT. *Et quarum rerum ſcientiæ pulchriores, & exquiſitiores ſunt, ipſæ quoque res ſunt pulchriores, & exquiſitiores; quemadmodum .n. ſcientia ſe habet, ita etiam uerum, & unaquæque ſcientia, quod ipſius eſt proprium præcipit, ac tradit, atque hac de cauſa rerum exquiſitiorum & pulchriorum etiam ſcientiæ ſunt eadem ratione tales.*

COMM. Scientię pulchriores, ſunt etiam de rebus pulchrioribus & exquiſitiores de rebus exquiſitioribus. quod ea ratione probatur, quoniam id quod uerum eſt ſcientiæ accõmodatur. atque unaquæque ſcientia tantum ea tradit, quę ſunt ipſius propria. quo fit ut hæc ratio reciprocetur. nam quanto res ſubiectę pulchriores atque exquiſitiores fuerint, tanto etiam earum ſcientiæ ſunt excellẽtiores. in principio librorum de anima docet Ariſtoteles duobus modis aliquam ſcientiam alteri pręſtare, uel quod exqſitior ſit, qua ratione Mathematicæ naturalibus antecellunt, uel quod nobiliorem habeat ſubiectam materiam, ut Aſtrologia Geometrię pręſtat, quoniam hęc terræ dimẽſionem ſpectat, illa uero ſiderum curſus. ideo uehementer commendatur Aſtrologia, quia ſit de rebus cœleſtibus & æternis, & à pręclaro ingenio uiris exculta. de quibus ita nõ dubitauit Ouidius exclamare.

Felices animę quibus hæc cognoſcere primis
Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit.

Ita cum ciuilis ſciẽtia medicina pręſtet, ẽt res in quibus ciuilis ſcientia uerſatur, erũt pulchriores quam in quibus verſatur medicina. Verſatur aũt ciuilis ſcientia in actionibus humanis, medicina uero in morbis & vulneribus. Eodẽ modo cum res diuinę pręſtãtiores ſint, quã naturales, ſequitur vt Theologia ſit excellentior quã phyſica. huius rei pulcherrimum eſt exemplum apud Ciceronem pro L. Murena, vbi à ſubiectis rebus probat rem militarem iuri ciuili pręſtare. ſic .n. ait: Qui poteſt dubitari quin ad conſulatũ adipiſcendum multò plus adferat dignitatis rei militaris quam iuris ciuilis gloria? vigilas tu de nocte ut tuis conſultoribus reſpondeas, ille vt quo intẽdit, maturè cũ exercitu perueniat, te Gallorũ, illũ buccinarũ cãtus exuſcitat. Tu actionẽ iſtituis, ille aciem inſtruit. Tu caues ne tui cõſultores, ille ne vrbes aut caſtra capiantur. ille tenet, & ſcit vt hoſtium copię, tu vt aquæ pluuię arceantur. ille exercitatus eſt in propagandis finibus, tu in regendis. & inferius, cedat, opinor, Sulpiti forũ caſtris, ocium militiæ, ſtylus gladio, vmbra ſoli. ſit denique in ciuitate ea prima res propter quam ipſa eſt ciuitas omnium princeps. ergo vel ab honeſtiore ſcientia probantur res eſſe honeſtiores, vel à rebus honeſtioribus probatur honeſtior eſſe ſcientia. quales .n. res ſubiectę ſunt, tales etiam ſcientię ſolent eſſe, & contra.

Et quod prudentes homines uel cuncti uel multi, uel plures, uel præſtantiſſimi maius bonum eſſe iudicarent, aut antea iudicarunt, id eſſe. tale neceſſe eſt; ſiue ſimpliciter in omnibus rebus, ſiue in ea re cuius periti ſunt, iudicauere. TEXT.

Locus hic ab auctoritate prudentium hominum ſumitur, vt quod illi maius bonum iudicarint, id eiuſmodi eſſe dicatur. aliquando vero cuncti prudentes idem de eadem re ſentiunt, vt maius id eſſe bonum quod ad Reip. totius ſalutem pertinet, quam quod ad ſalutem vnius. aliquando maior pars prudentium idem ſentit, etiam ſi non omnes, vt magis curandam eſſe amicitiam, quam pecuniam, qm̃ maius ſit bonum. aliquando qui prudentia cæteris antecellunt, ab alijs diſſentiunt. ſed tamen nos eorum ſententiam ſequi debemus, vt quod maius bonum ſit, procul ab honoribus & dignitatibus in ocio literario paucis contẽtum viuere, quam in Reip. luce uerſari, & magiſtratus gerere. Prudentes enim cum generaliter in rebus omnibus tum in ea re præcipuè, cuius periti ſunt rectè ac uerè iudicant. itaq; non errare poteſt is, qui prudentum virorum cõſiliũ ſequitur, ſi ipſe per ſe non ſatis eſt prudens. nam vt ait Cicero pro A. Cluẽtio, ſapiẽtiſſimum eſſe dicunt eum, cui, quod opus ſit, ipſi veniat in mẽtem, proximè accedere illũ, qui alterius bene inuentis obtemperet. Eſt autem Heſiodi ſententia, quam nos olim tribus carminibus, ita conuertimus: COMM.

Felix qui potuit per ſe cognoſcere, uita
Quæq; ſequẽda foret, quæq; effugiẽda uiciſſim.
Fortunatus & ille, audit qui recta monentem.

Sunt

Sunt igitur uiri prudentes andiendi, vt qnod illi præſtãtius eſſe cenſuerint, ét nos cenſeamus. quam rem copioſè Cicero perſeqnitur in Paradoxis ex eoloco: Brutum nero ſiquis roget, quid egerit in patria liberanda; ſiquis reliquos itẽ eiuſdemconſilij ſocios quid ſpectarint, quid ſecuti ſint: nũquid exiſtat cui uoluptas, cui diuitiæ, cui denique præter officiũ fortis & magni uiri quicquam aliud propoſitum fuiſſe uideatur? quæ res ad necem Porſenæ Q. Mutium impulit, ſine ulla ſpe ſalutis ſuæ? quæ uis Horatium Coclitem contra omnes hoſtium copias tenuit in põte ſolum? & quæ ſequũtur. ſic in Oratione pro Archia poeta probat gloriam eſſe maximum bonum, quoniã ita uiri prudentiſſimi iudicarunt.

TEXT. *Eſt autem hoc etiam in alijs omnibus commune, ut prudentes intelligant, & quid, & quantum, & quale prout unaquaque ars & ſciẽtia tradit. at nos hoc loco de bonis uerba facimus.*

COMM. Iudicium prudentium uirorum in omnib. rebus excellit. Vt nemo ſit qui melius aut de natura rerum aut de quantitate, aut de qualitate iudicare poſſit, quam, qui eius rei peritus eſt, de qua diſputatur. Vnde vulgo dicunt, nnicuique, in ſua arte credendum eſſe. Verum (inquit) Ariſtoteles, hoc loco non de omnibus rebus, ſed de bonis tãtum uerba facimus.

TEXT. *Nam antea bonum id eſſe ſtatuimus quod res omnes, ſi prudentiam haberent, ſibi eligerent. ex quo perſpicuum eſt, maius id eſſe bonum, quod prudentia magis expetit.*

COMM. A definitione boni probat id, quod propoſuerat. nam id eſſe bonum antea demonſtratum eſt, quòd omnia quæ prudentiam habent ſibi eligũt. Eſt autem prudentia rerum bonarum & malarũ ſcientia: atque is prudens dicitur, qui quod bonũ eſt eligit, quòd uerò malum eſt relinquit. cũ igitur prudentia bonum expetat, certè quod maius eſt bonum, magis etiam expetet. Vt Cicero pro Milone: addit hæc quæ certè uera ſunt; fortes & ſapientes uiros non tam præmia ſequi ſolere rectè factorum quam ipſa rectè facta. ſe nihil in nita niſi præclariſſimè feciſſe. Siquidem nihil ſit præſtabilius uiro quam periculis patriam liberare: beatos eſſe quibus ea res honori fuerit à ſuis ciuibus; nec tamen eos miſeros qui beneficio ciues ſuos uicerint: ſed tamẽ ex omnibus præmijs uirtutis, ſi eſſet habenda ratio præmiorũ, ampliſſimum eſſe præmium gloriam. eſſe hanc unã quę breuitatem uitæ poſteritatis memoria conſolaretur, quæ efficeret, nt abſentes adeſſemus, mortui uiueremus. hanc denique eſſe cuius gradibus ét homines in cęlum uideantur aſcendere. Et totus ille locus. in quo oſtenditur à prudentibus & ſapientibus uiris gloriã reliquis rebus anteponi, quo fit nt maius bonum habeatur.

TEXT. *Et id, quod melioribus adeſt, ſiue ſimpliciter, ſiue ex ea parte qua meliora ſunt; ut fortitudo robori præſtat.*

COMM. Naturæ præſtantiores ét maioribus bonis cumulatæ ſunt. Vt Deus & intelligentię diuinæ ꝑpetua beatitudine frunntur, nec ulla prorſus unquam perturbatione afficiuntur, quę bona certe maiora ſunt, quã bona ualetudo, aut uirtus, quæ ſunt humanæ naturę bona. rurſus ea quę ad animnm referuntur maiora ſunt, quam quę ad corpus, qnoniam animus corpori pręſtat. Vt fortitudo quę animi uirtus eſt, multo pręſtantior eſt robore corporis. ita Aenæas filium ſuum adhortatꝰ ut uirtutem ſe à diſcat, fortunam ab alijs petat, quoniam uirtus ad animum, fortuna ad corpus refertur, ſic enim ait.

Diſce puer uirtutem ex me uerumq́ue laborem,
Fortunam ex alijs.

Sic Horatius à maiori bono argumentatur
Vt corpns ualeat ferrum patieris & ignes,
Vt teipsũ ſerues nõ expergiſceris? Deus. n. animũ ut dominũ atque imperatorẽ obedienti pręfecit corpori. ſicut ait Cice. de nniuerſitate. quare maiora ſunt ea, quę animo geruntur, quam quę corpore. quod uox illa Scipionis Africani ſuperioris indicat. cum enim quidam eum calumniarentur, quod nõ ſtrenue dimicaret, me (inquit) mater imperatorem genuit, non militem.

Et quod uir melior eligeret, uel abſolutè, uel quatenus melior eſt; ut iniuriam accipere potius quàm inferre. hoc enim uir iuſtior eligeret. TEXT.

Hic locus ab eo, quem ſupra poſuerat, multũ differt, nam ibi docuit, cum duo expetenda ſunt, id eſſe magis expetendum quod uiri prudentiores ſequuntur. nunc uero docet cum alind vir melior, aut deterior expetit, id eſſe melius, qđ à uiro meliore probatur. & exemplum ſumit à Socrate, qui in Gorgia Platonis ait uirum bonum iniuriam potius accipere uelle, quam inferre. quam vocem poſuit Cicero quinto Tnſc. accipere quã facere pręſtat iniuriam. & vndecima Philippica de Dolabella qui Trebonium necauerat: Miſerior igitur qui ſuſcipit in ſe ſcelus, quam is, qui alterius facinus ſubire cogitur. huc referri poſſunt hiſtorię plurimę pręſtantium uirorum, qui neglecta vtilitate, tantum honeſtatem ſecnti ſũt. vt Fabricius meliùs eſſe ſtatuit Pyrrho nũciare, ut à medico ſuo caueret, quam concedere ut hoſtis populi R. ueneno tolleretur. & Curius, repudiato Samnitum auro dixit ſe malle aurũ habentibus imperare, quam aurum habere. & Regulus maluit ad ſupplicium redire, quam fidem hoſti datam fallere. Et Torquatus proprium filium ſecuri percusſit, potius quam pateretur rei militaris diſciplinam uiolari. Et Virginius filiam necauit potius quam Apij Claudij libidini dederetur. & Zeno maluit omnia perpeti, quam conſcios delendæ tyrannidis indicare. COMM.

Id ét quod iucũdius eſt, magis eſt expetendũ, quã minus iucundum. nam omnia voluptatẽ ſequuntur; & eius ipſius cã iucunde uiuere cupiunt: quibus rebus boni, finisq́ue natura iam à nobis ſupra definita eſt. iocundius autem illud eſt, quod & minus habet moleſtiæ, & diutius perdurat. TEXT.

Quantò aliquid incundius eſt, tanto maius eſt bonum. hoc aũt ea rõne probatur. quoniam nihil eſt quod nõ uoluptatem ſequatur. oẽs. n. animantes iucundã vitam expetũt. & iã ſuperius oſtẽdimus, id eſſe bonum, qđ ab omnibus expetitur. hæc. n. ipſius boni atque finis natura eſt. duabus autem quaſi notis id, quod eſt iucundius agnoſcitur. primo ſi minus habeat moleſtię quam aliud, deinde ſi longiori tempore perdurat. qua rõne voluptas animi longe iucundior eſt, quam corporis. hæc. n. aliquid ſemper annexum habet moleſtiæ, paruoque tempore durat. illa uero pura eſt & uera, ſæpiſſimèq; ſolet eſſe diuturna. Cicero de Finibus ſecundo de uoluptate uerba faciens, ita inquit: huic uerbo omnes, qui ubique ſunt, qui latine ſciunt duas res ſubijciunt, lætitiam in animo, cõmotionem ſuauem iocunditatis in corpore. nam & ille apud Trabeam, uoluptatem animi nimiam lætitiam dicit, eadem quam ille Cæcilianus, qui omnibus lætitijs lætum eſſe ſe narrat. iucundum igitur uel ad corpus uel ad animum refertur, ſed maiori ex parte quod refertur ad animum iucundius eſt, quam id, quod ad corpus refertur.

TEXT. *Et quod pulchrius eſt, minus pulchro: nam pulchrum aut eſt iucundum, aut propter ſe expetendum.*

COMM. Quod pulchrius eſt, id maius bonum habetur. nã pulchritudo bona eſt, ut antea docuimus. quare maior etiam pulchritudo melior erit. Porro pulchritudo vel ad corpus, uel ad animum refertur. in corpore pulchritudo eſt apta figura membrorum cum coloris quadam ſuauitate, ſicuti quarto Tuſc. ait Cicer. in animo uero nihil aliud pulchritudo quam concentus quidam oĩum uirtutum. de qua re Cicero ſecundo de officijs; Quis non admiretur ſplendorem, pulchritudinemq; uirtutis? & ſecundo de Finibus; Honeſtum pulchritudine ſua ſpecieque laudabile eſt. Eſt igitur duplex pulchrum, ait Ariſtoteles, alterum iucundum, quod eſt in corpore, alterum propter ſe expetendum, ꝙ eſt in animo. de quo Cicero in quadam ad Atticũ epiſtola de Cæſare loquẽs ſic ait: Atque oĩa ſe ait facere dignitatis cauſa, qui ne umbram quidem τοῦ καλοῦ uidit unquam. ſed de hoc genere pulchri multa dicentur inferius cum de exornatione uerba faciemus.

TEXT. *Ea quoque maiora bona ſunt, quorum ſibi homines, aut amicis auctores eſſe malunt, quorum autem minime uolunt auctores eſſe, ea maiora ſunt mala.*

COMM. Omnes homines ſui ipſorum ſunt amatores, aliqui magis aliqui minus, ſicut oſtendit Ariſtoteles Ethicorum nono. amicus uero eſt alter ipſe, ut Pythagoras dicebat. Ergo quæ maiora bona ſunt, magis ſibi & amicis homines optant, quã externis. cõtra quæ neque ſibi, neque amicis euenire uellẽt, ea maiora mala ſunt. hæc igitur ab hominum uoluntate & deſiderio cognoſcuntur. nã ut ait Terentius in Andria, omnes ſibi eſſe melius malunt, quam alteri. quod etiam vulgo, quamuis non ita politè prædicant: prima caritas incipit à ſe ipſo. quod adeo mordicus Epicurei complexi ſunt, ut auſi ſint dicere, quicquid ab homine fit, ad propriam utilitatem eſſe referendum. quã uocem uiri ſapientiores pecudum eſſe, non hominum cenſuerunt. non. n. ſolum nobis nati ſumus aiebat Plato, ſed ortus noſtri partem ſibi patria uendicat, partem amici.

Et diuturniora bona breuioribus, & ſtabiliora incertioribus; nam diuturniorum uſus tempore præſtat, ſtabiliorum autem uoluntate; quoniam quod ſtabile ac firmum eſt, uoluntatibus noſtris præſto ſemper adeſt. TEXT.

Quæ longiori tempore durant, meliora ſunt. Vt honor etiam poſt mortem remanet, diuitiæ in morte penitus relinquuntur. nemo. n. poſt mortem diues dicitur, cum tamen multi ſint mortui glorioſi, quare maius bonum eſt honor, quam diuitię. pręterea quæ firmiora ſunt, eis præſtãt, quę ſunt incertiora. Vt ars multo melior eſt quam experientia, nam experientia ſępe fallax eſt, & incerta, ars uero certam rationem ſequitur, & ſcientia certior & ſtabilior eſt opinione, quare etiam melior. probat autem Ariſtoteles hunc locum eo, ꝙ diuturnioribus vtimur lõgiore tempore, quo fit, ut antecellant, ſtabiliora vero magis voluntati noſtræ ſeruiunt. quod. n. ſtabile eſt nunquam ſe deſiderari patitur, ſed uoluntati noſtræ præſto ſemper adeſt. huius generis exemplum eſt apud Ciceronem pulcherrimum in Paradoxis, vbi ita argumentatur: Etenim ſi iſti callidi rerum æſtimatores prata et areas quaſdam magni æſtimant, quod ei generi poſſeſſionum minimè quaſi noceri poteſt, quanto eſt æſtimanda uirtus, quæ nec eripi, nec ſurripi poteſt unquam, neque naufragio, neque incendio amittitur, nec tempeſtatum, nec tẽporum permutatione mutatur? ita quinto Tuſc. qui. n. poterit aut corporis firmitate, aut fortunę ſtabilitate confidere? atqui niſi ſtabili, & fixo permanente bono beatus eſſe nemo poteſt. COMM.

Et eo pacto, quo à coniugatis, & caſibus ſimilibus, etiam alia conſequuntur, ut ſi fortiter ſe gerere pulchrius, & magis expetendum eſt, quam temperanter, etiam fortitudo magis erit expetenda, quam temperantia, & fortem eſſe magis, quam eſſe temperantem. TEXT.

Cicero in topicis uocat ea coniugata quæ orta ab vno variè commutantur, vt ſapiens, ſapienter, ſapientia, ſapere. Ariſtoteles aliquam ponit differentiam inter caſus & coniugata, vt caſus ſint aduerbia vt fortiter, temperanter: coniugata uero ſint alię partes, vt fortitudo, fortis, fortem eſſe, temperantia, temperans, temperantem eſſe. Cicero nullam ponit inter caſus & coniugata differentiam. Quintilianus libro quinto hunc locum penè contemnit, cum ait: His illud adijcere ridiculũ putarẽ niſi eo Cicero uteretur, qđ cõiugatum uocãt, ut eos qui rẽ iuſtã faciũt, iuſtè facere, ꝙ certè nõ eget probatione, ſed nõ aduertiſſe uidet Quintilianus quę uis ſit huius loci, & COMM.

quam

quam latè pateat, quantamq́; uim habeat ad perſuadendum, ut ſiquis dicat, nõ eſſe regnum expetendum cum regibus tot immineant pericula, tot ſolicitudines, aut doctrinam ſummo ſtudio complectendam, cũ doctis uiris tanta ſint & ad opes & ad dignitates propoſita præmia. aut militiam eſſe fugiendam, cum milites tot labores tot, miſerias, tot pericula quotidie experiantur, aut ſatius eſſe literis quam mercaturę operã dare, quoniam literati uiri maiore ſint in honore, minoresq́; curas habeant, quam mercatores. Hæc enim omnia coniugata ſunt, regna reges, doctrina docti, militia milites, literæ literati, mercatura mercatores. multum igitur prodeſt huius loci cognitio, qui etiam in comparatioue ualet, ut hoc loco docet Ariſtoteles. nam ſiquis dubitaret utra maior eſſet uirtus fortitudo ne an temperãtia, poſſet ita colligere. pulchrius eſt & glorioſius fortiter ſe gerere, qnam temperanter. ergo magis eſt expetenda fortitudo, quam temperantia. & fortem eſſe magis quam eſſe temperantẽ. ita Cicero pro Murena, cum oſtendere uelit eloquentiam eſſe præſtantiorem iuris prudentia, comparat oratores & iuriſconſultos inter ſe, atque ait multos qui Oratores euadere non potuerunt, ad iuris ſtudium deueniſſe.

TEXT. *Et quod omnes expetunt, maius eſt, quam quod non omnes, & quod plures, quàm quod pauciores. bonum enim id eſſe diximus, quod omnes expetunt. itaque maius id bonum eſt, quod magis expetitur.*

COMM. Iam ſupra dictum eſt, id eſſe bonum quod omnes expetũt, ex quo ſine dubitatione ſequitur id eſſe maius bonum, quod ab omnibus magis expetitur. hoc eſt igitur quod ait hoc loco Ariſtoteles, ex comparatione maius id eſſe bonum cognoſcitur quod omnes expetunt, quam quod nõ omnes. ut omnes natura ſcire deſiderant, ſed non omnes diuitias appetunt. quoniam aliqui eas cõtemnunt, aliqui prodigunt. ergo ſcientia maius eſt bonum, quam ſint diuitiæ. Ita omnes cupiunt beneualere, ſed non omnes certandi robur appetunt. ergo bona ualetudo robori præſtat. eodem modo quod plures expetunt, maius eſt bonum quam qnod pauciores. ut plures expetunt uitam ciuilem & commercium hominum, pauciores uero ſolitudinem, ergo uita ciuilis melior eſt ſolitudine. Hæc autem intelligenda ſunt de natura minimè deprauata, alioquin falſa eſſent. His enim corruptis hominum moribus longè plures ſunt, qui diuitias appetant, quam qui iuſtitiam, atq; ita pecunia maius eſſe bonum, quam iuſtitia uideretur, quod omnino falſum eſt. Vel quæ ſunt eiuſdem generis inter ſe comparanda ſunt, ut animi bona cum bonis animi, bona corporis cum corporis bonis, externa cum externis. Sic enim uerum eſſe reperietur id, quod ait Ariſtoteles.

TEXT. *Et quod aut aduerſarij, aut hoſtes, aut diſceptatores, aut qui uerè iudicare poſſe cenſentur. Illud enim perinde eſt, ac ſi omnes tales eſſe faterentur, hoc autem, ac ſiqui in ſua poteſtate rem habent, & eius ualdè ſunt intelligentes.*

Quatuor hominum genera ponit, qui de maiori bono ſententiam ferre poſsint, hoc eſt aduerſarios, hoſtes, iudices, intelligentes. Aduerſarij dicuntur, qui nobiſcum litigant, aut multum diſſentiunt, qui plerumq́; ſolent etiam inimici eſſe, aut ſaltem parum beneuoli. hoſtes uero dicuntur quibus cum publice bellum geritur. ergo quod aduerſarij aut hoſtes noſtri maius eſſe bonum iudicarint in nobis, id iam huiuſmodi eſſe credendum eſt, nam perinde eſt ac ſi iam omnes tale eſſe faterentur. Huius generis exemplum pulcherrimum eſt apud Plutarchum in uita Annibalis. ait enim. P. Scipionem Africanum cum à Senatu populoque. R. legatus ad Antiochum miſſus fuiſſet, cum Annibale, qui cum apud Antiochũ exulabat, congreſſum fuiſſe, atq; ab eo petiſſe, ut ex animi ſententia diceret, quem fuiſſe maximum imperatorem cenſeret, Annibalem autem reſpondiſſe primo loco Alexandrum Macedonum Regem, ſecundo Pyrrhum Regem Epirotarum, tertio ſeipſum collocandum uideri. Ad hæc Africanum leniter arridentem dixiſſe: Quid de te cenſeres Annibal ſi me uiciſſes? Tunc ille. me certe cũctis imperatoribus, qui poſt homines natos floruerunt, anteferendum cenſerem. Hoc Annibalis reſponſum Africano magnopere placuiſſe ferunt, neqne iniuria, cum ab hoſte populi R. acerrimo, ac præcipuè ſuo, præponi ſe cæteris imperatoribus omnibus intelligeret. Ita P. Cornelius egregiè fortis & bonus imperator ſibi magno honori duxit, quod ſe. C. Fabricius hõ inimicus conſulem feciſſet, bello præſertim magno & graui. Vt eſt apud Ciceronem ſecundo de Oratore. Maius etiam id bonum eſt, quod qui in ſua poteſtate rem habent, & ſuo arbitrio iudicare poſsunt tale eſſe cenſuerunt. de qua re eſt apud Ciceronẽ integra Oratio quæ Diuinatio appellatur contra Verrem, in qua contendit multis argumentis Cicero ſe meliorem accuſatorem futurum, quã. Q. Cæcilium, ſed eo potiſſimum argumẽto nititur. quod Siculi homines, quorum in poteſtate erat, quem uellent ſibi patronum eligere, non Q. Cæcilium, ſed ſe unum elegiſſent. Sic in Fabulis Venus Iunone, & Pallade longe pulchrior habita eſt, qm̃ ita Paris cui iudicandi poteſtas tradita erat, iudicarat. deniq; maius eſt id bonnm, quod intelligentes uiri cæteris præponunt. Nam ut ait Ariſtoteles Ethicorum primo, quæ quiſq; intelligit, de iis uerè iudicat, eorumq́; æquus eſt æſtimator. non enim ſemper uulgi iudicium cũ intelligentium iudicio congruit. ſicut ait in Bruto Cicero. COMM.

Atque interdum illud maius habetur, cuius omnes participes ſunt; labes enim atque ignominia eſt, non illud participare: interdum illud, cuius nemo aut pauci ſunt participes; id enim eſt rarius. TEXT.

Hæc uidentur eſſe diſsidentia, & contraria, cũ tñ utraq; uera ſint. interdum (inquit) ea maiora bona ſunt, quæ omnes participant, interdum quæ COMM.

nemo

nemo aut pauci conſequuntur. Quæ duo membra rationibus ſubiectis probantur, ac primo id eſſe maius bonum quod omnes participant ex eo poteſt intelligi, quod labes atque ignominia quędam eſt eo carere. Vt ſi quis nullum amicum habeat, cum omnes alij quærant amicos & habeāt: aut ſi quis ingenuus uir literarum ſit penitus ignarus, cū omnes ingenui literis imbui ſoleāt. ita Cicero pro Roſcio Am. Erucium accuſatorē irridet, quod in eo Roſcium vituperet. cui patres familias omnes filios ſuos ſtudere deſiderant. Hoc eſt rebus ruſticis & agriculturæ. ſic Themiſtocles in conuiuio cum Lyram recuſaſſet habitus eſt indoctior, quoniam nobiles eo tempore fidibus diſcebant. cōtra uerò maius eſt id bonum, quod uel nemo uel pauci couſecuti ſunt, quoniā eſt rarius. & ſupra demonſtratum eſt id eſſe maius bonum quod rarius eſt. in hoc uehementer gloriatur Cicero quod ipſe conſecutus fuiſſet id, quod ante ipſum nemo, ut rogato ſupplicationes decernerentur, ut pater patriæ uocaretur. in oratione uerò de lege Agraria cōtra Rullum ſic ait: me eſſe unū ex omnibus nouis hōibus, de quibus meminiſſe poſſumus, qui conſulatum petierim, cúm primum licitum ſit, conſul factus ſim cum primum petierim; ut ueſter honor ad mei temporis diem petitus, non ad alienæ petitionis occaſionem interceptus, nec diuturnis precibus efflagitatus, ſed dignitate impetratus eē uideatur. & quæ ſequuntur. ſic in Oratione pro lege Man. multa Cn. Pompeio noua, quę nemini unquam alij contigerunt conceſſa fuiſſe demonſtrat.

TEXT. *Et quæ laudabiliora; nam eadem ſunt honeſtiora: & ea, quibus maiores honores tribuuntur; honor. n. tanquam æſtimatio quædam eſt: & quibus pœnæ maiores conſtitutæ ſunt.*

COMM. Quæ maiori laude digna ſunt, ea maiora ſunt bona, quoniam quæ magis laudantur, honeſtiora ſunt. Vt laudatur Solon Athenienſis quod cenſum apud Athenienſes inſtituerit, & ciuium claſſes, unde ſciri poſſet, quantum quiſque poſſideret, ſed magis in eo laudatur, quod optimas leges tulerit. ergo maius bonum eſt leges ferre, quam cenſum inſtituere. ſic ea quibus maiores honores tribuuntur, maiora bona ſunt, quoniam honor uidetur ipſius rei quædam æſtimatio. Cicero pro Marcello conatur oſtendere clementiam longè maius eſſe bonum, quam ſit bellica fortitudo, quia ſit laudabilior, ac maiori honore digna. quē locus elegantisſimè tractatum ita concludit: Itaque C. Cæſar bellicæ tuæ laudes celebrabuntur illæ quidem non ſolum noſtris, ſed penè omnium gentium literis, atque linguis, neque ulla unquā ætas de tuis laudibus conticeſcet. ſed tamen eiuſmodi res neſcio quomodo etiam dum audiuntur aut dum leguntur, obſtrepi clamore militum uidentur, & tubarum ſono. at uero cum aliquid clementer, manſuetè, iuſtè, moderatè, ſapienter factum, in iracundia præſertim, quæ eſt inimica cō-ſilio, & in uictoria, quę natura inſolens, & ſuperba eſt, aut audimus, aut legimus, quo ſtudio incēdimur, non modo in rebus geſtis, ſed etiam in fictis? Et eos ſępe, quos nunquam uidimus, diligamus. & quæ ſequuntur. ſicut autem maiora bona ſunt, quibus maiores honores tribuuntur. ita etiā maiora ſunt mala, quibus pęnę maiores à legibus conſtitutæ ſunt. Nam Solon uir ſapientisſimus aiebat duabus potisſimum rebus ciuitates conſeruari. hoc eſt præmio, & pœna. Cum enim boni præmiis afficiuntur, improbi uerò puniuntur, tum omnia rectè procedunt. ſed ex peccatis alia maiora ſunt alia minora. quamobrem etiam pœnæ ſunt aliquæ minores, aliquę maiores: quoniā æquales peccatis pęnæ eſſe debent. rectè enim dixit Horatius.

Adſit
Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas.

Vt ueteres Romani ſic habuere (quemadmodum ſcribit Cato) & ita in legibus poſuere, furem dupli condemnari, fœnatorem quadrupli. Quanto peiorem ciuem exiſtimarint fœneratorem quam furem, hinc licet exiſtimari.

TEXT. *Et quæ maiora ſunt eis, quæ omnes magna eſſe confitentur; aut quæ magnorum ſpeciem præ ſe ferunt.*

COMM. Hęc ratio eſt apertisſima. Nam quæ magnitudine ſuperāt ea, quę ab omnibus magna iudicantur, aut quę uidentur eſſe magna, non eſt dubitādum quin maiora ſint. poſſunt enim rebus magnis etiam maiores inueniri, ut pro Marcello Cicero: quę quidem ego niſi ita magna eſſe fatear, ut ea vix cuiuſquam mens aut cogitatio capere poſſit, amens ſim. ſed tamen ſunt alia maiora. atque ita pergit oſtendere bellicas laudes eſſe quidem magnas, ſed longè maiores eſſe laudes clementię. & magnum eſſe gentes immanitate Barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas uincere: ſed multo maius eſſe uincere animum, iracundiam cohibere, uictoriam tēperare. quod etiam apud Ouidium Briſeis innuit, quæ ad Achillem ſcribens, ita inquit.

Vince animos iramq; tuam, qui cętera uincis.

Sic Virgilius in ſeptimo, magnā quidem fuiſſe Lauſi pulchritudinem oſtēdit, ſed maiorem Turni, cum ita inquit.

—quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

TEXT. *Et quæ in partes diſſecantur, maiora uidentur: nam in eis apparet plurium rerum quædam exuperantia. Vnde etiam poeta ſcribit Meleagrum ab uxore ad bellum hac ratione fuiſſe concitatum, cum illa narraret.*

Quot mala concurrunt quotiens crudeliter urbem,
Diripiunt hoſtes: pereunt iuuenesq; ſenesque.
Ilicet ignis edax euertit tecta domorum,
Abducunt alij natos.

COMM. Hic aptisſimus eſt locus ad amplificandum, & frequentisſimus apud auctores, ut quod ſummatim dici poterat, in partes diſſecetur. Sic enim

longe

longe maius & grauius uidetur. huius generis plurima ſunt apud Ciceronem exempla, quoniã mirus eſt artifex amplificandi. ſed duo, aut tria ſufficient, ad hunc locum illuſtraudum. igitur ꝓ lege Man. cum oſtendere uellet Cicero Pompeium eſſe peritum rei militaris ſatis erat dixiſſet, in omni genere bellorum eum bene ſcienterq́; verſatum fuiſſe, ſed ita exaggerat: Quod deniq; genus belli eſſe poteſt, in quo illum non exercuerit fortnna Reip. ciuile, Africanum, Tranſalpinum, Hiſpanienſe, mixtũ ex ciuitatibus, atq; ex bellicoſisſimis nationibus, ſeruile, nauale, varia & diuerſa genera & bellorum, & hoſtium non ſolum geſta ab hoc uno ſed etiam confecta, nullam rem eſſe declarant in vſu militari poſitam, quæ huius viri ſcientiam fugere posſit, ita poſt reditum in Senatu, cum illi ordini gratias ageret, ſatis erat dixiſſe, omnia mihi reddidiſtis, uerum ita uoluit amplificare; qui mihi fratrem optatisſimum, me fratri amantisſimo, liberis noſtris parẽtes nobis liberos, qui dignitatem, qui ordinẽ, qui fortunas, qui amplisſimam Remp. qui patriam, qua nihil poteſt eſſe iucundius, qui denique, nos metipſos nobis reddidiſtis. pro Milone de Clodio loquens ita inquit; & ſi æquabiliter in Rẽp. in priuatos, in longinquos, in propinquos, in alienos, in ſuos irruebat. cum ſatis fuiſſet dicere; in omnes irruebat. ſed penè infinita ſunt huius generis exempla, Ariſtoteles ſumit exemplum ab Homero, qui libro Iliadis nono ſcribit Meleagrum ira ac mœrore preſſum nulla ratione adduci potuiſſe, ut arma caperet, & periclitanti patriç ſubueniret, donec ad eum acceſſit eius uxor, & ſigillatim ante oculos ei narrando expoſuit quot mala ſint in urbis direptione. hunc locum citat etiam Plutarchus in Homeri uita, & Hermogenes ait duobus uerſibus Homerum optimè expreſsiſſe urbis direptionem. quam rem Virgilius libro Aeneidos ſecundo copioſe perſequitur ex eo loco.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet? aut posſit lachrymis æquare labores?
Vrbs antiqua ruit multos dominata per annos,
Plurima perq́ue uias ſternuntur inertia pasſim
Corpora, perq́; domos, & religioſa Deorum
Limina.

quin apud Virgilium plurima ſunt huius generis, & pulcherrima exẽpla, ut in primo Aeneidos, cum ſatis fuiſſet dicere; ſubito magna eſt exorta tempeſtas, ita rem auget:

—ac uenti uelut agmine facto
Qua data porta ruunt, & terras turbine perflãt,
Incubuere mari, totumq́; à ſedibus imis
Vnà Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus. & vaſtos uoluunt ad litora fluctus.
Inſequitur clamorq́; uirum, ſtridorq́; rudentum.
Eripiunt ſubito nubes cœlumq́; diemq́;
Teucrorum ex oculis, ponto nox incubat atra.
Intonuere poli & crebris micat ignibus æther.
Pręſentemq; viris intentant omnia mortem.

Neque. n. ullo modo potuiſſet quiſquam artifex ingenioſius aut melius ſæuam tempeſtatem exprimere. quin cum ipſa natura tempeſtatis ita cõtendiſſe poeta noſter uidetur, vt eam uel arte ſua ſuperarit, vel certè ſaltem adæquarit. nihil enim exquiſitius illis uerſibus fieri poteſt.

Præterea componendo, & quaſi ſuperſtruendo fit, ut maius aliquid uideatur; quemadmodum Epicarmus facere conſueuit. nam partim eadem ferè ratione, qua diuiſio, etiam compoſitio, magnam oſtendit exuperantiam, partim quia principium, & cauſa rerum magnarum eſſe uidetur. TEXT.

Quemadmodum vnius rei diuiſio in partes, videtur maius quiddam efficere, ita cum multa & uaria congeruntur, & quaſi ſuperſtruuntur, id totum quod ex eis fit, maius videtur. quo genere, inquit, amplificationis vti ſolebat Epicharmus poeta Siculus, cuius ſcripta quoniam interierunt, nullum ab eo nunc exemplũ ſumere poſſumus. duplici autem ratione compoſitio, & coaceruatio videtur exuperantiam oſtendere. primo quoniã id quod antea diuiſum in partes exiguũ videbatur, poſtea congeſtum amplitudinem accipit, & maiorem molem, atque ita magnam oſtendit exuperantiam quemadmodum etiam diuiſio. deinde quia quod ita congeritur, videtur initium quoddam & quaſi fundamentum magnarum rerum. Huius autem generis exempla ſunt apud Ciceronem plurima. qui ſæpisſimè quaſi vno faſce, ſic vna periodo multa & uaria complectitur. Vt in Catilinam ad Quirites: Remp. Quirites, uitamq; omnium neſtrum, bona, fortunas, cõiuges, liberosq; ueſtros, atque hoc domicilium clarisſimi imperii, fortunatisſimam pulcherrimamq; vrbem, hodierno die Deorum immortalium ſummo erga vos amore, laboribus, conſiliis, periculiſq́ue meis, ex flamma atque ferro ac pene ex faucibus fati ereptam & uobis conſeruatam ac reſtitutam videtis. Hoc enim appellatur ſuperſtruere, cum multa & uaria congeruntur, quæ exornatio rhetorica vocatur, frequentatio, & à Quintiliano cõgeries, ut pro M. Cælio de Sex. Clodio; hominẽ ſine re, ſine fide, ſine ſpe, ſine fortunis, ore, lĩgua, manu, vita omni inquinatum. & pro Cor. Balbo; ò nationes, urbes, populi, reges, Tetrarchæ, Tyranni, teſtes Cn. Pompeii non ſolum uirtutis in bello, ſed etiam religionis in pace. Vos denique mutæ regiones imploro. & ſola terrarum ultimarum, uos Maria, portus, inſulæ, litoraque, & cætera. pro M. Marcello, Quis eſt enim illo aut nobilitate, aut probitate, aut optimarũ artium ſtudio, aut innocentia, aut ullo genere laudis præſtantior? huic generi finitimum eſt illud cum multa quidem uerba ſeu membra congeruntur, quæ tamen unam tantum rem ſignificant, ut apud Virgilium initio. 3. Aeneid.

Poſtquam res Aſiæ, Priamique euertere gentem
Immeritam uiſum ſuperis, ceciditq́ue ſuperbum
Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troia.

hæc

hæc enim omuia nihil aliud ſignificant, niſi poſt euerſam Troiam. hoc autem frequenter etiam Ciceto facit amplificandi gratia.

TEXT. *Quoniam autem id, quod difficilius eſt, et rarius, habetur maius; accidit ut etiam occaſiones, ætates, loci, tempora, facultates res magnas efficiant. ſiquid enim ſupra uires, & ſupra ætatem, & ſupra æquales, & ſi opportunè, ſi loco, ſi tempore geſtum fuerit, magnitudinem habebit, & in rebus honeſtis, et in bonis, & in iuſtis, atque etiam in contrarijs.*

COMM. Ex ijs, quę ſupra poſita ſunt, etiam alia colligi poſſe docet. nam quod difficilius & rarius eſt, id etiam maius habetur, ut iam antea dictũ eſt, quo fit vt res aliquæ licet natura ſua magnæ nõ ſint, tamẽ vel propter occaſionem, vel propter ætatẽ, uel ptopter locum, vel propter tempus, vel propter facultatem magnæ videantur. nam in omnibus actionibus ea magna iudicantut, quę uel ſupra ætatem geruntur, vel ſupra æquales, & quæ fiunt opportunè, & loco, & tempore, quæ omnia Cicero pro lege Man. in Pompeio amplificat. ac primò ſupra ætatem, ac ſupra æquales eum extollit, quod exttema pueritia miles fuerit ſummi imperatoris, ineunte adoleſcentia maximi ipſe exercitus impetator, quòd plura bella geſſerit, quàm cæteri legerunt, plures prouincias cõfecerit, quã alij concupiuerunt. deinde commemorat, quàm opportunè omnia geſſerit. Vt etiam nondum tẽpeſtiuo ad nauigandum mari bellum contta prędones ſumpſerit. qui quo die (inquit) à uobis maritimo bello præpoſitus eſt imperatot, tanta repẽte uilitas annonæ ex ſumma inopia & charitate rei frumentariæ conſecuta eſt unius ſpe & nomine, quantam vix ex ſumma vbertate agrorum diuturna pax efficere potuiſſet. & paulo poſt, amiſiſſetis Aſiam Quirites, niſi ipſum id temporis diuinitus C. Pompeium ad eas regiones fortuna populi. R. attuliſſet. ita Philippica tertia C. Cæſarem Octauianum ſummopere laudat, quod adoleſcens uel potius puer exercitum ueteranorũ militum contra Antonium comparaſſet, atque eius impetum tetardaſſet. ſic in hiſtoriis celebratur Papyrius prætextatus, quod ſupra ætatem prudẽs eſſet, & ſolus ex pueris in Senatum admitteretur. & P. Scipio, qui cum æquales eius poſt Cannenſem pugnam de relinquenda Italia conſultarent, ſtricto gladio coegit eos iurare ſe patriam nõ deſerturos. atque idem Scipio celebratut, quod annos natus decem & ſeptem patrem ſuum iã ſaucium ab Annibale defenderit, & ſe pro patre Annibali obiecerit. quam laudem Virgilius in decimo Aeneid. Lauſo Mezentii filio attribuit. ſic enim de illo ait:

Iamq; aſſurgenti dextræ plagamq; ferenti
Aeneæ ſubiit mucronem: ipſumq; morando
Suſtinuit, ſocii magno clamore ſequuntur,
Dum genitor nati palma protectus abiret.

Hoc enim factum ſupra ætatem fuit, & opportunum, & loco & tempori accommodatum, quare magnum habetur. talia ſunt, ea quæ præter expectationem eueniunt, aut ab eo fiunt, à quo nemo ſperabat. Vt Ventidius cũ antea mulos agete ſolitus eſſet, poſtea factus imperator, inſignem de Parthis uictoriam reportauit.

TEXT. *Quo ſenſu factum eſt epigramma in uictorem illum olympiorum ludorum;*

His humeris, ante impoſita mihi corbe, redibam
Ex Argo preſſus piſcibus in Tegeam.

Et Iphicrates, ſeipſum laudans, ita dicebat;
Ex quibus initiis ad hæc perueni.

COMM. Hæc duo exempla declarant ea uideri magna quæ fiunt ab aliquo ſupra conditionẽ ſuam. quidam. n. antea diu occupatus in vili miniſterio geſtandorum onerum, poſtea factus eſt olympionices, quod apud Gręcos, ut ait Cicero pro Flacco, propè maius erat ac glorioſius quam Romæ triũphare. merito igitur fuit ille cẽlebratus, qui prius ex Argo piſces in Tegeã geſtabat, deinde uictor in Olympijs ludis euaſit. Iphicrates Athenienſis coriarij filius fuit, ut ſcribit Suidas, & tamen maximus euaſit imperatot. itaq; merito glorisbatur à paruis initiis, ad magnam gloriam & celebritatem perueniſſe, quod pluribus in locis facit etiam Cicero, cuius auum ferunt fullonem fuiſſe.

TEXT. *Atque id, quod innatum, atque inſitum eſt, aſſumpto & aduentitio maius, quoniam etiam difficilius eſt, unde poeta inquit; Ipſe meo didici Marte.*

COMM. Quæ naturalia ſunt, ac per ſe adſunt alicui rei maiora ſunt, quam quæ aduentitia ſunt, & arte cõparantur, quoniam rariora ſunt, & difficiliora. ut in muliere naturalis uenuſtas multo magis excellit, quam fucati medicamenta candoris & ruboris. & ingenium longe ſtudio & labori antecellit, unde rectè Martialis:

Qui uelit ingenio cedere rarus erit.

Pindarus etiam in Olympiis eos qui natura & ingenio ualent, plurimũ extollit, qui ſine ingenio ſtudiis inuigilant, contemnit. Quintilianus docet, non magis artem prodeſſe iis, qui tardo ſunt ingenio, quam ratio agriculturæ ſterilibus agris. Exemplum quod citat Ariſtoteles eſt apud Homerum libro odyſſeæ uigeſimo ſecundo. ubi Phenius cantoe ait ſe nullo magiſtro uſum in diſcẽdo, ſed per ſe quæ ſciebat didiciſſe. Cicero locum hunc in topicis ita expreſſit, ut innata atque inſita, aſſumptis & aduentitiis. at uero in oratione pro Archia poeta, naturæ quidem atque ingenio palmam tribuit, ſed tamen etiam doctrinam multum ualere contendit. quod exemplum hunc locum plurimum illuſtrat, ſic enim ait: Ego multos homines excellenti animo ac uirtute fuiſſe, & ſine doctrina, naturæ ipſius habitu propè diuino, per ſe ipſos & moderatos & graues extitiſſe fateor. etiam illud adiungo; ſæpius ad laudem atque uirtutem naturam ſine doctrina, quam ſine natura ualuiſſe doctrinam. atque idem ego contendo, cum ad naturam eximiam, atque illuſtrẽ acceſſerit ratio quædã conformatioque doctrinæ, tum illud neſcio quid præclarum ac ſingulare ſolere exiſtere. & quæ ſequuntur. nam

nonnullis exemplis hoc probat, ſic etiam Horatius carminum libro quarto primã uim naturæ tribuit, alteram doctrinæ, cum ſic ait:

Fortes creantur fortibus & bonis
Eſt iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, uec imbellem feroces
Progeuerant aquilæ columbam,
Doctrina ſed uim promouet inſitam
Rectiq; cultus pectora roborant.

Quintilianns tamen libro ſecundo, quauuis naturæ plurimum tribuat, uiros excellentes plus do-
cap. 19 ctrinæ quam naturæ debere putat. ſicuti in ſolo fœcundo plus cultor quam ipſa per ſe bonitas ſoli efficiet, & ſicut in manibus Praxitelis plus eſt, quam in marmore.

TEXT. *Et rei magnæ maxima pars; ut Pericles, cum funebrem orationem haberet, dixit iuuentutem e ciuitate bello ſublatam, non aliter, ac ſi uer ex anno tolleretur.*

COMM. Si quis rẽ magnam in partes diuidat, ea pars, quę maxima eſt, reliquis ſingulis antecellit. maximam autẽ intelligimus uel mole, uel uirtute. vt ver anni maxima pars dicitur, eò, quòd ſit alijs pulchrior & uenuſtior. unde apud Græcos ver ex anno tollere dicebatur, qui, qnod eximiũ eſſet in aliqua re tolleret. quod dictum Ariſtoteles Pericli ſummo Athenienſiũ imperatori attribuit. is .n. præter imperatoriam laudẽ, etiam orator inſignis erat. itaque cũ orationẽ funebrem haberet, uel (ut Græci uocant) epithaphiũ, dixit ita iuuentutẽ e ciuitate ſublatam. ſicuti ſi uer ex anno tolleretur. Ver. n. adoleſcentiæ comparatur, unde dicitur etiam adoleſcentia flos ætatis, & eleganter Lucretins ait;

Hinc lętas pueris urbes florere uidemus.

Herodotus in Polyhymnia dictũ hoc attribuit Geloni Syraçuſano. cum. n. Lacedemonii atque Athenienſes legatos in Siciliam ad Gelonẽ miſiſſent, petentes ut ſibi auxilio eſſet cõtra xerſem Perſarum regem, dixit ille ſe uenturum modo ſibi uel in terra, uel in mari totius belli imperium traderẽt. quod cũ Lacedæmoniis, atque Atheuiẽſes recuſaſſent. dixit Gelo, Græcis ex anno uer eſſe ſublatũ. ſignificans exercitum ſuum totius Gręciæ florem eſſe. hoc locutionis genere uſus eſt etiã Cicero in Lęlio cum oſtendere uellet amicitiam rem eſſe maximam, Solem, inquit, e mundo tollere uidentur, qui amicitiam è uita tollunt.

TEXT. *Et quæ in grauiori tempore ſunt utilia, ut in ſenectute, & in morbo.*

COMM. Maiora illa ſunt, quæ opportuniori tempore tribuuntur. ut cũ quis in ſenẽ beneficiũ coufert, aut in eũ qui morbo ſit affectus. neq;.n. his facile grauiora tempora reperinntur. ſenes. n. plerumq; non aliter imbecilli ſunt, atq; illi qui morbo laborant, talia ſunt ea, quæ exulibus, aut aliqua calamitate preſsis tribuuntur. Cicero pro Plãcio beneficia Plancii commemorat, quæ in ſe cũ exul eſſet contulerat, atq; ea uehementer amplificat,

:cũm

Nam ueri amici ſunt, qui graui tẽpore adſunt & opẽ ferunt, quod eleganter Ennius ait; Amicus certus in re incerta cernitur. idẽ ergo beneficium maius euadit, cum in tempore datur.

Et duobus propoſitis id, quod fini propinquius eſt etiam maius. TEXT.

Cũ finis in omni re præſtet eis omnibus quæ ad finem tendunt, ẽt illa quæ fini propinquiora ſunt eis pręſtabunt, quæ ſunt à fine remotiora ut qui claſſem ædificaturus eſt, habeat oportet eos, qui materiã cædant, qui ligna doleut, qui tabulas compingant, quæ licet omnia ſint ad claſſem utilia, tamen maius eſt tabulas artificioſè compingere, quã materiã cædere quia fini propinquius, ita qui gladios conficiunt, qui frenos aptant. qui ſe in equis exercent, ut in bello promptiores ſint rem militarẽ adiuuant, ſed multò magis equites, quã qui frenos conficiunt, quia propius ad finẽ accedunt. ita Cicerò pro Marcello fortunam in bello maximam partẽ ſibi uendicare ait, quia ſit fini propinquior, ſnnt. n. exitus bellorum ſemper incerti. certe, inquit, in armis militum uirtus, locorum opportunitas, auxilia ſociorũ claſſes. cõmeatus multum iuuant, maximam uero partem quaſi ſuo iure fortuna ſibi uendicat, & quicquid eſt proſperè geſtum, id penè omne ducit ſilum. COMM.

Et quod priuatim alicui prodeſt, maius eſt ipſi, quam, quod omnibus abſolutè. TEXT.

Quoniã plerique oẽs ſua magis cõmoda ſpectant, quã aliena, ideo fit, ut nnicuique maius id eſſe uideatur, quod priuatim ſibi prodeſt, quam qđ omnibus. ut ſi quis eodẽ tempore deliberet utrũ publicam legationem ſuſcipiat, quæ ſit uniuerſę ciuitati profutura, au res ſuas domeſticas curet, quæ ſi ipſe recedat, magno ſint in periculo futurę. certe facilè poterimus ei perſuadere, vt rea potius ſuas domeſticas curet, quoniã ipſi maius bonum eſt, quã pro ciuitate legationem ſuſcipere. viri tamen boni non dubitant publicam utilitatẽ priuatis commodis anteferre. hinc Cicero Philippica uona vehementer iu eo laudat Ser. Sulpiciũ, quod quanuis eſſet ſenex & ægrotus, tamen auctoritatẽ Senatus vitæ ſuæ anteferendam duxerit, & eã legationem ad Antonium non recuſarit, in qua mortuus eſt. COMM.

Et quod fieri poteſt, melius, quam quod non poteſt, illud enim in ipſo eſt, qui deliberat, hoc autem non. TEXT.

Quamuis aliqua maiora ſua ui ac natura uideantur, tamen ideo putautur inferiora, quia fieri non poſſunt. nam quod fieri poteſt, eo melius eſt quod non poteſt. quod enim fieri poteſt, in noſtra eſt poteſtate, quod autem non poteſt fieri, remotum eſt à poteſtate noſtra. quare licet immortalitas, longinquitate uitæ præſtantior ſit, tamen melius eſt nobis vitæ longinquitatem, qnam immortalitatem expetere, quoniam eam induſtria conſequi poſſimus, hanc non poſſimus. ſic perturbationum animi mediocritas, melior eſt quam vacuitas, ut ſtoici cenſebant. atque hęc cau

ſa COMM.

ſa eſt cur omnes qui deliberant, ea tantum ſibi ꝓponunt,quę fieri poſſunt,vt in Partit. ait Cicero,quoniam hæc homini meliora ſunt.

TEXT. *Et quæ in ipſo fine uitæ manent, nam magis finis rationem habent,quæ ſunt ipſi fini accommodata,atque uicina.*

COMM. Finē vitæ vocat Ariſtoteles ſelicitatem ac beatitudinē,quoniã ad eã omnia diriguntur, & propter ipſam,omuia fiunt alia.quæ ergo manent in ipſo fine vitę,hoc eſt in beatitudine maiora ſunt, quam quę propter finē expetuntur. quoniã quæ ſunt accommodata fini quæq; uicina ſunt, meliora ſunt,quam quæ ſunt remotiora. Quare virtutes,atq; omnes virtutũ actiones, longè meliores ſunt quam reliqua omnla,nã in ipſo vitæ fine manent.neque.n.ſine virtute beata eſſe vita poteſt & nihil eſt aliud benè beateq; uiuere, niſi rectè atq; honeſtè viuere.ſicut ait Cicero.

TEXT. *Et,quæ rei ueritatem ſpectantes,ſumimus,anteponenda ſunt ijs,quæ ad opinionem.eorum autem,quæ ad opinionem ſpectãt,hæc definitio eſt, ut ea ſint quæ nemo aggrederetur, ſi illa clam hominibus fore exſtimaret.*

COMM. Aliqua expetuntur propter ſe,quia verè bona ſunt,ēt ſi alii habere nos ea neſciant,vt bene ualere cupimus,non ad hominũ opinionē, ſed ad veritatē.aliqua vero tantũ ad opinionē referimus, quæ ſi lateant,nihil ſint nobis profutura, vt pulchritudo,& ornatus corporis,quæ ad laudē expetũtur.nam fruſtra quis eſſet pulcher,aut benè ornatus ſi nemo id ſciret. Vnde cum quis eſt in ſolitudine remotis omnibus arbitris neq; pulchritudinē,neq; ornatum curat,& tamen ſanus eſſe cupit,ergo uerum eſt,quod ait Ariſtoteles, meliora eſſe illa quæ rei veritatē ſpectantes,quęrimus, q̃ quę ad opinionem.dicuntur aũt illa quæri ad opinionē,quæ nemo expeteret,niſi cognlta ſore ab hominibus exiſtimaret.quo in genere quidã eruditionem etiam atque ſcientiam ponunt. Vnde Perſins:

Scire tuum nihil eſt,niſi te ſcire hoc ſciat alter.

& Thraſymachus apud Platonem primo de Rep. conatur hac rõne probare meliorē eſſe iniuſtitiã quã iuſtitiã,quia iuſtitia tãtũ ad hominũ opinionem refertur,& alienũ bonũ eſt,iniuſtitia vero ſi lateat,plurimum ei prodeſt,qui ea vtitur.ſed hæc ratio captioſa eſt,illa uero Socratis longe uerior, multò melius eſſe,iuſtũ eſſe,quam videri.hoc eſt quod ait Ariſtoteles,bonum quidem eſſe, qđ ad opinionem refertur,ſed longe melius,quod ad veritatem.ideo Socrates(ut Cicero ſcribit)hãc uiã *2.de Off.* ad gloriam proximam, & quaſi cõpendiariam dicebat eſſe,ſi quis id ageret,ut qualis haberi vellet talis eſſet.Nam qui ſimulatione virtutis ſtabilem ſe gloriã conſequi poſſe rētur,uehementer errãt. Vera gloria radices agit,atq; etiã propagatur. ficta omnia celeriter tanquã floſculi decidunt,nec ſimulatum quicquam poteſt eſſe diuturnum.

TEXT. *Hinc eſt quod quibuſdam accipere beneficium, quam facere, præſtantius uideri poſſet: illud enim etiam ſi lateat,expetitur,conferre autem beneficium in alterum,ſi lateat,non ſanè uidetur quiſquam expetere.*

COMM. Hæc opinio quorundã falſa quidē eſt ſed tamē aliqua rõne niti videtur,quod melius ſit accipere beneficium, quàm dare. quoniã qui beneficium accipit,adiuuatur,neq; curat ut id ſciatur, immo uero cupit hanc rē occultari ne uideatur alterius auxilio eguiſſe,qui uero dat alicui beneficiũ, cupit id palam eſſe & à multis intelligi, ut liberalis videatur.ſed re uera melius eſt beneficium dare, quã accipere,qnoniã qui dat liberalis uiri officio fungitur,& ei,cui dat,quodammò præeſt, qui uero accipit beneficium,ſemper in eo,quod accipit, inferior eſt.unde ēt in ſacris literis dicitur, beatius eſt dare,quam accipere. atque hac de cauſa Deus eſt beatisſimus: quod in omnes beneficia confert,ipſe à nullo accipit.

TEXT. *Et quicquid magis optant homines eſſe, quam uideri,maius eſt;nam ad ueritatem magis accedit:ideo ſunt qui dicant iuſtitiam tenuem puſillamque rem eſſe,quoniam præſtat iuſtum uideri,quam eſſe,ſed bene ualere non item.*

COMM. Supra docuerat ea eſſe maiora,quæ ad veritatem, q̃ quæ ad opinionē referuntur,nũc ex eo loco deducit alterũ hunc,quo docet id eſſe maius, quod homines magis optant eſſe,quã videri.nam qđ re uera eſt,magis ad ueritatē accedit, quam qđ uidetur.hoc tamē ex opinione vulgi, atq; improborũ hominũ dicitur,iò ſubiungit Ariſtoteles eē quoſdã qui dicãt iuſtitiã rē eſſe puſillam ac tenuē, qm̃ utilius ſit uideri iuſtum, quam eſſe. quam ſnĩam approbat Thraſymachus apud Platonē primo de Rep.contra uerò benè ualere,ac diuitem fieri melius eſt quam ulderi. ſacile igitur imperitæ plebi perſuaderi poteſt,meliores eſſe diuitias quã uitę integritatem,quoniam eos magis optant. Vnde Perſius Satyra ſecunda ſic ait:

Mens bona,ſama,fides,hæc clare, & ut audiat hoſpes.
Illa ſibi introrſum,& ſub lingua murmurat,o ſi
Ebullat patrui præclarum funus,& o ſi
Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria dextro
Hercule, pupillumve utinam quem proximus hæres
Impello,expungam.

quibus uerſibus oſtendit populo diuitias magis eſſe cordi quã uirtutē. Itaq; Cicero in Partit.docet,ut cum imperitis hominibus aliquid perſuadere ſtudemus, non illis dignitatem aut honeſtatem, ſed emolumentum & uoluptatem proponamus.

TEXT. *Et quod ad multas res eſt utilius,ut ad uiuendum, & ad bene uiuendum;& ad uoluptatem, & ad res honeſtas conficiendas;quamobrem diuitiæ, & bona ualetudo maxima eſſe bona uidentur, quoniam omnes has commoditates in ſe habent.*

COMM. Id ēt eſſe maius bonum intelligitur, quòd ad res plures utilius eſt,ut uirtus ad bene uiuendum utilis eſt,ſed bona ualetudo & ad uiuendum et ad bene uiuendum.ergo bona ualetudo hac ratione

maio:

maior eſt uirtute. ſic iuſtitia ualet ad res honeſtas conficieudas, diuitiæ autem tum ad conficiendas honeſtas res, tum etiam ad uoluptates, quare iuſtitia prę̨ſtantiores diuitiæ ſunt. his rationibus ducti quidam exiſtimarunt diuitias & bonam valetudioem omnium maxima eſſe bona, propterea quod magnas & uarias in ſe commoditates habeut. ſed re uera boua corporis, uel quæ ad corpus referuntur, nullo modo poſſunt animi bonis æquiparari. licet igitur omnium bonorum, quæ ad corpus ſpectant, bona ualetudo & diuitiæ maxima ſint, non tamen ad iuſtitiæ, aut uirtutis ullius præſtantiam aſpirare poſſunt. quanto enim animus corpori, tanto uirtutes corporis bonis antecellunt. uulgò vero qui diues eſt, & benè ualet, maximis bonis abundare creditur. hoc igitur loco ex opinioue vulgi loquitur Ariſtoteles. ideo non dixit hæc eſſe maxima bona, ſed videri maxima.

TEXT. *Et quod minus habet moleſtiæ; & quod uoluptati eſt coniunctum. nam plura ſunt uno: eſt enim illic & uoluptas, quod eſt bonum, & indolentia.*

COMM. Res, quæ moleſtia carent, & adferunt uoluptatem, maiores ſunt eis, quæ alterum horum taotũ in ſe habent, ut quæ neq; moleſtæ ſunt, neq; iucũdæ. Vel quę uoluptatẽ aliquam habeot moleſtiæ coniunctam. nam illæ, in quibus uoluptas eſt, atque indolentia plura bona continent. uult. n. Ariſtoteles, aliud eſſe indolentiam, aliud uoluptatẽ, quas res Philoſophi quidã copulabant, & putabant idem eſſe nihil dolere, & uoluptate affici. Vude Ennius dixit, Nimium boni eſt cui nihil eſt mali. ſed fieri poteſt, ut aliquis dolore careat, & tamen voluptate non afficiatur. ergo diſtincta ſunt, voluptas, & indolentia. quare non bene ſenſit Epicurus, qui hæc inter ſe nihil differre exiſtimabat. Vt ſecundo de Finibus docet Cicero, qđ autem ait Ariſtoteles eſt eiuſmodi; patrimonium à maioribus oobis relictum, maius eſt bonum, quam acquiſitę laboribus diuitię, quoniã minus habet moleſtiæ & iucundiorem uitam efficit, ut ait Martialis.

Vitam quæ faciant beatiorem
Iucundiſſime Martialis hęc ſunt,
Res non parta labore, ſed relicta. & quæ ſequuntur. ſic etiam Horatius Apollinem precatur.
Frui paratis, & ualido mihi
Latoe dones, at precot integra
Cum mente.

TEXT. *Et duobus propoſitis, id, quod eidem rei adiunctum, efficit, ut totum maius ſit, magis eſt expetendum.*

COMM. Huius loci uis eſt eiuſmodi. proponantur duo de quibus dubitemus, utrum eorum maius ſit, et apponantur ſingula alicui rei, certe id, quod totam rem meliorem efficit, magis eſt expetẽdum. ut ſi quis dubitet, utrum iuſtitia melior ſit, an fortitudo, apponantur hę uirtutes principi. nam ſi princeps iuſtus melior eſt, quam princeps fortis, certè iuſtitia magis erit expetenda, quam fortitudo. eſt huius generis pulcherrimum exemplum apud Virgilium libro quarto, ubi Dido uidetur dubitare, utrum melius ſit cœlibatus an cõiugium. & Anna ſoror eius oſtendit, uitam cælibem Didoni periculoſam & iniucundam fore copulatam autem matrimonio ſecuram & iucundam. itaq; coocludit melius eſſe coniugium quã cę̨libatum. ſic enim ait:

Quam tu urbem ſoror hanc cernes. quæ ſurgere regua
Cooiugio tali Teucrum comitantibus armis
Puoica ſe quantis attollet gloria rebus.

Et quæ, cum præſentia ſunt, clam eſſe non poſſunt, maiora ſunt, quam, quæ latent; quoniam ad ueritatẽ magis accedunt; itaque locupletem eſſe maius bonum uideri poteſt, quàm exiſtimari. TEXT.

Aliqua bona latere poſſunt, ut pecuniæ, theſauri, res quę̨libet precioſæ. aliqua uerò nullo modo poſſuot latere, ut honor, gloria, dignitas. hæc igitur quæ non poſſuut eſſe clam, maiora booa ſiot eis, quæ latent. quoniam magis ad naturam bonorum, & ad ueritatem accedunt. eodem modo quidam locupletes exiſtimantur, ſed hoc incertum eſt, utrum ſint occ ue. quidam autem palam ſuot locupletes, uerum ſine dubio melius eſt re uera eſſe locupletem, quam tantum exiſtimari. Ciceto libro Tuſcul. tertio, famam popularem looge inferiorem eſſe uera gloria docet, quoniã gloria ſolida quædam res eſt, & expreſſa, non adũbrate. fama uerò popularis nullam emiuentem effigiem uirtutis conſectatur, ſed adumbratam imaginem gloriæ. ſunt enim quidam qui ſtudent boni uiri, uel nobiles, uel diuites uideri, ut famam popularem acquirant, ſed multò melius eſt, eſſe, quam uideri. COMM.

Et quod amabile, & carum eſt, his quidem ſolum, illis autem cum alijs bonis coniunctum. quare non æqualis pœna legibus eſt conſtituta, ſiquis altero captum oculo cæcauerit, & ſi quis duos oculos habenti alterum effoderit. nam illi id ereptum eſt, quod maximè carum erat. TEXT.

Hoc eſt quod ait in Topicis Cicero, deſiderabilia eſſe iis maiora, quibus carere facile poſſumus. Ariſtoteles primo libro diuinæ Philoſophię docet omnes ſenſus eſſe caros, & amabiles, ſed uiſum præcipuè, quoniam rerum nobis differẽtias oſtendit. uiſus igitur ſolus amabilior eſt, & magis expctendus, quam alia bona corporis ſimul coniuncta. hac de cauſa, inquit, leges maiorem illi pœnam irrogant, qui luſcum cæcauerit, quã ei qui alterum oculum effoderit duos babenti. quoniam qui tantum unum habet oculum, re maxime cara, priuatur, ſi eum amittat. Demoſthenes in oratione cootra Timocratem, hiſtoriam narrat, quæ multum facit ad hunc locum. ait enim apud Locrenſes olim cautum fuiſſe, ne eui leges nouas ferre, aut ueteres abrogare liceret. alioquin ea res eſſet capitalis. cum autẽ Locrenſis quidam ciui tantum uoum oculum habẽti minatus fuiſſet ſe oculum illi eruturum, perterritus ille ci COMM.

uis & nitam ſibi odioſam ratus, ſi id accidiſſet, au ſus eſt legem ferre, ut, ſiquis Luſcum excæcaſſet, ambos ipſe oculos amitteret. quam legem ciues omnes approbarunt.

TEXT. *Iam igitur unde ſumenda ſint argumenta & in ſuadendo, & in diſſuadendo ferè dictum eſt.*

COMM. Concluſio breuis, qua docet ſe omnis ferè dili genter perſecutum eſſe, quæ ad deliberatiuũ ge nus pertinent. hoc eſt quæ uel ad ſuadendum vel ad diſſuadendum ualeant, quoniam ſæpe conſul tare in contrarias partes opus eſt.

TEXT. *Maximum autem & potentiſsimum omnium ad perſuadendi facultatem, & benè conſulendum id eſt, ſiquis Reſp. omnes cognitas habeat; & uniuſcuiuſq; mores, inſtituta, atq; utilitates intelligat: omnes enim utilitate mouentur. illud autem utile eſt, quod ciuita tis ſtatum conſeruat.*

COMM. Expoſitis argumentis in utranq; partem deli berandi, nunc admonet, plurimum ualere ad per ſuadendi rationem, ſcire qui mores, quæ inſtitu ta ſint eius ciuitatis cui quis conſilium daturus eſt, & quid utilitatem adferat. nullus enim eſt qui non vtilitate moueatur. nã (ut ſupra dictũ eſt) in deliberatiuo genere finis eſt utilitas. utile uerò dicitur id, quod ſtatum ciuitatis conſeruare ſo let. de hac re primo de Oratore Craſſus ita iquit: perdiſcendum ius ciuile, cognoſcendę leges, per cipienda omnis antiquitas, Senatoria conſuetu do, diſciplina Reip. iura ſociorum, fœdera, pactio nes, cauſa imperii cognoſcenda. in libro de claris Orat. Cicero T. Poſthumium in eo laudat, quòd benè iuris publici leges, atq; inſtituta cognoue rat. contra uerò Piſonem & Gabinium acriter in eo reprehendit, quòd cum eſſent conſules, non le ges ciuitatis, non inſtituta, non mores, non iura nouerant. in oratione contra Piſonem. quoniam enim uaria ſunt Rerump. genera, & unumquod q; ſuum finem ſibi propoſitum habet, ab alijs di ſtinctum, ideo fit ut etiam narii fines ſint. debet igitur Orator bene intelligere, quod Reip. genus ſit illud, in quo uerſatur, & quem ſibi finem pro poſuerit, & quibus inſtitutis ac legibus eum finẽ aſſequi ſtudeat.

TEXT. *Præterea decretum id firmum eſt, quod ab illo or dine factum fuerit, in cuius poteſtate omnia conſti tuta ſunt. ſummæ uero poteſtates ſecundum Rerũp. ſtatus diſtributæ ſunt: quod enim Rerump. genera ſunt, totidem etiam ſunt ſummæ poteſtates. ſunt au tem Rerump. genera quatuor; democratia, oligar chia, ariſtocratia, monarchia. itaque ſumma poteſtas quæ de rebus iudicet, aut eſt eorum generum aliqua pars, aut totum.*

COMM. Dixerat mores & inſtituta ciuitatis eſſe co gnoſcenda. ſed quia ſunt aliqua ſępe inſtituta vel decreta minus firma, nunc docet, quæ ſint ea quę rata ac firma eſſe ſoleant. nam in una Rep. multi ſunt ordines, ſed alius alio maiorem babet au ctoritatẽ. qui igitur ordo ſummã habuerit in ciui tate poteſtatem, eius decreta erunt firma. uerum poteſtates pro ſtatu Reip. diſtribui ſolent. itaq; quot ſunt Reip. genera, tot ſunt etiam ſum mæ poteſtates. at in Rep. uel eſt popularis ſta tus, uel paucorum imperium, uel optimorum principatus, uel unius dominatio, quamobrem erunt quatuor Reip. genera, democratia, oli garchia, Ariſtocratia, monarchia. ſumma igitur poteſtas, cui permiſſum eſt de rebus iudicare, uel eſt aliqua pars horum generum, ut in De mocratia, concio, uel Senatus, uel eſt totum, ut in monarchia Rex. Illud aduertendum eſt, Ariſtotelem hoc loco non eandem facere Re rump. diuiſionem, quam fecit octauo Ethico rum, ibi enim tria genera facit laudabilia, Poli tiam, Ariſtocratiam, Monarchiam: tria vero his oppoſita uitioſa Democratiam, Oligarchiam, Tyrannidem, ſed hic ex communi opinione lo quitur.

Ac democratia quidem, eſt Reip. ſtatus, in quo ſor titione tantum magiſtratus diſtribuuntur. TEXT.

COMM. In populari ſtatu non unus tantum princeps eſt, neque tantum potentiores, aut optimates im perant, ſed æqualiter omnes capiendorum magi ſtratuum ius habent ſiue nobiles ſint, ſiue igno biles, ſiue diuites, ſiue pauperes. diſtribuun tur autem magiſtratus per ſortes aut ſuffragia. Nam populus eligendi poteſtatem habet. itaq; uel per tabellam, uel per uoces, uel per calculos eligit quem uelit eſſe prętorem aut cõſulem aut alio fungi munere. ſæpiſſimè etiam, cum plu res ſunt competitores, iaciuntur ſortes, ut quo dammodo in arbitrio fortunæ ſit, quinam ſum mæ Reip. præfuturi ſint. apud Romanos ſuf fragiis creabantur ædiles, prætores, Conſules, quæſtores uero ſorte eligebantur. Cicero ad Q. Fratrem: Quæſtorem habes non tuo iudicio delectum, ſed eum quem ſors dedit. Pro. P. Se ſtio; quæſtor hic C. Antonij collegæ mei fuit ſor te, ſed ſocietate conſiliorum meus. prima actio ne in Verrem; commemorare Quæſtoris cum Prætore neceſsitudinem, morem maiorum, ſor tis religionem. Iudices etiam ſorte elegebantur. Cicero ad Q. fratrem; Acilius ſententiam dixit ut ipſe iudices per prætorem urbanum ſortire tur. & alibi; iudicum ſortitione facta comitia ba beri, prouinciæ præterea ſorte diſtribuebantur. Cicero ad Atticum primo: prætores nondum ſortiti ſunt prouincias. in Vatinium; cum tibi aquaria prouincia ſorte obtigiſſet. in Verr. actio ne quarta: Qui ſimul atque ei ſorte prouincia Sicilia obuenit. quin etiam quoties parem nume rum ſuffragiorum competitores habuiſſent, ſor tes iaciebantur. Cicero pro Plancio, Nunquã ma iores noſtri ſortitionẽ conſtituiſſent ędilitiã, niſi niderent accidere poſſe, ut cõpetitores pares ſuf fragiis eſſent. Cicero ſecundo de Diuinatione de ſortibus ita inquit, Quid igitur in his poteſt eſſe certi, quæ fortunę monitu, pueri manu miſcẽtur, atque ducuntur?

Oligarchia uero eſt, in qua ex cenſu magiſtratus eli guntur. TEXT.

Oligarchia

COMM. Oligarchia latinè paucorum imperiũ dici poteſt.io quo potentiores tantum dominantur,qm excenſu magiſtratus eliguntut.ſunt enim conſtitutæ leges,vt nemo poſſit imperare,niſi qui tantam ſummam pecuniæ poſſederit, pauci uero sũt vbique locupletes.Plutarchus in Lycurgi vita tradit Lacedæmonios poſt Lycurgum Oligarchia vſos fuiſſe,ſic enim ſcribit;quanquam boc modo ciuilem inſtitutionem Lycurgus miſcuiſſet,tamẽ qui poſt eum ſecuti ſunt cum effrenem aubuc & ualidam nimis Oligarchiam ferocemque ac feruidam viderent,vt ait Plato, quaſi frenum iniecerunt & Ephororum poteſtatem. Romani ab initio Monarchia uſi ſunt,deinde exactis tegibus à Bruto,vti cœperunt Ariſtocratia,ſed inſoleſcente plebe ſubſecuta eſt Democratia, poſtea uero cum longè latèque tegnare populus R.cœpiſſet, res ad Oligarchiam delapſa eſt, ut ex cenſu crearentur magiſtratus. non enim quiſquam gerere magiſtratum maiorem poterat, oiſi factus eſſet eques Romanus,neque quiſquam eques fieri poterat,niſi quadringenta millia poſſediſſet. neque Senatot eſſe poterat niſi cenſum equeſtrem duplicaſſet.Denique C. Cæſar Remp. ad Monarchiam reduxit.

TEXT. *Ariſtocratia dicitur illa, in qua magiſtratus diſtribuuntur ijs,qui diſciplinam perceperunt: diſciplinam autem eam intelligo, quæ à lege conſtituta ſit, nam qui permanent in inſtitutis ciuitatis, in ariſtocratia magiſtratus gerunt;neceſſe eſt enim, hujuſmodi uiros optimos uideri;unde etiam Ariſtocratia nomen habet.*

COMM. Ariſtocratia latioè ſignificat optimatum imperium.ſunt autem optimates, ut ait Cicero pro P.Seſtio,qui ita ſe gerunt,vt ſua conſilia optimo cuique probentur.ij vero ſuot, qui ſuæ ciuitatis diſciplinam perceperunt,atque eã diligentiſſime cuſtodiũt,& ſecundum eam magiſtratus gerentes,omnia iuſtè quantum fieri poteſt,exequunt, qui ſunt igitur tales uiri,neceſſe eſt eos eſſe optimos.vnde deductum eſt Ariſtocratiæ oomen. tale genus Reip.Lycurgus inſtituit, legeſque ac diſciplinam iuribus ſuis tradidit, quam à pueritia ſtatim ediſcerent,& ne libris forte confidereot, ſuas leges ſcribi uetuit,ſed quaſi per maous à ſenioribus poſteris tradi.quare donec Lycurgi legibus vſi ſunt Lacedæmonij,ſemper benè ac feliciter Remp.adminiſtrarunt. cum veto cęperunt ab eis diſcedere,ſemper in peius delapſi tandem coociderunt. veneti noſtro tempore Ariſtocratia vtuntur.neque enim quenquam magiſtratum gerere patiuntur, oiſi qui probatis moribus ſit,& ciuitatis ſuæ diſciplinam perceperit.

TEXT. *Monarchia eſt, ut nomen indicat, in qua unus omnium dominus eſt: quæ ſi definita eſt,& ordinem quẽdam ſernat,regnum uocatur;ſi uero inordinata, atque ex uuius libidine,tyrannis appellatur.*

COMM. Monarchia nomine ipſo declarat quid ſit. nẽpe ſtatus ciuitatis,in qua unus ſit omnium dominus.ſed ea duplex eſt,aut enim legitima eſt, & ordinata,atque ita regnum dicitur, aut eſt contra ordinem & leges, cum ex libidine ſua princeps dominatur,atque ita uocatur tyrannis. eſt igitur ea,inter regem & tyrannum differentia,qđ rex, qnanuis ſit legibus potentiot, tamen legitimè imperat,& æquabiliter iuſtitiam omnibus diſtribuit,ſapientumque conſilio vtitur, neque tãtum ſuam,ſed etiam populorum ſibi ſubditorum vtilitatem quærit. tyrannus autem leges contemnit, iuſtitiam irridet,à ſapientum conſilijs abhorret, ad libidinem ſuam omnia dirigit.itaque talem bominem,vel potius belluam e medio tollere ſumma laus priſcis habita eſt. ſic enim Cicero tertio de officijs, Nulla eſt ſocietas nobis cum tyrãnis, ſed potius ſumma diſtractio:neque eſt contra naturam ſpoliare eum, ſi poſſis , quem honeſtum eſt oecare.atque boc omne genus peſtiferum,atque impiũ ex hominum communitate exterminandum eſt.uerum hæc nomina ſæpe confundũtur,vt idem dicatur rex & tyraonus. quoniam apud antiquos oomen Tyrannorum nõ erat odioſum. Virgilius.

Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe , tyranni.

Vtrunque coniunxit Iuuenalis eis uerſibus.

Ad genetum Cereris ſine cæde & vulnere pauci
Deſcenduot reges,& ſicca morte tyranni.

Poſtea uerò cum plerique principes improbe ſe gerere cæpiſſent,factum eſt ut tyraoni tantum ij dicerentur,qui contemptis legibus ex libidine ſua cuncta adminiſtrarent.

TEXT. *Oportet igitur, finem uniuscuiuſq; Reip. cognitũ habere:nam ea ſingulæ quærunt, quæ ad finem ſuum tendunt.eſt autem democratiæ finis libertas, oligarchiæ diuitiæ,ariſtocratiæ quæ ad diſciplinam legeſq; ciuitatis pertinent, tyrannidis cuſtodia.*

COMM. Non tantum Rerump.genera cognita habere oportet,ſed etiam fines cuiuſque,quo omoia diriguntur.nam de iis unaquæque Reſp. deliberat, atque ea diligeoter quærit,quæ poſſiot ipſam ad finem ſuum perducere. cum autem quatuot ſint Rerump.genera,quatuor etiam fines erunt.nam Democratia ſibi libertatem proponit,Oligarchia diuitias, Ariſtocratia diſciplioam ciuitatis & leges,Tyrannis cuſtodiam.Ergo ſiquis in Oligarchia diſputaret diuitias eſſe cootemnendas & pro nihilo putandas,atque ijs tantum mandandos eſſe magiſtratus,qui leges & diſciplinam ciuitatis perceperunt,etiam ſi pauperes ſint,certè exploderetur,& omnium irriſione luderetur.ita in Democratia ſiquis auderet aliquid cõtra libertatem dicere,ſtatim e medio tolleretur,ut Atbenienſes Cyrſilum lapidibus obruerũt, quòd Xerxem Perſarum regem intra urbem tecipiendum cenſeret, auctor eſt Cicero tertio de officijs. in Oratione contra Rullum Cicero plurimum in eo eſt occupatus ut oſtendat Rullum ciniũ libertati inſidiari,& decem uiros quaſi decem reges contra populum R.cõſtituere. ſic(inquit)confirmo Quirites

H hac

hac lege agraria pulchra atque populari, dari uobis nihil, condonari certis hominibus omnia; oſtentari populo R. agros, eripi etiam libertatem. priuatorum pecunias augeri, publicas exhauriri. denique, quod eſt indignisſimum per Tribunũ pl. quem maiores præſidem libertatis cuſtodẽq; eſſe voluerunt, reges in ciuitate conſtitui. quod autem tyrannidis cuſtodia finis ſit, egregie docet Cicero pro Marcello, qui Cæſarem admonet, vt diligenter ſalutem ſuam cuſtodiat; Quare, inquit omnes te qui hæc ſalua eſſe uolumus & hortamur & obſecramus, vt vitæ, vt ſaluti tuæ conſulas; omnesq́ue tibi, vt pro alijs etiam loquar, qđ de me ipſo ſentio, quoniam ſubeſſe aliquid putas quod cauendum ſit, non modo excubias & cuſtodias, ſed etiam laterum noſtrorum oppoſitus & corporum pollicemur.

TEXT. *Perſpicuum eſt igitur, oportere diſtincta, & cognita habere omnia, quæ ad finem ſpectant; ut mores, ut inſtituta, res utiles. nam omnes quæcunque eligunt, ad finem ſuum referunt.*

COMM. Non tantum fines ipſos cognoſcere opus eſt, ſed etiam illa quæ ad finem perducunt, vt qui mores, quæ inſtituta ſunt in ciuitate, quæ res vtiles. omnes enim ea quærunt, quæ ad finem ſuum vtilia ſunt. Vt in democratia quibus modis paratur & conſeruatur libertas. Cicero Philippica tertia; nihil eſt deteſtabilius dedecore, nihil fœdius ſeruitute. ad decus, & libertatem nati ſumus, aut hæc teneamus, aut cum dignitate moriamur. Quarta uero Philippica ſic ait; crudelitatem mortis & dedecus uirtus propulſare ſolet: quæ propria eſt romani generis & ſeminis, hãc retinete quæſo Quirites quam vobis tanquam hæreditatem maiores ueſtri reliquerunt. & quæ ſequuntur. ita Demoſthenes in Philippicis omnia diligẽter colligit, q̃bus ſeruitus euitari, & libertas conſeruari posſit, quoniam Athenienſes democratia vtebantur. idẽ in reliquis faciendum.

TEXT. *Et, quoniam fides non tantum argumentis fit; ſed etiam oratione, quæ dicentis mores exprimit: credimus enim ei, qui ita affectus eſſe uidetur; ut aut uir bonus appareat, aut beneuolus, aut utrunque. opus eſt uniuſcuiuſque Reip. mores bene cognitos habere: mores enim cuiuſque ciuitatis, oratione expreſsi, neceſſe eſt, ut ad perſuadendum uim habeant maximam; qui quidem ex eis, quæ ante dicta ſunt, facile cognoſci poterunt. nam ex eo, quod ſibi quæque ciuitas propoſuit, apertè mores cognoſcuntur: proponũt autem ea ſibi, quæ ad finem referuntur.*

COMM. Probat oportere mores eius ciuitatis agnoſcere, in qua conſilium daturus & ſententiam dicturus eſt Orator. primo quia ſupra iam dictum eſt, non tantum argumentis fidem fieri, ſed etiã oratione quæ dicentis mores amabiles exprimat. deinde quia qui audiunt, facile credunt ei, quẽ aut virum bonum, aut beneuolum aut utrunque exiſtimant. putant autem eũ virum bonum qui mores, & inſtituta maiorum laudat, & ea diligenter eſſe ſeruanda cenſet. & præcipuè quæ ad religionem attinent. vt ſi Iudæus apud Chriſtianos verba faciens, chriſtianam fidem & religionem ſummis laudibus extolleret, & mores atque inſtituta chriſtianorum oratione ſua uehementer approbaret, & ſe cupidum eorum obſeruandorum oſtenderet, facile poſſet id, quod vellet perſuadere. quoniam ita uir bonus, & chriſtianis beneuolus videretur. idem de quouis alio ſentiendum. quoniam morum ſimilitudo facile conciliat amicitiam. quare cum auditores aut iudices intelligunt Oratorem ſibi eſſe ſimilem, & idem uelle ac nolle quod ipſi volunt, aut uolunt, ſtatim ei fiunt amici, libẽterq́ue audiunt, & dictis fidem adhibent. Itaque vim maximam ad perſuadendum expresſi oratione mores habent. qui facile cognoſci poſſunt ab eo, qui intelligat, quid ſibi quæque ciuitas propoſuit. nam Socrates apud Platonem in Gorgia dixit; omnes homines gaudere ac lætari cum orationem aliquam audiunt, ſuis moribus ac naturę cõuenientem. contra uerò dolere, atque angi cum alienam ab ingenio moribusque ſuis orationem audiunt.

TEXT. *Sed iam quæ ſibi proponere debeant illi, qui ſuadent aliqua, tanquam futura, & inſtantia, & unde posſint argumenta de eo, quod utile eſt, ſumere; & præterea de moribus, & inſtitutis, quibus ſinguli ciuitatum ſtatus reguntur, quibus rationibus, & quomodo posſimus dicendi copiam habere; quantum decuit in hac arte quærere, diximus: nam in libris de Rep. de his accuratius pertractatum eſt.*

COMM. Hactenus de genere deliberatiuo locutus eſt, deinceps uero demonſtratiuum aggredi conſtituit, quod priuſquã faciat breuiter more ſuo repetit ea, quæ declarata ſunt. docuimus, inquit, quę ſint ea, quæ ſibi proponere debeat orator in dicẽda ſententia. & quo modo probare posſit ea, quæ dicit, vtilia futura. denique quomodo mores & inſtituta ciuitatis exprimere debeat. hęc autem omnia diligentius tractantur in libris de Rep. quoniam eius ſcientię propria ſunt.

TEXT. *Deinceps autem de uirtute, & uitio, de honeſtate, & turpitudine dicamus: laudanti enim, & uituperãti ſunt hi propoſiti fines. ſimul etiam illud commodum conſequetur, ut, dum hæc agimus, etiam illa declaremus, unde mores noſtros oſtendamus, quod erat ſecundum probationis genus, ex ijſdem enim locis, et nos ipſos, & alium quemlibet ita ornabimus, ut tanquam probis uiris, & uirtute præditis fides habeatur.*

COMM. Iam demonſtratiuum genus aggreditur, quod laudem & uituperationem continet, ſed à meliori parte græcè dicitur ἐγκωμιαστικὸν, à Cicerone ſæpe uocatur exornatio, Quintilianus parum latino uerbo laudatiuum appellat. Panegyricum etiam uocarunt, quod in publicis conuentibus & celebritatibus Gręcię tales orationes haberẽtur. multa uero ſunt uel in aliquo homine uel in ciuitate vel in cæteris rebus quę laudari ſolent, ſed uirtus ac honeſtas primum locum obtinet, & alia omnia tantum hac una de cauſa laudantur,

quod

quod ad nirtutem referuntur, ſicuti etiam ſolum uitium & turpitudo uituperatur, & alia quæ ponuntur in uituperatione, ad hæc duo referuntur, ideo proponit Ariſtoteles ſe deinceps de uirtute & uitio, de honeſtate & turpitudine dicturum. cũ præſertim demonſtratiui generis finis ſit honeſtas, ut iam ſupra demonſtratum eſt. accedit etiam alia commoditas, quoniam explicatione nirtutũ & uitiorum non tantum alios laudare aut uituperare diſcemus, ſed etiam quomodo mores noſtros bonos & amabiles eſſe doceamus. quod erat ſecũdum artificioſæ probationis genus. ijdem enim loci nobis ꝓderunt, & ad mores noſtros oſtẽdẽdos, & ad alium ita exornandum, ut probus nir & uirtute præditus eſſe uideatur. hunc locum in Partitionibus ita Cicero expreſsit; accepi iſta, didiciq; breuiter, non ſolum quemadmodum laudarem alterum: ſed etiam quemadmodum eniterer, nt poſſem ipſe iure laudari. neque ſanè dubitandum eſt, ſiquis rectè ſciat alterum laudare, quin etiã ſeipſum commodè laudare poſsit. uerum omnis arrogantiæ ſuſpicio ſemper euitanda eſt, nihil enim odioſius eſſe poteſt. quamuis apud ignotos liceat aliquando magnopere etiam gloriari, ut apud Virgilium Aeneas primo Aeneidos:

Sum pius Aeneas raptos qui ex hoſte penates
Claſſe ueho mecum, fama ſuper æthera notus.

uel cum nos uel amicos noſtros urget neceſsitas, ut Cicero multis in locis res à ſe geſtas in conſulatu commemorat, & extollit. qua tamen in re nõ caruit reprehenſoribus. Brutus enim ad Atticum ſcribens ſic ait de Cicerone; an quia non omnibus horis iactamus idus Martias, ſimiliter atque ille nonas Decembres ſuas in ore habet; eo meliore conditione Cicero pulcherrimum factum uituperabit? licet etiam refellendi gratia ſeipſum laudare, & res geſtas amplificare, ut Turnus apud Virgilium libro undecimo Aeneidos:

Pulſus ego? aut quiſquam meritò fœdiſsime pulſum
Arguet? iliaco tumidum qui creſcere Tybrim
Sanguine, & Euandri totam cum ſtirpe nidebit
Procubuiſſe domum, atque exutos Arcadas armis.
Haud ita me experti Bitias & Pandarus ingens,
Et quos mille die ulctor ſub tartara miſi,
Incluſus muris hoſtilique aggere ſeptus. & alibi:
Turnus ego, haud ulli ueterum uirtute ſecundus.

Quod autem ex iiſdem locis & nos ipſos & alios laudemus exemplo declarari poteſt, ut laudamus Demoſthenem quod eſſet homo uigilantiſsimus, & quotidianis exercitationibus ſe in dicẽdo exerceret, unde magnã eloquẽtiam acquiſiuit, de quo ita Cicero Tuſc. 4. cui nõ ſunt auditæ Demoſthenis uigiliæ, qui dolere ſe aiebat, ſiquãdo opificũ antelucana uictus eſſet induſtria. quid ipſe Cicero pro lege Man. nõ ne laudes ſuas ex eodem loco ſumit, cũ ita de ſe ait? Nã cũ & auctoritatis in me tantum ſit, quantũ uos honoribus mãdandum eſſe noluiſtis; & ad agendum facultatis tantum, q̃tũ homini uigilanti ex forenſi uſu propè quotidiana dicendi exercitatio potuit adferre. &c.

Et, quoniam ſæpe fit, ut uel animi gratia, uel feriò, ſtudioſeq; laudemus non tantum hominem, aut deũ, ſed etiam ea, quæ anima carent, & quodcunque animal nobis uiſum fuerit: eodem modo, quo in ſuperiori genere fecimus, etiam de his rebus uidendum, unde propoſitiones ſumendæ ſint. quare non exquiſitè, ſed exempli tantum gratia de his etiam dicamus. TEXT.

COMM. Decreuit in demonſtratiuo genere locos aperire, quibus & ad laudandum & ad uituperandum propoſitiones ſumantur eo modo, quo iã in deliberatiuo docuit. uidendũ eſt (inquit) ẽt in hoc genere, ſicut in ſuperiore fecimus, unde ſumẽdę ſint ꝓpoſitiones, quoniã ſæpe fit ut hoc genus laudandi tractemus uel tantũ oblectationis atque exercitationis gratia, uel ẽt ſerio atque ſtudioſè, cũ uel hominẽ laudamus, uel Deũ, uel inanimatũ aliq̃d, uel animal. ſed hæc non exquiſitè ſunt à nobis tractanda, ut in ſcientijs fieri ſolet. Verũ apertius & pinguiori (quod aiunt) minerua. Quatuor igitur ponit Ariſtoteles quæ laudari ſolent. hominem, Deum, res inanimatas, animalia. quod etiã Quintilianus tertio libro ſic oſtendit; Sed propriũ laudis eſt amplificare & ornare quæ materia præcipuè in Deos & hoĩes cadit: eſt tamẽ & aliorũ animaliũ, ẽt carentiũ anima. Sed homines præcipue laudanẽ qui uirtutis cõpotes ſunt. eſt. n. uirtus hominis ꝓpria. neq; alia de eã laudes inuentæ ſunt, niſi ut præſtantes uiri celebrentur. & ad eorũ imitationẽ alij excitentur. vnde Romani, ſicuti Cato ſcriptũ reliquit, poſt cęnã, clarorũ hominũ laudes ad tibiã canebant, ut adoleſcẽtes ad eorũ uirtutes imitandas accenderenẽ. Laudantur tamen ẽt Dei, ſicuti Orpheus q̃ hymnos cõpoſuit, & Homerus, bus Deorũ laudes cõplexus eſt, & Dauides apud Hebræos, & apud Latinos Horatius Apollinis, Mercurij, Fauni, Bacchi, & Dianæ laudes cecinit. quin ẽt Chriſtiani multos hymnos in Deorũ laudẽ cõſcripſerũt. Laudanẽ ẽt res inanimatæ ut artes ac ſciẽtiæ, ſicut apud Ciceronẽ multis in locis eloquẽtia laudatur, & Philoſophia quinto Tuſc. & ꝓuidentia ſecundo de Natura Deorũ. & Scicilia ꝓuincia quarta actione ĩ verrẽ, & Aſia ꝓ lege Man. ꝑterea laudanẽ animalia, ut Plinius formicã admiraẽ, luſciniam miris laudib. extollit. Virgil. quarto Georgicorũ apes ſummopere commendat. eſt apud Ouidiũ Pſitaci laudatio; apud Lucianũ muſcę Encomiũ. denique nihil eſt q̃d laudari nõ poſsit.

Pulchrum igitur id eſt, quod cum propter ſe ſit expetendum, eſt etiam laudabile; uel quod cum bonum ſit, eſt etiam iucundum, quatenus bonum. TEXT.

In demonſtratiuo genere quæruntur ea, quæ pulchra ſunt, vt laudentur. ergo prius oportet intelligere quid ſit pulchrum, vt ad ipſum, tanquam ad finem quendam, quęcunque traduntur in exornatione, referãtur. duas igitur pulchri deſcriptiones hoc loco ponit Ariſtoteles; quarum prima TEXT.

hec eſt: pulchrum id eſt, quod propter ſe expetendum eſt, & laudabile. verum illud eſt ſciendum; hoc loco pulchrum non ad corpus, ſed ad animũ referri, & idem ferè eſſe quod honeſtum. addidit autem Ariſtoteles etiam eſſe laudabile, quoniam inueniuntur quædam propter ſe expetenda, quæ tamen non ſunt laudabilia, vt vita propter ſe expetitur, neque tamen per ſe laudabilis eſt. honeſtum autem etiam ſi nemo id laudet, tamen natura ſua laudabile eſt (vt ait Cicero) & hæc definitio per ſe ipſius honeſti ac pulchri eſt. altera uero definitio eſt pulchri, quatenus ad nos refertur. ut pulchrũ id ſit, quod eſt bonum, & iucundum, quatenus bonum eſt. habet enim honeſtas miram delectationem, quæ ab ipſius bonitate prouenit. mala vero per ſe iucunda non ſunt. quod ſiquis malis & turpitudine delectetur, vt multi improbi homines faciunt, id non accidit, propter vitiorum naturam, ſed propter appetitus deprauationem. Quamobrem vera delectatio naſcitur ab honeſtate, falſa vero & inanis à turpitudine. & quæ ab honeſtate naſcuntur ſunt illæ puræ ac veræ voluptates de quibus in Philebo Plato multa diſputat.

TEXT. *Quod ſi pulchrum eſt huiuſmodi: neceſſe eſt uirtutem eſſe pulchram; quoniam cum ſit bona, eſt etiam laudabilis.*

COMM. Ex definitione pulchri, probat virtutem eſſe pulchram, pulchrum enim dictum eſt eſſe bonũ & laudabile, virtus verò ſine vlla dubitatione bona eſt, & laude digna, quare neceſſitas cogit, vt etiam pulchra ſit. Iſocrates in Helena, virtutem ideo maxime laudabilẽ eſſe dicit, quia ſit omniũ rerum pulcherrima. nutritur autem virtus & augetur laudatione, quod eleganter Ouidius teſtatur illis verbis;

— laudataque virtus
Creſcit, & immenſus gloria calcar habet.

Ariſtoteles Ethicorum ſecundo ſic ait; virtuti debetur laus. & Cicero in Paradoxis; vt quiſque maximè eſt boni particeps, ita & laudabilis maximè.

TEXT. *Virtus autem eſt, ut ferè uidetur, facultas comparandi quæ bona ſunt, & eadem conſeruandi; & facultas, multa, & magna in alios merita conferendi; & quæ poteſt omnes omnibus in rebus adiuuare.*

COMM. Quoniam de laudatione verba facturus eſt, & virtus eſt maximè laudabilis, ideo virtutem primo definit, deinde etiam diuidit. ſed hæc omnia ex communi opinione, non exquiſite facit, ut iã ſupra nos admonuit. nam in Ethicis accuratius hæc tractata ſunt. tres igitur hoc loco uirtutis deſcriptiones ponit; prima eſt illa, vt uirtus ſit facultas comparandi quæ bona ſunt, & eadem conſeruandi. beatus enim eſſe ſine virtute nemo poteſt, vt primo de natura deorum Cicero dicit. dicitur autem is beatus qui eſt in bonis nullo adiuncto malo, ut quinto Tuſcul. legimus. ergo in uirtute vis eſt bonorum acquirendorum. ſed non ſatis eſt acquirere bona, niſi etiam conſeruentur, neque beatus dici poteſt qui eſt in amittendi metu, quare uictus etiam vim habet bona conſeruandi. vera eſt igitur illa ſententia quam ponit in Paradoxis Cicero; virtute præditi qui ſunt, ſoli ſunt diuites, ſoli enim poſſident res & fructuoſas, & ſempiternas, ſoliq; (quod eſt ꝓpriũ diuitiarum) contenti ſunt rebus ſuis. & in quo uirtus eſt, ei nihil deeſt ad beatè uiuendum. altera definitio reſpicit effectum uirtutis erga alios, cum dicitur eſſe facultas multa & magna beneficia in alios conferendi. Laus enim virtutis in actione conſiſtit, actio uero ſemper ad aliquid refertur. itaque uirtus potius ad alios referenda eſt, quam ad eum in quo eſt, ſi quidem laudari debet. nam ij potiſsimũ laudantur, qui multa & magna beneficia uel in patriam, uel in amicos, uel in omne genus hominũ contulerunt. Quamobrem Ariſtoteles Ethicorũ quarto, eum optimum eſſe dicit, qui non tantum erga ſcipſum, ſed etiam erga alios uirtute utitur. denique ſtatuunt omnes ſapientes; nihil eſſe præſtantius, nihil laudabilius quam de plurimis benè mereri. Tertia definitio uirtutis eſt ut ſit facultas quæ poſsit omnes omnibus in rebus adiuuare. præſto eſt ſemper uirtus, neque hominem unquam deſerit. unde rectè Bias omnia ſecum bona ſua ſe portare prædicabat. & qui uirtutis compotes ſunt omnia melius quam expertis uirtutis efficiunt. nam habitus ille animi rationi conſentaneus actiones omnes ad optimum finem dirigit.

Partes autem uirtutis ſunt iuſtitia, fortitudo, temperantia, magnificentia, magnanimitas, liberalitas, manſuetudo, prudentia, ſapientia. TEXT.

Partes uirtutis appellat eas, quæ propriè ſpecies dici deberent, ſed hic, ut ſępè iam dictum eſt, non agitur exquiſitè, ideo neque omnes uirtutis ſpecies enumerantur, ſed illæ tantum, quę magnã adferre laudem ſolent. diſtinguuntur autem uirtutis ſpecies hoc modo; ut aliæ ſint in uoluntate, quæ morales uirtutes dicuntur, quia moribus & conſuetudine perficiuntur, aliæ ſint in ratione, q̃ ideo rationales uocantur. Et morales quidem aut ſunt principales, aut ſecundariæ. principales ſunt iuſtitia, fortitudo, temperantia, quę ueræ ſunt, ac propriæ uirtutes, q̃a bonos uiros efficiũt. ſecundariæ ſunt; magnificẽtia, magnanimitas, liberalitas, manſuetudo, q̃ magnam hominum beneuolentiã cõciliant. Rationales uirtutes ſunt, prudẽtia, & ſapiẽtia, q̃ noſtrã intelligẽtiã excitãt & ꝑficiũt. hæc eſt diſtinctio, quã hoc loco ſequit̃ Ariſt. nã in extrema parte primi libri Ethicorũ & uirtutes diuidit, ut alias rõne, alias more perfectas eſſe dicat. in rõne (inquit) ſunt ut ſapientia, ut ſagacitas, ut prudẽtia. more perfectæ ut liberalitas, & temperãtia. Cicero in Partitionibus ſic ait; Eſt igit̃ uis uirtutis duplex, aut. n. ſcientia cernitur uirtus, aut actione. Nã quæ prudentia, quæ calliditas, quæque grauiſsimo nomine ſapientia appellatur, hęc ſcientia pollet una. quæ uero moderandis cupiditatibus, regendisq; animi motibus laudatur, eius eſt munus in agendo, cui temperantiæ nomen eſt. ergo

COMM.

Cicero prudentiæ nomine complectitur omnes virtutes quæ ad intelligendum pertinent, vt nos in Deciſionibus noſtris olim copioſè docuimus, temperantiæ uerò nomine complectitur eas omnes quæ pertinent ad agendum. hæc autem duo intelligere (inquam) & agere non tantum laudabilem, ſed etiam beatum hominem efficiunt.

TEXT. *Neceſſe eſt autem, omnium uirtutum eas eſſe maximas, quæ ſunt alijs utiliſsimæ; ſiquidem uirtus eſt facultas beneficia conferendi. atque hac de cauſa iuſti & fortes uiri maximè honorantur: hi enim in bello, illi uero etiam in pace multis utiles ſunt.*

COMM. Ex definitione virtutis intelligi poteſt quæ virtutes maiores ſint, quæ minores. eſt enim virtus (vt iam ſuprà dictum eſt) facultas in alios beneficia conferendi. quare quanto virtutes ſunt hominibus vtiliores, tanto ſunt maiores. & quæ ſunt omnium vtiliſsimę, ſunt etiam omnium maximę. hoc enim virtutis propriũ eſt, mortalibus quã plurimum prodeſſe. quod etiam multitudinis iudicio confirmari poteſt. vulgo enim iuſti & fortes viri maxime honorantur, propter maximas vtilitates quæ ab eis proueniunt. nam fortes viri, belli tempore ciuitatibus maximo ſunt auxilio, iuſti autẽ & in bello & in pace ſunt vtiliſsimi. quamobrem omnibus virtutibus iuſtitia antecellit. de qua ita Ariſtoteles quinto Ethicorum, hæc vna virtus omnium eſt domina & regina virtutum, neque heſperus aut Lucifert tantam ſui excitat admirationem. & Cicero primo de offi. ait homines ex hac vna virtute bonos nominari. fortitudo verò proximè iuſtitiam ſubſequitur, quoniam in ciuitate iuſtitia conſeruari non poteſt, niſi ſint fortes viri qui hoſtium impetum arceant, & ſecurum ciuitatis ſtatum conſeruent. itaque Ilioneus apud Virgilium primo Aeneid. Aeneam à iuſtitia & fortitudine commendat;

Rex erat Aeneas nobis, quo iuſtior alter
Nec pietate fuit, nec bello maior & armis.

TEXT. *Deinde liberales ideo ſunt in honore, quòd fortunas ſuas erogant; neque de pecunijs digladiantur, quarum reliqui mortales magnopere cupidi ſunt.*

COMM. Poſt iuſtos & fortes viros, in precio ac honore liberales eſſe ſolent, propterea ꝙ facultates ſuas alijs libenter impartiunt, neque pecunias accumulare ſtudent, qđ pleriq; alij faciunt. libro quarto Ethicorum dicit Ariſtoteles vix fieri poſſe, ut homo liberalis diues ſit, quoniam neque rem familiarem amplificare nititur, neque partas iam fortunas tueri ſtudet. Cicero ſecundo de Officijs ita inquit; vehementer autem amor multitudinis, commouetur ipſa fama, & opinione liberalitatis, beneficentiæ, iuſtitiæ, fidei, omniumq́; earum uirtutum, quæ pertinent ad manſuetudinem morũ ac facilitatem. in hac re maximè celebratur Cimõ Athenienſis, qui quotidie domi conuiuium parari iubebat, quo pauperes turmatim conuenirẽt, ſiquem agere ciuem intelligebat, eum furtim collata pecunia ſubleuabat, prædiorum ſuorum ſepes auferri iuſsit, vt omnes arbitrio ſuo fructus percipere poſſent. auctor Plutarchus. ſed etiam alij multi leguntur in hiſtorijs maximè liberales.

TEXT. *Eſt autem iuſtitia uirtus, per quam ſinguli res ſuas habent, & eo modo, quo lex præcipit; iniuſtitia verò per quam aliena contra legem poſsidentur.*

COMM. Nunc deſcribit ſigillatim virtutis eas ſpecies, quas propoſuit, & eis contraria vitia. ac primo iuſtitiam ait eſſe virtutem per quam homines res ſuas poſsident eo modo, quo leges iubent. duo ſunt igitur quæ in hac virtute requiruntur, primo vt ſuum vnuſquiſque habeat, deinde vt illud legitimè poſsideat. quæ duo commutata pariunt iniuſtitiam, vt cum quis aliena poſsidet, & id contra legem facit omninò iniuſtus eſt. Cicero de Inuentione ſecundo iuſtitiam ita definit; iuſtitia eſt habitus animi communi vtilitate conſeruata ſuã cuique tribuens dignitatem. Vulpianus iuriſconſultus ita; Iuſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas ius ſuum cuique tribuens. primo de Offic. Cicero duo dicit eſſe munera iuſtitiæ, primum vt ne mini quis noceat niſi laceſsitus iniuria, deinde vt communibus pro communibus vtatur, priuatis autem vt ſuis. Ariſtoteles quinto Ethicorum tria iuſtitiæ genera facit. eſt enim quædam iuſtitia cõmunis, quæ ad omnes virtutes refertur, de qua illud dictum eſt; iuſtitia in ſeſe virtutes continet omnes, ex hac boni viri nominantur, quæ in hominum ſocietate tuenda verſatur. altera eſt huic ſubiecta tanquam ſpecies quædam quæ ſuum cuique tribuit. Tertia quæ in pactis contrahendisq; rebus obſeruatur. Eſt autem hæc virtus adeo neceſſaria, ut primo politicorum dicat Ariſtoteles; nullo modo fieri poſſe vt ciuitas habitetur, ſi abſit iuſtitia. & quarto eiuſdem operis ait; Remp. ſtatim diſſolui atque interire propter iuſtitię violationem. ideo dixit Euripides iuſtitiam os aureũ habere. Heſiodus Iouis eſſe filiam & virginem, quod iuſti viri Dei ſimiles ſint, atque integri.

TEXT. *Fortitudo eſt uirtus per quam homines res honeſtas in periculis aggrediuntur, eaſque gerunt, ut lex præcipit, & ſe legum miniſtros præbent. timiditas uerò uitium eſt contrarium.*

COMM. Fortitudo præcipuè in periculis ſpectatur, cũ quis res honeſtas intrepidè gerit, neque vllo metu concutitur, ſed præbet ſe legum miniſtrum, & pro honeſtate paratus eſt, ẽt vitã profundere. Cicero fortitudinem proprio nomine ſæpe virtutem appellat. appellata eſt. n. ex viro virtus. probè definitur à Stoicis fortitudo, cum eam virtutem eſſe dicant propugnantem pro æquitate, vt tertio de officijs ait Cicero. Chryſippus verò, ſicuti quarto Tuſcul. legimus, ſic eam definit; fortitudo eſt ſcientia perferendarum rerum vel affectio animi in patiendo, ac perferẽdo, ſummæ legi parens ſine timore. Ariſtoteles tertio Ethicorum quinque genera fortitudinis ait eſſe, quæ minimè perfecta ſint, in primo genere eſt fortitudo ciuilis, quæ vel honore, uel ignominia concitatur, quæ in ea ciuitate viget in qua fortes honorantur, ignaui contẽnuntur.

nuntur. vt Hector apud Homerum de ſe ait;

Polydamas tœdum primus mihi crimen inuret,

Secunda eſt ea fortitudo quæ à neceſsitate prouenit, cum ij præcipiunt qui cogendi poteſtatem habent, quo modo plerunque milites imperatorum metu fortes fiunt vt Hector minatur;

Quem procul à pugna labentem forte videbo
Ille canum fiet, fiet quoque vulturis eſca.

Tertia ab exercitatione proficiſcitur, itaque Socrates putabat fortitudinem eſſe ſcientiam quoniam veterani milites propter vſum ſolent eſſe fortiores, qualem Entellum depingit Virgilius

Stat grauis Entellus niſuque immotus eodem
Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.

Quarta eſt illa quæ ab ira naſcitur, iram enim cotem fortitudinis eſſe dicunt. vnde Virgilius:

Acrior ad pugnam redit, & nim ſuſcitat ira.

Et in primo de ſeditione uulgi;

Iamque faces & ſaxa uolant, furor arma miniſtrat.

Quinta eſt ea, quę à ſpe atque fiducia manat, fiũt enim fortiores homines cum uictoriam ſperant. hinc adhortationes ducum ad milites, ut Turnus apud Virgilium Aeneidos decimo:

Quod uotis optaſtis adeſt. perfringere dextra
In manibus Mars ipſe uiri.

quod autem ſpes fortitudinem augeat, oſtendit eodem libro Virgilius, cum ita inquit;

clamorem ad Sydera tollunt
Dardanidę e muris, ſpes addita ſuſcitat iras.
Tela manu iaciunt.

ſed (ut dixi) hæc fortitudinis genera ſunt imperfecta, illud ſolum perfectum quod ſummæ legi paret ſine timore.

TEXT. *Temperantia uirtus eſt, cuius opera homines ita corporis uoluptates moderantur; ut lex iubet. intemperantia uitium eſt contrarium.*

COMM. Temperantia regit appetitum, & corporis uoluptatibus reſiſtit eo modo, quo leges pręcipiũt, cui contraria eſt intemperantia. porrò temperantiæ proprium eſt prudentiam conſeruare, ſicut Ariſtoteles ſextò Ethicorum affirmat. Plato in Charmide cuſtodem vitæ hominum temperantiam uocat. idem in Georgia præcipit, ut qui felix ac beatus eſſe uelit, temperantiam exerceat. Xenophanes nihil in homine malum naſci poſſe dixit, qui temperantiam, quæ ſapientiæ fundamẽtum eſt, amplexus fuerit. ideo uiri ſapientes omnes temperantiſsimi fuerunt. ut Socrates, quem propter tenuem uictum, peſtis illa ſæuiſsima quæ Atticam inuaſit, non attigit. ut Plato, apud quem cum Timotheus Imperator egregius cænaſſet, & poſtridiè deinde illi occurriſſet, ueſtræ cęnæ (inquit) ò Plato, non tãtum præſentes iucundę ſunt, ſed etiam in diem ſequentem ſuauitatem ſecum adferunt. vt Xenocrates, cuius etiam caſeolus prouerbio celebratur. ut Pythagoras, cuius eſt illud egregium dictum; pingui: uenter non gignit ſenſum tenuem. & cum uidiſſet quendam obeſum dixit; hic non ceſſat ſibi odioſum carcerem ſtruere. ut omnes denique honeſtatis amatores. neque enim intemperans quiſquam honeſtè poteſt uiuere. nam temperantia, quod ait Cicero primo de Finibus, pacem animis adfert, & eos quaſi concordia quadam placat ac lenit, in hac uirtute omnis ornatus uitæ, omniſque ſedatio perturbationum animi, & rerum modus cernitur. primo de Officijs.

Liberalitas eſt quæ pecunijs ſuppeditandis pluribus beneſacit; cui contraria eſt illiberalitas. TEXT.

Liberalitas uirtus media eſt inter auaritiam & largitionem uel effuſionem, ideo quarto Ethicorum Ariſtoteles ait liberalitatem eſſe mediocritatem in pecunijs, & eius laudem eſſe magis in dandis pecuniјs quam in accipiendis. Cicero primo de officijs, nihil eſſe naturæ hominis accommodatius liberalitate cenſet. ſed tres adhibendas eſſe cautiones admonet. primò uidendum eſt ne obſit benignitas & ijs ipſis quibus benignè uidebitur fieri, & cæteris: deinde ne maior benignitas ſit, quam facultas. tum ut pro dignitate cuique tribuatur. cum autem liberalis pluribus benefacere ſtudeat, gradus tamen quoſdam ſeruare debet, ut eis plurimum tribuat, quibus maximè coniũctus eſt. principes ſunt patria & parentes, quorum beneficijs maximè obligati ſumus; proximi liberi, totaq́; domus quæ ſpectat in nos ſolos, neq; aliud ullum poteſt habere perfugium, deinceps bene conuenientes propinqui. &c. quæ primo de Officijs docet Cicero. COMM.

Magnanimitas eſt uirtus, quæ maxima in alios beneficia confert. huic contraria eſt animi paruitas. TEXT.

Magnaminitas uel animi magnitudo uirtus eſt, liberalitati coniuncta. quæ contempta propria utilitate ſtudet in alios quamplurima conferre beneficia. cui contrarium uitium dicitur animi paruitas, cum quis propriam tantum utilitatem quęrit, neque ulla conferre in alios beneficia conatur. hęc igitur uirtus res magnas & maxime utiles quęrit. nihil autem eſt tam anguſti animi tamq́ue parui quam amare diuitias, nihil honeſtius, magnificentiuſq́ue quam pecuniam contemnere ſi non habeas, ſi habeas ad beneficentiam liberalitatemq́ue conferre. hęc Cicero primo de Officijs, quibus primo exprimit uitium magnanimitati contrarium, deinde ipſam etiam magnanimitatem. cuius exemplum ſpectare licet in multis Romanis Imperatoribus, ſed pręcipuè in Fabricio, & Curio, qui diuitias contemnentes, nihil aliud ſtudebant, quam de Rep. benemereri. COMM.

Magnificentia uirtus eſt, quæ in ſumptibus faciendis amplitudinem ſequitur. huic etiam animi paruitas, & tenuitas eſt contraria.

Magnificentia tantum in homine diuitijs affluente eſſe poteſt. neque pauper vllo modo poteſt eſſe magnificus. neque enim tantum vnum

aut alterum adiuuare pecuniis magnificentia eſt licet ſit liberalitas, ſed aut totam aliquam ciuitatem multitudine pecuniarum ſubleuare, aut publicis monimentis & ſubſtructionibus urbē exornare. ſicut Cæſar Auguſtus gloriatus eſt ſe marmoream vrbem relicturum, quam latericiam accepiſſe. hæc autem virtus eis vtiliſsima eſt, qui capeſſunt Remp. vnde Romani ciues in ædilitate pcipuè magnificentiam oſtentabant, vt ad reliquas dignitates faciliorem haberent aditum. quidam volentes hanc virtutem amplecti cum nimis parce ſumptus faciant, vicinum in vitium incidunt. Theophraſtus magnopere laudat magnificētiam & apparationem popularium munerum, auctor Cicero ſecundo de offi.

COMM. *Prudentia eſt uirtus rationis, per quam de bonis rebus, & malis, quæ ad beatam uitam pertinent, homines benè conſulere poſſunt.*

TEXT. Prudentia in ratione poſita eſt, & rerum bonarum ac malarum cognitionem adfert. itaque dux eſt ad beatam vitam. nam Iamblichus prudentiam virtutum omnium principem eſſe dixit, quæ reliquis omnibus tanquam adminiſtris vtatur. eſt igitur tanquam mentis oculus vndiq; lucidiſsimus, per quam in primis Deo ſimiles efficimur. itaque non ſine cauſa Iuuenalis ſatyra decima clamat;

Nullum numen abeſt ſi ſit prudentia, ſed te
Nos facimus Fortuna Deam, cœloq; locamus.

Socrates interrogatus quid eſſet prudentia, reſpōdit; animi concinnitas. idem roganti quinam prudentes eſſent; qui non facile delinquunt. inquit, Crito prudentiam reliquarum virtutum ducem & matrem eſſe dixit, quoniam uirtutes omnes ad præſcriptum prudentiæ conſtituuntur. Cicero de Finibus quinto; vt medicina valetudinis nauigationis gubernatio, ſic uiuendi ars eſt prudentia. videtur autem Cicero triplicem facere prudentiam, quarum prima eſt eadem quæ ſapientia ſicut in Partitionibus docet, & primo de officijs, q̄ eſt cognitio veritatis, & ſcientia rerum diuinarū atque humanarum. altera eſt calliditas, quę ratione quadam poteſt delectum habere bonorum & malorum. Tertia eſt ſcientia cuiuſque artificij. ſed proprie qui bene conſulere poſſunt, de rebus, quæ ad beatam vitam pertinent, ij prudentes appellantur. hoc loco aduertendum eſt duarum virtutum definitiones eſſe prætermiſſas, hoc eſt, māſuetudinis, & ſapientiæ, quas in partibus virtutis ſupra numeratas, quæ fortaſſe vel culpa librariorum ſublatæ ſunt, vel ab Ariſtotele dedita opera prætermiſſæ, vt oſtendat hoc loco ſe non exquiſite de virtutibus agere, de quibus in Ethicis accuratè tractauit.

TEXT. *Ac de uirtute quidem & uitio, deque partibus eorum. quantum ad hanc præceptionem attinet, ſatis in præſentia dictum eſt. nam cætera dignoſcere, non eſt difficile: planum eſt enim, eas res, quæ uirtutis efficientis ſunt, neceſſariò honeſtas eſſe, quoniam ad uirtutem referuntur; & quæ à uirtute proficiſcuntur. quales ſunt uirtutis ſignificationes & actiones.*

Repetit breuiter more ſuo quid hactenus fecerit: de virtute & vitio communiter (inquit) diximus, & de partibus eorum. non quidem omnia quæ dici poterant, ſed quæ ad hanc artem pertinere videbantur. cognitis autem virtutibus & vitijs facile cognoſci poſſunt etiam reliqua quæ uel honeſta vel turpia ſunt. res enim quæ virtutis conficientes ſunt, omninò ſunt honeſtæ, quoniam ad virtutem referuntur, vt bona educatio, docilis natura, mite ingenium, vſus & exercitatio doctrinæ. quæ uehementer in aliquo laudari ſolent, quoniā quaſi viæ quædam ſunt, atque aditus ad virtutem. eodem modo quæcunque proficiſcuntur à virtute ſunt honeſta, & laudabilia, ut ſignificationes uirtutis, & actiones. quicquid enim iuſtè, fortiter, & moderatè fit, id iure optimo laudatur, idē de reliquis uirtutis actionibus ſentiendum. quin etiam ſępe ſola ſignificatio uirtutis commendatur, ut primo de officijs docet Cicero. pro lege Man. commemorandis Pompeij rebus geſtis & actionibus, eum maxima uirtute præſtare, & ſummum eſſe imperatorem probat. ita Dido quarto Aeneidos ab actionibus Aeneæ colligit eum diuina ſtirpe genitum eſſe, quando ait;

Credo equidem, nec uana fides, genus eſſe Deorum,
Degeneres animos timor arguit, heu quibus ille
Iactatus fatis, quæ bella exhauſta canebat.

Sic in primo Aeneidos Orator ille Troianus Ilioneus Didonis laudes à rebus eius geſtis exequitur;

O regina nouam cui condere Iuppiter urbem,
Iuſtitiaq; dedit gentes frenare ſuperbas.

Cicero pro Archia poeta uehemēter extollit eius ingenium, quod ex tempore uerſus optimos conderet. quoties (inquit) ego hunc uidi, cum literam ſcripſiſſet nullam, magnum numerum optimorum uerſuum de ijs ipſis rebus, quæ tum agerentur, dicere ex tempore? & quę ſequuntur.

Quoniam autem ſigna, & huiuſmodi res, quæ ſunt alicuius boni opera, aut affectiones, honeſta ſunt; neceſſe eſt ut quæcunque fortitudinis opera, aut ſigna ſunt, uel fortiter geſta, ſint etiam honeſta. TEXT.

Quoniā ſupra dixerat uirtutis ſignificationes eſſe honeſtas, nunc argumentatur à genere, hoc modo, ſi ea quę ſigna uirtutis ſunt, aut opera, aut affectiones, honeſta ſunt, ergo etiam quę ſunt ſigna fortitudinis, aut opera, aut fortiter geſta, erunt honeſta. Laudantur enim qui in bello non relinquunt locum, neque ordinem deſerunt. neque obiecta re terribili pertimeſcunt. & qui cicatrices habent in pectore, quę ſigna ſunt fortitudinis. & qui ciuem in acie ſeruarint, & qui hoſtes ī fugā uerterint, & qui trophea ſtatuerint, q̄ fortitudinis opera ſunt. & qui ſępius ex ꝓuocatione dimicarit, & ſemper uictor euaſerit, quę fortiter geſta ſunt. hac ratione M. Antonius ille diſer- COMM.

tus cum pro M. Aquilio diceret, cum defendit qđ eximium imperatorem & fortiſsimum eſſe probauit, oſtenſis cicatricibus in pectore; quod pro patria ſtrenue dimicans uulnera accepiſſet. de qua re ita Craſſus ſecundo de Oratore; quæ dignitas illi oratori defuit, qui in cauſa peroranda non dubitauit excitare reum conſularem, & eius diloricare tunicam, & iudicibus cicatrices aduerſas ſenis Imperatoris oſtendere. in eodem libro de Sp. Caruilio ſic ait; Nam quod Sp. Caruilio grauiter claudicanti ex uulnere ob Remp. accepto, & ob eam cauſam uerecundanti in publicum prodire mater dixit, quin prodi mi Spuri; ut quotieſcunque gradum facias, toties tibi tuarū uirtutū ueniat in mētem: præclarum & graue. Sed fortitudinis exempla Romanis in hiſtorijs penè ſunt innumerabilia. Plinius duos præcipuè Romanos in hac re cōmēdat. L. Sicinium Dentatum, & M. Sergium. nam L. Sicinius propter eximiam fortitudinem, Achilles Romanus dictus fuit. is centum uiginti prælijs interfuit, cicatricem nullam auerſam, aduerſas quadraginta quinque habuit, plurima dona à ſuis imperatoribus conſecutus eſt, & nouem triūphos cum Ducibus ſuis ſumma cum gloria reportauit. M. autem Sergius primo ſtipendio dextram amiſit. ſiniſtra manu ſola quater pugnauit, ter & uicies uulneratus eſt. dextram ſibi fecit ferream, eaque religata præliatus eſt. Cremonam obſidiōne exemit, Placentiam tutatus eſt, duodena caſtra hoſtium in Gallia cepit. adeo ut Solinus dicat ab eo fortunam etiā deuictam fuiſſe. hæc ſunt fortitudinis ſigna & opera, quæ quoniam honeſta ſunt, magnopere laudantur. ut Cicero pro Marcello Cæſarem in hac re extollit.

TEXT. *Et quæ iuſta ſunt opera, quæque iuſtè fiunt; non tamen quæ iuſtè patimur ſunt honeſta. nam in hac ſola uirtute, non ſemper quod iuſtè fit, eſt honeſtum; in luenda enim pœna, quæ legibus impoſita eſt, turpius eſt iuſtè, quàm iniuſtè plecti: ſed in alijs uirtutibus, uno atque eodem modo ſeſe res habet.*

COMM. Sicuti fortitudinis ſigna & opera ſūt honeſta, ita etiā iuſtitiæ. ut opera iuſta quæque fiunt, honeſta ſint. qua laude præcipue floruit Ariſtides Athenienſis, qui iuſti cognomē ſortitus eſt, neque alia de cauſa fuit expulſus Athenis, niſi quod nimis iuſtus eſſe diceretur. Bochyris etiam rex Aegypti tāta iuſtitia præditus fuit, ut antiqui uulgo ſiquē iuſtiſsimum ſignificare uellent, eum Bochyrim appellarent. apud Romanos plurimi quidem, ſed præcipue duo Catones iuſtiſsimi ſunt habiti, & L. Caſsius, cuius tribunal propter ſeueram iuſtitiam ſcopulus reorū dicebatur. auctor Val. Max. de hoc Caſsio multis in locis meminit Cicero, ut pro Milone, pro Sex. Roſc. Am. in Philippicis. ſed in hoc à fortitudine iuſtitia differt, quod quæ fortiter patimur, honeſta ſunt, ut labores, pericula, uulnera, mors etiam pro Rep. & pro honeſtate. uerùm quæ iuſtè patimur, nullo modo ſunt honeſta. quod accidit in hac ſola uirtute, ut perpeſſiones non ſint laudabiles. nam cum quis luit pœnas propter legum tranſgreſsionem iuſtè quidem patitur, ſed hoc illi non eſt honeſtum. turpius eſt enim iuſtè pati, quam iniuſtè. unde Socrates uir ſapientiſsimus cum eius uxor Xantippe, uehementer calamitatem eius deploraret, qđ ad mortem iniuſtè cōdemnatus eſſet, an (inquit) malles me iuſtè fuiſſe condemnatum? ſignificauit igitur Socrates multo honeſtius eſſe ſi quis iniuſte patiatur incommodum aliquod, quam ſi iuſte calamitatem eandem ſubeat. itaque Ouidio cæteriſque poetis id concedamus;

Leniter ex merito quicquid patiare ferendum eſt,
Quæ uenit indigne pœna dolenda uenit.

noſque intelligamus multò grauius eſſe dolendum, cum noſtra culpa mali aliquid patimur, quā cum patimur innocentes, & ſine uitio noſtro. ſic enim magis offenduntur ij, qui iniuſtè gerunt, quam qui iniuſtè patiuntur, ut Socrates aiebat. in alijs uero uirtutibus eadem ratio eſt, quæ in fortitudine, ut temperantiæ ſigna, & opera, quæque propter temperantiam patimur, honeſta ſint. hinc Lycurgi leges multum ideo laudantur, quod in temperantia præcipue iuuentutem exercerent. Anacharſis apud Ciceronem ita de ſua temperantia prædicat; mihi amictus eſt Scythicum tegmen, 5. Tuſc. calciamentum ſolorum callum, cubile terra, pulpamentum fames.

TEXT. *Et ea quibus præmium propoſitum eſt honor, honeſta ſunt: & quæ magis honore quam pecunia compenſantur.*

COMM. Diligenter ea ſcrutatur Ariſtoteles, quæ honeſta ſunt & laudabilia, quæ in demonſtratiuo genere uerſantur. ſunt igitur (inquit) illa honeſta, quibus propoſitus eſt honor pro præmio. Cicero pro Milone; rectè factorum ampliſsimum eſſe præmium gloriam fatetur. Plinius uehementer laudat Romanos ueteres, qui cum res egregiè publicas geſsiſſent, honore ſolo contenti erant. o mores (inquit) æternos, qui tanta opera honore ſolo donauerunt. nā qui ciuem in bello ſeruaſſet, quercea corona decorabatur, quæ dicebatur ciuica. qui urbem aliquam aut exercitū ab obſidione liberaſſet, graminea corona donabatur, quam obſidionalem uocabant. ita apud græcos Hieronicæ ſolo honore contenti erant, & oleaſtro in Olympijs, apio in Iſthmijs, pinu in Nemeis coronabantur. ſunt aūt aliquæ res quæ honore compenſantur, aliquæ quæ pecunia. ſemper autem honeſtiores illæ res ſunt, quibus honor acquiritur, quàm quibus pecunia. nā quarto Ethicorū docet Ariſtoteles; honorem eſſe pulcherrimum præmium, ut honeſtius eſt Remp. adminiſtrare, ex qua tantùm honor acquiritur, quam mercaturam exercere, unde pecunia comparatur. Laudatur in hoc Paulus Aemilius, qui cū Perſen Macedoniæ regem ditiſsimū debellaſſet, uniuerſam eius pecuniam in ærarium redegit, ipſe uero ſolo honore contentus fuit. qđ etiam alij multi Romani duces fecere.

TEXT. *Et quæ, cum ſint expetenda, potius aliena cau-*

ſa, quàm

ſa, quàm ſua ſiunt.

COMM. Honeſtius eſt aliquando pro amico, quam pro ſeipſo aliquid facere. quod etiam Quintilianus libro tertio ſic ait; pręcipuè quod aliena potius cauſa, quam ſua. in hac re Cicero Philippica nona uehementer laudat Seruium Sulpitium, quòd non mores aliorum iuriſconſultorum ſequeretur, qui ſuæ vtilitatis gratia controuerſias conſtituunt, neque (inquit) conſtituere litium actiones mallebat, quam controuerſias tollere. ſic pro lege Man. Cicero ſeipſum commendat; omne meum tempus amicorum temporibus tranſmittendum putaui. ita Socrates celebratur, qui iuuenes erudiebat, & nullam ab eis mercedem penitus exigebat.

TEXT. *Et quæ ſunt abſolutè bona, ut quæ neglecta propria ſalute, pro patria geruntur ab aliquo.*

COMM. Maximè uerò ea laudantur, quæ ſunt abſolutè bona, qualia ſunt ea, quæ ad uniuerſam patriā pertinent. cum igitur aliquis propriam ſalutem negligit, ut patriæ ſubueniat, is maxima laude dignus eſt. ſicut apud Athenieſes Codrus fecit, apud Thebanos Menecheus, apud Romanos tres Decij & Q. Curtius, plurimique alij. Quare Cicero multis in locis ſibi laudem hanc uendicat, quòd pro ſalute patriæ, propriam ſalutem neglexerit.

TEXT. *Et quæ bona dantur à natura.*

COMM. Laudantur etiam bona, quæ quis à natura ſortitus eſt, ut ingenium, memoria, ſolertia, & in corpore pulchritudo, uires, & eius generis cætera. ut Cic. laudat in Lucullo memoriā, & ingeniū, ſicut etiam in Hortenſio, quem à natura dicendi facultatem habuiſſe prædicat. idem Cicero primo de Oratore fictos à Deo uocat, qui naturæ bona ſortiti ſunt. ſic enim ait; Sunt autem quidam ita naturæ muneribus in iiſdem rebus habiles, ita ornati, ut non nati, ſed ab aliquo Deo ficti uideantur.

TEXT. *Et quæ non illi ipſi qui habet, fructum adferunt; nam quæ adferunt eius ipſius gratia ſunt.*

COMM. Sunt aliqua bona, quæ nullam utilitatem adferunt habenti, ſed aliis. ea (inquit Ariſtoteles) honeſtiora ſunt, quam quæ habenti proſunt. hæc enim ipſius gratia ſunt, illa uero aliorum. magis autem laudantur ea, quæ fiunt aliorum cauſa quàm ſua, ut ſupra dictum eſt. talis eſt liberalitas, & beneficentia, quæ non modo nullum fructum adferunt habenti, ſed etiam damnum, & fortunarum iacturam apportant. itaque liberales & benefici plurimum laudantur. ſic etiam uenuſtas & pulchritudo corporis nullum fructum adfert, ſed ſpectantes quadam uoluptate complet. & tamen non tantum in muliere, ſed etiam in uiro commendatur. ſicut Iſocrates inter cæteras Euagoræ laudes etiam pulchritudinem commemorat.

TEXT. *Et quæcunque mortuo ſæpius, quàm uiuo contingere ſolent; nam, quæ uiuo fiunt, ipſius gratia facta uideri poſſunt.*

COMM. Honeſtiora ſunt quæ mortuo iam homini tribuuntur quàm quæ uiuo. quoniam à mortuo nihil iam amplius ſperatur, & honos qui illi tribuitur, à benefactis eius prouenit, quæ autem uiuo cōcedūtur, uideri poſſunt ipſius gratia cōcedi, nō autē propter merita. quare glorioſum fuit L. Bruto, qui Tarquinium expulit, quòd eum mortuum Romanæ matronæ integrum annum luxerūt. glorioſum Cæſari, quod ab Auguſto & populo R. inter deos relatus fuerit. Cicero Philippica nona ſtatuam in Roſtris decernendam eſſe Seruio Sulpicio cenſet, qui in legatione ad Antonium obierat. & hoc magis ad gratiam Senatus oſtendendam, quam ad gloriam Sulpicij augendā pertinere oſtēdit. ſic Virgilius Aenæam ſuum celebrat, quod poſt mortem diuinos honores conſecutus ſit. ſic enim in duodecimo Iouem inducit cum Iunone loquentem;

Indigetem Aenæam ſcis ipſa, & ſcire fateris
Deberi cœlo: fatiſque ad ſydera tolli.

Tamen etiam quæ uiuis tribuuntur interdum maximo ſunt honori, ut apud Romanos ſupplicationes, triumphi, ſtatuæ, cognomenta uictarum gentium.

TEXT. *Et quæcunque opera ſiunt aliorum cauſa; minus enim ipſius gratia: & quæ in alienis negociis curandis, benè conficiuntur, non autem in ſuis.*

COMM. Aliqua ſunt quæ & noſtra, & aliorum cauſa facere poſſumus, ſed honeſtiora cum aliorum cauſa facimus, de quibus ſupra dictum eſt. aliqua non ei qui habet, fructum adferunt, ſed aliis, de quibus etiam dictum eſt, aliqua denique tantum aliorum cauſa fiunt. de quibus nunc mentio fit. & hæc ait ideo eſſe honeſta, quia non ad ipſum referuntur. ut Demoſthenes in Oratione de ementita legatione, narrat ſe pecunias multas inſumpſiſſe, ut ciues captiuos ab hoſtibus redimeret. ita T. Manlius Torquatus proprio filio non pepercit, ut alij milites imperatoribus parerent. ita Cicero ſe ipſum ait perdidiſſe ut cæteros ſeruaret. Laudantur etiā illi qui in alienis negociis curandis diligentiores ſunt quam in ſuis. ut Lycurgus in cœlum extollitur, quòd cum poſſet ſibi regnum acquirere, tamē Charilaum fratris ſui filium regem eſſe uoluit, & eius nomine bene regnum adminiſtrauit. ſic Horatius Auguſtum laudat. quod commoda publica diligentiſſime curaret. ſic enim ait:

Cum tot ſuſtineas & tanta negocia ſolus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes, in publica commoda peccem
Si longo ſermone morer, tua tempora Cæſar.

Sic etiam patroni laudantur, qui clientum negocia bene curant, qua in re Pollionem idem Horatius laudat:

Inſigne mœſtis præſidium reis.
Et conſulenti Pollio curiæ.

Aliter uerò ſeipſum laudat Damaſippus ille, quem ita loquentem facit Horatius;

Poſtquàm omnis res mea Ianum
Ad medium fracta eſt, aliena negocia curo
Excuſſus propriis.

TEXT. *Et, quæ propter eos ſiunt, à quibus beneficium acceptum fuerit; hoc enim iuſtum eſt: & benefacta in alios; quoniam ad proprium fructum non referuntur.*

Hone-

COMM. Honeſtiſſimum eſt eis beneficium reddere à quibus accepimus. quoniam hoc maximè iuſtitiã attingit. omnes enim oderunt immemorem beneficii. Quare Cicero primo de officiis ait; nullum officium referẽda gratia magis neceſſarium eſſe, quod ſi(inquit)ea, quæ acceperis vtenda, maiore mẽſura(ſi modo poſſis) iubet reddere Heſiodus, quid nam beneficio prouocati facere debemus? an non imitari agros fertiles, qui multo plus adferũt, quam acceperunt? rectè igitur præcepit Seneca vt acceptum beneficium æternæ memoriæ figamus. neque tantum relatio gratiæ laudatur, ſed omnia in alios benefacta, ex quibus nullus fructus ab eo, qui benefacit, accipitur. ut Proculeius ab Horatio commendatur, quod fratribus patrimonium diuiſerit; Viuet extento Proculeius æuo, Notus in fratres animi paterni.

TEXT. *Et eorum contraria, propter quæ ſolent homines erubeſcere. nam propter turpia, cum aut ea dicunt, ea faciũt, uel cum dicturi facturique ſunt, erubeſcũt, quemadmodum Alcæo poeta reſpondit Sappho. cum enim ille dixiſſet, cupio tecum quædam loqui, ſed me deterret pudor, illa ſic inquit; Si te bonarum, aut honeſtarum rerum deſiderium teneret, neque lingua tua flagitium aliquod proferre tentaret; non ſanè pudor oculos tuos occupaſſet, ſed de re iuſta liberè uerba feciſſes.*

COMM. Ex contrariis contraria nota fiunt, vt ſi turpe eſt luxuria diffluere, ergo honeſtum eſt eſſe temperantem. Quare cognoſcuntur ex contrariis quę honeſta ſunt. ea, propter quæ ſolent homines erubeſcere, turpia ſunt, ergo contraria ſunt honeſta. pudor enim & verecundia cuſtos eſt virtutum dedecus fugiens(vt in Partitionibus ait Cicero) Itaque cum homines aut dicunt, aut faciunt aliquid turpe, uel cum ſunt dicturi, aut facturi, tunc erubeſcunt, & à pudore ſæpe impediuntur. quod oſtendit Horatius eo carmine ad Mœcenatem;

Infans namque pudor prohibebat plura profari.

Sic Cicero quoniam intelligebat, honeſtam eſſe gloriam contemnere, & turpe ambitioſum videri, erubeſcebat corã Luccio, ſuam cupiditatem gloriæ declarare, quare ad eum ita ſcribit; Coram me tecum eadem hæc ſæpe conãtem deterruit pudor quidam penè ſubruſticus, quæ nunc expromam abſens audacius. epiſtola enim non erubeſcit. & q̃ ſequuntur. Ariſtoteles exemplum adfert huiuſmodi; Alcæus poeta Sapphonis amore captus eam alloqui cupiebat, ſed pudore impeditus ita ſe excuſauit; cupio quidem ò Sappho tecũ quædam loqui, ſed me pudor deterret. illa verò ſtatim intelligens nõ eſſe rem honeſtam, quã Alcæus dicturus erat, ita reſpondit; ex verbis tuis Alcæe colligo, te flagitium aliquo proferre velle. neque enim in rebus bonis atque honeſtis lingua hæſitat, neque pudor oculos occupat. ſed res iuſtæ libere ſine pudore proferuntur. Eſt tamen etiam quædam vitioſa verecundia, quam Græci δυσωπίαν vocant, cum quis ẽt in rebus honeſtis pudore afficitur, de quo vitio Plutarchus elegãs opuſculũ ſcripſit. & Horatius inquit; Incurata malus pudor vlcera ſanat.

Vt enim non decet audacem eſſe, & oris, quod aiunt, duri, & perfrictæ frontis, ita turpe eſt etiam nimio pudore affici. Quamobrem Ariſtoteles ſeptimo Ethicorum negat pudorem eſſe virtutem, ſed ait in adoleſcentibus affectionem eſſe probã, bonæque ſpei indolem, Cato vero dixit ſibi magis adoleſcentem placere qui erubeſceret, quam qui palleret. verum moderatum eſſe pudorem oportet, non nimium.

TEXT. *Et ea, de quibus homines anguntur, cum tamen nõ metuant, honeſta ſunt. de iis enim anguntur, & ſolliciti ſunt homines, quæ rectà ad gloriam tendunt.*

COMM. Honeſta ſunt illa, propter quæ homines ſoliciti ſunt, quãuis ea non timeant. ſolent enim in eiuſmodi rebus hoc pati, quæ ad gloriam tendunt. ut Demoſthenes cum noctes & dies in arte dicendi ſeſe exerceret, neque tamen populo Athenienſi gratus eſſet, diſcruciabatur. Cicero Tuſcul. 4. ita de Themiſtocle ſcribit; noctu ambulabat in publico Themiſtocles. quod ſomnum capere non poſſet; quærentibuſque reſpondebat; Milciadis trophæis ſe è ſomno excitari. & ſanè nemo res præclaras & honeſtas ſine quadam ſolicitudine præſtare poteſt. adfert enim anxietas illa animi diligentiã, quæ (quod ait ſecundo de Oratore M. Antonius) nihil eſt quód non aſſequatur. hi ſunt ſtimuli de quibus ita Cicero pro Archia; nunc inſidet quædam in optimo quoque virtus, quæ noctes & dies animum gloriæ ſtimulis concitat. atque admonet non cum vitę tempore eſſe dimittendam commemorationem nominis noſtri, ſed cum omni poſteritate adæquandam.

TEXT. *Honeſtiores etiam eorum uirtutes, & opera ſunt, qui natura ſunt meliores; ut uiri quam mulieris.*

COMM. Cum natura aliqui meliores ſunt, etiam eorum virtutes ſunt honeſtiores. vt viri generatim ſunt mulieribus natura præſtantiores, ergo etiam virtutes & opera virorum, maiori erunt honore digna, quam mulierum. hoc etiam ad ordines virorũ pertinet, vt quoniam Senator mercatori præſtat, longè maiori dignus erit honore Senator iuſtus, quam iuſtus mercator. Sic Cicero pro L. Murena probare contendit Murenam dignitate ſuperiorẽ eſſe Seruio Sulpitio, quoniam ars imperatoria iuri ciuili antecellit.

TEXT. *Et uirtutes illæ, quibus alij magis frui poſſint, quam illi, in quibus ſunt; qua de cauſa iuſtum & iuſtitia honeſta eſt.*

COMM. In comparatione virtutum cum quæritur quæ ſint honeſtiores, illud aduertendum eſt, quæ ſint illę, q̃ magis proſint aliis, quã eis, in quibus ſunt. quoniam illæ ſunt honeſtiores. ut iuſtum, & iuſtitia, multò magis laudatur quam temperantia, quoniam aliis prodeſt. iuſtus enim vir ſæpiſſimè quãuis multum lucrari poſſit, tamen abſtinet. & potius alienam, quam ſuam vtilitatem quærit. vnde multo magis laudatur Fabricius, & Camillus propter iuſtitiam, qua etiam erga hoſtes vſi ſunt, quã propter victus tenuitatem. Cicero pro Marcello

multis

multis rationibus probat clementiam, maiori laude dignam eſſe, quam bellicam virtutem, quoniã clementia quod belli ſortuna reliquum facit, id ſaluum eſſe vult, & bellica virtus ſuis tantum prodeſt, clementia vero & ſuis, & alienis.

TEXT. *Quin etiam hoſtes potius ulciſci, quàm cum illis in gratiam redire, honeſtum eſt. nam par pari referre, iuſtum eſt. quod autem iuſtum, eſt etiam honeſtum. præterea uiri fortis eſt, non pati ſe inferiorem eſſe.*

COMM. Hæc ratio Philoſophi non admodũ conuenit cũ legibus chriſtianis. nos. n. multo laudabilius eſſe ſtatuimus hoſtibus parcere, & cũ illis in gratiã redire, quam eos vlciſci. ſed Ariſtoteles contra ſentit. quoniã iuſtũ eſt (inquit) par pari referre. vt beneficia beneficiis compenſare, & maleficia maleficiis. quod autẽ iuſtũ, eſt etiã honeſtum. huc accedit alia ratio, quòd viri fortes nullo modo volunt eſſe inferiores, ſed qui accepit iniuriã niſi vlciſcatur eſt inferior. ergo vir fortis potius hoſtes vlciſcetur, quã cum illis in gratiam redibit. Cicero etiam primo de officiis ait, iuſtitiæ primũ munus eſſe vt nemini quis noceat niſi laceſſitus iniuria. vbi videtur concedere, cũ quis iniuria laceſſitur, vt ẽt ipſe noceat. Sed tamẽ poſtea ſic ait; Sũt aũt quædã officia etiã aduerſus eos ſeruanda, à quibus iniuriam acceperis: eſt enim vlciſcendi, & puniendi modus: atque haud ſcio an ſatis ſit eũ, qui laceſſierit, iniuriæ ſuæ pœnitere, vt ipſe nequid tale poſthac committat, & cæteri ſint ad iniuriã tardiores. tamen in Oratione pro Q. Ligario Cæſarem in eo laudat, quod obliuiſci nihil ſoleret niſi iniurias. Socrates apud Platonẽ multis in locis docet potius inimicis benefaciendũ, quã malefaciendum. Iuuenalis Satyra Tertia decima ſic ait:

Quippe minuti
Semper, & infirmi eſt animi, exiguique voluptas
Vltio, continuò ſic collige, quod vindicta
Nemo magis gaudet, quam fœmina.

eſt igitur longè honeſtius cũ perdere hoſtem poſſis, ei parcere, atque in gratiam redire, quam vlciſci. quãuis aliter ſentiat Ariſtoteles.

TEXT. *Victoria quoque, & honor in rebus honeſtis ſunt: expetuntur enim, etiam ſi nullum fructum ferant; & quandam uirtutis exuperantiam oſtendunt.*

COMM. Inter res honorificas etiã victoria & honor numeratur. quoniã ab omnibus utrunque expetitur, etiã ſi non adferat utilitatẽ, propterea quod qui uictor eſt ĩ aliquo certamine, & q̃ honore decoratur, uirtute cæteris antecellere uidetur. atque hæc cauſa eſt cur omnes homines etiam in rebus minimis & leuiculis, ut in ludis ac iocis, uictoriam concupiſcant, quoniam in uictoria ſemper eſt excellentia quædã, & honor. quod in quinto Aeneidos oſtendit Virgilius de Aenea loquens eo carmine;

Ipſis præcipue ductoribus addit honores.

Hinc ſupplicationes, coronę, ouationes, triumphi, ſtatuæ, monumenta, cęteraque eius generis p̃mia, quę uictoribus olim honoris cauſa tradebantur. eſt igitur in magna laude ponendum ei, quem ornandũ ſuſcepimus. ſiquam conſecutus fuerit uictoriam, & ſi honore fuerit affectus. ita Virgilius tertio Georgicorum Cæſaris Auguſti uictorias commemorat;

In foribus pugnam ex auro, ſolidoque elephanto
Gangaridum faciam, uictoriſque arma Quirini,
Atque hic undantem bello, magnumque fluentem
Nilum, ac nauali ſurgentes ære columnas.
Addam urbes Aſiæ domitas, pulſumque Niphatem.
Fidentemque fuga Parthum, uerſiſque ſagittis.
Et duo rapta manu diuerſo ex hoſte trophæa
Biſque triumphatas vtroque ab littore gentes.

Ita pro lege Man. Cicero Pompeij magni uictorias celebrat, & pro Marcello, uſque eo Cæſarem extollit, ut etiam ipſam uictoriam à Cęſare uictã eſſe dicat. neque tantum homines, ſed etiam equi cæteræque animantes uictoria delectantur. quod oſtendit Virgilius tertio Georgicorum, cum de equis uerba faciens, ita inquit;

Et quis cuique dolor uicto, quę gloria palmę?
Et paulò poſt;
Tantus amor laudum, tantę eſt uictoria curę.

Et, quæ memoriam alicuius ornant, honeſta ſunt; & quanto magis ornant, tanto ſunt honeſtiora. TEXT.

Monumenta quę fiunt ad poſteritatis memoriam ſunt honeſta, unde quidam magnificis ędificiis, quidam ſcriptis quęrunt ſibi nomen & gloriã diuturnam comparare. ſed quę magis ornant memoriam, ſunt honeſtiora. ut encomia laudationeſque uel carmine, uel ſoluta oratione conſcriptę, multo ſunt honeſtiores, quã imagines uel ſtatuę. de qua re ſic ait Cicero libro Epiſtolarum quinto; Nec minus enim eſt Spartiates Ageſilaus ille perhibendus, qui neque pictam, neque fictã imaginem ſuam paſſus eſt eſſe, quam qui in eo genere laborarunt: unus enim Xenophontis libellus in eo rege laudando facile omnes imagines omnium, ſtatuaſque ſuperauit. COMM.

Et quæ mortuum etiam conſequuntur, & quibus honor comitatur, & quæ eximia ſunt, quæque ſolus aliquis poßidet, honeſtiora putantur; magis res huiuſmodi celebrantur. TEXT.

Quatuor genera rerũ, quæ in cõparatione ſint honeſtiores, quaſi uno faſce complectitur, primò quę poſt mortẽ etiam laudantur, honeſtiora ſunt, quam quę tantũ in uita. ut improbo principi dum uiuit, honores quidem habentur, & palam laudatur. ſed cum excedit è uita, ſtatim eũ omnes execrãtur. bonus autem uir ac ſapiens multo magis poſt mortẽ, quàm in uita commendatur. honeſtius eſt igitur eſſe uirũ probum, quã latè imperare. Secundò, quibus honor cõmittatur honeſtiora ſunt, quã quę nullo ſunt in honore, ut contentum eſſe ſuis rebus, & in priuata uita uiuere licet plerunque iucundum ſit, non tamen adfert honores & dignitates, ſed ei, qui in Reip. luce uerſatur, & bene ſe gerit. honores cõmittantur, ergo honeſtius eſt Rẽp. adminiſtrare, quam priuatè uiuere. Tertiò, quæ ſunt eximia, ſunt etiam honeſtiora. ut ſi honeſtum COMM.

eſt, eſſe

eſt, eſſe iuriſconſultum, aut Senatorem, multò honeſtius erit, eximium eſſe iuriſconſultum, & eximium ſenatorem. Quartò, quæ ſolus aliquis poſſidet, honeſtiora ſunt, quia magis fama celebrãtur. vt ſiquis nobile ſignum aliquod Praxitelis aut Polycleti domi habeat, vel aliquod opus antiquum & egregium, cuius nulla extent exemplaria apud alios. quemadmodum dicunt quldam Gallorum regem, hiſtorias T. Liuij integras omnes habere. res enim eiuſmodi magno ſunt honote ac precio propter raritatem.

TEXT. *Et prædia minimè fructuoſa, magis enim liberalia ſunt.*

COMM. Honeſtiora ſunt prædia quæ nullum adferunt fructum, ſed amœnitatis tantum & uoluptatis gratia comparantur. quoniam liberalis & ingenui viri ſunt indicia. quales ſunt ædes magnificæ, quæ urbana prædia uocãtur. horti floribus, & arbuſculis conſiti, atque opère topiario exornati, geſtationes, ambulationes, balnea, porticus, & eius generis cætera. quæ nonnunquam adferunt honorem & dignitatem. de qua re Cicero primo de officiis ita inquit; Cn. Octauio, qui primus ex illa familia conſul factus eſt, honori fuiſſe accepimus, quod præclaram ædificaſſet in Palatio, & plenam dignitatis dom um: quæ cum uulgo uiſeretur, ſuffragata domino, nouo homini ad conſulatum putabatur.

TEXT. *Et quæ propria ſingulorũ ſunt, habentur honeſta.*

COMM. Quæ ſunt apud aliquas nationes, aut populos, aut ciuitates propria, ſępè ſolent illis honeſta eſſe. ut apud Venetos togatum incedere, & bardocucullum ex humero ſuſpendere decorum eſt. ſicut etiã propriis uti legibus, non communibus. ſic Athenæ celebrantur, quoniam in ea ciuitate (ſicut ait Cicero) primo nata, atq; alta eſt ratio. pro L. Flacco, numerat quæ propria ſunt Athenienſium ut eos laudet. Adſunt (inquit) Athenienſes, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ. atque in omnes terras diſtributæ putãtur. de quorum urbis poſitione, propter pulchritudinem etiã inter Deos certamen fuiſſe proditum eſt: quæ uetuſtate ea eſt, ut ipſa ex ſeſe ſuos ciues genuiſſe dicatur. & eorum eadem terra parẽs altrix patria dicatur. auctoritate autem tanta eſt, ut iam fractum propè ac debilitatum Græcię nomen huius urbis laude nitatur. deinde numerat q́ propria Lacedęmoniorum ſunt. Adſunt (inquit) Lacedæmonij: cuius ciuitatis ſpectata ac nobilitata uirtus non ſolum natura corrobotata, uerum etiam diſciplina putatur: qui ſoli toto orbe terrarum ſeptingentos iam annos amplius unis moribus, & nunquam mutatis legibus uiuunt.

TEXT. *Et quæ ſunt indicia rerum apud ſingulas gentes laudatarum; ut apud Lacedæmonios alere comam honeſtum eſt. eſt enim ingenuitatis ſignum: neque enim facile eſt ei, qui comam alit, aliquod ſeruile opus exequi.*

COMM. Signa atq; indicia nobilitatis, & rerum, quæ apud ſingulas gentes laudantur, honeſta ſunt. q́d exemplo Lacedæmoniorũ declaratur, apud quos honeſtum erat, comam alere. quoniam id hominis ingenui eſſe putabatur. neque enim qui comam alunt, opera ſeruilia poſſunt exequi. unde contra illos, qui aliquid ſupra conditionem ſuam tentare audetẽt, illud dicebatur, quod eſt apud Ariſtophanem in Auibus, δοῦλος ὢν κόμην ἔχει. cum ſeruus ſis, comã habes. hoc enim inſtitutum Lycurgi fuit, ut ciues ſui comam alerent. nam pulchros (aiebat Lycurgus) coma ſpecioſiores reddit, deformes autẽ horribiliores. apud Romanos (ut Plutarchus auctor eſt) nobiles & ingenui lunulas in calceis geſtare conſueuerant, unde lunata pellis apud Martialem, & apud Iuuenalem de homine ingenuo;

Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.

Sic apud eoſdem Romanos purpura Senatorũ erat propria, annuli aurei equeſtris ordinis, & ſicut purpura Senatores ab equitibus diſtinguebat, ita equites annuli aurei diſtinguebãt à plebe. pueri uero & puellæ nobiles bullam & togam prętextam geſtabant. quod oſtendit etiam Cicero tertia actione in Verrem; eripies igitur pupillæ togam prætextam? detrahes ornamenta non ſolum fortunæ, ſed etiam ingenuitatis?

Honeſtum eſt etiam nullam artem exercere mercenariam: nam liberi hominis proprium eſt, non ad alterius arbitrium uiuere. TEXT.

COMM. Artes omnes mercenariæ uiles ſunt, neque ullum honorem adferre poſſunt. itaque honorificũ eſt nullam eiuſmodi artem exercere. cum pręſertim quodammodo ſeruiant & ad alterius arbitriũ uiuant omnes opifices, quod nequaquã eſt hominis liberi. tradunt Iſocratem cum diſcipulos docere cępiſſet, & eos mercedem ſibi numerantes aſpẽxiſſet, non potuiſſe lachrimas continere, dicentẽ; nunc intelligo meã libertatem his eſſe mancipatã. ſed iniuria conqueſtus eſt Iſocrates, non enim ars docendi ſeruilis eſt, etiam ſi mercedẽ accipiat, alioquin omnes publici profeſſores, omnes iuriſconſulti, omnes medici ſerui eſſent, quia mercedem accipiũt. uerum Cicero primo de Officiis optimè diſtinguit qui mercenarij uocari debeant, cũ ita inquit; illiberales autem & ſordidi quęſtus mercenariorum omnium, quorum operę, non quorũ artes emũtur. eſt enim in illis ipſa merces auctoramentum ſeruitutis. huiuſmodi homines multis in locis appellat opifices & tabernarios. quod autem ars docendi ſit honeſta, uerbis illis oſtendit Cicero; quibus autem artibus aut prudentia maior ineſt, aut non mediocris utilitas quęritur, ut medicina, architectura, ut doctrina rerum honeſtarũ; hę ſunt ijs, quorũ ordini conueniunt, honeſtę.

Aſſumenda præterea ſunt ea, quæ uicina ſunt & proxima rebus ipſis, uel ad laudem, uel ad uituperationem; ut, ſi cautum & ſibi fidentem hominem, timidum & inſidioſum uocemus; ſi fatuum bonum; ſi lentum manſuetum. TEXT.

COMM. Hoc loco docet Ariſtoteles quomodo & uirtutes uituperare, & uitia laudare poſſimus. nempe ſi aſſumamus ea, quę ſunt ipſis rebus uicina & proxima

xima cum laudamus aut uituperamus. ſunt enim quędam uitia uirtutibus finitima, & quaſi ſimilia. ut uir cautus, uidetur eſſe timidus, uir ſibi fidens uidetur inſidioſus, uir fatuus uidetur bonus, qui lętus eſt uidetur manſuetus. ergo ſi uituperamus eum, qui cautus eſt, timidum appellabimus, qui ſibi fidens eſt, uocabimus inſidioſum. ſi uero laudamus eum, qui fatuus & ſtolidus eſt, bonum & ſimplicem eſſe dicemus. qui lentus eſt, manſuetū uocabimus. hæc eſt Ariſtoteles ſententia, quam uidit Quintilianus libro tertio, ubi de Ariſtotele uerba faciens ait; Idem præcepit illud quoq;, quia ſit quædam uirtutibus ac uitiis uicinitas, utendū proxima deriuatione uerborum, ut pro temerario fortem, pro prodigo liberalem, pro auaro parcum uocemus. quæ eadem contra ualent. auctor etiam ad Herennium libro tertio idē præcipit cum ait; Item ſiquo pacto poterimus; quam is qui contradicet, iuſtitiam uocarit, nos demōſtrabimus ignauiam eſſe & inertiam, ac prauam libertatem; quā prudentiam appellarit, ineptā & garrulam & odioſam ſcientiam eſſe dicemus; quam ille modeſtiam dicet eſſe, eam nos inertiam, & diſſolutam negligētiam dicemus. quam ille fortitudinem nominarit, eam nos gladiatoriam, & inconſideratam appellabimus temeritatem, ſic Horatius Satyra tertia primi libri Sermonum docet nos amicorum uitia laudare, hoc modo;

Parcius hic uiuit, frugi dicatur. ineptus
Et iactantior hic paulo eſt; concinnus amicis
Poſtulat ut uideatur. at eſt truculentior, atque
Plus æquo liber; ſimplex fortiſque habeatur.
Caldior eſt, acres inter numeretur. opinor.
Hæc res & iungit, iunctos & ſeruat amicos.

Ad hanc rationem Lucretius libro quarto de amore uerba faciens, oſtendit amatores amicarum ſuarum uitia uicinis uirtutibus occultare ſolere.

TEXT. *Et in quaq; re ſemper ex conſequentibus id, quod optimum uidetur, capiamus; ut ſi iracundum, & truculentum, ingenij ſimplicis hominem dicamus; & ſi contumacem, magnificum & grauem.*

COMM. Etiam ex conſequentibus & adiunctis uitia laudari poſſunt, & uirtutes uituperari, cuius rei duo ponit exempla. primum ſiquis eſt iracūdus & truculentus, dicetur homo ſimplicis ingenij. quia naturam illam iracundam conſequitur morum ſimplicitas, & quædam naturæ bonitas. ſicuti etiā Plato tradit in Theæteto, nempe probos & ingenioſos homines facile iraſci ſolere. quod etiam primo de legibus Cicero ſic affirmat; Solent enim (id qđ uirorum bonorum eſt) admodum iraſci. Alterum exemplum eſt, ſiquis eſt contumax, ut eum magnificum & grauem dicamus. contumax (ut Donatus ſenſit) dicitur is, qui contemnit potentiores & meliores, ergo eſt in uitio, qui uero contumacem laudare uoluerit grandem & magnificum appellabit, quæ uidentur quodammodo naturæ contumaciā conſequi. Nam Cicero liberam etiam contumaciā ait in Socrate fuiſſe, qui Iudices mortem ſibi minantes contempſerit. ſic enim primo Tuſcul. His & talibus adductus Socrates, nec patronum quæſiuit ad iudicium capitis; nec Iudicibus ſupplex fuit; adhibuitque liberam contumaciam à magnitudine animi ductam, non à ſuperbia. contumacia igitur (ut uult Cicero) interdum à ſuperbia, interdum ab animi magnitudine proficiſcitur.

TEXT. *Et, qui in eo: quod eſt nimium, peccant. ſi ita probemus, quaſi in mediocritate uirtutibusque conſiſtant; ut ſi temerarium fortem, prodigum liberalem appellemus. ſic enim imperitæ multitudini eſſe uidebitur.*

COMM. Virtus in medio conſiſtere ſolet, peccāt autem homines uel in eo quod eſt parum, uel in eo quod eſt nimium. cum igitur aliquē laudare uolumus, qui peccet in eo, quod eſt nimiū, dicere debemus eum media uirtute præditum eſſe, ut ſi temerarius fuerit, fortem appellabimus, ſi fuerit prodigus, liberalem eſſe dicemus. facile enim hoc modo decipitur imperita multitudo. quæ neſcit à uirtutibus uitia diſcernere. cum præſertim hæc uitia ſint eiuſmodi ut ad uirtutem facile reuocari poſſint. nam timidus homo nunquam fortis euadet, uerum audax & temerarius, ſi parum impetum illum animi cohibuerit, fortis fiet. eodem modo auarus nunquam fiet liberalis, ſed prodigus ſi cum ratione pecunias erogare cœperit, ſtatim erit liberalis. duo ſunt enim genera largorū (ut ſecundo de Officiis ait Cicero) quorum alteri prodigi alteri liberales. hunc autem Ariſtotelis locum uidetur in Partitionibus expreſſiſſe Cicero, ubi ſic ait; Et liberalitatem effuſio, & fortitudinem audacia imitatur.

TEXT. *Quin etiam ſubeſt ratio, cur in errorem plerique ducantur. nam, qui pericula non neceſſaria ſubit, multò magis uidetur id facturus; cum aliqua res honeſta poſtulabit: &, qui pecunias temere profundit, is etiā amicis facile ſubueniet; nam ab exuperantia quadam uirtutis prouenit, omnibus benefacere.*

COMM. Cauſam explicat, cur homines decipiantur, & eos exiſtiment eſſe fortes, qui temerarij ſint, eos liberales, qui ſint prodigi. nam temerarij uiri ſolēt adire pericula non neceſſaria, quare ſic argumentari licet, qui non neceſſaria pericula ſubit, multò facilius periculum adibit, cum honeſta res aliqua id poſtulabit. hoc autem uiri fortis propriū eſt. prodigi uero temere pecunias profundunt. ergo facile etiam amicis ſubuenient, putant enim omnes quādam uirtutis exuperantiam eſſe, omnibus benefacere. non erit igitur difficile perſuadere multitudini temerarium eſſe fortem, & prodigum liberalem.

TEXT. *Sed uidendum eſt, apud quos quempiam laudes: nam (ut aiebat Socrates) non difficile eſt, Athenienſes Athenis laudare.*

COMM. Plurimū ualet ad probandū id, quod uolumus, intelligere qui ſint mores audientiū, ſic enim poterimus ea laudare, quæ auribus eorum grata fore intelligemus. quēadmodū ſiquis Athenienſes Athenis laudet, id erit facillimum, quoniam fauēt

omnes

omnes laudibus ſuis, ſed ſi idem apud Lacedæmonios faciendum eſſet, multo difficilius haberetur. hoc autem ſumpſit Ariſtoteles ex Menexeno Platonis. vbi Socrates hoc ait. nam Athenis publicè laudabantur ij, qui pro patria mortem oppetiſſent. quibus in Orationibus quoniam populus Athenienſis laudabatur, omnes Athenienſes libẽter audiebant. hunc autem locũ tertio libro Quintilianus expreſſit, ſicuti notauit etiam Victorius, hoc modo; Intereſſe tamen Ariſtoteles putat, vbi quicquã laudetur, aut ultuperetur. nam plurimũ refert, qui ſint audientium mores. quæ publicè recepta perſuaſio, vt illa maximè quæ probant, eſſe in eo, qui laudabitur, credant: aut in eo, contra quem dicimus, ea, quæ oderunt. Cicero in Oratione contra Rullum de lege Agraria, apud Quirites Tiberium, & Caium Gracchos laudat, quia ſciebat plebi gratos fuiſſe, at hoc ĩ Senatu nõ feciſſet.

TEXT. *Oportet autẽ id, quod apud ſingulos in precio eſt, tale ſua ui eſſe dicere; ut apud Scythas, uel Lacones, uel philoſophos: & omnino quod in precio eſt, ad honeſtum referri debet; quoniam propinquum eſſe uidetur.*

COMM. Quoniam aures auditorũ moderantur Oratorẽ prouido vt ait Cicero, cum quid laudat Orator quod in precio ſit apud aliquos, debet id extollere, & id ſua vi ac natura tale eſſe dicere, non autem ex hominũ opinione. vt exẽpli gratia ſiquis apud Scythas bellicoſos populos bellũ laudaret, & pulchrũ eſſe diceret quã plurimos hoſtes interficere, certe eius Oratio vehementer probaretur. quoniã Scythæ humana cæde delectantur, & qui plurimos ex hoſtibus interfecit, is præſtãtiſſimus habetur, qui verò nullum hoſtem necauerit inglorius eſt. ſic apud Laconas ſiquis communitatem prædiorum, vel continentiam, uel breuiloquentiam celebraret, id ſecũdo populo faceret, quoniam eas res in honore ac p̃cio Lacones habent. ſic apud Epicureos patronus uoluptatis libenter audiretur, quoniam uoluptatem ſummum bonum eſſe iudicant, & eam cunctis animantibus eſſe naturalem. quicquid autem eſt in precio debet Orator ad honeſtatem trahere, atque illud tanquam honeſtum laudare. quoniam quandam habent inter ſe cognationem.

TEXT. *Et quæcunque illi conueniunt, qui laudatur, dicenda ſunt; ut ſi res dignas maioribus ſuis geſſit; & ſi hoc alijs rebus, ab eo præclare geſtis reſpondet; eſt enim beatum, & honeſtum honori parto honorem adiungere.*

COMM. Cum hominem aliquem laudamus, omnia diligenter inquirere debemus, quæ ad eum pertinent, ut ſi maiorum ſuorum nobilitati reſponderit, & ſi res alias præclarè geſſit, quibus id ſimile ſit, quod laudandum ſuſcepimus. nam honorem honori adiungere res eſt quædam beata ac præclara. neque enim tantum ea conſideranda ſunt, quæ ſunt in ipſo, quem laudamus, ſed etiam quæ ante ipſum. Ante hominem (ait Quintilianus) patria ac parentes maioreſque erunt. quorum duplex tractatus eſt: aut enim reſpondiſſe nobilitati, pulchrum erit: aut humilius genus illuſtraſſe factis. Iſocrates in Euagora vehementer primo extollit Euagoræ maiores, deinde oſtendit eum maioribus ſuis ſimillimum fuiſſe. Cicero multis in locis gloriatur à ſe ſuum genus illuſtratum fuiſſe, cum maiorum luce careret. oportet etiam eum, quem laudamus pluribus uirtutibus cumulatum oſtendere. quod Cicero pro lege Man. facit in Pompeio, cum enim eius uirtutem bellicam uehementer extuliſſet, ſic addit; Eſt hæc diuina atque incredibilis uirtus imperatoris. quid cæteræ quas paulò ante commemorare cœperam, quantæ, atque quam multæ ſunt? & quæ ſequuntur.

TEXT. *Aut ſi præter id, quod conueniebat, aliquid in meliorem honeſtioremque partem effecit; ut, ſi, cui res ſecundæ ſunt, is moderatus ſit; &, ſi, cui fortuna eſt aduerſa, is magno ſit animo; aut opibus & dignitate auctus, melior & placabilior euaſerit.*

COMM. Laudabile eſt aliquid honeſte præter ſpem atque expectationem efficere, & præter aliorum qui ſunt eiuſdem ordinis conſuetudinem. ut qui proſperam habent fortunam inſolentiores, & intemperantiores eſſe ſolent. ſiquis igitur, cum res ſecundæ ſunt, moderatus fuerit, iure laudari poterit. Ita qui fortunam habent aduerſam plerunque animo cadunt, qui uero magno fuerit animo in calamitatibus ac miſeriis maxima laude dignus erit. qui augentur opibus & dignitate deteriores ſæpe fieri ſolent & arrogantiores, ergo qui fit melior & placabilior, cum opibus & dignitate augetur, meritò laudatur. communiter enim omnes animum cum fortuna mutare ſolent ut in Hecyra Terentius ait; omnibus nobis ue res dant ſeſe, ita magni atque humiles ſumus. Cicero pro lege Man. Pompeium à modeſtia vehementer laudat illis uerbis; Iam uero ita faciles aditus ad eũ priuatorum ita liberæ querimoniæ de aliorum iniuriis eſſe dicuntur, ut is, qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis eſſe videatur, in rebus autem aduerſis magno eſſe animo magnopere laudari ſolet. ut Dion audita morte filij, iuſsit eum ad ſepulturam ferri. Anaxagoras nullum ſignum mœroris in filij morte dedit, ſed tantum dixit, ſciebam me genuiſſe mortalem. Socrates eodem vultu ad mortem abiiſſe dicitur, quo ad conuiuium ire conſueuerat. Horatius ad Delium ſcribens hanc æqualitatem uitæ commendat hoc modo;

Aequam memento rebus in arduis
Seruare mentem, non ſecus in bonis
Ab inſolenti temperatam
Lætitia moriture Deli.

TEXT. *Tale fuit illud Iphicratis dictum, E quibus initijs ad quas res? & uictoris Olympiorum; His humeris ante impoſita mihi corbe.*

—atque illud Simonidis;

Hæc habuit patrem, atque uirum, fratreſque tyrannos.

Hæc

COMM. Hęc tria exempla ſunt eorum, qui propter fortunam proſperam, & opum ac dignitatis amplificationem inſolentiores facti non ſunt. ut Iphicrates qui prius erat Sutoris filius, deinde ꝓpter excellentem virtutem & rei militaris ſcientiā Imperator Athenienſium factus, non occultabat genus ſuum, ſed ignobilitatem confeſſus dicebat; e quibus initiis ad quantam dignitatem perueni. & Olympionices quidam cuius nomen non ponit Ariſtoteles, cum antea baiulus fuiſſet, poſtea coronatus in Olympiis, nihil elatus fatebatur ſe mercenariū & baiulū fuiſſe. Simonides ēt laudat Archedicā Hippię regis Athenarū filiā, qđ cū eēt regis filia, & fratres ēt reges haberet, & maritū regem, non tamen ea de cauſa facta eſt inſolentior. Extat apud Auſonium Epigramma de Agathocle Siciliç rege, qui cum figuli filius fuiſſet, tamen ea de re gloriabatur. Sic enim ait Auſonius:

Fama eſt fictilibus cœnaſſe Agathoclea regem,
Atq; abacum Samio ſæpe oneraſſe luto.
Fercula gemmatis cum poneret aurea uaſis,
Et miſceret opes pauperiemq; ſimul.
Quęrenti cauſam, reſpondit. Rex ego qui ſum
Sicaniæ figulo ſum genitore ſatus.
Fortunam reuerenter habet, quicunq; repente
Diues ab exili progrediere domo.

TEXT. *Quoniam autem laus in actionibus conſiſtit, & boni uiri proprium eſt, in rebus gerendis delectum adhibere; danda eſt opera, ut oſtendamus, eū, quem laudamus, delectu adhibito res ſuas geſſiſſe: ad quod probandum utile erit oſtendere, ſæpius illum rectè feciſſe.*

COMM. Plurimum refert qua mente quoq; animo res gerantur. probi enim uiri ſtudioſè delectuq; adhibito res ſuas gerunt. itaque iure laudantur, quoniam laus in actionibus conſiſtit. quidam autem etiam ſi bene ſe gerant, tamen id caſu temereque faciunt, qui certe digni laude non ſunt. Quare cū aliquem laudamus, enitendum eſt, vt probemus eum, non caſu, ſed ratione & conſilio bene geſſiſſe. quod facile fieri poterit, ſi is, qui laudatur, non ſemel tātum aut iterum, ſed ſæpius bene res ſuas geſſiſſe oſtenditur. quod enim fortuitum eſt, raro fit, neque caſus & fortuna verſatur in iis rebus, quæ plerumq; fiunt. nunquam enim (ut ait Cicero) temeritas cum ſapientia commiſcetur, nec ad conſilium caſus admittitur. ita Cicero tertia in Catilinam oratione factum ſuum extollēs quòd coniurationem detexiſſet, ſe ratione, conſilio, uirtute, non caſu id feciſſe prædicat. atque in extrema eiuſdem orationis parte ſic ait; Deniq; ita me in Rep. tractabo, ut meminerim ſemper quæ geſſerim, curemq; ut ea, uirtute, non caſu geſta eſſe uideātur. ſic in oratione pro lege Man. Pompeij uirtutem extollit; qui ſæpius cum hoſte conflixit, quam quiſquam cum inimico concertauit, plura bella geſſit quam cęteri legerint, plures prouincias confecit, quam alii concupiuerint. ꝓbat igitur Pompeium non caſu & fortuna, ſed ratione & conſilio Remp. bene geſſiſſe, cum id ſæpius fecerit.

TEXT. *Itaque illa etiam quæ caſu fortuitoque contingunt, tanquam conſilio & ratione facta ſint, laudare debemus.*

COMM. Omnia conceduntur Oratori in demonſtratiuo genere uerſanti, quæ ſpeciem aliquam laudis habere uideantur. ita ſiquid caſu acciderit ei, quē laudat, ad conſilium & rationem Orator reuocare debet ac dicere non illud euenturum fuiſſe, niſi hic ſapienter ſe geſſiſſet, ut Socrates cum e bello cederet, per locum quendam deſertum tranſire noluit, atque alios etiam admonuit ne per eū tranſirent, qui cum non ei paruiſſent ſpoliati ſūt atque interfecti, quod ſanè caſu accidit. at ſiquis Socratem laudare, hoc eius ſapientiæ poſſet attribuere. ita ſiquis laudaret Simonidem, poſſet eius probitati tribuere quod Deorum uoluntate tunc exiuerit è conclaui illo, in quo cum Scopa Theſſalo & aliis multis epulabatur, cum id conclaue corruit, & conuiuas omnes oppreſsit.

TEXT. *Nam ſi multa & ſimilia prolata fuerint, ea uirtutis & conſilij ſignum eſſe uidebuntur.*

COMM. Non unum tantum aut alterum factum uirtutem oſtendere poteſt, ſed opus eſt, ut multa & ſimilia proferantur. ſic enim à conſilio & uirtute profecta uidebuntur. Huius rei pulcherrimum eſt exemplum pro lege Man. ubi ſic ait de Pompeio; quod deniq; genus belli eſſe poteſt, in quo illū non exercuerit fortuna Reip. ciuile, Africanum, Tranſalpinum, Hiſpanienſe, mixtum ex ciuitatibus atque ex bellicoſiſsimis nationibus, ſeruile, naualem, uaria & diuerſa genera & bellorū & hoſtium non ſolum geſta ab hoc uno, ſed etiā confecta, nullam rem eſſe declarant in uſu militari poſitam, quę huius uiri ſcientiam fugere poſſit. cū enim in omnibus eis bellis egregie ſe geſſerit Pompeius, id ſignum eſt raræ cuiuſdam & ſingularis uirtutis.

TEXT. *Ac laus quidem eſt oratio quæ virtutis magnitudinem explicat. quare res geſtas eius, quem laudamus, ita tractare oportet, quaſi à uirtute profectæ ſint, laudatio uero tota ab actionibus & operibus pendet.*

COMM. Eſt aliqua differentia inter laudem, & laudationem ſicut apud Græcos inter ἔπαινον & ἐγκώμιον. laus enim uirtuti debetur, laudatio uero operibus uirtutis. itaque laus ita definitur, ut ſit oratio quæ virtutis magnitudinem explicat, laudatio autem eſt oratio quæ præclaras actiones & opera commemorat. ſicut igitur uirtus ab actione differt, quia bonæ actiones naſcuntur à uirtute, ſic etiam laus differt à laudatione, quia uera laudatio naſcitur à laude. uerum ſæpe alterum pro altero ponitur. cum igitur aliquē laudamus, res eius geſtas à uirtute profectas oſtendere debemus. & laudationem noſtrā ad laudis originem referre. quod ita fiet, ſi ex habitu animi rationi conſentaneo, atque ex delectu res illas geſtas fuiſſe probemus. Vt Cicero de innocentia Pompeii; hic miramur hunc hominem tantum excellere cæteris, cuius

ius legiones ſic in Aſiam peruenerunt, ut nō modo manus tanti exercitus, ſed ne ueſtigium quidem cuiquam pacato nocuiſſe dicatur. iam uero quemadmodum milites hybernent, quotidie ſermones ac literæ perferuntur: non modo ut ſumptum faciat in militem nemini uis infertur, ſed ne cupienti quidem cuiquam permittitur. atque ut magis oſtendat hæc à uirtute proficiſci addit illam ſententiam: hyemis enim non auaritiæ perfugium maiores noſtri in ſociorum atque amicorum tectis eſſe uoluerunt. & paulò poſt, illam tā tam celeritatem, & tam incredibilem curſum Pōpeij à temperantia profectum oſtendit. nō enim inquit, illum eximia uis remigum, aut ars inaudita quædam gubernandi, aut uenti aliqui noui tam celeriter in ultimas terras pertulerunt; ſed hæ res quę cæteros remorari ſolent, non retardarunt; non auaritia ab inſtituto curſu ad prædam aliquam reuocauit. & quæ ſequuntur.

TEXT. *Quæ uerò extrinſecus aſſumuntur, ad fidem faciendam ualent; ut nobilitas, atque educatio: credibile eſt enim è bonis parentibus, bonos naſci filios; & eum qui benè fuerit educatus, bonum futurum.*

COMM. In laudando plurimum etiam ualent ea, quæ extrinſecus aſſumuntur, quoniam uim habent fidei faciendæ. Vt ſiquis illuſtri loco natus ſit, & bene educatus, nam hoc maximam probabilitatem habet, ut qui à parentibus & maioribus præclaris ortus ſit, etiam ipſe ſit pręclarus & inſignis, & qui honeſtè fuerit educatus, probis moribus ornatus ſit. Idem pręcipit etiam in Partitionibus Cicero, cum ait; Sed in toto quaſi contextu orationis hęc erunt illuſtranda maximè quemadmodum quiſque generatus, quemadmodum educatus, quemadmodum inſtitutus moratuſq; fuerit. pro Archia poeta laudat eum quod Antiochię natus ſit loco nobili, & celebri quondam urbe, & copioſa, atque eruditiſſimis hominibus, liberaliſſimiſq; ſtudiis affluenti. ſic pro lege Man. Pompeii ſcientiam militarem extollit. quod a pueritia ſit in bellis educatus. qui inquit, è ludo, atque pueritiæ diſciplina bello maximo, atque acerrimis hoſtibus, ad patris exercitum, atque in militiæ diſciplinam profectus eſt, qui extrema pueritia miles fuit ſummi imperatoris, ineunte adoleſcentia maximi ipſe exercitus imperator, ita Craſſus tertio de Oratore, uult Oratorem inſtitutum eſſe liberaliter educatione doctrinaque puerili. quod autem è bonis parentibus plerunq; boni filii naſcātur. declarat etiam Horatius quarto carminum de Druſo qui Rhetos & Vindelicos debellarat.

Senſere quid mens rite, quid indoles
Nutrita fauſtis ſub penetralibus
Poſſet, quid Auguſti paternus
In pueros animus Nerones.
Fortes creantur fortibus, & bonis
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilę columbam.

Deinde adiungit etiam educationem ualere plurimum.

Doctrina ſed uim promouet inſitam
Rectiq; cultus pectora roborant.

Quantum autem poſſit educatio declarauit Lacedæmoniis Lycurgus, ut ſcribit Plutarchus, exēplo duorum canum, qui ex eadem matre, uno partu nati fuerant. quorū alterum in uenatione exercuerat, alterum culinæ tradiderat. itaque cum in publico uiuum leporem, & ollam carnium propoſuiſſet, canis educatus in venatione leporem ſectatus eſt, alter ad ollam ſe conuertit.

TEXT. *Quare laudamus eos, qui iam præclarè aliquid geſſerunt. actiones enim & opera ſigna ſunt habitus animi. & certè illum etiam laudaremus, qui nihil adhuc laude dignum geſſit; ſi certum haberemus eum talem futurum.*

COMM. Probat laudationem quæ græco nomine dicitur encomium, non eſſe ipſius uirtutis, hoc eſt habitus animi, ſed eſſe actionum & operum. quoniā non eos laudamus in quibus eſt uirtus, niſi aliquod opus uirtutis appareat. cum uero aliquis ſe præclare geſſit, tunc eum laudamus. quoniam actiones & opera ſignificant in eo uirtutem eſſe. ut Cæſar non poſſet iure laudari, quod egregius eſſet imperator, niſi uera eſſent quæ pro Marcello Cicero de illo ſic ait; domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes. ita Phidias non habitus fuiſſet excellentiſſimus ſtatuarius, niſi Iouis Olympici ſimulachrum, & Mineruæ, & alia eiuſdem præclara opera uiſa fuiſſent. nam ueriſſimum eſt, quod ait Horatius:

Paulum ſepultæ diſtat inertiæ
Cælata uirtus.

Pendet igitur ab operibus tanquam à ſignis omnis laudatio, ſed tamen originem & principium habet à uirtute, ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile. nam is etiam uerè laudari poſſet, qui nihil adhuc laude dignum geſſit, modo certum eſſet illum, eo habitu animi eſſe, ut ſi occaſio daretur rectè ſtrenueq; facturus eſſet. Cicero pro Cęlio laudat eum à ſpe futuræ uirtutis, cum ita inquit; non loquor de ſapientia quæ non cadit in hanc ætatē, de impetu animi loquor, de cupiditate uincendi de ardore mentis ad gloriam: quæ ſtudia in his iam ætatibus noſtris contractiora eſſe debent, in adoleſcentia uero, tanquam in herbis, ſignificant quæ uirtutis maturitas, & quantæ fruges induſtriæ ſint futuræ. ſic Virgilius in Sexto, Marcellum Octauię filium, qui adoleſcentulus mortuus eſt, laudat quod egregius bellator eſſet futurus, ſi uixiſſet;

Heu pietas, heu priſca fides, inuictaq; bello
Dextera, non illi quiſquam ſe impune tuliſſet
Obuius armato: ſeu cum pedes iret in hoſtem,
Seu ſpumantis equi foderet calcaribus armos.

TEXT. *At uero beati, & felicis appellatio eadem eſt, differt tamen à laude, atque encomio. nam quemadmodum fęlicitas uirtutem continet, ita felicis appellatio*

latio laudem, & encomium complectitur.

COMM. Apud Ariſtotelẽ duo ſunt nomina, μακαρισμὸς, & εὐδαιμονισμὸς, quæ idem ait penitus ſignificare. ea latinè ſingula vno verba exprimi non poſſunt. ſed μακαρισμὸς, beati appellatio dici poteſt. εὐδαιμονισμὸς verò felicis appellatio. nulla eſt igitur apud græcos inter ea verba differentia. ſed apud nos beatus & felix aliquo modo differunt, quoniam beatus magis ad virtutem refertur, interdum etiã ad fortunam, felix vero ſæpius ad fortunam vt Cicero pro Fonteio, ad conſilia prudẽtem, ad caſum fortunamque felicẽ. ita etiam felicitas magis ad fortunam quam ad uirtutem refertur. vt auctor ad Herennium libro quarto; illi fortuna felicitatem dedit, huic induſtria virtutem comparauit. Cicero pro Sylla; caſu magis & felicitate, quã virtute & conſilio geſtum. beatitudo vero non poteſt eſſe niſi cum virtute coniuncta, ſi proprie loqui voluerimus, ſed ſæpe pro eodem ponitur felicitas & beatitudo. non eſt autẽ idem felicem aut beatum aliquem appellare, & eundẽ laudare. quia ſicuti beatitudo ſiue felicitas complectitur virtutem, ita felicis appellatio complectitur laudẽ, & encomium. plura igitur cõprehendit felicis appellatio, quam laus & encomium. quoniam Dei non propriè laudantur, cum tamen eorum natura ſit undique beatisſima ac felicisſima, ſicuti primo Ethicorum docet idem Ariſtoteles.

TEXT. *Habent autem quandam communem ſpeciem demonſtratiuum genus, & deliberatiuum. nam quæ utiliter in ſuadendo conſilia dantur, ea, commutato dicẽdi genere, in laudationes tranſeunt.*

COMM. Demonſtratiuum & deliberatiuum genus in hac re conueniunt, quod ex præceptis quæ dantur in ſuadẽdo, laudationes fieri poſſunt, commutato tantum dicendi genere. ſumamus enim exẽpli gratia locum ex Oratione Ciceronis pro P. Seſtio, quo ſuadet ciuibus & adoleſcentibus Romanis res honeſtisſimas hoc modo; amemus patriã, pareamus Senatui, conſulamus bonis. præſentes fructus negligamus, poſteritati & gloriæ ſeruiamus. id eſſe optimum putemus, quod erit rectisſimum; ſperemus, quæ volumus, ſed quod acciderit feramus. cogitemus denique, corpus uirorum fortium, magnorumque hominũ eſſe mortale, animi vero motus & virtutis gloriam ſempiternam. hæc ad deliberatiuum genus pertinent. at ſiquis in demonſtratiuo genere voluerit iiſdem rebus vti, dum aliquem laudat, opus eſt ut dicendi tantum genus mutet, hoc modo; Socrates amabat patriam, parebat Senatui, conſulebat bonis. præſentes fructus negligebat, poſteritati & gloriæ ſeruiebat. id eſſe optimũ putabat, quod eſſet rectisſimũ, bene quidem ſperabat, ſed quicquid accidiſſet, moderatè ferebat. cogitabat deniq; corpus uirorũ fortium, magnorumque hominum eſſe mortale, animi uero motus, & uirtutis gloriam ſempiternam. res igitur ipſę cõmunes ſunt, & deliberatiuo, & demonſtratiuo generi, ſed figura dicendi uarianda eſt, quoniam in deliberatiuo conſilia dantur, in demonſtratiuo, quæ rectè præcipi ſolent, ſi laudamus, diligenter obſeruata eſſe docemus. ut, nunquã ſunt intermittenda ſtudia doctrinæ, etiã ſi magnis occupationibus urgeamur. hoc præceptũ eſt. at Cic. ita Brutũ laudat; in maximis occupationib. nũquã intermittis ſtudia doctrinę.

TEXT. *Cum igitur ea ſint explicata, quæ uirum probum agere oportet; ſi noluerimus eadem ad præceptiones, ſuaſioneſque traducere; dicendi tantum genus mutare, & conuertere opus erit; ut, ſiquis dicat; Nõ oportet quemquam efferri animo propter ea, quæ dantur à fortuna; ſed propter ea, quæ in ipſo poſita ſunt. hoc præceptũ erit, ſed illo modo laus; Animo ſeſe efferebat, non ob ea, quæ data ſibi fuerunt à fortuna, ſed, quæ in ſe ipſo poſita habebat.*

COMM. Qui benè cognouerit ea, quibus homo iure laudatur. quæ quidẽ ſuperius ab Ariſtotele diligẽter explicata ſunt, facile poterit eadem ad ſuadendi & præcipiendi rationem traducere, uariato tantum (ut diximus) & commutato dicendi genere. quod oſtendit Ariſtoteles exemplo ſumpto ab oratione luculenta Iſocratis, qua Euagorã Cypri regẽ laudauit. & inter cæteras eius laudes, illam ẽt cõmemorauit, quòd Euagoras licet fortunã haberet maximè proſperã & ſecundã, non tamen ob eam rem gloriabatur, neque animũ efferebat, ſed tantũ ijs rebus fidebat, in eis gloriabatur, quas in ſeipſo poſitas habebat. hæc igitur ſententia poterit eſſe præceptum ſi hoc modo proferatur; Non oportet quemquam efferri animo propter ea, quæ dantur à fortuna, ſed propter ea, quæ in ipſo poſita ſunt. poterit ẽt eſſe laus ſi ita cõmutetur; Animo ſeſe efferebat, non ob ea, quæ data ſibi fuerant à fortuna, ſed quæ in ſeipſo poſita habebat. à fortuna dantur pecuniæ, diuitiæ, nobilitas, potentia, ſæpẽ etiã dignitates & honores. in quibus non eſt uera laus. unde bene Vlyſſes apud Ouidium libro Metamorphoſis tertio decimo:

Nam genus & proauos, & quæ non fecimus ipſi
Vix ea noſtra uoco.

in ipſo hoĩe eſt animi conſtantia, prudentia, uirtuteſq; oẽs, in quibus eſt uera laus, unde ſapiens homo dicitur totus à ſe ipſo pẽdere, ſibique animi tranquillitatem & æquitatem parare. de qua re ſic Horatius ad Lollium:

Sed ſatis eſt orare Iouem, qui donat, & aufert.
Det uitã, det opes, æquum mi animũ ipſe parabo.

Cic. tertio de Natura deorum ſic ait; iudicium hoc omnium mortalium eſt, fortunam à Deo petendam à ſe ipſo ſumendam eſſe ſapientiam.

TEXT. *Quare cum aliquem laudare uolueris; conſidera, quæ illi præcepta dares: cum autem præcipere uolueris, quid eſſet in eo laudandum.*

COMM. Ratio hæc facilis eſt & pulchra, ut cũ uolumus aliquem laudare, cogitemus, quę illi præcepta daremus. ut iuriſconſulto daremus hoc præceptum, ut legũ interpretationẽ ſemper ad iuſtitiã & æquitatẽ referret. Ergo Cic. Philippica nona Ser. Sulpitiũ iuriſconſultũ ita laudat; neq;. n. ille magis iuriſcõſultus quã iuſtitiæ fuit. itaq; quę proficiſcebanẽ à legibus, & à iure ciuili ſẽper ad facilitatẽ æqui-

tatemq́ue referebat. quod ſi voluerimus præcepta dare, cogitemus quid eſſet in eo laudandum. vt in adoleſcente labor & diligentia laudatur. itaq; Cicero prn P. Seſtio, præcipit adoleſcentibus ut laborem & diligentiam amplectantur, quo poſsint dignitates & honores aſſequi. Hæc imitamini per Deos immortales, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quæritis. & quæ ſequuntur.

TEXT. *Dicendi uero genus neceſſariò contrarium eſt; cũ id, quod immutatur, ex prohibente in non prohibens tranſierit.*

COMM. Quòmodo dicendi genns contrarium ſit in exemplo quod ipſe ſuperius poſuit, nunc oſtendit. nam cum eſt pręceptum, prohibet, hoc modo; Non oportet quemquam efferri animo, propter ea, quæ dantur à fortuna. cum autem in laudationem tranſit, non amplius prohibet, ſed, quid actũ ſit, indicat, hoc modo; Animn ſeſe efferebat, & reliqua.

TEXT. *Vtendum eſt etiam multis argumentis quæ amplificandi uim habeant: ut ſi ſolus, aut primus, aut cum paucis ſocijs feciſſe dicatur; aut ipſius potiſsimum in eo uirtus enituit. hæc enim omnia ſunt honeſta.*

COMM. Hoc demonſtratiuum genus amplificatione potisſimum conſtat, & in eo licet ingenium & artem oſtentare. quare ſunt ea diligenter exquirenda quę vim habeant amplificandi. quorum e genere quatuor hoc loco ponit Ariſtoteles. primum eſt, ſi ſolus is, quẽ laudamus, aliquid fecit. vt Horatius Cocles ſolus contra exercitum Porſenæ regis Hetruſcorum in ponte conſtitit. Mutius Scæuola ſolus Porſenæ caſtra ingreſſus, eum obtruncare voluit. aut ſolus aliquem honorem acquiſiuit, vt Gorgias Leontinus ſolus auream ſtatuam in templo Delphico habuit. Cicero ſolus in toga ſupplicationem meruit. hoc enim plenum eſt laudis & dignitatis id efficere aut aſſequi quod nullus alius poteſt. ſic enim pro lege Man. de Pompeio; cum ſit unus Cn. Pompeius, qui non modo eorum hominum, qui nunc ſunt, gloriam, ſed etiam antiquitatis memoriam uirtute ſuperauit. ita dicimus etiam ſingularem uirtutem, quæ tam eximia ſit, vt ſola eſſe videatur. Alterum eſt, ſi primus aliquid effecit. vnde primi rerum inuẽtores magnas laudes conſecuti ſunt, & plurimi in Deos relati. vt Bacchus qui primus uinum reperit, Cæres quæ frumentum, Minerua quæ artes. Ariſtoteles in Elenchis, & in ſecundo primæ Philoſophiæ docet primos inuẽtores maximis eſſe laudibus dignos. ita celebratur Cadmus qui primus literas græcis tradiderit, Nicoſtrata mater Euandri quæ latinas literas inuenit, Empedocles qui Rhetoricæ initiũ dederit, Zeno Eleates qui Dialecticam inuenerit, Thales Mileſius qui primus aliquid de Philoſophia naturali diſputauerit. & ne plura perſequar Cicero in cœlo eſt, quòd primus pater patrię fuerit appellatus. Tertium eſt, ſi cum paucis ſociis aliquid egregiè feciſſe dicatur; ut Leonidas Rex Spartanorum magnopere commendatur. quod innumerabili penè exercitui Perſarum, cum paucis delectis uiris ad Thermopylas reſiſtere auſus fuerit, atque ibi pro patria ſtrenuè dimicans occũbere voluerit. ſed huius generis plurima ſunt in Romanis hiſtoriis exempla. nam ſæpe Romani Duces paruis copiis ingentes exercitus fugarũt, vt Lucullus cum decem millibus militum aggreſſus eſt exercitum Mithridatis & Tigranis, in quo ducenta millia militum eſſe dicebantur. & fuſis hoſtibus maximam ex eo bello victoriam reportauit. Quartum eſt ſi eius, quẽ laudamus, virtus in aliqua re præclare geſta potisſimum enituit. ut in bello quo Thebani Lacedæmonios ſuperarunt. Epaminondæ virtus plurimum enituit, licet in eo bello fuerit interfectus, de quo ita Cic. libro Epiſtolarum quintn; quem enim noſtrum ille moriens apud Mantinçam Epaminondas non cum quadam miſeratione delectat? qui tum denique ſibi auelli iubet ſpiculam, poſtea quam ei percunctanti dictum eſt, Clypeum eſſe ſaluum. ut etiam in vulneris dolore, æquo animo cum laude moreretur.

A temporibus etiam & occaſionibus amplificare licet: ut, ſiqua præter expectationẽ facta fuerint; & ſi ſæpius eadem in re ſe rectè, feliciterq́ue geſſerit. hoc enim magnum uidetur, & non à fortuna, ſed ab eius conſilio factum. TEXT.

Docet quomodo amplificare poſsimus à temporibus & occaſionibus, ut ſi, quem laudamus, quod præter expectationem opportunè ſubuenerit, hoc eſt quo tempore maximè auxilio indigebamus, & ſi non ſemel tantum ſed ſæpius benè geſſit, quoniam hoc modo non caſu bene feciſſe, ſed ratione & cõſilio uidebitur. ſic Aenæas apud Virgilium Didonem laudat, quod ſola Troianis opitulata fuerit, quo tempore maximè indigebãt; COMM.

O ſola infandos Troiæ miſerata labores
Quæ nos relliquias Danaum, terræq́ue, mariſq́ue
Omnibus exhauſtos iam caſibus, omniũ egenos
Vrbe, dnmo ſocias.

Cicero Philippica tertia C. Cæſaris, qui deinde uocatus eſt auguſtus, uirtutem extollit, quod maximè opportuno tẽpore Reip. ſubuenerit. C. Cæſar adoleſcens, penè potius puer, incredibili, ac diuina quadam mente, atque uirtute, tum, cũ maximè furor arderet Antonij, cumq́ue eius à Brunduſio crudelis & peſtifer reditus timeretur, nec poſtulantibus nec cogitantibus, nec opinantibus quidem nobis (quia fieri poſſe non uidebatur) firmisſimum exercitum inuicto genere ueteranorũ militũ cõparauit. & quæ ſequũtur. pro lege Man. Pompeij uirtutẽ amplificat, quòd præter omniũ expectationẽ breui tempore bellũ contra prædones confecerit; Prò Dij immortales, tãta ne unius hominis incredibilis ac diuina uirtus tã breui tpe lucem adferre Reip. potuit, ut uos qui modo ante oſtiũ Tyberinũ Claſſem hoſtiũ videbatis, ij nunc nullã intra Oceani oſtiũ prædonũ nauẽ eſſe audiatis? in eadẽ oratione res à Põpeio geſtas vehementer ea rõne amplificat, qđ eius ſẽper uolũtatibus nõ mõ ciues aſsẽſerint, ſocij obtẽperarint, hoſtes

obedie-

obedierint, ſed etiam uenti tempeſtateſque obſecundarint.

TEXT. *Et ſi ea, quæ homines excitant, & honorem adferunt, propter eum, quem laudamus, inuenta fuerint, & præparata; & in quem prima fuit edita laudatio, ut in Hyppolochum; ſicuti Harmodio & Ariſtogitoni primis in foro ſtatuæ collocatæ ſunt: eodem modo res ſeſe habet in contrarijs.*

COMM. Plurimum ad amplificandum ualet ſi potuerimus oſtendere, aliquid eorum, quæ excitant homines, & quæ honorem adferunt, inuentum eſſe, propter eum, quem laudamus, ut ipſe nouo honore decoraretur. ut propter ueturiam Coriolani matrem, quæ filiũ ab obſidione Romanæ urbis amouerat, inuentum eſt, ut fœminis ſemita viri cederent, 5.cap.2. ſicut ait Val. Max. & eiſdẽ fœminis permiſſum purpurea veſte, & aureis uti ſegmentis. Fabio maximo ſummæ gloriæ datur, quod ei mortuo populus R. certatim æs contulit, quo maior ac ſpecioſior eius funeris pompa duceretur. Ariſtoteles ponit duo exempla, primũ Hyppolochi, qui primus publicè laudatus fuit, quæ res ſanè maximum illi honorem attulit. quis autem fuerit hic Hyppolochus, & cur in eum prima fuerit edita laudatio, non ſatis conſtat, verum neceſſe eſt eum, aliquid egregiè præſtitiſſe, propter quẽ excogitata fuerit publica laudatio. Secundũm exemplum eſt Harmodii & Ariſtogitonis, quibus primis in foro ſtatuæ collocatæ ſunt, quod Athenas regio dominatu liberaſſent. cum antea tantũ Deis immortalibus is honor haberetur. Thucydides libro ſexto narrat hiſtoriam Harmodij, & Ariſtogitonis. Plinius libro trigeſimo quarto ſic ait; Athenienſes neſcio an primi omnium, Harmodio & Ariſtogitoni tyrannicidis publicè poſuerint ſtatuas. aiunt Antiphontem celebrem oratorem, cũ Syracuſis in conuiuio quæreretur, quodnam æs eſſet optimum, & alij aliud approbarent, dixiſſe, ſibi illud optimum videri, ex quo Harmodio, & Ariſtogitoni ſtatuæ conflatæ fuerant, quæ uox cũ ad aures Dionyſij tyranni perueniſſet, Antiphonti cauſam mortis attulit.

TEXT. *Quod ſi non poteris eum per ſe copioſè laudare; ex aliorum comparatione laudes eius amplificabis: quod Iſocrates faciebat, ex conſuetudine docendi, quæ ad iudiciale genus pertinerent.*

COMM. Recta ratio laudandi eſt ut aliquem per ſe laudemus, & eis bonis præditũ eſſe oſtendamus, quæ iam ſupra numerata ſunt. quod ſi nos ea facultas deficiat, ut aliquem per ſe laudare poſſimus, ſaltẽ ex aliorum comparatione laudes eius amplificemus. ex inferiorum enim collatione longe maiores eſſe videbantur. ſicut ait etiam Cicero pro lege Man. quæ breuiter, qualia ſunt in Cn. Pompeio conſideremus: ſumma enim ſunt omnia Quirites, ſed ea magis ex aliorum contentione, quam ipſa per ſeſe cognoſci atque intelligi poſſunt. hæc eſt ratio (inquit Ariſtoteles) qua uti ſolebat Iſocrates in laudationibus ſuis. non quod ea ſit optima, nam longè melius eſt, per ſe aliquem laudare, quam ex aliorum comparatione. ſed quia ſolebat Iſocrates, ſicut alii rhetores, ea docere quæ ad iudiciale genus pertinent. in quibus frequentes oportet eſſe contentiones, & comparationes. hoc autem dicit Ariſtoteles ut taxet Iſocratem, cui erat infenſus, & cuius gloriæ inuidebat, & ut oſtendat ſe melius intelligere, quæ ad artem Rhetoricam ſpectant, quã ipſum Iſocratem, qui nihil aliud profitebatur. aiũt enim hoc opus Rhetoricorum pulcherrimum non alia de cauſa ſcriptum ab Ariſtotele, niſi quia commotus Iſocratis fama videri uoluit etiam ipſe præclare Rhetoricam artẽ intelligere. quod autem ait hoc loco contra Iſocratem, in principio huius operis contra omnes Rhetores dixerat. nempe illos reliquiſſe deliberatiuum genus quod eſt omnium pulcherrimum & ſpecioſiſſimum, & inclinaſſe ad iudiciale, quod fraudis magis & fallaciæ capax eſt. & in quo valere ſolent ea, quæ extra cauſam dicuntur. quod autem in iudiciali genere contentiones ſint frequentiſsimè patet ex Demoſthenis & Ciceronis Orationibus, in quibus ferè nulla pagina eſt, quæ non contentionibus ſcateat. Iſocrates igitur in Oratione quæ Panathenaicus inſcribitur, debere nos uti comparationibus in laudando confirmat. ſicut enim purpuram & aurum quod ſit optimum, ex alterius purpuræ, & auri contentione cognoſcimus, ita etiam præclari viri, vel alicuius ciuitatis laudes magis eluceſcunt, ſi cum alterius laudati viri, & ciuitatis laudibus cõferantur. ita Cicero primo de Officiis laudans Solonis factum, quo Senatum Areopagitarum Athenis conſtituit, comparat illud cum Themiſtoclis victoria, quam de Perſis in Salamine reportauit. & Solonis factum ea victoria præſtabilius & utilius fuiſſe conatur oſtendere. Atque hæc ratio conferendi valet etiam in uituperando, qua utitur apud Virgilium Priamus Aeneidos ſecundo, cum Pyrrhum Achillis filium vituperat, quod Politem filium ſuum ante oculos ſuos interfeciſſet: ſic enim ait;

At non ille ſatum quo te mentiris Achilles,
Talis in hoſte fuit Priamo, ſed iura fidemque
Supplicis erubuit, meque in mea regna remiſit.

Ita Cic. M. Antonium vituperans illum modo cum Spartaco fugitiuorum duce, modo cum Catilina patriæ proditore comparat. nona Philippica Ser. Sulpitium omnibus iuriſconſultis anteponit.

TEXT. *Sed cum eis comparare opus eſt, qui cum laude uixerunt: ſic enim eius dignitatem amplificare poteris, ſi docueris, eum præſtantibus uiris anteponendum.*

COMM. Non quælibet comparatio laudem adfert, ſed quæ fit cum eis qui celebres fuerunt. ut ſiquis laudans Achillẽ compararet eum cũ Therſite, & diceret, fuiſſe præſtantiorẽ, & ſiquis Homerũ extollẽs Cherilo anteponeret, certè potius uituperare

quam laudare videretur. ſiquis igitur vult alicuius dignitatem amplificare, debet eum præſtantibus viris anteponere. ſic enim ait Cicero ſecundo de Oratore; Eſt etiam cum cæteris præſtantibus viris comparatio in laude præclara. vt Cicero poſt reditum ſuum ad Quirites, comparat reditum ſuũ in patriam cum reditu P. Popilij nobiliſſimi hominis, & cum teditu Q. Metelli Numidici, multoque præſtantiorem & clariorem fuiſſe oſtendit. Sic Catullus de Achille in Epithalamio;

Non illi quiſquam bello ſe conferet heros,
Cum phrygii teucro manabunt ſanguine riui.

In Oratione pro lege Man. ait Cicero Q. Catulum tuliſſe maximum fructum ſuæ virtutis ac dignitatis, quod à populo R. cum Cn. Pompeio cõparatus fuiſſet. ſic enim ait; qui cum ex vobis quæreret, ſi in uno Cn. Pompeio omnia poneretis, ſiquid de eo factum eſſet, in quo ſpem eſſetis habituri: cæpit magnum ſuæ uirtutis fructũ ac dignitatis, cum omnes propè vna voce, in eo ipſo uos ſpem habituros eſſe, dixiſtis, etenim talis eſt vir, vt nulla res tanta ſit, ac tã difficilis, quam ille non & conſilio regere, & integritate tueri, & uirtute conficere poſſit.

TEXT. *Cadit autem in exornationes potiſſimum amplificatio: nam in exuperantia eſt, quæ ipſa rerum honeſtarum una habetur. quare ſi cum præſtantibus uiris nõ potueris, cum alijs quibuslibet conferas: omnis enim exuperantia uirtutem quandam uidetur indicare.*

COMM. In exornatione primas partes obtinet amplificatio. quoniam laus quandam virtutis exuperantiam oſtendit, quę res omnino eſt honeſta. Quamobrem conãdum eſt, ſi facultas datur, eum, quem laudamus, cum prę̄ſtãtibus viris comparare. quod ſi hoc facere non potuerimus, cum aliis quibuslibet conferamus, nam quomodocunque excellat, videtur uirtutem in ſe quandam habere. ut apud Terentium in Andria Simo filium ſuum Pamphilum laudans. ita cum aliis adoleſcentibus comparat; Quod plerique omnes faciunt adoleſcentuli, Vt animum ad aliquod ſtudium adiungant, aut equos

Alere, aut canes ad venãdum, aut ad philoſophos,
Horum ille nihil egregie, præter cætera,
Studebat: & tamen omnia hæc mediocriter.
Gaudebam. neque enim poterat adoleſcentem cum præſtantibus viris comparare.

TEXT. *Omnino uerò ex uniuerſis dicendi formis, quæ tribus generibus communes ſunt, amplificatio demonſtratiuo generi maximè eſt accommodata. nam, qui laudant, res manifeſtas, & certas ſumunt: itaque reſtat eis tantum magnitudinem, & pulchritudinem adiungere.*

COMM. Hoc loco vtitur Ariſtoteles diſtributione, ut doceat, quæ cuique generi propria ſint. cum enim tria ſint, quibus vtimur in oratione confirmandi gratia, amplificatio, exemplum, argumentatio, cũ que tria ſint Rhetoricæ genera, demonſtratiuum, deliberatiuum, iudiciale, amplificatio generi demonſtratiuo eſt accommodata, exemplum deliberatiuo, argumentatio iudiciali. non quod exẽplis & argumentationibus, & amplificatione non vtamur in omni genere cauſarum. vtimur enim. ſed quod aliud alij magis accommodatum ſit. ut amplificatio ea de cauſa demõſtratiuo generi magis accommodata eſt, quia qui laudant, ſumũt res geſtas tanquam certas & manifeſtas. itaque probationibus & argumentis non indigent. ſupereſt igitur vt amplificando pulchritudinem ac dignitatem illis adiungãt. vt certum eſt à Pompeio bellum contra prædones feliciter geſtum, Cicero igitur pro lege Man. ſummis eloquentiæ viribus bellum illud amplificat, vt maiorem Pompeij virtutem oſtendat. quem locum hoc modo concludit; ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longè lateque diſperſum, quo bello omnes gẽtes ac nationes premebantur Cn. Pompeius extrema hyeme apparauit, ineunte vere ſuſcepit, media æſtate confecit. hoc fatetur etiam Quintilianus, nempe amplificationem exornationibus conuenire. & Cicero in Partitionibus, qui eandem cauſam adfert, quam Ariſtoteles hoc loco. ſic enim ait;

Non enim dubia firmantur, ſed ea, quæ certa aut pro certis poſita ſunt augentur.

Exempla uero deliberatiuo generi maximè conueniunt: nam ex præteritis futura conijcientes, quid ſit agendum, ſtatuimus. TEXT.

Probat exempla deliberatiuo generi maximè conuenire. quoniam de futuris deliberamus, exẽpla vero præterita ſunt. ſed ex præteritis coniecturam facere poſſumus de futuris. ex ſimilibus enim ſimilia prouenire ſolent. exemplo igitur eorum quæ iam facta ſunt, rectè ſtatuere poſſumus quid agendum ſit. ut ſiquis ſuadere velit alicui ne doleat in morte filij commemorabit, quemadmodũ Anaxagoras, Pericles, Xenophon, Dion, & apud Romanos Cato, Paulus Aemilius; multique alii filiorum mortes conſtantiſſime pertulerunt. Cicero pro lege Man. cum perſuadere Quiritibus velit vt contra Mithridatem bellũ ſuſcipiãt, multa maiorum exempla commemorat, vt eo in loco; Quare ſi propter ſocios nulla ipſi iniuria laceſſiti maiores cum Antiocho, cum Aetolis, cũ Pœnis bella geſſerunt: quanto uos ſtudio conuenit, iniuriis prouocatos ſociorum ſalutem vna cũ imperii veſtri dignitate defendere? libro quinto Epiſtolarum cum perſuadere Luccio vellet ut de coniuratione Catilinæ ſeparatim ſcriberet, ſic ait; ut multi græci fecerunt, Calliſthenes Troicum bellum, Timæus Pyrrhi, Polybius Numantinum, qui omnes à perpetuis ſuis hiſtoriis ea, quæ dixi bella ſeparauerunt, tu quoque item ciuilem coniurationẽ ab hoſtilibus, externiſque bellis ſeiungeres. COMM.

Argumentationes in iudiciali genere ſunt maximè neceſſariæ: quod enim factum eſſe dicitur, propterea, quod eſt incertũ, cauſam & probationẽ requirit. TEXT.

Quãuis etiã in deliberatiuo genere ſæpe argumẽtationibus utamur, tamen longè magis neceſ- COMM.

ſariæ

ſariæ ſunt in iudiciali. quoniam in eo ſemper eſt aliquid quod incertũ eſt,& de quo eſt controuerſia uel facti,uel nominis,uel iuris.quæ uero dubia ſunt & incerta,probanda ſunt argumentis.ut pro Roſcio Am.controuerſia eſt facti.quia negat Roſcius à ſe patrem interfectum ergo multis argumentis Roſcij cauſam confirmat Cicero. quin utitur recuſatione, & multa colligit argumenta, quibus probare contendit non à filio ſed ab aduerſariis interfectum fuiſſe Roſcium: pro Aulo Cæcina controuerſia eſt nominis, quia Cæcina ſibi uim illatam eſſe à Sex. Ebucio dicebat, contra Ebucius fatebatur quidem ſe Cæcinæ reſtitiſſe, ſed uim intuliſſe negabat. Cicero probat argumẽtis eam eſſe uim appellandam.pro Milone eſt controuerſia iuris.quia fatebatur Milo cędem à ſe factam,ſed iure cæſum Clodium cõtendebat. quod Cicero tota illa diuina oratione uariis argumentationibus confirmat. Licet igitur in iudiciali genere & exempla, & amplificationes adhibeantur, tamen tota ferè iudicij uis ab argumentis pendet.

TEXT. *Hæc ferè ſunt ex quibus laudationes omnes, & uituperationes ducuntur;et, quæ reſpicere eos oportet, qui laudant, et uituperant; et unde encomia, opprobriaque conflantur.his enim cognitis,quæ contraria ſunt,facile cognoſcuntur.nam ex contrariis uituperatio conſtat.*

COMM. Oſtendit ſe fontes aperuiſſe,unde posſint hauriri omnia quæ ad laudandum & uituperandum pertinẽt.ad quos ſi reſpexerint ij, qui laudare aut uituperare uolunt,facile posſint, & encomia, & opprobria conficere. licet enim non ea ſigillatim tradita ſint,quæ ad uituperandum ſpectant, tamẽ ex horum cogoitione poterunt etiam contraria cognoſci.uituperatio uerò fit ex contrariis. ut ſi ſit ignobilis,ſi male educatus, ſi iniuſtus, ſi auarus,ſi luxuria diffluens,ſi imperitus,ſi crudelis.& de reliquis eodem modo. quæ copioſisſimè Cicero perſequitur omnia contra M. Antonium Philippica ſecunda. & contra Piſonem in oratione quam in eum habuit.

TEXT. *Reliquum eſt igitur ut de accuſatione & defenſione uerba faciamus;&,ex quot numero, qualibuſque rationes colligere oporteat.*

COMM. Iam ea ſunt explicata,quę ad deliberatiuum,& demonſtratiuum genus pertinent.ordo igitur poſtulat ut etiam de iudiciali uerba fiant.in quo eſt accuſatio & defenſio,uel petitio,& recuſatio.quærendum eſt igitur ex quot numero, qualibuſque colligere argumenta opus ſit.

TEXT. *Tria uero ſunt,quæ in hoc genere ſumere oportet; primo quænam ſint, & quot, quæ ut conſequantur, homines iniuriam faciunt; deinde, quomodo affecti, quempiam iniuſtè lædant;tum quos,qualeſque offendãt:quæ ſingula deinceps declarabimus; ſi prius quid ſit iniuriam facere definiuerimus.*

COMM. Hęc eſt partitio eorum quę in iudiciali genere conſiderantur,quę proponit ut ea deinceps ſigillatim diligenter tractet.ſunt igitur tria quę uidẽda ſint accuſatori,& defenſori. primum eſt, quę res illę ſunt, propter quas homines mouentur ad iniuriam faciendam. Alterum quomodo ſint illi homines affecti,qui aliquem iniuſtè lædant. Tertiom, quos homines potisſimum inuadant. hęc ſingula pertractare conſtituit Ariſtoteles.ſed primò declarat,quid ſit iniuriam facere. quoniam ſępe controuerſia eſt, utrum aliquis iniuriam fecerit nec ne. quę ex hac definitione facile ſolui poterit.

TEXT. *Eſt igitur iniuriam facere, ſponte contra leges alicui nocere.*

COMM. Tria requiruntur,ut aliquis iniuriam facere dicatur,primò ut alicui noceat.qui enim nemini nocet,is non poteſt dici iniuriam facere cum iniuria ſemper uel famam, uel res alterius lędat. deinde ut id ſponte faciat.nam qui inuitus offendit,non dicitur iniuriam facere. ut qui cupiebat aprum interficere,& filiũ Crœſi regis interemit. ille enim caſus eſt & fortuna, potius quam iniuria. ſicuti Cicero pro Ligario probat Ligarium in Africa non ſua ſponte, ſed inuitum ac coactum remanſiſſe. quare dici non poteſt iniuriam Cęſari feciſſe. poſtremo contra leges etiam faciat oportet qui iniuriam facit,neque ſatis eſt lędere, atque id ſpõte facere.nam magiſtratus, & prçfecti rerum capitalium homines improbos ac nocentes lędunt atque puniunt,& id ſponte faciunt.neque tamẽ dicuntur iniuriam facere.qui autem lędit ſponte,& contra leges,is omnino facit iniuriã.ut Sex. Ebucius hominibus armatis Cęcinę, in agrum ſuum uenienti factus obuiam uim intulit. poteſt igitur Cęcina contra Sex.Ebucium iniuriarum agere.

TEXT. *Leges uero ſunt uel propriæ,uel communes: propriam legem eam uoco, quæ ſcripta eſt, & qua utimur in Rep.communem uero, quæ, licet ſcripta non ſit, tamen ab omnibus probari, confirmarique uidetur.*

COMM. Quia dixerat iniuriam facere eſſe contra leges, nunc leges ipſas definit, nequis forte exiſtimaret leges tantum eas dici quę ſcriptę ſunt, ut multi putant.leges igitur ita diuiduntur, ut aliquę ſint proprię,aliquę communes. leges proprię dicuntur illę quæ ſcriptę ſunt, & quibus omnes ferè ſuis in ciuitatibus utuntur,licet aliis alij. quibus continentur inſtituta cuiuſque ciuitatis, & quę leges municipales uocantur. leges uerò communes appellantur, quę quamuis non ſint ſcriptæ, tamen ab hominibus approbãtur,& in ueteri more,atque conſuetudioe uerſantur. uetus enim conſuetudo legis habet uigorem. Cicero ſic legem definit. lex eſt ratio ſumma inſita in natura, quę iubet ea quæ facienda ſunt, prohibetque contraria.quę ſunt igitur facienda ſiue ſcripta fuerint, ſiue non ſcripta legis nomine comprehenduntur. quare Iuſtinianus etiam in ſuis Inſtitutionibus ita inquit:conſtat autem ius noſtrum,quo utimur,aut ſcripto, aut ſine ſcripto:ut apud Gręcos τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ δ᾽ ἄγραφοι. Lex uero quæ ſcripta non eſt, uocatur ius naturale. quod ip-

ſa natura dictare cuique uidetur. niſi fortaſſe fuerit ab aliquo inſtituta, ut leges Lycurgi quæ non ſcribebantur à Lacedæmoniis, ſed tantum memoriæ mandabantur. & eas iuuenes à ſenioribus diſcebant, & quaſi per manus accipiebant. quæ conſuetudo fuit etiam Druidarum in Gallia. nam hæ dicuntur leges propriæ, quibus aliqui ſpeciatim utuntur, etiam ſi ſcriptæ non fuerint.

TEXT. *Sua ſponte dicuntur facere, qui ſcientes faciunt, & à nemine coacti. non tamen quæcunque ſponte faciunt, etiam conſulto, & delectu adhibito faciũt: ſed, quæcunque faciunt conſulto, & adhibito delectu, ea ſcientes omnia faciunt; neque enim quiſquam, quod ignorat, id eligit.*

COMM. Declarat quid ſit ſponte aliquid facere. quoniã dixerat, in inferenda iniuria requiri ut quis ſponte faciat. qui igitur facit aliquid ſciens, & à nemine coactus, is ſponte ſua facere dicitur. quod Cicero pro Ligario ſic oſtendit; Suſcepto bello Cæſar, geſto etiam ex magna parte, nulla ui coactus, iudicio meo ac uoluntate ad ea arma profectus ſum, q̃ erant ſũpta cõtra te. docet igitur Cicero ſe ſua ſponte bellum contra Cæſarem gesſiſſe, Ligarium autem inuitum, qui neceſſitate coactus in Africa reſtiterat. duo ſunt igitur in eo qui ſponte facit, primum ut ſciens faciat, deinde ut à nemine coactus, quiam qui uel per imprudentiam aliquid facit, uel neceſſitate coactus, is inuitus facere dicitur. de qua re copioſè Ariſtoteles Ethicorũ libro tertio. differunt autem ſponte facere, & adhibito delectu facere. nam ſponte facere communius ac generalius eſt. ſiquidem etiam pueri, & expertes rationis animantes plurima ſponte faciunt. non tamen adhibito delectu. hoc autem qđ delectu fit, etiam ſponte fieri neceſſe eſt, quoniã fit à ſcientibus & intelligentibus. neq; enim quiſquam id eligit, quod penitus ignorat. quod igitur fit a ſcientibus, & non coactis, uel pueris, uel belluis. uel ex tempore uel quocunque modo ab aliquibus, dicitur ſponte fieri. quod autem fit ab hominibus iam prouectæ ætatis cum conſilio & matura deliberatione, id adhibito delectu fieri dicitur. delectus enim & iudicium tempore, & matura ætate indiget.

TEXT. *Quæ uero impellunt homines, ut contra leges aliquem offendere uelint, & iniuſta facere non dubitẽt, duo ſunt; uitioſitas, & incontinentia.*

COMM. Iam docuit quid ſit facere contra leges, & ſua ſponte. nunc addit tertium, nempe quæ ſint illa, quę hominem ad alicui nocendum impellant, & duo ait eſſe, hoc eſt uitioſitatem, & incontinentiam. neque enim incontinentia eſt uitioſitas, ſed genere differt ab ea, ſicut idem Ariſtoteles Ethicorum ſeptimo docet. Vitioſitas enim deprauatio quædam naturæ eſt ex longo habitu contra rationem, at incontinentia uehementer quidam appetitus eſt, & animi commotio, quæ plerunque naſcitur ex tempore, ſed poſt iniuriam factã, ſtatim pœnitentia ſubſequitur. Et uitioſitas eſt ſemper cum propoſito animi atque iudicio, incontinentia uero ſine propoſito ac iudicio eſt. nam uitioſitas ſimilis eſt aquæ intercuti, & tabi, qui morbi ſunt aſſidui, & ſempiterni. incontinentia ſimilis eſt iis hominibus, qui morbo comitiali afflictantur. qui non ita multò poſt recreantur. ab utraque tñ iniuria naſcitur, atq; in hac re ſimiles ſunt, ut illud Demodoci ĩ Mileſios: Mileſij nõ ſunt illi quidem inſipientes, ſed tamen eadem quæ inſipientes faciunt. ita incontinentes quamuis non ſint iniuſti, faciunt tamen iniuriam. leuiores autem ſunt iniuriæ quæ ab incontinentia proueniunt, quam quæ à uitioſitate. quod primo de officiis ita Cicero docet; Sed in omni iniuſtitia per multum intereſt, utrum perturbatione aliqua animi, quę plerunque breuis eſt, & ad tempus, an conſultò & cogitata fiat iniuria: leuiora enim ſunt ea, quę repentino aliquo motu accidunt; quam ea quæ meditata, & præparata inferuntur.

Nam qui uel uno uitio, uel pluribus tenentur, in eo ipſo, quo uitioſi ſunt, etiam iniurioſi eſſe ſolent. TEXT.

Ab iniuria uitium abeſſe non poteſt. cum enim aut uno, aut pluribus uitiis infectus eſt aliquis, eos lædere non ueretur, quos uel ſibi aduerſari poſſe intelligit, uel quibus uiolatis ſuam cupiditatem expleri poſſe credit. Ergo ſolent in ijs rebus homines eſſe iniurioſi ad quas uel naturæ inclinatione, uel praua conſuetudine propenſi ſunt. & hoc eſt, quod ait Ariſtoteles. in eo quod uitioſi ſunt, omnes eſſe iniurioſos. COMM.

Vt auarus & illiberalis in pecunia quærenda; intemperans in explendis corporis uoluptatibus; mollis autem & ignauus in ocio amplexando; timidus in periculis euitandis: nam eos, qui cum ipſo periclitantur; propter timorem deſerit. TEXT.

Exẽplis declarat id, quod propoſuerat. auarus, inquit, ut pecuniam acquirat iniurioſus eſt. nullũ eſt enim officium tam ſanctum atque ſolenne, quod non auaritia comminuere, atque uiolare ſoleat, ut ait Cicero pro P. Quintio. eſt enim ſemper alieni appetens auaritia. Cicero ſecundo de Oratore, Cornelius homo ut exiſtimabatur, auarus & furax. nam cum pectus auaritia miſeraque cupidine feruet (vt ait Horatius) ſtatim omnis iuſtitia negligitur, & aliena per iniuriam occupantur. ſi uero quis intemperans fuerit, ut uoluptates corporis expleat religionem cõtemnit. quod Epicurus, & eius ſectatores faciebant, quos Cicero aſotos appellat, ut ſecundo de Finibus; atqui reperiemus aſotos primum ita non religioſos, ut edãt de patella; deinde ita mortem non timentes ut illud in ore habeant ex hymnide; Mihi ſex menſes ſatis ſunt uitæ, ſeptimum orco ſpondeo. quod autem Epicurei contemnerent religionem oſtendit Lucretius primo libro. illis uerſibus;

Quare relligio pedibus ſubiecta uiciſſim
Obteritur, nos exæquat uictoria cœlo.

Eſt igitur intemperans iniurioſus & in Deos, & in homines. Mollis autẽ & ignauus homo dicitur,

tur, qui propter delicias non poteſt eas res tolerare ac ſuſtinere, quas maior hominum pars facile tolerat. ut Ethicorum ſeptimo docet Ariſtoteles. eſt igitur mollis ac delicatus, patienti & conſtanti contrarius. & deliciæ ſunt animi quędam mollicies. Martialis, Nuſquã deliciæ ſupiniores qui ergo nimis ocium amplexatur, & nihil omnino pati vult is mollis appellatur, & ignauus, & delicatus. Cicero primo de Officiis; atque etiam ſi conſiderare uolumus, quæ ſit in natura excellentia, & dignitas, intelligemus quam ſit turpe diffluere luxuria, & delicatè ac molliter uiuere. hoc uitio præter cæteros inquinati fuerunt Sardanapalus rex Aſſyriorum, Strato Sidoniorum rex, & Heliogabalus Romanorum imperator. Timidus in eo dicitur iniurioſus quòd omnia pericula uitare contẽdat, & propter timorem eos deſerat, quibus auxilium ferre oporteret. Itaque in probris maxime in promptu eſt (ait Cicero) ſiquid tale dici poteſt:

Vos etenim iuuenes animum geritis muliebrem
Illaque virgo uiri.

Et ſiquid huiuſmodi:

Salmacida ſpolia ſine ſanguine, & ſudore.

Eſt enim propria viri fortitudo, atque animi magnitudo, timiditas autem eſt muliebris. ideo benè præcipit Cicero ſecundo Tuſcul. eſſe maximè prouidendum, nequid abiectè, nequid timidè, nequid ignauè, nequid ſeruiliter, muliebriterve faciamus.

TEXT. *Ambitioſus propter honorem iniurius eſt; iracundus propter iram. contentioſus propter uictoriã; amarus aſperque natura propter ultionem; inſipiens eo, quòd de æquo, & iniquo peruerſe iudicat; impudens eo, quòd famam & exiſtimationem ſuam negligit. atque eodem modo ſinguli alijs in rebus ij ſunt iniurij, quas auide cupiunt.*

COMM. Addit alia etiam exempla quibus probet omnes in eo quod uitioſi ſunt, etiam iniurioſos eſſe. nam qui ambitione ducitur, amicos etiam violare non dubitat, & omnibus dolis agere, ut honorem aſſequat̃. vnde primo de Officiis benè clamat Cicero; miſerrima eſt omnino ambitio, honorumq; contentio. rectè etiam Saluſtius; Ambitio multos mortales falſos fieri coegit. extãt plurima eorum exempla, qui propter ambitionem & honoris cupiditatem maxima perpetrare mala non dubitarunt, adeo vt quidam etiam templum illud admirabile atque omnium literis & ſermone celebratũ Dianæ Epheſiæ non alia de cauſa incendere voluerit, niſi ut nomen ſuum diſſeminaret in orbis terræ memoriam ſempiternam. Iracundus homo atque acutæ bilis ſæpe ira commotus iniuriam infert. nam ante occupatur animus ab iracundia, quam prouidere ratio potuit ne occuparetur, ut ad Quintum fratrem ſcribens ait Cicero. Itaque ſæpe ea faciunt iracundi, quorum eos deinde cum ira ſeſe remiſit, maximè pœnitet ac pudet. vt Alexander Magnus cum in conuiulo Clytum familiarem ſuum ira percitus interemiſſet, tanto poſtea dolore affectus eſt, vt vix à ſe manus abſtinuerit. contentioſus homo vincendi gratia nihil nõ molitur, & ſæpe etiam dolis & fraudibus ſuperior eſſe contendit. quæ præcipuè ſophiſtarum conſuetudo eſt, qui non ueritatis gratia contendunt, ſed ut quoquo modo victores eſſe videantur. Amarus aſperque natura dicitur is, qui conceptam ſemel iram non facile deponit, nec modum in puniendo ſeruat, neque placatur niſi uiſo inimici ſanguine. Græci πικρὸν uocant. Sic apud Virgilium Mezentius Aenæam hoſtem ſuum à quo uictus fuerat, amarum appellat;

Hoſtis amare, quid increpitas, mortemque minaris.

Hoc autem vitium maximè pernicioſum eſt. quia multas cædes patrare homines cogit. Inſipiens homo multis in rebus peccat, quia propter ingenii tarditatem corruptum habet iudicium. neque æquum ab iniquo facile diſcernit. quo fit ut inſipientia nullum maius malum ſit, ut tertio Tuſcul. ait Cicero. & Terentius in Adelphis: Homine imperito nunquam quicquam iniuſtius: Qui, niſi quod ipſe facit, nihil rectum putat. Impudẽs in eo eſt iniurioſus, quia famam ſuam negligit, nec curat, quid de ſe homines loquantur, aut ſentiant. itaque in omne dedecus facile prolabitur. nam pudor eſt uirtutum cuſtos, qui cum ab homine diſceſſerit, ſtatim omnes uirtutes euaneſcunt. vnde clamat Euripides in Medæa; omnium morborum quæ inter homines uerſantur, maximum, eſſe impudentiam. Xenophon primo libro Pediæ ſcribit; impudentiam ad omnem turpitudinem ducem eſſe maximam. Sed ne plura exempla perſequamur, omnes (inquit Ariſtoteles) in iis rebus, quas auidè præterque rationem cupiunt, iniurioſi eſſe ſolent.

Reliqua enim, quæ multa ſunt, partim ex ijs perſpicua ſunt, quæ iam de uirtutibus diximus, partim autem intelligentur ex ijs, quæ de perturbationibus poſtea dicemus. TEXT.

Cætera uitia prauitateſque animi, atque commotiones quæ ad iniuriam inferendam homines impellunt facile cognoſci poſſunt, uel ex contrariis uirtutibus, de quibus iam antea dictum eſt, cum de genere demonſtratiuo tractabamus. uel ex animi perturbationibus, de quibus in ſecundo libro copioſè diſputabitur. COMM.

Reſtat ut explicemus, cuius rei gratia ſoleant homines iniuriam inferre; & quomodo affecti, & quibus nocere ſtudeant. TEXT.

Cum iam oſtenderit quid ſit iniuriam facere, & omnia uerba quę in ea definitione poſita ſunt, diligenter explicuerit, nũc aggreditur ea tria quæ in iudiciali genere quærenda eſſe prædixerat; nempe quid ſit illud, quod homines ad iniuriam inferendam moueat, & quomodo affecti quempiam iniuſtè lædant, & quibus denique nocere ſtudeant. ac primum illud primo explicat, quid ſit, quod homines impellat, ut iniurias inferre uelint. COMM.

TEXT. *Primum igitur diſtinguamus quæ nam appetentes, & quæ fugientes, iniuria quempiam afficere moliamur. perſpicuum eſt enim accuſatorem oportere diligenter aduertere, quot eorum, & quanta ſint in reo, quæ cupientes homines iniuriam inferant; defenſorem autem, quot & quanta non inſint.*

COMM. Quoniam ſine cauſa nemo ferè eſt, qui maleficium admittat, ſed quicunque faciunt iniuriam, ea de cauſa faciunt, quia vel appetant aliquid, uel euitare uelint. ideo uult ea declarare Ariſtoteles quæ ſoleant homines in inferenda iniuria, vel appetere, vel fugere. nam qui accuſat aliquem diligenter aduertere debet, quæcunque concupiuit ille, quem accuſat, aut quæcunque timuit. vt Cicero pro Milone Clodium accuſans oſtendit eũ cupiuiſſe Remp. arbitrio ſuo, in prętura adminiſtrare, ſed timuiſſe, ne Milo ſuis cogitatis furoribus reſiſteret. eundemq́ue Clodium ira atque odio inflammatum, nihil aliud cogitare ſolitum, quam quomodo Milonem è medio tolleret. qui uero defendit remouere debet à reo cupiditatem omnem ac timorem. vt in eadem oratione Cicero probat Milonem non cupiuiſſe mortem Clodij, cum eũ ſæpius impune potuiſſet occidere, neque odio aut ira concitatum in Clodium fuiſſe, cum eum intelligeret ſegetem ac materiam eſſe ſuæ gloriæ. neq; vnquam ab eo mali quippiã timuiſſe. ſic pro Roſcio Am. pluribus argumentis remouet ab eo parricidij ſuſpicionem.

TEXT. *Omnes autem omnia faciunt partim non per ſe ipſos, partim uerò per ſe ipſos: & quæ non per ſeipſos faciunt, partim fortuito, partim neceſſariè faciunt; & eorum quæ neceſſarie, partim ab extrema ui, partim ab inſita natura facere coguntur. quare omnia, quæ non per ſe homines agunt, partim à fortuna proficiſcuntur, partim à natura, partim ab externa ui.*

COMM. Vt ſciamus quæ ſint accuſanda, & quæ defendenda diſtinguendæ ſunt hominum actiones. & videndum quæ ſint illæ, quæ fiunt ab ipſis hominibus libero animi motu, & quæ non fiunt ab ipſis. ſic enim facile quod volumus apparebit. prima igitur diuiſio hæc eſt; homines omnia faciunt vel per ſe ipſos, uel non per ſe ipſos. per ſe ipſos, vt Horatius fatetur ſua manu ſe ſororem interfeciſſe, quoniam hoſtis populi R. mortem lugeret. & Milo fatetur à ſe Clodium occiſum, quòd eſſet inſidiator. nõ per ſe ipſos, vt Cicero, Ligarium ait neceſsitate coactum in Africa reſtitiſſe, non ſua ſponte. ſic ille, qui aquis interclusus, ad diem venire non potuit. & qui feram petens hominem interfecit. Hæc autem quæ non per ſe ipſos agunt homines tripertito diſtribuuntur, partim enim fortuitò fiunt, vt qui fodiẽs Theſaurum inuenit, & qui ad mercatum profectus, à prædonibus ſpoliatus eſt: & qui domo exiuit, quo tempore illa ruinam traxit. partim fiunt neceſſariè. hæc autẽ duobus modis, aut externa vi, vt qui impulſus ab aliquo lapidem mouit, qui cadens interfecit hominem. vel qui ita urgetur ab inimico ut non poſsit euadere, niſi inimicum occidat. vel qui cogitur à maiori poteſtate contra voluntatem ſuã aliquid facere, aut ab inſita natura fiunt. nam ſæpe fit vt natura cogat nos aliquid facere quod alioqui nõ probamus. neque enim facile naturæ reſiſti poteſt: vnde rectè dixit Horatius;

Naturam expellas furca, tamen uſque recurrit.

Quamobrem ea, quę non per ſe homines agũt, uel à fortuna, uel à natura, uel ab externa ui proficiſcuntur.

Quæcunque uero per ſe faciunt, & quorum ipſi auctores ſunt, ea uel propter conſuetudinem, uel propter appetitum faciunt; & appetitum quidem uel rationis compotem, uel expertem rationis. Eſt autem uoluntas, appetitus boni cum ratione; nemo enim aliud uult, quam id, quod bonum eſſe iudicarit; appetitus uero rationis expertes duo ſunt, ira & cupiditas. Quamobrem omnia, quæ faciunt homines, neceſſe eſt, ut ſeptem cauſarum oriantur ab aliqua; hoc eſt, uel à fortuna, uel à ui, uel à natura, uel à conſuetudine, uel à ratione, uel ab ira, uel à cupiditate. TEXT.

Nunc explicat alteram diuiſionis partẽ, vt doceat, quę ſint illa quę homines per ſeipſos faciũt. COMM. ea (inquit) quorum ipſi homines auctores ſunt vel à conſuetudine, vel ab appetitu proueniunt. à conſuetudine, vt qui diu verſati ſunt in aliqua re, vel in aliquo maleficio. magna enim vis eſt conſuetudinis in vtranque partem. vt neque ſtatim malefaciant, qui bene agere conſueuerunt, neque benefaciant ex tempore qui diu ſunt in vitiis uerſati. appetitus uero duplex eſt, aut enim rationi coniũctus eſt, & voluntas dicitur, aut alienus eſt à ratione. voluntas eſt ea quæ aliquid cum ratione deſiderat. quoniam nemo dicitur aliquid velle, niſi quod eſſe bonum iudicarit. de qua re Cicero tertio Tuſcul. ſic ait; Quamobrem ſimul obiecta ſpecies cuiuſpiam eſt quod bonum videatur, ad id adipiſcendum impellit ipſa natura. id cum conſtanter prudenterq́ue fit, eiuſmodi appetitionem ſtoici βούλησιν appellant: nos appellamus voluntatem. appetitus qui alienus eſt à ratione duplex eſt ira, & cupiditas. quare concludit Ariſtoteles ſeptem eſſe, propter quæ ab hominibus omnia gerantur. numerat autem ſpecies tantum non autem genera. ſunt igitur hæ ſeptem ſpecies; fortuna, uis, natura, conſuetudo, ratio, ira, cupiditas. quæ hac deſcriptione quam ante oculos poſui diſtinguuntur.

Omnes omnia faciunt

Vel non per ſeipſos — Vel per ſe ipſos

Vel fortuito — uel ex neceſſitate — cõſuetudine. appetitu

Vel ui, — uel natura. — rationi coniuncto: uoluntate. rationis experte.

ira. cupiditate.

Velle

TEXT. *Velle autem quæ agunt homines, etiam ex qualibet ætate, aut habitu animi diſtinguere, ſuperuacaneum eſt. nam, ſi contingit in iuuentute citò iraſci, aut cupiditatibus trahi; hæc non ætati ſunt attribuenda, ſed iræ, & cupiditati.*

COMM. Probat diuiſionem ſuam eſſe plenam ac perfectam, & eos qui aliquid adiungere uolunt inaniter laborare, cum omnes hominum actiones ad vnam aliquam ſeptem earum formarum ſemper reducantur. ſunt enim qui actiones humanas ex ætate, atque habitu animi diſtinguant, quoniam aliter ſe iuuenis gerit, aliter ſenex, aliter vir fortis, aliter timidus. ſed hęc (inquit Ariſtoteles) ſuperuanea eſt diuiſio. nam ſi iuuenis facile iraſcitur, aut cupiditatibus æſtuat, non ideo eius actiones ætati tribuendæ ſunt, ſed iræ, & cupiditati. ſed ira & cupiditas numerãtur inter illas ſeptem ſpecies quæ ſupra poſitæ ſunt. Quod autem iuuenes facile iraſcantur & cupiditatibus rapiantur in cauſa eſt feruor ſanguinis. feruet enim ſanguis in adoleſcentia & magnos gignit ſpiritus. Vnde dicuntur deferueſcere cum ad maturiorem ætatem peruenerint. Cicero pro Cælio; cum adoleſcentiæ cupiditates deferbuiſſent. hanc iuuenilem naturam quæ cupiditate & ira facile mouetur, mire expreſſit Virgilius in Turno, libro Aeneidos duodecimo cum ita inquit;

Illum turbat amor, figitq; in Virgine vultus,
Ardet in arma magis.

TEXT. *Neque propter diuitias aut paupertatem quicquam agunt: ſed uſu uenit pauperibus, ſuadente egeſtate, ut pecunias cupiant; diuitibus autem, ob facultatem ut cupiant minimè neceſſarias uoluptates. ſed & hi, quæ agunt, non aut diuitijs, aut paupertate impellente, ſed hortante cupiditate faciunt.*

COMM. Sicuti actiones ætati non ſunt attribuendę, ita neque conditioni hominum, vt paupertati ac diuitijs. nam illud quidem verum eſt, ꝙ aliter ſe pauper gerit, aliter diues, vt ſecundo huius operis libro declarabitur. uet untamen actiones non à paupertate aut diuitijs, ſed à cupiditate proueniunt, vt pauper pecunias appetit. nam (vt eſt in prouerbio) mendici pera non impletur. & mẽdicorum loculi ſemper inanes, ſicuti etiam auarorum, neque enim unquam explentur, nec ſatiatur cupiditatis ſitis. diuites uerò plerumque voluptatibus dediti ſunt, & aliquid ſemper cupiunt, quod iucundum ſit. itaque ut expleant cupiditates ſuas plurima faciunt. Quamobrem eorum actiones, ſicut etiam pauperum, à cupiditate proueniunt.

TEXT. *Eodem modo iuſti & iniuſti & alij qui ex habitu animi quippiam facere dicuntur, propter hæc eadem faciunt: uel enim rationem, uel mores ſequuntur. ſed in hoc differunt, quòd aliqui bonis moribus, & affectionibus ad agendum impelluntur; aliqui uerò contrarijs.*

COMM. Probat nõ opus eſſe actiones hominum ex animi habitu diſtinguere. quamuis iuſti aut iniuſti homines aliquid ex habitu animi facere dicantur, ut Ariſtides qui nihil alienum à iuſtitia faciebat, & Phalaris cuius præter cæteros crudelitas nobilitata eſt, tamen propter eadem quæ ſupra numerata ſunt, omnia faciunt. nam hi omnes qui ex habitu res ſuas agunt, vel rationem, uel conſuetudinẽ ſequuntur. atqui ratio, & conſuetudo, inter ſeptẽ illas ſpecies numerantur. eſt tamen hæc differentia, quod mores & affectiones ita diſtinguuntur, ut aliquæ bonæ ſint, aliquæ malæ. quare fit ut aliqui ad bene agendum, aliqui ad malè faciendum propter habitus & affectiones impellantur. nam licet aliquis bona cognoſcat, tamen ſæpe propter affectionem aut habitum ad mala trahitur. hoc eſt quod apud Ouidium Medęa de ſe prædicat;

Video meliora proboque,
Deteriora ſequor.

& quidam Lacedæmoniorũ legati Athenis in theatro dixerunt; Athenienſes ſcire quidem quæ eſſent recta & laudabilia ſed ea nolle facere. qui verò bonis operibus aſſueti ſunt, ij nulla ui, nullo dolore, nullo metu poſſunt ab eis abſtrahi. vnde Epicurei dicebant; ſapiẽtem etiã ſi in Phalaridis tauro incluſus ſuccenſis ignibus torreatur, dicturum tamen ſuaue illud eſſe, ſeſeque ne tantulum quidem commoueri. tantam uirtutis eſſe vim voluerunt, ut non poſſet unquam eſſe vir bonus non beatus. auctor eſt in Piſonem Cicero.

TEXT. *Illud quidem certè contingit, ut diuerſos habitus animi diuerſæ actiones conſequantur. confeſtim enim fortaſſe temperanti propter temperantiam contingit, ut eum opiniones, & cupiditates bonæ comitentur; intemperanti uerò contrariæ, de iiſdem rebus.*

COMM. Non eſt negandum (inquit) quin pro varietate habitus animi uarientur etiam actiones. nam ſi diuerſi ſunt habitus ut etiam diuerſæ ſint actiones in eiſdem rebus neceſſe eſt. hoc autem exemplo declaratur. nam uir temperans, propter habitum temperantiæ turpes refugit uoluptates, quamuis ad eas naturæ inſtinctu trahatur, vt Stylpo Megarẽſis (ſicut ſcribit Cicero de Fato) ebrioſus & mulieroſus fuit. ſed vitioſa natura ab eo ſic edomita & compreſſa eſt doctrina, vt nemo vnquam vinolentum illum, nemo in eo libidinis ueſtigium viderit. idem de Socrate prędicatur. ergo iſti propter temperantiam bonas opiniones & cupiditates concipiebant, & veras ac ſynceras animi uoluptates quærebant. intemperans uerò longe aliter ſe gerit, nullum enim aliud malus bonum quam uoluptatem eſſe putat, & in ea beatitudinem collocat, qđ Ariſtippus Cyrenaicus feciſſe dicitur, qui multos habuit ſectatores, vt in tertio de Oratore Cicero oſtendit. ſunt igitur hæ contrariæ cupiditates & opiniones. nam quę damnat, & refugit vir temperans, eadem intemperans laudat, & cupide complectitur.

TEXT. *Itaque diuiſiones huiuſmodi prætermittendæ ſunt, atque illud conſiderandum, quæ, quibus conſequentia ſint. ſiue enim albus ſit, ſiue niger, ſiue magnus ſiue paruus; nihil eorum quæ dicta ſunt ideo cõſequi ſolet, ſed ſi iuuenis ſit aut ſenex, aut iniuſtus;*

ſtus; iam plurimi intereſt.

COMM. Cum probatum ſit ſeptem illis formis omnes humanas actiones contineri, non opus eſt alias diuiſiones inducere. conſiderare tamen oportet, quæ, quibus conſequentia ſint. quoniam aliqua ſunt quæ cupiditates & mores mutare ſoleant, aliqua uerò quæ nihil ad animum faciunt. ut ſiquis albus ſit, ſiue niger, non admodum ab Oratore cõſideratur, neque ſiquis paruus ſit, aut magnus, quoniam hæc nequaquam mores, & habitus animi uariare ſolent. nou enim diuerſis moribus præditi ſunt homines quod candidi ſint aut nigri, uel quod parui ſint, aut magni. ſed ſi fuerit aliquis iuuenis & alius ſenex, aliquis iuſtus & alius iniuſtus, tunc maxima eſt differẽtia. quoniam hæ res diuerſos mores adferunt. quod autem ait Ariſtoteles nihil ad mores referre vtrum aliquis albus ſit an niger, magnus an paruus, videtur eorũ artem tollere, qui Phiſiognomones vocantur, qui ſe profitentur hominum mores naturaſq; ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoſcere. qualis Zopyrus fuiſſe dicitur, de quo Cicero in libro de Fato meminit. cum tamen ipſemet Ariſtoteles nonnulla de Phyſiognomia doctè & accuratè ſcripſerit, & multis experimentis cõſtet, artem illam ſiquis bene intelligat, eſſe veram. Sed quoniam Orator hęc perſequi non ſolet, cum potius Philoſophi ſit officium, ideo dicit Ariſtoteles ab Oratore conſiderari non oportere vtrum aliquis albus ſit an niger, paruus an magnus. Cicero tamen pro Roſcio Com. dum Fannium Chaeream notat, figuram corporis non prætermiſit. ſic enim ait; nonne ipſum caput, & ſupercilia illa penitus abraſa olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? nonne ab imis vnguibus vſque ad uerticem ſummum, ſiquam coniecturam adfert hominibus tacita corporis figura; ex fraude, fallacijs, mendacijs conſtare totus videtur? interdum albus & niger ad animum refertur, & tunc bonum & prauum ſignificat, vt Catullus de Cæſare;

Nil nimium ſtudeo Cæſar tibi velle placere,
Nec ſcire vtrum ſis albus an ater homo.

qđ ẽt Cicero ſecunda Philippica vſurpauit, cũ ita inquit: Te is quem nunquam vidiſti, L. Rubrius Caſsinas fecit hæredem. Et quidem vide quam te amarit is, qui albus aterve fueris ignorans fratris filium præterijt. ergo ſi ad animum referatur, plurimum intereſt, vtrum aliquis albus an niger dicatur. Horatius;

Hic niger eſt, hunc tu Romane caueto.

TEXT. *Et omnino uidenda ſunt omnia, quæ, cum accidunt hominum mores uariant, atque commutant: ut ſiquis ſe diuitem eſſe exiſtimet aut pauperem, permagni intererit; & ſi fortunatum aut infortunatum. ſed de his poſtea ſuo loco dicemus: nunc ea quæ reſtant, primò perſequamur.*

COMM. Diligenter orator aduertere debet omnia, quæ mores hominum variare ſolent, vt ex eis argumẽta poſsit arbitrio ſuo ducere. nam conditionis & fortunæ diſsimilitudo mores commutat. plurimum enim refert utrum aliquis ſe diuitẽ an pauperem exiſtimet, & utrum fortunatum an infortunatum. nam pauper ſtatim alios mores, atque aliam uitam ſequitur quam dives. ita etiam qui fortunam habet proſperam maiores omnino ſpiritus concipit, quam qui aduerſa premitur fortuna. de qua re ſic etiam Horatius in Arte:

Intererit multum diues ne loquatur an Irus,
Maturus ne ſenex, an adhuc florente iuuenta
Feruidus, an matrona potens an ſedula nutrix,
Mercator ne uagus, cultor ne uirentis agelli.

Sed hæc libro ſecundo longe copioſius tractabit Ariſtoteles, hoc loco contentus eſt admonuiſſe. redit igitur ad illa explicanda, unde hominum actiones proficiſcuntur. ac primo tractat ea quæ non per ſeipſos agunt homines, deinde quæ per ſe ipſos.

TEXT. *A fortuna igitur dicuntur ea prouenire, quorum cauſa incerta atque indefinita eſt; nec certum ſibi finem propoſitum habent; neque ſemper, neque plerunque, neque ordinatè fiunt: quæ quidem omnia ex ipſius fortunæ definitione perſpicua ſunt.*

COMM. Fortuna dicitur eſſe cæca & ſine ratione, quoniam cauſam habet incertam & inſtabilem. Ariſtoteles Phyſicorum ſecundo fortnnam inter cauſas quidem nnmerat, ſed contingẽtes & incertas. ſunt quinque quæ conſiderari ſolent in fortuna, primum ut efficiens cauſa ſit incerta atque indefinita, cuius ratio nulla reddi poſsit. ut cur hic theſaurum reperit, ille antem qui fuit in eodem loco non reperit. Cur hic inciderit in latrones, ille uiã eandem ingreſſus non inciderit. cur hic pulcher ſit, & cæteri fratres deformes. alterum eſt, ut nullus certus finis ſit propoſitus. ut Mars belli communis dicitur, & Fortuna campi domina. quamuis enim imperator ſibi uictoriam proponat, tamen ſæpe fortuna facit nt inferior ſit. & quamuis aliquis magiſtratum petat, tamen alius ſæpe inferior ei ſine ulla ratione præponitur. aliquis alia de cauſa profectus in forum, equum reperit quem amiſerat. quæ igitur eueniunt aliter quam quomodo quis ſibi propoſuerat, à fortuna euenire dicuntur. Tertium eſt, nt non ſemper eodem modo fiant. nam quæ ſemper fiunt naturalia ſunt, nõ autem fortuita, ut cœli reuolutio, annuæ uiciſsitudines, ortus & interitus rerum & eius generis cætera. Quartum eſt, nt non plerunque ita fiant, nam quæ plerunque fiunt certam habent cauſam aut à natura aut ab arte, fortuna uero cauſa eſt incerta. Quintnm & ultimum eſt, ut non fiant ordinatè. nam ubi ordo rerum eſt, ibi fortuna eſſe nullo modo poteſt. cum ordo uel à naturæ prouidentia, uel à conſilio & ratione proficiſcatur, quæ procul à fortunæ temeritate poſita ſunt. nihil eſt enim (ait Cicero) tam contrarium rationi, atque conſtantiæ, quam fortuna.

TEXT. *A natura proueniunt ea, quorum cauſa in ipſis cõſtituta eſt, & ordinata: uel enim ſemper, uel plerunque eodem modo fiunt.*

COMM. Res naturales cauſam in ſeipſis cohibent, & ordinatè

dinatè fiunt, nam aut perpetuum quendam tenorem ſeruant, & nunquam immutantur, aut ſaltem maiori ex parte fiunt eodem modo. differunt igitur in hoc naturales res ab artificioſis, quòd artificioſarum rerum cauſa extra poſita eſt, atque in ipſo artifice, naturalium vero cauſa eſt in ipſis conſtituta. eſt enim natura principium motus & quiętis in eo, in quo eſt, primo ac per ſe, ut in ſecundo Phyſicorum docet Ariſtoteles. dicitur autem multis modis, ſed quinque præcipue. primo cuiuſque rei materia dicitur natura, ut ferrum gladij natura dici poteſt, & elementa ſunt naturæ rerum quę generantur. & caro atque oſſa ſunt in natura hominis. Secundo forma cuiuſque rei uocatur natura, ut anima intelligens eſt hominis natura, & acuta figura dicitur aliquo modo natura gladij. nam forma rebus omnibus appellationē tribuit, & res ad actum deducit. nec ſine forma quicquã nomen ſuum obtinere poteſt. Tertio rei cuiuſq; generatio natura dicitur. nam omnia ſecundum naturam ſuam oriuntur, & formam acquirunt, appellata eſt enim à naſcendo natura. Quarto proprietas cuiuſque rei natura dicitur, vt magnetis naturam eſſe dicimus ferrum ad ſe trahere. ignis naturam eſſe in ſublime ferri, terræ premi deorſum. hominis naturam eſſe doctrinæ capacem, & aptum ad riſum. poſtremo dicitur natura cuiuſq; rei quatenus ē, ſiue res ea corporea ſit, ſiue incorporea. ſiue mortalis, ſiue æterna. vnde dicitur etiã diuina natura, & natura cœli atqne aſtrorum. in his omnibus naturis ſunt certæ quædam cauſæ & ordinatæ quę vel ſemper, vel plerunque eodem modo procedant, quamuis nos ſæpe lateant. vnde benè clamat Virgilius:

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas.

TEXT. *De ijs uerò quæ contra naturam fiunt, nihil attinet hoc loco ſubtilius diſputare; utrum à naturæ aliqua ui, an ab alia quadam cauſa gignantur: nam fortuna etiam eorum omnium uideri cauſa poteſt.*

COMM. Reijcit diſputationem eorum quæ contra naturam fiunt, quoniam non eſt oratoris propria, ſed ad naturalem Philoſophum ſpectat. fiunt autē contra naturam monſtra & prodigia, vt biceps puella, aut quadrupes puer, aut cum equa leporem parit, quod in exercitu Xerſis contigiſſe ſcribit Val. Max. aut cum ſanguine & lapidibus pluit. & eius generis cætera, quæ Iulius obſequens edito uolumine complexus eſt. poteſt igitur dubitari utrum hæc à naturæ aliqua vi proueniant, an fortuito contingant. verum in præſentia credamus (inquit) huiuſmodi omnia à fortuna proficiſci. ita quidem Ariſtoteles ſentit. verum plerique exiſtimant monſtra & prodigia ſignificare calamitatem aliquam futuram niſi per religionē expientur. vnde Cicero primo de Diuinatione ſic ait; Quia enim oſtendunt, portendunt, monſtrant, prædicunt, oſtenta, portenta, monſtra, prodigia dicuntur. & de Reſponſis Aruſp. quod igitur ex aliquo diſiuncto diuerſoq; monſtro ſignificatum caueremus, id cum ſibi ipſum monſtrum eſt, & cum in eo ipſo periculum eſt, ex quo periculum portenditur, non pertimeſcemus. qđ autem prodigia denuncient futura mala docet ēt Virgilius primo Georg. vbi cum multa commemoraſſet prodigia, quæ poſt Cęſaris mortem euenerant, ita ſubiungit;

Ergo inter ſeſe paribus concurrere telis
Romanas acies iterum uidere philippi
Nec fuit indignum ſuperis bis ſanguine noſtro
Emathiam & latos Aemi pingueſcere campos.

Per uim ea fieri dicuntur, quæcunque fiunt quidem ab aliquibus, ſed tamen contra cupiditatem, & uoluntates eorum ipſorum, qui illa faciunt. TEXT.

Hoc tertium eſt eorum, quæ non per nos ipſos fiunt. nam qui per vim aliquid facit, is contra voluntatem & deſiderium ſuum facit. tertio Ethicorum ea dicit eſſe violenta quorum efficiens cauſa extra poſita eſt, non autem in eo qui coactus facit. vt ſi uentus ac tempeſtas nauem aliquo impellat, aut hoſtes captiuum abducant. Cicero pro Rab. Poſthumo defendit eum quod in Aegypto apud Ptolemęum non voluntate ſua ſed vi coactus fuerit; Ergo (inquit) aderat vis (poeta ille noſter) quæ ſummas frangit, infirmatque opes. moreretur inquies: nam id ſequitur. feciſſet certè ſi ſine maximo dedecore tam impeditis ſuis rebus potuiſſet emori. nolite igitur fortunam conuertere in culpam, neque Regis iniuriam huius crimen putare, nec conſilium ex neceſsitate, nec voluntatem ex vi interpretari. continetur autem vis ſub neceſsitate, vnde Cicero pro Ligario multis argumentis probat eum non ſua ſponte ſed neceſsitate coactum in Africa fuiſſe. & pro Milone probat Milonem, vi coactum fuiſſe, vt Clodium interficeret, quo vitam ſuam ab eius inſidijs conſeruaret. COMM.

Conſuetudine faciunt homines ea, quæ iam antea ſæpius fecerunt; & ideo nunc facilius efficiunt. TEXT.

Iam ad ea tranſit quæ per nos ipſos facimus. ac primo loco ponit conſuetudinem. quoniam (vt quinto de Finibus ait Cicero) eſt quaſi altera natura. quod etiam Ethicorum ſeptimo confirmat Ariſtoteles. in hoc differunt quod natura non eſt in noſtra poteſtate, conſuetudo vero tota pendet à nobis. vnde clamat Ouidius libro de arte Amandi ſecundo COMM.

Fac tibi conſueſcat, nihil aſſuetudine maius
Quam tu dum capias tædia nulla fuge.

Ita Pythagoras admonebat diſcipulos ſuos vt optimam viuendi rationem eligerent, nam eam iucundam conſuetudo reddit. cum enim antea ſæpius aliquid fecimus, poſtea longè facilius & melius idem efficere ſolemus. Verum namque eſt id, quod ait Saluſtius in Iugurtha; Benefacere ex conſuetudine in naturam vertitur. Cicero ſecundo Tuſcul. Conſuetudinis (inquit) magna vis eſt. pernoctant venatores in niue, in montibus vri ſe patiuntur. inde pugiles ceſtibus con-

tuſi

tuſi ne ingemiſcunt quidem. Ariſtoteles libro primæ Philoſophiæ ſecundo quantum conſuetudo valeat, probat ex legibus, in quibus multæ fabulæ ſunt, & res pueriles, quæ tamen propter conſuetudinem probantur. & qui contradicere eis voluerit, improbus ac nefarius homo exiſtimatur.

TEXT. *Conſilio ac ratione fiunt, quæ prodeſſe uidentur. & ſunt e numero bonorum, quæ ſupra diximus; uel tanquam fines: uel tanquam ea, quæ ad finem perducunt: & hoc, quando propter ipſam utilitatem fiunt. nam etiam intemperantes quædam, quæ ſunt utilia faciunt; non tamen propter utilitatem, ſed propter uoluptatem.*

COMM. Conſilium & ratio tum interfuiſſe dicitur, quando fit aliquid diligenti conſideratione quod prodeſſe videatur. & quod ſit e numero bonorum, quæ iam ſuperius enumerata ſunt, quæ quidem aut fines ſunt, aut ad finem perducunt. in ſumma conſilium & ratio ſibi proponit utilitatem, & propter eam inducit homines ad agendum. quod ſi vir intemperans propter cupiditatem aliquid agit quod vtile ſit, non vtilitatem potiſsimum conſiderat ſed voluptatem. quod autem Ariſtoteles hoc loco λογισμὸν vocat; Cicero ſecundo de Inuentione ratiocinationem appellat. quam ita definit, Ratiocinatio eſt diligens, & conſiderata faciendi aliquid, aut non faciendi excogitatio. cum igitur dicimus eum, quem accuſamus maleficium ſuſcepiſſe, quoniam aliquod commodum atque emolumentum inde ſperaret, vel quoniam aliquod malum euitare ſtuderet, tunc eius actiones ad conſilium & rationem traducimus, vt Cicero pro Milone ita narrat, vt Clodium oſtendat omnino ſtatuiſſe Miloni inſidias ſtruere, atque illum è medio tollere. ubi vidit (inquit) homo ad omne facinus paratiſſimus fortiſsimum virum, inimiciſsimum ſuum, certiſsimum conſulem, idque intellexit non ſolum ſermonibus, ſed etiam ſuffragijs populi R. ſæpe eſſe declaratum: palam agere cæpit, & apertè dicere, occidendum Milonem: ſeruos agreſtes & barbaros, quibus ſyluas publicas depopulatus erat, Hetruriamque uexarat, ex Appennino deduxerat quos videbatis. res erat minimè obſcura: etenim palam dictitabat; Conſulatum Miloni eripi non poſſe, vitam poſſe, & quæ ſequuntur. tota enim illa narratio conſilium & rationem Clodij aperit. quod in omnibus narrationibus Cicero diligentiſsime ſeruare ſolet, atque etiam in reliquis orationis partibus, vt dictorum & factorum rationes conſiliaque perſcrutetur, & qua mente quoque animo factum ſit, aut non factum quicquã explicet. ut qua mente Ligarius in Africa fuerit. quo conſilio Cæſar Octauianus contra M. Antonium arma ſumpſerit, quæ ratio impulerit aduerſarios Sex. Roſcij, ut nomen eius de parricidio deferrent. nempe ut eius bona quæ inuaſerant ſecurè poſsiderent. nam conſilium & ratio ſæpe etiam in malam partem capitur; vt apud Ciceronem Cotta tertio de Natura Deorum copiosè diſputat. quæ enim (inquit) libido, quæ auaritia, quod facinus, aut ſuſcipitur niſi conſilio capto, aut ſine animi motu & cogitatione, id eſt ratione perficitur? & reliqua.

Propter excandeſcentiam autem, & iram fiunt ea, quæ ad ultionem pertinent. differunt autem inter ſe ultio & caſtigatio: Caſtigatio enim eius gratia eſt, cui dolor inuritur; ultio uero eius, qui ſuam iniuriam ulciſcitur, ut animum expleat. Verum quibus in rebus excitetur ira, perſpicuum erit, cum de perturbationibus animi poſteà dicemus. TEXT.

Ira trahit hominem ad iniuriam inferendam, cum ſe prius læſum arbitratur. itaque ſemper iratus & commotus vltionem petit. ſed quia duo ſunt vocabula quæ penè idem ſignificare videantur in quibus multi decipiuntur; hoc eſt τιμωρία, & κόλασις, quæ nos vertimus ultionem & caſtigationem, idcirco Ariſtoteles ea diſtinguit, & quid inter ſe differant, oſtendit. nam caſtigatio, quæ κόλασις græce dicitur, eius gratia fit, cui dolor inuritur, vt melior euadat, & à peccando deinceps abſtineat, quæ ſæpe à ſedato animo proficiſcitur, ut cùm parens filios verberat, aut diſcipulum præceptor, aut dominus ſeruum. debet autem caſtigatio procul ab ira abeſſe. nam qui iratus accedit ad puniendum, rarò modum ſeruare poteſt. itaque laudatur illud Architæ dictum, qui cum villico ſuo factus eſſet iratior, quo te modo (inquit) haberem niſi iratus eſſem. ita Plato cum aduerſus delictum ſerui vehementius exarſiſſet, Speuſippo amico caſtigationis arbitrium mandauit ut ait Val. Max. veritus ne ipſe modum tranſgrederetur. Vltio vero ſemper ab irato animo proficiſcitur. & eius gratia fit, qui ſuam iniuriam perſequitur, vt inimico puniendo ſuum animum expleat. quam rem ſic expreſſit Cicero pro Milone; At valuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fecit vltor iniuriæ, punitor doloris ſui. multa enim hoc modo fiunt propter iram. Sed de ira, quoque modo excitetur, in ſecundo huius operis libro copiosè diſputabitur. COMM. 4. cap. 4.

Propter cupiditatem ea fieri ſolent, quæcunque iucunda & ſuauia uidentur. nam & quod alicui familiare eſt, & in quo quis diu uerſatus ſit, inter res iucundas connumeratur; multa enim, quæ natura ſua iucunda non ſunt, tamen iucundè faciunt homines, cum aſſueuerint. TEXT.

COMM. Cupiditas trahit homines ad ea faciẽda quæ iucunda & ſuauia videntur. ſunt autem res iucundæ uel natura ſua, vt corporis & animi uoluptates quibus omnes ferè capiuntur; vel conſuetudine. cum enim quis aſſuetus eſt, & diu uerſatus in aliqua re tunc ea fit illi iucunda, quamuis natura ſua talis non ſit. nam multa ſunt laborioſa & aſpera, quæ tamen iucunda videntur ijs qui aſſueuerint. vt in niue pernoctare licet moleſtum ſit, venatori tamen eſt iucundum, vnde Horatius;
Manet ſub Ioue frigido venator

Teneræ

Tenerę coniugis immemor. ita militi iucũdum eſt arma tractare, literato ſtudijs inuigilare. mercatori longinquas regiones adire, & peregrinari, & ſic de alijs. Sed quæ rationi parent cupiditates honeſtæ ſunt & laudabiles. vt in Bruto Cicero de Hortenſio uerba faciens, ita inquit; Ardebat autem cupiditate ſic, vt in nullo vnquam flagrãtius ſtudiũ viderim. nullum enim patiebatur eſſe diem, quin aut in foro diceret, aut meditaretur extra forum. ſæpiſsimè autem eodem die vtrunque faciebat. primo Tuſcul. natura ineſt mentibus noſtris inſatiabilis quædam cupiditas veri videndi. quæ uero cupiditates à ratione ſunt alienæ, plurimorum malorum cauſæ ſunt. ideo Cicero primo de Inuẽtione; cæcam ac temerariam animi dominatricẽ, cupiditatem uocat. in Piſonem ita inquit; Quæ te prædo amentiſsime niſi prædæ cupiditas tam cęca rapiebat? qui autem huiuſmodi cupiditate caret, is felix exiſtimatur, qui ea contemnit quæ alij cupidiſsime appetunt. quam rem egregie Iuuenalis ſatyra quartadecima ſic expreſsit;

Sen ſit Aleſander teſta cum uidit in illa
Magnum habitatorem: quanto felicior hic, qui
Nil cuperet, quam qui totum ſibi poſceret orbem.

& Horatins tertio libro carminum ita inquit;
Deſiderantem quod ſatis eſt, neque Tumultuoſum ſolicitat mare &c.

TEXT. *Itaque (ut ſummatim dicam) quæcunque per ſeipſos homines faciunt, ea omnia uel bona ſunt, uel bona uidentur; uel iucunda ſunt, uel ſpeciem iucunditatis habent. & quoniam, quæ per ſe ipſos agunt homines, ea ſponte faciunt; & quæ non per ſeipſos, ea non ſponte: ſequitur, ut quæcunque ſponte faciunt, ea uel bona, uel ſimulata bona ſint, uel iucunda, uel iucunditatis ſpeciem habentia.*

COMM. Cum iam ſatis explicuerit omnes humanarum actionum cauſas, nunc ijs prætermiſsis, quę non per ſe ipſos homines faciunt, quoniam de ijs non poſſunt verè in iudicijs accuſari quæ vel à fortuna, uel à natura, uel à ui proficiſcuntur, ſummam eorum colligit, quæ per ſe ipſos faciunt homines, hoc eſt conſuetudine, ratione, ira, cupiditate. quæ quidem ad duo genera reducuntur hoc eſt ad bonum, & iucundum. Nam ratio bonum expetit, conſuetudo, ira, & cupiditas iucundum. ſed bonum eſt duplex, uel uerum, uel ſimulatum, eodem modo etiam iucundum, ſunt enim aliqua uerè iucunda, aliqua uerò tantum iucunditatis ſpeciem habentia. quo fit vt multi decipiantur, qui pro uero bono, & iucundo, falſum & ſimulatum bonum & iucundum amplectantur. quin etiam omnia quæ ſponte faciunt homines, ea vel uera bona & iucunda ſunt, uel boni, iucundique ſimilitudinem habentia. quoniam quęcunque per ſe ipſos faciunt, ea etiam ſponte faciunt. ut M. Craſſus cum bellum contra Parthos auri cupiditate commotus ſuſcepit, id ſua ſponte fecit, quoniam id bonum atque utile ſibi fore ſperabat, licet eum ſpes deceperit. Ita Catilina cum rationem & conſilium perdendæ patriæ cum cæteris coniuratis iniret, ingentia ſibi ſuiſque bona pollicebatur. cum tamen in tanto ſcelere, nihil eſſe boni poſſet. ita P. Clodius cum libidine incenſus in adytum Bonæ Deæ muliebri ueſte indutus intrauit, ſibi uoluptatem ex adulterio proponebat. denique nulla hominis actio reperitur, quæ non ſibi uel bonum aliquod uel iucundum tanquam finem proponat.

TEXT. *Ego enim etiam liberationem malorum, & eorum, quæ mala uidentur, & minoris mali optionem pro maiore in bonis colloco; quodam enim modo ſunt expetenda: & præterea rerum moleſtarum, & earum quæ moleſtæ uidentur liberationem, uel minoris moleſtiæ optionem pro maiori, eodem modo in iucundis numero.*

COMM. Soluit obiectionem quæ contra fieri poterat. nam aliquis poſſet occurrere minimè uerum eſſe quod dixerat Ariſtoteles, ſibi homines in actionibus ſuis id tantum proponere quod bonum aut iucundum ſit. cum ſæpe multa faciant, non ut aliquam ntilitatem aut iucunditatem conſequantur, ſed ut mala depellant, aut moleſtias. & ſæpe etiam id eligant quod minus malnm eſt, ut maius fugiant. & quod minus eſt moleſtum, ut moleſtias imminuant. quæ quidem uera eſſe concedit Ariſtoteles. ſed ait malorum liberationem inter bona connumerandam. vt ſiquis à carcere liberatur, aut à pœna quam timebat, bonum aſſequi dicitur. & ſiquis capite damnatus quærat pecunia uitam redimere, fiatque uoti compos, cum pro maiore malo minus elegerit, benè ſecum actum eſſe putat. ita ſi quis moleſtia liberatur, quandam ſentit iucunditatem, uel ſi magnam aliquam moleſtiam fugiens ad leniorem tranſeat. cum enim quis malo ſe carere intelligit, ſtatim animo uoluptatem capit. quod eleganter ſanè Lucretius initio ſecundi libri ſic affirmat;

Suaue mari magno turbantibus æquora uentis
E terra magnum alterius ſpectare laborem
Non quia uexari qnenquam eſt iucunda uoluptas,
Sed quibus ipſe malis careas quia cernere ſuaue eſt.

Bonum igitur & iucundum eſt, à malo atque moleſtia liberari, aut ſaltem alleuari.

TEXT. *Videndum igitur, quæ ſint utilia, quæ iucunda. ſed, quia de utili iam ſupra in deliberatiuo genere diximus, reliquum eſt, ut in præſentia de iucundo diſſeramus. eas uero definitiones huic præceptioni ſatiſfacere debemus exiſtimare, quæ de ſingulis rebus prolatæ, neque obſcuræ, neque exquiſitæ fuerint.*

COMM. Cum ad duo genera quaſi ultima deduxiſſet omnia quæ mouent homines ad aliquid agendum,

dum, hoc eſt ad id, quod utile eſt aut uidetur utile, & ad id, quod eſt iucundum aut iucundum uidetur, nunc admonet in iudiciali genere nos diligenter aduertere debere, quæ ſint utilia, & quæ iucunda. vel quæ videntur vtilia & iucũda ijs, quos accuſamus aut defendimus. Sed quoniam ſupra iam ſatis accuratè de bono atque vtili diſputatum eſt, cum de genere deliberatiuo verba faceremus, ideo ſupereſt tantum in præſentia, vt de iucundo diſputetur; non exquiſitè, neque eo modo quo Philoſophi diſputare ſolent, ſed ad vulgarem ſenſum & communem hominum opinionem. hac enim in arte definitiones eiuſmodi ſatisfaciunt, quæ rem ipſam de qua agitur, apertè declarant, etiam ſi non tam exquiſitæ fuerint. quod autem in iudicio proponatur id, quod vtile eſt & iucundum apertè declarat Cicero pro Roſcio Am. qui vtrumque complexus eſt contra aduerſarios; Is (inquit) à vobis iudices hoc poſtulat, vt, quoniã in alienam pecuniam tam plenam atque præclaram nullo iure inuaſerit, quoniamq́ue ei pecuniæ vita Sex. Roſcij obſtare atque officere videatur, deleatis ex animo ſuo ſuſpicionem omnem, metumque tollatis. ſeſe hoc incolumi non arbitratur huius innocentis patrimonium tam amplum, & copioſum poſſe obtinere: damnato & eiecto, ſperat ſe poſſe, quod adeptus eſt per ſcelus, id per luxuriam effundere, atque conſumere.

TEXT. *Ponamus igitur, uoluptatem, motum animi quendam eſſe, & ſubitam, ſub ſenſumq́ue cadentem inſtaurationem ad explendam naturam. huic autem contraria eſt moleſtia.*

COMM. De iucundo uerba facturus primo voluptatẽ definit. quoniam omnia iucunda voluptatem adferunt. Eſt igitur uoluptas, animi quidam motus qui fit ex tempore, caditq́ue ſub ſenſum, ad recreandam atque explendam naturam. Cicero ſecundo de Finibus voluptatem (inquit) hanc eſſe ſentiunt omnes, quam ſenſus accipiens mouetur, & iucũditatẽ quadam perfunditur. & paulo poſt; omnes enim iucundum motum, quo ſenſus hilarentur, Græce ἡδονήν Latinè uoluptatem uocant. rurſus inferius; huic uerbo omnes qui vbiq; ſunt, qui latinè ſciunt, duas res ſubijciunt, lætitiam in animo, commotionem ſuauẽ iucunditatis in corpore. item; in eo autem uoluptas omnium latinè loquẽtium more ponitur, cum percipitur ea, quę ſenſum aliquem moueat iucunditas. hanc quoque iucunditatem, ſi uis, transfer in animum: iuuare enim in vtroque dicitur, ex eoq́ue iucundũ. alibi Cicero uoluptatem ita definit; uoluptas iucũdus motus in ſenſu. Xerſes Perſarum Rex (ut quinto Tuſcul. ſcribit Cicero) præmium illi propoſuit, qui nouam aliquam uoluptatem inueniſſet. hinc uoluptarij dicuntur, qui uoluptatibus dediti ſunt, quales fuerũt Cyrenaici, & Epicurei. uoluptati contrarius eſt dolor in corpore, moleſtia vel ægritudo in animo, de quibus copioſe Cicero ſecundo & tertio Tuſcul.

Quod ſi uoluptas eſt huiuſmodi; perſpicuum eſt, id eſſe iucundum, quod eius affectionis efficiẽs eſt: quod autem eam affectionem interimit, aut quod illi contrarium ſtatum inducit, moleſtum eſt. TEXT.

Ex definitione voluptatis colligit, id eſſe iucundum, quod motum illum animi gignit ad explendam naturam. hoc eſt quicquid conficiens eſt voluptatis, iucundum eſt. quod autem perturbat voluptatem, aut quod eam interimit, aut quod ægritudinem inducit, quæ uoluptati contraria eſt, vt ſit moleſtum neceſſe eſt. vt iucundum eſt cum quis fameſcit, cibum ſumere. quoniam ea res voluptatem gignit, ita cum quis ſitit, bibere. expletur enim appetitus, vnde rectè Ouidius. COMM.

Non facile eſuriens poſita retinebere menſa,
Maioremq́ue cadens excitat vnda ſitim.

Quod ſiquis famelico cibum ſubtrahat, aut ſitienti potum, id ei ſane moleſtum erit. quia res hæc perturbat & tollit voluptatem, quam ex cibo, & potu ſperabat. denique quicquid explet, & ſatiat cupiditatem eſt iucundum. quicquid autem cupiditati reſiſtit, odioſum ac moleſtum eſt.

Neceſſe eſt igitur eſſe iucundum plerunque; cum quis ad id accedit, quod ipſi eſt ex natura: & præcipuè, cum ea, quæ fiunt à natura, ſuam ipſorum naturam recuperarint. TEXT.

Naturæ inclinatio non una eſt; ſed diuerſa ac uaria. quoniam (vt eſt in prouerbio) te tua me mea delectant. & quod egregie Perſius dixit; COMM.

Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor vſus.
Velle ſuum cuique eſt, nec uoto uiuitur uno.

hinc alluſit Horatius eleganti ſimilitudine.

Tres mihi conuiuæ propè diſſentire videntur
Poſcentes uario multum diuerſa palato.

Quod cum ita ſit, non poteſt eadem res omnibus eſſe iucunda, ſed pro naturæ qualitate uariatur etiam iucunditas. cum autem quis accedit ad id, quod naturæ ſuæ accommodatum eſt, tunc iucunditatem percipit, & multo maiorem etiam cum eam rem aſſecutus eſt, quam optabat, ut auarus cum lucri ſpes illi obiecta eſt, ſtatim uoluptate perfunditur, at poſtquam lucratus eſt, maiorem animo uoluptatem ſentit. homo literis deditus, etiam in ipſo ſtudendi labore capit uoluptatem, ſed poſtquam aliquid ſe didiciſſe intelligit, longè maiori delectatione afficitur. idem de reliquis ſentiendum.

Et conſuetudo iucunda eſt: id enim, cui quis aſſueuit, iam illi tanquam innatum; inſitumq́ue eſt; nam ipſa conſuetudo quandam cum natura ſimilitudinem habet. quod enim crebro fit, non multum abeſt ab eo, quod ſemper fit: quæ uerò ſemper fiunt, a natura proueniunt; quæ crebro à conſuetudine. TEXT.

Sicuti res naturales iucundæ ſunt, ita etiam quæ à conſuetudine proueniunt. ratio eſt, quoniam cum alicui rei quis aſſueuit, ea fit illi tanquam innata, atque inſita. præterea ſimilitudinem quandam habet conſuetudo cum natura: quoniam res naturales eodem ſemper modo progrediuntur, COMM.

gediuntur, res autem quæ fiunt à conſuetudine, crebrò fiunt, parum autem diſtat, quod crebro fit, ab eo, quod fit ſemper. ergo etiam conſuetudo parum differt à natura, hoc eſt quod in Georgicis ait Virgilius;

Adeo à teneris aſſueſcere multum eſt.

& Pythagoras dicebat eligendam eſſe optimam uiuendi rationem, quoniam eam iucundam conſuetudo reddet. delectat autem tam mala, quam bona conſuetudo, ut Iuuenalis; tenet inſanabile multos, Scribendi Cacoethes, & ægro in corde ſe neſcit. & alibi docet homines petulantes delectari conſuetudine uerberandi & cædendi obuios, ſic enim ait,

Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit
Dat pœnas, noctem patitur lugentis amicum
Pelidæ cubat in faciem, mox deinde ſupinus.

ita qui alea ludere conſueuit, eo ludo mirifice delectatur, uſque eo ut neque famem neque ſitim, neque frigus neque calorem ludendo ſentiat: & continenter ſocios quærat, quibus cum ludere poſsit. hunc locum de conſuetudine tractat copioſè Cicero contra Verrem cum oſtendit eum ab adoleſcẽtia libidini, & rapinæ deditum, nunquam ab eis uitijs receſsiſſe.

TEXT. *Et quod non eſt uiolentum, eſt iucundum; uis enim contra naturam eſt. ideo neceſſitas omnis eſt moleſta, recteque dictum eſt à poeta quodam; Inſuaue eſt ſemper, fieri quodcunque neceſſe.*

COMM. Quod non eſt uiolentum, eſt ſecundum naturam, ideo iucundum eſt. hoc autem à contrario probatur. ſiquidem uis contra naturam eſt, itaque uiolentum eſt moleſtum. & quoniam in neceſsitate uis quædam eſt, ideo fit ut omnis neceſsitas ſit moleſta. Quare carmen illud Eueni poetæ uerum eſt, in quo dixit; quodamque neceſſe eſt fieri, ſemper eſſe inſuaue. quod etiam à Theognide quodam in uerſu confirmatur. hac ratione Cicero Ligarium defendit, quod non ſua ſponte, ſed neceſsitate coactus in Africa fuerit; Tertium (inquit) eſt tempus, quo poſt aduentum Vari in Africa reſtitit. quod ſi eſt criminoſum, neceſsitatis crimen eſt non uoluntatis. & quæ ſequuntur. notiſsimus enim eſt locus. Eſt autem neceſsitas ingens telum (ut prouerbio dicitur). Simonides dixit; neceſsitati ne deos quidem reſiſtere. Plato in conuiuio ſcribit, multa acerba & moleſta Deis etiam accidiſſe ob neceſsitatis regnum. T. Liuius; pareatur (inquit) neceſsitati quam ne Dij quidem ſuperant. poetæ finxerunt, neceſsitatem eſſe Parcarum matrem, quæ nullo modo flecti poteſt. eſt igitur res odioſa ac moleſta omnis neceſsitas.

TEXT. *Et ſedulitates, ſtudia, contentionesque animi moleſta ſunt. hæc enim omnia neceſſaria, ac uiolenta ſunt: niſi fortaſſe quis in eis diu uerſatus fuerit; tunc enim conſuetudo iucunditatem parit.*

COMM. Omnis labor, omnis diligentia, omne ſtudiũ, atque animi contentio, quamuis libenter ſuſcipiatur, propter aliquem finem, tamen moleſtiam aliquam adfert, quoniam in rebus eiuſmodi quædã videtur eſſe neceſsitas atque violentia. vis enim quodammodo corpori atque animo adhibetur, qui tranquillitatem, & quietem cupit, neceſsitas autem cogit hominem & labores, & animi contentiones ſuſcipere, vt optatum finem aſſequatur. quod ſi fieri poſſet vt ſine ſtudio ac labore quod cupit aſſequeretur, omnino neque ſtuderet, neque laboraret. vnde illud ſalſum M. Lepidi dictum, quod ſecundo de Oratore ponit Cicero, cũ cæteris in campo exercentibus in herba ipſe recubuiſſet, vellem hoc eſſet (inquit) laborare. quod ſiquis etiam tollat finem cuius gratia laborãt homines, nemo laborabit. quod ita pro Archia Cicero confirmat. Certe ſi nihil animus præſentiret in poſterum, & ſi quibus regionibus vitæ ſpacium circunſcriptum eſt, eiſdem omnes cogitationes terminaret ſuas, nec tantis ſe laboribus frangeret, neque tot curis, vigilijsq; angeretur, nec toties de uita ipſa dimicaret. ſed ſpes perueniendi quo velis aut conſequendi quod concupiſcis, laborem facit videri leuiorem, ad quod alluſit Ouidius eo verſiculo;

Et non ſentitur ſedulitate labor.

Præterea qui diu uerſatus eſt in aliquo labore aut aliqua re moleſta, vnde fructum capiat, iam non amplius moleſtum ex ea, ſed potius voluptatem percipit, quoniam conſuetudo, ſicuti iam dictum eſt, iucunditatem gignit.

Contraria verò ſunt iucunda: ideo ceſſationes, ocia, relaxationes, ludi, quietes, ſomnus in iucundis ponuntur. nihil enim horum eſt neceſſarium. TEXT.

Sicuti ea moleſta ſunt, quæ propter aliquam neceſsitatem amplectimus, ita contraria ſunt iucunda, quæ nulla re coacta, ſed noſtra ſponte ſuſcipimus quales ſunt ceſſationes à labore, ocia, relaxationes animi, ludi, quietes, lenis ſomnus. hæc enim amica naturæ quodammodo eſſe videntur. vnde Craſſus apud Ciceronem libro de Oratore ſecundo ait; liberũ non eſſe qui non aliquando nihil agit. in qua (inquit) permaneo Catule ſententia: meq;, cum huc veni; hoc ipſum nihil agere: & planè ceſſare delectat. & paulo ſuperius dixerat, Scipionem & Lelium cum rus ex vrbe tanquam ex vinculis euolauiſſent, ad omnem animi remiſſionem, ludumq; deſcendere ſolitos. Ariſtoteles Ethicorum libro decimo ſic ait; At ludere, vt res ſerias gerere poſsis, Anacharſidis ſententia conceſſum eſt. quoniam enim ludus requieti & ceſſationi ſimilis eſt. quoniamq; laborem ferre ſempiternum minime poſſumus, ceſſatione opus eſt. Horatius ſecundo carminum oſtendit ocium ab omnibus tanquam rem iucundiſsimam deſiderari. ſic enim ait COMM.

Ocium diuos rogat in patenti
Prenſus ægæo ſimul atra nubes
Condidit lunam neque certa fulgent,
Sidera nautis.

Ocium

Ocium bello furioſa thrace
Ocium Medi pharetra decori. & quæ ſeqnunt.

quod autem ſomnus In iucundis rebus ſit, quamuis perſpicuum ſit omnibus, tamen eleganter Ouidius libro transformationum vndecimo ſic explicat;

Somne quies rerum, placidiſsime ſomne deorum
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Feſſa miniſterijs mulces, reficisq; labori.

quod autem ait Ariſtoteles nihil horum eſſe neceſſarium, ita eſt intelligendum, nullam eſſe nim quę nos ad hæc impellat, ſed noſtra ſponte quietem & ſomnum amplecti.

TEXT. *Id etiam omne cuius cupiditate tenemur, eſt iucundum; cupiditas enim rei iucundæ appetitus eſt.*

COMM. A definitione cupiditatis probat ea, quæ cupiunt homines iucunda eſſe. nihil enim aliud eſt cupiditas, niſi rei iucundæ appetitus, ergo quod quiſque cupit, id ei iucundum eſt. nt Cicero ad Luceium libro Epiſtolarum quinto; ardeo cupiditate incredibili, neque (ut ego arbitror) reprehendenda, nomen vt noſtrum ſcriptis illuſtretur, & celebretur tuis. quibus verbis oſtendit Cicero ſibi iucundum fore, ſi de ipſo Luccius ſcribat. igitur ambitioſo iucundus eſt honor, quem vehementer cupit, auaro pecuniæ, Philoſopho rerum cognitio, Imperatori victoria, & triumphus, ut in Piſonem Cicero; Cęſar fertnr (mihi crede) gloria, flagrat, ardet cupiditate triumphi. cum autem quis aſſecutus eſt, quod vehementer cupiebat, explętur animus iucundiſsima uoluptate.

TEXT. *Cupiditatum autem aliæ ratione carent, aliæ ſunt cum ratione coniunctæ: ratione carentes eas uoco, quas non iuditio, cogitationeq́ue noſtra ſuſcipimus, ſunt autem eiuſmodi, quæ natura nobis ineſſe dicuntur: ut quæ propter uſum corporis nobis hærent; ut alimenti gratia ſitis, & fames, & cuiuſque nutrimenti appetitio: & quæ guſtatu percipiuntur; & in uenereis rebus; & omnino quæ tactu delectant: & odorum ſuauium, qui naribus ſentiuntur; & audiendi, uidendiq́ue cupiditates.*

COMM. Diſtinguit cupiditates & earum duo genera facit, ſunt enim aliquæ cupiditates rationis expertes, aliquæ participes rationis. ac primò declarat quæ ſint illæ, quæ rationis expertes dicuntur. ſunt enim huiuſmodi cupiditates, quæ non à cogitatione iudicioq́ue noſtro proueniunt, ſed à natura nobis ingenerantur, quæ ideo ratione carere dicuntur, quoniam etiam in belluis reperiuntur. pertinent enim vel ad nutrimentum, nel ad ſenſum. & tantum ad nſum corporis referuntur. ad nntrimentum vt fames & ſitis, & cuiuslibet nntrimenti appetitus. eſt autem fames (ut ait Ariſtoteles ſecundo de anima) calidi & ſicci nntrimēti appetitio. Virgilius in Sexto male ſnadam famem appellat eo, quod homines impellat ad maleficia. qnamnis interdum etiam multorum bonorũ cauſa ſit, vnde Perſiusait; magiſter artis ingenij que largitor venter, negatas artifex ſequi uoces. & in ſententijs græcis vna circunſertur in hunc ſenſum; multarum rerum fames eſt magiſtra. Socrates dicebat cibi condimentum eſſe famem, potionis ſitim. quin belluas etiam ſæpe fames huc atque illuc vagari compellit, ut pro A. Cluentio Cicero; beſtiæ fame dominante plerunqne ad eũ locum ubi paſtæ aliquando ſunt, reuertuntur. & vulgo dicunt, à fame lupum extra nemus expelli. Sitis autem frigidi & humidi eſt appetitus, ut idem Ariſtoteles teſtatur. cibo igitur & potione fames & ſitis depellitur. ſed qui cibo & potione carent, fame & ſiti dominante multa ſæpe maleficia aggrediuntur. vtrunque etiam pro anaritia ponitur, ut ad Atticum; triginta fuerunt quos fames magis qnam fama commonerit. & in Paradoxis; nunquam enim expletur nec ſatiatur cupiditatis ſitis. ad ſenſum illę cupiditates referuntur quæ guſtatu, tactu, olfactu, auditu, uiſu percipiuntur. guſtatus habitat in ea parte oris qua eſculentis & potulentis iter natura patefecit. ut ait Cicero ſecundo de natura Deorum. eſt autem ſenſus ex omnibus maxime uoluptarius, & qui dulcitudine præter cæteros ſenſus commouetur. ait Craſſius tertio de Oratore. qnidam ita nentri gulæque dediti ſunt, nt nihil aliud magis ſtudeāt. celebratur Apicius aſotorũ princeps, quod in parandis ſuauibus epulis ingenioſiſsimus eſſet. Vitellius (ut Suetonius ſcribit) trifariam ant quadrifariam epnlas partiebatur, in ientacula, prandia, cœnas, & comeſſationes. Philoxenns & Gnatho gulæ proceres habiti. hi cum adhiberentur conuiuijs, ſi quæ placuiſſent epulæ, in eas ſpnebant, nt cæteris abſtinentibus, ipſi ſoli ueſcerentur. Philoxenus etiam collum gruis optare ſolebat, ut diutius vini ſuauitatem bibendo ſentiret. multi uero uolnptatibus uenereis dediti ſnnt, qualem Cicero Verrem non uno in loco depingit, & Gabinium & M. Antonium. Cornelius Gallus & Q. Haterius equites Romani propter Intemperantem libidinem in actu venereo mortui ſunt. ſunt etiam qui delectentur odoribus quæ noluptas non eſt tam turpls quam ſuperiores, niſi modnm excedat. nam ſuaues odores cerebrum corroborare ſolent ut anctor eſt Ariſtoteles, tamen olere unguēta exotica, potius muliebre eſt, qnam nirile. Cicero contra Verrem actione ultima, Verrem facete irridet, quod nimis effęminate roſarum & florum odoribus delectaretur; Nam (inquit) ut mos fuit Bithyniæ regibus, lectica octophoro ferebatur, in qua puluinus erat perlncidus Militenſi roſa farctus. ipſe autem coronam habebat nnam in capite alteram in collo: reticulumq́ue ad nares ſibi apponebat tenuiſsimo lino, minutis maculis, plenum roſæ. In auditu etiam ſunt multæ uoluptates ut harmoniæ, cantus, uarij ſoni, facetiæ, fabulæ, hiſtoriæ, res nonæ, & antea inanditæ multum delectant. idem de uiſu ſentiendum, nam aſpectus elegantioris formæ delectat animum, ſicut etiam

rerum

rerum varietas quæ aſpectu percipiuntur. in his rebus omnibus ſunt cupiditates rationis expertes. quia ſenſibus ſubijciũtur, & communes ſunt cum belluis.

TEXT. *Cum ratione coniunctæ ſint cupiditates illæ, quas alicuius oratione perſuaſi homines concipiunt: multa enim & uidere, & acquirere cupiunt; cum ab alijs ea laudari audiunt, & eorum uerbis fidem habent.*

COMM. Beſtiæ tantum ad id, quod adeſt, quodque præſens eſt, mouentur, & ſenſum, non autem cogitationem aut rationem ullam ſequuntur. itaque nõ poſſunt vllius oratione moueri vt aliquid appetant, uel fugiant. homines autem ſæpe mouentur ad alicuius rei cupiditatem, cum eam ab alijs laudari audiunt, aut cum à prudentibus uiris, aut ab ijs, quos plus quam ſe intelligere arbitrantur, ad eam amplectendam excitantur. ut cum adoleſcẽs; exempli gratia, laudari uehemẽter audit eos, qui ſunt eruditi, ſtatim accenditur eius animus doctrinæ deſiderio. ſic Themiſtocles cum ad cœlum efferri laudibus Milciadem audiret, quòd in Marathone Perſas deuiciſſet, ſic inflãmatus eſt gloriæ cupiditate, vt ſomnum oculis capere non poſſet. & cum noctu ambularet in publico, interrogatus cur id faceret, Milciadis, inquit, trophæũ me dormire non patitur. ergo omnes huiuſmodi cupiditates, quæ ex aliorum uerbis & laudibus excitantur, dicuntur eſſe cum ratione coniunctæ.

TEXT. *Et quoniam iucunditas in quadam affectione ſentiendæ poſita eſt; phantaſia uero ſenſus quidam eſt, ſed infirmus; & ei qui recordatur, aut ſperat, phantaſia comitatur eius rei, quam recordatur aut ſperat: perſpicuum eſt, hoc ita poſito, uoluptates etiam ex acriori recordatione, & ſpe concitari; ſit enim aliquo modo ſenſus.*

COMM. Hoc loco probare uult Ariſtoteles etiam ex recordatione rerum præteritarum, & ſpe futurarum percipi uoluptatem. cum enim quis recordatur quibus in bonis fuerit, aut quę pericula uitarit, & cum aliquod ſperat commodum, ea cogitatione quodammodo recreatur. hoc autem accidit. quoniam uoluptas eſt in commotione ſenſuum. & phantaſia quidam eſt infirmus ſenſus. cum autem quis recordatur uel ſperat, tũc eius phantaſia mouetur, & eam rem concipit animo, cuius recordatione, uel ſpę tenetur. itaque fit aliquo modo ſenſus, ex quo uoluptas naſcitur. hanc rem ita Cicero libro epiſtolarum quinto confirmat. ſic enim ait; habet enim præteriti doloris ſecura recordatio delectationem. & in libro de Senectute; conſcientia benè actæ uitæ, multorumque benefactorum recordatio iucundiſſima eſt. & primo de Finibus ita inquit; ut ijs bonis erigimur quæ expectamus, ſic lætamur ijs quæ recordamur. Sapientes bona præterita grata recordatione renouata delectant. notãdum eſt, quod Ariſtoteles ait hoc loco, phantaſiam eſſe quendam ſenſum, ſed infirmum, cum ipſemet tertio de Anima probare contendat phantaſiam non eſſe ſenſum. ergo ſibi contrarius uidetur. uerum hic ex opinione communi loquitur, non exquiſitè ut iam ſæpius ipſe prædixit, itaque ſenſum appellat, ſed ut ſententiam ſuã ſequatur, addit eſſe infirmum, ac debilẽ ſenſum. non eſt igitur ſenſus integer, ut ait tertio de anima, ſed eſt ſenſus infirmus, ut hoc loco affirmat. Licet autem non ſit ſenſus phantaſia, tamen habet magnam cum ſenſibus ſimilitudinem, quia etiam ipſa res ſenſiles percipit. ſed quia certiora ſunt & euidentiora quæ ſenſibus percipimus, quam quæ phantaſia comprehendimus, ideo ſenſus infirmus imbecillisque uocatur ipſa phantaſia. Cicero in Academicis ita inquit; De ſenſibus ipſis quædam dixit noua: quos iunctos eſſe cenſuit e quadam quaſi impulſione oblata extrinſecus: quam ille phãtaſiam, nos viſum appellamus. cum autẽ recordamur aut ſperamus, ſtatim e memoria ad cogitationem & ad phantaſiam reuocantur ſpecies earum rerum quarum recordatione, aut ſpe ducimur, quę res pleruuque ſolet eſſe iucunda.

TEXT. *Itaque neceſſe eſt, omnia iucunda aut propter ſenſum eſſe præſentia, aut propter recordationem præterita, aut propter ſpem futura. ſentiunt enim homines, res præſentes, recordantur præteritas, ſperant futuras.*

COMM. Probat res iucundas tribus diſtingui temporibus, hoc eſt præterito, præſenti, & futuro. nã ſenſuũ functiones in quibus maximè uoluptas eſt, præſentis ſunt temporis. recordatio uero, quæ ẽt ipſa ſæpe iucunditatem adfert, ad pręteritum tempus pertinet. Spes denique ſemper eſt rerum futurarum, quę cum uoluptate ſępe pręſumuntur. hac diſtinctione vſus eſt etiam libro Ethicorum nono, ubi ait; iucundam eſſe pręſentis temporis actionem; futuri ſpem, pręteriti memoriam, ſed tamen iucundiſſimum eſſe omnium quod in pręſentis temporis actione conſiſtit.

TEXT. *Neque tantum ea iucunda ſunt ex recordatione, quæ, cum adeſſent erant iucunda, ſed quædam etiam, quia moleſta fuerunt; ſi poſtea quippiam honeſtum, atque utile conſequatur. quo fit ut illud rectè dictum ſit, ſuauis eſt laborum præteritorum memoria: & illud; Nam iuuat inſanos hominem meminiſſe dolores Quos tulit infeſtis fortunæ caſibus ait. huius autem rei cauſa eſt; quoniam eſt etiam iucundum, nihil habere mali.*

COMM. Ex uehementi recordatione uoluptatem percipi iam docuit, nunc adiungit non tantum ex bonis pręteritis, ſed etiam ex malis interdum ſolere naſci iucunditatem. pręſertim ſi poſtea fortuna in melius commutatur, & aliquid quod honeſtũ ſit, aut utile ſubſequatur. & quoniam hoc incredibile videbatur, probat Euripidis, atque Homeri auctoritate. Cicero ſecundo de Finibus ita inquit; Quid ſi etiam iucunda memoria pręteritorum malorum, ut prouerbia nõnulla ueriora ſint, quam ueſtra dogmata? Vulgo enim dicitur, iucundi acti labores. nec male Euripides, concludam ſi potero latinè. gręcum enim hunc uerſum noſtis omnes, ſuauis eſt laborum pręteritorum

memoria.duos uero ſequentes uerſus ſumpſit ab Homero,apud quem odyſſeæ libro quintodecimo Eumæus ſubulcus cum Vlyſſe loquens, quẽ tamen ignorabat,illa uerba profert.quem imitatus etiam Virgilius primo Aeneidos ita inquit; forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit. & Seneca in Tragœdijs;Quod fuit durum pati, meminiſſe dulce eſt.cauſam autem huius rei dicit Ariſtoteles eſſe,quia iucundum eſt etiam malo carere. unde Hieronymus Rhodius dixit,ſummum bonum eſſe nihil dolere.& Ennius,ut ſecundo lib.de Finibus Cicero citat,ita inquit:

Nimium boni eſt,cui nihil eſt mali.

TEXT. *In ſpe ſunt ea iucunda, quæ cum præſentia ſunt, uel oblectare,uel prodeſſe multum uidentur;uel quæ ſine ulla moleſtia proſunt. & in ſumma, quæcunque nobis lætitiam adferunt, cum præſentia ſunt, eadem & ſperantes, & recordantes plerunque delectant.*

COMM. Quoniam ſpes eſt expectatio boni,ſicut ait Cicero,bonum autem eſt iucundum, ideo fit ut etiam ſpes ſit cum iucunditate coniuncta. quæ igitur ſolent nos oblectare cum præſentia ſunt, uel quæ prodeſſe ſine ulla moleſtia, ſunt in expectatione iucunda.ut exempli gratia, nemo eſt quin delectetur natali ſolo,& qui non cupiat,in patria commode atque honeſte uiuere. nam, ut ait Ouidius;

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

Ergo ſiquis in exilio ſit,aut in peregrinatione & breui tempore ſperet in patriam redire, certè ex ea ſpe magnam ſentiet uoluptatem.itaque Cicero ſcribens ad Cæcinam qui erat in exilio,eum ita conſolatur, ut dicat breui tempore fore ut à Cæſare reſtituatur.Spes enim mali præſentis moleſtiam detrahit. & expectare meliora iubet. & hoc eſt quod eleganter Tibullus;

Spes etiam ualida ſolatur compede uinctum.

Colligit autem Ariſtoteles huius loci ſummã breuiter hoc modo;quæcunque ſolent nobis adferre lætitiam & uoluptatem cum præſentia sũt, eadem etiam & in recordatione,& in ſpe delectare conſueuerunt. Vt amans qui aliquãdo potitus ſit amica ſua cum eius uoluptatis recordatur,quãdam animo lætitiam ſentit,& ſi ſperat iterum ea potiri,eodem modo gaudet.

TEXT. *Itaque etiam iraſci iucundum eſt; nemo enim illi iraſcitur,quem ſe nullo modo putat ulciſci poſſe. neque illis qui ualde ipſum opibus potentiaque ſuperant,aut ſi iraſcitur,leuius remiſſiusque iraſcitur; quemadmodum etiam Homerus de ira cecinit;*

Dulcior effuſo qua melle in pectore gliſcit.

COMM. Iram ideo iucundam eſſe uult,quoniam qui iraſcuntur ſperant ſe ulciſci poſſe ſuas iniurias.neque enim quiſquam iraſcitur contra illũ cui nullo modo ſe nocere poſſe intelligit. ut ſi opibus potentiaque longè ſuperior ſit,aut ſi quis eſt qui contra potentiorem iraſcatur,lenis eſt eius ira,facileque remittitur.quod autem in ira ſit quædam iucunditas Homeri teſtimonio probat, qui dixit iram melle dulciorem eſſe.quem Homeri locum etiam Plato in Philebo citat,vbi Socrates ait, irã, metum,inuidiam,& reliquas animi perturbationes uoluptatum eſſe plenas. eſt enim ira ſicut ait Cicero 4.Tuſcul.libido puniendi eius qui uideatur læſiſſe iniuria. in omni uerò libidine uoluptas ineſt.Peripatetici multis uerbis iracundiam laudant,cotem fortitudinis eſſe dicunt,multoque in hoſtem, & improbum ciuem uehementiores iratorum impetus eſſe.

TEXT. *Quin maximam cupiditatum partem uoluptas cõſequitur.nam,aut dum recordantur ſe cupiditatem ſuam expleuiſſe,aut dum expleturos ſe ſperant;quodam genere uoluptatis afficiuntur: Vt qui ſebre laborant,cum ſiti premuntur, & recordati fuerint, ſe aliquando bibiſſe,ſperantque futurum ut bibãt;gaudio afficiuntur:& qui amant,cum de amoribus ſuis aut loquuntur,aut ſcribunt,aut canunt ; ſemper lætantur:nam in his omnibus,cum apud illos deliciarum ſuarum memoria uigeat,quaſi ſentire ſe eos exiſtimant.*

COMM. In omni fere cupiditate,inquit,ineſt aliqua uoluptas.quod ea ratione probatur,quia qui cupiditatibus ducuntur,dum in mentem reuocant quo modo iam aliàs uoti compotes facti fuerint, & dum ſperant fore,ut poſtea conſequantur id, qđ cupiunt,quãdam percipiunt uoluptatem. hoc autem duobus exemplis probatur. primũ ab ægrotis ſumitur. ſiqui ſunt(inquit) qui ſebre laborantes ſiti premantur,dum recordantur ſe aliquando ſitim ſuam ſatiauiſſe, & amœnos ac limpidos fontes uidiſſe, & dum ſperant fore,ut cum morbum depulerint,ſuo arbitrio bibant,ea cogitatione magna uoluptate perfunduntur. alterum exemplum ſumitur ab amatoribus.illi enim ſiue loquantur, ſiue ſcribant,ſiue canãt aliquid de ſuis amoribus, ſemper lætantur,quia ſibi cum delicijs ſuis loqui & eas præſentes,habere uidẽtur de hac re ſic Propertius primo libro;

O noctem meminiſſe mihi iucunda voluptas,
O quoties notis illa uocanda meis.

Rurſus in ſecundo narrat ita ſuas uoluptates;

O me felicem,nox o mihi candida,& ora
Lectule delicijs facte beate meis.
Quam multa appoſita narramus verba lucerna
Quantaque ſublato lumine rixa fuit.&c.

Sic apud Virgilium paſtor ille de ſuo Alexi canens magnam oſtendit iucunditatem cum ait:

Huc ades o formoſe puer,tibi lilia plenis
Ecce ferunt nymphæ calathis tibi cãdida Nais
Pallentes uiolas & ſumma papauera carpens,
Narciſſum & florem iungit bene olentis anethi.

& quæ ſequuntur. notus eſt locus.nã ea cogitatio quæ nobis formam amatæ rei repræſentat nunquam ſit ſine aliqua uoluptate.

TEXT. *Et hoc omnibus amoris initium eſt,cum non tantum præſenti ſpecie gaudent,ſed etiam abſentem reuocantes in memoriam diligunt. itaque tunc amare incipiunt:cum id,quod cupiunt,abeſſe dolent.*

Probat

Probat in hominibus ex recordatione voluptatem,& amorem excitari. neq; enim(inquit)aliud eſt amoris initium niſi cum aliqui nou tantum præſenti pulchritudine delectãtur, hoc enim omnes faciunt; ſed cum abſentem reducunt in memoriam & de illa cogitantes, ad cupiditatem excitantur eamque diligunt, dolentque abeſſe. igitur amor originem habet ex aſpectu, incrementũ ex cogitatione, & abſentis deſiderio. unde bene Propertius dixit;

Si neſcis oculi ſunt in amore duces

Atque etiam prouerbio dicitur; ex aſpectu naſcitur amor.& Virgilius in Bucolicis;

Vt uidi,ut perii,ut me malus abſtulit error.

Et in Georgicis;

—Vritque uidendo Fœmina.

Quare Iuuenalis quaſi prodigium quoddam refert, de cæco homine amore capto,

Qui nunquam uiſæ flagrabat amore puellæ,

Et Cicero tertia actione in Verrem, ex eo Verris libidinẽ amplificat, quod amore filiæ Philodami,quã nunq̃ uiderat, ſic exarſiſſet ut eã p vim a patre abducere tẽtauerit,& hoſpitiuim intulerit.

TEXT. *Quin etiam in luctibus,& lamentationibus quadam uoluptas innaſcitur.dolor enim exiſtit, ex eius deſiderio,qui mortuus eſt; uoluptas autem ex recordatione,& quaſi conſpectu eiuſdem: dum ſibi illum penè cernere uidentur; & qua, dum uixit, egit,& quibus moribus erat præditus,apud ſe repetunt.itaque illud etiam ab Homero dictum eſt;*

Sic ait,& cunctis flendi eſt exorta cupido.

COMM. Rem prorſus admirabilem narrat.quam tamẽ addita ratione ueram eſſe confirmat. in luctibus & lamentationibus etiam eſſe quandam voluptatem.nam dolor(inquit) naſcitur ex eius deſiderio quem mortuum lugemus,uoluptas autem ex recordatione,& prope aſpectu eiuſdem.nam qui lugent,ea recordantur,quę uel dixit,uel fecit is,qui mortuus eſt,& eius mores in mentem reuocant, quæ res permixtam habet voluptatem. probat autem hoc Homeri exemplo,apud quem cũ Achilles socijs ſuis narraſſet,Patroclum amicum ſuum ſibi in ſomnis eſſe viſum, ſuam deflentem fortunam,& rogantem vt ſuum corpus ſepulturæ daretur;in eis ſtatim excitata eſt lugendi cupiditas. hoc oſtẽdit etiam Virgilius Aeneidos tertio, ubi Andromache quæ fuerat vxor Hectoris, uidens Aſcanium Aeneæ filium, Aſtyanactis ſui, qui in excidio Troiano mortuus erat, recordata, ſic exclamat cum lætitia quadam dolori coniuncta.

O mihi ſola mei ſuper Aſtyanactis imago.
Sic oculos,ſic ille manus, ſic ora ferebat.
Et nunc æquali tecum pubeſceret æuo.

Tãto autem maior in luctu uoluptas naſcitur, quanto is,qui mortuus eſt,præſtantior fuit & ſui nominis memoriam reliquit,aut ſi honeſto genere mortis extinctus eſt.Vt in armis fortiter dimicans.de qua re ſic Euander apud Virgilium Aeneidos undecimo filium ſuum Pallantem interfectum lugens;

Non hæc o Pallas dederat promiſſa parenti
Cautius vt ſæuo uelles te credere Marti.
Haud ignarus eram quantũ noua gloria in armis
Et prædulce decus primo certamine poſſet.
Primitiæ iuuenis miſeræ. & quæ ſequuntur.

Ouidius quarto Faſtorum ſic ait;

Fletque meos caſus;eſt quædam flere uoluptas,
Expletur lachrymis egeriturque dolor.

Vlciſci etiam inimicum, ſuaue eſt.nam quod moleſtum eſt,niſi aſſequamur,id iucundum eſt, cum aſſequimur:irati enim maiorem in modum dolent, niſi ſuas iniurias ulciſcantur;q̃ ſi ſperent ulciſci,gaudẽt. TEXT.

In ulciſcendo inimico voluptas percipitur.qđ à contrario probari poteſt.nam ſi dolet is,qui vlciſci non poteſt,ille,qui ulciſcitur, gaudet. quod enim adfert moleſtiam, quando non aſſequimur, idem iucundum eſt, cum aſſequimur. hoc autem iratorum commune eſt,ut doleant, ſi ſuas iniurias vlciſci nequeant,& contrà,gaudeant, cũ ulciſci ſe poſſe ſperant. Cicero poſt reditum ſuũ ad Quirites oſtendit ſe in ulciſcẽdis inimicis nolle Marium imitari,qui ſuas iniurias armis perſecutus eſt.ſed(inquit) ſic ulciſcar genera ſingula, quẽadmodum à quibuſque ſum prouocatus;malos ciues Remp.bene gerendo; perfidos amicos, nihil credendo,atque omnia cauẽdo, inuidos virtuti,& gloriæ ſeruiendo.quod autem ultio ſit iucunda,declarat illud Liuij Salinatoris dictum qui cum aliàs a populo R.notatus fuiſſet ignominia, deinde electus Imperator cõtra Aſdrubalem Annibalis fratrem,dixit ſe ſtatim cum eo confligere decreuiſſe,ut quam celerrime uel gloriam ex hoſtibus victis,uel ex ciuibus necatis gaudium caperet.quin aliqui vt inimicos vlciſcãtur ad mortem antę oculos poſitam ruere non dubitant. & uitã ſuam profundere volunt,dum inimicorum prius ſanguinem profuſum uideant.quam cupiditatem ſic exprimit Dido quarto Aeneidos cum Aeneã abeuntem uideret; COMM.

—Faces in caſtra tuliſſem
Impleſſemque foros flammis: natumque patrẽq;
Cum genere extinxẽ,memet ſuper ipſa dediſſem.

Et decimo Aeneidos Mezentius ita ſuum equum alloquitur.

—Aut hodie uictor ſpolia illa cruenta
Et caput Aeneæ referes: Lauſique dolorum
Vltor eris mecum; aut aperit ſi nulla uiam uis
Occumbes pariter.

Vincere etiam ſuaue eſt non ſolum uictoriæ ſtudioſis,ſed etiam alijs omnibus:nã in uictoria quædã eſt excellentiæ opinio;cuius deſiderio tenentur omnes aut remiſſius,aut uehementius. TEXT.

Inter res iucundas ẽt victoria numeratur. cupiunt.n.oẽs in contentionibus vincere.non tñ qui ſtudioſi victoriæ ſunt,& ei p̃cipuè ſtudent, ſed ẽt oẽs alij.cã eſt,qm̃ qui uincit excellere quodãmodo vr̃.omnes autem excellentię deſiderio tenentur,quamuis alij magis,alij minus. nam excellere pulchrum putamus,(ut ait Cicero). quod autem uictoria ſit res iucundiſſima,declarant ea, quæ COMM.

uictoriam cõſequuntur, prẽmia, ſupplicationes, triũphi, ſtatuæ, ludi, publicæ iubilationes, atque eius generis cętera. quin etiam beſtiæ propter uictoriam mouentur, ut galli uicti ſilere ſolent, canere uictores, ait Cicero de Diui. 2. Virgilius tertio Georgicorum docet equos generoſos maximè uictoriam expetere. unde iubet ut qui curam alendorum equorum ſuſcepit, notet

Et quis cuique dolor uicto, quæ gloria palmæ.

Atq; ibidẽ curſum equorum multis uerſibus deſcribit, & eum locum ita claudit.

Tantus amor laudum, tantæ eſt uictoria curæ.

TEXT. *Et, quoniam uincere ſuaue eſt; neceſſe eſt etiam, ut omnes ludi concertatorij, ut, in quibus pugnæ ſimulacra ſunt, & in quibus fiſtula cantuque contenditur, & in quibus diſputatur, ſuaues ſint; quoniam in eis uincere ſæpe contingit: & talorum ludus, & pilæ, & alea, & teſſerarum.*

COMM. Ex eo quod ſupra demonſtratum eſt, uincere rem eſſe ſuauem, ſequitur vt omnes ludi concertatorij ſint ſuaues, quales ij ſunt, in quibus ſimulacra pugnæ conſpiciuntur. vt cum armati in equis lanceis aduerſis concurrunt. aut mutuo ſe gladijs inuadunt, aut pedites pro vallo contendunt. tales ſunt apud Virgilium libro quinto ludi quos Aeneas in funere patris Anchiſæ fecit. in quibus primo naualis pugnæ ſimulacrum eſt. deinde iuuenes curſu contendunt, tum Dares & Entelles ceſtibus dimicant. denique iaculando certãt. poſtremo certamen etiam equeſtre pueri conficiunt. tales ſunt etiam ludi, in quibus fiſtula cantuq; contenditur, quales in Bucolicis apud Virgilium inter paſtores referuntur. ut in Melibæo;

Et certamen erat Corydon cum Thyrſide magnum

Poſthabui tamen illorum mea ſeria ludo.

Alternis igitur contendere uerſibus ambo

Cœpere, alternos muſæ meminiſſe uolebant.

Et in Pharmaceutria, de alijs paſtoribus.

Immemor herbarum quõd eſt mirata iuuenca

Certantes: quorum ſtupefactę carmine lynces,

Et mutata ſuos requierunt flumina curſus.

Quibus verbis oſtendit Virgilius in eo certamine mirificam quandam fuiſſe ſuauitatem. ſic ẽt ludi in quibus diſputatur iucundi ſunt. vt cũ quæſtiones aliquę ſoluendæ proponuntur. aut cum carmine vel ſoluta oratione contenditur, ſicut apud antiquos crebro fieri conſueuerat. ſcribit. n. Valerius Max. libro nono Sophoclem; cum iam admodum ſenex eſſet, tanta lætitia affectum, q̃d in certamine tragœdiarum victor declaratus fuiſſet, ut ſtatim vitã pr̃ę nimio gaudio exhalarit. neque tantum hi ludi ſuaues ſunt, ſed etiam leuiores, ut talorum ludus, & pilæ, & aleæ, & teſſerarum. ſicut apud Ciceronẽ Cato de Senectutẽ; Sibi igitur habeant alij arma, ſibi equos, ſibi haſtas, ſibi clauam, ſibi pilam, ſibi natationes & curſus: nobis ſenibus ex luſionibus multis talos relinquant, & teſſeras. & In tertio de Oratore, ut homines (inquit) labore aſſiduo & cotidiano aſſueti, cũ tempeſtatis cauſa opere prohibentur, ad pilam, ſe aut ad talos, aut ad teſſeras conferunt. quo in loco Cicero de alea mentionem non facit, quoniam is ludus erat legibus prohibitus, quod oſtendit Horatius eo carmine.

Seu malis vetita legibus alea.

Et Cicero vehementer in eo M. Antonium uituperat, quod eius domus eſſet aleatoribus referta. & in coniuratione Catilinę ait omnes aleatores fuiſſe. & ſecunda Philippica Licinium Lenticulam lege, quę eſt de alea, condemnatum fuiſſe dicit. & idcirco hominem omnium nequiſſimum appellat, quod non dubitaret uel in foro alea ludere. cęteri uero ludi quod hoc loco numerat Ariſtoteles apud Romanos etiam concedebantur, & grauiſſimi homines eis delectabantur. nam Porcius Cato cognomẽto Cenſorius, & Octauius Auguſtus talorum ludo ſe crebro oblectabant. Q. Sceuola grauiſſimus iuriſconſultus pila ſtudioſiſſime luſiſſe dicitur.

Eodem modo in grauibus honeſtiſque ludis ſæpe iucunditas exiſtit. nam hi tunc iucundi ſunt, cũ quis aſſueuerit; illi uerò ſtatim ſunt iucundi, ut uenatio; & omnis ars qua feræ captantur: ubi enim contentio eſt, ibi eſt etiam uictoria. TEXT.

COMM. Ludi ſunt aliqui leues, & animi tantum relaxandi gratia reperti, aliqui graues & honeſti, qui etiam ad utilitatem referuntur. prioris generis ſunt illi, de quibus dictum eſt. ut pila, tali, teſſeræ. qui ſua ſponte iucundi ſunt. poſterioris generis eſt uenatio, atque omnis ars captandarum ferarum. quod genus ludorum ex conſuetudine iucundum fit. non enim omnes uenatione delectãtur, eũm in ea ſæpe magni labores ſint, ſed qui aſſueti ſunt, magnam ex ea iucunditatẽ percipiunt. nam nobiles ferè omnes & principes uenatione delectantur. quod in ea ſit quædam pugnæ ſimilitudo. & bene corpus exercetur, unde Virgilius ſæpe ſuos heroas a venatione commendat. ut primo Aeneidos ait Aeneam ſeptem ceruos uenando proſtrauiſſe in quarto Aeneidos Aſcanium in hac parte commendat quod cum apris & leonibus congredi cuperet;

Spumantemque dari pecora inter inertia uotis

Optat aprum: aut fuluum deſcendere monte Leonem.

In ſeptimo Lauſum Mezentii filium ita celebrat;

Lauſus equum domitor debellatorque ferarum.

Mithridatem legimus adeo uenandi ſtudio captum fuiſſe, vt ſeptem annos perpetuos in ſyluis ac nemoribus uerſatus fuerit, & nunquam tectum ſubiuerit. Quod autem venatio ſit iucunda probat Ariſtoteles hac ratione, quod vbicunque contentio eſt, ibi eſt etiam uictoria, ſed in uenatione eſt contentio, quia feræ ſæpe reſiſtunt & ſe defendunt, ergo etiam in venatione eſt uictoria. ſed victoriam eſſe iucundam ſupra demonſtratum eſt. quare uenatio quæ uictoriam continet, vt ſit iucunda neceſſe eſt.

TEXT. *Itaque iudicialis labor, & controuerſa diſputationes ijs iucunda ſunt, qui iam aſſueuerunt, & eas tractare poſſunt.*

COMM. Quia in omni contentione ineſt victoria, ideo fit, vt quædam artes moleſtæ propter victoriæ ſpẽ ſæpe iucundæ fiunt ijs, qui diu in eis uerſati fuerimus vt iudicialis labor & cauſæ forenſes multũ habent moleſtiæ. facit etiam litigioſæ Sophiſtarum diſputationes, ſed longo uſu & exercitatione iucundæ fiunt. Orator enim eum ex ſententia ſua cauſam dicit, & cum attentos iudices atque auditores videt, ſperatque ſe victoriam conſecuturũ, magnam omnino voluptatem ſentit. idem facit etiam qui cum aliquo diſputat. Antonius tamen ſecundo de Oratore ſic ait; Omnium cæterarum rerum oratio, mihi crede ludus eſt, homini non hebeti, neque inexercitato, neque cõmunium literarum, & politioris humanitatis experti. in cauſarum cõtentionibus magnum eſt quoddã opus: atque haud ſcio, an de humanis operibus longè maximum. uerum nihil tam arduum eſt, quod nõ longa conſuetudine iucundum fiat.

TEXT. *Honor praterea bonaque exiſtimatio inter res ſuauiſſimas numerantur, propterea quòd unicuique naſcitur huiuſmodi de ſe opinio, quòd talis ſit, & quod uirtutis ſit ſtudioſus: & multo magis cum hac audiuerit ab eis, quos uerè ſentire exiſtimat.*

COMM. Cum quis intelligit ſe honorari, & bonam de ſe opinionẽ homines habere, vehementer gaudet ſummamque lætitiam animo concipit, huius autem rei cauſa eſt, quoniam exiſtimat ſe talem eſſe qualis ꝑdicatur. præcipuè ſi laudatur ab eis, quos uerè ſentire ac benè intelligere exiſtimat. hoc idem etiam Ethicorum octauo commemorat. nã uerè ſentientes & intelligentes, poſſunt etiam uerè iudicare. hæc etiam cauſa eſt, cur plerique ab adulatoribus decipiantur, quia honore ſummopere delectantur. Themiſtoclem illum, ait Cicero pro Archia, ſummum Athenis virum dixiſſe aiũt, cum ex eo quæreretur, quod acroama aut cuius uocem libentiſſimè audiret; eius a quo ſua uirtus optima prædicaretur. quin egregij uiri magniq; imperatores eos charos habent, à quibus putãt res ſuas celebrari poſſe. vt C. Mario iucundus fuit Archias poeta, & L. Plotius, quorum ingenio putabat ea, quæ geſſerat, poſſe celebrari. Africano ſuperiori charus fuit Ennius. itaque etiam in ſepulchro Scipionum putatur is eſſe conſtitutus. Pompeius Theophanem Mitylenæum ſcriptorem rerum ſuarum uehementer amauit. Iſocrates ad Demonicum ſcribens admonet eum, ut cum vult alicuius amicitiam ſibi comparare, illum uehemẽter laudet apud eos, qui cum eo uerſantur. hoc. n. initium erit amicitiæ. quoniam omnes laude & honore capiuntur.

TEXT. *Tales autem ſunt uicini potius quam qui interuallo locorum diſiuncti ſunt, & familiares, & noti, & ciues potius quam externi, & qui nunc uiuunt potius quam poſteri: & prudentes magis quam imprudentes; & multi magis quam pauci. uериſimilius. n. eſt eos quos dixi, uera ſentire, quam, qui ſunt eis contrarij.*

COMM. Septem hominum genera numerat, qui uerè de nobis ſentire poſſint, & qui cum nos honorãt, magnam nobis voluptatem adferunt. primo loco ponuntur vicini, qui longè melius de nobis iudicare poſſunt, quam qui locorum interuallo diſiũcti ſunt. ergo cum nos vicini honorant, is uerus eſt honor iudicandus. cum præſertim ſæpe uicini ſoleant bonis noſtris inuidere. unde prouerbium; inuidus vicini oculus. Cicero pro C. Rabirio virum illum probum eſſe, atque integritate uitæ præſtare probat ex eo, quod magno ſtudio totius Apuliæ, ſingulari voluntate Campaniæ vicinitatis ornaretur. Secundo loco ponuntur familiares, qui nos mutua conſuetudine bene cognitos habere poſſunt. honor igitur qui in nos ab illis prouenit, maximè iucundus eſt. Cicero in Epiſtolis multos ſępe commendat, quòd eis familiariter vſus, bonos uiros eſſe cognouerit. Tertio loco noti ſtatuuntur. nam multo melius de nobis iudicare poſſunt, qui nos cognoſcunt, quã ij, quibus incogniti ſumus. Quarto ciues, qui licet nos de facie non cognoſcant, tamen melius quam externi iudicare poſsũt. neq;. n. ciues latent ea, quę præclarè geruntur. Quinto uiuentes potius quã poſteri. quanuis enim negligere non debeamus quid de nobis poſteri dicturi ſint, tamen potius à uiuentibus quam à poſteris honorari cupimus. Sexto prudentes, quoniam imprudentium hominum iudicium cõtemnitur, quod autem viri prudentes laudant, id uere laudabile iudicandum eſt. ultimo loco multi ponuntur. nam & ſi iucundum ſit ẽt à paucis honorari, tamen longè iucundius eſt a pluribus. nam pauci facile decipi poſſunt, multi uero cum in eandem ſententiam concurrunt, & aliquem honore dignum ſtatuunt, nõ facile decipiuntur.

TEXT. *Nam quos aliquis ualdè contemnit, ut pueros, & belluas, ab eis non curat ſibi honorem aut gloriam attribui: intelligo autem ipſius gloriæ cauſa; nam ſi curat, propter aliud aliquid curat.*

COMM. Honor eſt iucũdus cũ ab eis hominibus quos ſupra diximus, nobis attribuitur. nemo autem curat ab eis honorari, quos omnino contemnit, vt à pueris, & belluis. coniungit autem Ariſtoteles ſæpe pueros & belluas, ob inopiam conſilii. ſicut enim belluæ ſequuntur appetitum & ſenſum, ita etiam pueri. quod ſi quis vult à pueris honorari, non id facit honoris aut gloriæ cauſa, ſed propter aliud aliquid, vt obedientes ſint, vel vt timeant, uel vt erudiãtur. uel denique vt aliqđ ab eis commodum acquirat. nam ut octauo Ethicorum docet, quidam reperiuntur, qui gaudent à diuitibus honorari, non ipſius honoris gratia, ſed quia ſperant ſe ab eis commoda aliqua reportaturos.

TEXT. *Et amicus res eſt iucunda; nam amare iucundum eſt: neque enim quiſquam uini amator eſt, qui non uino gaudeat: contra uero ſuaue eſt etiam amari, nam qui amatur, cogitat ſe uirum eſſe probum, quod eius probitatem expetant omnes, qui eam cognoſcunt. a-*

mari autem eſt ipſum propter ſe carum eſſe, atque diligi.

COMM. Amicum rem eſſe iucundã probat ex eius definitione. eſt enim amicus is, qui amat, & qui mutuo amatur. ſiquidem amicitia eſt æqualitas, & amicus alter ipſe. ut Pythagorici ſtatuunt. cum autem & qui amat, & qui amatur voluptatem ſentiat, ſequitur vt amicus res ſit iucunda. quòd uerò qui amat iucunditatem percipiat, probatur aperta ſimilitudine. nemo enim (inquit) uini amator eſt, qui non uino gaudeat. ita nemo eſt literarum amator, niſi qui literis delectetur. nemo pecunias amat, niſi qui eas caras habeat, & ex eis voluptatem ſentiat. probatur etiam amari rem eſſe ſuauem. quoniã is, qui amatur ſtatim de ſe bene ſentit, & ſe virum eſſe probum exiſtimat. quoniam quicunque probitatem eius cognoſcunt, eum ament. adiungit autem definitionem Ariſtoteles, vt intelligamus, quid ſit amari. amari eſt (inquit) ipſum propter ſe carum eſſe. nam ſiquis carus alteri ſit propter diuitias, aut propter aliquod commodum, nõ amari dicitur. nam, vt ait Cicero, me ipſum ames oportet, non mea, ſi veri amici futuri ſumus. in libro de Amicitia Cicero declarat quid ſit amare; Amare (inquit) nihil aliud eſt, niſi eum ipſum diligere, quem ames, nulla indigentia, nulla utilitate quæſita. quod autem in amando ſit delectatio, licet omnes ſentiant, tamen etiam Cicero docet in Epiſtolarum libro primo cum ſic ait; delectauerunt me literæ tuæ, in quibus primum amaui amorem tuum. ſed pro Plãcio uidetur omnem iucũditatem in amicitia poſuiſſe cum ita inquit: Quæ poteſt eſſe iucũditas vitę ſublatis amicitijs? quæ porrò amicitia poteſt eſſe inter ingratos? cum autem omnis amicitia ſit iucunda, tamẽ illa iucundisſima quam morum ſimilitudo copulauit.

TEXT. *Admiratione quoque affici iucundum eſt; quia, qui quempiam admiratur, eum etiam honorat.*

COMM. Cum qui intelligit ſe alijs admirationi eſſe magnam voluptatem percipit. ratio eſt, quoniam honor qui maximè iucundus eſt, admirationem conſequitur. nam qui alium admiratur, eũ etiam honorat. quoniam in eo magnas aliquas eſſe virtutes cenſet. de qua re Cicero libro de officijs ſecundo ſic ait; admirantur communiter illi quidẽ omnia quæ magna & præter opinionem ſuam animaduerterant; ſeparatim autem in ſingulis ſi perſpiciunt necopinata quædam bona. itaque eos uiros ſuſpiciunt, maximisque efferunt laudibus, in quibus exiſtimant ſe excellentes quaſdam, & ſingulares virtutes perſpicere. & paulo poſt; Admiratione quadam afficiuntur ij, qui anteire cæteros uirtute putantur. Hæc eſt cauſa, quare iucundum ſit admiratione affici, hoc eſt, alijs eſſe admirationi. ſic enim etiam Cicero loquitur.

TEXT. *Adulari prætereа res eſt iucunda, atque etiam aſſentator ipſe; ſiquidem admirantis & diligentis ſpeciem habet aſſentator.*

COMM. Duabus de cauſis adulatores atque aſſentatores ſolent eſſe iucundi. Primò quoniam admirari videntur eos, quibus aſſentantur, & iam declaratum eſt, rem eſſe iucundam de ſe admirationem concitare. ita Gnatho ille Terentianus adulatorum princeps vt ipſe videri vult, ſic ait: & eorum ingenia admiror ſimul. deinde quia uehementer ſe amare ſimulant, & ſupra diximus amari iucundum eſſe. cum igitur & admirantis, & amãtis ſpeciem habeat aſſentator, non mirum ſi eis, quibus aſſentatur voluptatem adfert. Bene igitur Cicero primo de Officijs præcipit, ut caueamus ne aſſentatoribus patefaciamus aures & ne adulari nos ſinamus, in quo falli facilè eſt: tales enim nos eſſe putamus vt iure laudemur. & in Lælio ſic ait; Sic habendum, in amicitijs nullam peſtem eſſe maiorem, quam adulationem, blãditias, aſſentationẽ. Diogenes Cynicus dicebat melius eſſe in coruos quam in adulatores incidere, quoniam corui corporis oculos, adulatores oculos animi effodiunt.

Eadem etiam ſæpe facere, iucundum eſt. quod.n. familiare, eſt etiam iucundum. TEXT.

Eiuſdem (inquit) rei asſidua tractatio iucunda eſt. quoniã quod asſidue tractatur, familiare fit, quod autem familiare, eſt etiam iucundum. ut iã dictum eſt. ſic artifices opere ſuo delectantur, cũ iam in arte callum obduxerint. tradit Plinius Apelli fuiſſe perpetuam conſuetudinem, nũquam tam occupatam diẽ agendi, ut non lineam ducendo exerceret artem, quod ab eo in prouerbium venit. ita qui ceſſat ab opere ſuo aliquo die dicere poteſt; nullam hodie lineam duxi. quidam ita dediti ſunt ſtudijs ſuis, ut nullam aliam penè voluptatem ſentiant, quod de Carneade legimus. qui cum in menſa eſſet, ſæpe cibi obliuiſcebatur abreptus cogitatione ſtudiorum ſuorum. Catullus quendam Suffenum irridet qui magnam ex ſcribendis uerſibus voluptatem capiebat, cum tamen eſſet ineptus poeta. TEXT. 35.c.10

— Neque idem unquam
Aeque eſt beatus ac poema cum ſcribit,
Tam gaudet in ſe, tamque ſe ipſe miratur.

Hoc autem commune omnium eſſe uidemus, ut ſuis ſtudijs delectentur.

Et commutatio res eſt iucunda: nam commutari naturæ accommodatum eſt. quod enim ſemper idem eſt, in exuperantiam tranſit; & præſentem habitum corrumpit, Vnde bene dictum eſt, omnium rerum uiciſſitudo eſt iucunda. TEXT.

Hic locus eſt ſuperiori quodammodo contrarius. nam quamuis iucundum ſit in eiſdem rebus asſiduè uerſari: tamen interdũ commutatio & uarietas magnopere delectat. hoc.n. natura ipſa deſiderat. quia quod idem eſt perpetuo, ſatiare ſolet, atque in eo, quod nimium eſt peccat. vt cum corpus eſt bene conſtitutum, ſi ſemp augere ſanitatẽ ſtudeas, & nunquã cibum cõmutes, certè bonus ille habitus corrumpetur. qđ.n. nimis augetur, in exuperãtiã tranſit, quæ iã moleſtiam gignit. ita cum quis aliquo artificio delectatur, ſi ſemper COMM.

iu eo

in eo perſeuerare uelit,& nunquam omnino ceſſare ſine dubitatione tandem moleſtiam ſentiet. bene igitur dictum eſt ab Euripide in Oreſte;omnium rerum viciſſitudo eſt iucunda. nihil.n.poteſt eſſe tam ſuaue,quod non aliquando ſatietatem gignat,unde mimus ille ſatis elegans; Bonarum rerum conſuetudo peſſima eſt. & ille.

Nihil iucundum niſi quod commendat uarietas.

Hoc eſt quod etiam Iuuenalis ſignificat.

Voluptates commendat rarior uſus. Et Cicero primo de Inuentione:omnibus in rebus ſimilitudo eſt ſatietatis mater.

TEXT. *Hac de cauſa quæ fiunt interpoſito temporis ſpacio,iucunda ſunt;& homines,& res poſt longum tempus delectant: quoniam præſentem ſtatum commutant.huc accedit etiam,quia id,quod interpoſito tempore fit,rarum eſt.*

COMM. Quæ poſt aliquod tempus fiunt ideo iucunda ſunt,quia ſtatum præſentem commutant, & varietatem adferunt. ſicuti etiam cum poſt longum tempus amicum aliquem noſtrum videmus, aut ad aliquam vrbem vel alium locum accedimus, quandam ſentimus iucunditatem propter eam commutationem. ſic & medici nonnunquam iubent ægrotos locum & aerem mutare, quoniam ea mutatio nonnihil corpus & animum recreat. eſt etiam alia ratio,cur, quæ fiunt interpoſito tempore,iucunda ſint,quoniam ſunt rara. & quæ rara ſunt,delectare,iam ſupra demonſtratum eſt. Quod autem amicum aſpicere poſt longum tempus,cum,vel nos ad eum accedimus, vel ipſe domum ex peregrinatione reuertitur, iucũdum ſit, apertiſſimum eſt. quam rem eleganter Catullus exprimit ad Verannium ſcribens:

Veniſti ne domum ad tuos penates?
Fratreſque unanimes,tuamque matrem?
Veniſti:o mihi nuncii beati.

Et Virgilius li.3. de Heleno,qui poſt longum tempus Aeneam uiderat & Troianos,ita inquit;

Agnoſcitque ſuos lætusque in mœnia ducit.

Sed hanc rem omnium elegantiſſimè Cicero poſt reditum ſuũ ad Quirites expreſſit, cum ita inquit:ipſa autem patria Dij immortales,dici vix poteſt,quid caritatis quid uoluptatis habeat.quæ ſpecies Italiæ,quæ celebritas oppidorũ, quæ forma regionum,qui agri,quæ fruges, quæ pulchritudo vrbis,quæ humanitas ciuium,quæ Reip.dignitas,quæ ueſtra maieſtas.quibus ego omnibus antea rebus ſic fruebar,vt nemo magis. ſed tanquam bona ualetudo iucundior eſt eis, qui e graui morbo recreati ſunt, quam qui nunquã ægro corpore fuerunt: ſic ea omnia deſiderata magis quam aſſidue percepta delectant.

TEXT. *Diſcere quoque iucundum eſt;& admiratione duci plerunque eſt ſuaue.nam cum admiramur, diſcere cupimus,&,quod eſt admirabile,deſiderium excitat; atque in diſcendo proficiſcimur in eum ſtatum, qui nobis naturalis eſt.*

COMM. Cum naturalis ſit quædam in omnibus hominibus cupiditas,vt ſcire velint.trahimur enim,inquit Cicero, omnes ſcientiæ cupiditate, in qua excellere pulchrum putamus, ideo fit vt res iucũda ſit aliquid diſcere.nam ea ratione cupiditas illa naturalis aliquo modo expletur. Cicero libro epiſt.ad Atticum quarto,ſenarium quendam græcum citat in hanc ſententiam.

Nil dulcius,quam ſcire prorſus omnia.

Lucretius libro ſecundo de hac re ſic ait;

Sed nil dulcius eſt,benè quam munita tenere
Edita doctrina ſapientum templa ſerena,
Deſpicere unde queas alios paſſimque videre
Errare,atque uiam palantis quærere uitæ.

Craſſus tertio de Oratore;libet autem ſemper diſcere.quin Hetruſcus quidam doctus & elegãs poeta clamat idiomate ſuo,nullam ſe aliam uoluptatem experiri quam in diſcendo. *Petrarcha in primo Triumpho.* Sæpe etiam accidit,vt qui aliquid admiratur uoluptatem ſentiat.nam in ipſa admiratione quædam eſt diſcendi atque intelligendi cupiditas. qui enim dubitat & admiratur,ignorare uidetur. & hoc fuit initiũ philoſophandi. ſicut ipſe Ariſtoteles docet in prooemio librorum primę philoſophiæ, propter admirationem(inquit)cœperunt homines philoſophari. hæc autem eſt rhetorum ars, vt, quoniam ſciunt homines rebus admirabilibus delectari, quoties uolunt auditores ad attente audiendum excitare,polliceantur ſe de rebus mirabilibus verba facturos, ut Cicero pro Q. Ligario: hæc non modo mirabilia ſunt,ſed prodigiis ſimilia quæ dicam. res autem nouæ,inauditæ, & inuiſæ plerunque mouent admirationem,atque ideo ſunt etiã iucundæ. Virgilius quarto Georgicorum ut magis delectaret,propoſuit ſe res admirandas tractaturum. ſic enim ait;

Admiranda tibi leuium ſpectacula rerum
Magnanimoſque duces,totiusque ex ordine gentis
Mores,& ſtudia & populos & prælia dicam.

Ariſtoteles addit cauſam cur diſcere ſit iucundum.nam diſcendo(inquit)proficiſcimur in eum ſtatum qui nobis eſt naturalis. natura nanque nobis eam cupiditatem diſcendi ingenerauit,& mẽs hominis diſcendo alitur,ut ait Cicero, doctrinaque unus eſt ſuauiſſimus animorum paſtus. diſcẽdo igitur naturalis animi cupiditas expletur,quo fit ut magna iucunditas conſequatur.

TEXT. *Præterea beneficia in alios conferre, & ab alijs accipere,iucundum eſt.nam accipere beneficium,eſt id aſſequi,quod quis cupit;conferre autem,eſt habere,& præſtare alijs,ac excellere.cuius utriuſque rei homines cupidi ſunt.*

COMM. Mutua beneficia ſunt iucunda. & qui dat beneficium,& qui accipit voluptatem ſentit. nã cum quis accipit beneficium,id aſſequitur,quod concupiſcit. quam rem eſſe iucundam iam ſupra demonſtratum eſt. qui uerò beneficium dat, is in ea re præſtare atque excellere uidetur, quod ſine dubio ſuaue ac iucundum eſt. tanto autem iucundius eſt beneficium, quanto in hominem gratio-

gratiorem & amiciorem confertur. nam quæ conferuntur in ingratos potius dolorem quam lætitiam adferunt. unde quarto Aeneidos Dido cum ſumma triſtitia commemorat ea, quæ contulerat in Aeneam beneficia. ſic enim ait;

Nuſquam tuta fides. eiectum litore egentem
Excepi, & regni demens in parte locaui.
Amiſſam claſſem, ſocios à morte reduxi.

Et inferius etiam.

3. de Off. Quia ne auxilio iuuat ante leuatos
Et bene apud memores ueteris ſtat gratia facti.

Benè igitur Ennius dixit, vt eſt apud Ciceronem, Benefacta male locata, malefacta arbitror. Nec male dictum eſt in Minio illo;

Beneficium dando accepit qui digno dedit.

Sunt igitur illa iucunda beneficia, quæ inter homines gratos uiciſſim conferuntur.

TEXT. *Quoniam autem iucundum eſt, dare beneficium; ideo propinquos etiam corrigere, & emendare iucundum eſt; & abſoluere, quæ ab alijs incohata, atque imperfecta relicta ſunt.*

COMM. Hic locus elicitur è ſuperiore, qui quidem duplex eſt, beneficium enim multis modis datur, & ſemper eſt res iucunda. quare ſiquis propinquos corrigit & emendat, dare beneficiũ videtur, quoniam eis prodeſt. ita ſiquis abſoluit ac perficit ea, quæ rudia atque incohata ſunt ab aliquo relicta, vt eius laudem atque honorem amplificet, ei prodeſſe videtur, ac beneficium dare, quamobrẽ hæc inter res iucundas numerantur. vt cum pater aut præceptor, ant quilibet alius ſuperior filios, aut diſcipulos, aut inferiores emendat, & ad rectam viam reducit, id quadam cum iucunditate facere ſolet. Cicero pro Murena facetiſſime M. Catoné emendare conatur, qui stoicorum doctrinam ſequeretur, ex eo loco: vituperare non audeo nonnulla in te forſitan conformare, & leuiter emendare poſſim. non multa peccas, inquit ille fortiſſimo viro ſenior magiſter: ſed ſi peccas te regere poſſim. idem Cicero dicitur emendaſſe atque abſoluiſſe Lucretij poemata, quæ ille rudia atq; imperfecta reliquerat. quod quidem dedit amico mortuo. ſicut aiunt etiam a Tucca & Varo Virgilij Aeneidem fuiſſe emendatam. quod non ſine uoluptate ſactum ab eis fuiſſe credendum eſt.

TEXT. *Et quia diſcere & admirari iucundum eſt; illa quoque omnia, cæteraque eiuſmodi iucunda eſſe neceſſa eſt; quæ per imitationem facta ſunt: ut pictura, & ars ſtatuaria, & poetica, & denique quicquid imitatione bene expreſſum fuerit; etiam ſi illud minimè iucũdum fuerit, quod exprimit imitatio. neque enim quiſquam ex hoc uoluptatem capit: ſed quia colligit hoc illud eſſe, quo fit ut aliquid diſcere uideatur.*

COMM. Ex eo, quod dixerat diſcere & admirari iucundum eſſe nonnullos alios locos elicit, ex quibus iucunditas percipiatur. ac primo quæcunque per imitationem bene expreſſa ſunt ait eſſe iucunda, quod accidit in tribus potiſſimum artibus, hoc eſt pictura, arte ſtatuaria, & poetica, ex quibus immenſa certè voluptas percipitur. vt ex operibus Apellis aut Protogenis, quæ plurimum mirata eſt antiquitas. paſcitur enim quodammodo animus ex aſpectu pulcherrimæ picturæ. quod Virgilius oſtendit primo Aeneidos, cum ita ait de Aenea;

Sic ait; atque animum pictura paſcit inani.

Cicero in Oratore ad Brutum ita inquit, In picturis alios horrida, inculta, abdita, & opaca. contra alios nitida, læta, colluſtrata delectant. in Epiſtolis etiam ait ſe pictura delectari. Quæ autem fiunt à ſtatuarijs eodem modo plurimum delectant, & tanto magis quanto pulchriora & maiori arte confecta ſunt, Polycleti, & Phidiæ opera. de quibus multa Plinius. ſed hoc in genere nihil iucundius eſt excellentium poetarum carminibus, in quibus longe melius quam in pingendo aut fingendo, & animi & corporis effigies exprimitur. Itaque non ſine cauſa Cicero pro Archia poeta vehementer poetas extollit, & diuino quodam ſpiritu afflari dicit. Illud autem aduertendum quod ait Ariſtoteles egregiam imitationem eſſe iucundam, etiam ſi illud minime iucundum fuerit, qđ exprimitur imitatione. Vt Statua Laocoontis & filiorum à ſerpẽtibus necatorum, quæ Romæ uiſitur, licet rem aſperam & odioſam exprimat, tamen aſpectu iucundiſſima eſt. non. n. ex ea re quæ moleſta fuit uoluptas percipitur, ſed quoniam ex pictura uel ſtatua colligunt id, quod exprimitur, atque ita quodammodo diſcere uidentur.

Et ſubitæ rerum mutationes, ut in tragœdijs, iucundæ ſunt: & e periculis euadere, quibus aliquis penè oppreſſus fuerit: hæc enim omnia concitant admirationem. TEXT.

In tragędijs & comędijs finguntur quędã rerũ ſubitæ mutationes, vt quis è fortunato de repẽtè miſer fiat, & contra è ſummis miſerijs ad magnas opes ilico perueniat. uel ut aliquid contra oium ſpem & expectationem accidat. hæ mutationes græce uocantur περιπέτειαι, latinè uero non reperitur unum uerbum qđ illi græco reſpondeat. Cicero lib. Epiſtol. 5. ad Luccium ſcribẽs, uim græci illius uerbi ſic expreſſit: At uiri ſæpe excellẽtis ancipites uarijq; caſus habent admirationẽ. Igiẽ (inquit Ariſtoteles) hmõi mutationes, quia ſunt admirabiles, ẽt iucundæ ſolent eſſe. de qua re ſatis diſputat in arte poetica, nbi docet Peripetiã, & Anagnoriſin præcipuam in tragædia voluptatẽ habere. eſt autem anagnoriſis, cũ ea quæ prius erãt incognita fiunt nota. latinè dici põt agnitio. præterea ſiquis è periculo euaſit à quo penè fuerit oppreſsus mirificam voluptatem ſentit. Quare primo Aeneidos ita ſocios ſuos Aeneas conſolatur, dum ea pericula commemorat, è quibns iam euaſerant. COMM.

Vos & Scyllęam rabiem, penituſq́ne ſonantes
Acceſtis ſcopulos, Vos & Cyclopea ſaxa
Experti, reuocate animos męſtumq́ue timorem.
Mittite, forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit.

quin etiam tertio Aeneidos ita inquit;

Iuuat

—Iuuat euaſiſſe tot urbes
Argolicas, medioſq́; fugam tenuiſſe per hoſtes.

Cicero ſecunda actione contra Catilinam atque etiam tertia, uehementer ſe gaudere oſtendit, & populũ Romanũ lætum eſſe iubet, quod Remp. à coniuratione Catilinæ liberarit.

TEXT. *Et quoniam quod eſt ex natura, iucundum eſt; & quæ ſunt eiuſdem generis ſunt ex natura: fit ideo ut quæ ſunt eiuſdem generis ac ſimilia, plerumque iucunda ſunt, ut homo homini, equus equo, iuuenis iuueni. unde fluxerũt illa prouerbia; Aequalis æqualem delectat. &, Simile ſemper ſimili gaudet. &, Fera feram agnoſcit. &, Semper graculus cum graculo. & reliqua huius generis.*

COMM. Cum probare uelit ea, quæ ſunt eiuſdem generis ac ſimilia maiori ex parte iucunda eſſe, utitur argumento eò, quod ſuperius probarat, nempe quæ ſunt ex natura eſſe iucunda. ſic igitur ratiocinatio formatur; Quicquid eſt ex natura iucundum eſt, Quę ſunt eiuſdem generis, ſunt ex natura, ergo quę ſunt eiuſdem generis ſunt iucunda. quid uerò appellet eiuſdẽ generis ipſe declarat, ut homo homini, equus equo, iuuenis iuueni, nã genus pro ſpecie ſæpiſſimè ponitur. hominis autem ſpecies communis eſt omnibus hominibus ſicut equi, omnibus equis. homo igitur homine delectatur, equus equo. ſicuti Cicero primo de Natura Deorum ita confirmat; An putas ullam eſſe terra mariq́; belluam quæ nõ ſui generis belluam maximè delectetur? quod ita eſſet, cur non geſtiret taurus equę contrectatione, equus uaccæ? ponit autem Ariſtoteles quatuor nota prouerbia ad huius loci confirmationem. primũ eſt illud, Aequalis ęqualem delectat. quod ita Cicero poſuit in libro de Senectute; Pares autem cũ paribus (ut eſt in uetere prouerbio) facillimè congregantur.

Theognis etiam dixit inter æquales amicitiã eſ.
Omnes hi ſeſe uenerantur, amantq́; uiciſsim
Vicini, æquales uiribus, atque ſenes.

Alterum prouerbium eſt; ſimile ſimili gaudet, quod etiam octauo & nono Ethicorum uſurpauit. & Agatho in conuiuio Platonis. Cicero nihil magis amicitiam conciliare cenſet, quam morum ſimilitudinem. Vnde Martialis.

Vxor peſsima, peſsimus maritus
Miror non bene conuenire uobis.

Tertium eſt, Fera feram agnoſcit, quod cum eo conuenit; Furemq́; fur cognoſcit, & lupus lupũ. Quartum eſt; Semper graculus cum graculo. qđ idem omnino cum ſuperioribus ſignificat, ſed de his prouerbiis multa Eraſmus in ſuis Chiliadibus.

TEXT. *Quoniam autem, quod ſimile eſt, cognatumque, iucundum ſibi ipſi omne eſt, & unicuique erga ſeipſum maximè hoc accidit, neceſſe eſt omnes homines ſui ipſorum amatores eſſe, aut magis aut minus; uniuerſa enim huiuſcemodi maximè ſunt erga ſe ipſum.*

COMM. Ex iis, quæ dicta ſunt, colligit omnes eſſe ſui ipſorum amantes. nam ſupra iam dictum eſt, qđ eſt ſimile & cognatum, eſſe iucundum. nemo autẽ magis ſimilis aut cognatus eſt, quam ipſemet ſibi. ergo unuſquiſque ſeipſo delectatur, ac ſe ipſum amat. Vnde in ſententiis Græcis una circunfertur in hunc ſenſum.

Nemo ſe ipſo diligit quenquam magis.

Quanuis autem omnes ſeipſos ament, tamen aliqui magis, aliqui minus. qui nimis amant ſeipſos uulgo apud Græcos φίλαυτοι uocantur, & id uitium φιλαυτία, de quo multa Ariſtoteles libro Ethicorum nono. Horatius primo Carminũ ſic illud uitium notauit:

—quæ ſubſequitur cæcus amor ſui.
Attollens uacuus plus nimio, gloria uerticem.

Epicurei uſque eo ſui amantes erant, ut dicerent nihil eſſe faciendum, niſi propriæ utilitatis gratia. ſed hoc uitium Plato malorum omnium fontem exiſtimat. debet igitur amor ſui mediocris eſſe, aut etiam intra modum. alioqui uitium effugere non poterit.

Et, cum omnes ſeipſos ament: neceſſe eſt, ut etiam ſua cuique iucunda ſint; ut opera, & orationes. TEXT.

Ab amore ſui naſcitur etiam amor ſuorum unde Prouerbium; Suum cuique pulchrum. Scribit Ariſtoteles Ethicorum quarto: ſuo quemque artificem opere mirifice delectari, non aliter atque rebus a ſe genitis. ideo bene Socrates dixiſſe fertur; obſtetricem longe melius quam matrem de filio iudicare. Cicero ad Atticum libro 14. Nemo vnquam neque poeta, neque Orator fuit, qui quenquam meliorem ſe arbitraretur. hoc etiam malis contingit. Idem Cicero Tuſcul. quinto de poetis loquens, ita inquit; In hoc enim genere neſcio quo pacto magis quam in aliis ſuum cuiq; pulchrum eſt. adhuc neminem cognoui poetam, & mihi fuit cum Aquinio amicitia, qui ſibi non optimus uideretur. ſic ſe res habet. te tua, me delectant mea. Sic etiam Plautus in Sticho; Suus rex reginæ placet. ſua cuiq; ſponſa ſponſo. uerum de hac re plura Eraſmus in prouerbiis. Horatius et ita inquit; COMM.

Gaudere ſcribentes, & ſe mirantur & ultro
Si taceas laudant quicquid ſcripſere beati.

Ideo plerique ſolent adulatores amare; & eos, à quibus amantur, redamare, & honoris appetentes eſſe, & filios ſuos diligere, ſunt enim filij tanquam parentum ipſorum opera. TEXT.

Ex eo, quod omnes & ſeipſos, & res ſuas amãt, ſequitur, vt quatuor aliis rebus delectentur. nẽpe adulatoribus, amicis, honore, filiis. adulatoribus ideo delectamur, quia res noſtras admirantur, & eas eximias eſſe prædicant, noſque ipſos extollunt. quo fit ut qui patefaciũt aures adulatoribus, facile decipiantur, quod principibus & magnis uiris præcipuè contingit. amici iucundi ſunt, quia non tantum res noſtras ſed etiã nos amant, caroſq́; habent, & quodammodo admirantur. honoris etiam ideo ſumus appetentes, quia COMM.

noa

nos ipſos diligimus,& ſtatum noſtrum ſublimẽ eſſe cupimus. filios autem amamus tanquam ope ra noſtra,& quoniam in eis quodammodo renouamur. Iuuenalis Satyra tertia tradit Græcos à Romanis diligi quoniam bene ſcirent adulari, ſic enim ait;

Quid quod adulandi gens prudentiſsima,laudat
Sermonem indocti,faciem deformis amici.

Virgilius libro nono,tradit Euryalum ita redamaſſe Niſum amatorem ſuum vt cum eo ad mortem ante oculos poſitam proficiſci uoluerit & honorem vitæ prætulerit:ſic enim eum loquentem inducit.

Eſt hic eſt animus lucis contemptor,& iſtum
Qui vita bene rredat emi,quo tendis honorem.

Cicero primo de officiis ait hoc generi animãtiũ omni eſſe à natura tributum, ut curam habeant eorum quæ à ſe procreata ſunt. notanda vero sũt quatuor ea uocabnla quibus hoc loco vtitur Ariſtoteles, quæ non poſſunt vno ſingula uerbo latinè uerti, φιλοκόλακες dicuntur, qui aſſentatoribus aures patefaciunt, φιλερασταὶ qui redamant eos, à quibus amantur,& propriè de pueris dicitur. φιλότιμοι qui ſunt honoris appetentes. φιλότεκνοι, qui filiorum curam habent. omnes autem homines his quatuor rebus delectantur, ſed aliqui magis,aliqui minus.

TEXT. *Et inchoata perficere, iucundum eſt; nam eorum, qui perficiunt, iam illud opus eſſe uidetur.*

COMM. Hoc idem etiam ſupra dixit, ſed alia ratione. nam ibi de beneficis hominibus loquebatur, quibus iucundum eſt, amicorum imperfecta operá perficere, non ut ſibi honorem aut vtilitatẽ ſed ut amicis acquirant, hoc autem loco de iis verba facit, qui labores aliorum ſibi adſcribunt, & ſi quod opus inchoatum reperiunt, ipſi aliquid ad iungentes ad exitum deducunt,& tanquam totũ ſuum amant, quod multi ſcriptores facere ſolent & principes, ut Domitianus amphitheatrum à ſuperioribus imperatoribus inchoatum perfecit. & tanquam ſuum opus adamauit. de quo ita Martialis;

Omnis Cæſareo cedat labor amphitheatro
Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

Et Cæſar Auguſtus cum multa ædificia Romæ in ſtauranda curaſſet, gloriatus eſt, ſe latericiam urbem inueniſſe, ſed marmoream relicturum.

TEXT. *Et quoniam regnare ſuauiſſima res eſt, etiam ſapientem uideri, eſt ſuaue; præditum enim eſſe ſapientia regium eſt; eſt enim ſapientia multarum & admirabilium rerum ſcientia.*

COMM. Imperium in alios habere iucundiſsimum eſt. nam qui regnat, quaſi in ſublimi loco poſitus, cæteros infra ſe deſpicit, & dicto audientes habet. idem ferè accidit eis, qui ſapientiæ nomine præcellunt. nam eis cæteri obediunt tãquam regibus, & quæ ab eis dicuntur, tanquam oracula habentur. quoniam ſapientia nihil aliud eſt, quam ſcientia rerum multarum & admirabilium. hac fortaſſe ratione Stoici dicebant, ſolos ſapientes eſſe reges. Cicero dictus eſt in iudiciis regnare & rex iudiciorum, ut Plutarchus ait, quoniam in eis plurimum excellebat. & unuſquiſque cum id agit, in quo excellit, dicitur in ſuo regno verſari. Volunt igitur multi uideri ſapientes, quoniam ea res eſt ualde iucunda. ſicuti Bucculeius ille, de quo primo de Oratore Craſſus ita inquit; familiaris noſter M. Bucculeius homo neque meo iudicio ſtultus,& ſuo valde ſapiẽs. apud Græcos ſeptem fuiſſe dicuntur vno tempore qui ſapientes & haberẽtur & vocarentur, vt ait Cicero. apud Romanos Cato. L. Acilius. C. Lælius habiti ſunt & uocati ſapientes, ut eſt apud Cireronem in libro de amicitia. Epicurus qui voluptate ſummum bonum terminabat, cum intelligeret rem iucundiſsimã eſſe videri ſapientem, ideo ſe ſapientem profiteri eſt auſus. ut ſecundo de Finibus ait Cirero. quod autem regium ſit eſſe præditum ſapientia, declarat etiam Plato ſexto de Rep. cùm ait; tum ciuitates fore beatiſsimas cum aut reges fuerint ſapientes, aut ſapientibus obtemperarint. quiſquis igitur ſapientiam acquirit, is regiam quandam poteſtatem adipiſcitur. ea uero ſapiẽtiæ definitio quã ponit Ariſtoteles hoc loco, uulgaris eſt, non exquiſita. ſicuti pleraque ſunt hoc in opere. nam Ethicorum libro ſexto diligentius ſapientiã definit, ubi eam ab arte, ſcientia, prudentia, & intelligentia diſtinguit. communiter autem ſapiens dicitur quicunq; in arte ſua multum excellit, ut Apelles ſapiens pictor, & Phidias ſapiens ſtatuarius appellatur. proprie uerò ſapientia eſt cognitio rerum diuinarum & humanarum. 3. de Ora.

TEXT. *Et quia plerique homines ſunt honoris auidi; neceſſe eſt, ut alios reprehendere, & coarguere iucundum ſit.*

COMM. Qui reprehendunt alios & coarguunt in eo voluptatem capiunt, quia ſibi putant id honori eſſe. uidentur enim eis, quos reprehendunt, virtute præſtare,& vitiis carere. nã (vt ait Cicero quinta actione in Verrem) legem ſibi ipſi indicunt innocentiæ, continentiæ, uirtutumq; omnium, qui ab altero rationem vitæ repoſcunt. & Iuuenalis;

Loripedem rectus derideat, Aethiopem albus.

Alioqui ſi quis improbus aliquem de improbitate accuſet, meritò ridebitur, & in eum ironicum illud conueniet;

—Felicia tempora, quæ te
Moribus opponunt, habeat iam Roma pudorem
Tertius è cœlo cecidit Cato.

hoc ãt non tantum in moribus, ſed etiam in artibus & ſcientiis uerum eſt. cum enim aliquis artifex poteſt alterum veriſimiliter arguere, atque eis aliquem errorem oſtendere, mirificam ſentit uoluptatem. ideo multi ſunt obtrectatores, & alienorum operum vituperatores. quoniam alios vituperare iucundum eſt.

TEXT. *Et, quo in ſtudio ſe quiſque putat excellere, in eo aſſiduè uerſari iucundum eſt; quemadmodum Euripides ait:*

Nam quiſque ad id frequens adeſt,

Magnamque in illo temporis partem terit,
In quo ipſe ſe præſtantiorem exiſtimat.

COMM. Vnuſquiſq; voluptatem percipit ex eo, quod ſe egregiè facere arbitratur. itaq; aſsiduè verſatur in ſuo ſtudio. quanuis etiam inane ſit, & parũ decorum, quoniam in eo ſe putat excellere. hoc autem probat Ariſtoteles Euripidis auctoritate. cuius carmina citat, in hũc ſenſum; omnes in eo ſtudio frequentes ſunt, & maiorem temporis partẽ in eo conſumunt, in quo ſe putant aliis præſtare. primus uerſus non eſt integer, nam quatuor tantum habet pedes, reliqui duo ſenarii ſunt integri. hunc eundem Euripidis locum citauit etiam in Problematibus. & Plato citat eundem in Gorgia. hoc idem teſtatur Ouidius primo de Ponto;

Scilicet eſt cupidus ſtudiorum quiſque ſuorum,
Tempus & aſſueta ponere in arte iuuat.

Huc alluſit Horatius in Epiſtolis cum ait;

--quod medicorum eſt,
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.

M. Cato inferior adeo Græca lingua delectabatur ut etiam in curia dum ſenatus cogeretur libros Græcos lectitaret. Roſcius nullum in ſcena geſtum edebat, quem prius domi meditatus non fuiſſet. Archimedes uſque eo geometricis rebus intentus erat, ut ne captas quidem a Romanis Syracuſas ſenſerit, & irruentem in ſe diſtricto gladio militem non aduerterit. Carneades ita rerum altisſimarum cogitatione trahebatur, ut etiam in menſa cibi obliuiſceretur, niſi eius ancilla Meliſſa frequenter ad cibum reuocaret. Nero Muſicę ſtudio ita deditus erat, ut nihil penè aliud curaret. & cum ſe morti vicinium eſſe cerneret, clamauit; qualis artifex pereo. Protogenes ita picturę ſtudio tenebatur, ut nunquam manum de tabula tolleret. Apelles nullum vnquam diem prætermittebat in quo non aliquam lineam duceret. Verum infinita ſunt huius generis exempla. nam in Bruto Cicero gloriatur ſe . ita eloquentiæ ſtudio deditum fuiſſe, ut ab exercitationibus Oratoriis nullus dies vacuus eſſet.

TEXT. *Eodem modo, quia ludus, & omnis animi relaxatio, & riſus in rebus iucundis eſt; neceſſe eſt, ut omnia ridicula iucunda ſint; ſiue ſint homines, ſiue dicta, ſiue facta. ſed quæ ad iocos ridiculaq; pertinent, in libris de arte Poetica ſeparatim à nobis explicata ſunt.*

COMM. Supra dictum eſt ludum, animi relaxationem & quietem eſſe iucundam, quo in genere riſum etiam eſſe vult, nũc adiungit etiam omnia ridicula eſſe iucunda. videtur autem tres ridiculorum ſpecies ponere, hoc eſt homines, dicta, facta, homines ridiculi ſunt, vt ſtolidi, fatui, moriones, mimi Ethologi, & cæteri eius generis. qui vel propter ſtoliditatem ſuam, uel etiam dedita opera riſum mouent, quibus abundant aulæ principum. Dicta ridicula ſunt ea de quibus ita Cicero ſecũdo de Oratore; dicere aiunt Ennium flammam à ſapiente facilius ore in ardente opprimi; quam bona dicta teneat. hæc ſcilicet bona dicta quæ ſalſa ſint. nam ea dicta appellantur proprie iam nomine. Hæc Cicero. atq; ibi multa ridicula dicta commemorat. vt illud Galbæ, cum ei dixiſſet Libo; quando tãdem Galba de triclinio tuo exibis? cum tu (inquit) de cubiculo alieno. & illud Fabii Maximi. cum rogaret eum Salinator ut meminiſſet opera ſua ſe Tarentum recepiſſe: quid ni (inquit) meminerim. nunquam ego recepiſſem niſi tu perdidiſſes. Facta ſunt ridicula quæ contra omnium conſuetudinem, & opinionem facete fiũt. vt Diogenes Cynicus accenſa in meridie Lucerna per urbem diſcurrebat, dicens ſe hominẽ quęrere. idem, cum malus quidam iaculator ad ſcopũ ſe exercendi gratia ſagittam dirigeret, prope ſcopum acceſsit. dicens ſe uereri ſi alibi conſtitiſſet, ne ſagitta feriretur. Idem cum in domum quandã eleganter ædificatam & politam à domino fuiſſet introductus, & excreaſſet, diu circuuſpexit, deinde in faciem domini expuit, dicens ſe nullum fœdiorem locum uidere in quem expueret. quamuis autem omnia ridicula ſint iucunda, tamen Ariſtoteles hoc loco de illis nõ tractat, quoniam in arte poetica iam ea diligenter perſecutus fuerat. totus autem ille locus interijt. Vnde cõiicere licet opus illud de arte Poetica nõ eſſe integrum. Cicero ſecundo de Oratore, & Quintilianus libro ſexto multa de riſu conſcripſerunt.

Hæc igitur de iucundis dicta ſufficiant. nam quæ moleſta ſunt, ex contrarijs intelligi facile poſſunt. TEXT.

Quæ hactenus dicta ſunt, voluptatem adferre ſolent. ſiquis autem ſcire cupit, quæ ſint ea quę moleſtiam adferant, is conſideret quæ ſint, ſupra dictis contraria. nam contraria contrariorum ſunt conſequentia, ut iam ſæpius dictum eſt. ut ſi iucũdum eſt, id aſſequi, quod concupiſcas, moleſtum erit, id amittere, quod iam adeptus fueris. atq; ita de reliquis. COMM.

Et hactenus quidem oſtenſum eſt, quarum rerum gratia homines iniuria cæteros afficiant. deinceps autem quomodo ipſi affecti ſint, qui iniuriam faciunt, et cuius generis homines offendant, explicemus. TEXT.

Tria propoſuerat quæ in iudiciali genere ſpectari debeant, quorum unum iam ſe abſoluiſſe oſtendit, hoc eſt; cur ad inferendam iniuriam homines inducantur. reliqua duo nunc aggreditur. nempe quomodo affecti ſint illi, qui faciunt iniuriam. & quos homines offendere ſoleant. utitur ergo tranſitione, qua more ſuo breuiter repetit, qđ hactenus declaratũ ſit & proponit quid deinceps ſit acturus. neceſſe eſt enim ut in omni iniuria ſint hæc tria; res, propter quam fit iniuria, perſona quæ iniuriam inferat, & perſona quæ patiatur. ac de re quidem iam dictum eſt. ſupereſt igitur ut etiam de perſonis dicatur. COMM.

Atque illi quidem ad iniuriam faciendam aggrediuntur, qui ſperant rem effici poſſe, & à ſe effici, & præſertim cum facinus ſuum putant fore clã; aut ſi forte res patefacta fuerit impune ſe habituros: aut ſi iudicij pœna lenior, quam facti præmium; ſi- TEXT.

ue

ue ipſis res ea fructum allatura eſt, ſine illis, quos caros habent.

COMM. Primò igitur ad inferendam iniuriam homines mouet ſpes perficiendi. nam nemo ferè id aggreditur, quod ſe perfecturum nõ ſperat. hoc eſt quod ait Cicero; Si cum ſpe efficiendi. Sed uidendum eſt, non tantum utrum res effici potuerit nec ne, ſed etiam utrum ab eo, qui uocatur in iudicium fieri potuerit. ut pro Roſcio Am. Cicero docet; Roſcium a filio qui erat Ameriæ rebus ruſticis intentus, interfici non potuiſſe, uerum ab accuſatoribus qui Romæ frequentes erant inter ſicarios facile necari potuiſſe. accenditur autem animus improborum ad iniuriam cum ultra perficiendi ſpem, credunt etiam ſe facinus ſuum cælaturos. quod ait Cicero; ſi cum opinione cælandi. ut fures non alio modo furari quærunt, niſi cum ſperant, ſe furtum occultaturos. nam cum timent, ne deprehendantur, facile abſtinent. multa etiam alia clam faciunt homines, cum opinione cęlandi, quæ aperte non facerent. unde furtiui amores dicuntur, & dulcia furta ueneris, quia fiũt occultè. ſic apud Virgilium Aeneas, cum aperte non auderet à Didone recedere, cui multum debebat.

Mneſthea, Sergeſtumq́ue uocat, fortemq́; Cloanthum
Claſſem aptent taciti, ſocios ad litora cogant,
Arma parent: & quæ ſit rebus cauſa nouandis
Diſſimulent. Vnde paulo poſt Dido ſic ait;
Diſſimulare etiam ſperaſti perfide, tantum
Poſſe nefas? tacitusq́; mea decedere terra?

Quin etiam cum impunitatem ſperant, quamuis res patefacta fuerit, facinus committere non dubitant. hoc eſt quod ait pro Milone Cicero. Quis ignorat maximam illecebram eſſe peccandi impunitatis ſpem? & pro P. Seſtio; Quorum effrenatus furor alitur impunitate diuturna. omnes. n. impunitate propoſita facilius ad iniuriam inferẽdam accedunt. aut ſi pœna leuior fuerit, quam id quod ex iniuria percipitur. ut Cicero ait Verrem tantum rapuiſſe in Sicilia, ut non iudicii pœnam timeret, ſic enim ait; Qui ita dictitat, iis eſſe metuẽdum, qui, quod ipſis ſolis ſatis eſſet, ſurripuiſſent: ſe tantum rapuiſſe, ut id multis ſatis eſſe poſſit; nihil eſſe tam ſanctum, quod non uiolari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia poſſit. neque tantum ut ipſi utilitatem conſequãtur homines iniuriam faciunt, ſed etiam ut ii, quos caros habent. hinc parentes ut filios diuites aut honoratos relinquant, multa ſæpe ſcelera cõmittunt. quare uera eſt ea ſententia quæ uulgo iactatur; Diues aut iniquus, aut iniqui hæres. Plutarchus in uita Syllæ ſcribit quendam hominem Syllę ſeſe iactanti dixiſſe; qua ratione uir bonus eſſe potes, qui tantas opes poſſideas, cum a patre nihil acceperis. Cicero primo de officiis duas potiſſimum cauſas ait eſſe propter quas homines iniuriam faciant, hoc eſt metum & cupiditatem, ſic enim ait; Atque illæ quidem iniuriæ, quæ nocendi cauſa de induſtria inferuntur, ſæpe à metu proficiſcuntur, cum is, qui alteri nocere cogitat, timet, ne niſi id alteri fecerit, ipſe aliquo afficiatur incommodo. maximam autẽ partem ad iniuriam faciendam aggrediuntur nonnulli, vt adipiſcantur ea, quæ concupierunt. porrò cupiditas uel eſt diuitiarum uel uoluptatum, uel dignitatũ. omnium autem eſt ardentiſsima imperiorum, honorum, gloriæve cupiditas, quæ maximè iuſtitiæ obliuionem inducit, vnde benè dixit Ennius;

Nulla ſancta ſocietas, nec fides regni eſt.

TEXT. *Quæ uerò ſint ea, quæ fieri poſſe uideantur, et quæ non poſſe fieri, poſtea declarabimus: ſunt enim partium omnium Rhetoricæ communia.*

COMM. Quia nemo aggreditur, niſi, quod ſe perfecturum ſperat, ideo ſcire opus eſt, quid fieri poſſe uideatur, & quid non. oportebat igitur hoc loco explicare quæ ſint ea, quæ fieri poſſe videantur. ſed quoniam non tantũ ad iudiciale genus pertinent, verum omnium generum Rhetoricæ communia ſunt, ideo tractationem eorum Ariſtoteles in aliũ locum reijcit. nam ſecundo libro, poſtquam animi commotiones, & ſingularum ætatum mores explicuit, diligenter etiam quæ fieri poſſe videantur explicat.

TEXT. *Atque illi potiſsimum maleficiorum impunitatem ſperant, qui dicendi facultate præſtant; & qui in rebus gerendis multum ualent; & qui iudicialium controuerſiarum benè periti ſunt; & ſi amicorum diuitiarumque copiam habuerint.*

COMM. Iam narrare incipit qui ſint illi qui ſe iudiciorum pœnam effugere poſſe ſperant. ac primo loco ponit eloquentes, qui ſua dicendi facultate ſæpe iudicibus tenebras offundunt, qđ pro A. Cluētio cum diceret, ſe feciſſe Cicero gloriatus eſt. plurimum autem eloquentiã in ciuitatibus poſſe certum eſt. Demetrius Phalereus tantum eloquentiam in pace valere dixit, quantum in bello gladium, Cicero pro P. Quintio duas res in ciuitate plurimum poſſe dicit; ſummam gratiã, & eloquentiam. eam enim orationem ita incepit; Quæ res in ciuitate duæ plurimum poſſunt, eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, ſumma gratia, & eloquentia. Cato ſenior, qui propter ſummã dicẽdi facultatem Demoſthenes Romanus fuit appellatus, tantum eloquentia ualuit, vt quater & quadragies accuſatus, ſemper glorioſe fuerit abſolutus. Cicero regnare in iudicijs dicebatur, quia ſua eloquentia plurimos defendebat. huiuſmodi igitur homines qui dicuntur ab Ariſtotele, εἰπεῖν δυνάμενοι, hoc eſt valentes in dicendo, etiam ſiquid deliquerint, ſperant ſe ſua eloquentia iudicum ſe ueritatem eluſuros. Secundo loco ponuntur ij, qui in rebus gerendis multum valent, quos πρακτικοὺς uocat Ariſtoteles. ſicut etiam nos vulgari noſtra lingua. nam qui rerum uſum habent, timorem omnem abijciunt, quia vias elabendi norũt, & in alijs periculis & contentionibus ſæpe verſati ſunt,

ti ſunt. Tertio loco ſunt ij, qui iudicialiũ cõtrouerſiarũ benè periti ſunt. quod ait Ariſtoteles ἔμπειροι τῶν ἀγώνων quales ſunt, cauſidici veteratores qui litibus lites implicant. ij. n. & cõtrouerſias ſtatuunt ac prorogant, & aduerſarios eludunt, & à criminibus ſe ſe facile explicant. Quarto locò ponit eos Ariſtoteles, q amicis, & opibus abundãt. qui ſine dubitatione quamuis maleficium commiſerint, facile impunitatem aſſequuntur. amicorum. n. gratia ſtudiumq; ad pœnam ſceleris depellendam plurimum poteſt, opes autem ad corrumpenda iudicia, uel ad deterrendos aduerſarios accõmodatæ ſunt. hoc eſt quod Cicero pro P. Quintio queritur; P. Quintius cui tenues opes, nullæ facultates, exiguæ amicorum copiæ ſunt, cum aduerſario grarioſiſſimo contendat. & paulo inferius; habet aduerſarium P. Quintius uerbo Sex. Neuium, re vera huiuſce ætatis homines diſertiſſimos, fortiſſimos, ornatiſſimos noſtræ ciuitatis. qui communi ſtudio, ſummis opibus Sex. Neuiũ defendunt, ſi id eſt defendere, cupiditati alterius obtemperare, quo is facilius, quem velit, iniquo iudicio opprimere poſſit.

TEXT. *Maximè uerò qui his præſidijs fulti ſunt, elabi ſe poſſe confidunt: ſin minus, etiam tum confidunt, cum amicos huiuſmodi, uel adminiſtros, uel ſocios habuerint; propter hæc enim & iniuriam facere, & latere, & non dare pœnas poſſunt.*

COMM. Illi ſunt ad iniuriam procliues, qui ea in ſe habẽt, quæ ſupradicta ſunt, quoniam ſperant ſe impune abituros. præterea confidunt etiam illi, qui vel amicos, vel miniſtros, vel ſocios tales habuerint. nam ſæpe amicorum eloquentia, aut aſtutia, aut gratia, aut opes e periculis reos liberant. qui vero vel miniſtri, vel ſocij fuerint, diligentiſſime ſolent auxiliari, ſi ſalui eſſe uolunt. nam plerũque pari pœna miniſtri & ſocij puniuntur. ut Cicero pro Roſcio Am. docet Roſcii aduerſarios, audaces quidem eſſe, ſed potẽtiæ Chryſogoni plurimum confidere, cum quo bona Sex. Roſcii diuiſerant. quin etiam cum multi ſunt in eodem maleficio ſeſe facilius defendunt. quemadmodum Iuuenalis ait;

—faciunt hi plura, ſed illos
Defendit numerus, iunctæque umbone Phalanges.

Qui igitur tria genera hominum illa conſuetudine deuincta habet, hoc eſt amicos, adminiſtros, ſocios, eloquentes, peritos, & potentes. is & iniuriam facere, & latere, & non dare pœnas poteſt. nam adminiſtri præſto erunt ad iniuriam faciendam, ſocii ad occultandam, amici ad defendendã. ſocios appello quos Ariſtoteles κοινωνοὺς, hoc eſt eiuſdem rei participes. quos ex Latinis quidam complices uocant.

TEXT. *Et ſi amici eis fuerint, quibus iniuriam fecerunt, aut ipſis iudicibus. nam amici non præcauentes ad iniuriam ſunt expoſiti; deinde antea placantur, quam res in iudicium ueniat. iudices autem illis gratificantur, quibus amici ſunt; & aut penitus abſoluunt, aut parua pœna multant.*

COMM. Impune præterea putant illi ſe iniuriam facere poſſe, qui ſunt amici uel eis, quibus iniuriam faciunt, uel ipſis iudicibus. Sæpe enim improbi etiam amicos lædunt. Vel quia uident ſe id facile poſſe facere, cum amici non præcaueant, & ſint ad iniuriam expoſiti. neque enim ulla cauſa eſt, cur eos ſuſpectos habeant, quos eſſe amicos exiſtimant, vel quia ſciunt amicos non eſſe litem perſecuturos, ſed iram depoſituros prius, quam res in iudicium vocetur. nam amicorum ira facile placatur. quod ſenario quodam græco ſignificatur, qui circunfertur in hunc ſenſum.

Amicus haud ſeruat diu iracundiam.

Ad quod alluſiſſe uidetur Terentius in Andria, cum ait;

Amantium iræ, amoris redintegratio eſt.

Et mimus ille Publianus ſatis elegans;

Diſcordia fit carior concordia.

hæc igitur ſperantes improbi ac ſimulati amici non dubitant amicos offendere. cum autem Iudices ſunt amici plerunque gratificantur eis, qui in iudicium uocantur. & eos uel omnino criminibus liberant, uel exigua pœna afficiunt. quare qui amorẽ ducitur nullo modo uerè iudicare poteſt. hæc autem ars eſt Oratorũ, ut quibuſcunque rationibus poſſunt iudicum animos ſibi conciliare ſtudeant, & eos ſibi amicos faciant. quod ſi conſequi poſſunt, facile deinde reum defendunt. vt pro Milone multis argumentis probat Milonem ipſis iudicibus debere eſſe cariſſimum, quod eſſet vir fortiſſimus, & integerrimus, & Reipu. amantiſſimus. idem facit etiam in reliquis orationibus, ut eos uehementer iudicibus commendet, quos defendit.

TEXT. *Latere ſolent illi, quibus crimina non conueniunt; ut ſiquis infirmo corpore dicatur, alium uſque ad necem uerberaſſe; & ſi pauper, & deformis homo de adulterio accuſetur.*

COMM. Sæpe fit ut illi peccantes lateant, neque nnquã arguantur, quibus ipſa crimina non uidentur conuenire. cuius rei duo ponit exempla. primum ſiquis ſit infirmo corpore, & accuſetur, quod aliquem uſque ad necem verberarit, aut quod petulans fuerit. hoc enim non eſt uerisimile. nam petulantia non ab infirmitate corporis, ſed à robore proficiſcitur. alterum exẽplum eſt, ſi quis ſit pauper & deformis & accuſetur de adulterio, non eſt probabile. quoniam pudicitia mulierum non paupertate, & deformitate uirorũ, ſed precio & pulchritudine expugnatur. pro Roſcio Am. probat Cicero crimen parricidii Roſcio non conuenire, qui uita ruſtica delectabatur. in ruſticis, inquit, moribus, in uictu arido, in hac horrida, incultaq; uita iſtiuſmodi maleficia gigni non ſolere. ut nõ omnem frugem, neque arborem in omni agro reperire poſſis; ſic non omne facinus in omni uita naſcitur. Sunt autem tãto maiora ſcelera, quanto minus perſonæ conueniunt, unde bene Iuuenalis.

Quem

Sat. 1. Quem patitur dormire nurus corruptor auaræ? Quem ſponſæ turpes?& prætextatus adulter?

TEXT. *Et, quæ ualde illuſtri loco, atque antè oculos poſita ſunt, in eis lates iniuria, quoniam ea nemo cuſtodit; etenim exiſtimant, nullum in eis peccaturum.*

COMM. Ad furtum occaſio ſæpe improbum inuitat, vt cum aliquid incuſtoditum videt, id ſurripiat. qđ ſrequenter accidit in eis, quæ ſunt in aperto loco poſita. neq; enim ea quiſquam cuſtodit, quia nemo tam audax exiſtimatur, vt in aperto furtum faciat. Nam M. Varro furem à furuo ideſt nigro dictum putat, quod furta clam fiant, & plerunq; in nocte. Itaque Cicero Verris furta vehementer

Act. 6. amplificat, quod is ad tantam improbitatē & impudentiam deueniſſet, ut non per prçſtigia ſed palam per poteſtatem, ſuo imperio hoſtiatim tota oppida compilaret, cum cæteri prætores improbi auertere aliquid de publico quam obſcuriſſimè per magiſtratum ſolerent, etiam aliquid de priuatò nonnunqnam occulte auferrent.

TEXT. *Et quæ tam magna ſunt, ac talia, ut ea nullus unquam admiſerit; nam hæc quoque nemo præcauet, aut cuſtodit. omnes enim, ut ſolitos corporis morbos, ita etiam ſolitas iniurias diligenter obſeruant: quo uero morbo nemo unquam oppreſſus eſt, eum nemo reformidat.*

COMM. Maxima ſcelera ſæpe latere ſolent, quia non facile creduntur. præcipuè ſi ſunt eiuſmodi, nt nullus unquam ea commiſerit, aut certè rariſſimi. vt quo quis patrem interficiat. aut cum matre rem habeat, aut humanis carnibus veſcatur, aut proprios filios iugulet. hæc enim cæteraq; eius generis nemo præcauet, quia uel rariſſima ſnnt, vel nūquam euenerunt. ntitur autem eleganti ſimilitudine ad hoc probandum. ſunt enim iniuriæ tanquam animi morbi. nā morbi pernicioſiores pluresque ſunt animi qnam corporis ait Cicero. quēadmodum igitur ſolitos corporis morbos cauere ſolent homines. ita etiam ſolitas iniurias. nemo autem eum morbum reformidat quo nullus vnquam oppreſſus fuit. ita nemo timet iniuriam, qua nullus vnquam fuerit affectus. ſcribit Cicero pro Roſcio Amer. Solonem, qni leges Athenienſibus ſcripſit, cum interrogaretur, cur nullum ſupplicium conſtituiſſet in eum qui parentem necaſſet, reſpondiſſe, ſe id neminem, facturū pntaſſe. ſapienter, inquit, feciſſe dicitur, cum de eo nihil ſanxerit, quod antea commiſſum non erat; ne non tam prohibere, quam admonere uideretur. reclamitat enim iſtiuſmodi ſuſpicionibus ipſa natura: portentum atque monſtrum certiſſimum eſt, eſſe aliquem humana ſpecie, & figura, qui tantum immanitate beſtias uicerit, ut, propter quos hanc ſuauiſſimam lucem aſpexit, eos indigniſſime luce priuarit, cum etiam feras inter ſeſe partus, atque educatio, & natura ipſa conciliet.

TEXT. *Eos etiam inuadunt, qui aut nullum inimicum, aut multos habent, illi enim ſe latere poſſe exiſtimant, quia nulla eſt cuſtodia: hi uerò latent ideo, quia nemo putaret, eos in quenquam impetum facturos, qui ſui corporis circa ſe cuſtodes habeat; & quia paratam defenſionem habent, ſe talem hominem nunquam fuiſſe auſos aggredi.*

Quidam ſunt adeo mites & qnieti ut nullum habeāt inimicum. qnidam uero multos inimicos habeāt. utrique hi homines diuerſa ratione ſunt ad iniuriam expoſiti. nam qui non habent inimicos ſine cuſtodia viuunt, quia nullorum inſidias timent. itaqne facile & occùltè poſſunt opprimi. quam occaſionem improbi arripientes, eos inuadunt. qui uero multos habent inimicos, ſui corporis cuſtodes habere ſolent, ut ſe ab inſidiis tueantur. ſed qui non eſt in numerò inimicorum facile poteſt eos lædere, atque ſcelus ſuum occultare. idque duplici potiſſimum ratione. primo quia uериſimile non eſt, quemquam eſſe tam audacem, ut eum inuadat, qui multos ſui corporis cuſtodes habeat. deinde quia qui accuſatur, paratam habet defenſionem, non ſe unquam auſurum fuiſſe tā potentem hominem, & tam bene munitum offendere. prima ratio ab exiſtimatione & coniectura iudicum ducitur, altera à perſona reorum. Cicero pro Milone veriſimiliter probat à Milone Clodio non eſſe factas inſidias. quia ſciebat Milo Clodium multos circa ſe ſalutis ſuæ cuſtodes habere. ipſe uero cum vxore veheretur in Rheda pennlatus, vulgi magno impedimento, ac muliebri & delicato ancillarum puerorum comitatu. COMM.

Illi quoque faciunt iniuriam, qui uel modum, uel locum, uel diſpoſitam occultandi rationem facilem habent. TEXT.

De iis qui furantur, uerba facere uidetur, qui cum uel modum furandi, uel locum, vel rationem alienādi quæ ſurripuerint, habere poſſunt, ſtatim ad furtum animum adiiciunt. modum habent ii, quibus creditur, nt qui negocia diuitum tractant, & qui pecunias aliorum ſeruant, & qui reditus & uectigalia publica procurant, & qui Remp. adminiſtrant. hinc repetundarum lex enata, & peculatus crimen. locum occultandi ſceleris habent latrones in ſolitndine, in nemoribus, atque etiam in urbibus apud receptatores. Qnam autem Ariſtoteles διάθεσιν appellat, pntat Victorius alienationem ſignificare ſeu venditionem, idque auctoritate Plutarchi probat, apud quem διάθεσις idem ſit quod apud nos uēditio. ſicut apud Demoſthenem & Iſocratem διαθέσθαι ſignificat uēdere. quæ ſanè interpretatio conuenit huic loco, nos uerbi uim ſecuti, ſententiamqne Ariſtotelis, diſpoſitam occultandi rationem uertimus. in qua poteſt etiam eſſe venditio. COMM.

Et, qui, etiam ſi facinus cælare non poßint, tamen uel iudicij periculum à ſe remouere, uel in longinquū tempus differre, uel iudices ipſos corrūpere poßunt. TEXT.

Addit alios etiam qui confidenter iniuriam faciant, nempe qui licet eorum facinus patefactum fuerit, tamen iudicii periculnm poſſint à ſe depellere, & aliquo modo curare ne in iudicium uocentur, & ne cauſam dicant. ſicut Or- COMM.

getorix

getorix ille de quo ita Cæſar primo libro de bello Gallico; Die conſtituta cauſę dictioni Orgetorix ad iudicium omnẽ ſuã familiã ad hominum millia decem undique coegit: & omnes clientes obæratoſque ſuos, quorum magnum numerum habebat, eodem conduxit: per eos ne cauſam diceret, ſe eripuit. ita Cicero pro Milone de Clodio uerba faciens; atque illam belluam iudicii laqueos declinantem iam irretitam teneret. confidunt et qui in lõginquum tempus differre iudicium poſſunt. ſicuti Cicero ſecunda in Verrem actione narrat, quemadmodum Verres & eius defenſores iudicium prorogare cogitaſſent; Nonæ ſunt, inquit hodie Sextiles: hora nona conuenire cœpiſtis. hũc diem iam ne numerant quidem. decem dies ſunt ante ludos uotiuos, quos Cn. Pompeius facturus eſt. hi ludi dies quindecim auferent: deinde continuo Romani conſequentur. ita prope .xl. diebus interpoſitis, tum denique ſe ad ea, quæ à nobis dicta erunt, reſponſuros eſſe arbitrantur. & quæ ſequuntur. denique qui poſſunt iudices corrumpere maximè confidunt, ut Clodius cum de pollutis ſacris eſſet accuſatus per corruptelam iudicum abſolutus eſt. & Cluentius corruptis iudicibus dicitur Opianicum inimicum ſuum condẽnaſſe. licet hoc neget Cicero. uidetur autem hunc locum in Partitionibus interpretatus Cicero, cum ita inquit; ſi cum opinione cœlandi, aut ſi patefactum eſſet, depellendi criminis, vel perrumpendi periculi, vel in longinquum tempus differendi.

TEXT. *Et, qui licet multati pecunia fuerint; tamẽ pœnam multamque poſſunt à ſe depellere, aut in longum tempus differre ſolutionem, uel propter egeſtatem nihil habent, quod amittere poſſint.*

COMM. Illi ſunt etiam procliues ad iniuriam inferendam, qui licet condemnentur, tamen pœnam & multam euitare facile poſſint, ut qui ualde potentes ſunt. nam uerè dixit Iuuenalis:

Dat ueniam coruis, uexat cenſura columbas.

& Anacharſis dicebat leges aranearum telis eſſe ſimiles, quæ muſcas quidem & animalia quædam paruula irretiunt, ſed maiora retinere nullo modo poſſunt. ita qui multæ ſolutionem ſperant in longum tempus differre poſſe, ſæpe ſunt iniurioſi, & tunc præſertim cum præſens emolumentum uident. præcipue uero ſunt ad iniuriam prõpti, qui nullum habent patrimonium, nullaſque diuitias, quas poſſint amittere. quam rem eleganter expreſſit Terentianus ille Phormio:

Quot me cenſes homines iam diuerberaſſe uſque ad necem?
Hoſpites? tum ciues? quo magis noui, tanto ſæpius.
Cedo dum, en unquam iniuriarum audiſti mihi ſcriptam dicam?
C. Qui iſtuc? Ph. Quia non rete accipitri tenditur neque miluio, Qui male faciunt nobis: illis, qui nihil faciunt tenditur: Quia enim in illis fructus eſt, in his opera luditur, Aliis aliunde eſt periculum, unde aliquid abradi poteſt: Mihi ſciunt nihil eſſe. ſic etiam uulgo dicunt ab eis cauendum eſſe qui nihil habent, quod amittaut.

Et quibus certa ſunt lucra, uel magna, uel propinqua; pœnæ uero uel paruæ, uel incertæ, uel longinquæ. TEXT.

Facile mouentur ad iniuriam, qui ab una parte lucra certa, vel magna, vel propinqua conſpiciũt, ab altera vero credũt damna eſſe parua, vel incerta, vel longinqua. omnes. n. homines lucri ſunt appetentes, ſicut in Hipparcho docet Plato. ſed in hoc differunt, quod probi uiri tantum honeſtis rationibus lucrari ſtudent, improbi vero nullũ quæſtum turpem putant. quotidie fraudant, decipiũt, suferunt, eripiunt, ſocios ſpoliant, ærarium expilant, teſtamenta ſupponunt, quoniam in his rebus lucra certa, & magna, & propinqua uident. ſic ẽt improbi mercatores propter lucrum ſæpe merces vitiant, immutant, ſupponunt, peierant, cum præſertim intelligant nullam horum ſcelerum pœnã eſſe ordinariam, ſed extraordinariè plecti, & ad eorum præſidem cognitionem ſpectare, quem ſæpe amicum habent, aut qui facile pecunia corrumpi põt. hinc Stellionatus crimẽ apud iuriſconſultos, contra eos, qui merces corrumpunt, aut impoſturam faciunt. COMM.

Et in ea re, in qua nulla pœna par atque æqualis utilitati reperiuntur; quod in ſe dominatus regius habere uidetur. TEXT.

Quando quis rem eiuſmodi ſe cõſecuturũ ſperat quæ cõmoditate atq; utilitate ſua ſuperet omnem pœnam, non dubitat omnia committere, vt eã acquirat. hoc, inquit Ariſtoteles tyrannis in ſe habere videtur. qui. n. regium dominatum aſſequi poteſt, is aſſequitur id, quod omnem pœnam exuperat. Vnde regnandi gratia plerique iuſtitiã omnem contemnunt, de qua re ita Cicero primo de officiis: Declarauit id modo temeritas C. Cæſaris, qui omnia iura diuina & humana peruertit, propter eum, quem ſibi ipſe opinionis errore finxerat principatum. Idem Cæſar in ore ſemper græcos verſus Euripidis de Pheniſsis habebat: quos ita Cicero tertio de officiis in latinum ſermonem conuertit: COMM.

Nam ſi uiolandum eſt ius, regnandi gratia
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.

Et quibus iniuriæ quæſtum adferunt; pœnæ uerò tantum ignominiam. TEXT.

Quidam ſunt adeo cupidi pecuniæ, vt ppeam nullo ignominiæ metu frangantur. itaque cum lucri ſpes affulſerit, ſtatim ab ea rapiuntur ad iniuriã faciendã quamuis magnam infamiam ſe ſubiiuros intelligunt, ut qui pupillos occultè ſpoliant, aut qui depoſitũ peierando abnegant. aut qui in magnis fœnoribus pecunias ponũt, aut qui filias uel uxores proſtituunt. horum. n. ſcelerum nulla eſt alia pœna præter ignominiam, cum tamen ſæpe quæſtum uberem adferre ſoleant. COMM.

Et quibus contra accidit, ut ſi quem læſerint, ex ea re laudem adipiſcantur, ut ſi una contingat patris & matris iniurias ulciſci, quod Zenoni accidit. pœnæ uerò TEXT.

uerò ſint aut pecuniarum aut exilij,aut alicuius eiuſmodi rei;utrique enim,aut utroque modo ſe habentes iniurioſi ſunt,non tamen ijdem,ſed uita, & moribus inter ſe contrarij.

COMM. Sunt etiam quidam contrario mõ affecti, qui pecunias contemnunt, modo laudem aſſequi poſſint.quare uiri eiuſmodi nõ timẽt pęnas pecuniarum aut exilij,aut rerum eius generis, modo aliquẽ lædant,ex quo laudem adipiſcãtur. vt ſiquis parentum ſuorum iniurias vlciſcatur.quemadmodum Zeno fecit. quõ vero Zeno parentum ſuorũ iniurias vltus fuerit legere non memini. fuerunt autem multi Zenones, inter quos numeratur ille Zeno Eleates,de quo Cicero ſecũdo libr. Tuſcul. quęſtionũ ita inquit;Zeno proponatur Eleates, qui perpeſſus eſt omnia potius, quam cõſcios delendæ Tyrãnidis indicaret. Val.Max. libro 3.capite de patientia,tradit hunc Zenonẽ cũ a Phalaride torqueretur in eculeo,vt cõſcios indicaret, nominaſſe tyranni amiciſsimum quemq;.quos cum Phalaris ira furens necaſſet, Zeno cõuerſus ad populum eũ ita concitauit,vt Phalarim ipſum lapidibus proſterneret,atq; obrueret.utrũ igitur de hac re ſentiat Ariſtoteles,an de alia non ſatis exploratũ eſt. exemplum aũt eſt apertiſsimum Cicero ꝓ Milone vehementer in eo Milonem cõmendat, quod neq; exilium,neq; mortem timeret, cum à Clodii temeritate Rẽp.liberaſſet. vbi corpus hoc ſit,non,inquit,laboro,quoniam omnibus in terris & iam uerſatur, & ſemper habitabit nominis mei gloria.Quod aũt adiũgit Ariſtoteles eſt eiuſmodi;utriq; hoc eſt tam ij qui mouentur quæſtu ſine timore ignominiæ, quam qui laude mouentur,ſine pœnæ timore ſunt quidẽ iniurioſi. ſed diuerſa ratione,& diuerſis moribus præditi. nã qui non mouentur infamia, viles ſunt & abiecti ſceleſtiq; homines.qui vero laudem appetunt, neque pœnã perhorreſcũt,ii magno ſunt animo, & clari & honeſtatis amatores. neq; cuiquam nocere ſtudẽt niſi iniuria laceſſiti.quod probi viri officium eſſe nemo ignorat.

TEXT. *Et qui flagitia ſua ſæpius occultarunt aut deprehenſi pœnas non dederunt.*

COMM. Fiunt iniurioſi prõptiq; ad nocendũ ii,quibus res iam ſæpius ex animi ſnia ſucceſsit, & quanuis peccarint,tamen vel latuerunt, vel nõ flagitiis debitas pœnas luerunt.peccandi enim aſsiduitas alit audaciam.nam vt ait Iuuenalis,

Nemo repente fuit turpiſsimus.

Sic pro Cluentio Cicero notat Stalenũ quendam Senatorẽ,qui pecunia corruptus nõ ſemel falſo iudicarat.Iam hoc,inquit,non ignoratur iudices ut etiã beſtiæ fame dominatę plerũq; ad eũ locũ ubi paſtæ aliquando ſint,reuertantur. Stalenus ille biennio ante cum cauſam bonorũ Safinii Atellæ recepiſſet,ſexcentis milibus nummum ſe iudicium corrupturum eſſe dixerat.

TEXT. *Et,qui ſæpe ſua ſpe deiecti ſunt, & infelicem exitum habuerunt;quidam enim in his etiam rebus, ſicut in bello reperiuntur,qui rurſus belli fortunã tentare uoluerunt.*

COMM. Sunt aliqui eo ingenio præditi, vt quanuis nũquam exequi potuerint id,quod cupiebãt, etiã ſæpe deprehenſi fuerint,atq; etiam pęnas dederint, tamen non dubitent iterum iniuriã facere. ſicuti pleriſq; furibus & impoſtoribus accidit, qui licet aliquando caſtigati fuerint,tamen à maleficio nõ abſtinent.Idem faciũt & ſicarii quidam, & aleatores,& Deorũ contemptores, & hæretici. præterea qui uel ſuas uel ſuorum iniurias vlciſci deſiderãt, non aliter atq; duces in bello,qui licet offenſionẽ acceperint,tamẽ reparare bellum audent. quales fuiſſe Troianos oſtẽdit apud Virgilium Latinus, cum ait;

--quos nulla fatigant
Prælia,nec uicti poſſunt abſiſtere ferro.

TEXT. *Et,quibus uoluptas ſtatim ex facto propoſita eſt, moleſtia uerò poſtea;uel lucri eſt præſens,pœna uerò ſera;tales ſunt incontinentes homines. nam incontinentia uerſatur in eis rebus omnibus, quas uehementer appetunt.*

COMM. Multi ſunt qui præſentem voluptatem futuræ moleſtiæ anteponãt,& pręſens lucrum futuro dãno.igitur hmõi homines ſimul atq; uoluptatis aut lucri ſpẽs obiecta fuerit,eam ſequuntur. neq; moleſtiam & damnum conſiderant, quod ex ea re poſtea ſubſecuturum ſit. nocantur aũtẽ tales homines,incontinentes,qui rationem audire nolunt,ſed cupiditatem ſequuntur. ſiquidem incontinentia non tantũ in una aut alterã re ſpectatur, ſed in eis omnibus quas homines uehementer concupiſcunt. dicuntur antem ἀκρατεῖς quaſi impotẽtes,qm̃ in eis ratio ab appetitu ſuperatur. & Aſoti,quo verbo uſus eſt etiam Cicero.hi tantum amant præſentem voluptatem ,vt dicant ſex menſes uitæ ſufficere, ſeptimum uero ſe Orco ſpondere. Sic enim Lucilius de illis ait , ut Nonius citat;

Qui ſex menſes Vitam ducunt,orco ſpondent ſeptimum.

Sic etiam Cicero Verrem acriter inuadit,quod in Sicilia ſic a nefariis voluptatibus,& ab auaritia cęcatus fuerit,vt non cogitarit aliquando ſe Romę rationem redditurum.

TEXT. *Et quibus contra iam moleſtia,aut pœna præſens eſt,uoluptas autem,& utilitas poſterior, ac diuturnior conſequetur;nam continentes,& prudentiores homines talia conſectantur.*

COMM. Qui continentes ſunt ac prudentes longe aliter ſe gerunt quam incontinentes. audent enim præſentem moleſtiam & pœnam ſubire, vt poſtea diuturniore voluptate perfruantur. ut Pyrrhus Epirotarum Rex cum interrogaretur à Cynea Theſſalo,cum tot moleſtias & labores in bello ſuſciperet, & multos ſibi populos ſubiugare contenderet, reſpõdit ut poſtea quiete cum ſumma poteſtate,& gloria uiuam. ſępe igitur ea de cauſa fit etiam à prudentibus iniuria, ut poſt moleſtiam uoluptatem percipiãt.ita Romani Corinthum totius Græciæ lumen extinctum eſſe voluerunt,

runt,& bellum Achaicum confecerunt, non alia de cauſa niſi vt ea gratiæ parte quiete fruerētur. Nam Cic. 1. de offic. ait Rom. opportunitatē loci ſecutos Corinthū euertiſſe, ne qn̄ bellū reparare poſſet. ſic Ariſtoteles dr̄ ſcripta ueterum Philoſophorū quibus ipſe adiutus fuerat in ſuis operibus componendis, diligenter in tota græcia quæſiuiſſe,& combuſiſſe, ne furta ſua cognoſci poſſent,& ipſe ſolus gloriam apud poſteros haberet.

TEXT. *Et, qui uideri poſſunt aut caſu feciſſe, aut neceſſitate impoſita, aut natura impulſi, aut conſuetudine, aut denique qui ſperant, ſe probare poſſe per imprudentiam peccaſſe, nō autē ſcientes uolenteſq́; læſiſſe.*

COMM. In aſſumptiua iuridiciali ponunt rhetores purgationem quam tres habere partes uolunt, caſum, neceſſitatem, imprudentiam. Caſus dicitur cum aliqua fortunæ vis voluntati obſtitit. ut apud Lacedęmonios lex erat, vt niſi redemptor hoſtias ad ſacrificium præbuiſſet, capitale eſſet. qui redemerat hoſtias cum in urbem ageret ex agro, fluuius Eurotas magnis auctus tempeſtatibus, illi obſtitit, quo minus in tempore prębere poſſet, accerſitur redemptor capitis, ille ſe caſu defendit, ſic ille, qui cum aprum peteret, Alym Cræſi regis filium interfecit. Neceſſitas cum reus aliter ſe nō potuiſſe facere oſtendit, ut pro Ligario Cicero ait, ſi crimen eſt, Ligarium in Africa fuiſſe, neceſſitatis crimē eē, nō uolūtatis. & ꝓ Milone probat, Milonē Clodij inſidijs appetitū nō aliter effugere potuiſſe, niſi illū interfeciſſet, itaq; factum illud neceſſitatis fuiſſe. Imprudētia eſt cū ſciſſe aliquid is, qui arguit̄ negat. vt ſiquis ciuē nerberās exiſtimaret ſeruum ſuū ſe verberare, aut aliquid cōtra legē faciat, q nunq̄ rogatum fuiſſe audiuerit. ita Cic. pro Ligario ait Tuberonē peccare per imprudentiā qui non intelligeret ſe petere Ligarij ſanguinē. Sæpe ēt natura facti excuſationē affert, ut ſiquis uehementer ſit iracūdus, aut furioſus, aut demens. qua rōne nonnulli aliqn̄ iudiciū euadūt, cū ꝑ ſe demētiā feciſſe oſtēdūt. ita Cicero iuuenilem naturā & ætatē in Cælio excuſat. denique cōſuetudo plerūque factū excuſat, ut ſiquis deprehēſus In loco ubi cędes facta ſit, & accuſatus ꝓbet in eo loco ſe frequētē antea fuiſſe. aut ſiquis aliorū exēplo factū ſuū defendat, quod alij multi ita facere cōſueuerūt. Quare prōptus eſt ad iniuriā ille, qui ſperat ſe probaturum, nō ſcienter aut ſpōte feciſſe, ſed uel caſu, uel neceſſitate, uel natura, uel conſuetudine, uel imprudentia. Notādum eſt autem Ariſtotelem inter purgationis partes, etiam naturam & conſuetudinem numerare. contra quam Latini rhetores faciant.

TEXT. *Et, qui ſperant fore, ut non ſummo iure, ſed ex æquo & bono ſecum agatur.*

COMM. Agere ſummo iure eſt nihil penitus ex legū ſeueritate remittere, & ꝙ i uerbis legis eſt, obſeruare. potiuſq́; ſcriptū quā ſniam ſequi. & qui ſūmo iure agūt dn̄r a græcis *ἀκριβοδίκαιοι* ut Budæus annotauit. agere autē ex bono & æquo eſt leges mitius iterpretari, & multū de ſeueritate remittere, & potius ſniam q̄ ſcriptū ſequi, qđ qui faciūt, gręcè dn̄r *ἐπιεικεῖς*, ergo qui ſperant fore ſi deliquerint, ut ſecū agat̄ ex ęquo & bono, nō aūt ſummo iure, ſunt ad iniuriam faciendam promptiores.

Et quicūque ſūt indigētes: duobus aūt modis indigētes dicūtur, uel rerū neceſſariarū, quales ſūt mēdici aut paupes, uel e ſuperātiū rerū, quales ſūt diuites. TEXT.

Qui rei alicuius indigēt, ut eā acquirāt, plerunque nō dubitāt iniuriā facere. nō aūt tātū pauperes dn̄r negligētes, ſed quicūque vehemētius aliquid deſiderāt ēt ſi diuites ſint. nā duobus modis dn̄r indigentes, uel cū carēteis rebus quæ ſunt ad vitā degēdā neceſſariæ, ſicuti pauperes ac mēdici, uel cū ea nō habēt, quę ad exuberātiā ſpectāt, ſicuti diuites. neque. n. dubiū eſt quin ꝓp egeſtatē hoīes multa mala faciant. quod Hora. ita monet; COMM.

Magnum pauperies opprobrium, iubet
Quiduis, & facere, & pati. Sic Virgilius in ſexto;
Et metus, & male ſuada fames, & turpis egeſtas.

Eſt. n. paupertas onus & miſerū & graue, ut ait Terent. Plautus in duobus captiuis; ille eſt miſerrimus, qui cū ēt cupit, qđ edat, nō hēt. & in ꝓuerbio dr̄; Miſerrimū eſt fame mori. hac de cā mēdici ſępe cogunt̄, multa mala facere, quę ſi rebus neceſarijs abūdarēt, nullo mō facerēt. ſic ēt diuites cū in cupiditatē rerū alienarū ueniūt, quo iure, quaque iniuria ſibi eas uēdicare quærūt, quā rē copioſe Cice. ꝓ Milone pſequit̄. cū oſtēdit Clodiū per multis ciuibus maximas iniurias feciſſe, & res eos ꝑ uim abſtuliſſe. Nihil erat (inquit) cuiuſque qđ quidē ille adamaſſet, qđ nō hoc anno ſuū fore putaret. & ꝓ Roſcio Am. ait Chryſogonū nō alia đ cā quęrere Roſcij dānationē niſi vt eius bonis impune frui poſſit. ſeſe, inquit, hoc incolumi nō arbitrat̄ huius innocētis patrimoniū tā amplū, & copioſum poſſe obtinere, dānato, & eiecto, ſperat ſe poſſe ꝙ adeptus ē ꝑ ſcelus, id ꝑ luxuriā effundere, atque cōſumere. & quę ſequunt̄. ꝓ P. Quintio Sex. Neuiū ait à Quintio velle extorquere, quod ei non debetur.

Et ij, de quibus omnes bene exiſtimāt; & ij de quibus peſſima eſt opinio. nā illi ſe latere poſſe ſperant; quod nemo de eis male exiſtimat; hi uero quod nullā amplius exiſtimationis iacturam facere poſſunt. TEXT.

Addit ēt duo genera hoīum qui ꝓcliues ſūt ad iniuriā, nēpe ij, quorū apud oēs eſt bona exiſtimatio, & ij, de quib. oēs malè opinant̄. ſed tn̄ diuerſa rōne ſunt iniurioſi. qm̄ ij, qui boni uiri hn̄r, ſperāt flagitia ſua ſe occultaturos. nullę. n. ſunt occultiores inſidię q̄ eę, quę latēt i ſimulatione bonitatis & officii. illi uero de quibus mala eſt opinio, quia iā fecerūt exiſtimationis iacturam, non dubitant omne ſcelus aggredi eius generis homines, qui proborum famam aucupantur. Iuuenalis ſatyra tertia acriter inſectatur, quam ita incipit. COMM.

Vltra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios ſimulāt, & Bacchanalia uiuūt.

contra ēt qui pudorē ſemel exuerunt, ii bene & gnauiter ſunt impudentes.

TEXT. *Atque his quidem de cauſis ad iniuriam faciendam aggrediuntur homines. quos autem, & quales lædant, iam uideamus.*

COMM. Ex tribus quæ ꝑpoſuerat duo iã abſoluit, hoc eſt; quibus de cauſis homines iniuriam faciant, & quomodo affecti. reſtat etiam tertium, quos, qualesq́ue offendant, de quo deinceps uidendum eſt.

TEXT *Eos igitur lædunt, qui ea poſſident, quorum ipſi ſunt indigentes uel ad uſus uitæ neceſſarios, uel ad exuperantiam, uel ad perfruendas uoluptates.*

COMM. Primò illi ſunt ad iniurias expoſiti, qui rebus eis abũdãt, quas improbi cupiunt, q̃m eis egẽt, uel ad vſus vitæ neceſſarios, ut Saluſtius cum eẽt oppreſſus ære alieno, & prætor Africã obtineret eã prouinciam ita expilauit, vt & creditoribus ſatiſfecerit, & multas ſibi pecunias reſeruarit, & L. Catilina propterea quod omnia bona paterna dilapidauerat egeſtate preſſus, conſilium de perdenda patria cum multis conſceleratis ciuibus inire cœpit. vel ad exuperãtiam alienas res appetũt, vt verres in Sicilia vaſa aurea, & argentea dominus per uim abſtulit, & multis uaſis tantum Emblemata ademit. quin ex tẽplis Deorum immortaliũ plurima ſigna aſportauit. uel denique ad perfruendas voluptates, quod aliorum eſt quærunt, ut uxores, aut filias. nam Verres cum eſſet Lãpſaci, & Philodamũ ciuem Lampſacenũ audiret pulcherrimã habere filiã, iam nubilem ſatellites ſuos miſit, qui eam raperent. auctor Cice. 3. in Verrem.

TEXT. *Et eos, qui longinqui, & eos, qui propinqui ſunt; nam hi facile celeriterq́; poſſũt expilari. ab illis uero uenit tarda ultio, ut qui Carthaginiẽſes depopulãtur.*

COMM. In eos præterea inuadunt qui uel multũ remoti ſunt uel ualde uicini, ſed diuerſa rõne. nam ualde uicinos lædunt, quia poſſunt id facile, celeriterq́ue facere. unde bene dixit Heſiodus; uicinũ improbum, magnum ſolere detrimẽtum adferre. & Themiſtocles cum prælium ſuum præſcriberet, iuſſit præconem adiungere, bonos quoque uicinos illud habere. nam eo modo putauit fore uendibilius. Horatius libro carminum ſecundo bene deſcribit hanc improborum uicinitatem, cum ait;

Quid? quod uſque proximos
Reuellis agri terminos? & ultra
Oda. 18. Limites clientium
Salis auarus? pellitur paternos
In ſinu ferens deos
Et vxor, & uir, ſordidosq́ue natos.

Eos aũt qui multũ remoti ſũt, ideo lædunt, quoniam ab eis uenit tarda ultio. neque. n. commodè põt aliquis eos ulciſci, qui locorũ interuallo diſiũcti ſunt. ut illi, inquit Ariſtoteles, qui Carthaginiẽſes depopulãtur. quoniã Carthaginiẽſes à græcia ualde remoti ſunt, iõ poſſunt à Græcis impune lædi. vr̃ antẽ Ariſtoteles de piratis intelligere. qui apud antiquos Græcos erãt in honore ac precio. ſicuti Thucydides primo libro ſcribit. ait. n. nullam fuiſſe ignominiam populos externos depopulari, ſed potius gloriam eos magnam acquirere ſolitos, qui id rectè feciſſent.

TEXT. *Et qui ſunt incauti, ſeq; ac ſua nõ cuſtodiũt, ſed creduli ſunt; tales. n. hoĩes facile eſt occultè lædere.*

COMM. Qui negligẽtes ſunt in ſe, ac ſuis rebus cuſtodiendis, & qui facile credũt, ij ſæpe inducuntur in fraudẽ. nã improbi ſemper lædendi occaſionẽ expectant. cũ aũt aliquẽ uident incautũ, illũ ſtatim inuadunt. ſicut Pigmaliõ, de quo ita Virg. 1. Aen.

--- Ille Sicheum
Impius ante aras, atque auri cæcus amore
Clam ferro incautum ſuperat.

Et Oreſtes qui Pyrrhũ Achillis filiũ, ut ait idẽ Virgilius in tertio

Excipit incautum patriasq́ue obtruncat ad aras.

Facile eſt autem incautum opprimere atque interficere. ut in 10. Aeneidos.

-- Nam Pallas ante ruentem
Dum furit incautum crudeli morte ſodalis
Excipit, atq; enſem tumido in pulmone recõdit.

Sed Aeneas eodẽ in libro Lauſum monet, ne ſe tam incaute morti pro patre obijciat;

Quo moriture ruis, maioraque uiribus audes?
Fallit te incautum pietas tua.

Sic ẽt qui creduli ſunt, ad iniuriam ſunt expoſiti. unde benè dixit Epicharmus Siculus; neruos eſſe ſapientiæ non facile credere. qui igitur ſunt improuidi & creduli ſtultitia non carent. Cicero de Amicitia ſic ait; Hæc in fabulis ſtultiſſima perſona eſt, improuidorum & credulorum ſenum.

TEXT. *Et qui ſunt inertes ac deſides; neque enim ab eis in iudicium uocari reformidant.*

COMM. Offendunt ẽt eos, quos intelligunt eſſe ignauos ac deſides. quia non timẽt ab eis cõdemnari. cum ignauos pigeat lites ſequi, & eos, à quibus iniuriam acceperunt, in iudiciũ uocare. quare facile contẽnuntur, cũ nec ſibi nec alijs ſint utiles. Cicero de offic. 2. Quamobrem, ut ante dixi, cõtẽnuntur ij, qui nec ſibi, nec alijs proſunt, ut dr̃, in quibus nullus labor, nulla cura, nulla induſtria eſt.

TEXT. *Et, qui uerecundi ſunt, huiuſmodi. n. homines propter pecuniam digladiari nolunt.*

COMM. Seditioſi ac turbulenti ciues eos libẽter offendunt, quos uerecũdos & mitis ingenij viros eẽ cognoſcunt. quia ſciunt eos nolle ꝑꝑ pecuniã digladiari, neque lites ſequi. qđ in Equitibus Ariſtophanes Cleoni obijcit, nempe eum attẽdere ſolitum ſiquis eſſet in ciuitate uir diues & probus & miti ac placido ingenio, qui à litibus abhorreret, atque illi ſtatim aliquas inſidias machinari, & ab eo per uim aliquid extorquere. fuit aũt Cleõ adeo cautus & fallax, ut ex coriario factus ſit ſũmus imꝑator, uerũ ſꝑ fuit ſeditioſus & turbulẽtus ciuis.

TEXT. *Et, qui iam à multis iniuria ſunt affecti, neque tamen unquam quenquam in iudiciũ uocarũt; ſunt enim hi, quod prouerbio fertur, Myſorum præda.*

COMM. Qui nimis patientes ſunt in tolerãdis iniuriis, neque unquam ſe ulciſcuntur, aut nullum unquã accuſant, eos improbi libenter offendunt. quoniã ſunt tanquam Myſorum præda, ut prouerbio dicitur. nam Myſi tam ignaui ac deſides olim habiti ſunt, ut ab omnibus ferè contemnerentur, ut Strabo libro duodecimo ſcribit. Vnde Myſorũ poſtre

mus

mus dicitur, quē omnes tanquam viliſsimnm & abiectiſsimnm deſpiciunt. Cicero pro L.Flacco; Quid porrò (inquit) in græco ſermone tā tritū atque celebratum eſt, quā ſiquis deſpicatui ducitur, vt Myſorū vltimus eſſe dicatur. ſic ēt qui impune à quibuslibet offenduntur, Myſorum præda uocātur. vt innuit hoc loco Ariſt. & Demoſthenes in oratione pro Cteſiphonte, hoc idem prouerbium vſurpat.

TEXT. *Et, quos nunquam, & quos ſæpius læſerunt; nam utrique ſunt incauti; illi quia ſuſpitione carent, hi uerò quia non amplius timent.*

COMM. In eos ēt iniuriā inferunt, quos nunqnam offenderunt, quia ſciunt eos eſſe ſecuros, & nihil à ſe timere. quare incautos eos opprimunt. illis pterea faciūt ininriam, quos iā ſæpius læſerunt, quia non amplius timent, & impoſitū iam finem iniurijs exiſtimant. fit.n. vt improbi quoſdā obſeruēt, & eos nō offendāt longo tpe, poſtea nero data occaſione tanquā feræ in eos irruant, & nihil tale verētes opprimant. aliquid ēt faciūt qđ ſpeciē pbitatis habeat, ſed deinde ad ingenium ſuū redeūt; qđ prima actione in Verrē elegāter ita Cice. docet; Eſt adhuc, id qđ uos oēs admirari video, non Verres, ſed Q. Mutius: quid.n. facere potui elegātius ad hominū exiſtimationē? æquius ad leuandā mulieris calamitatē? vehementius ad Quæſtoris libidinē coercendā? ſummè hæc omnia mihi uidētur eſſe laudanda. ſed repente ueſtigio ex homine, tāquā aliquo Circæo poculo, factus eſt Verres: redit ad ſe, atq; ad mores ſuos. &c. Sæpe etiam præteritas iniurias nouis accumulant, vt quarta in Verrem, copioſè Cicero perſequitur.

TEXT. *Et, qui ſunt infames, aut qui facile poſſunt accuſari, tales.n. iudicio experiri non audent; quia iudices reformidant, neque ſi experiantur fidem facere poſſunt; quo in numero ſunt etiā ij, qui multis odio ſunt, & qui inuidiam habent.*

COMM. Quatuor hominū genera ſimul ponit, qui ſint ad iniuriā expoſiti. primo qui ſunt infames & iudicio dānati. facile. n. quiuis in eos inuadit. quia nō amplius in numero ciuium eſſe videnť. deinde qui ita uiuūt, ut accuſari facile poſsint. nā huiuſmodi hoīes actionē iniuriarū intēdere nō sudēt, neq; iudicio experiri. timent. n. cōſpectū iudicū. tū qui multis odio ſunt. eos. n. ēt ſiqnis offendat, non videtur malefacere, ſed potius multorū iniurias ulciſci. deniq; qui inuidia pmunť, uel ppter opes, uel pp potentiā, uel pp arrogantiā. gaudēt enim homines, cum taliū faſtus & ſuperbia reprimitur. hæc omnia p Milone Cic. conijcit in Clodium, illum enim infamem, illum plurimis ſceleribus contaminatum, illum omnibus odio fuiſſe, maximamque inuidiam ſuſtinuiſſe oſtendit.

TEXT. *Et, contra quos anſam arripere poßunt; quod aut maioribus ſuis, aut ſibi, aut amicis, aut eis, quorum ſalutem caram habent uel malefecerunt, uel facere ſtuduerint. nam (ut eſt in prouerbio) ſola occaſio malitiæ ſufficit.*

COMM. Improbi nihil aliud ſtudēt, quā quō poſsint aliquē offendere. itaq; occaſio datur aliquē inuadēdi, qđ is, vel malefecerit, vel aliquid mali machinatus fuerit, in eorū maiores, aut iu eos aut in amicos, ſtatim iniuriā faciūt, ut T. Labienus Rabiriū à Duū uiris indicta cā dānandū curauit, qđ is Quintū patruū ſuum qui cū Saturnino fuerat, interfeciſſet. Cæſar Clodio fuit auxilio, ut Ciceronē relegaret, quoniā Cicero de eius nimia licentia in Rep. cōqueſtus fuerat. Achilles Hectorē, quē interfecerat, circa muros iliacos ter raptauit, vt amici ſui Patrocli mortē vlciſceretur. addit autē Ariſto. prouerbium illud; Sola occaſio malitiæ ſufficit. quo licet vti contra eos qui nocendi cupidiſsimi ſunt. quod eleganter Publius in Mimo ſuo ſic expreſsit;

Malefacere qui vult, nuſquā non cauſam inuenit.

Vulgatū eſt ēt ex ſacris literis; Qui vult ab amico diſcedere, cām quærit. ſæpe.n. iram prætexunt amici, ne aliqua in re gratificentur, id quod bene Martialis oſtendit eo diſticho;

Iraſci tantum felices noſtis amici,
Non quia ſic merui ſed iuuat hoc facere.

TEXT. *Eos etiam lædunt qui uel amici, uel inimici ſunt; nam amicos lædere facile eſt, inimicos autem ſuaue.*

COMM. Diuerſa rōne improbi & amicos & inimicos lædunt. amicos qm̄ id facile eſt, neq;. n. amicus ab amico malū timet. iō nullum negociū eſt amicū circunuenire. uerum inimicis malefacere iucundum eſt q̄uis difficilius lædantur inimici quā amici, ſemp. n. cauent. qđ Theognis docet his verſib.

Difficile eſt hoſtem atq; inimicum fallere Cyrne,
At facile eſt, qui ſit iunctus amicitia.

hoc idem docet Cic. tertia in Verrē actione; nullæ ſunt (inquit) occultiores inſidiæ, quā eæ, q̄ latēt in ſimulatione officij, aut in aliquo neceſsitudinis nomine: nā eum, qui palā eſt aduerſarius, facile cauendo vitare poſsis: hoc vero occultum, inteſtinum, ac domeſticum malum nō modo nō exiſtit, verum ēt opprimit, antequā pſpicere, atq; explorare poteris. Lyſias eo nomine Andocidē accuſat, qđ inimicis nihil noceret, amicis uerò q̄tum poſſet, incōmodaret. Cornificius quarto ad Herēnium cū de cōtentione, loquiť hoc exēplū ponit; inimicis te placabilē, amicis inexorabilem pbes.

TEXT. *Et, qui uacui ſunt ab amicis, & qui dicendi facultatem non habent, nec in rebus gerendis ſtrenui ſunt, hi nanque nel iudicio non experiuntur, uel antea placantur, uel rem ad exitum non deducunt.*

COMM. Duobus modis ſolent homines à ſe pericula depellere, vel per amicos uel per ſeipſos, qui uero neque amicos habent, neque ipſi poteſtatem habent per ſe pericula depellendi, ij certè ſunt ad omnem iniuriam expoſiti. Quamobrem improbi homines obſeruant eos, qnibus vel nulli ſunt amici, uel qui ſe defendere non poſſunt, & per iniuriam eos inuadunt. duobus autem modis homines ſe defendunt uel uerbis vel factis. qui autem nullam habent dicendi facultatem neque ſunt in rebus gerendis ſtrenui, illi nullo modo ſe defendere poſſunt. itaque cum afficiun-

tur Iniuria, uel aduerſarios in iudicium nō uocāt, nel parua pecunia placantur, vel ſi iudicium tentarint, non ad extremum vſque perſequuntur, ſed rem imperfectam relinquunt. Cicero pro Roſcio Am. docet aduerſarios Roſcij ea de cauſa, in bona Roſcij inuaſiſſe, atq; eum velle de medio tollere, quod eum nullos amicos habere exiſtimarent, & qđ à nemine defenſum iri putarent. huic (inquit) patronos, propter Chryſogoni gratiā defuturos: de bonorum venditione, & de iſta ſocietate verbū eſſe facturum neminem: ipſo nomine parricidij, & atrocitate criminis, fore vt hic nullo negocio tolleretur, cum ab nullo defenſus eſſet. hoc conſilio, atque adeo hac amentia impulſi, quem ipſi, cum caperenr, non potuerunt occidere, eum iugulandum vobis tradiderunt.

TEXT. *Et, quibus non utile eſt tempus terere, dum aut iudicium fiat, aut multa diſſoluatur, quales ſunt peregrini, & agricolæ, & opifices. nam hi parua accepta pecunia remittunt inurias, & facile deſiſtunt.*

COMM. Obſeruant etiam illos improbi homines, quos inuadant, quibus intelligunt inutile eſſe tempus conterere. quales ſunt peregrini, agricolæ, atque opifices. nā huiuſmodi homines expectare nō poſſunt, dum fiat iudicium, aut dum pœna perſoluatur. qnare paruo precio rem tranſigunt. & à iudicio facile diſcedunt. vt ad opera ſua, vel in patriā reuertatur. eſt huius rei exemplum in Andria Terentij vbi Crito peregrinus de Chryſide ſic ait;

Eius morte ea ad me lege redierunt bona. & paulò poſt de Glycerio;
Semper enim eius dicta eſt hæc, atque habita eſt ſoror.
Quæ illius fuerunt, poſsidet: nunc me hoſpitem
Lites ſequi, quam hic mihi ſit facile, atque utile,
Aliorum exempla commouent. ſimul arbitror
Iam eſſe aliquem amicum, & defenſorem ei.

ita in Adelphis Sannio ſecum ratiocinatur de iniuria quam acceperat ab Aeſchino adoleſcente, qui fidicinam ab eo abſtulerat.

— Illne vide
Vt in ipſo articulo oppreſsit: emptæ mulieres
Complures, & item hinc alia quæ porto Cyprū:
Niſi eò ad mercatum veniā, damnū maximū eſt.
Nunc ſi hoc omittā, actum agā: ubi illinc rediero,
Nihil eſt, refrixerit res: nunc demum venis?
Cnr paſſus? nbi eras? vt ſit ſatius perdere.
Quam aut hic nunc manere tandiu, aut tum perſequi.

TEXT. *Et, qui in alios ſæpe iniurioſi fuerunt, & qui tales iniurias intulerunt, quales patiuntur; nam ferè nihil iniuria uidetur is feciſſe, qui quēpiam lædit in ea re, qua ſolitus eſt ille ſæpe alios lædere; ut exempli gratia ſi quis eum pulſaret, qui multos ſolitus ſit contumelijs uexare.*

COMM. Illos ꝑterea inuadunt, quos intelligūt in alios eſſe iniurioſos. hoc. n. inſtitia poſtulare videtur, ut qui facit Iniuriā alijs, ēt ipſe ab alijs iniuriam accipiat, quod eleganti metaphora Cicero ſecundo de Oratore ſic expreſsit; vt ſementē feceris ita & metes. quod ēt in ſacris literis dicitur: qua menſura erga alios vſi fueritis, ēt alij vtanī erga uos. & tūc ꝑſertim iuſtè pati videntur homines, quādo tales iniurias accipiunt, quales intulerint. ut ſi quis plagis aut vulneribus afficiatur, qui ſolitus ſit alios verberare, aut vulnerare. hæc enim lex talionis erat, vt par pœna redderetur, vt ſi quis oculum alteri erueret, ei uiciſsim oculus erueretur. Virgilius libro decimo de Turno qui Pallantem Euandri filium interfecerat, ſic ait;

Neſcia mens hominum fati, ſortiſq; futuræ,
Et ſeruare modum rebus ſublata ſecundis,
Turno tempus erit magno cum optauerit emptū
Intactum Pallanta, & cum ſpolia iſta, diemq;
Oderit.

nam in duodecimo cum Aeneas Turnum proſtrauiſſet, & illi parcere decreuiſſet, viſo Pallantis baltheo quo Turnus erat cinctus.

— Furijs accenſus & ira
Terribilis, Tu ne hinc ſpolijs indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat, & pœnam ſcelerato ex ſanguine poſcit.

Sic Orodes in decimo ꝑdicit Mezentio fore, nt ea dē pœna breui afficiatur, quā in ipſum intulerat;

— Non me quicunque es innlto
Victor, nec longum lætabere, te quoque fata
Proſpectant paria: atque eadē mox arua tenebis.

Et, qui præterito tempore malè ipſis fecerunt, aut facere noluerunt, aut in præſentia uolunt, aut poſtea facturi ſunt; habet enim hoc in ſe iucunditatem, & honeſtatem; & tale eſt, ut omni ferè iniuria carere uideatur. TEXT.

Superius penè eadē dixit, ſed ibi notauit eorū malitiā qui cūm nocēdi q̃runt, atque id improbè faciunt, hoc aūt loco bonorum & fortium uirorū mores exprimit, qui & ſe, & ſuos omni tēpore ab iniuria defendere ſtudent. Itaque eos ulciſcuntur à quibus iā acceperint iniuriam, & eis ſtrenue reſiſtunt, qui in ꝑſentia ſibi conātur ininriā facere, & eos ꝑueniunt, qni ſunt iniuriam facturi. hæc. n. & iucunda ſunt, & honeſta, atq; eiuſmodi ut abeſſe ab omni iniuria videantur. qđ ita Cicero pro Milone probat; Sin hoc & rō doctis & neceſsitas barbaris, & mos gētibus, & feris natura ipſa ꝑſeripſit, ut oēm ſemp uim, quacūq; ope poſſent à corpore, à capite, à uita ſua ꝓpullarent: non poteſtis hoc facinus improbum iudicare, quin ſimul iudicetis, oibus, qui in latrones inciderint, aut illorū telis, aut ueſtris ſententijs eſſe pereundū. & alibi in eadem oratione; Si uita noſtra in aliquas inſidias, ſi in uim, in tela, aut latronū aut inimicorū incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet, expediendę ſalutis. in primo de Oratore Craſſus ita inqnit; Quid autem tam neceſſarium quam tenere ſemp arma, quibus uel tectus ipſe eſſe poſsis: uel prouocare improbos, uel te ulciſci laceſsitus? COMM.

Et, quos ſi lædant aut amicis gratificantur, aut eis, quos ſuſpiciunt, aut amoribus ſuis, aut dominis, aut eis, a quibus omnino ſ endent, aut à quibus aliquid commodi ſperant. TEXT.

Amicorum gratia ſæpe ſolent homines iniuriā COMM. facere,

facere atque etiam ſcelera committere, ut C. Bloſius Cumanus amicus Tiberii Gracchi, cum ſe excuſaret apud Lælium quod tanti Tib. Gracchũ feciſſet, ut quicquid ille uellet, ſibi faciendum putaret, & Lælius dixiſſet etiam ne ſi te in capitoliũ faces ferre uellet? nunquam, inquit, uoluiſſet id quidem: ſed ſi uoluiſſet paruiſſem. ita Lectorius pro C. Graccho arma contra Rempu. cæpit, & L. Rhegynus Cæpionem eduxit è carcere & in exilium cum eo profectus eſt. pro eis etiam quos ſuſpiciunt & admirantur, ſæpe ad iniuriam faciendam impelluntur, ut pro uiris eruditis, aut fortibus, aut in aliqua egregia re excellentibus. at uero pro amoribus ſuis plurimas ſæpe faciunt iniurias homines, nam inter ſe riuales plerunque gladiis infeſtis concurrunt, ſæpe mutuis uulneribus confodiuntur, ſæpe dolis & inſidijs utuntur. denique propter amorem maxime nefanda quæque ſcelera patrare non dubitant. M. Cato L. Flaminium e numero ſenatorum exemit, quod is in prouincia, quendam condemnatum ſecuri percuſſit, tempore ſupplicii ad arbitrium & ſpectaculũ mulieris, quam amabat, electo. ſerui etiam ut dominis gratificentur, iniurias inferunt, & ſæpe uitam pro dominis profundunt, cuius generis nõnulla ſunt apud Vale. Maxi. exempla. Cicero pro Milone; cũ oſtendere uellet à Seruis Milonis interfectũ fuiſſe Clodium ſic ait; fecerunt id ſerui Milonis, dicã enim non deriuandi criminis cauſa, ſed ut factum eſt, neque imperante, neque ſciente, neque præſente domino, quod ſuos quiſque ſeruos in tali re facere uoluiſſet. Poſtremo qui ab aliquo ſperat aliquod commodum, ſæpe pro illo facit iniuriam, timet enim ne niſi id fecerit, quod illi gratum eſt, a quo pendet, ipſe ſperato commodo priuetur, ita ſæpe clientes in patronorum gratiam multa flagitia perpetrant.

TEXT. *Et, quibus crimina iam intulerint, & quibuſcum amicitiam diremerint, hæc enim ferè uidentur nullam in ſe iniuriam continere; quemadmodum ſe Calippus contra Dionem geſſit.*

COMM. Illis etiam iniuriam faciunt, quos iam accuſarint, & inſectati, & à quibus receſſerint, cum antea coniuncti eſſent amicitia. nam deinde inimici facti putant iniuriam non eſſe, eos offendere quibuſcum inimicitias exercent. hoc autem exemplo Calippi probat Ariſtoteles, qui cum antea familiaris, & amicus Dionis eſſet, poſtea dirempta amicitia primo eum apud ciues falſis criminibus infamauit, deinde aperta vi in eum inuadens interfecit. Hiſtoria eſt apud Plutarchum in Dionis uita. nam Calippus iſte fuit Athenienſis genere, quem Plato Dioni familiarem fuiſſe non ex diſciplina ſed ex myſteriorum inductione ſcribit. Hic cum militiæ particeps fuiſſet, & belli quod Dion contra Syracuſanos geſſit, in magno honore ac precio apud milites habebatur. quam nactus occaſionem in ſpem uenit occupandi imperii, itaq; primo cæpit clanculum Dionem apud ciues accuſare, & cũ uideret multos ſibi fidẽ habere, conſiliũ cepit Dionis interficiẽdi, qđ licet Dioni fuiſſet nunciatũ, tamen contempſit, uel quod non curaret diutius uiuere, uel quod nollet tot ciues qui in coniuratione eſſe dicebantur e medio tollere. Quare cõſtituta die, cũ Cæreris ſacra peragerẽtur, Callippus magno coniuratorũ numero ſtipatus, in regiam impetum fecit, Dionem interfecit, & Syracuſarum regnum occupauit.

Et, quos uident ab alijs læſum iri, niſi ipſi præoccupauerint, tunc enim ſibi non amplius deliberandum cenſent; quemadmodum dicitur Aeneſidemus Geloni quædam munera miſiſſe, quod eos in ſeruitutem redegiſſet, quos ipſe inuadere ſtatuerat, niſi is præoccupaſſet. TEXT.

Cũ uident aliquos eſſe omnino iniuriæ expoſitos, & aliquid poſſidere, quod ſint amiſſuri, ſtatim illos inuadũt, & præoccupant illos ſpoliare, tanquã melius ſit, ut ipſi ea ſpolia habeant, quam patiantur alios habere. ut ſiquis, exẽpli gratia, uideat puerum per ſolitudinem latronũ refertã, magnum auri pondus geſtantem. certè ſi paulo auidior auri fuerit, ſecum ita dicet. hic puer à latronibus omnino ſpoliabiť, & aurũ amittet, nonne multò melius eſt, ut aurum hoc ego poſſideam quam ut illud latrones habeant? itaq; fortaſſe illum ſpoliabit. Ariſtoteles exemplum adfert, cuius ſenſus eſt apertiſſimus, licet hiſtoria ſit ignota. Aeneſidemus Leontinorũ rex, quoſdã populos in ſeruitutẽ redigere ſtatuerat, quoniã videbat eos diutius libertatẽ cõſeruare nõ poſſe, uerũ Gelo rex Syracuſanorũ rẽ eã p̃occupauit, atque ipſe populos illos imperio ſuo adiecit, & in ſeruitutẽ redegit. Aeneſidemus igiť hoc audito Geloni q̃dã præmia tanquam victori miſit, quibus ſignificauit eũ id p̃occupaſſe, qđ ipſe facturus erat. hic eſt igiť huius loci ſenſus, quem Victorius non videtur ſatis p̃cepiſſe. Præmia uero illa q̃ Aeneſidemus Geloni miſit leuia fuiſſe, declarat ipſum uocabulum, nã Cottabia dicit Ariſt. fuiſſe. uocabantur aũt hoc nomine p̃mia quæ uictoribus dabantur in ludo Cottabo, ſicut Atheneus docet. Cottabus autẽ ludus erat, quem Iulius Pollux libro ſexto capite decimonono deſcribit. quo vtebantur in conuiuijs ridiculi gratia. in eo ludo præter cætera, erat peluis quædã aquæ plena, in qua ſupernatabãt ſphæra, & trutina, & imagũcula quædã, & tres myrti, & tria pocula. propinabant igiť inter ſe primo, tũ quod reſiduũ erat in poculo, proijciebant in peluẽ, & ſi magnus ſtrepitus ederet in proijciendo, id exiſtimabant ſignũ eſſe magni amoris deliciarum ſuarum erga ſe. p̃terea qui in proijciẽdo feciſſet ut ea quæ ſupernatabant, ſubmergerentur, ille uictor declarabatur, & ſi non omnia, qui plura ſubmergebat, uictor erat, & p̃mia accipiebat, q̃ cottabia dicebantur. erant autẽ placentæ q̃dam. talia munera miſit Aeneſidemus Geloni tanquã victori in Cottabo, qđ eos populos ſubegiſſet, quos ipſe ſubigere cogitarat. ſicut in cottabo cupiũt oẽs ſupernatantia illa pocula, & res cæteras, quas p̃diximus, ſubmergere, ſed tamen vnus tantum uictor eſſe poteſt.

TEXT. *Et, quos ſi læſerint, multas deinde res iuſtas facere poterunt, quibus culpam eam facile deleant; quemadmodum Iaſon Theſſalus dicere ſolebat, oportere quædam iniuſtè facere, ut facultas acquiratur, qua multa deinde iuſta fiant.*

COMM. Hæc eſt ars multorum principum, vt, cum expilare ſubditos volunt, dicant ſibi res quaſdā magnas eſſe conficiendas, quæ ſint omnibus publice profuturæ, ne ſubditi conqueri poſſint, etiam ſi grauiores exactiones viſæ fuerint. vtilitas. n. quæ ex illis exactionibus prouenit, facile poteſt ſubditorum querimonias ſedare. quod Iaſon Theſſalus dicere ſolebat, nonnullis in rebus opus eſſe cōtra iuſtitiam agere, vt deinde multa iuſtè fieri poſſint. Plutarchus in libro de p̃ceptis ciuilibus ſcribit hunc Iaſonem, cum alicui quippiam extorquere vellet, ita ſe excuſare ſolitum; Qui magna quædam efficere ſtudet, cum in rebus exiguis ius violare opus eſt. hoc ſæpe accidit in bello, atque in munitionibus. nam, vt tota ciuitas ſecura ſit, agri atque ædificia nonnullorum deuaſtantur.

TEXT. *Ea uero peccata committunt homines, quæ uel omnes alij, uel multi committere ſolent; quoniam ſe facile ueniam conſecuturos exiſtimant.*

COMM. Docuit quas perſonas offendant, nunc breuiter etiam docet, quæ peccata facile committant, ac primo dicit ea committere, quæ vel omnes alij, vel plurimi committere ſolent. in eis enim ueniā ſibi datum iri ſperant, vt, quoniam omnes ferè Germani ſunt ebrioſi, ideo uenia datur Germano ſi fiat ebrius. & quia iuuentus ad uoluptates eſt procliuis, ideo Cicero veniam eſſe dandam Cęlio argumentatur, etiam ſi paulo intemperantior fuerit propter ætatem iuuenilem. & in libro de ſenectute, Cato dicit ſibi dandam eſſe veniam, ſi multa loquatur, quoniam ſenes ſolent eſſe paulo loquaciores. & pro L. Murena Cicero defendit Murenam non incidiſſe in ambitum etiam ſi in populum R. liberalis fuerit, & epulum publice dederit, quoniam hoc multi etiam alij fecerunt, qui tamen de ambitu non accuſati fuerunt. nam quod exemplo fit, id etiam rectè fieri exiſtimant.

TEXT. *Et, quæ ſe non difficulter occultare poſſe ſperant. talia uero ſunt, quæ cito abſumuntur, ut cibaria: uel quæ uariari facile poſſunt commutata forma, uel colore, uel temperamento.*

COMM. Ea peccata committunt etiam homines, quæ ſperant ſe facile cælare poſſe, neque in eis deprehendi, vt ſi ea ſurripuerint, quę cito cōſumuntur, qualia ſunt cibaria. quæ cum aliquis in uentrē abdiderit, non amplius apparere poſſunt. itaque fructuoſæ arbores, vineæ, cæteraq́; eius generes ſępe multis p̃da fiunt, niſi diligenter à vinitoribus cuſtodiantur. ea ēt ſurripiuntur, q̃ facile uariari poſſunt. tribus autem modis potiſſimum res uariantur. hoc eſt cum vel forma, uel color, uel temperamentum commutatur. forma, ut ſiquis auri maſſam ſurripiat, & ſtatim in torquē, aut in poculum conformet. aut togam ſurreptā in ſagū uertat. aut ex uuis uinū conficiat, aut ex farina panem. color mutatur, ut ſi res alba denigretur, aut contra nigra dealbetur. uel ad medios colores deducatur, ut ad rubrum, ad uiridem, ad ferrugineum, ut ſiquis candidam togam ſurripiat, & eam rubro colore inficiendam curet. temperamentum commutatur, ut ſiquis alienum vinum, aut lac, aut oleum cum ſuo miſceat. hæc enim omnia facile mutantur & occultantur. Cicero quinto de finibus ita de Stoicis inquit; Stoici reſtant, hi quidem non vnam aliquam, aut alteram à nobis, ſed totam ad ſe noſtram Philoſophiā tranſtulerunt, atque ut reliqui fures earum rerū, quas ceperunt, ſigna commutant, ſic illi, ut ſententijs noſtris, pro ſuis uterentur, nomina, tanquam rerum notas, mutauerunt.

Vel quæ multis in locis facile eſt ita abdere, ut non appareant; qualia ſunt ea, quæ facile huc & illuc tranſportātur; & quæ paruis in locis occultātur. TEXT.

Cum ſperant fures ea, q̃ rapuerint, ita abdere poſſe ut non appareant, ſtatim ad furtum animū adijciunt. res autem eiuſmodi ſunt, quę huc & illuc facile tranſportantur, quę Ariſtoteles uocat εὐβάςακτα, & q̃ poſſunt paruis in locis occultari. quales ſunt res precioſę, ut annuli aurei, gemmę, lapilli, torques, pecunię, & ſi qua ſunt eius generis alia. q̃ raptoris animū ad ſe alliciunt. neque. n. auidus earum rerum ſibi tēperare poteſt, cū rapiēdi & occultandi occaſionem uidet. apud Lacedæmonios non erat uitioſum furari, quin potius illi uehementer laudabantur, qui clanculū aliquid & aſtute furati fuiſſent. deprehenſi autem in furto uerberabant̄, non ꝑꝑ ipſum furtū, ſed quia neſciuiſſent illud occultare. auctor eſt Plutarchus in uita Lycurgi. tradunt poetę Mercurium furem fuiſſe maximum, & eius filium Autolycum, de quo ita Ouidius Metam. libro undecimo. COMM.

Alipedis de ſtirpe Dei uerſuta propago
Naſcitur Autolycus furtum ingenioſus ad omne
Qui facere aſſuerat patriæ non degener artis,
Candida de nigris, & de candentibus atra.

Volunt itaq; Mercurium eſſe Deum, qui furibus pręſit.

Et præterea cum auctor iniuria poßidet aliqua, quæ uel eiuſdem generis ſint, uel eis ſimilia quæ furaturus eſt. TEXT.

Occultatur ab eo, qui priuſquā furaretur, aliquid habebat eiuſdē generis cū eo, qđ furatus eſt, uel ſaltē ei ſimile. ut ſi furatus eſt nūmos, cum aliquos prius haberet eodē ſigno ꝑcuſſos. aut ſi gallinaceos pullos, aut oues, aut hædos ſuis ſimiles. eſt in ſacris literis hiſtoria furti memorabilis, qđ Salomonius uir ſapiētiſſimus ingenioſè dep̃hendit. duæ mulieres in eadē domo habitabant, & vtraq; filiū infantē habebat, qui erāt inter ſe ualde ſimiles. ſed altera mulier dormiēs ſuū filiū ſuffocauit. qđ cū aduertiſſet, in domū alterius mulieris clā ingreſſa, filiū eius rapuit, & ſuū iā mortuū illi ſuppoſuit. poſtridie mane cū īfans mortuus eſſet reptus, diligentius eū intuereť illa, cui ſuppoſitus fuerat, cognouit non eſſe ſuū, itaque viuū filium COMM.

quem

quem altera rapuerat, tanquam ſuum repetit, illa vero ſuum eſſe ait. cũ igitur orta eſſet inter duas mulieres contentio, de filio illo viuo, quem utraque ſuum eſſe dicebat, res ad Salomonium delata eſt. qui cum non poſſet aliter controuerſiam dirimere, gladium adferri iuſsit, & puerum diſſecari, vt medius vtrique daretur. tum uero mater exanimata clamare cæpit, vt potius integer ac viuus alteri daretur. ſed illa; non mihi (inquit) nec tibi, ſed diuidatur. quam uocem cum Salomonius audiuiſſet, ſtatim ei filium adiudicauit, quæ ſaluum eum eſſe cupiebat. quod ueræ matris euidens erat indicium.

TEXT. *Eas etiam iniurias inferunt, quas, qui patiuntur, pudet proferre; ut, quæ uxoribus fiunt, aut ipſis, aut filijs.*

COMM. Improbi ſæpe ſolent eas iniurias inferre, quas, qui patiuntur, proferre non audent, ſed potius ſilentio occultandas eſſe cẽſent, vt quæ turpes ſunt & obſcœnæ, qualia ſunt adulteria, ſtupra, inceſta. neque enim vir nobilis & honeſtus licet corruptã adulterio ſuam vxorem, aut uitiatam filiam intelligit, adulterum iudicio perſequi, aut vitiatorem audet. ſed potius, uel occulte, ſi poteſt, ulciſcitur, ſi autem non poteſt, tacet. Itaque Cicero pro Cœlio irridet aduerſarios qui dicerent ſe habituros teſtes qui iurarent uxores ſuas à Cœlio fuiſſe obſcœnè attrectatas. Nec tamen (inquit) illud genus alterum nocturnorum teſtium pertimeſco. eſt. n. dictum ab illis, fore qui dicerent vxores ſuas à cœna redeuntes attrectatas eſſe à Cœlio. graues erũt homines, qui hoc iurati dicere audeant, cum ſit his confitendum, nunquam ſe ne congreſſu quidem, & conſtituto cœpiſſe de tantis iniurijs experiri.

TEXT. *Et, quas ſiquis iudicio perſequi uelit; nimis appetens litium eſſe uideatur. tales ſunt leues paruæque iniuriæ, quibus uulgò ſolent homines ignoſcere.*

COMM. Iniurias etiam eas facile inferunt, quas non niſi litium appetentes iudicio perſequi ſolent. vt q̃ ſunt leues & paruę, & quæ à cunctis facile condonantur. ut quæ in iurgio committuntur, ut ſiquis alterum improbum appellarit, aut mendacem, aut furem. aut ſi leuiter percuſſerit, aut de uia non ceſſerit. tradunt Hortenſium Oratorem adeo corporis nitido, uenuſtoque cultu delectari ſolitum, ut togas ſuas in rugam contrahi diligentiſsimè curaret. & quendam in iudicium uocarit, tanquam ab eo grauem iniuriam accepiſſet, quod is intercundum quodam quaſi impetu ueſtem ſuam impellens rugas diſturbaſſet.

TEXT. *Quemadmodum igitur affecti homines iniurias faciant, & quas, & quibus hominibus, & quibus de cauſis, ex his intelligi ferè poteſt. Nunc uerò quæ ſint iniuſtæ actiones, & quæ iuſtæ diſtinguamus; atque hinc initium ſumamus.*

COMM. Iam ſe docuiſſe oſtendit ea, quæ propoſuerat. nempe quo animo ſoleant homines iniurias facere. & quæ ſint iniuriæ quæ inferantur, & quibus hominibus illæ iniuriæ fiant, & quibus de cauſis. nunc ſupereſt, ut actiones etiam hominum diſtinguat, & quæ iuſtæ ſint, quæque iniuſtæ doceat. quod ſtatim oſtendere incipit.

Quæ iuſta ſunt, atq; iniuſta duplici lege definita ſunt, & duplici perſonarum genere. Legem autem duplicem uoco; quod aliqua propria ſit, aliqua communis. propria eſt illa, quæ ad ſingulas tãtũ ciuitates, aut nationes pertinet; quæ uel non ſcripta eſt, uel ſcripta. TEXT.

COMM. Recte facta, & malefacta diſtinguit, & duplici lege & duplici perſonarum genere. ſunt. n. leges propriæ, & leges cões, quas qui ſeruat recte facit, qui uero uiolat, iniuſtè ſe gerit. in perſonis autem uel ſinguli homines ſpectantur, uel uniuerſa ciuitas. qui igitur uel ſingulos homines, uel uniuerſam ciuitatem lædit, ille improbè facit. his aũt modis oĩbus & peccare, & bene ſe gerere poſſunt homines. ſed q̃ grauiora ſint, aut leuiora peccata, poſtea docebit. prius. n. docet qũo leges diſtinguantur. nã aliqua lex (inquit) propria eſt, aliqua cõis. propriam uocat eam, qua ſingulæ tantũ ciuitates, aut nationes utuntur, ut leges Solonis, quibus Athenienſes utebantur propriæ erant Athenienſium, leges Lycurgi proprię Lacedęmoniorum erant. leges Minois Cretũ erant propriæ. atq; ita de reliquis. Zenodotus. n. ſcribit vnicuique genti ſuas quaſdam eſſe leges & inſtituta uiuendi. cuius rei multa exẽpla colligit Eraſmus in prouerbio; Lex & regio. Lex aũt ꝓpria uel ſcripta eſt, ut leges Solonis q̃ in tabulis ligneis erant deſcriptę, & leges duodecim tabularum apud Romanos. vnde tablinũ, & tabulariũ dicebaĩ locus ubi huiuſmodi tabulæ ſeruabanĩ. aliquando ẽt apud Romanos in ære, aut in marmore leges incidebantur, & in Saturni templo aſſeruabanĩ. uel nõ ſcripta eſt, ut Lycurgi leges, quæ non ſcribi ſolebant, ſed memoriæ mandari, & quaſi ꝑ manus à maioribus ad minores ꝑueniebant. nã inter cæteras Lycurgi leges erat ẽt illa, ne ſcriptis legibus uterentur. uolebat. n. eos non tabulis aut ſcriptis cõfidere, ſed infixas memoriæ ſemꝑ leges habere. Mores ẽt gentium ex longa conſuetudine pro legibus non ſcriptis habentur, quod illis uerbis Iuſtinianus oſtendit; Sine ſcripto ius uenit, quod uſus approbauit. nam diuturni mores conſenſu utentium comprobati legem imitantur.

Communis uerò lex ea dicitur; quæ inſita eſt à natura. eſt enim quoddam iuſtum, atque iniuſtum, natura commune, quod omnium mentes occupauit; quamuis conſenſio nulla hominum interceſſerit, neque ita inter ſe pepigerint: quemadmodum Antigona Sophoclis dicere uidetur, iuſtum eſſe Polynicem ſepelire, quamuis interdictum eſſet, tanquam id natura iuſtum ſit; Hoc namque non hodie, aut heri, at ſemper fuit. Nec quiſquam homo ſcit, eius ortus unde ſit. TEXT.

Nunc declarat quæ ſit lex communis, & eam eſſe ait, quæ nobis à natura inſita eſt. Cicero primo de legibus communem legem ita definit; Lex eſt ratio ſumma inſita in natura, quæ iubet ea, quæ facienda ſunt, prohibetque contraria. Iuſti- COMM.

nianus hanc legem appellat ius naturale, de quo ſic ait; Ius naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit. Nam ius iſtud non humani generis proprium eſt, ſed omnium animalium quæ in cœlo, quæ in terra, quæ in mari naſcuntur. hinc deſcendit maris atque fœminæ coniunctio, hinc liberorum procreatio, hinc educatio. videmus etenim cætera quoque animalia iſtius iuris peritia cenſeri. Mihi autem videtur hæc lex communis de qua loquitur Ariſtoteles hoc loco, non tantum ius naturale comprehendere, ſed etiam ius gentium. de quo ita Iuſtinianus; Quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit; id apud omnes peræque cuſtoditur, vocaturq; ius gentium, quaſi quo iure omnes gentes vtantur. vult igitur Ariſtoteles eſſe quoddam iuſtum, atque iniuſtum quod à natura ipſa proficiſcatur, & omnium hominum mentes occupet, quamuis non ita inter ſe conuenerint homines, aut ita pepigerint, quemadmodũ fit in ſcriptis legibus. nã ſcriptæ leges nihil aliud ſunt quam conuentiones quędam inter homines. quod autem uera lex à natura proueniat, copiosè docet Cicero primo de legibus. Vbi ponit etiam ſententiam illam; Nihil eſt profectò præſtabilius, quam planè intelligi nos ad iuſtitiam eſſe natos, neque opinione, ſed natura conſtitutum eſſe ius. hoc idem etiam Plato multis in locis teſtatur. Ariſtoteles ſumit exemplum à Sophocle qui Tragœdiam ſcripſit Antigonam nomine. in qua Polynicis ſoror Antigona probat æquum eſſe mortuum Polynicem ſepelire, quamuis Creon rex magnis propoſitis pœnis id fieri uetuiſſet, argute igitur Antigona argumentatur apud Sophoclem duobus illis ſenarijs, quibus ait ius ſepeliendi non eſſe nouum, aut nuper inuentum, ſed perpetuo uiguiſſe, ac ſemper fuiſſe, adeo ut nullus mortalium ſciat, vnde originem habuerit. ſed quamuis acutè collegerit Antigona iuſtè fratrem à ſe ſepultũ fuiſſe, tamen à Creonte una cum Argia Polynicis vxore, quæ una cum ea funus procurarat, fuit interfecta. cuius mortem poſtea Theſeus vltus fuiſſe dicitur, qui Creontem ipſum e medio ſuſtulit; fuit autem Creon Iocaſtæ frater vxoris Oedippi, qui poſtea quam Etheocles & Polynices fratres ſingulari certamine congreſsi mutuis vulneribus conciderunt, Thebanorum imperium ſumpſit. ſed dominatu regio abuſus eſt, & multa crudeliter fecit, donec tandem à Theſeo ſublatus eſt.

TEXT. *Et quemadmodum Empedocles ait de non interficiendis animantibus; hoc enim non aliquibus quidem iuſtum eſt, aliquibus autem non iuſtum;*

Sed lex ſumma hæc eſt, extenſa per æthera magnũ,
Aeraque immenſum, cunctis mortalibus alma.

Et quemadmodum ait Alcidamas in oratione Meſſeniaca.

COMM. Alterum exemplũ ſumit ab Empedocle Agrigentino poeta & Philoſopho celeberrimo. qui ſicut ait Porphirius ſecundo libro, de non necandis animantibus, vehementer abhorrebat ab hac conſuetudine veſcẽdi carnibus. itaq; dicebat hoc apud omnes iuſtiſsimum videri, & legem quandam eſſe naturalem quæ cœlo delapſa, & per uniuerſum terrarum orbem ſparſa mentes omnium imbuerit, ne animantes interficiantur. ſunt autem duo carmina exametra, quæ citantur ab Ariſtotele ex poemate quodam Empedoclis. ea nos ſenſum ſecuti, latina fecimus.

Pythagoras etiam nefas eſſe ducebat animantes necare vt earum carnibus veſcamur. quam rem copiosè perſequitur Ouidius Metamorphoſeos libro vltimo.

Parcite mortales dapibus temerare nefandis
Corpora. & non ita multo poſt;
Heu quantum ſcelus eſt in viſcere viſcera condi;
Congeſtoque auidum pingueſcere corpore corpus,
Alteriusque animantem animantis viuere læto.

Alcidamas etiã (inquit Ariſtoteles) de hac lege communi mentionem fecit in oratione Meſſeniaca. quid autem dixerit in illa oratione, cum oratio non extet, neque Ariſtoteles adſcribat, ſciri non poteſt. Fuit Alcidamas Eleates philoſophus & rhetor qui ſcripſit de Muſica, & diſcipulus Gorgiæ Leontini, vt Suidas tradit. Quintilianus libro tertio capite primo inter ſcriptores artis rhetoricæ hunc etiam numerat. & ait à Platone Palameda appellatum. Ariſtoteles tertio libro huius operis, multum reprehendit huius oratoris dicendi genus & figuras. Cicero in extrema primi libri Tuſculanarum quæſtionum nobilem rhetorẽ uocat. ſic enim de illo ſcribit; Alcidamas quidam rhetor antiquus in primis nobilis ſcripſit etiam laudationem mortis, quæ conſtat ex enumeratione malorum humanorum. cui rationes eę, quæ exquiſitius à philoſophis colliguntur, defuerunt, vbertas orationis non defuit.

Quod autem ad perſonas attinet, duobus modis diſtincta ſunt ea, quæ facere, aut non facere oportet: uel enim ad totã ciuitatem, uel ad unum aliquem eorum, qui in ciuitate ſunt referuntur. itaque duobus modis iuſtè, & duobus iniuſtè nos gerere poſſumus; uel enim erga unum certum ac definitum ciuem, uel erga totam Remp. nam qui adulterium committit, aut uerberat, unum certum hominem iniuria afficit: qui uerò militiam detractat, totam offendit Remp. TEXT.

Poſtquã diſtinxit legem, & docuit aliã eſſe propriã aliam cõem, nunc tranſit ad pſonas, & eodẽ modo eas diſtinguit. vel. n. ſinguli hoĩes ſpectanẽ, vel vniuerſa ciuitas. itaque duobus modis qđ ad pſonas attinet, iuſte gerere nos poſſumus, hoc eſt, vel erga vnũ ciuem aut alterũ, vel erga totã Rẽp. duobus ẽt contra modis iniuſtè licet gerere. atq; hoc quidẽ aperto exẽplo probat Ariſtoteles. nam qui (inquit) adulter eſt, aut qui petulãs eſt in uerberãdo, ſingulos hoĩes iniuria afficit. qui uero dare nomẽ in bello nõ vult, & militiã refugit, ille totã Rẽp. lædit. ſunt aũt digni pęna quicũq; tã ciuẽ vnũ quã vniuerſam ciuitatẽ offendũt. pęnæ uero vel maiores vel minores ſunt, pro delicti ratione. COMM.

nam

nam adulteri apud antiquos morte multabantur. tradunt Hyettum Argiuum primum fuiſſe qui legẽ tulerit in adulteros, cũ Molurũ in adulterio cũ uxore ſua deprehendiſſet, atque eũ occidiſſet; quã legem poſtea Draco Athenienſis legiſlator ſit imitatus. Zaleucus apud Locrẽſes legem tulit, ut q in adulterio deprehenſus fuiſſet, ambo illi oculi effoderentur, ut deinde in perpetua cæcitate uiueret. ſed cum eius filius adulter factus eſſet, ne lex uiolaretur, & ne filius omnino cæcus fieret, iuſsit alterũ ſibi, alterũ filio oculũ erui. auctor eſt Aelianus. apud Aegyptios adulter mille plagis afficiebatur, mulieri uero adulteræ nares ambæ præcidebantur. Hebræi mulierẽ in adulterio deprehẽſam laudibus obruebant. Lacedæmonij adulteria non nouere. ideo Lycurgus nullã legem in adulteros ſanxit. Romani ueteres concedebãt, ut ſi maritus uxorem in adulterio deprehendiſſet, utrunq; impunè necaſſe poſſet. ſic enim in legibus duodecim tabularum ſcriptum erat; Mœchum in adulterio deprehenſum necato. nam inter priuatas iniurias nulla grauior adulterio putabatur. quare licebat etiam adulterum uel necare, uel caſtrare, uel plagis afficere. nam Bibienus cum in adulterio Carbonem deprehendiſſet, eum caſtrauit, ut Alexander ſcribit. tradunt Saluſtium hiſtoriarum ſcriptorem non ſemel in adulterio deprehenſum multis plagis affectũ fuiſſe. Plutarchus in

cap. 47. Problematis, ſicuti citat Alciatus Parergon libro ſecundo, tradit apud Cumæos mulierẽ in adulterio deprehenſam in forũ deduci ſolitam, ut illic lapidi inſidens ab omnibus conſpiceretur. demum aſino impoſitã per orbem uectari ſolitam cũ ignominia, unde poſtea dicebatur ὀνοβάτις quod aſinũ aſcendiſſet. inter iniurias autem publicas ponitur ab Ariſtotele detrectatio militię. nam Solon legẽ tuliſſe dicitur ut eadem pœna afficeretur, qui militare nollet, & qui in acie locũ deſeruiſſet, & Clypeum abiecíſſet. Romani cenſores eos, qui decimũ & ſeptimũ annum egreſſi militiam detractarent, inter ærarios ignominiæ cauſa referebant. nã M. Atilius Regulus, & P. Curius Philo, duo milia iuuenũ, qui cũ Annibal Italiam uaſtaret, militare noluerant, in ærarios retulerunt. neque enim bonus ciuis eſſe poteſt, qui non arma capere pro Rep. atque etiam mori ſi res poſtulat, paratus ſit. Cicero quinta actione in Verrẽ, oſtẽdit à Verre factam iniuriam eſſe Reip. quod is filiũ ſuum male inſtituiſſet, ſic enim ait; Quibus in rebus non ſolũ filio, uerũ etiam Reip. feciſti iniuriã. ſuſceperas enim liberos non ſolum tibi, ſed etiã patriæ, qui non modo tibi uoluptati, ſed etiam qui aliquando uſui Reip. eſſe poſſent. & quæ ſequuntur.

TEXT. *Cum igitur iam diſtincti ſunt iniuriarum modi; & cum aliæ in Remp. aliæ uel in unum priuatum, uel in plures fiant iniuriæ: deinceps ſi prius explicuerimus, quid ſit iniuriam pati, reliqua perſequemur.*

COMM. Iam probatũ eſt ex iniuriis aliquas eſſe publicas, quæ uniuerſam Remp. attingunt, aliquas autẽ priuatas, quibus uel unus priuatus homo, uel plures offenduntur. atque hi ſunt iniuriarũ modi quos ſe iam diſtinxiſſe ait Ariſtoteles. deinceps autem prius quã accedat ad ea, quæ dicenda ſunt, explicare ſe uelle proponit, quid ſit iniuriã pati. licet enim ſupra definiuerit, quid ſit iniuriã facere, & ex eo poſſit intelligi quid ſit pati iniuriam, tamen quod antea breui tradiderat, nunc loco ſuo plenius & apertius oſtendere ſtatuit. ideo dixit ἀναλαβόντες, hoc eſt reſumentes eam tractationem quã antea cęperamus. eſt enim ἀναλαμβάνειν interdum, diligentius aliquid retractare.

Eſt autem iniuriam pati, contra iuſtitiam offendi ab ijs, qui ſponte offendunt; nam iniuriam facere, iam ſupra docuimus eſſe uoluntarium. TEXT.

Omnis iniuria contra iuſtitiã eſt. quia Iuſtitia neminẽ lædi uult. ergo qui accipit iniuriam, contra iuſtitiam patitur. ſed non eſt iniuria niſi quæ ſponte fit. ergo qui patitur iniuriam, ab eis patitur qui ſponte offendunt. Quare fit ut iniuriã pati ſit cõtra iuſtitiã offendi ab ijs, qui ſponte offendunt. hoc autem probatur ex contrario. nam antea demonſtratũ eſt; iniuriam facere uoluntarium eſſe. Qui igitur ſe iniuriã ab aliquo accepiſſe queritur, in eo debet occupatus eſſe, ut oſtendat eum, quem accuſat, ſua ſponte læſiſſe. quod in Verrem Cicero diligenter exequitur, numerans iniurias, quas ab eo Siculi acceperant. & pro A. Cluentio de eius matre ſic ait; nihil in uita uidit calamitatis A. Cluentius; nullum periculũ mortis adiit, nihil mali timuit, quod non totũ à matre eſſet conflatũ & perfectum. & paulò poſt; præſto eſt mulier, audax, pecunioſa, crudelis: inſtruit accuſatores, inſtruit teſtes, ſqualore huius & ſordibus lætatur, exitiũ exoptat, ſanguinem ſuum profundere omnem cupit. dummodo profuſum huius ante uideat. quibus uerbis oſtendit incredibilem nocendi cupiditatem. COMM.

Quia uerò neceſſe eſt eum, qui iniuriam patitur, detrimento affici, & inuitum illud accipere; ſatis ex eis, quæ ſupra dicta ſunt, intelligi poteſt, quæ ſint detrimentorum genera. nam bona & mala prius diſtincta ſunt per ſe: & quæ ſint ea, quæ ſponte faciunt homines; nempe quæ intelligentes faciunt. TEXT.

Ex ſuperiore definitione oſtendit quæ ſint ad hũc locũ referenda, nempe genera detrimentorũ omnia, & quæ ſpõte homines faciũt, quod ita probatur; qui patitur iniuriam, aliquo afficitur, detrimento, & illud detrimentũ inuitus accipit. nam ſi libenter acciperet, non eſſet iniuria. omnis enim iniuria fit ei, qui inuitus eã accipit. qui ergo uult intelligere quot modis accipiatur iniuria, eũ ſcire oportet quę ſint detrimentorum genera. Sed hoc planum eſt ex eis, quę ſupradicta ſunt. nam antea declaratum eſt quę ſint bona, & quę mala. bona uerò iuuant, mala nocent. tot igitur ſunt detrimẽtorum ſpecies, quot malorum, quę pati homines poſſunt. pręterea cũ ab eis iniuriam patiamur, qui ſponte lędũt, ſcire oportet, quæ ſint ea, quę homines ſponte faciũt. quod iam dictum eſt. ea enim ſunt, quę intelligentes faciunt. neque uero ſine COMM.

cauſa

cauſa addidit Ariſtoteles eum, qui patitur iniuriã, inuitum accipere detrimentum. quoniam aliqui ſunt, qui ſponte detrimentum accipiunt, quibus tunc nulla fit iniuria. ut Zopyrus ille de quo Iuſtinus libro primo, qui domi ſe verberibus lacerari toto corpore iusſit, naſum, & labia, & aures ſibi præcidi, atque ita transfugæ titulo Babyloniam profectus, ea ſe paſſum Darii crudelitate ſimulauit. itaqne dux Babyloniorum contra Darium cõſtitutus, ei & exercitum & vrbem tradidit. Idem ferè factum à Sesto Tarquinio ſuperbi filio narrat Liuius libro primo. is enim transfugit ex composito Gabios, patris ĩ ſe ſæuitiã intolerabilẽ cõquerẽs, qui benigne receptus à Gabinis, & totius exercitus imperator creatus, poſt nonnulla ſecunda prælia nactus ſummam spud Gabinos auctoritatem eos patri Tarquinio ſubiugauit. Piſiſtratus etiam hac arte ſibi dominatnm regium acquiſiuit, de quo ita Iuſtinus libro ſecundo. Quippe uerberibus uoluntariis domi affectus, laceratoq́ue corpore in publicum progreditur, & aduocata concione vulnera populo oſtendit, de crudelitate principum, à quibus hoc ſe paſsum ſimulabat, queritur, obtinet ad cuſtodiam corporis ſui ſatellitum auxilium per quos tyrannide occupata per annos triginta qnatuor regnauit. eſt etiam apud Terentium ſenex quidam Menedemus nomine, ſe ipſum crucians ſpõte ſua, quia natus eius abierat.

TEXT. *Itaque neceſſe eſt, omnia crimina uel contra totam ciuitatem, uel contra priuatos committi; uel ignorante illo & inuito, qui iniuriam facit, uel uolente, & intelligente.*

COMM. Colligit diſtinctionis psrtes, vt aliquas in aliud tempus reiiciat, de aliquibus autem hoc loco dicat, quæcunque crimina committuntur, ea neceſſe eſt, vt vel contra totam ciuitatem, vel cõtra priuatos aliquos cõmittant. q vero crimẽ cõmittit, is vel inuitus & per prudentiam, vel volens & intelligens committit. dixit autem hoc loco Ariſtoteles ἐγκλήματα ideſt crimina, non autem ἀδικήματα ideſt iniuriæ. quoniam homo ſæpe uocatur in iudicium, etiam ſi nemini fecit iniuriam. nt cum inuitus & per imprudentiam peccauit. ἔγκλημα vero ſignificat omne crimen, quo quis in iudicium vocatur. ἀδίκημα tantum quod contra iuſtitiam fieri ſolet. ſicut apud latinos, crimen pro omni accuſatione ponitur, ſiue ea iuſta ſit, ſiue iniuſta. ſed iniutia tantum dicitur, quæ à volente contra iuſtitiam fit. ſunt autem lõgè grauiora peccata, quæ à volentibus & intelligentibus perpetrantur, qnam quæ ab ignorantibus & inuitis. ſic etiam illa maiora ſunt, quæ contra totam ciuitatem, quã quæ contra priuatos aliquos committũtur. vt Telegoni parricidium leuius eſt, quã Malleoli, quia Telegonus neſciẽs & inuitus patrem ſuum Vlyſſem interfecit, Malleolus ſua ſponte matrem necauit. ita maius eſt peccatum L. Catilinæ quod patriam perdere ſtatuiſſet, quam quod proprium filium occidiſſet.

TEXT. *Quas autem iniurias ſponte, & intelligens quiſpiam facit, eas uel conſultò, & cogitatò, uel perturbatione aliqua animi facit. ac de ira quidem tunc dicemus, cum animi perturbationes explicabimus: quæ uerò de induſtria faciunt homines: & quomodo affecti, iam ſupra dictum eſt.*

COMM. Hæc eſt ὑποδιαίρεσις, hoc eſt ſubdiuiſio. nã etiã quæ ſua ſponte faciunt homines bipertito diſtribuuntur. aliqua enim conſultò & cogitato faciũt, aliqua propter aliqnam animi perturbationem, vt propter iram aut cupiditatem. ſed (vt ait Cicero primo de officiis) in omni iniuſtitia permultum intereſt, vtrum pertuubatione aliqua animi, quæ plerunque breuis eſt, & ad tempus, an conſultò, & cogitata fiat ininria: leuiora enim ſunt ea, quæ repentino aliquo motu accidunt; quá ea, quæ meditata & præparata inferuntur. vt Alexandri Magni peccatum, quo Clytũ familiarem ſnum ira percitus in conuiuio necauit, leuius exiſtimandum eſt, quam Syllæ crudelitas, qui quos oderat, morte mnltabat. verum de ira, & cæteris animi perturbationibus in ſecundo libro copiosè tractabit, quæ vero ſua ſponte faciant homines, & quomodo affecti, iam demonſtratum eſt. itaque nihil in hac parte reſtat, quod hoc loco tractetur.

TEXT. *Et quoniam ſæpè rei ſe feciſſe confitentur, & tamen facti nomen non concedunt, aut id quod nomine illo appellatur, ut ſuſtuliſſe quidem, ſed non furtum feciſſe; & priorem percuſsiſſet, uerum contumelia nõ affeciſſe; & rem habuiſſe, non adulterium commiſiſſe; & furtum feciſſe, non autem ſacrilegium, quòd ea res dei non eſſet; & coluiſſe quidem agrum, ſed non publicum; & cum hoſtibus collocutum eſſe, ſed non prodidiſſe: ideo hæc omnia definire, atque explicare opus erit; quid ſit furtum, quid contumelia, quid adulterium; ut ſi crimen illud reo uel hærere, uel non hærere oſtendere uoluerimus, aperiendi quid æquum ſit facultatem habeamus.*

COMM. Tangit Ariſtoteles hoc loco ſtatum illũ, quem latini definitiuum appellant, græci ὁρισμόν, cũ non de facto, ſed de facti nomine cõtrouerſia eſt. quoniam enim tunc vtrunque nomẽ, hoc eſt & quod intendit aduerſarius, & quod concedit reus, definiendum eſt, & quid ſit aperiendum. ideo conſtitutio definitiua, vel ſtatus definitiuus, vel definitio vocatur à Cicerone. Hæc autem ſtatunm ſiue conſtitutionum diſtinctio, qua omnes ferè Rhetores uſi ſunt, Ariſtotelis tempore nondum excogitata fuiſſe videtur. in his certè libris apertè non traditur. Quintilianus libro tertio ſic ait; Statum græci στάσιν uocant: quod nomen primum ab Hermagora traditum putant, ſed alij ab Encrate Socratis diſcipulo, alii à Zopyro Clazomenio: quãquam uidetur Aeſchines quoque in oratione contra Cteſiphontem uti hoc verbo, cum à Iudicibus petit ne Demoſthenem permittant euagari, ſed eum dicere de ipſo cauſæ ſtatu cogant. Ariſtoteles hoc nerbo nunquam in hac ſignificatione (qđ quidem ego ſciã) vſus eſt. licet in tertio libro quodammodo nideatur controuerſias diſtinguere, cũ

ait

ait nos criminationibus ita poſſe occurrere ſicut in iudicio illis de quibus arguimur, vel non eſſe factum, vel non eſſe pernicioſum, vel non illi, vel non tam magnum eſſe, vel non iniquum, uel non magnum, vel non turpe, aut rem eſſe puſillam, nam de rebus huiuſmodi ſolet eſſe controuerſia. Quem locum innuit Quintilianus libro tertio cum ait; Ariſtoteles in Rhetoricis etiã ſi omne opus diuidit, in veritatem, & petenda ac fugienda, quod eſt ſuaſoriæ, & de eodem atque in alio. partiendo tamẽ ad hæc peruenit; an ſit quid, quale, quantum, & quam multum ſit quærendum putat. deinde ſtatim ſubiungit hunc locum; Quodam tamen hoc loco finitionis quoque vim intelligit, quo dicit quædam ſic defendi; ſuſtuli, ſed nõ furtum feci: percuſſi, ſed non iniuriam feci. docet igitur Ariſtoteles hoc loco Definitionem interdum in iudicio verſari ſolere, cuius rei ſex ponit exempla. primum eſt, cum quis fatetur, aliquã rem ſe ſuſtuliſſe, & tamen negat ſe furtum feciſſe. hoc eſt quod ait Ariſtoteles: non fateri τὸ ἐπίγραμμα, hoc eſt litis inſcriptionem, cum quis negat, furti ſecum agi oportere. vt ſocius ioci gratia ſocio crumenam rapit, non eo animo vt ipſe eam habeat, ſed nt paulo poſt reddat, ille iratus furti ſocium accuſat. fatetur igitur is, qui crumenam rapuit, ſe ſuſtuliſſe, ſed tamen non feciſſe furtũ, quia furtum eſt cum quis aliena rapit, ut ipſe iniuſtè posſideat. ſe uerò reddere uoluiſſe. ita ſiquis rem ſuam auferat ab eo, qui eam posſidet, & furti accuſetur, negabit furtum eſſe. quoniam ea res ſibi debebatur. ut apud Virgilium in Bucolicis cum Menalcas Damætam furti accuſaſſet hoc modo;

Quid domini facient, audent cum talia fures?
Non ego te uidi Damonis peſsime caprum
Excipere inſidiis multum latrante lyciſca?

Damœtas negat eſſe furtum, cum caper ille ſuus eſſet;

An mihi cantando uictus non redderet ille
Quem mea carminibus meruiſſet fiſtula caprum.
Si neſcis, meus ille caper fuit, & mihi Damon
Ipſe fatebatur, ſed reddere poſſe negabat.

Tradunt enim iuriſconſulti, rei ſuæ nullum furẽ eſſe. Alterum exemplum eſt, quando quis fatetur quidem ſe priorem percusſiſſe, ſed non iniuriam feciſſe. eſt enim actio iniuriarum, cum quis aliquẽ accuſat, quod ab eo percuſſus fuerit. nt ſi miles ducem in iudicium uocet, aut mercenarius dominum, quod ab eo uerberatus ſit, fatebitur Dux à ſe militem uerberatum, & dominus mercenariũ, & tamen eam iniuriam non eſſe defendent. uel ꝙ liceat eos uerberare qui ſubiecti ſunt, uel quòd illi ab officio ſuo ceſſaſſent. Tertium exemplũ eſt, cum quis fatetur, ſe cum aliqua muliere rem habuiſſe, & tamen adulterium non commiſiſſe, ut ſiquis accuſetur adulterij, qđ cũ ea muliere fuerit, ꝙ meretricio more uitã agat. ſicuti Cic. Cæliũ defendit, quod licet cũ Clodia rem habuerit, nõ tamen adulter ſit, quoniam illa corpus ſuum omnibus nulgaret. ſic enim ait; ſi uidua libere, proterua petulanter, diues effusè, libidinoſa meretricio more uiueret, adulterum ego putarem, ſiquis hãc paulo liberius ſalutaſſet? Quartũ exemplum eſt, cum quis fatetur ſe furtum feciſſe, non autem ſacrilegium. ut ſiquis pecunias priuatas è loco ſacro ſurripuerit, & accuſetur ſacrilegij. dicet enim ſacrilegium eſſe rei ſacræ oblationem, ſe uero priuatas pecunias abſtuliſſe. itaque furti non ſacrilegij ſecum agi oportere. eam enim rem quam ſe abſtuliſſe confitetur, non fuiſſe Deo conſecratã. Quintum exemplum eſt, cum quis fatetur agrum quidem à ſe cultum, ſed eum non eſſe publicum. erat enim pœna conſtituta ijs, qui publicos agros coluiſſent, & ab eis fructus percepiſſent, niſi uel à cenſoribus, nel ab ijs magiſtratibus quorum intererat eos conduxiſſent. ſiquis igitur de hac re accuſetur, uidendum erit, an ijs ager tunc publicatus eſſet, qno tempore cultus fuit ab eo, qui publicum fuiſſe negat. Sextum & ultimum exemplum eſt, ſiquis proditionis accuſetur, quoniam cum hoſtibus collocutus fuerit. poteſt enim fateri ſe cum hoſtibus quidem collocutum fuiſſe, non tamen ideo prodidiſſe. hæc autem duo exempla ultima pertinent ad eam partem qua dixerat, ſæpe non concedi illud, quod nomine illo appellatur. neqne enim collocutio cum hoſtibus, eſt proditio. neque aratio agri improbatur, niſi ager eſſe publicus oſtendatur. hæc igitur ſingula definienda ſunt. ut, ſi uel accuſare, uel defendere uoluerimus, probare posſimus, uel reo crimen hęrere, uel non hærere, facultatemq́ue habeamus aperiendi, quod in controuerſia eſt.

In omnibus enim his quaſtionibus controuerſia eſt, utrum quod factum dicitur, iniuſtum improbumq́ue ſit, an non iniuſtum: nam in deliberatione conſilioq́ue peccatum eſt, & omnis iniuſtitia. his autem nominibus animi ſenſus, & conſilium indicatur, ut contumelia, furtum. TEXT.

COMM. Declarat cur ea nomina definienda ſint, nempe ut intelligatur, an factũ quod in iudicium uocatur, iniuſtum, atqne improbum ſit, uel tam iniuſtum ut aduerſarii dicunt. aliquando enim dicitur factum non eſſe improbum, ut qui ioci gratia ſocio crumenam rapuit, & furti accuſatur. aliquãdo negari nõ poteſt, quin improbum ſit factum, ſed non tam magnum eſſe defenditur, ut ab accuſatoribus obiicitur. quemadmodum qui furtum à ſe factum fatetur, ſed ſacrilegium negat. omnia uero peccata, atq; omnis iniuſtitia pendet à deliberatione, atq; à conſilio. neq; ullum eſt peccatũ niſi uoluntarium, & à uolente atque Intelligente commiſſum. Quare accuſatores his utũtur nominibus quibus animi ſenſus & conſiliũ indicatur. nã qui concedit ſe furtũ feciſſe, non poteſt deinde negare, quin conſultò & dedita opera fecerit, Ita qui contumeliã ſe impoſuiſſe alicui confitetur, nõ poteſt dicere ſe inuitũ fuiſſe contumelioſum. his.n. nominibus ſemper eſt adiuncta deliberatio, ut nemo netè fur aut contumelioſus dici posſit, niſi qui ſciens & uolẽs maloq; animo furtum fecerit,

& con-

& contumeliam impoſuerit. hæc eſt Ariſtotelis ſentẽtia. Quod ſiquis dicat aliquos naturæ inſtinctu, aliquos inopia coactos fures fieri. dicemus neque naturam, neque inopiam poſſe quemquam cogere, ut furetur, niſi eius conſenſus accedat.

TEXT. *Neque enim, qui percuſſit, omnino contumeliam impoſuit, niſi alicuius gratia id fecerit; ut ſi uoluit eũ ignominia afficere, aut ipſe uoluptatem capere: neque omnino qui clam aliquid ſuſtulit, furtum commiſit; niſi id fecit, ut alteri damnũ adferret, & id, quod ſuſtulit, ipſe haberet, eadem ratio eſt etiam reliquorum omnium, quam horum eſſe diximus.*

COMM. Probat iniuriam à conſilio atque à voluntate proficiſci, nam quocunque modo percutere aliquem, non eſt iniuria. ut ſiquis caſu, aut per imprudentiam id faciat. ut ſiquis feram petẽs hominem uulneret, aut ſiquis ſeruum ſuum credẽs ſe uerberare, liberum ac ingeniũ uerberet. uel ſi uerberet, ut caſtiget & emendet, quemadmodum aliquando parentes filios & magiſtri diſcipulos uerberare ſolent. his enim modis in uerberando non eſt iniuria. ſiquidem modus ſeruetur. quod ſiquis alterum uerberet, uel ut eum ignominia afficiat, uel ut ipſe ex ea re uoluptatem capiat, tunc omnino eſt iniuria. ſicuti Cicero quinta actione in Verrem commemorat à Verre pugnis & calcibus per ſummam iniuriam cõciſos fuiſſe. nam ſunt etiam quidam adeo petulantes, ut ex uerberandis innocentibus ac pauperibus uoluptatem capiũt. quod Iuuenalis Satyra tertia ſic oſtendit;

Ebrius ac petulans qui nullum forte cecidit
Dat pœnas, noctem patitur lugentis amicum
Pelidæ, cubat in faciem mox deinde ſupinus
Ergo non aliter poterit dormire.

Et paulò poſt;

Dicere ſi tentes aliquid, tacitus ne recedas
Tantundẽ eſt, feriunt pariter, uadimonia deinde
Irati faciunt. libertas pauperis hæc eſt,
Pulſatus rogat, & pugnis conciſus adorat.

Eſt igitur in uerberando iniuria, cum uel propter alicuius ignominiam, uel propter uoluptatẽ quis uerberat. furtum autem non ſemper eſt, cũ quis clam aliquid ſuſtulit. poteſt enim aliquis uel rem ſuam clam auferre, uel ioci gratia ſocio clam aliquid ſuſcipere, quod tamen deinde redditurus ſit, quæ ſanè furta non ſunt dicenda. ſed tunc furtum eſt, cum quis alteri damnum adferre ſtudet, & id, quod ſurripuit, uult ipſe habere, & nunquam amplius reddere. hoc enim animo furta omnia committuntur. ergo qui furti aliquem accuſat, in eo occupatus eſſe debet, ut oſtẽdat illa, quæ ſuſtulit, ea mente ſuſtuliſſe, ut non redderet, defenſor autem contra mentem eius atque animũ quẽ defendit, à furto abhorrere declarabit. quod Cicero pro Roſc. Com. diligenter exequitur. cum is accuſatus eſſet à C. Fannio Cherea, quod ſociũ pecunia fraudaſſet. oſtendit enim Roſcium ſemper fuiſſe probum, pudentem, caſtum, liberalem. & eius animum ab omni fraude ſemper alienum fuiſſe.

TEXT. *Quia uerò iuſtorum & iniuſtorum duo eſſe genera docuimus; & aliqua quidem ſcripta eſſe, aliqua uero non ſcripta: de iis quæ ſcripta ſunt, & legibus conſtituta, iam dictum eſt; quæ uero non ſcripta ſunt, ea rurſus bipertito diſtribuuntur. Nam alia ſunt, quæ & uirtutis, & uitij quandam exuperantiam in ſe cõtinent; in quibus ſunt uituperationes & laudes, ignominiæ & honores, & præmia: ut ei, qui beneficium dedit, gratiam habere; & ei beneficium reddere, à quo acceperis; & promptum eſſe ad amicos auxilio ſubleuandos. & cætera, quæ ſunt eius generis. alia uerò ſunt propriæ legis & ſcriptæ quaſi ſupplementa quædam. nam, quod æquum & bonum eſt, id etiam iuſtum eſſe uidetur.*

COMM. Supra docuerat rerum iuſtarum & iniuſtarum eſſe duo genera, quorum alterum ſcriptis legibus contineretur, alterum autem ſine ſcripto à probis uiris ſeruaretur, ab improbis uiolaretur, nunc admonet alterum iã genus ſe pertractaſſe, quod ad ea, quæ ſcripta ſunt, & legibus conſtituta pertinet. ſupereſt igitur ut etiam de eo iure, quod non ſcriptum eſt, uerba faciat. Quare docet illud etiã duas in partes diuidi. quarum altera uerſetur in eis rebus, quæ communiter apud omnes oſtendãt quandam exuperantiam & uirtutis & uitij. propter quam homines uel laudentur uel uituperentur, uel ignominiam uel honorem conſequantur. hoc autem eſt ius naturale & gentium, quod qui ſeruant, laude, honore, præmiiſque decorãtur, qui autem uiolant, uituperatione, ignominiaque afficiuntur. neque enim ulla pœna eſt eis propoſita qui ius illud tranſgreſſi fuerint, ſed omnium conſenſu damnantur. ut qui beneficii eſt immemor, & ingratus. quamuis non puniatur, tamen omnibus odio eſt. ſicut ẽt ille, qui in periculis & neceſſitatibus amicos ac neceſſarios negligit, in magno uitio eſt. quod primo de officiis ita Cic. teſtatur; Qui aũt non defendit, nec obſiſtit, ſi põt, iniuriæ, tã eſt in ultio, quã ſi parentes, aut amicos, aut patriã deſerat de hoc iure ſic ait Cic. 2. de Inuentione; Natura ius eſt, quod non opinio genuit, ſed q̃dam innata uis inſeruit, ut religionem, pietatem, gratiã, uindicationem, obſeruantiam, ueritatẽ. altera pars nõ ſcripti iuris eſt, q̃ quaſi ad ſupplemẽtum uel emendationẽ ſcriptæ legis pertinet. quoniam. n. omnia ſcriptis comprehendi nõ poſſunt, & quia leges interdũ uidẽtur eſſe ſeueriores, opus eſt aliquando ad æquitatẽ recurrere, & ex æquo & bono leges interpretari. quã laudem Cic. nona Philippica Ser. Sulpitio tribuit; qui ea, q̃ proficiſcuntur à legibus ſemper ad æquitatẽ facultatemque referebat. quod aũt æquum & bonũ eſt, id ẽt iuſtum eſſe ſolet, itaq; non dubiũ eſt, quin ſub iure contineatur. Quamobrem ex hoc Ariſtotelis loco colligitur, duas eſſe iuris non ſcripti ſpecies, quarũ prima dicitur lex communis, de qua ſupra dictũ eſt, & à iuriſconſultis dicitur ius naturale, & ius gentiũ. altera dicitur æquum & bonum, quo ſcriptæ leges quaſi emendantur & ſupplentur, de quo nunc dicturus eſt.

Eſt

TEXT. *Eſt autem æquum & bonum id, quod præter ſcriptam legem iuſtum eſt. quod quidem accidit partim inuitis, partim intelligentibus legum latoribus, atque inuitis quidem, cum aliquid eos latet; intelligentibus autem cum omnia definitè nequeant explicare, ſed neceſſe habent generatim ſcribere; quamuis non ita ſemper ſe res habeat, ſed plerunque.*

COMM. Quod Ariſtoteles vocat ἐπιεικὲς, latinè dr̃ ęquũ & bonũ. cuius eã eſſe naturã 5. Ethicorum tradit Ariſtoteles, vt ſcriptam legem corrigat & emendet in eo, quod deficit, quia generaliter ſcripta ſit. neq;.n. omnia ſcriptis legibus cõprehẽdi poſſunt, ſed aliqua relinquũtur ẽt ipſis iudicibus ex æquo & bono iudicanda. non eſt igit̃ æquũ & bonũ iure ſcripto comprehenſum, neq; legitimũ, ſed legitimi iuris emendatio (vt Budæus ait) Ariſto. ait, id, qđ præter ſcriptã legem iuſtũ eſt, ęquũ & bonum eſſe. qđ aũt aliquid in latione legum p̃termittat̃, duplici de cã fieri pôt, hoc eſt vel inuitis, vel intelligentibus legũlatoribus. cum.n. non omnia poſſimus oẽs, vt ait poeta, facile fieri pôt, vt legislatores aliquid lateat, qđ per ignorationẽ cũ leges ferunt p̃termittãt, id aut deinde ex æquo & bono ſtatuendũ eſt. fit ẽt, vt quamuis rem bene intelligant legislatores, tamen oĩa definitè cõprehendere nequeant, leges.n. generatim ſcribuntur, & tñ multa ſunt de quibus uniuersè caueri non pôt, quia non ſemper ita ſe habent, licet plerunque eodẽ mõ fiant. licet igitur legislatores id intelligãt, tñ neceſſitate coacti generaliter ſuas leges ferũt, tametſi id rectè fieri nequeat. ſuccedit igit̃ æquitas: quæ (vt ait Donatus) multũ ex iure remittit, & æquum & bonum, qđ ſcripto ſæpiſſimè opponitur. vt Cic. in Bru. Hoc cum ſæpè alias, tũ apud centum viros in cã M. Curii cognitum eſt. ita.n. multa Craſſus tum ꝯ ſcriptum pro æquo & bono dixit, vt hoĩem acutiſſimum Q. Sceuolam, & in iure in quo eã illa verſabatur peritiſſimũ obrueret exẽplorum argumentorumq; copia. hinc dicimus æquum bonum impetrare. i. ius ſuum, contra ſcriptum, obtinere. vt Philippica. 2. Igitur à quo viuo nec præſens nec abſens quicquam æqui boni impetrauit, apud mortuum factus eſt gratus. Philippica nona; Ser. Sulpitij ſcientiam in legibus æquitate explicandis, mirifice commendat.

TEXT. *Et cum propter infinitatem non facile poſſunt omnia perſequi; ut uulnerare ferro, & quanto, & quali: deficeret enim prius uita hominem, quam omnia dinumerare poſſet.*

COMM. Multa ẽt p̃termittuntur in legibus, quæ ꝑꝑ infinitatem dinumerari nõ poſſunt. ut ſi lex ſit; Ne quemquã ferro uulnerato. certè nõ opus eſt, ut legislator oĩa ferrea inſtr̃a ꝓſequatur, & legi adiungat, uel q̃tum ſit ferrum, uel quale. nã tot ſunt euẽta, tamq; uaria, ut ea dinumerare nemo poſſit. itaque iudicibus hæc ſtatuenda relinquuntur. neque .n. tanta eſt uerborum copia, ut oĩa definitè poſſint explicari. qđ pro A. Cæcina Cic. docet his uerbis; An hoc dubium eſt, q̃n neq; uerborum tanta copia ſit, nõ mõ in noſtra lingua, q̃ dr̃ eſſe inops, ſed ne in alia quidem ulla, res ut oẽs ſuis certis ac ꝓpriis uocabulis nominent: neq; uero q̃cquã opus ſit uerbis, cũ ea res, cuius cã uerba q̃ſita ſunt, intelligat̃, q̃ lex, qđ Senatuſconſultum, qđ magiſtratus edictum, qđ fœdus aut pactio, qđ (ut ad priuatas res redeã) teſtm̃. q̃ iudicia aut ſtipulationes, aut pacti aut cõuenti formula non infirmari aut cõuelli p̃t, ſi ad uerba rem deflectere uelimus, cõſilium autẽ eorum, qui ſcripſerunt, & rõnem & auctoritatem relinquamus? & q̃ ſequuntur. diſputat.n. ibi ſubtiliter & copioſè Cic. non eſſe uerba ſpectãda cũ ſcriptoris aut dicẽtis uolũtas ĩtelligit̃.

TEXT. *Nam ſiquid adhuc indefinitum ſit, de quo legẽ ferre oporteat; de eo neceſſe eſt ſimpliciter, & uniuerſè ſtatuere. Quare ſiquis annulum ferreum habens, elata manu quempiam percuſſerit; ex uerbis legis ille reus eſt, & iniuſtè facit: re uera autem non facit iniuſtè. & hoc eſt quod æquum & bonũ appellatur.*

COMM. Probat æquum & bonum in conſilio & uoluntate legislatoris, non autẽ in uerbis legis eſſe poſitum, qđ (vt dixi) Cic. copioſiſſime pro A. Cæcina probat. cum.n. leges feruntur de aliqua re, q̃ nondum definita legibus fuerit, ſimpl̃r & uniuerſè feruntur. dẽt.n. omnis lex eſſe cõis & generalis, ut non ad hunc aut illum propriè ꝑtineat, ſed ad oẽa cõiter. nam quæ de uno tm̃, aut de certis quibuſdam perſonis feruntur, non leges dñr, ſed priuilegia. q̃ legibus uetabantur. ut Cic. pro Domo ſua; uetat leges ſacratæ, uetãt duodecim tabulæ, leges priuatis hoĩbus irrogari, id eſt.n. priuilegium. ita ẽt res quę nominantur in lege communiter nominantur. ut; Ne quemquam ferro uulnerato. ponamus (inquit Ariſtoteles) aliquem annulum in manu ferreum habere, & elata manu quempiam percutere. certe non dubium eſt, quin is contra legis uerba fecerit, cum annulo ferreo uulnerarit, & in lege prohibeatur quiſquam ferro uulnerari. dẽt igitur ex lege condemnari. uerum ſi ęquitatem & ueritatem reſpicere uoluerimus, non is contra legem fecit, neq; puniri debet tãquam ſi gladio aut pugione uerberaſſet. neque.n. hoc legislatoris cõſilium fuit ut condemnari uellet, qui annulo ferreo percuſſiſſet, ſed qui uel gladio, uel haſta, uel pugione, uel alio quouis inſtr̃o bellico, quo poſſet mortem adferre. duobus igitur modis leges interpretari poſſumus uel ſcriptum & uerba ſequentes. quod qui faciunt, agere ſummo iure dicuntur, & ab Ariſtotele ἀκριβοδίκαιοι, unde illud emanauit; ſummum ius, ſumma iniuria. uel ſñiam & conſilium legislatoris & ſcriptoris conſiderantes. qđ qui faciunt, æquitatem ſequi, & ex æquo & bono ſtatuere dicuntur. quod maximè in iudiciis laudatur. Quintilianus libro ſeptimo locum hunc ita expreſſit; Qui nocte cum ferro deprehenſus fuerit, alligetur. cum annulo ferreo inuentum magiſtratus alligauit. illud uero ſciẽdum antiquo tempore ferreos annulos in uſu fuiſſe. quod oſtendit Plinius libro trigeſimo tertio. adeo ut etiã ij, qui triumpharent, annulos in digito ferreos haberẽ t. atq; ita C. Marium de Iugurtha triumphaſſe tradit.

dit. ſenatotes etiam ſerreos geſtabant annulos & tantum iis, qui legati ad exteras gẽtes ituri eſſent, annuli aurei publicè dabantur. qui tamen eis tantum in legatione vtebãtur, intra domos uerò ferreis. quo argumento (inquit) etiã nunc ſponſæ annulus ferreus mittitur, isque ſine gemma. poſtea uerò cæperunt equites Romani tãtum aureis uti. Plinius idem ait, etiam ſuo tempore Lacedæmonios annulo ferreo vti ſolitos.

COMM. *Cum igitur æquum & bonum ſit eiuſmodi; perſpicuum eſt, quæ nam æqua & bona ſint, & quæ contraria; & qui ſint æqui & boni homines, & qui contra: nam illa ſunt æqua & bona, in quibus quamuis lapſi ſint homines, tamen eis ueniam dare oportet.*

TEXT. Ex definitione æqui & boni ſacile intelligi poteſt, quæ ſint ea, quæ bona & æqua dici debeant, & qui ſint hoĩes æqui, & boni, quique contra iniqui & improbi. nam ea primo ſunt æqua & bona, in quibus tatio poſtulat vt hoĩbus ignoſcamus, & veniam demus, qnamuis peccaſſe uideantur. ut lex eſt; uetus imperator nouo imperatori exercitum tradat, alioqui capitale eſto. Epaminondas Thebanorum imperator cum bellum gereret contra Lacedæmonios ſucceſſori ſuo nouo imperatori noluit exetcitum tradere, qula timebat, ne is Remp. malè gereret, ipſe vero paucis diebns inſignem nictoriam de Lacedæmoniis reportauit. acceſitnr capitis, quia contra legem fecit, cum nouo imperatori tradere exercitum noluerit. videtur omnino peccaſſe. uerum quia pro ſalute Reip. probatur id feciſſe, uenia dignus eſt. hoc ex æquo & bono contra nerba legis ſtatuitur. ita cum lex peregrinum uetet murum aſcendere, ſiquis peregrinus, ut hoſtes atceret, murum aſcenderit, quãuis contta legem fecit, tamen uenia dignus eſt.

TEXT *Aequum etiam eſt non pari pœna dignos ſtatuere errores & iniurias, neque errores & infortunia. ſunt autem illa infortunia, quæ præter cogitationem eueninnt, & à nullo animi uitio; errores uero, qui nõ quidem præter cogitationem aecidunt, ſed tamen malitia carent. iniuriæ ſunt illa, quæ & à cogitatione, & ab animi uitio proficiſcuntur: nam etiam quæ impellente cupiditate fiunt, à malitia proueniunt.*

COMM. Aequitas non eodem mõ punit errores, & iniurias, neque errores, & infortunia. ſunt aũt hæc tria diſtincta uocabula inſortuniũ, error, iniuria. quæ ita græcè dicuntur, ἀτύχημα, ἁμάρτημα, ἀδίκημα quorum interdum eſt idem exitus. ut cędes fieri poteſt uel pp infortunium, vel pp errorem, nel per iniuriam. ſed quamuis idem ſit effectus, non tamen pari pœna puniendus eſt is, qui uel pp infortunium, uel pp errorẽ quempiam interfecit, atque is, qui per iniuriam cędem fecit. infottuniũ id dicitur, quod præter cogitationem accidit, & à nullo animi uitio. vt ſiquis p ſuperiorẽ locũ ambulãs, in lapidem offendat, qui motus in alicuius caput delabatur, atq; eum interficiat. tale fuit Cephali uenatoris factum, quem cum Procris eius uxor Zelotypia capta clam in nemus ſecuta fuiſſet, ut uideret an is cum alia muliere rem haberet, & ſe in uepretum quoddam abdidiſſet. Cephalus vepres commoueri videns, feram ibi latere exiſtimauit. itaque telum eo direxit, & Procrim vxorẽ ſuam ibi latentem ignarus occidit. quam rem ſeptimo Metamorphoſeos Ouidius copioſe perſequitut. tale fuit etiam infortnnium illud, quod nuper Frãciſco Briuio ſummæ ſpei adoleſcenti mortem attulit. cum enim quidam adoleſcentes iaculando ſe exercerent, & ſcopum in hoſtio poſuiſſent, Briuium vltra hoſtium inambulãtem plumbea glande ignari tranſuerberarunt. error autem is appellatur, qui non accidit quidem præter cogitationem, ſed tamen malitia caret. ut Adraſtus cũ in venatione in aprum haſtã contorqueret, Atym Cræſi regis filium oecidit. cogitabat enim aprum interficere, ſed fine ſuo lapſus eſt, in aliqua tamẽ culpa eſt, nam ſi benè telum direxiſſet, non cædẽ illam feciſſet. Titinius centnrio, ſicuti Val. Max. ſcribit, cum hoſtem ſe interficere arbitraretur, ducem ſuum interfecit, deinde cognito errore ſuo ſe ipſum etiam iugulauit. Cicero pto Ligario probat Ligarij factum ſcelus non eſſe, ſed potius errotem, unde poſtea dicit; errati ueniam peto. qnia longe facilius ignoſcitur errori, quam ſceleri. iniuria denique illa eſt, quæ & à cogitatione, & ab animi vitio procedit. nam etiã cupiditas eſt animi uitium. quare quæ propter cupiditatem contra ius fiunt, iniuriæ ſunt. vt Verres oui Quæſtor imperatorem ſuum pecunia ſpoliauit, Prætor in Sicilia prouinciam expilauit. de quo ita Cicero prima actione; Quas tes luxuries in flagitiis, crudelitas in ſuppliciis, auaritia in rapinis, ſuperbia in contumeliis efficere potuiſſet, eas omnis ſeſe hoc uno Prætore per triennium pertuliſſe. debet igitur (inquit Ariſtoteles) æquitas inter infortnnia, errotes, & iniurias differentiam ponere, neque omnia pa: i pœna digna cenſere. 3. cap. 9.

Humanæ etiam naturæ, imbecillitatique ignoſcere, æquum ac bonum eſt: & non ad legem ipſam, ſed ad legislatorem animum referre: & non uerba legis, ſed legislatoris ſententiam ſpectare. TEXT.

Petgit ea numetare quæ ſint æqua & bona, ut ignoſcete peccatis quæ ſolent ab humana imbecillitate prouenire. quia nemo omnium mortaliũ eſt, qui omnibus horis ſapiat, peccant omnes in aliqua re. & (vt ait) Horatius; COMM.

Nam vitiis nemo ſine naſcitut, optimus ille
Qui minimis urgeĩ.

& Catullus; Snus cuiq; attributus eſt error. æquitas igitur poſtulat, ut aliqua delicta condonentur. & pręcipuè adoleſcentibus qui frequenter ætatis feruore, potius quã malitia peccant, ut pro Cælio Cicero; Datur. n. cõceſſu omnium huic aliquis ludus ętati, & ipſa natura profundit adoleſcentiæ cupiditates: quæ ſi ita erũpunt, ut nullius uitam labefactent, nullius domum euertant, faciles & tolerabiles haberi ſolẽt. Sic in Adelphis Terentins; Perſuaſit nox, amor, uinum, adoleſcentia, humanum eſt. æquum eſt ẽt non ad ipſam legem animum referre, ſed ad legiſlatorem, & conſiderare quid ipſe in uita probare ſolitus.

ſolitus.nã ſiquid durum aut dubium in lege fuerit,poterit ex vita legiſlatoris interpretari,& mitigari. Vt Cicero pro Murena, cum M. Cato illi obijceret, quod contra legem ipſe ſuam faceret, quam tu'lerat de ambitu, ait ſe lege ſua non prohibuiſſe liberalitatem in populum neq; conuiuia, ſed largitionem & corruptelam,mitius igitur legem interpretatur.quin etiam æquum eſt,nõ uerba legis,ſed legiſlatoris ſententiam ſpectare. nã, ut primo de Inuentione ait Cicero, omnes leges ad commodum Reip. referri oportet, & eas ex utilitate communi non ex ſcriptione, quæ in literis eſt,interpretari,ſed hanc rem copioſiſsimè ꝓ A.Cæcina perſequitur.& docet controuerſias nõ uerbis,ſed æquitate diiudicandos, & iura non literis ſed utilitate communi exprimenda.

TEXT. *Neque factum ipſum,ſed eius, qui fecit animum conſiderare:neque partem tantum, ſed rem uniuerſam perpendere.*

COMM. Sæpe fit, ut quis bono animo & conſilio rem aggrediatur, ſed infelicem habeat exitum, tunc æquum eſt,animum eius conſiderare, non factũ eius.vt Cicero bono animo Senatui populoq; R. perſuaſit,ut hoſtem iudicaret Antonium, & eum bello perſequeretur.vt in libertatem Reſp.uendicaretur.& C.Cæſari adoleſcenti mandandos eſſe honores cenſuit,ut alacrior eſſet ad patriam liberandam.ſed hæc omnia calamitoſum exitum ſortita ſunt,quia fuerunt in cauſa, vt Romana libertas penitus extingueretur, & ipſe Cicero miſerè necaretur.non tamen æquum eſt Ciceronem hac de cauſa uituperare,quoniam hæc bono animo fecit.æquum eſt etiam perpendere totam rem, non autem partem tantum aliquam. nam ſi totius rei ſumma laudabilis eſt, non debet ideo reprobari, quòd aliqua pars aliqua labe ſit infecta.quod eleganter in Arte poetica ſic Horatius præcipit;

Sunt delicta tamen quibus ignouiſſe uelimus,
Nam neque chorda ſonum reddit, quem uult manus,& mens,
Poſcentiq; grauem perſæpe remittit acutum,
Nec ſemper feriet quodcunque minabitur arcus.
Verum ubi plura nitent in carmine,non ego paucis
Offendar maculis,quas aut incuria fudit
Aut humana parum cauit natura.

TEXT. *Et qui reus eſt, non qualis nunc ſit, ſed qualis anteacto tempore fuerit,et maiori ex parte.*

COMM. Aequum eſt aliqua peccata condonare viris illis,qui anteacto tempore profuerunt, & qui maiori ex parte bene ſe geſſerunt.ut ſiquis defendat Horatium,qui ſororem ſuam ſponſi morte dolentem interfecit,dicat ei parcendum eſſe, qui virtute ſua fecerit,ne Albanis Romani ſeruirent.& ſiquis pro M.Manlio dicat,qui dominatu regio patriam opprimere cogitarat, narret eius opera factum eſſe,ne Galli capitolium occuparent. Cicero pro Milone multis rationibus probat Milonẽ ſemper Reip. fuiſſe ſtudioſiſsimum,& optimum ſemper ac fortiſsimum uirum extitiſſe. deniq; in omnibus orationibus quos defendit,bonos fuiſſe viros,& Reip.amatores oſtendit,vt facilius eis veniam impetrare poſsit.

Et potius bonorum quæ quis acceperit, quam malorum recordari. TEXT.

Hoc eſt magni animi & excelſi, obliuiſci iniurias,& acceptorum beneficiorum recordari. qđ cum intelligeret Cicero,ita pro Q. Ligario Cæſarem laudat; Equidem cũ tuis omnibus negociis intereſſe,memoria teneo,qualis tum T. Ligarius Quæſtor urbanus fuerit erga te,& dignitatẽ tuã, ſed parum eſt me hoc meminiſſe, ſpero etiam te, qui obliuiſci nihil ſoles niſi iniurias.natura enim mitis, & ad ignoſcendum prompta magnopere laudatur. COMM.

Et accepta potius beneficia meminiſſe quàm collata. TEXT.

Beneficia meminiſſe debet is,qui accepit, non commemorare, qui contulit, ut ait Cicero. nam qui alicui commemorat beneficia in eum collata, is quaſi exprobrat.quemadmodũ ait Soſias apud Terentium in Andria; Sed hoc mihi moleſtum eſt, nã iſthæc commemoratio quaſi exprobratio eſt immemoris beneficii. Cicero de Amicitia; odioſum ſanè genus hominũ officia exprobrantiũ. illud autem ferè uulgò fieri ſolet, quod ait Cicero pro Murena; Cui placet obliuiſcitur,cui dolet meminit,ſed æquitas à nobis exigit,ut contra faciamus. COMM.

Et acceptam iniuriam æquo animo tolerare. TEXT.

Hoc etiam probi viri officium eſt, & cuiuſdã præſtantis virtutis, facile iniurias condonare, & quanuis inimicũ vlciſci iuſtè poſsit, tamen eum non offendere. hoc etiam ſignificat Biantis præceptum illud, quod apud Auſonium legitur hoc modo. COMM.

Quod prudentis opus;cum poſsit, nolle nocere.

Extant exempla multorum qui cum poſſent inimicos vlciſci tamen noluerunt, qui magnas ideo laudes conſecuti ſunt, ut Lycurgus non ſolum Alcandro pepercit, qui illi oculum eruerat. ſed etiam ita erudiit,vt bonum ciuem redderet. Cæſar Auguſtus pepercit iis, qui in eum coniurauerunt. Dion Alexandrinus in conuiuio quodam conuiciis omnibus affectus nihil penitus reſpondit, idem feciſſe dicitur Pericles Atbenienſium imperator.notiſsima eſt Socratis patientia,qui iniurias æquiſsimo animo tolerabat. uerũ hæc laus eſt apud ſapientes viros, non apud imperitã multitudinẽ.nam uulgò ignaui habentur, qui non iniurias vlciſcuntur,& qui non par pari reddunt,vnde ſuperius Ariſtoteles cum demonſtratiuum genus tractaret,dixit honeſtius eſſe inimicos vlciſci,quam cum eis in gratiam redire. quoniam cũ aliquem publicè laudamus, vulgarem potius opinionem,quam ſapientum uirorum ſententiam ſequi debemus.

Et uerbis magis,quam factis,de re decernit uelle. TEXT.

Aequum eſt omnia prius experiri,quam arma capiantur.vt cum inter aliquos eſt controuerſia, COMM. longe

longe melius eſt eniti, vt iudicio & oratione de re decernatur, quam factis & armis diſceptetur. hoc eſt quod etiam apud Terentium Thraſo uidit, cum ait;

Omnia prius conſilio experiri, quam armis, ſapientem decet.

TEXT. *Et ad arbitrum potius, quam ad iudicem, rem deferri uelle; arbiter enim æquum & bonum ſibi proponit; iudex autem ipſam legem. neque ulla alia de cauſa repertus eſt arbiter, niſi ut æquum & bonum ualeat.*

COMM. Qui æquitatem ſequitur, rem potius ad arbitrum, quam ad iudicem deferri uult. quoniam arbiter æquum & bonum ſequitur. iudex autem a lege non diſcedit. & hæc eſt cauſa, quare arbiter ſit inuentus, ut ex æquo & bono, non ex uerbis legis aliquando iudicetur. Arbiter enim is eſt, quem litigantes eligunt, vt ipſe ſuo arbitrio de tota controuerſia ſtatuat, & quid æquum ſit uideat. Terētius in Heaut. Simo & Crito uicini hic ambigunt de finibus, me cepere arbitrum. & dicitur honorarius arbiter, quoniam hunc illi honorem litigantes attribuunt, ut quod ipſe ſtatuerit, ratum habeant. Cicero pro Roſcio Com. quid inter iudicium & arbitrium interſit optimè explicat his verbis; Aliud eſt iudicium aliud eſt arbitrium. iudiciū eſt pecuniæ certæ, arbitrium incertæ. ad iudicium hoc modo uenimus, vt tota litem aut obtineamus aut amittamus. ad arbitrium hoc animo adimus, vt neq; nihil, neque tantum quantum poſtulauimus, conſequamur. & paulò poſt; Quid eſt in arbitrio? mite, moderatum, quanto æquius, & melius ſit dari. Qui verò ſuam rem arbitri iudicio cō mittunt, & ſe id ratum habituros promittunt, qđ ille ſtatuerit, dicuntur cōpromiſſum facere. vt ibidem Cicero; de tuarum tabularum fide compromiſſum feceris, arbitrum ſumpſeris.

TEXT. *Ac ea quidem, quæ de æquis & bonis dicenda erant, hoc modo declarata ſint.*

COMM. Se iam huic parti ſatisfeciſſe oſtendit, & declaraſſe quæ bona & æqua ſint, quique boni & æqui homines, nempe qui de ſummo iure aliquid remittunt, & ea ſeruant, quæ non ad ius ipſum, ſed ad æquitatem ſpectant, & quanto æquius ac melius ſit dari cogitant.

TEXT. *Iniuriæ uerò maiores illæ ſunt, quæ à maiore iniuſtitia proueniunt. itaque minimæ quæque iniuriæ maximæ ſunt; ut Calliſtratus Melanopum accuſat, quod tribus dimidiatis obolis, Deo dicatis, templi ædificatores fraudaſſet; ſed in rebus iuſtis iuſtitiaque contra accidit. hæc autem talia ſunt eo, quòd maiore quadā ui ſuperant; ut, qui tres dimidiatos obolos furatur, etiam quiduis aliud facile committeret.*

COMM. Hoc loco de iniuriarum comparatione verba facere incipit ut intelligere poſſit orator quæ maiores, & quæ minores iniuriæ ſint. Ac ſtatim eſſe maiores iniurias ait, quæ à maiore iniuſtitia proficiſcuntur. omnis enim iniuria à uitio prauitateque animi prouenit, ſicuti ſupra iam demonſtratum eſt, ergo quæ à maiori uitio naſcitur, ut etiā maior ſit iniuria neceſſe eſt, hac ratione probatur minimas quaſque iniurias, eſſe maximas, quod incredibile atque admirabile eſſe uidetur. ſed ita eſt intelligendum. qui propter res minimas mouentur ad iniuriam faciendam, ille eſt maximè iniurioſus, ut qui viatorem ſpoliat propter unum aureum, magis iniurioſus eſt, & magis deprauatus quam qui propter mille aureos idem ſcelus committit. Cicero pro Flacco dat hoc uitio maximo Heraclidi, quod multos Romæ paruis in rebus fraudaſſet. nā qui fraudat in paruis rebus, id multo facilius in magnis faciet, ergo minimę illæ iniurię, ſunt exiſtimandæ maximæ, non quidem ea ſua ui, ſed quia maximum animi uitium indicant. uerba Ciceronis hęc ſunt; Itaque cum Romæ cū eſſet profectus multoſq; minutis mutuatiōnibus fraudauiſſet, in Aſiam uenit. Ariſtoteles exēplū ſumit à Calliſtrato, qui Melanopum in iudicium vocarit, & accuſarit, quòd tribus dimidiatis obolis Deo dicatis templi ædificatores fraudaſſet. pecunia quidem ea, valde exigua erat, ſed tamē quæ ſummam hominis auaritiam, & improbitatem oſtenderet. nam ſi in tam exigua re ſacrilegium committere non dubitauit, multo facilius maiorem pecuniam ſurripuiſſet. erat autem obolus apud Athenienſes paruum quoddam nummiſma, quod ſextam drachmæ partem ualebat. ſex enim oboli drachmam conficiebant. drachma uerò Athenienſis tantum ualebat, quātum denarius Romanus. porrò denarius, quatuor ſeſtertios nummos continebat, & aſſes æreos decem. qua ſupputatione colligitur obolum ualuiſſe ſeptem quadrantes aſſis ærei. nam Suidas ſcribit obolum ſex chalcos ualuiſſe. chalcum autem ſeptē minutias. minutiam intelligo quem vulgo ſemidenariolū uocamus. & tres denarioli quadrantem aſſis ærei conficiunt. itaque cum in obolo ſint quadraginta duæ minutiæ, quæ conficiunt unum & uiginti denariolos, ſequitur ut obolus ſeptem quadrantes aſſis ærei ualeat, hoc eſt aſſem cum tribus quadrantibus. fuerunt autem hi duo Oratores Calliſtratus & Melanopus ſæpe inter ſe diſſentientes, ut ait Plutarchus in Demoſthenis vita. tamen cum de Rep. diſſentirent, ſæpe Melanopus pecunia corruptus in Calliſtrati ſententiam deſcendebat. Vnde colligere licet eum auariſſimum fuiſſe. Sed ait Ariſtoteles, in rebus iuſtis, iuſtitiaque cō tra accidit. is enim iuſtior meliorque eſt uir, qui maiori lucro propoſito, tamen a iuſtitia non diſcedit, ut qui fiduciam accepit, aut magnum auri numerum ſine ullo teſte atque id impune poſſit inficiari, tamen reſtituit, is iuſtior eſt, quam ſi idem in parua pecunia feciſſet. ut, Lycurgus longè iuſtior eſt iudicandus, quod Lacedæmoniorum imperium, cum ipſe habere poſſet, tamen Charilao fratris filio reddidit, quam ſi pecuniam illi paternam reddidiſſet. cur autem hæc ita ſint, cauſam addit Ariſtoteles. uidentur enim in ſe quandam uim habere cuiuſdam ſupremæ malitiæ. qui enim tres dimidiatos obolos furatur. & in re tam parua ſacri-

ſacrilegio ſe inquinare non dubitat, et quoduis aliud in ſe flagitium admittet. vulgo non diſſimile prouerbium noſtra lingua celebratur. aiunt.n. Canem qui furfures edat, multò facilius & libentius farinas eſurum.

TEXT. *Interdum igitur quod maius eſt, hoc modo iudicatur; interdum etiam ex damni magnitudine.*

COMM. Duas rationes ferè oppoſitas habet Orator amplificandi criminis. uel enim à vitio prauitateque animi docebit maximam eſſe iniuriam, etiam ſi damnum paruum ſit, vel ex damni magnitudine dicet iniuriam eſſe ponderandam, ut qui maius dãnum dedit, is etiam maiorem iniuriam intuliſſe dicatur. vt qui uulnerat aliquem aut interficit, maiorem facit iniuriam, quam qui pecuniam ſurripit. ideo Cicero cum Verrem accuſaret, primò rapinas eius & ſacrilegia perſecutus eſt, deinde in extrema actione poſuit ab eo factas cædes, & ſupplicia de ciuibus Romanis iniuſte ſumpta, quod hæc eſſent omnium grauiſſima.

TEXT. *Illa etiam maior eſt iniuria, cui par pœna nulla inueniri poteſt; ſed omnes ſunt inferiores.*

COMM. Sunt iniuriæ quæ parua pœna puniuntur, aliquibus maior eſt pœna conſtituta, aliquibus maxima. ſunt etiam tam atroces iniuriæ, quibus nulla pœna par inueniri poteſt, ſed quoquomodo puniantur, ſemper leuius puniuntur quam oporteret. illæ ſunt iniuriæ maximæ. quale eſt parricidiũ, de quo ita Cicero pro Roſcio Am. Sceleſtum Dij immortales ac nefarium facinus, atque eiuſmodi, quo vno maleficio ſcelera omnia complexa eſſe videantur. etenim ſi id, quod præclare à ſapientibus dicitur; vultu ſæpe læditur pietas, quod ſupplicium ſatis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti? pro quo mori ipſum, ſi res poſtularet, iura diuina atque humana cogebant. Solon nullam pœnam parricidis conſtituit, & cum interrogaretur, cur id feciſſet, reſpondit, ſe tam atrox ſcelus neminem commiſſurum putaſſe. Cicero quarta actione in Catilinam nullam tantam pœnam inueniri poſſe oſtendit, quam non coniuratorum ſcelus exuperet.

TEXT. *Et cui nulla medicina poteſt adhiberi; difficile eſt enim, & omni potentia maius.*

COMM. Iniuriæ quibus remedium aut medicina nõ reperitur maiores ſunt, quam quæ ſanari poſſunt. nam quę ſanari atque emendari non poſſunt, omnino difficilia ſunt, atque omnem humanam potentiam exuperant. vt Cicero docet ita ſpoliatam eſſe Siciliam à Verre, vt aratores effugerint, & ſi qui remanſerint, non amplius ſolito more agros colere poſſint. & in actione ſecunda ſic ait; quam iſte per triennium ita vexauit, vt ea reſtitui in antiquum ſtatum nullo modo poſſit. uix autem per multos annos innocenteſque Prætores aliqua ex parte recreari aliquando poſſe videatur. ita ſiquis vitam adimat alicui, longe magis peccat, quam ſi fortunis ſpoliet. nam fortunæ reſtitui poſſunt, uita non poteſt. paruas autem eſſe iniurias quæ ſanari poſſunt docet etiam apud Terẽtium in Adelphis Mitio, cum ita inquit;

Fores effregit, reſtituentur. diſcidit
Veſtem, reſarcietur: eſt (Diis gratia)
Et unde hæc fiant, & adhuc non moleſta ſunt.

TEXT. *Et in qua, qui paſſus eſt malum, pœnas iudicio ſumere non poteſt; id enim inſanabile eſt, ſiquidem pœna eſt caſtigatio, & medicina quædam.*

COMM. Grauiores iniuriæ ſunt, quæ fiunt illis, qui ſe defendere non poſſunt, neque iudicio experiri. neque enim iniuriis eiuſmodi ulla medicina eſt. nã pœna flagitii uidetur eſſe quædam medicina, tales iniuriæ ſunt, quæ pupillis & viduis fiunt, aut mendicis, aut ægrotis, aut denique omnibus qui ſe tuendi ac defendendi facultatem non habent. improbiſſimus enim ſit neceſſe eſt, qui huiuſmodi homines iniuriis afficit. vt ſeptima actione in Verrem, vehementer amplificat Verris crudelitatem, qui nauarchos innocentes non tantum crudeliſſimè vitá priuarit, cum illis ſe defendendi facultatem ademiſſet, ſed etiam eorum cadauera ſepelienda non prius parentibus reddiderit, quam ab eis certam mercedem accepiſſet. & tertia actio nे docet ab eodem iniuſtiſſime ſpoliatum P. Iunii filium pupillum. ita uituperatur Achilles qui cadauer Hectoris nimis contumelioſè lacerauerit, & circa muros Troianos raptauerit. nam in mortuum ſæuire cuiuſdam immanitatis eſt, qui ſe iam defendere nequeat. Virgilius primo Aeneid.

Ter circum iliacos raptauerat Hectora muros
Exanimumque auro corpus uendebat Achilles.

Quintilianus primo libro, vbi conſuetudinem cedendorum puerorum improbat, ita inquit; Quare hoc dixiſſe ſatis eſt; in ætatem infirmam, & iniuriæ obnoxiam, nemini debere nimium licere.

TEXT. *Et ſi quis læſus eſt, & iniuriam accepit, in ſeipſum grauiter animaduertit; nam multo maiori pœna dignus eſt, qui iniuriam intulit.*

COMM. Quando qui affectus eſt iniuria tantopere dolet, aut tanto pudore afficitur, ut in ſe manus conuertat, & ſeipſum interficiat, aut aliquo modo grauiter affligat, tunc non dubium eſt quin is, qui iniuriam intulit, grauiori ſupplicio dignus ſit. ut Lucretia Tricipitini filia, cum à Sex. Tarquinio per uim ſtuprata fuiſſet, ſibi ipſa mortem conſciuit. qua de cauſa non tantum Sex. Tarquinius qui ſtuprum intulerat, ſed etiam pater eius cognomento Superbus Roma expulſus & regno priuatus eſt. ita L. Virginius propriam filiam necauit, ne ab Appio Claudio violaretur. itaque Appius Claudius morte multatus eſt. hæc duo exempla ponit Cicero ſecundo de Finibus hoc modo; Stuprata per uim Lucretia à Regis filio, teſtata ciues, ſe ipſam interemit. hic dolor populi, duce & auctore Bruto, cauſa ciuitati liber-

ſatis fuit, ob eiuſque mulieris memoriam primo anno & uir & pater eius conſul eſt factus. tenuis L. Virginius, unuſque de multis, ſexageſimo anno poſt libertatem receptam Virginiã filiam ſua manu occidit, potius quam ea App. Claudii libidini, qui tum erat ſummo in imperio, dederetur.

TEXT. *Vt Sophocles pro Euctemone, qui, cum iniuriam accepiſſet, ſe ipſum iugularat, dixit, ſe non minorem reo pœnam irrogaturum ea, qua, qui contumeliam paſſus fuerat, ſe ipſum multauerat.*

COMM. Exemplo probat id, quod propoſuerat. Euctemon quidam cum illatam ſibi iniuriam ferre nullo modo poſſet, ſeipſum iugulauit. Sophocles eius iniuriam perſecutus, in iudicium uocauit auctorem iniuriæ, & cum probaſſet, ac peroraſſet cauſam, interrogatus à iudicibus qua pœna reum eſſe dignum cenſeret, reſpondit, non minori pœna ſibi dignum videri ea, qua ſe ipſum affecerat is, qui iniuriam paſſus fuerat. non eſt autem dubium, quin eum morte dignum eſſe cenſuerit. Erat enim Athenis ea conſuetudo, vt reo damnato, prius interrogaretur accuſator, qua pœna reum affici uellet, deinde ſi fraus capitalis non eſſet, etiam reus interrogaretur, quam quaſi æſtimationem ſe commeruiſſe maximè confiteretur.

TEXT. *Et, quam ſolus, aut primus, aut cum paucis fecit.*

COMM. Illa eſt etiam maior iniuria, quam aliquis ſolus fecit, aut primus omnium, aut cum paucis ſociis, ut apud Virgilium Mezentius tormenti genus excogitaſſe dicitur, ut uiuos homines cum mortuis colligaret, atque ita computreſcere permitteret, ſic enim Euander ait Aeneid. octauo.

Mortua quinetiam iungebat corpora viuis,
Componens manibuſque manus atque oribus ora
Tormenti genus, & ſanie taboque fluentes.
Complexu in miſero longa ſic morte necabat.

Hoc eſt quod etiam Quintilianus ait libro tertio; Et ſiquod eſt exemplum deforme poſteris traditum: quale libidinis uir Perſes in muliere Samia inſtituere auſus dicitur primus, ſicut enim in maxima laude ponendum eſt, cum quis rem honeſtam primus excogitat: ita turpiſsimum eſt, alicuius magni ſceleris primum eſſe auctorem. quod de Orpheo prædicant, quem maſculæ Veneris auctorem fuiſſe ferunt, cum omnes mulieres odio proſequeretur.

TEXT. *Sæpius etiam in idem peccatum incidere, graue eſt.*

COMM. Qui ſemel tantum in aliqua re peccat, uideri poteſt aut fortuito, aut neceſſariè, aut per imprudentiam peccare. itaque omnium conſenſu illi uenia conceditur. ſed qui ſæpius in idẽ peccatum incidit, is iam animi uitio peccare iudicatur. itaque maior illi pœna legibus irrogatur. culpa enim illa (inquit Cicero) bis ad eundem uulgari reprehenſa prouerbio eſt. *Epiſt. 10.* nam in Græcis ſententiis uerſiculus eſt, in quo dicitur, Non eſſe uiri ſapientis bis in eadem re peccare. unde eleganter Publius quodam in Mimo ſuo ſic ait;

Improbè Neptunum accuſat, qui iterum naufragium facit.

Sic Horatius in Arte poetica;

—& Citharœdus
Ridetur, chorda qui ſemper oberrat eadem.

TEXT. *Illud quoque maius eſt, propter quod remedium ac pœna quæſita ſunt, & inuenta; ut Argis eos puniunt, qui ſunt in cauſa, ut noua lex conſtituatur, aut carcer ædificetur.*

COMM. Quando peccatum eſt eiuſmodi, ut ad illud coercendum, opus ſit nouo remedio, aut noua pœnæ ſanctione, certè grauiſsimum eſt iudicandum. quod Argiuorum exemplo probatur. illi enim atrociter eos puniebant, qui fuiſſent in cauſa, vt aliqua noua lex ferretur, aut carcer ædificaretur. leges enim ad coercenda maleficia ferũtur, carceres autem ad punienda ædificantur. ſicut enim medicis & pharmacis non eſſet opus, niſi homines ægrotarent, ita leges eſſent ſuperuacaneæ niſi aliqui ſe improbè gererent, unde prouerbio dicitur; Bonæ leges ex malis moribus procreantur. quod affirmat Cor. Tacitus, cum ait libro xv. uſu probatum eſt, leges egregias, exempla honeſta, apud bonos, ex delictis aliorum gigni. Carcer autem ideo repertus fuit, ut eius metu abſtinerent homines à maleficiis. Cælius notauit apud antiquos tria fuiſſe carceris genera, primum quo petulantes iuuenes, & parum modeſti clauderentur, & nocturno tempore à doctis & ſapientibus uiris admonerentur, ut deinceps melius ſe gererent, & illud carceris dedecus euitarent. Alterum quo claudebantur ij, qui multo ære alieno oppreſsi, non eſſent ſoluendo, aut ſatisfacere creditoribus nollent. Tertium denique quo malefici homines ad ſupplicium reſeruabantur, tetrum atque obſcurum, ſituque ac pædore deformatum. ſunt etiam hoc tempore multa carceris genera.

TEXT. *Et quod magis belluinos mores imitatur, peccatum grauius eſt.*

COMM. Quæ potius à bellua quam ab homine proficiſci uidentur, ea grauiora peccata ſunt, ut quæ Tyranni ſæpe crudeliſsimè faciunt. hoc uitium feritas à Cicerone dicitur ſecundo de Officiis; Sic iſta in figura hominis feritas, & immanitas belluæ à communi tanquam humanitate corporis ſegreganda eſt. ab Ariſtotele ſeptimo Ethicorum uocatur θηριότης. qualis immanitas fuit eius mulieris, quam inciſis grauidis mulieribus fœtus deuorare

deuorare ſolitam aiunt. aut quibus ferunt delectari efferatos circa Pontum quoſdam homines, quorum alios cruda, alios humana carne ueſci confirmant. alios commodare vltro citroque liberos in conuiuiis. aut quod ferunt de Phalaride. hæc eſt cauſa cur Cicero frequenter eos, quos vehementer inſectatur belluas, feras, & furias appellet. vt eorum grauiora eſſe ſcelera oſtendat.

TEXT. *Et quod conſultò & cogitatò committitur.*

COMM. Hoc planum ac manifeſtum eſt, eas iniurias eſſe grauiores, quæ conſultò & cogitatò fiunt, quæ perturbatione aliqua animi, quæ plerunque breuis eſt, & ad tempus, committuntur. id quod primo de Off. oſtendit Cicero, & Demoſthenes in oratione contra Midiam. Rhetores duas cauſas maleficii ponunt impulſionem, & ratiocinationem. impulſionem vocant, quæ ſine cogitatione per quandam affectionem animi facere aliquid hortatur, vt amor, iracundia, ęgritudo, uinolentia: ratiocinationem, diligentem & conſideratam faciendi aliquid, aut non faciendi excogitationem. Quare grauiora ſunt illa, quæ à ratiocinatione, quam quæ ab impulſione proueniunt. ideo leges etiam atrocius eum puniunt, qui conſultò & cogitatò quempiam interfecerit, quam ſi contentione aliqua prouocatus ad iram, cædem fecerit.

TEXT. *Et quod in animis eorum, qui audiunt, potius metum, quam miſericordiam excitat.*

COMM. Illud eſt atrocius, quod audientes, aut videntes magis ad timorem, quam ad miſericordiam commouet. ut id, quod Aeneidos tertio narrat Achemenides de Polyphemo Cyclope;

Vidi egomet duo de numero cum corpora noſtro
Prenſa manu magna medio reſupinus in antro
Frangeret ad ſaxum. ſanieque aſperſa natarent
Limina. vidi atro cum membra fluentia tabo
Manderet, & tepidi tremerent ſub dentibus artus.

Metus enim à miſericordia atque à lachrymis mentem ad pericula cõuertit: & de ſe cogitare homines cogit. cuius rei Cicero libro Tuſcul. tertio ponit exemplum notabile; conſtabat (inquit) eos, qui concidentem vulneribus Cn. Pompeium vidiſſent, cum in illo ipſo acerbiſſimo, miſerrimoq; ſpectaculo ſibi timerent, quod ſe claſſe hoſtium circumfuſos viderent, nihil tum aliud egiſſe, niſi vt remiges hortarentur, & ut ſalutem adipiſceren tur fuga. poſtea quam Tyrum ueniſſent, tum afflictari lamentarique cæpiſſe.

TEXT. *Et hæc quidem propria Rhetorum ſunt. ut, uno facto multa iura ſuſtuliſſe, aut uiolaſſe dicant; ut iuſiurandum, dextras fidem datam, ius coniugij; ſic enim multarum iniuriarum exuperantia demonſtratur.*

COMM. Accuſatores, & Rhetores omnes, cum aliquod crimen amplificare volunt, oſtendere conantur illo vno facto multa iura fuiſſe violata. vt ſiquis accuſaret Aegiſtum quod Clytemneſtram Agamemnonis vxorem ſibi à marito commendatam violaſſet, poſſet hoc ſcelus augere, quod Aegiſtus iuſiurandum Agamemnoni datum, dextram cum eo concordiæ & amicitiæ gratia iunctam, fidem, ius coniugii, vna cum uxore violaſſet. hoc enim modo plurimæ eſſe iniuriæ videbuntur. hoc proprium eſt, & peculiare Ciceroni, ut in vno ſcelere plurimas eſſe iniurias oſtendat. ut ſecunda in Verrem actione, de facto Verris, qui cum eſſet Carbonis conſulis Quæſtor, ab eo cum pecuniis, quas habebat, receſſit. hoc quidem vnum eſt factum, ſed ita Cicero multiplicat; Quæſtura primus gradus honoris quid aliud habet in ſe, niſi Cn. Carbonem ſpoliatum à Quæſtore ſuo pecunia publica? nudatum & proditum cõſulem? deſertum exercitum? relictam prouinciam? ſortis neceſſitudinẽ, religionemque violatam? & in ſexta actione de rege Antiocho cui Verres candelabrum precioſum ademerat, & è prouincia diſcedere iuſſerat; cum audierint à prætore populi R. in prouincia, uiolatum regem, ſpoliatum hoſpitem, eiectum ſocium populi R. atque amicum. neque dubitandum eſt, quin in uno facto ſæpe multa peccata ſint, ut, in patris uita uiolanda (quod ait Cicero) violatur is, qui procreauit; is, qui aluit; is, qui erudiuit; is, qui in ſede ac domo, atque in Rep. collocauit. multitudine peccatorum præſtat, eoque pœna maiore dignus eſt. quid autem ſit dextras violare, declarat Cicero Philippica undecima, ubi loquitur de ſcelere Dolabellæ, qui Trebonium nefarie per inſidias trucidarat. ſic enim ait; Secutæ collocutiones familiariſſimæ cum Trebonio, complexuſq; ſummæ beneuolentię falſi indices extiterunt in amore ſimulato: dextræ, quæ fidei teſtes eſſe ſolebant, perfidia ſunt, & ſcelere uiolatæ. erat igitur dextra fidei, & concordiæ ſignum, ſicuti Cor. Tacitus libro xvij. teſtatur. Cicero poſt reditum in Senatu; qui mihi primus afflicto & iacenti conſularem fidem, dextramque porrexit.

TEXT. *Et, in eo loco ubi ſontes puniuntur, quod falſi teſtes faciunt; quem enim locum à ſcelere uacuum relinquent, qui etiam in ipſo iudicio ſcelus admittere non dubitant.*

COMM. Licet etiam à loco crimẽ amplificare, ut ſiquis ibi flagitium aliquod admittat, ubi ſontes puniri ſolent. quod non ita pridem accidiſſe Mediolani conſtat. cum enim quidam fur morte ac ſuſpendio multaretur, quod multorum crumenas abſcidiſſe conuictus erat, & magna hominum multitudo ad ſpectaculum cõueniſſet, deprehenſus eſt alius fur, qui cum ceruices ei, qui erat in cruce frangerentur, crumenam ciui cuidam abſciderat. itaque rerum capitalium præfecti ſtatim etiã illum ſuſpendio tollendum iudicarunt. hoc (inquit Ariſtoteles) falſi teſtes faciunt, qui in foro ubi iudicia tractantur, peierare non uerentur.

Eſt igitur firmnm contra illos argumentum. nã ſi in iudicio ſcelus committere non dubitãt, multò facilius extra iudicium peccabunt. bac ratione Cicero tertia in Verrem actione ſcelus Verris amplificat, cum ait; Quæremus etiam qnid iſte in vltima Phrygia, quid in extremis Pamphiliæ partibus fecerit? qualis in bello prædonum prædo ipſe fuerit? qui in foro populi R. pirata nefarius reperiatur? dubitamus quid iſte in boſtium præda molitus ſit, qui manubias ſibi tantas ex L. Metelli manubiis fecerit? & quæ ſequuntur. ita pro Milone Clodij ſcelus amplificat, quod in tẽplo Caſtoris in foro Cn. Pompeium per ſeruum interficere voluerit; comprehenſus eſt in tẽplo Caſtoris ſeruus P. Clodij, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendnm collocarat. extorta eſt confitenti ſica de manibus, caruit foro poſtea Pompeius, caruit ſenatu, caruit publico. Sic apud Virgilium Ven libro decimo Troianorum miſerias à loco auus

-- non clauſa tegunt iam mœnia Teucros
Quin intra portas, atque ipſis prælia miſcent
Aggeribus mœrorum, & mundant ſanguine foſſæ.

Et in primo Aeneidos à loco Pigmalionis ſcelus augetur, quod Sicheum ante aras occidiſſet;

--ille Sicheum
Impius ante aras, atqne auri cæcus amore
Clam ferro incautum ſuperat.

TEXT. *Et ea, in quibus homines erubeſcere maximè conſueuerunt.*

COMM. Grauiora ſunt illa propter quæ ſolent homines maxime erubeſcere. vt ſi vxor adulterio vitiata fuerit, aut filia conſtuprata, multo maior eſt iniuria, quam ſi pecuniæ fuerint ablatæ. Cicero Philippica ſecunda de Antonio ſic ait; ſed iam ſtupra, & flagitia omittam. ſunt quædam, quæ honeſtè non poſſum dicere. tu autem eo liberior, quod ea in te admiſiſti, quæ à uerecundo inimico audire non poſſes. & ſecunda actione in Verrem; in ſtupris uero & flagitiis, nefarias eius libidines commemorare pudore deterreor.

TEXT. *Et, ſi eum læſit, à quo beneficium acceperat: multis enim modis iniuſtus eſt; & quòd damnum inferat, & quòd benemerenti non gratiam referat.*

COMM. Multò maior eſt iniuria, quæ fit ei, qui beneficium dedit. non enim ea ſimplex eſt iniuſtitia, ſed multiplex, cum quis eum offendit, à quo beneficium accepit. primò qui a damnum infert, quod contra ius faſque eſt. deĩnde quia ingratus eſt, qđ magnum eſt vitium, & odioſum. omnes enim oderunt immemorem beneficij. maior etiam ira atq; excandeſcentia concitatur in nobis, cum ab eo lædimur, de quo benemeriti ſumus, quam ab alio. ſicuti apud Virgilium Dido oſtendit;

Nuſquam tuta fides, eiectnm littore, egentem
Excepi, & regni demens in parte locaui,
Amiſſam claſſem, ſocios à morte reduxi,
Heu furiis incenſa feror.

Cicero in Oratione pro Deiotaro vehemẽter Caſtorem inſectatur, qui Deiotarum auum maternũ cũ ab eo multa beneficia accepiſſet, tamen rei capitalis iniuſtè accuſaret; Crudelis (inquit) Caſtor eſt, ne dicam ſceleratum & impium, qui nepos aunm in diſcrimen capitis adduxerit, adoleſcentiæque ſuæ terrorem intulerit ei, cuius ſenectutem tueri, & tegere debebat: commendationẽque ineuntis ætatis ab impietate & ſcelere duxerit. & alibi; Sint ſanè inimicitiæ, quæ eſſe nõ debebant. Rex enim Deiotarus ueſtram familiam abiectam & obſcuram è tenebris in lucẽ uocauit. quis tuum patrem antea qui eſſet, qnam cuius gener eſſet, audiuit? ſed quamuis ingratè, & impiè neceſſitudinis nomen repudiaretis, tamen inimicitias hominum more gerere poteratis: non ficto crimine inſectari, non expetere uitam, non capitis arceſſere. & quæ ſequuntur.

Maius etiam oſtenditur, quod contra ius non ſcriptum commmiſſum eſt: nam uiri melioris iudicium eſt, nulla coactum neceſſitate iuſtum eſſe: quæ enim ſcripta ſunt, ea neceſſario ſeruantur; quæ uero non ſcripta, non neceſſario. TEXT.

Peccata omnia quæ committuntur, aut fiunt contra ius non ſcriptum, aut contra ius ſcriptum. interdum igitur probari poteſt, quę contra ius nõ ſcriptum fiunt, eſſe maiora peccata. interdum ea, quæ contra ius ſcriptum fiunt. primo igitur docet Ariſtoteles quomodo probari poſſit, maius eſſe delictum, quod contra non ſcriptum ius committitur. Qui nulla neceſſitate coactus, iuſtus eſt, is melior eſt uir, quàm qui iuſtè ſe gerere cogitur. ſed quæ ſcripta ſunt, iura neceſſariò ſeruãtur, quæ nõ ſcripta ſine neceſſitate. ergo melior eſt vir, qui non ſcripta iura ſeruat, quàm qui ſcripta. quod ſi melior eſt, qui non ſcripta iura ſeruat, ergo deterior eſt, qui ea uiolat. nam improbi uiri cum à maleficiis abſtinent, id non quia iuſtitiam colant, efficiunt, ſed quia legum pœnas timent. hoc eſt quod etiam Horatius clamat; COMM.

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Ariſtoteles aliquando interrogatus quodnam à Philoſophia lucrum reportaſſet, ita reſpondit, vt ea ſponte libenterque facerem, quæ cæteri legum metu coacti faciunt. ita Cicero ſcribit bonum uirum non legibus propter metum parere, ſed quia rectum & honeſtum eſſe intelligit.

Contra etiam magis peccare uidetur, qui contra iura ſcripta quippiam committit: nã, qui ſcelera, quæ terribilia ſunt committit, nec pœnas reformidat; quãto magis in eis iniuſtus erit, unde nullum ſibi damnum impendere uideat? TEXT.

Hic locus eſt ſuperiori oppoſitus, quo probatur eum magis peccare, atque improbiorẽ eſſe qui contra leges ſcriptas peccat, quàm qui contra non ſcriptas. & argumentum ducitur à comparatione maiorum. nam ſcriptis legibus pœnæ adduntur, quæ legum ſanctiones uocantur. leges uero non ſcriptæ nullam habent adiunctam pœnam. COMM.

pœnam. ergo qui terrore legum non mouetur, & pœnas non reformidat, ſed contra leges ſcriptas peccat, is multò facilius in eis rebus erit improbus, unde nullam pœnam nullumque detrimentum pertimeſcit. Cicero ſecunda actione in Verrem vtrunque complexus eſt, cum enim Verrem omnium ſceleſtisſimum oſtēdere uelit, eum & contra ſcriptas leges, & contra iura communia deliquiſſe oſtendit; hoc (inquit) Prætore Siculi neque ſuas leges, neque noſtra S.C. neque communia iura tenuerunt.

TEXT. *Ac de iniuria quidem maiore & minore dictum eſt. Deinceps ea percurrenda ſunt, quæ ad probationes artis expertes, pertinere uideantur: nam hæ iudicialium controuerſiarum propriæ ſunt. ſunt autem numero quinque; leges, teſtimonia, tabulæ, quæſtiones, iuſiurandum.*

COMM. Hactenus omnes eas probationes diligenter pſecutus eſt, quæ artificioſæ vocantur. & extremo loco docuit quæ maiores, & quæ minores iniuriæ ſint, ut ipſe repetit. ſequitur vt eas etiam probationes aggrediatur, quæ artis expertes dicuntur, propterea quod ab ipſo oratore non excogitantur, ſed extrinſecus aſſumuntur. cur autem hoc loco de eis potiſſimum agere velit, ipſemet explicat, quia proprię ſunt earum controuerſiarū, quæ in iudicio tractantur. nam ad alia genera, vel nihil uel parum attinent. quod ſiquando in demonſtratiuo, & deliberatiuo genere ponūtur, ideo fit quoniam in omni dicendi genere communis quidam finis eſt, qui ad iudicium refertur, ut in principio ſecundi libri docet ipſe Ariſtoteles. quod autem quinque ſpecies harum probationum facit, nō ſatis ei conuenit, cum Quintiliano, & Cicerone.

Nam Quintilianus ſex numerat ſpecies, neque tamen inter eas leges ponit. ſic enim ait lib. quinto; Ex illo priore genere sūt, præiudicia, rumores, tormenta, tabulæ, iuſiurandum, teſtes, in quibus pars maxima contentionum forenſium conſiſtit. Cicero & in Topicis, & in Partitionibus hæc omnia quæ ſine arte putantur, teſtimonia uocat. quorum duo genera facit, unum diuinum, ut oracula, auſpicia, uaticinationes, reſponſa ſacerdotum, aruſpicum coniectorum, alterum humanū, quod ſpectatur ex auctoritate, & ex uoluntate, & ex oratione, aut libera, aut expreſſa. in quo inſunt ſcripta, pacta, promiſſa, iurata, quæſita. in ſecundo de Oratore M. Antonius multò plures ponit ſpecies. q̄ tamen poſſunt ad has quinq; facile reduci. ſequenda eſt igitur hæc Ariſtotelis diuiſio quæ commodisſima eſt, vt quinque ſint ſpecies probationum artis expertium, leges, teſtimonia, tabulæ, quæſtiones, iuſiurandum.

TEXT. *Ac primo quidem de legibus dicamus; & quomodo eis in ſuadendo, & diſſuadendo, in accuſando, & defendendo utendum ſit. Planum eſt enim, ſiquis ſcriptam legem cauſæ ſuæ contrariam habeat, ad communem legem ei confugiendum eſſe; & æquo ac bono tāquam iuſtiore nitendum: & dicendum hoc eſſe æquiſſima ſententia iudicare, ſiquis non omnino ſcriptis legibus adhærere uelit.*

COMM. Incipit docere quomodo probationibus artis expertes tractandæ ſint, atque à legibus initium capit, ex quibus multæ ſæpe controuerſiæ naſcuntur ex variis interpretationibus, dum alii verba legis defendunt, alii ſententiam ſpectandam eſſe cēſent, alij aliter interpretantur. vnde ſæpe etiam iniuriæ naſcuntur, ut in primo de Officiis ait Cicero; Exiſtunt etiam iniuriæ ſæpe calumnia quadā, & nimis callida, & malicioſa iuris interpretatione. ex quo illud, Summum ius, ſumma iniuria, factum eſt iam tritum ſermone prouerbium. quo in genere etiam in Rep. multa peccantur. ut, ille, qui, cum triginta dierum eſſent cum hoſte pactæ induciæ, noctu populabatur agros, quod dierum eſſent pactæ, nō noctium induciæ. Ariſtoteles docet quomodo in contrarias partes de legibus diſputare poſſimus ſiue illas contrarias habemus, ſiue pro nobis, quæ ratio & in Senatu ſiquid ſuadeamus aut diſſuadeamus, & in foro ſiquem accuſamus aut defendimus multum nobis prodeſſe poterit. ergo ſi contraria nobis legis uerba fuerint, ad ſententiam legiſlatoris, & ad communem legem confugiendum eſt. atque ęquo & bono pugnandum ut Epaminōdas ei, qui ſibi ex lege Prætor ſucceſſerat, exercitum non tradidit: & cū paucos ipſe dies cōtra legem exercitum tenuiſſet, Lacedæmonios funditus uicit. habet igitur legē contrariam. quare dicet, leges ſcriptas ad commodum Reip. referri oportere, & eas ex utilitate communi, non ex ſcriptione, quæ in literis eſt, interpretari. ſicuti Cicero primo de Inuentione docet. hoc eſt quod ait Ariſtoteles æquo & bono tanquam iuſtiore nitendum. id enim ſemper iuſtius, quod toti Reip. utilius atque honeſtius eſt. Sed quid eſt quod ait Ariſtoteles; hoc eſſe æquisſima ſententia iudicare? Iulius Pollux libro octauo ubi de Iudiciis agit, narrat quemadmodum Athenis iudices antequam litigantium cauſas audirent, iurare ſoliti eſſent, ex legibus ſe iudicaturos in ijs rebus, de quibus eſſent leges conſtitutæ, in iis autē, de quibus nullæ ſcriptæ leges eſſent, æquisſima ſententia ſe vſuros. hoc eſt igitur quod docet Ariſtoteles, debere Oratorem ad cauſę ſuæ utilitatē hoc traducere, atque affirmare, nihil aliud eſſe, æquisſima ſententia uti, niſi ęquitatem amplecti, & non uerba legis, ſed uoluntatem legiſlatoris ſpectare. nam (vt ait Cicero pro A. Cæcina) ſi uoluntas tacitis nobis intelligi poſſet, uerbis omnino non uteremur. quia non poteſt, uerba reperta ſunt, non quę impedirent, ſed quę indicarent uoluntatem. & infra; ſcriptum ſequi calumniatoris eſſe; boniq́ue iudicis, uoluntatem ſcriptoris, auctoritatemq́ue defendere.

TEXT. *Et æquum ac bonum ſemper idem manere, nec unquam immutari, ſicuti neque communis lex; inſitum eſt enim in ipſa natura, ſcriptæ uero leges ſæpe uariantur.*

COMM. Hac etiam ratione probabit orator iudicē ex æquo ac bono potius, quam ex ſcriptis legibus iu

dicare oportere, quoniam ſcriptæ leges ſæpe mutantur, & uariantur, æquum autem ac bonũ ſemper idem manet, & nullo unquam tempore mutatur. quemadmodum neq; communis & uera lex, quæ in ipſa natura penitus eſt inſita, & æterna atque immutabilis. hanc Cicero primo de legibus ſummam legem appellat. ſic enim ait; conſtituendi uero iuris ab illa ſumma lege capiamus exordium, quæ ſeculis omnibus ante nata eſt, quã ſcripta lex ulla, aut quam omnino ciuitas conſtituta. non eſt igitur æquitas in uerbis, quæ ſæpe mutari ac uariari ſolent, ſed in ſumma ac perfecta ratione quæ ſemper eadem eſt. Oratio uero eſt interpres mẽtis, uerbis diſcrepans, ſententiis congruens, ut ibidem ait Cicero.

TEXT. *Vnde illud in Antigona Sophoclis dictum eſt, ubi tuetur illa factum ſuum: quòd licet contra Creontis legem fecerit, non tamen contra legem non ſcriptam;*
Hoc namque non hodie aut heri, at ſemper fuit.
Ideo ego non timeo uiri ullius minas.

COMM. Hoc exemplum etiam ſupra poſitum eſt ab Ariſtotele, ubi docuit quandam eſſe legem communem & naturalem, quamuis conſenſio nulla hominum interceſſerit, unde homines intelligant quid æquum aut iniquum ſit, nunc autem docet quomodo Antigona factum ſuum ab æquo ac bono, & à communi lege defendat. quia Creontis legem ſiue edictum contrarium habebat. edixerat enim Creon, ne mortuum Polynicem fratrem ſuum ſepeliret, alioqui ſe pœnas de illa ſumpturum. uerum Antigona ſe nullius uiri minas pertimeſcere ait, neque uelle Creonis legem ſeruare, quia ſit communi legi contraria. cũ ſepelire mortuos æquum ſit ſemper & ubique. neque enim (inquit) hoc nouum eſt, ut hodie aut heri natum eſſe uideatur, ſed perpetuis ſeculorum ætatibus antea fuit. neque quiſquam eſt mortalium, qui nouerit, unde lex illa communis originem habuerit.

TEXT. *Et iuſtum id eſſe, quod eſt uerum atque utile, non autem quod ſpeciem tantum habet; Quare quæ ſcripta eſt, non eſt lex. neque enim legis officium exequitur.*

COMM. Docet qua ratione probare poſſit Orator, nullam eſſe legem ſcriptam, ut facilius ſuadeat non eſſe ſcriptis immorandum, ſed æquitatem eſſe ſpectandam. ſic igitur colligit; iuſtum id eſt, quod eſt uerum atque utile, non autem quod ſpeciem tantum & ſignificationem ueritatis, atque utilitatis habet. ſed ſcripta, neque uera ſunt, neque utilia, ſed tantum ea ſignificant, & eorum ſpeciem habent, quæ uera atque utilia ſunt, ergo in ſcriptis non eſt iuſtitia neque lex. Quare ſcripta ſignificationes tantum ſunt legum, non autem ueræ leges quoties autem ab æquitate ſcripta diſcrepãt, etiam à uera & communi lege diſcrepant. id quod Cicero primo de legibus eleganter his uerbis oſtendit; Iam uero ſtultiſſimum illud, exiſtimare omnia iuſta eſſe, quæ ſcita ſint in populorum inſtitutis, aut legibus. etiam ne ſi quæ ſint tyrannorum leges? ſi triginta illi Athenis leges imponere uoluiſſent, aut ſi omnes Athenienſes delectarentur tyrannicis legibus, num idcirco hæ leges iuſtę haberentur? nihil credo magis illa, quàm interrex noſter tulit, ut Dictator quem uellet ciuium, in dicta cauſa impune poſſet occidere. eſt enim unũ ius, quo deuincta eſt hominum ſocietas, & quod lex conſtituit una. quæ lex eſt recta ratio imperandi, atque prohibendi: quam qui ignorat, is eſt iniuſtus. ſiue eſt illa ſcripta uſpiam, ſiue nuſquam. ex his colligitur ueras leges, non eſſe in ſcripto, ſed in recta ratione, atque ſententia.

TEXT. *Et rebus iudicandis præpoſitum eſſe iudicem, tanquam argentarium, qui id iuſtum, quod ſimulatum & adulterinum eſt, ab eo, quod eſt uerè iuſtum, diſcernat. Et melioris eſſe uiri, non ſcriptis legibus, quam ſcriptis uti, atque inſiſtere.*

COMM. Vtetur etiam hac ſimilitudine, qui ſententiam contra ſcriptam legem defendit, iudicem eſſe tanquam argentarium in rebus iudicãdis. ſicut enim argentarius Lydio lapide ſiue Heraclio, quem indicem uocant, aurum atque argentum diligenter experitur, utrum uerum ſit, an adulterinum, & quod uerum eſt probat, quod adulterinum reiicit, ita iudex ęquitate, tanquam indice, debet ſimulatam ac fictam iuſtitiam, à uera iuſtitia diſcernere. nam quod cum æquitate congruit, id eſt uerè iuſtum. quod autem alienum eſt ab æquitate, ſimulatum & adulterinum eſt. Lapis igitur quo mẽſarij ad probandum aurum utuntur Lydius uel Heraclius uocatur, ab Heraclea Lydiæ ciuitate. Plinius ſcribit etiam coticulam à latinis appellari. Dicet etiam Orator bonos uiros potius non 33.c.8.
ſcriptas leges, quam ſcriptas ſequi ſolere, & bene agere propter honeſtatem non propter timorem.

TEXT. *Et ſi lex, qua premimur, aliquo modo contraria eſt iam probatæ legi, aut ſi ſecum ipſa pugnat: ut interdum altera lex iubet rata eſſe, quæcunque inter ſe homines pepigerunt, altera uerò uetat, pactiones fieri contra leges.*

COMM. Hæc controuerſia gręco nomine uocatur *ἀντινομία* cum duæ leges inter ſe pugnare uidentur. itaque cum ea lex quæ nobis contraria eſt, repugnat alicui legi probatæ, facile poterimus eam eludere, & infirmare, uel etiam ſi ſecum ipſa pugnat, ut ſi in una parte uetet, quod in alia permittat. exẽplum autem hoc ponit Ariſtoteles; lex eſt, quæ iubet omnia rata eſſe, quæ homines inter ſe pepigerunt. altera lex uetat, pactiones contra leges fieri. quidam inter ſe pepigerunt nocturno tempore conuenire, & ſacrificia peragere, & deo nuncupata uota perſoluere, neſcientes eſſe legem quæ omnia nocturna ſacrificia prohibeat. accuſãtur quòd nocturna ſacrificia cõtra legem fecerint, illi ſe defendunt lege quæ eſt de pactionibus, q̃ iubet rata eſſe pacta. accuſatores obiiciũt legẽ, quæ uetat pactiones fieri contra leges, & dicunt ea pacta non debere eſſe rata. hæc controuerſia eſt ex contrariis legibus. Quintilianus ait nunquam eſſe legẽ

legi

legi contrariam iure ipſo. quia ſi diuerſum ius eſſet, alterum altero abrogaretur, ſed eas caſu collidi, & euentu, ut ſi ſit lex; Tyrannicidæ imago in gymnaſio ponatur. & item lex altera; Mulieris imago in gymnaſio ne ponatur. atq; accidat ut mulier tyrannũ occidat. nã neq; mulieris imago ullo alio caſu poni poteſt, neq; tyrannicidę ullo alio caſu ſubmoueri. uidendũ eſt igitur, utra lex potentior, utra antiquior, utra melior.

TEXT. *Et ſi ſit ambigua lex, ut quis eam torquere poſſit; tunc uidere oportet, in quam partem iuſtum, atque utile conueniat, deinde illo uti.*

COMM. Naſcitur etiam ex ambiguo ſępe controuerſia, quia quod ſcriptum eſt, duas aut plures res ſignificare poſſe videatur. tunc igitur in eo laborandũ eſt, vt eã interpretationem, quam nos adferimus, iuſtam atque utilem eſſe demonſtremus. de qua re multa Cicero ſecundo de Inuentione, vbi ponit etiam hoc exemplum legis; Meretrix coronam auream ne habeto, ſi habuerit publica eſto. contra eum qui meretricem publicari dicat ex lege oportere, poſſet dici, neque adminiſtrationem eſſe vllã publicæ meretricis, neque exitum legis in meretrice publicanda: & in auro publicando & adminiſtrationem & exitum facilem eſſe, & incommodi nihil ineſſe. Quintilianus libro ſeptimo ſcribit Amphiboliæ ſpecies eſſe innumerabiles, adeo vt Philoſophorum quibuſdam nullum videatur eſſe verbum, quod non plura ſignificet, genera uero admodum pauca. aut enim uocibus accidit ſingulis aut cõiunctis. in ſingulis, ut Gallus. utrum enim auem, an gentem, an nomen, an fortunã corporis ſignificet, incertum eſt. in coniunctis, ut, Aio te Aeacida Romanos uincere poſſe. Vnde eſt controuerſia; Hæres meus uxori meæ dare dãnàs eſto argenti, quod elegerit, pondo centum uter eligat, quæritur. uidendum eſt igitur aliquando uter ſit ſecundum naturam magis ſermo, ſemper utrum ſit æquius, utrum is, qui ſic ſcripſit ac ſic dixit, ſic uoluerit. M. Antonius ſecundo de oratore ait ambiguorum eſſe multa genera, quæ melius intelliguntur à Dialecticis, quam à Rhetoribus, ideo neceſſariam oratori Dialecticam ait Cicero, cum ob alia multa, tum præcipuè ut ſciat ambigua diſtinguere.

TEXT. *Et ſi res illæ, propter quas lata lex fuit, non amplius manent, lex tamen adhuc ſeruatur; tunc laborãdum eſt, ut id notum fiat, & hac ratione contra legem pugnandum.*

COMM. Cum accuſator nobis legem obiicit, quæ non amplius in uſu ſit, aut quæ propter eas res lata fuerit, quæ non amplius manent, diligenter id oſtendere debemus, atque ita legem eludere, & contra illam pugnare. quod Cicero pro C. Rabirio contra Labienum facit. namque hæc (inquit) tua, quæ te hominem clementem, popularemque delectãt; I lictor, colliga manus; quæ nõ modo huius libertatis, manſuetudiniſque non ſunt, ſed ne Romuli quidem, aut Numæ Pompilij, ſed Tarquinii ſuperbisſimi, atque crudelisſimi regis: iſta ſunt cruciatus carmina, quæ tu homo lenis, ac popularis libentisſimè commemoras; caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito: quæ uerba Quirites iampridem in hac Repub. non ſolum tenebris uetuſtatis, uerum etiam luce libertatis oppreſſa ſunt. & pro lege Man. contra Hortenſium; Obſoleuit iam iſta oratio re multo magis, quam uerbis refutata. & pro M. Cælio; uerum hæc genera uirtutum non ſolum in moribus noſtris, ſed uix iam in libris reperiuntur. chartæ quoque quæ illam priſtinam ſeueritatem cõtinebant, obſoleuerunt, neque ſolum apud nos, qui hanc ſectam rationemq; uitæ re magis, quam uerbis ſecuti ſumus, ſed etiã apud Græcos doctisſimos homines, quibus cum facere non poſſent, loqui tamen, & ſcribere honeſtè, & magnificè licebat.

TEXT. *Quod ſi ſcripta lex pro nobis facit, tunc dicendũ eſt, æquisſima ſententia iudicare, non eſſe ideo iudicibus conceſſum, ut contra legem aliquid ſtatuant; ſed ne fortaſſe peierent, ſi uim ac ſententiam legis non bene perceperint.*

COMM. Iam docuit quomodo contra uerba legis, ſententiam & æquitatem defendere posſimus, nunc ex altera parte docet, quomodo legem ſcriptam tueamur, ſi eius uerba pro nobis faciant. Ac primò, quoniam (ut ſupra diximus) iudicibus conceſſum erat, æquisſima uti ſentẽtia, docet quomodo hoc ad utilitatem noſtræ cauſæ traducere posſimus. dicemus enim hoc illis non ideo conceſſum eſſe, ut contra legem ſtatuant, & à uerbis legis diſcedant, ſed quia iurant ſe ex legibus iudicaturos, hoc additum eſſe, ne fortaſſe peierent, ſi quod ſcriptum eſt ſequentes, non ſatis benè intellexerint, quæ ſit legis uis ac ſententia. Quare oportere eos omnino quod ſcriptum eſt ſequi, niſi peierare uoluerint. hanc rem Cicero primo de Inuentione ſic expresſit; Iudices, qui ex lege iurati iudicatis, legibus obtemperare debetis, obtemperare autem legibus non poteſtis, niſi quod ſcriptum eſt in lege ſequamini. quod enim certius legis ſcriptor teſtimonium uoluntatis ſuæ relinquere potuit, quam quod ipſe magna cum cura atque diligentia ſcripſit? & quæ ſequuntur. Cicero & in primo de Oratore, & in Bruto tradit, quemadmodum in cauſa quadam M. Curij Q. Sceuola iuris peritisſimus ex ſcripto teſtamento torum iura defenderit, L. autem Craſſus contra ſcriptum pro æquo & bono pugnarit, & cauſam uicerit.

TEXT. *Et neminem eſſe, qui quod abſolutè bonum eſt, quærat; ſed quod ſibi ipſi.*

COMM. Aliud argumentum pro ſcripta lege, contra eos, qui æquum ac bonum defendunt. quamuis enim cõcedamus eſſe quiddam abſolutè bonum, tamen dicemus neminem eſſe qui illud quærat, ſed omnes id quærere, quod ſibi ſit utile. alioqui ſcriptis legibus non eſſet opus, ſi oẽs id, quod eſt abſolutè bonum ſequerentur. nunc leges ſcribuntur, nõ quæ mortalibus omnibus proſint, ſed q̃ eis tantum, qui in una ciuitate ſunt, ergo qui à

ſcriptis legibus diſcedit, is à ciuitatis utilitate atque ſalute diſcedit, quoniam in ſcriptis legibus, eſt ciuitatis ſalus.

TEXT. *Et nihil differre non latas eſſe leges, & in nullo eſſe uſu.*

COMM. Leges ideo ſcribuntur, vt in vſu ſint, & obſeruentur. quod ſi non eis obtemperetur, idem eſt, ac ſi nunquam latæ eſſent. qui ergo ſcriptum defendit, hoc vti argumento poteſt, ac dicere, nullá eſſe differentiam, vtrum nunquam latę ſint leges, an eis non pareatur.

TEXT. *Et in aliis artibus non utile eſſe diſcedere à præceptis, & callidè aliquid excogitare, ut contra medicũ; neque enim tantum detrimenti adfert erratum medici, quantum mala conſuetudo non illi parendi qui imperium habet.*

COMM. A ſimili ductum eſt hoc argumentum, artiũ præcepta diligenter obſeruari debent, neque contra ipſos artifices callide aliquid excogitandũ eſt, vt ſi ægrotus contra medicum ius vrgeret, atque illi parere recuſaret. licet. n medicus aliquãdo peccaret, non tamen tantum detrimẽtum ęgrotis adfert, illud medici erratum, quam ſi ſtatuerent omnino non eſſe medico parendum. hæc enim praua conſuetudo non parendi illis, qui imperium habent, multa inuehere detrimenta ſolet. idem etiã de legibus ſentiendum. quamuis. n. ſint aliquæ leges aſperiores, & quæ aliquo modo noceant, nõ tamen tantum leges illæ nocere poſſunt, quantũ ſi homines aſſueſcant legibus non obtemperare. licet tamen interdum à legibus diſcedere, cũ uel maior vtilitas ſequitur, vel ab eis quis ſoluitur. vnde Cæſar Auguſtus opera Virgilij potius conſeruare voluit, quam teſtamento parere, quod tamen leges uolunt, unde ita clamat;

Frangatur potius legum veneranda poteſtas
Quam tot congeſtos, noctesque dieſqne labores
Hauſerit vna dies.

ita Sinon Aeneid. 2. ſe legibus Græcorum ſolutum eſſe oſtendit;

Fas mihi graiorum ſacrata reſoluere iura,
Fas odiſſe uiros atque omnia ferre ſub auras
Siqua legunt, teneor patriæ nec legibus ullis.

TEXT. *Et hoc eſſe quod in probatis legibus prohibetur, nequis ipſis legibus quærat, aut uelit eſſe ſapientior. Et de legibus quidem hæc dicta ſint.*

COMM. Qui contra ſcriptam legem contendit, is iniurioſus eſt in eo, quod non decretis legum acquieſcens, probatas ab omnibus leges uiolat. nam hoc ipſum legibus prohibetur, nequis uideri uelit ſapientior eſſe legibus. qui autem à ſcripto diſcedit, is leges emendare uelle uidetur. Atque hæ quidẽ ſunt rationes quibus & pro legibus, & contra leges diſputare poteſt Orator. Cic. autem libro de Inuentione ſecundo copioſius etiam hãc diſputationem perſequitur. & Cornificius ad Herenniũ libro ſecundo, & Quintilianus lib. 7. qui tamẽ ab Ariſtotele non multum diſcrepant.

TEXT. *Teſtium uerò duo ſunt genera: nam alij ſunt antiqui, alij noui. nouorum autem partim periculi participes ſunt, partim extra periculum poſiti.*

COMM. Nunc aggreditur ad ſecundum genus probationis inartificioſæ, quod à teſtibus ducitur. ac primo teſtium genera diſtinguit, deinde in utranq; partem diſputare docet. facit ergo duo teſtium genera, quorum alii ſunt antiqui, ut poetę, oratores, hiſtorici, omneſque illuſtres auctores: alii uero noui, qui uel periculi participes ſunt, ſi mentiti fuerint, quales ſunt ij, qui in iudiciis iurati teſtimonium dicunt, uel ſunt extra periculum poſiti, ut ij, qui iam de aliqua re ſimili uel eadem iudicarũt. Cicero in Partitionibus duo teſtimoniorum genera facit, alterum diuinum ut oracula, auſpicia, Vaticinationes: alterum humanum, quod ſpectatur ex auctoritate & ex uoluntate, & ex oratione. Ariſtoteles quamuis non utatur hac diſtinctione, tamen etiam diuina teſtimonia attingit infra, cũ ait eſſe teſtes etiam rerum futurarum, ut uates & augures.

TEXT. *Antiquos teſtes uoco poetas, & claros auctores, uiroſque illuſtres, quorum ſunt aperta iudicia. ut Athenienſes Homeri teſtimonio de Salamine uſi ſunt.*

COMM. Exponit quinam antiqui teſtes dicantur. nempe qui clari ſunt atque illuſtres auctores, & quorum aperta ſunt iudicia. duo igitur hæc concurrãt neceſſe eſt, ut antiquus teſtis fide dignus habeatur, primò ut ſit illuſtris & clarus auctor. nam obſcuro auctori & ignobili non creditur. deinde ut eius iudicium ſit perſpicuum, & apertum, ne in aliam partem traduci poſſit. hoc autem Ariſtoteles exemplo probat. cum enim inter Athenienſes & Megarenſes eſſet orta controuerſia de Salamine inſula, quam utrique ſibi uendicabant, Athenienſes Homeri teſtimonio ſuperiores euaſerũt. qui quodam uerſu dixit, Aiacem è Salamine ſuas naues Athenienſibus iunxiſſe. Quam rem Quintilianus libro quinto capite de exemplis, ita narrat; Neque eſt ignobile exemplum Megareos ab Athenienſibus cum de Salamine contenderent, uictos Homeri uerſu. qui tamen ipſe non in omni editione reperitur, ſignificans Aiacem naues ſuas Athenienſibus iunxiſſe. Diogenes Laertius in Solonis uita, tradit, quoſdam affirmare uerſum illum à Solone compoſitum, & in Homeri Catalogo ab eodem inculcatum, ut Megareos de inſulæ poſſeſſione deturbaret, idem recitat etiam Plutarchus. conſtat autem Solonem non alia de cauſa inſaniam ſimulaſſe, niſi ut Athenienſibus ſuaderet, recuperandam eſſe Salaminem quam Megarenſes occuparant. Athenienſes enim graui diuturnoque bello uexati legem tulerant nequis de recuperanda Salamine uerba faceret, alioqui capitale eſſet. quod ægrè ferens Solon furere ſe ſimulauit, & in concionem profectus elegiam a ſe cõpoſitam cecinit, qua ita commouit Athenienſium animos, ut ſtatim bello repetendam eſſe Salaminem cenſuerint.

TEXT. *Nuper etiam Tenedij contra Sigienſes Periandri teſtimonio ſunt adiuti.*

COMM. Aliud addit exẽplum, qđ ſuo tempore acciderat, Tenedii (inquit) cum nuper contra Sigienſes

litiga-

litigarent, ex Periandri Corinthij poemate teſtimonium ſumpſerunt, quo ſuperiores euaſerunt. Tenedos inſula eſt in mari Aegęo e regione Troiæ propè Sigæum promontorium Troadis, in quo eſt vrbs eodem nomine, hoc eſt Sigæum appellata, vt ſuidas auctor eſt. cum igitur vicini eſſent Tenedij & Sigienſes, de finibus inter eos (ut ſæpe fit) orta eſt controuerſia, quam Periandri teſtimonio diremerunt. Periander enim Corinthius qui numeratur in ſeptem gręcię ſapientibus, poema quoddã ſcripſit, in quo bene uiuendi præcepta cõplexus eſt, nt auctor eſt Diogenes Laertius in ipſius Periandri vita. quod autem fuerit illud teſtimonium quo Tenedij ſunt adiuti non ſatis conſtat, quia Periandri ſcripta non habemus. neque Ariſtoteles id adiungit. ſed tamen intelligere poſſumus in Periandri opere fuiſſe quiddã quod Tenediorum cauſæ profuerit. fuerunt autem Tenedij in iudicaudo ſeuerißimi, adeo ut in iudicio ſemper carnifex aſtaret, & elatam ſecurim haberet, ut qui calumniæ conuictus fuiſſet, eum protinus uiuum ſecuri diſſecaret, vnde prouerbium; Tenedia ſecuris, de ſeuero iudicio; & Tenedius homo, de eo, qui truci & forminabili ſit aſpectu. & Tenedius patronus, qui cauſam quamcelerrimæ expedit. Cicero ad Q. fratrem libro Epiſt. 2. Tenediorum igitur libertas, tenedia ſecuri præciſa eſt. Virgilius eam inſulam ait olim fuiſſe nobilißimam;

Eſt in conſpectu Tenedos notißima fama
Inſula, diues opum Priami dum regna manebant.

ita dicta fuit à Tene Cygni filio qui in ea inſula urbem condidit, ut Cicero tertia in Verrem actione; Tenedo, prætereo pecuniam, quam eripuit, Tenem ipſum, qui apud Tenedios ſanctißimus Deus habetur, qui illam vrbem dicitur condidiſſe, cuius ex nomine Tenedus nominatur, hunc ipſum inquam Tenem pulcherrimè factum, quem quondam in Comitio vidiſtis, abſtulit magno cum gemitu ciuitatis.

TEXT. *Et Cleophon contra Critiam, Solonis elegijs uſus eſt, dicens, eius familiam iampridem fuiſſe petulantem, neque enim aliter Solon unquam ita cecinißet; Dic flauo Critiæ ut ſtudeat parere parenti.*

COMM. Cleophon orator quidam Athenis fuit, improbus ac turbulentus ciuis, de quo meminit Iſocrates in oratione de Pace, & Aeſchines contra Cteſiphontem. is cum in Critiam vnum è triginta inueheretur, & oſtendere uellet Critiæ familiã iampridem fuiſſe mollem ac petulantem, ex Elegijs Solonis verſum quendam citauit, in quo Solon quendam Critiam leniter taxabat; quod parẽti ſuo parere nollet, & ſe libidinibus traderet, atque admonebat, vt deinceps à parentis ſui conſilijs non diſcederet. dicebat igitur Cleophon; Nunquam certè Solon ea de Critia ſcripſiſſet, niſi mollis ac petulans fuiſſet. Solonis duo carmina, quibus hæc de Critia dicuntur, citat Proclus in Platonis Timæum ſcribens, quæ nos in latinum ſermonem ita conuertimus;

Dic flauo Critiæ vt ſtudeat parere parenti,
Errantem nam non audiet ille ducem.

Socrates tamen apud Platonem in Charmide, tradit Critiæ ſamiliam & ab Anacreone poeta, & à Solone fuiſſe celebratam, quòd in ea fuerint multi præſtantes viri, qui & corporis dignitate, & animi uirtutibus, & omnibus cæteris bonis, quæ beatam uitam efficiunt, multum excellerent. hic autem critias, quem Cleophon inſimulabat, fuit unus ex illis triginta tyrannis quos Lacedæmonij victis Athenienſibus impoſuerunt. qui licet ciuis Reip. vtilis non fuerit, tamen Ingenio plurimum ualuit, & eloquens in primis fuit. de quo ita Cicero tertio de Oratore; Quid Critias, quid Alcibiades? ciuitatibus ſuis quidem non boni, ſed certè docti, atque eloquentes, nonne ſocraticis erant diſputationibus eruditi? quin etiam poeta non malus idem Critias fuiſſe fertur. nam Athenæus libro decimo multos ex eius elegijs uerſus citat. & Plutarchus in Cimonis vita ſic ait; Critias uerò unus ex triginta tyrannis elego carmine diuitias Scopadum, mores & animum Cimonis, & Ageſilai trophæa precabatut.

Et rerum quidem præteritarum teſtes ſunt huiuſmodi; futurarum autem etiam uates & augures: ut Themiſtocles, cum nauali prælio confligendum eſſe, probare uellet, oraculum interpretatus eſt, quòd iubebat, ut ſe ligneo muro defenderent. TEXT.

COMM. Docuit qui ſint antiqui teſtes de præteritis rebus, nunc addit inueniri poſſe teſtes etiam de futuris. nam uates & augures quæ futura ſunt prædicunt. hinc tota Ciceronis orario de Reſponſis Aruſpicum. & tertia in Catilinam actione multa diſputat, de ijs, quæ prædixerant Aruſpices ex Hetruria acciti, & præcipue de Iouis ſimulacro, qđ ijdem facere maius, & in excelſo collocare, & contra atque ante fuerat, ad orientem conuertere iuſſerunt. quo facto ſtatim coniuratio Catilinæ patefacta eſt. Ariſtoteles Themiſtoclis exemplum citat, qui, quo tempore Xerſes Perſarum Rex cum innumerabili propè exercitu Græciam inuaſit, Athenienſium imperator factus, oraculum Apollinis interpretatus eſt, quod iubebat, ut Atheniẽſes ligneo muro ſe defenderent. ſuaſit. n. Themiſtocles Athenienſibus, ut urbem relinquerent, & naues ingreßi contra Perſas nauali prælio confligerent. nam eum eſſe ligneum murum, quo iubebat Apollo ut ſe Athenienſes tuerentut. hanc hiſtoriam Thucydides primo libro narrat, & Herodotus in Polymnia, qui oraculum etiam ponit multis uerſibus editum, inter quos illi duo ſunt, qui rem hanc complectuntur;

Iuppiter è ligno muris Tritonida donat,
Qui ſoli inuicti tibi ſint, natiſque ſaluti.

ſic enim Laurentius Valla interpretatus eſt. Iuſtinus de hac re ſecundo libro ſic ait; Aduẽtante igitur Xerſe conſulentibus Delphis oraculum, reſponſum fuerat, ſalutem muris ligneis merentur. Themiſtocles nauium pręſidium demonſtratum

ratus,

ratus, perſuadet omnibns, patriam municipes eſſe, non mœnia, ciuitatemq́ue non in ædificijs, ſed in ciuibus poſitam. melius itaque ſalutem nauibus quam urbi commiſſuros; huius ſententiæ etiam Deum auctorem eſſe.

TEXT. *Quin etiam prouerbia ſunt ex eo genere, quod dictum eſt, teſtimonia; ut ſiquis cuipiam ſuadeat, ne ſibi ſenem amicum facere ſtudeat, & hoc utatur prouerbio, In ſenem .e quod beneficium contuleris.*

COMM. Inter antiqua teſtimonia cenſet Ariſtoteles etiam prouerbia eſſe numeranda. quæ magnam ſæpe uim habent ad faciendam fidem, ut ait Quintilianus libro quinto, cuius ſunt bæc uerba; Ea quoque quæ uulgo recepta ſunt, hoc ipſo quod in certum auctorem babent, uelutomnium finnt: quale eſt, ubi amici, ibi opes. & cônſcientia mille teſtes. & apud Ciceronem, Pares autem, ut eſt in uetere prouerbio, cum paribus ſacillimè congregantur. Neque enim duraſſent hæc in æternum, niſi uera omnibus uiderentur. Cicero pluribus in locis prouerbia pro teſtìmonijs vſurpat. Ariſtoteles probat exemplo quomodo prouerbia naleant ad perſuadendum, & probandum, ſiquis (inquit) ſuadere cuipiam uelit, ne ſenis amicitiam appetat, prouerbium illud vſurpare poterit, In ſenem ne quod beneficium contuleris. ſenes enim uel cito moriuntur, ut reſerre gratiam non poſſint. uel ſemper in dies differunt, unde Horatius de Sene; Dilator, ſpe longus. apnd Diogenianum (ut Eraſmus citat) quinque genera ponuntur eorum, quibus benefacere non ſit utile. ſic enim præcipitur; neque in ſenes, neque in mulierem, neq; in puerum, neque in canem alienum, neq; in garrulum remigem beneficia colloces.

TEXT. *Et ſiquis hortetur quempiam, ut eos filios tollat, quorum patres iam necarit, illud proferat;*
Stultus qui natos occiſo patre relinquit.

COMM. Aliud addit exemplum omnino crudele & inhumanum, quod tamen ꝓuerbio uulgatum erat. cum quis (ait) patrem alicuius interfecerit, facile poterit impelli ut etiam filium interficiat, ſi carmen illud, quod prouerbio fertur, ei recitetur.
Stultus qui natos occiſo patre relinquit.
tradunt Philippum Macedoniæ Regem Alexandri Magni patrem id carmen in ore frequenter habuiſſe, & quoties patres interficeret, ſemper etiam filios interficere ſolitum. Milites qui Maximinum imperatorem trucidarunt, cum eius ét filium inuaderent dixiſſe memorantur; ex peſsimo genere ne catulum quidem eſſe relinquendum. Cyrus Perſarum Rex cum Lydorum defectionem audiuiſſet, dixiſſe fertur, idem mihi accidit, atque illi, qui cum patrem occiderit, eius liberis parcat. oſtendens manſuetudinem ſuam in Lydos defectionis fuiſſe cauſam.

TEXT. *Noui autem teſtes ſunt, qui, cum noti illuſtresq́; ſint, iam de aliqua re iudicium fecerunt: nam horum iudicia ſunt eis utilia, qui de iiſdem rebus ambigunt.*

COMM. Iam de antiquis teſtibus dixit, nunc ad nouos accedit, ac primo de ijs uerba facit, qui ſunt extra periculum poſiti. ſunt autem huiuſmodi teſtes uiri clari, atque illuſtres, qni iam de aliqua re iudicarunt. quod enim iam probatorum hominū ſententia confirmatum eſt, id omnino ijs utile eſt, qui de eadem re litigant. ut Cicero pro Archia poeta confirmat eum in ciuitatem retinendum, quod eum & Tarentini, & Rhegyni, & Neapolitani ciuitate, cæteriſq́; præmiis donarunt, & qđ omnes, qui aliquid de ingenijs poterant iudicare, cognitione atque hoſpitio dignum exiſtimarunt. hæc autem appellãtur à Latinis præiudicia, qualia in Opianicum facta dicuntur à Cicerone pro A. Cluent. & à Senatu aduerſus Milonem. confirmantur præcipuè duobus (ut ait Quintilianus) auctoritate eorum, qui pronunciauerunt, & ſimilitudine rerum de quibus quæritur. raro autē reſelli poſſunt, niſi forte manifeſta in eis culpa erit. aut ſi non uera eſſe dicantur. quod Cicero ꝓ Milone facit. probat enim non eſſe uerum quod ab inimicis Milonis dicebatur, cædem qua P. Clodius occiſus erat, ſenatum iudicaſſe cõtra Remp. eſſe factam. & cn. Pompeium rogatione ſua, & de re, & de cauſa iudicaſſe. Verum Ariſtoteles id, quod propoſuit, exemplo declarat.

Vt Eubulus in iudicijs contra Charetem uſus eſt eo, quod aduerſus Archibium Plato dixerat, rē hanc increbreſcere; pluresq́; eſſe in ciuitate qui ſe improbos eſſe fateantur. TEXT.

Plato etiam dum uiueret in magno honore ac pretio ſuit, & eius ſapientia tanta habebatur, ut eius dicta quaſi teſtimonia putarentur. itaq; cum in ſermone contra quendam Archibium aliquando mores Atbenienſium taxaſſet, & dixiſſet eo iā rem perueniſſe, ut nihil homines puderet, ſed plures in ciuitate reperirentur, qui ſe improbos eſſe ſateri non uererentur. hoc Platonis dictum Eubulus orator arripuit, & cum in iudicio Charetem accuſaret, ut in eum magis iudices accenderet, quo publicam maleſaciendi licentiam reſrenarent, dixit id eſſe uerum quod Plato dixerat, multos eſſe qni propter impunitatem maleficiorum, ea confiteri non dubitarent. Eubulus orator Athenienſis fuit, de quo multis in locis Demoſthenes meminit, & præcipuè in oratione contra Midiam Diogenes Laertius in Xenophontis vita, tradit Eubulum rogationem tuliſſe. vt Xenophon relegaretur, atque eundem poſtea etiam tuliſſe vt reſtitueretur. meminit huius etiam Plutarchus in vita Phocionis, & ait eum cum Demoſthene & Hyperide ſibi tantum è ſoro, atque curia gloriam quæſiuiſſe. Ibidem etiam Charetis meminit, quem rei militaris ſtudioſum fuiſſe oſtendit. & imperatorem ualde ſtrenuum. tradunt hunc in promittendo ſacilem fuiſſe, adeo vt nihil vnqnam cuiquam denegaret, ſed deinde nihil ferè præſtare ſolitum. vnde ſactum vt, Charetis pollicitationes, prouerbio dicerentur, de ijs qui benignè promitterent, ſed promiſſa non ſeruarent. COMM.

Noui etiam teſtes ſunt, qui periculi participes ſiunt, TEXT.

ſiunt, ſi mentiri uiſi fuerint.

COMM. Teſtes quos hactenus numerauit, ſunt extra periculũ. qui uero teſtimonium in iudicio dicunt, ſunt periculi participes, non quidem eius, in quo reus eſt, ſed quia ſi mentiti fuerint, uel mercede corrupti, uel alicui gratificantes, grauiter puniuntur. in his autem tractandis maximus eſt patronis ſudor, ut ait Quintilianus, nam & laudandi ſunt, ſi nos eis utimur, & uituperandi, ſi contra nos dixerint. vnde in actionibus communis eſt locus à teſtibus & contra teſtes. Itaque ſi nos teſtes producimus, eorum auctoritatem, fidem, religionem prædicabimus. ut Cicero pro Archia poeta; Adeſt vir ſumma auctoritate & religione, & fide L. Lucullus, qui ſe non opinari, ſed ſcire, non audiuiſſe, ſed uidiſſe, non interfuiſſe, ſed egiſſe dicit, ſi contra nos producuntur, eorum turpitudinem, infamiam, ſcelera notabimus, ut pro L. Flacco; Nicomedes qui neque in Senatum ulla conditione peruenire potuit, & furti, & pro ſocio damnatus eſt. ſed multa ſunt apud Ciceronem in utranque partem exempla. nonnunquam roti nationi fidẽ adimit, vt pro Flacco Græcis omnibus, pro Fonteio Gallis.

TEXT. *Atque huiuſmodi teſtes tantum illud teſtantur; factum fuerit nec ne, ſit an non ſit: de qualitate uerò nihil dicunt; ut ſi iuſtum an iniuſtum ſit, utile an inutile.*

COMM. Noui teſtes, qui periculi participes ſunt, tantum de facto teſtari poſſunt, non autem de facti qualitate. quare tantum uel factum eſſe dicunt id, de quo eſt controuerſia, uel non factum, uel eſſe, uel non eſſe. vtrum autem ea res iuſta ſit an iniuſta, vtilis an inutilis non ſolent addere. nam hoc vel ad iudices ipſos attinet, vel ad eos, qui magna auctoritate præditi ſunt. Quod ſi teſtes huiuſmodi aliquid de qualitate dicere uoluerint, merito poſſunt irrideri. ſicuti Cicero pro L. Flacco; Timolites ille vicanus, homo non modo nobis, ſed ne inter ſuos quidem notus, vos docebit qualis ſit L. Flaccus? reſpuitur ergo ſiquid de iuſto aut iniuſto teſtes dixerint, & ſtatim in ſuſpicionem ueniunt aut reo, aut accuſatori velle gratificari.

TEXT. *Qui autem remoti ſunt, etiam de his maximè ſunt idonei teſtes. ſed omnium maximè fide digni ſunt antiqui; quia corrumpi non poſſunt, & probationes ab eorum teſtimonijs ducuntur.*

COMM. Remotos teſtes vocat, præiudicia vel à Senatu, vel à iudicibus, vel ab aliquo præclaro viro facta, atque etiam ea teſtimonia, quæ uel à poetis, vel ab illuſtribus auctoribus ſumuntur. teſtes igitur huiuſmodi à cauſa remoti, qui antea vel de eadem re, vel de ſimili pronũtiarunt, etiam de qualitate pronunciaſſe uideri poſſunt. hoc eſt oſtendiſſe, vtrum res ſit iuſta an iniuſta. & hoc eſt, quod Milonis aduerſarij dicebant, cædem qua P. Clodius occiſus eſt, Senatum iudicaſſe, contra Remp. eſſe factam. & pro A. Cluentio præiudicia, quæ contra Opianicum facta fuerãt, condemnatis ijs, qui ſcelerum eius participes fuerant, quam improbus & impius eſſet Opianicus oſtendunt. Sed antiqui teſtes maximè omnium fide digni ſunt, carent. n. omni ſuſpicione corruptelæ, quia non amplius viuunt neque de futuris diuinaſſe, ac prædixiſſe veriſimile eſt. & quanto præſtantiores ſunt auctores, tanto etiam firmiores probationes ab eorum teſtimoniis ducuntur. Cicero pro P. Seſtio multos verſus ex Accii tragœdiis citat ad ea probanda quæ ſibi propoſuerat. & pro Archia poeta præter cætera quibus probet retinendum eſſe Archiã in ciuitate, Ennii etiam teſtimonium citat, qui ſanctos eſſe poetas dixerat.

TEXT. *Quod ſiquis teſtes non habeat, poterit dicere, iudicium ex argumentis fieri debere; & hoc eſſe æquiſſima ſententia iudicare: neque enim argumenta pecunijs deprauari poſſunt; neque coargui ſolent, quod mentiantur, aut fallant.*

COMM. Cum iam docuit quot genera teſtium ſint, & quomodo diſtinguantur, nunc in vtranque partem præcepta dat, ac docet quomodo teſtium auctoritas vel augeri dicendo, vel minui poſsit. ac primo, qua ratione poſsit imminui. cum enim aliquis teſtes non habet, dicet iudicium non ex teſtibus, ſed ex argumentis fieri debere, & hoc eſt, qđ iurati ſunt iudices æquisſima ſententia ſe iudicaturos. nam argumenta firma ſunt ac certa, neque vllo modo pecuniis deprauari poſſunt, quod in teſtibus plerunque fit. neque argumenta mentiri aut fallere ſicuti ſæpe teſtes conſueuerunt. Eadem ferè docet Cornificius ad Herennium libro primo; plus oportere ſignis, & argumentis credi, quã teſtibus: hæc enim eo modo exponi, quo modo re vera ſunt geſta: teſtes corrũpi poſſe vel precio, uel gratia, vel metu, vel ſimultate. Ci. ꝑ M. Cælio diligenter hæc perſequitur, quæ Ariſtoteles hoc loco præcipit; Equidem vos abducã à teſtibus, neq; huius iudicii veritatem, quæ mutari nullo modo poteſt, in voluntate teſtium collocari ſinam, quæ facillime effingi, nullo negocio flecti ac detorqueri poteſt: argumentis agemus, ſignis omni luce clarioribus crimina refellemus. &c.

TEXT. *Qui teſtes habet contra eum qui non habet, dicet, argumenta, nequaquam pœnæ ſubiecta eſſe; nihilque opus fore teſtimonijs, ſi ad probandum uerba ſufficerent.*

COMM. Docet quomodo fides teſtibus adiungi poſsit. nam qui teſtes habet, dicet argumentis non eſſe credendum, quæ liberius fingi poſſunt, quia pœnæ non ſubiacent, teſtes autem cum ſciant ſibi ꝑparatam eſſe pœnam ſi falſa dixerint, tantum quæ vera ſunt, dicere. deinde à conſuetudine ducet argumentum, ideo teſtes in iudicium adduci ſolere, quia non putant argumentis fidem adhibendam. quod ſi verba ſufficerẽt, nihil opus eſſet teſtes adducere. Cicero pro Archia poeta, teſtes ſuos ita corroborat; Eſt ridiculum ad ea, quę habemus, nihil dicere, quærere quæ habere non poſſumus; & de hominum memoria tacere, literarum memoriam flagitare; &, cum habeas amplisſimi viri reli-

gionem,

gionem, integerrimi mnnicipii iuſiurandum fidemq́;, ea, quæ deprauari nullo modo poſſunt, repudiare, tabulas, quas idem dicis ſolere corrumpi, deſiderare.

TEXT. *Sunt autem teſtimonia uel de ſe ipſo, uel de aduerſario, uel de facto, uel de uita ac moribus. itaque perſpicuum eſt, nunquam fore, ut teſtimonio utili careamus. nam ſi de facto teſtimonium habere non poſſumus, quod aut cauſam noſtram confirmet, aut aduerſarij refellat; certè de moribus non deerit teſtimonium, quod uel æquitatem noſtram oſtendat, uel improbitatem aduerſarij.*

COMM. Magnam eſſe vtilitatem teſtimoniorum oſtendit, & tamen nullum eſſe, qui non in iudicio copiam eorum habere poſsit. ſunt enim (inquit) teſtimonia, vel de ſe ipſo, vel de aduerſario. de ſe ipſo, quoniam patronus & reus pro vna perſona ponitur, cum orator vel ſe vel reum innocentem eſſe teſtibus probat, vt pro M. Cælio, cum aduerſarij dixiſſent Cælium neque parentibus neque ciuibus eſſe probatum ſuis, refellit hoc crimen Cicero teſtimonio patris & matris, & Puteolanorũ municipum, qui Romam ideo venerant, vt Cæliũ laudarent. de aduerſario, cum orator probat teſtibus eum, vel id commiſiſſe facinus, quo inſimulatur, vel inquinatis eſſe moribus. quod actionibus in Verrem frequentiſsimè Cicero facit. præterea teſtimonia ſunt, vel de facto, vel de vita & moribus. de facto, vt accuſatur L. Flaccus de repetundis, quod Aſiam prouinciam expilarit. negat hoc ſe feciſſe Flaccus, ad ſunt Aſiatici teſtes, qui hoc dicunt. de vita & moribus, vt accuſatur à Fannio Cherea Roſcius comœdus, quod Fannium quadam pecuniæ ſumma fraudarit. negat Roſcius ſe fraudaſſe. Cicero de vita & moribus Roſcij verba faciens, & probum eum eſſe virum, atque ab omni ſcelere alienum oſtendens, ipſorum iudicum teſtimonio vtitur. hac ratione (inquit Ariſtoteles) nnnquam vtill teſtimonio carebimus. ſemper enim vel de facto, vel de vita ac moribus teſtes inueniemus. ergo ſiquando nullnm de facto teſtimonium habere poterimus, quod vel cauſam noſtram adiuuet, vel aduerſarij deprimat, ad vitam & mores confugiemus, & teſtes adducemus vel de æquitate noſtra, & eius quem defendimus, vel de aduerſariorum improbitate. quarum rerum exempla paſsim apud Ciceronem reperiuntur.

TEXT. *Reliqua uerò, quæ de teſte quæri ſolent, amicus ſit an inimicus an neutrum, & ſpectatæ fidei an infamis an medius; et quæcunque ſunt eius generis differẽtiæ, ex eiſdem locis ſumuntur, unde etiam enthymemata ducuntur.*

COMM. In teſtibus ſæpe ſpectatur amici ne ſint, an inimici, an neutrum, ſed medio quodam modo affecti. nam amici teſtimonio ſuo conantur amicum ſubleuare, inimici contrà deprimere volunt inimicum, qui verò neque amici neq; inimici ſunt, plerumque veriores eſſe ſolent. præterea conſideratur vtrum ſpectatæ fidei ſint teſtes, an infames, an medij. nam probi ac religioſi viri nunquã mentiuntur, ac ne pro amico quidem. illud enim Periclis dictum ſeruant; Amicis adeſſe oportet vſque ad aras. hoc eſt, vt ne pro amicitia religio violetur. itaque qui teſtes producit, debet eos probos eſſe viros oſtendere. Infames autem atque improbi homines facile ad peierandum inducuntur, neque teſtimonij religionem curant, quales eos oſtẽdit eſſe Cicero, qui contra Flaccum teſtimonium dixerunt. Medij viri, qni neque omnino probi ſunt, neque penitus improbi facile vel propter amicitiam, vel propter magnum præmium inducuntur, ut falſum dirant. hæc autem omnia, cæteraq́; eiuſdem generis, qnomodo tractanda ſint, lnueniet orator ex eiſdem locis, vnde etiam argumenta ducuntur.

TEXT. *Quod ad tabulas attinet, quibus pacta & conuenta continentur, nulla alia oratione opus eſt, niſi ut eas orator augeat, aut deprimat; fidem eis addat, aut adimat. nam ſi pro ſe faciunt, illis fidem addere, ratasq́ue facere, ſi pro aduerſario, fidem adimere contendat.*

COMM. Cum tabulæ proferuntur in iudicijs, quibus pacta, & conuenta aliqua, vel contractus, vel teſtamenta, vel ſtipulationes, vel aliquid eius generis contineatur, nullum aliud officium eſt oratoris, niſi vt oratione ſua vel earum auctoritatem augeat, vel eleuet atque imminuat. Vel ratas eſſe debere oſtendat, vel irritas. hæc enim argumentando peritus orator facile cõſequetur. Itaque ſi pro ſe facere tabulas intelligat, eis fidem addere conabitur. ſi pro aduerſario, multis rationibus fidem eis adimet. Cicero pro Archia poeta commendat eas tabulas quibus Archias profeſſus fuerat, ſic enim ait; At non eſt profeſſus. immò uero ijs tabulis profeſſus, quæ ſolę ex illa profeſsione collegioq́ue Prætorum obtinent publicarum tabularum auctoritatem. & quæ ſequuntur. Quintilianus libro quinto, contra tabulas quoquæ ſæpe dictum (inquit) ſæpe dicendum eſt, cum eas non ſolnm refelli, ſed etiam accuſari, ſciamus eſſe vſitatum.

TEXT. *Quod autem ad fidem eis addendam, aut adimendam ſpectat, nihil differt à teſtium tractatione: quales enim ij fuerint, qui tabulas ſcripſerint, aut aſſeruarint, talem etiam fidem habebunt ipſæ tabulæ.*

COMM. Quibus rationibus fides teſtibus aut additur, ant adimitur, ijſdem (inquit) etiam ipſis tabulis. nam tales habentur tabulæ, quales ij ſnnt, qui eas vel ſcripſerunt, vel aſſeruarint. Quintilianus ait in tabulis vel ſignatorum ſcelus vel ignorantiam accuſari, ſed tutius ac facilius eſſe de ignorantia, qnam de ſcelere dicere, quia pauciores rei fiunt. videtur autem Quintilianus appellare ſignatores, qnos Ariſtoteles vocat ἐπιγεγραμμένοι. Cicero pro Archia poeta docet propter cuſtodes etiam tabulas infamari ſolere. Nam cum (inquit) Apii tabulæ negligentius aſſeruatæ dicerentur, Gabinii, quandiu incolumis fuit, leuitas, poſt damnationem calamitas omnem tabularum fidem reſignaſſet,

gnaſſet, Metellus homo ſanctiſsimus modeſtiſsimuſq; omnium, tanta diligentia fuit, vt ad L. Lentulum Prætorem, & ad iudices venerit, & vnius nominis litura ſe commotum eſſe dixerit. cum igitur tabulas probabimus, dicemus earum ſignatores, & cuſtodes optimos eſſe viros, cum autem improbabimus, contrà dicemus.

TEXT. *Cum autem certum eſt tabulas eſſe confectas; ſi pro ſe faciunt, debet eas orator augere, dicens, eas propriæ ac priuatæ legis uim habere.*

COMM. Nunc præcepta tradit in vtranque partem quo modo tabulæ uel confirmari, uel infirmari poſſint. ac primo quibus rationibus confirmentur oſtendit. Si conſtat (inquit) tabulas eſſe cõfectas, quæ cauſæ noſtræ ſint utiles, poterimus earum auctoritatem dignitatemq́ue augere, dicentes, tabulam pacti & conuenti, uim eandem habere, quã propria ac priuata lex habet. quare non minus tabulas, quam leges obſeruandas eſſe. Cicero ſecundo de Inuentione, Pactum eſt (inquit) quod inter aliquos conuenit, quod iam ita iuſtum putatur, ut iuri præſtare dicatur. quibus ex uerbis intelligitur quanta uis pactorum ſit, ut etiam legibus præſtent. quod etiam Cornificius ad Herennium libro ſecundo ſic affirmat; Sunt item pacta quæ ſine legibus obſeruantur, ex conuentu, quæ iuri præſtare dicuntur.

TEXT. *Et tabulæ quidem ratam legem non faciunt; leges autem eas tabulas, quæ legitimæ ſunt, corroborant.*

COMM. Aliud argumentum ad tabularum confirmationem. nam tabulæ quidem non confirmãt legẽ. quia quod inter duos aut plures conuenit, non alios aſtringit, ſed leges uolunt pactiones legitimas eſſe ratas. nam legibus cauetur, ut qui aliquid inter ſe pepigerint, modo ne ſit iniuſtum, diligenter obſeruetur. Itaque maximam tabularum uim eſſe oportet, quæ etiam à legibus corroboretur. Cornificius ad Herennium libro ſecundo ſic ait; Pacta ſunt, quæ legibus obſeruanda ſunt, hoc modo; Rem ubi pagunt, oratione pagunt, in comitio aut in foro ante meridiem cauſam coniicito. ſcitè vero Ariſtoteles adiunxit, quæ legitimæ ſunt. nã ſi tabulæ pacti & conuenti, contra leges fuerint, nullam omnino uim habent. quod Antoninus Imperator ita Baſilicæ reſpondit; Pacta quæ contra leges conſtitutioneſque, uel contra bonos mores fiunt, nullam habere uim indubitati iuris eſt. quo in loco multa ſubtiliter Alciatus diſputat.

l. Pacta C. de Pactis.

TEXT. *Et omnino lex pactum quoddam & conuentum eſt: itaque ſiquis pacti & conuenti tabulas aufert, leges etiam ipſas tollit.*

COMM. A definitione legis argumentum ducit, quo pacta eſſe obſeruanda demonſtret. nam lex (inquit) eſt pactum & conuentum quoddam. niſi enim ita conuenirent inter ſe, & paciſcerentur homines, nullæ ſcriptę leges eſſe poſſent. ſiquis igitur pacta omnia & conuenta auferat, ille etiam leges ipſas euertet. nam pactum eſt tanquam genus, lex tanquam ſpecies, uerum ſublato genere tolluntur etiam ſpecies, ut ſi nulla ſit uirtus, neque iuſtitia eſſe poterit, ita ſi nullum ſit pactum neque lex ſcripta erit ulla. diligenter ergo pacta ſunt ſeruanda, ne leges uiolentur. hoc eſt quod Cicero tertio de officiis ait; Regulus non debuit cõditiones & pactiones bellicas perturbare periurio. ſtatuebãt autem Prętores pacta & promiſſa eſſe ſeruanda, quę nec ui nec dolo malo facta ſint, ut eodem in libro docet Cicero, niſi tamen ęquitas aliud poſtulet.

Præterea maior pars eorum, quæ homines inter ſe contrahunt, & ſponte faciunt, tabulis continentur: itaque ſiquis eas irritas faciat, omne commercium hominum inter ſe tolletur. Et alia, quæ huic diſputationi conueniunt, ſatis patent, in promptuq́ue ſunt. TEXT.

Hoc formiſsimum eſt argumentum, ad tabularum auctoritatem confirmandam. nam omnia ferè quę homines inter ſe ſua ſponte contrahunt; tabulis continentur, ut emptiones, venditiones, ſtipulationes, obligationes, pacta, promiſſa, teſtamenta, legata, donationes, plurimaq́; eius generis alia. quod ſi tabulę fiant irritę, nullaque ſit earum auctoritas, nullum erit inter homines commercium, nemo alteri fidem habebit. nullus erit, qui ſecurè poſsit aliquid contrahere. Quod autem Ariſtoteles συνάλλαγμα uocat, iuriſconſulti noſtri contractum dicunt, quod Vlpianus teſtatur, in lege, Labeo, de uerborum ſignificatione; contractum (inquit) ultro citroq́; obligationem eſſe, quem gręci συνάλλαγμα uocãt, ueluti emptionem, uenditionem, locationem, conductionem, ſocietatem. apud Ciceronem, licet contractus in ea ſignificatione minime reperiatur, tamen contrahere ſæpe idem eſt, quod apud Græcos συναλλάττεσθαι, ideſt ultro citroque ſe uiciſsim obligare, ut in ſecundo de officiis; in omni re contrahenda, uendendo, emendo, conducendo, locando, in uicinitatibus & confiniis æquum & facilem. & alibi eodem in libro; Atque his etiam, qui uendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendiſq́; negociis implicantur, iuſtitia ad rem gerendam neceſſaria eſt. ſummam uerò facit huius diſputationis Ariſtoteles, dicens, alia eſſe eminentia & prompta, quæ pro tabulis dici poſſunt. COMM.

Quod ſi tabulæ nobis contrariæ fuerint, & pro aduerſarijs faciant; primo quæ ſupra diximus de contraria lege, conuenient ad hanc rationem omnia. nam perabſurdum eſſet, cum male poſiti legibus, quibus nos legiſlatores decipiunt, parendum eſſe non putemus, ſi tabulis parere neceſſarium eſſe dicamus. TEXT.

Alteram diſputationis partem ingreditur, & docet quid agendum ſit, cum tabulæ nobis contrariæ fuerint: & aduerſariorum cauſa adiuuerint. primo (inquit) iiſdem argumentis uti poſſumus, quibus ſupra diximus utendum eſſe, cum legem nobis contrariam habemus. deinde comparatione utemur hoc modo; ſi leges, quæ ſunt inutiles, abrogandas eſſe cenſemus, neque illis parendum COMM.

existima-

existimamus, cur non multo magis iniquá pacta reſcindere poſſumus? res enim prorſus abſurda eſſe videretur, cum pro communi vtilitate ſæpe leges extinguantur, & pro æquitate ab eis plerunq; diſcedatur, ſi neceſſarium eſſe putemus, omnia, quæcunque tabulis continentur, eſſe ſeruanda. cum præſertim longè minori periculo tabulæ repudientur, quam leges abrogentur. hæc autem comparatio maximam vim habebit ad tabulas infirmandas, modo probare poſsimus aliquid iniquitatis in eis latere, quòd vel dolo malo, vel vi, vel ignorantia ſint confectæ. vel deniqne contra id, quod ius æquumque poſtulabat. hinc actiones apud iuriſconſultos, De inofficioſo teſtamento, Quod metus cauſa, De dolo malo. & reliqua.

TEXT. *Deinde iudicem ipſum eſſe iuſtitiæ diſpenſatorem dicemus: non igitur tabulas ſpectare; ſed id, quod iuſtius eſt, debet.*

COMM. Ab officio iudicis argumentum contra tabulas ducere licebit. iudex enim eſt tanquam iuſtitiæ diſpenſator, qui nihil aliud in iudicando proponere ſibi debet, niſi quod iuſtum, æquumque poſtulat. non igitur ab eo tabulę ſpectandæ ſunt, ſed id, quod iuſtius eſſe videatur. & ſecundum id ſententiam ferre debet. Quod autem nos iuſtitiæ diſpenſatorem vertimus, Ariſtoteles τοῦ δικαίου βραβευτὴν eleganti metaphora dixit. Nā Brabeutæ dicebantur illi, qui gymnicis ludis præerant, vt Iulius Pollux libro tertio docet, hi (quemadmodum Phauorinus ſcribit) lauream virgam manu tenebant, quam victori ludorum gymnicorum porrigebant. erant igitur Brabeutæ propriè ludorum tantum iudices, ſed Ariſtoteles hoc loco transfulat ad iudiciales controuerſias. ſicut etiam nos diſpenſatorem iuſtitiæ trāslatè diximus. ſunt enim propriè diſpenſatores, qui res domeſticas tractāt, & earum curam ac rationem habēt. hinc diſpenſa-
7.ca.39. torem belli Plinius dixit, hoc eſt adminiſtratorē. & Cicero pro Rabirio, dicit Rabirium diſpenſationem regiam ſuſcepiſſe.

TEXT. *Et iuſtum quidem nemo detorquere poteſt neque fraude, neque neceſſitate ulla; quia natura tale eſt: tabulæ uerò & deceptis, & coactis hominibus ſæpe fiunt.*

COMM. Aliud argumentum à comparatione, quod ſequitur iudicis officium, quem iuſtitiæ adminiſtratorem eſſe dixit. iudex debet iuſtum ſequi, nō autem tabulas. iuſtum enim eſt einſmodi, quod neque fraude alicuius, neque ulla neceſsitate cōmutari poſsit, cum ab ipſa natura tale proficiſcatur. at vero tabulæ ſæpe fiunt, vel per fraudem ac dolum, vel per vim; cum homines vel decipiuntur, vel coguntur.

TEXT. *Ad hæc ſpectare oportet, an alicui legi uel earū, quæ ſcriptæ ſunt, uel quæ ſunt communes; an rebus iuſtis & honeſtis tabulæ contrariæ ſint.*

COMM. Addit quaſdam cautiones quæ facile poſsint tabularum fidem euertere. ut ſi vel propriæ legi alicui, vel communi repugnent, aut rebus iuſtis & honeſtis ſint contrariæ. Leges autem communes hoc loco ſicut etiam ſuperius appellat partes iuris naturalis, & iuris gentium. neceſſe eſt autē iniquas eſſe pactiones, quæ vel contra leges, vel contra honeſtatem fiunt.

TEXT. *Videndum etiam eſt, an tabulæ quæ proferuntur, alijs tabulis uel poſterioribus, uel prioribus contrariæ ſint: uel enim poſteriores erunt ratæ, uel priores irritæ; uel ſi priores rectæ ſint; in poſterioribus erit fraus; id autem arripiemus, quod cauſæ noſtræ utile fuerit.*

COMM. Sæpe etiam inter ſe tabulæ conferuntur, ut aliæ cōfirmentur, aliæ refellantur, & pcipue ſi contrariæ fuerint. nam tunc neceſſe eſt, vel priores irritæ ſint, vel poſteriores. neque enim ſi contrariæ ſunt, ambo poſſunt eſſe ratæ. quare tunc arripiemus eas defendendas, quæ cauſæ noſtræ vtiliores eſſe videbuntur. ſiue illæ priores, ſiue poſteriores fuerint. Cicero pro Roſcio Comœdo comparat aduerſaria cum tabulis, & tabularum auctoritatem auget, quia Fannius aduerſarius nullas habebat tabulas, aduerſaria vero deprimit, & nullius auctoritatis eſſe oſtendit, quoniam Fannius tantum aduerſaria proferebat. vocant autem Latini Aduerſaria, tabulas quaſdam tumultuarias, quæ ſine ordine fiebant, tantum ne memoria exciderent ea, quæ in illis ſcribebantur. poſtea vero ex aduerſarijs tabulę iuſtæ atque ordinatæ fiebant. ſic igitur ait Cicero; Quid eſt, quòd negligenter ſcribamus aduerſaria? quid eſt, quòd diligenter conficiamus tabulas? qua de cauſa? quia hęc ſunt mēſtrua, illę ſunt æternę: hęc delentur ſtatim, illę ſeruantur ſanctè: hęc parui temporis memoriam, illę perpetuę exiſtimationis fidem, & religionem amplectuntur: hęc ſunt deiecta, illę in ordinem confectę. itaque aduerſaria in iudicium protulit nemo, codicem protulit, tabulas recitauit.

TEXT. *Conſiderāda eſt etiā utilitas; & ſi qua in re tabulæ iudicibus aduerſentur; & c. eius generis, quæ facile uideri, atque intelligi poſſunt.*

COMM. Quia iudices, ſicuti etiam cęteri homines, vtilitatem propriam ſequuntur, & detrimenta fugiunt, ideo debet orator aduertere, an tabulę quę proferuntur ab aduerſariis, iudicibus aliquo modo nocere poſsint, atque illud aperire, planumque facere. ſic enim facile iudices eas tanquam iniquas repudiabunt. poſſent etiam alia multa proferri contra tabulas, ſed quoniam ex eis, quę dicta ſunt, ſine difficultate poſſunt intelligi, ideo prætermittit ea Ariſtoteles, & ad quæſtionea tranſit.

TEXT. *Quæſtiones uerò, teſtimonia quædam ſunt; quæ uidentur ea de cauſa fidem facere, quia neceſsitas quædam eis ineſt. itaque non difficile eſt earum uim intelligere, & quæ de ipſis dici poſſunt excogitare.*

COMM. Quartum genus probationis inartificioſę quęſtiones continēt: ſunt autem quęſtiones quandò quis torquetur & cruciatur vt verum dicat, ideo Quintilianus tormēta vocat, Ariſtoteles βασάνους. nā βασανίζειν eſt quęſtionem habere de aliqua re. vult autem Ariſtoteles eſſe quędam teſtimonia, nempe coacta, & quadam neceſsitate expreſſa, ſicut

cut etiam Cicero in Partitionibus. quoniam igitur adeſt neceſsitas, videntur vera dicere qui torquentur. Quintilianus ita inquit; cum pars altera quęſtionem vera fatendi neceſsitatem vocet, altera ſępe etiam cauſam falſa dicendi. quod aliis patientia facile mendacium faciat, aliis infirmitas neceſſarium. Cicero in Topicis ſic de hac re ait; Facit etiam neceſsitas fidem: quę tum à corporibus tum ab animis naſcitur. nam & verberibus torti, & igni fatigati quę dicunt, ea videtur veritas ipſa dicere: & quę à perturbationibus animi fiunt dolore, cupiditate, iracundia, metu, quia neceſsitatis vim habent, adferunt auctoritatem & fidem. ſed non eſt difficile (inquit Ariſtoteles) quid quęſtiones valeant intelligere, & quid in vtranq; partem dici poſsit inuenire.

TEXT. *Nam ſi pro nobis faciant; eas augere poterimus, ac dicere ſolas ex omni genere teſtimonium eſſe ueras.*

COMM. Si quęſtiones cauſam noſtram adiuuant, debemus earum auctoritatem augere, ac dicere ſolum hoc teſtimoniorum genus eſſe verum, cui neceſſitas adhibetur. Cice. in Partitionibus ita inquit; Sin quæſtiones habitę, aut poſtulatio vt habeantur, cauſam adiuuabunt, confirmandū genus primum quęſtionum erit, dicendum de vi doloris, de opinione maiorum, qui eam rem totā niſi probaſſent, certè repudiaſſent; de inſtitutis Athenienſium, Rhodiorum doctiſsimorū hominum: apud quos etiam (id quod acerbiſsimum eſt) liberi, ciueſque torquentur. &c. nam apud Romanos liberum hominem torqueri nefas erat. neque etiam de ſeruis in dominos quęri licebat, niſi vel de inceſtu, vel de rebus atrociſsimis, vt de coniuratione in patriam. nam conſule Cicerone detecta Catilinę coniuratione de ſeruis in dominos quęſitū eſt. ut in Partitionibus ait idem Cicero pro Roſcio Am. cum Cicero patronus ſeruos in quęſtionem poſtularet, qui pręſentes erant cum Roſcius pater interficeretur, & aduerſarii recuſarent eos in quęſtionem dare, concludit Cicero nihil intereſſe vtrum aduerſarii quęſtionem recuſent, an de maleficio confiteantur.

TEXT. *Quod ſi nobis contraria fuerint, & pro aduerſario faciant; ueritatem earum euertere licebit, de genere toto quæſtionum diſputando. quibus enim neceſſitas adhibetur, ij non minus falſa, quàm uera dicere ſolent: nam uel dolorem tolerantes, uerum occultant; uel facile mentiuntur, ut citius à cruciatu liberentur.*

COMM. Quoties cauſam noſtram quęſtiones premūt, tunc earum veritas argumentis labefactanda eſt, quod facile fiet ſi de toto genere quęſtionum diſputauerimus, ac dixerimus in eis nihil certi eſſe poſſe. quoniam qui cruciantur tam falſa quam vera proferre ſolent. ſunt enim aliqui patientes ac duri, qui nullis tormentis adigi poſſunt, vt verum dicant. vt Zeno Eleates, qui perpeſſus eſt omnia, potius quam ſocios delendę tyrannidis indicaret, vt ſecundo Tuſcul. ait Cicero. ſunt alii tam impatientes, vt nullum dolorem tolerare poſsint, ſed omnia mentiuntur, vt quamprimum à cruciatu liberentur. Cicero pro P. Sylla de toto quęſtionum genere diſputat hoc modo; Quęſtiones nobis ſeruorum ac tormenta accuſator minitatur: in quibus quanquam nil periculi ſuſpicamur, tamen illa tormenta gubernat dolor, moderatur natura cuiuſque animi, tum corporis, regit quęſitor, flectit libido, corrumpit ſpes, infirmat metus, vt in tot rerum anguſtijs nihil veritati loci relinquatur. interdum ſingulæ quæſtiones irridentur, vt pro Milone; ſed quęſtiones vrgent Milonem, quæ ſunt habitæ nunc in atrio libertatis: quibus nam de ſeruis? rogas? de P. Clodij. quis eos poſtulauit? Appius. quis produxit? Appius. Vnde? ab Appio. Dij boni, quid poteſt agi ſeuerius? & quæ ſequuntur. Pro A. Cluentio plurimis rationibus & argumentis probat quæſtionem, quam de ſeruis Stratone & Nicoſtrato Saſsia Cluentij mater in Cluētium habuerat, falſam ac fictam fuiſſe, neque illi fidem adhibendam.

Ad hæc proderit exempla proferre, quæ aliàs acciderunt, & ipſis iudicibus cognita ſunt. TEXT.

Exempla multum valebunt vel ad confirmandas, vel ad infirmandas quæſtiones, & præcipuè ſi iudicibus ipſis cognita fuerint. Val. Max. libro octauo tria ponit exempla quæſtionum habitarū, vnum quo probat in quæſtionibus aliquando falſum dici, duo quibus oſtendit interdum verum occultari. primum hoc eſt; Seruus quidam M. Agrij argentarij accuſatus eſt, quod Alexandrum T. Fannij ſeruum occidiſſet, ea de cauſa tortus à domino confeſſus eſt eam à ſe cædem commiſſam. itaque de illo ſumptum eſt ſupplicium. paruo deinde tempore Alexander ille, de cuius nece creditum erat, domum redijt. Altera duo exempla ſunt hæc; Alexander T. Fannij ſeruus dicebat. C. Flauium equitem Romanum interfeciſſe; atque ideo ſepties tortus conſtantiſsimè pernegauit, cū tamen verum eſſe poſtea compertum ſit. eodem modo Philippus Fuluij Flacci ſeruus octies tortus vt inceſtū domini patefaceret, nullū omnino verbum, quo dominus perſtringeretur, emiſit. cū tamen alij ſerui de flagitio domini confeſsi ſint. Idem Val. Max. libro tertio de patientia ſic ait; In Theodoro quoque viro grauiſsimo, Hieronymus Tyrannus tortorum manus fruſtra fatigauit. rupit enim verbera, fidiculas laxauit, ſoluit eculeum, laminas extinxit prius quam efficeret, vt tyrannicidij conſcios indicaret. COMM.

Iuris uero iurandi ratio quadripertita eſt. aut enim aduerſario dat, & ipſe etiam capit iuſiurandum, aut neutrum facit; aut alterum facit, alterum nequaquam: uel enim iuſiurandum dat, neque tamen capit; uel capit ipſe, neque tamen aduerſario dat. TEXT.

Inter probationes artis expertes vltimo loco ponit Ariſtoteles iuſiurandum. de quo Cicero tertio de offi. ita inquit; Sed in iureiurando, non qui metus, ſed quæ vis ſit, debet intelligi. Eſt enim iuſiurandum COMM.

ſiurandum affirmatio religioſa. quod autem affirmatè quaſi deo teſte promiſeris, id tenendum eſt. Iam enim non ad iram deorum, quæ nulla eſt, ſed ad iuſtitiā & fidem pertinet. Nā præclare Ennius; O fides alma, apta pinnis, & iuſiurandum Iouis. Qui igitur inſiurandū violat, is fidem uiolat: quā in Capitolio uicinā Iouis Opt. Max. ut in Catonis oratione eſt: maiores noſtri eſſe voluerunt. Chriſtianis iegibus cauetur, nequis iuret niſi coactus, & qui iurat per Deum tantum, non per alia iurare debet, vt Hieronymus teſtatur. Animaduertendum eſt autem vt iuſiurandum hos habeat comites, veritatem, iudicium, atque iuſtitiam. ſi iſta defuerint, non iam iuſiurandum erit, ſed periurium. Quatuor vero modis concipitur in iudicio iuſiurandum, vel enim uterque iurat, hoc eſt & accuſator, & reus. cum accuſator concedit reo ut iuret, atque etiam ipſe iurare paratus eſt, uel accuſator neque ipſe iurare vult, neque aduerſario credere quamuis iurare paratus ſit. uel aduerſario concedit, ut iuret, neque tamen ipſe iurare uult. uel denique ipſe paratus eſt iurare, neque tamen aduerſario iuſiurandum concedit. his quatuor modis, qua ratione de iureiurando uerba facere commode poſsimus docet Ariſtoteles.

22. q. 2. c. animaduertēdū.

TEXT. *Præterea uidendum eſt etiam, an iuſiurandum iā conceptum fuerit; ſiue ipſe iurauerit, ſiue eius aduerſarius*

COMM. Antequam præcepta tradat, de tractando iureiurando, prius admonet, ut aduertamus, an ſuper eadem re ſit iam conceptum inſiurandum. qđ duobus modis accidiſſe poteſt, uel ſi ipſe actor iurauerit, uel ſi eius aduerſarius. tria uerò iuriſiurandi genera apud græcos erant; ἐπιόμοτος ὅρκος quod affirmandi gratia ſponte ſuſcipiebatur, κατομοτός inficiandi cauſa. & ἑκαστὸς cum quis non ſponte ſed inuitus iurare cogebatur.

TEXT. *Qui iuſiurandum deferre non uult, is dicet, aduerſarios facile peierare; ut poſteaquam iurauerint, nihil reddant, ſe uerò confidere, fore, ut iudices non iuratos aduerſarios condemnēt: & ſe malle iuratorum iudicum periculum facere; quod melius eſt, quia iudicibus ipſis credat, aduerſarijs autem non credat.*

COMM. Iam quatuor illa membra quæ propoſuerat, diligenter exequitur. ac primò docet, quid agendū illi ſit, qui non uult aduerſario iuſiurandum deferre. tribus igitur ille rationibus uti poterit. primò dicet mores ac uitam aduerſariorum ſe optimè noſſe, qui eo ſint ingenio præditi, ut non dubitēt peierare, quò non reddant ea, quæ debent. hoc autem probari poterit ex cætera uita, ut ſiquando alias peierauerint, aut falſum dixerint, aut aliquid improbè & flagitioſè geſſerint. nā uériſimile eſt eum qui in aliqua re ſit improbus, etiam in alijs rebus improbum futurum. nam (ut ait Cicero pro Rab. Poſth.) ubi ſemel quis peierauerit, ei credi poſtea etiam ſi per plures deos iuret, non oportet. & pro Roſcio Com. qui mentiri ſolet, peierare conſueuit. quem ego ut mētiatur inducere poſſum, ut peieret exorare facile potero, Deinde dicet Orator ſe cauſæ ſuæ confidere, quæ tam ſit aperta & manifeſta, ut eam in dubium uocare non ſit utile. cum ſibi dubium non ſit quin iudices & non iuratos aduerſarios condemnaturi ſint. atque ideo nolle ſe aduerſariis iuſiurandum deferre. poſtremo utetur comparatione dicens, ſe malle iudicum religionem ſequi, quos ſciat iuratos ſententiam laturos, quam aduerſariis cauſam committere, quoniam ipſis iudicibus credat, & eos iuſtiſsimos atque integerrimos uiros eſſe ſciat, aduerſariis autem nullam fidem habeat, quos impios atque ab omni religione alienos intelligat, aut cupidos & auaros. nam qui auarus eſt, negligit iuſiurandum. ut ait Cicero primo de Inuentione.

TEXT. *Qui non capit oblatum iuſiurandum, dicet ſe pecuniarum cauſa iurare nolle; quod ſi improbus eſſet, facile iuraret: melius enim eſſe, alicuius utilitatis gratia, quam nullius improbum eſſe; iuratus enim pecuniam haberet, non iuratus autem minime haberet.*

COMM. Quintilianus ait difficilem eſſe recuſationem iuriſiurandi, qui enim iurare non uult, cum aliquid petit, illud ſibi deberi, uidetur eſſe calumniator, & inique petere. tamen oſtendit Ariſtoteles quid tunc faciendum ſit. dicet enim qui iuſiurandum recuſat, nullo modo ſibi poſſe in animū inducere, ut propter pecunias iuret. atque id probitatis ſuæ ſignum eſſe debere. improbus enim facile iurare ſolet, ut pecuniam habeat. præſtat autē pro aliqua utilitate improbitatem exercere, quam pro nulla. nam ſi iuratus dixero (inquiet) mihi pecuniam deberi, non eſt dubium quin eam habiturus ſim. Si autem non iurauero, pecuniam non habebo. hunc autem locum ita Quintilianus imitatus eſt, Itaque hominem quidem malum occupaturum hanc conditionem fuiſſe, ſe autem probare malle, quæ affirmet, quam dubium cuiquam relinquere, an peierarit. debet enim in iureiurando maxima eſſe religio. nam (ut ait Heſiodus) qui periurus eſt homo, non tantum ipſe punitur ab immortali Deo, ſed etiam eius filii ac poſteri. qui uerò iuriſiurandi religionem obſeruarit, is non tantum ipſe, ſed etiam eius filii & poſteri debita præmia conſequentur.

TEXT. *Sic enim propter bonitatem ac uirtutem, non autem propter peierandi timorem iurare nolle uidebitur.*

COMM. Qui ſupradictis rationibus utetur (inquit) in recuſando iureiurando, uidebitur eſſe uir bonus, & ideo iurare nolle, non quia uereatur peierare, ſed quia bonitatem & uirtutem obſeruet. nam omnino probi uiri non faciles ſunt ad iurandum, & non niſi coacti iurare ſolent. quin Chriſtianis legibus cauetur, ne iurare liceat. unde illud; Nolite iurare omnino. quod ita tamen interpretantur, ne iurare liceat, niſi cūm neceſsitas poſtulare uideatur. tunc enim iuſiurandum conceditur. itaq; legimus & Diuum Paulum, & alios ſanctiſsimos uiros aliquando iuraſſe.

Cui loco Xenophanis illud dictum benè congruit; non eſſe æquam prouocationem impij aduerſus pium hominem;

hominem, ſed conſimilem eſſe; ac ſi quis robuſtus imbecillum uel ad uerberandum, uel ad napulandum prouocaret.

COMM. Xenophanes Colophonius Philoſophus valde pius & religioſus fuiſſe dicitur, quippe qui contra Heſiodum & Homerum elegias & iambos ſcripſerit, atque illa, quæ de Deis fabuloſè & impie ſcripſerant, improbarit, ut auctor eſt Diogenes Laertius. is igitur dicebat, nõ eſſe æquam prouocationem impij hominis aduerſus pium. quoniam pius homo ualde timidè accedit ad iuſiurandum, & ſemper ueretur ne temeritate ſua Deum offendat. impius autem qui vel non eſſe Deum putat, vel ſi ſit, humana non curare exiſtimat, confidenter & audacter iurare ſolet. itaque in hac prouocatione idem eſt ac ſi quis ualens ac robuſtus miles imbecillum ac debilem hominem ad certamen prouocaret. nam hæc ſine dubitatione eſſet iniqua prouocatio. vixit autem Xenophanes diutiſsime, ſicut ipſe teſtatur, qui ſcripſit ſe à patria ſe profugientem ſeptẽ annos peregrinatũ fuiſſe, cum uigeſimum quintum ageret annum quando e patria exceſsit. idem etiã dicebat, in Luna habitari, eamque eſſe terram multarum vrbium & montium, auctor Cicero in Lucullo.

TEXT. *Quod ſi iuſiurandum oblatum recipit, dicet, ſe ſibi ipſi credere, non autem aduerſario. atque illud Xenophanis dictum ita conuertet, ut dicat, parem eſſe prouocationem, cum impius iuſiurandum defert, pius autem iurat.*

COMM. Aliquando paratus eſt actor iurare, cum tamẽ aduerſario nolit deferre iuſiurandum. tunc igitur quid ſit dicendum admonet Ariſtoteles. qui recipit (inquit) iuſiurandum hac vtetur præmunitione. dicet enim ſe ſibi ipſi credere, cum rem certam habeat & mores ipſe ſuos cognoſcat, qui nulla ratione cogi poſſet, ut falſum iuraret; nolle autem aduerſario credere, quem impium eſſe certò ſciat. quo loco poterit Xenophanis dictum commutare, ac dicere, pium hominem poſſe conſtanti animo ex hac prouocatione cum impio dimicare, quando qui iuſiurandum defert, impius eſt, qui autem illud recipit, pius. oportet autem vt qui hac utitur oratione, probatis ſit moribus & religioſus, aut non ſaltem apertè malus, alioqui meritò ridebitur.

TEXT. *Præterea indignum eſſe, nolle ſe iurare in ea re, de qua petit, ut iurati iudices ſententiam ferant.*

COMM. Hæc firmiſsima eſt ratio eius, qui iuſiurandũ recipit, ut oſtendat iuſto ſacramento ſe contendere. nam res (inquiet) indigna omnino eſſet, ſi nollem in ea re iurare, de qua peto, vt iudices, qui ex legibus iurati iudicant, pro me ſententiam ferãt. Cicero libro quinto Epiſtolarum ad Metellum ſcribens ait ſe recepiſſe iuſiurandum à Metelli fratre oblatum ſumma cum ſua gloria; Nam cum ille (inquit) mihi nihil, niſi ut iurarem permitteret; magna uoce iuraui ueriſsimum, pulcherrimumq; iuſiurandum: quod populus item magna voce, me uerè iuraſſe, iurauit.

TEXT. *Si uerò defert aliis iuſiurandum, dicet, pium eſſe deis ipſis rem totam committere; neque opus eſſe aduerſario, ut alios iudices roget; cum ipſi de tota re iudicandi poteſtas detur; & rem abſurdam eum facere, qui iurare nolit in ea re, de qua poſtulat, ut iurati iudicent.*

COMM. Qui defert iuſiurandum uidetur modeſtiſsimè facere, qui totam rem aduerſario permittat. itaque tribus illis rationibus vti poteſt: primo velle ſe totam rem Deis committere, qui periuria maximè uindicare ſolent, & nullum ſcelus impunitum relinquere; quod ſi quid fraudis aduerſarius commiſerit, Deos vltores futuros. deinde nõ opus eſſe iudicum ſententia, cum aduerſarius ipſe de tota re iudex conſtituatur, & poſsit arbitrio ſuo de lite decidere; poſtremo dicet abſurdum & indignum eſſe, ſi nolit aduerſarius iurare in ea re, de qua poſtulat, ut iurati iudices ſententiam ferant. hunc locum ita Quintilianus expreſsit libro quinto; At is qui defert, agere modeſtè uidetur, cum litis aduerſarium iudicem faciat, & eum cuius cognitio eſt, onere liberet, qui profectò alieno iureiurando ſtari, quam ſuo mallet.

TEXT. *Quia uerò planum iam factum eſt, quid ſigillatim dicendum ſit; patet etiam, ſi copulare duos modos opus fuerit, quid ſit adferendum: ut, ſi ipſe quidem capere uelit, non autem dare; aut ſi dare quidem non abnuat, ſed minimè uelit oblatum accipere; aut ſi ſimul & dare, & accipere ſit paratus; aut neutrum facere uelit: nam ex eis, quæ dicta ſunt, hæc copulantur; itaque rationes etiam ex iiſdem copulare neceſſe eſt.*

COMM. Cum iam ſigillatim declarauit omnes modos iuriſiurandi uel concipiendi, vel recuſandi, nunc admonet ex ijs quæ dicta ſunt, poſſe etiam intelligi, qua ratione duo modi copulari poſsint; ut ſi actor paratus quidem ſit iurare, ſed tamen nolit aduerſario iuſiurandum deferre, aut contra, ſi deferre quidem velit, ſed non tamen ipſe recipere; aut ſi utrumque facere ſit paratus, hoc eſt, & deferre, & accipere. aut denique ſi neque deferre, neque accipere uelit. nam argumenta facile reperiri poterunt ex eis, quæ dicta ſunt. non eſt igitur opus eadem repetere.

TEXT. *Quod ſi iam ab ipſo conceptum iuſiurandum fuerit, quod huic præſenti contrarium ſit; dicet non eſſe periurium. nam qui facit iniuriam, ille ſponte facit; ſed peierare eſt iniuriam facere: quæ uerò fiunt uel ui, uel dolo, nequaquam ſponte fiunt. huc igitur referre periurium oportet; ac dicere, id in mente, non autem in lingua eſſe.*

COMM. Iam docuit quomodo de futuro iureiurando ſit in iudicijs agendum. uerum quia nonnunquã accidit, ut iam antea fuerit conceptum iuſiurandum, quod ſit præſenti iureiurando contrarium, atque id duobus modis, hoc eſt vel ab ipſo actore, uel ab aduerſario, nunc docet quomodo etiam hæc pars tractanda ſit. Ac primò qui arguitur de contrario iureiurando, debet hac ratione ſe à periurij crimine liberare, non olim ſua ſponte iuraſſe, ſed uel metu coactum, uel dolo circunuentum,

atque ideo non eſſe periurium. nam omnis iniuria proficiſcitur à conſilio & voluntate, neque quiſquam iniuriam facit, niſi qui ſponte facit. ſed peierare eſt iniuriam facere, ergo qui peierat, id ſua ſponte facit. qui autem vel vi coactus, uel deceptus aliquid iurat, is non ſponte iurat, itaq; peierare non poteſt. hoc etiam Cicero tertio de officijs confirmat, ac docet, Iuſiurandum aliquando non eſſe ſeruandum: vt ſi prædonibus (inquit) pro capite precium non attuleris, nulla fraus eſt, ne ſi iuratus quidem id non feceris. nam pirata non eſt ex perduellium numero definitus, ſed communis hoſtis omnium: cum hoc non fides eſſe debet, nõ iuſiurandum commune. Non enim falſum iurare, peierare eſt; ſed quod ex animi tui ſententia iuraueris, ſicut uerbis concipitur more noſtro, id non facere periurium eſt. Scitè enim Euripides;
Iuraui lingua, mentem iniuratam gero.

Hæc Cice: contra quę Cælius Calcagninus multa diſſeruit, Ciceronem reprehendens, qui dixerit; falſum iurare, non eſſe peierare. ſed nos hunc Ciceronis locum tum aliàs in noſtris contra Cælium deciſionibus, ab eius iniuria uendicauimus, tum hoc loco vendicatum putamus apud eos qui nouerint Ciceronem philoſophiæ præcepta attemperaſſe ad Ariſtotelis doctrinam, non verò ad normam Chriſtianæ pietatis; quum alioqui conſtat omne mendacij genus merito damnari, atque ab eis abhorretur qui conceptam animis fidem & veritatem etiam ore non conſtanter aſſeruerint.

TEXT. *Quod ſi aduerſarius aliàs iurauerit; dicendum eſt, eum omnia ſubuertere, qui non ſtat eis, quæ iuratus affirmauit; hac enim de cauſa ſecundum leges nõ niſi iurati Iudices ſententiam ferunt.*

COMM. Si aduerſarius alias iurauerit; deinde nolit iuſiurandum ſeruare, dicet actor, ab eo diuina atque humana iura violari, atque ſubuerti, qui non eſſe ſeruanda cenſet ea, quæ iureiurando affirmauit: addet etiam nulla alia de cauſa conſtitutum eſſe à maioribus, ut Iudices iurent, ſe ex legibus iudicaturos, niſi quia ſtatuerint ea, quæ quis iurauit, rata ac ſancta eſſe oportere. Semper enim apud omnes gentes maxima fuit iuriſiurandi religio. Vehementerque puniri periuros à Deo perſuaſum fuit. cum apud homines infamiam ſubeant; qui peierauerint. vnde Cicero ſecundo de legibus ita inquit; Periurij pœna diuina, exitium, humana dedecus. apud Aegyptios qui periurij conuictus fuiſſet morte multabatur, quod eodẽ facto Deos & homines offendiſſet. apud Indos lex erat, ut periuris manuum & pedum digiti amputarentur. noſtris legibus lingua periurijs mutilatur; ut quo membro peccarunt, eodem pœnam ſentiant.

TEXT. *Nos igitur (inquiet ille) poſtulamus, ut vos Iudices eis maneatis, quæ iurati iudicauiſtis; & ipſi non manebimus?*

COMM. Argumentum à repugnantibus per conformationem. fingit enim actoris verba, quibus artificioſè ſe quaſi culpæ ſocium ſimulat, cum tamen probet à periurio ſe plurimũ abhorrere. eſt igitur contentio repugnans, quę plurimum Iudices mouere poteſt. debet enim vnuſquiſque id diligenter ſeruare, quod ab alijs iuſtum eſſe obſeruari exiſtimat. ſed nos (inquit actor) iuſtum eſſe putamus, ut quæ iurati ſunt Iudices, ea diligenter obſeruent, ergo etiam nos quę iurauimus, obſeruare debemus.

TEXT. *Cætera etiam huius generis quærenda ſunt, quæ ad amplificandum pertineant. Ac de probationibus quidem artis expertibus hæc dicta ſufficiant.*

COMM. Hæc (inquit) ac cætera huiuſmodi argumenta quę ad amplificandum pertinent, diligenter orator inquirere debet, atque in promptu habere, ut quoties opus fuerit, eis utatur. neque enim omnia colligi poſſunt ab artis ſcriptore. ſed oportet, vt qui artem diſcit, ex ſimilibus ſimilia colligat, & quod in vna re præceptum eſt, etiam ad alias cõſimiles transferat. ſic enim facile multum proficiet. hęc igitur (inquit Ariſtoteles) ad tractationem probationum artis expertium intelligendam ſufficere poſſunt. cętera ipſe Orator inueniet.

Primi libri Rhetoricam Ariſtot. finis.

M. ANT. MAIORAGII IN SECVNDVM ARISTOTELIS LIBRVM, De Arte Rhetorica Explanationes.

TEXT. *Hactenus ea ſunt à nobis demonſtrata, quæ ad ſuadendum & diſſuadendum, uituperandum & laudandum, accuſandum & defendendum neceſſaria ſunt; nec non quæ opiniones, quæque propoſitiones eis rebus accommodatæ ſunt: ex eis enim ſumuntur, & ex eis ſiunt argumenta, quibus in unoquoque dicendi genere utamur.*

COMM. HAEC eſt Ariſtotelis conſuetudo, vt ſæpe repetat ea, quæ iam antea declarauit, vt ad ea, quæ conſequuntur, quaſi gradum quendam faciat. quod etiam hoc loco facit, nam quę in primo libro tractata ſunt, breuiter repetit, antequam ad alia tranſeat. ait igitur ſe demonſtraſſe proprios cuiuſque generis locos, quos intelligere, atq; reſpicere debeat is, qui aliquid probare cupit. genera vero cauſarum à partibus atque effectis eorum ſignificat, & eodem ordine numerat, quo in primo libro expoſuit. docuimus (inquit) hactenus; quæ neceſſaria ſunt ad ſuadendum & diſſuadendum, quod eſt deliberatiui generis proprium, vituperandum & laudandũ, quod eſt demonſtratiui, accuſandum & defendendum, quod eſt iudicialis. præterea quæ opiniones & quæ propoſitiones ſingulis generibus conueniunt. uocat autem δόξας hoc eſt opiniones quaſi ſyluam ac materiam probabilium argumẽtorum, quæ ſunt in communi opinione poſita, vnde propoſitiones in enthymemate fiunt. quod in primo etiam Topicorum innuit, vbi docet omnes opiniones, quæ in ſingulis artibus ſunt, dialecticas eſſe propoſitiones. quoniam dialectica & rhetorica de rebus omnibus ad vulgarem ſenſum, & communem opinionem diſputant. Itaque ex illis opinionibus probabilibus, fiunt propoſitiones, quibus conflantur enthymemata in vnoquoque dicendi genere. ſunt igitur hactenus aperti fontes priorum argumentorum & deliberationis, & exornationis, & iudicij.

TEXT. *Sed quoniam Rhetorica finem ſibi proponit ipſum iudicium: (nam etiam in deliberationibus iudicant; & iudiciale genus, nihil eſt aliud quam iudicium) neceſſarium eſt, non tantum ad ipſum orationem aduertere, ut probandi uim habeat, & fidem facere poſſit; ſed etiam ſe ipſum afficere, & iudicem, qualem eſſe oportet, præparare.*

COMM. Quoniam in primo libro dixerat tres eſſe probationum ſpecies, quas dicendo acquirimus, quarum vna ſit in vita ac moribus oratoris, altera in permotione animi, tertia in argumentis, & iam docuerit quibus argumentis in uno quoque genere ſit utendum, & quomodo poſsit orator ſe bonum eſſe virum oſtendere. Supereſt vt etiam de animi perturbatione uerba faciat. quam ſolã partem ab antiquis rhetoribus tractatam fuiſſe huius operis initio dixit. quæ licet oratoribus ad vincendum propè neceſſaria eſſe videatur, tamen à Philoſopho non laudatur, quia non iuſtum eſſe uidetur, iudicis animum diſtorquere atque inflectere ad indignationem, uel inuidiam, uel miſericordiam. hæc igitur præcepta mouendorum animorum tanquam Philoſophus non probat, ſed tanquam orator accuratè perſequitur, ut artem nobis integram tradat. Ac primo dicit Rhetoricam ſibi proponere finem ipſum iudicium. quod ita intelligendum eſt, nihil aliud quærere oratorem, niſi ut auditores iudicent ea, quę dicit eſſe uera. ſic enim facile in perſuaſionem inducentur. non igitur diſſentit ab eo, quod alibi dixerat, Rhetoricæ finem eſſe perſuaſionem. quoniam perſuaſio nihil aliud eſt, quam iudicium quoddam. credunt enim homines ea, quæ uera eſſe iudicant. itaque perſuaſio naſcitur à iudicio. quod autem uerum ſit id, quod ait, probat à fine duorum generũ hoc eſt deliberatiui, & iudicialis. nam qui deliberant, cum oratoris uerba rationeſque perceperint, iudicant, utrum id utile ſit, an inutile, de quo deliberatur. & in iudiciali genere de iuſto, & iniuſto iudicatur: duo autem hæc genera poſuit, quæ frequentiora, & potiora ſunt, demonſtratiuum reliquit, uel quia rarius eſt, uel quia ſatis conſtat etiam in eo, de oratoris facultate iudicari. cum ergo perſpicuum ſit, in omni rhetorica generalem quendã finem eſſe iudicium, neceſsitas poſtulare uidetur ut orator non tantum argumenta quærat, quibus orationem ſuam probabilem efficiat, de quibus primo in libro dictum eſt: ſed etiam noſcat, quomodo ſe ipſum afficere, ac mouere, & iudicum animos concitare, & quocunque uoluerit impellere poſsit. Nam oportet ut orator non tantum auditores mouere ſtudeat, ſed ut etiã ſeipſum afficiat. quod in ſecundo de oratore Antonius in

Craſſo laudat; vt mihi (inquit) non ſolum tu incendere iudicem, ſed ipſe ardere uidearis. Neque enim fieri poteſt vt doleat is, qui audit, ut oderit, vt inuideat, ut pertimeſcat aliquid, vt ad fletũ miſericordiamque deducatur, niſi omnes ij motus, quos orator adhibere uolet, iudici, in ipſo oratore impreſsi eſſe, atque inuſti videbuntur. quod eleganter expreſsit Horatius;

Vt ridentibus arrident, ita flentibus adſunt
Humani vultus, ſi uis me flere dolendum eſt
Primum ipſi tibi, tum tua me infortunia lædent.

Nulla enim mens eſt (ut ait Antonius) tam ad cõprehendendum vim oratoris parata, quæ poſsit incendi, niſi inflammatus ipſe ad eam, & ardens acceſſerit.

TEXT. *Permagni enim intereſt ad faciendam fidem primum in deliberationibus, deinde etiam in iudicijs, ut orator uir bonus eſſe uideatur; atque erga eos, qui diſceptant, benè animatus: præterea refert etiam, quomodo illi ipſi ſint affecti.*

COMM. Cum orator in dicendo nihil aliud ſibi proponat, niſi vt fidem faciat, debet omni diligentia ea quærere, quæ fidem facere poſsint. & quia non tantum argumentis fides fit, ſed etiam bonis moribus exprimendis, & mouendis animis, ideo debet eniti, ut bonus vir eſſe uideatur, & erga auditores bene animatus. atq; etiam elaborare, ut audientium animos moueat. de qua re ſic Antonius ſecundo de Oratore; Horum igitur exprimere mores oratione, iuſtos, integros, religioſos, timidos, perferentes iniuriarum, mirum quiddam ualet: & hoc uel in principijs, uel in re narranda, uel in peroranda tantam habet uim ſi eſt ſuauiter, & cum ſenſu tractatum, vt ſæpe plus quàm cauſa ualeat. tantum autem efficitur ſenſu quodam, ac ratione dicendi, ut quaſi mores oratoris effingat oratio.

TEXT. *Et oratorem quidem bonum uideri, utilius eſt in deliberationibus; auditorem uerò bene affectum eſſe, multum in iudicijs prodeſt.*

COMM. Semper quidem eſt utile vt orator vir bonus eſſe videatur, ſed tum pręcipue cum in deliberatiuo genere verſatur, & aliquid ſuadere, aut diſſuadere cupit. neque enim quiſquam ei credit, quem improbum ac perfidioſum eſſe putat. iuſtis autẽ & fidis hominibus, ideſt bonis, ita fides habetur (quod ſecundo de officijs ait Cicero) vt nulla ſit in his fraudis iniuriæque ſuſpitio; itaque his ſalutem noſtram, his fortunas, his liberos rectiſsime committi arbitramur. hoc obſeruat in Orationibus ſuis diligentiſsime Cicero, ut pro lege Man. ſe pro amicis ſemper laboraſſe, atque in cauſis caſte integreque verſatum eſſe prædicat. quod certè boni viri officium eſt. ſic in oratione contra Rullum de lege Agraria, multis rationibus oſtendit ſe conſulem eſſe popularem, & nihil aliud dies noctesque cogitare, niſi quomodo ſalutem atque vtilitatem communem tueri & augere poſſit. ſed in iudicialibus controuerſiis multum prodeſt ipſum iudicem afficere, & commouere, vt inclinatione voluntatis in nos propendeat.

TEXT. *Neque enim eadem ſentiunt, qui amant, & qui oderunt, qui ſunt irato animo, & qui placato; ſed uel omninò diuerſa ſentiunt, uel ſaltem magnitudine diuerſa: qui enim amat eum, de quo iudicium facturus eſt, uel nihil iniquè feciſſe, uel parum peccaſſe cenſet, qui autem odit, contrarium ſentit.*

COMM. Ratio cur in iudicijs poſsit iudicẽ aut ad beneuolentiã, aut ad odium, aut ad iram, aut ad clementiam impellere, quoniam hæ motiones animi ſententiam mutant, & de eiſdem rebus non eodem modo iudicare homines compellunt, ut vel omnino diuerſas habeant ſententias, ut cum alius iuſtè factum eſſe cenſet, alius iniuſtè. vel ſaltem magnitudine diuerſas, vt cum alius leue peccatum eſſe, alius graue iudicat. hoc enim amor efficit ut cum quis de amico iudicaturus eſt, uel eũ nihil iniquè feciſſe cenſeat, uel paruum admodum eius eſſe peccatum, contra autem odium, etiam quę rectè geſta ſunt, improbare cogit, & quę leuia ſunt, tanquam maxima damnare. vnde bene Cæſar apud Salluſtium inquit; Omnes homines. P. C. qui de rebus dubijs conſultant, ab odio, amicitia, ira, atque miſericordia uacuos eſſe decet. haud facile animum verum prouidet, ubi illa officiunt. hæc eſt cauſa cur accuſatores ad iram & odium conentur iudices impellere ut reum condemnent, defenſores autem ad clementiam & beneuolentiam reuocent, ut abſoluant. cuius rei paſsim apud Ciceronem in orationibus exempla videre licet. omnes enim naturæ quodam impulſu & ſibi, & ſuis fauent, quos autem amant, ſuos iam eſſe putant, externos autem atque inimicos auerſantur. ideo multum ualet in iudicijs gratia, beneuolentia, fauor. ſicuti contra etiam inimicitię, odium, ſolitudo magnopere nocent.

TEXT. *Quod ſiquis concupiſcit, & bene ſperat, cum iucundum eſt id, quod fore putatur; ſibi id euenturum, & bono futurum arbitratur: at, ſi nulla cupiditate trahitur, & ęgrè fieri poſſe putat; contrarium exiſtimat.*

COMM. Probat etiam ſpem & cupiditatem plurimum ualere, ut quis in iudicio aut deliberatione quod uult aſſequatur. nam ſi poteſt orator efficere, ut iudex aliquid cupiat, aut ſperet, quod ſibi iucundum fore exiſtimet, & id ex illo iudicio euenturum, & bono futurum oſtendat, facile quod uolet obtinebit. contra uero ſi iudex nulla ſpe aut cupiditate trahitur, & cum uel non fieri aliquid poſſe, uel cum difficultate fieri putat, tunc nihil, aut parum mouetur. hæc eſt ars qua utitur Cicero contra Verrem, ut eum iudices condemnent, ſi cupiunt infamiam effugere, & bonam exiſtimationem acquirere. ſic enim incipit; Quod erat optandum maximè iudices, & quod vnum ad inuidiam ueſtri ordinis, infamiamq; iudiciorum

diciorum

diciorum ſedandam maximè pertinebat; id non humano conſilio, ſed prope diuinitus datum, atq; oblatum uobis ſummo Reip. tempore uidetur. & paulo poſt; adduci enim hominem in quo recõciliare exiſtimationem iudiciorum amiſſam, redire in gratiam cum populo R. ſatisfacere exteris nationibus poſſetis. & in tertia actione in eundẽ; Itaque mihi uideor magnã, & maxime ægram, & propè depoſitam Reip. partem ſuſcepiſſe, neque in eo magis meę, quam ueſtrę laudi exiſtimationiq; ſeruiſſe. acceſsi enim ad inuidiam iudiciorum leuandam, uituperationemque tollendam.

TEXT. *Quod autem oratores ipſi fide digni uideantur, tria ſunt in cauſa: tot enim etiam ea ſunt, quibus ad credendum inducimur, præter argumenta. illa uerò ſunt prudentia, uirtus, & beneuolentia.*

COMM. Probauit animi cõmotiones multum ad obtinendas cauſas ualere, nunc probat etiam mores oratoris ſæpe facere fidem: cum oſtendit orator ſe tria illa eſſe conſecutum. quibus homines inducuntur ad credendum etiam ſine argumentis. illa vero tria ſunt; prudentia, virtus, beneuolentia. nã prudentibus & ſapientibus uiris, quos intelligere pluſquam nos arbitramur, facile credimus, & ijs, qui probitate præſtant, quia probos viros mentiri non ſolere certum habemus: & amicis denique, quos arbitramur, nõ minus de noſtris rebus, quã de ſuis eſſe ſolicitos. Cicero ſecundo de officiis duas tantum res ponit prudentiam, & iuſtitiam, quia de beneuolentia iam ante dixerat, ſic enim ait; Fides autem ut habeatur, duabus rebus effici poteſt; ſi exiſtimabimur adepti coniunctam cum iuſtitia prudentiam. & paulo poſt; intelligentię coniuncta iuſtitia, quantum uolet, habebit ad faciendam fidem viriũ. iuſtitia ſine prudentia multum poterit, ſine iuſtitia nihil ualebit prudentia. hoc autem Xenocratis exemplo probare licet, cui propter prudentiam & iuſtitiam plus iniurato iudices quam cæteris iuratis crediderunt. cum. n. aliquando teſtimonium dicere coactus fuiſſet, & ad aram more Athenienſium iurandi gratia acceſsiſſet, uniuerſi iudices conſurrexerunt, & eum iurare prohibuerunt. quod in eo nulla eſſet omnino mendacii ſuſpicio.

TEXT. *Decipiuntur enim homines in ijs, de quibus uerba faciunt, aut conſultant, uel propter hæc tria omnia, uel propter horum aliquid. nam uel propter imprudentiam non rectè ſentiunt; uel ſi rectè ſentiant, propter improbitatem ſententiam ſuam non aperiunt; uel denique prudentes quidem, ac boni uiri ſunt, ſed non tamen amici: quo fit, ut aliqui ſcientes intelligentesque non optima conſulant. præter hæc autem nihil eſt.*

COMM. A contrariis demonſtrat tria tantum eſſe, quæ faciant oratorem fide dignum videri. quoniam etiam tantum tria ſunt illa, quæ homines decipiunt, & in errorem inducunt, ut mala conſilia ſequantur, nempe imprudentia, improbitas, & inimicitia. nam uel pp hęc omnia decipiũtur, ut cũ is, qui conſilium dat, imprudẽs, improbus, & inimicus eſt, uel propter horum aliquid. nam fieri poteſt, ut bonus uir, & amicus ſit is, qui conſulit, & tamen per imprudentiam non rectè ſentiat. ſed ea cenſeat eſſe aggredienda, quæ aut detrimentum aut dedecus afferant. ut pro lege Man. Cicero conſilium Hortenſii reprehendit, qui dicebat, bellum Mithridaticum non eſſe Pompeio demandandum, ne uni omnia concedantur. eum igitur & bonum eſſe uirum concedit, & amicum Reip. ſed tamen non rectè ſentire. Sæpè etiam aliquis rectè ſentit, ſed propter improbitatem non uult ſententiam ſuam aperire, quin potius contraria conſulit. quæ improbitas ſæpe in ipſum auctorẽ reuertitur. unde prouerbium illud; Malum conſilium conſultori peſsimum. debet enim conſultor integrè iuſteque conſulere. quoniam (ut aiebat Plato) conſilium res quædam ſacra eſt. non nunquam uero accidit, ut qui conſilium dat, uir prudens ſit, & bonus, ſed non amicus. itaque conſilio ſuo fallere inimicum ſtudet. putant enim iuſtum eſſe, quacunque ratione inimicos ulciſci. unde Virgilius;

— dolus an virtus quis in hoſte requirat?

Quare cenſet Ariſtoteles à bono uiro non alienũ eſſe, quæ mala ſunt inimicis conſulere, ut ea ratione ſi non poteſt aliter, iniurias ſuas ulciſcatur. eiuſdem enim probitatis ait eſſe, & amicis benefacere, & inimicos lędere. quamuis aliter nobis chriſtianę leges præcipiant. iubent enim ut eis etiam, qui nos odio proſequuntur, benefaciamus. quod apud Platonem multis in locis Socrates laudat.

Neceſſe eſt igitur, ut is, qui hæc tria habere uiſus fuerit, apud auditores fidem inueniat. Sed quomodo prudentes & boni uiri uideantur, ex eis, quæ ſunt à nobis alibi de uirtutibus explicata; ſumendum eſt: ex eiſdem enim locis poterit orator & alium ornare, & ſe ipſum talem oſtendere. de beneuolentia uero atque amicitia nunc, cum de permotionibus animi uerba facere aggrediamur, pariter dicamus. TEXT.

Concludit quod propoſuerat, deinde diſtinguit. Siquis (inquit) artificioſe conſequi potuerit, ut ab auditoribus uir prudens, & bonus, & amicus exiſtimetur, is ſine ulla dubitatione quicquid uoluerit, facile perſuadere poterit. quæ tria diligentiſsime Cicero contra Rullum in ſe eſſe demonſtrat. nam prudentiam & ſapientiam ſuam oſtendit, cum ſe intelligere ait, quibus rebus egeat Reſp. quæ ſint aduerſariorum conſilia, & quæ ſint Conſulis partes in tali Reip. tempore. probitatem autem ſummam præ ſe fert, cum nullos ſe labores, nullas vigilias pro ſalute Reip. uitare uelle dicat, & ſibi patriam propria eſſe uita cariorem. denique ſe populo Rom. amiciſsimum, & popularem eſſe conſulem, & gratum ac memorem beneficiorum quæ à Quiritibus acceperat. quæ omnia melius legenda illa oratione percipi poſſunt. quibus autem rationibus aliquis ſe prudentem, & bonum uirum eſſe poſsit oſtendere, iam ſupra declaratum eſt, cum de COMM.

virtutibus ageretur. nã qui bene aliũ laudare didicit, is etiam ſeipſum cum opus fuerit, modeſtè exornare poterit. ex iiſdem enim locis & ſui ipſius & aliorum laus expromitur. quod in Partitionibus Cicero filius ita oſtendit; Accepi iſta, didicique breuiter, non ſolum quemadmodum laudarem alterũ: ſed etiam quemadmodum eniterer, ut poſſem ipſe iure laudari. Supereſt vt doceat etiam quomodo poſsit orator oſtendere ſe beneuolum & amicum auditoribus eſſe, quod ſe facturũ hoc in libro pollicetur. itaque infra de amicitia tractabit.

TEXT. *Sunt autem illæ permotiones, quæ efficiunt, ut homines immutati, non eodem modo de iiſdem rebus ſentiant; quas ægritudo voluptasque conſequitur: cuius generis ſunt ira, miſericordia, metus, cæteraque huiuſmodi; & quæ ſunt iis contraria.*

COMM. Cum de permotionibus animi verba facturus ſit, primo naturam earum exprimit, deinde diuidit, poſtremo ſingulas perſequitur. ait igitur primo, eas eſſe permotiones animi, quibus homines immutati, etiam ſententiã mutant, ita ut uel ęgritudinem uel uoluptatem ſentiant. qua in definitione tria ſunt aduertenda. primum ut ipſi homines immutentur. quamuis enim res immutentur, atque ideo mutare ſententiam cogantur homines, tamen id ſine permotione animi facere poſſunt. nam tempori cedere, ideſt neceſsitati parere ſemper ſapientis eſt habitum. & præſtantibus in Rep. uiris nunquam eſt laudata in una ſententia perpetua permanſio. deinde ut etiam ſententiam mutent. poteſt enim fieri vt quis aliquo modo perturbetur, & tamen in eadem ſententia perſeueret. poſtremo ut ex ea mutatione animi uel dolorem uel lætitiam percipiat. quod ſi hæc tria concurrant, facile erit, ut iudex aliter ſententiam ferat, quam initio conſtituerat. quod accidit cũ vel iraſcitur, uel miſeretur, uel metuit, uel denique alio aliquo modo commouetur, ut amore, odio. Terentius in Eunucho; Dij boni, quid hoc morbi eſt? adeon homines immutarier ex amore, ut non cognoſcas eundem eſſe? ſemper autem his animi permotionibus uel ægritudo uel uoluptas comitatur. Cicero primo de officijs & ſecundo Tuſcul. & quarto eiuſdem operis ait permotiones in ea eſſe parte animi, quæ rationis eſt expers. Duplex eſt enim (inquit) uis animorum atque naturæ, una pars in appetitu poſita eſt; quæ eſt ὁρμὴ græcè; quæ hominem huc & illuc rapit: altera in ratione; quæ docet & explanat, quid faciendum, fugiendũque ſit. & quarto Tuſcul. ita ſcribit; Quoniã quæ græci πάθη uocant, nobis perturbationes appellari magis placuit quam morbos; in his explicandis ueterem illam equidem Pythagorę primum, dein de Platonis deſcriptionem ſequar: qui animum in duas partes diuidunt: alteram rationis participem faciunt, alteram expertem. in participe rationis ponunt tranquillitatem, ideſt placidam quietamque conſtantiam, in illa altera motus turbidos tũ iræ, tum cupiditatis, contrarios inimicosque rationi hanc animi partem, quæ ratione caret, uocant etiam ὀρεκτικὸν, quòd ea nos ad aliquid appetendum impellat.

Sed quæ in ſingulis ſiunt, tres in partes diſtribuere oportet; ut de ira, exempli gratia, quomodo affecti facile iraſcantur, & quibus iraſci ſoleant, & quas ob res. Nam, ſi unum aut alterum tantum horum habeamus, & non omnia teneamus; nullo modo fieri poterit, ut animos audientium ad iram cõmoueamus: Idem etiam de reliquis permotionibus ſentiendum. TEXT.

Quoties aliquem excitare affectum in animis audientium uolumus tria diligenter conſiderare debemus, primo quales ij ſint, quos commouere uolumus, deinde pro quibus uel contra quos moueantur, tum quas ob res moueantur. ut cum ad iram uolumus auditores impellere, primò uidendum eſt, quomodo affecti homines facile iraſcantur. deinde quibus hominibus iraſci ſoleant, poſtremò quæ ſint res illę, quæ facile iram moueant. hoc autem probatur à contrario. nam, ſi ex his tribus unum tantum, aut alterum habeamus, ut ſi cognouerimus quomodo affecti facile iraſcãtur, & quibus iraſci ſoleant, & non intelligamus tertium, hoc eſt quas ob res indignentur & iraſcantur, non poterimus eos ad iram excitare. hæc autem omnia etiam in reliquis permotionibus conſideranda ſunt, ut in miſericordia, ſpe, metu, quæ deinceps Ariſtoteles accuratè perſequitur. COMM.

Quemadmodum igitur in rebus traditis propoſitiones deſcripſimus, ita etiam in his faciamus; & eodem modo ſingula diſtinguamus. TEXT.

In primo libro cum de cauſarũ generibus uerba faceret, cuiuſque generis propoſitiones diligenter indagauit, ut intelligere poſſet orator, quę res utiles, quæ inutiles, quę honeſtæ, quæ turpes, quæ iuſtæ, quæ iniuſtæ. cum igitur ordinem etiã hoc loco ſeruaturum ſe oſtendit, ut exponat, unde propoſitiones mouendorum animorum ſumi poſſint. ac primo de ira uerba facit. COMM.

Sit igitur ira, libido cum dolore ſperatæ punitionis, propter apparentem negligentiam uel in ſe, uel in ſuorum quempiam, contra id, quod oportebat. TEXT.

Diximus omnes animi perturbationes in appetitu eſſe, non autem in ratione. Vnde Zeno perturbationem ita definiebat (ut ait Cicero) Perturbatio eſt auerſa à recta ratione contra naturam animi commotio. quidam breuius, perturbationem eſſe appetitum uehementiorem dicunt. Appetitus uero duas continet potentias (ut peripatetici ſtatuunt) hoc eſt iraſcendi, & cupiendi. potentia cupiendi quod bonum eſt reſpicit, iraſcendi quod eſt arduum ac difficile. ex his duabus potẽtiis duodecim perturbationes oriuntur, hoc eſt ſex à cupiditate, & ſex ab ira. cupiditas enim bonum ſequitur, & malum fugit. ergo uel inclinatur ad bonum & dicitur amor, uel fertur in bonum, & uocatur deſiderium, uel quieſcit in bono, & appellatur delectatio ſiue lætitia. COMM. 4. *Tuſcu.*

ticia. Itaque reſpectu boni tres ſunt motiones animi in cupiendo, amor, deſiderium, lætitia. quibus tres ſunt contrariæ reſpectu mali. uel enim auertitur animus à malo, & dicitur odium, uel deteſtatur ac refugit, & dicirur fuga, uel dolet quod iam in malo ſit, & dicitur triſtitia. ergo ſex ſunt omnes cupiditatis perturbationes, per tres contrariorum combinationes, hoc modo; amor odium, deſiderium fuga, lętitia triſtitia. Iraſcendi uerò potentia uel præſens malum reſpicit, & ſiquidem in illud inſurgere tentet fertur ad uindictam, & ira uocatur. ſi uerò quieſcit dicitur manſuetudo, uel futurum reſpicit malum. & ſi id aggreditur, audacia dicitur. ſi refugit, timor appellatur. uel futurũ bonum conſiderat, & ad ipſum tendit quæ ſpes nominatur, uel ab eo deficit, & uocatur deſperatio. Quare ſex etiam ſunt in iraſcendo perturbationes, quæ ita combinantur, ira manſuetudo, audacia timor, ſpes deſperatio. incipit autem Ariſtoteles ab ira quæ potentiſsima eſt omnium perturbatio, & multorum peccatorum cauſa, quoniam de accuſatione & defenſione uerba facit. & præterea quia cæteris omnibus perturbationibus ira facilius ſeſe aperit & oſtendit. definit autem irã non exquiſitè ſed dialectico more, quoniam in definitione materiam prætermittit, quam Phyſici ſuis definitionibus adiungere ſolent, vt primo de Anima ſcribit idem Ariſtoteles. primo autem iram dicit eſſe libidinem, ut oſtendat eam non eſſe in ratione, ſed in appetitu, & addit cum dolore, quia multæ ſunt libidines ſine dolore. deinde ait, ſperatæ punitionis, quia nemo illi vehementius iraſcitur, cui nullo modo nocere poteſt, ut imperatori, aut principi. poſtremò cauſam adiungit, hoc eſt propter negligentiam. cum enim aliquis intelligit ſe negligi aut aliquem ſuorum, contra ęquum ac iuſtum, iraſcitur. hanc definitionem ferè ſecuti ſunt Stoici, quam ita Cicero quarto Tuſcul. expreſsit; Ira eſt libido puniendi eius, qui videatur læſiſſe iniuria. itaque ſępe iuſta eſt ira & laudabilis, nam vt quarto Ethicorum docet Ariſtot. cum quis æquo animo ſe contemni patitur, & ſuos ludibrio haberi, neque læſus dolet, ſeruilem quendam animum præ ſe fert. & Cicero, bonorum uirorum eſſe vehementer iraſci, cum iniuſtè lęduntur, cenſet. & in oratione pro M. Cælio ſic ait; funguntur officio, defendunt ſuos, faciunt quod viri fortiſsimi ſolent, læſi dolent, irati efferuntur, pugnant laceſsiti. ſed plerumque decipiuntur homines, & putant iniuriam eſſe quæ non eſt, unde iniuſta naſcitur ira.

TEXT. *Quod ſi ira eſt huiuſcemodi: neceſſe eſt eum, qui iraſcitur, ſingulis ſemper hominibus iraſci, ut Cleoni, non autem homini; & quia aut ipſum, aut quempiam ſuorum uel contempſit, uel id facere cogitauit.*

COMM. Ex irę definitione colligit omnem iram eſſe in ſingulos homines, non autem generatim in omnes. neque enim quiſquam eſt, qui naturę humanę iraſcatur, aut vniuerſis hominibus, ſed qui iraſcitur vel vni, uel aliquibus certis hominibus iraſcitur, ut Cleoni, aut Lacedęmonijs. & ea de cauſa iraſcitur, quod uel ipſe contemptus ſit, aut aliquis eorum, quos amat, & caros habet. Sępe etiam ira concipitur, non propter factum, ſed propter facti deliberationẽ, vt cum intelligimus aliquem eſſe, qui ſtatuit nobis malefacere, ſtatim illi iraſcimur, etiam ſi nondum offenderit. Quòd autem ſingulis hominibus iraſcamur cauſa eſt, quoniam ira naſcitur ex contemptione, contemptio uero quędam eſt actio, ſed omnes actiones ſingularium hominum aut rerum ſunt, itaque neceſſe eſt ut ẽt ira ſit in ſingulos homines non in uniuerſos. poteſt autem fieri vt quis totum humanum genus odio proſequatur, quemadmodum Athenienſis ille Timon, de quo Plutarchus in M. Antonii Vita, qui omnes extinctos eſſe cupiebat, & Alcibiadẽ amplectebatur, quòd eſſet aliquando multa mala Athenienſibus illaturus. eius ſepulchro carmen illud inſcriptum eſt à Callimaco factum, & ab Aretino conuerſum,

Hic oſor iaceo Timon hominumq́ue Deumque.

nam illa duo ſibi ipſe Timon ante mortem fecerat;

Hic ſum poſt uitam miſeramq́ue inopemq́ue ſepultus.
Nomen ne quæras, Dii lector te male perdant.

Sed aliud eſt odium, aliud ira, ſicuti ſupra dictum eſt. poſuit autem Ariſtoteles Cleonem hoc loco pro quolibet homine. fuit autem Cleon primo coriarius, deinde per ſeditionem factus eſt imperator. hunc Plutarchus in comparatione Craſsi & Niciæ garrulum, clamoſum, impudentiſsimum & audaciſsimum appellat. eundem Ariſtophanes in Equitibus inſectatur.

Quin etiam omni iræ uoluptatem quandam comitari neceſſe eſt, quæ à puniendi ſpe proficiſcitur. iucundum eſt enim arbitrari ſe conſecuturum ea, quæ quis uehementer optat. TEXT.

Dixerat iram eſſe dolori coniunctam, nunc addit etiam quandam uoluptatem iræ comitari ſed diuerſa ratione. qui enim ſe contemptum aut ſuos arbitratur, dolet, unde ira naſcitur, ſed cum ſperat ſe poſſe ulciſci gaudet. eſt igitur in ira & dolor, & uoluptas, ſed dolor à contemptione oritur, uoluptas à puniendi ſpe proficiſcitur. hoc autem probatur ea ratione; Quicunque arbitratur ſe cõſecuturum ea, quæ uehementer optat, uoluptatẽ ſentit. iratus putat ſe conſecuturum punitionem, quam uehementer optat, ergo iratus uoluptatem ſentit. hoc eſt Ariſtotelis argumentum, quod expreſsit etiam Virgilius in ſecundo Aeneidos, vbi Aenæam ſic loquentem inducit; COMM.

Exarſere ignes animo, ſubit ira cadentem
Vlciſci patriam, & ſceleratas ſumere pœnas.

& paulò poſt;

-- animumq́ue expleſſe iuuabit
Vltricis flammæ & cineres ſatiaſſe meorum.

Nemo autẽ illa concupiſcit, quæ nullo modo ſe cõſequi poſſe arbitratur: ſed, qui alicui iratus eſt, ea TEXT.

cupit, quæ à ſe fieri poſſunt. itaque de ira bene illud dictum eſt;

Dulcior effuſo quæ melle in pectore gliſcit.

COMM. Alterum argumentum à genere ſumptũ, quo probat voluptatem iræ comitari, hoc modo; omnes tantum ea cupiunt, quæ ſe conſequi poſſe arbitrãtur, & nemo trahitur eius rei cupiditate quá ſe aſſequi non poſſe intelligit. qui autem iratus eſt, putat à ſe fieri poſſe quod cupit, ergo eſt in ſpe. quare etiam in uoluptate. cum omni ſpei ſit adiuncta uoluptas. hoc etiam Homerus uidit cũ iram dixit eſſe melle dulciorem. hunc verſum ẽt in primo huius operis libro poſuit Ariſtoteles; cum de iucunditate uerba faceret. uidetur autem falſum, quod ait Ariſtoteles, neminem ea capere, quæ nullo modo ſe conſequi poſſe arbitratur. cum omnes ferè cupiant eſſe principes, aut reges, aut pontifices, aut ſapientes, aut diuites, quá uis intelligant, ſe nunquam tales futuros, neque ullo modo ſe quicquam eorum conſequi poſſe. uerum ſciendum eſt cupiditates alias eſſe quietas, quæ homines ad agendum non impellunt, & inanes ſunt, atque (ut ita dicam) imaginoſæ, ut cum quis cogitat, quá benè uiueret, ſi eſſet princeps. aliæ ſunt commouentes, & excitantes ad aliquod opus, de quibus hoc loco ſentit Ariſtoteles. neque enim quiſquam trahitur eius rei cupiditate uehementi, cuius adipiſcendæ nullam omnino ſpem habet. Spes enim ea eſt, quæ huiuſcemodi cupiditates alit.

TEXT. *Nam, cum propter hoc uoluptas quædam conſequitur, tum etiam quia tota mente, quomodo poſſint inimicum ulciſci, cogitant: illa igitur uehemens cogitatio uoluptatem parit; non aliter atque in ſomnis accidit.*

COMM. Non tantum propter puniendi ſpem, ſed etiã propter cogitationem iratus uoluptatem percipit. nam toto animo occupatus eſt in cogitando, qua ratione poſsit acceptam iniuriam ulciſci. illa vero cogitatio punitionem quaſi ante oculos ponit, & efficit ut iratus quaſi præſente lætitia fruatur. quemadmodum dormientibus nobis ſæpe phantaſmata quædã occurrunt maximè iucunda & ſuauia, q̃ uera eſſe credimus, & eis vehementer oblectamur. ut cũ quis ſomniat ſe pecunias inueniſſe, aut magnũ honorẽ acquiſiuiſſe, aut cũ amica ſua uerſari. Vñ dr̃ ſomnio beatus, qui repẽte diues efficit̃, ut in oratione cõtra Saluſtiũ; unde tu, q̃ modo ne paternã quidẽ domũ redimere potueris, repente tanquam ſomnio beatus, hortos præcioſiſsimos, uillam Tiburti, & Cæſaris reliquas poſſeſsiones paraueris. & apud Theocritum eglo ga nona quidam paſtor ita gloriatur;

Poſsideo, quæcunque ſolent ſub nocte uideri
In ſomnis, uim magnam ouium, multasque capellas.

Sicut igitur in ſomnis gignitur uoluptas, cum iucunda phantaſmata nobis occurrunt, ita etiam dũ uigilamus, cogitantes quæ cupimus, ſæpe non mediocriter delectamur.

Et quoniam negligentia, eſt opinionis actio in ea re, quæ nullius eſſe momenti uideatur; mala enim, & bona ſtudio digna eſſe putamus, & ea præterea quæ ad hæc referuntur; quæ uerò uel nihili ſunt, uel ualdè exigua, nullo in precio habemus: tria ſunt negligentiæ genera; contemptio, uiolentia, contumelia. TEXT.

Quoniam in ira tria conſiderantur, hoc eſt res propter quas ira mouetur, homines qui iraſcuntur, & homines contra quos ira concitatur. primo de rebus propter quas ira mouetur, uerba facit Ariſtoteles. & quia propter apparentem negligẽtiam mouetur ira, declarat quid ſit negligentia, & quæ ſint eius partes. hoc enim ratio poſtulat, ut rẽ primò definiamus, deinde eam diuidamus. Eſt igitur negligentia, actus opinionis in ea re, quæ nullius eſſe momenti uideatur. Sicuti enim diligentia naſcitur ab opinione, ita etiam negligentia. nam in eis rebus diligentes ſumus, quas noſtra permagni intereſſe putamus uel in acquirendo bono, uel in euitando malo. negligentes autem ſumus in rebus, quas opinamur nullius eſſe momenti. probatur ergo negligentiæ definitio, ex contraria definitione ſtudii uel diligentiæ. nam ſtudium ac diligentia in eis rebus uerſatur, quæ uel bonæ uel malæ ſunt, uel ſaltem ad bona & mala referuntur. quo fit ut negligentia uerſetur in eis, quæ nihili putantur, aut ualdè exiguæ ſunt, tales enim res non curamus. ſed quia nos opinio plerunque decipit, fit ut ea ſæpe negligamus, quę magna diligentia curanda eſſent, & nullius momenti putemus ea, quæ magni ponderis ſunt, ex qua negligentia naſcitur ira, uel in aliis contra nos, uel in nobis contra alios. huius autem negligentiæ quæ græcè dicitur ὀλιγωρία tres ſpecies numerat Ariſtoteles, καταφρόνησιν, quam nos contẽptionem, ἐπηρεασμὸν, quam violẽtiam, ὕβριν quam contumeliam uertimus. licet aliter alij verterint. nos enim commoditatem & facilitatẽ ſequimur. Nam Petrus Victorius putat nullum eſſe latinum uerbum, quod illi gręco ὀλιγωρία reſpondeat. cum tamen idem omnino ſit apud nos negligentia uel incuria quod apud gręcos ὀλιγωρία. quod vel ex hoc Ariſtotelis loco probari poteſt. nam ὀλιγωρία, & σπουδὴ contraria ponuntur. ſed σπουδὴ ſtudium & diligentiam ſignificat, ut notiſsimum eſt, ergo ὀλιγωρία incuriam & negligentiam ſignificabit. probat autem Ariſtoteles tres eſſe ſpecies negligentiæ, ab effectis cuiuſque ſpeciei, & primo ab effectu contemptionis ſeu deſpicientię. COMM.

Nam & qui contemnit, is negligit: quæ enim nullius momenti eſſe cenſent, ea contemnunt; atque eadem quæ nullius ſunt momenti negligunt. TEXT.

Hoc argumentum ad primam ſyllogiſmorum figuram ita reduci poteſt; Quę nullius momenti eſſe cenſent homines, ea negligunt, ſed quę contemnunt, ea nullius momenti eſſe cenſent, ergo quę contemnunt, ea negligunt. hac ratione probatur contemptionem eſſe negligentię partẽ. quod autem quæ contemnunt homines, etiã nullius eſſe momenti cenſent, & pro nihilo putant, COMM.

multis

multis in locis docet Cicero. vt in tertio de Finibus; Qui magno ſit animo atq; forti, omnia, quæ cadere in hominem poſſiot, deſpicere, & pro nihilo putare. in Diuinatione contra Verrem; quos non ſine cauſa contempſit ſemper, ac pro nihilo putauit. primo de Officiis; quod gloriam contemnant, & pro nihilo putent. pro Milone; immo verò contempſit, ac pro nihilo putauit. quæ neque maximo animo nocens, neque innocens, niſi fortiſſimus vir, negligere potuiſſet. quo in loco ſatis oſtendit Cicero negligentiam eſſe contemptionis genus.

TEXT. *Et qui violentus eſt, negligere uidetur. eſt autem uiolentia, ſtudium impediendi uoluntates alienas: nõ ut ipſe aliquid acquirat; ſed, ne alij quod uoluntaſequantur.*

COMM. Probat etiam violentiam eſſe negligentiæ ſpeciem, quoniam qui violentus eſt, negligere videtur. definit autem ipsã violentiã, quam ἐπηρεασμὸν vocat, ut eius natura melius intelligatur. sũt enim quidam ita mala mente, maloque animo vt alios impedire ſtudeant, tantum vt eis incommodent, non ut ipſi aliquid aſſequantur. ij ergo violenti vocantur, & illud vitium dicitur violentia. quo præcipuè laborare dicuntur Cordiſtæ Galatarum populi, de quibus meminit Athenæus libro ſexto. nam ij nulla in re utuntur auro, quin potius illud odio proſequuntur, & tamen ſiquis exterorũ aurum habet, eum ſpoliant, nec quemquam exportare ſinunt. ita canes in præſepio, neque ipſi veſcuntur auena, neque equos ea veſci patiuntur. vnde violenti dicuntur eſſe tanquam canes in præſepio. hoc vitiũ videtur expreſſiſſe Simo apud Terentium in Andria de Dauo ſeruo, cum ita inquit; Quem ego credo manibus pedibuſque obnixe omnia facturum, magis id adeo mihi ut incommodet, quam vt obſequatur gnato.

TEXT. *Quatenus igitur nihil ſibi acquirit, negligit. perſpicuum eſt enim, hunc credere ſibi nihil illum nocere poſſe; nam timeret, non autem negligeret: neque in aliqua re alicuius ponderis prodeſſe poſſe; nam ſtudiũ adhiberet ut illi amicus eſſet.*

COMM. Docet unde naſcatur in homine violento negligentia, nempe ex eo, quòd neque timet illum, cui incommodat, neque aliquid ab eo ſperat. qua de cauſa qui longè potentiores ſunt ſæpe violenti eſſe ſolent. neque enim credunt eos, quibus impedimẽto ſunt, ſibi nocere poſſe. nam ſi crederẽt, nõ eos negligerent, ſed potius timerent. neque ullã ab eis magnam utilitatem ſperant. nam ſi ſperarent, non eos impedirent, ſed potius eorum amicitiam expeterent. unde cum aliquem à uiolentia retrahere uolumus illis aut ſpem, aut terrorẽ obijcimus, ut Cicero ad Q. Thermum ſcribens epiſtolarum ſecundo; Nocere tibi iratum neminem poſſe perſpicio: ſed tamen tres fratres ſummo loco natos, promptos non indiſertos, te nolo habere iratos, præſertim iure, quos uideo deinceps Tribunos Pl. per triennium fore, tempora aũt Reip. qua ſia futura ſint, quis ſcit? mihi quidem turbulenta uidentur fore. idem Cicero libro ſeptimo ad Marium Burſæ cuiuſdam in ſe violentiam prædicat; hic (inquit) ſimiolus animi cauſa, me, in quem inueheretur, delegerat: perſuaſeratque nonnullis inuidis meis, ſe in me emiſſarium ſemper fore.

TEXT. *Et qui contumeliam infert, negligit. eſt enim contumelia; cum quis lædit, ac dolore afficit aliquem in ea re, unde illi qui patitur, ignominia naſcitur: non ut qui contumeliam infert, aliquid plus habeat, quam ante haberet; ſed tantum ut uoluptatem capiat.*

COMM. Contumelia negligentiæ ſpecies eſt. quoniam contumelioſus eum negligit, cui contumeliam infert. hoc autem à definitione contumeliæ probatur. Nam contumelia eſt offenſio uoluptatis gratia, cum ignominia eius qui offenditur. quatuor igitur ad contumeliam concurrant oportet. duo ex parte patientis iniuriam, & alia duo ex parte inferentis. Nam qui patitur contumeliam, non tantum offenſionem, ſed etiam ignominiam accipit: qui uero contumeliam infert, non aliquid habere ex ea quærit, ſed tantum voluptatem capit. Eſt autem & in uerbis & in factis contumelia. in uerbis ut Cicero Tuſcul. 4. alternis enim uerſibus intorquentur inter fratres grauiſſimæ contumeliæ. Cæſar primo de bello ciuili; magna uerborum contumelia interrogans. in factis, ut Brutus ad Ciceronem; neque uſquã exul eſſe poſſum, dum ſeruire, & pati contumelias, peius odero malis omnibus aliis. Cicero in Verrẽ. 6. quibus tu priuatim iniurias plurimas, contumeliaſque impoſuiſti. huiuſmodi fuit ea cõtumelia qua Attalus Philippi Macedonum regis familiaris Pauſaniam affecit. is enim (ut nono libro Iuſtinus narrat) Pauſaniam non ſuæ tantum, uerum etiam conuiuarum libidini, ueluti ſcortum uile ſubiecit, ludibriumque omnium inter æquales reddidit. quam rem ægre ferens Pauſanias, cum à Philippo non poſſet ultionem impetrare, regem ipſum obtruncauit.

TEXT. *Nam qui talionem reddunt, non contumeliam inferunt, ſed ulciſcuntur.*

COMM. Talionem reddere, eſt par pari referre, & pro malo malũ reddere. quod qui faciunt, inquit Ariſtoteles, non dicuntur inferre contumeliam, ſed ulciſci. ut qui uulnerat eum, à quo pugno ſit percuſſus, & qui maledicit ei, à quo maledictis fuerat prouocatus. qui igitur iniurias ulciſcuntur, interdum laudantur. ut Cicero pro Cælio laudat Atracinum in eo, quod patris iniurias perſequeretur. qui uero contumeliam inferunt, ſemper uituperantur. itaque aliud eſt ulciſci, aliud contumelioſum eſſe.

TEXT. *Cauſa uoluptatis eorum, qui contumelioſi ſunt, ea eſt, quòd exiſtimant iis, quibus maleſecerint, ea ratione ſe magis præſtare: quo fit ut iuuenes & diuites cõtumelioſi ſint; quoniam in contumelia inferenda ſe antecellere cæteris, exiſtimant.*

COMM. Quoniam nemo ferè ſine cauſa maleficium ſuſcepit, uidebatur abſurdum eſſe, quod quis alicui moleſtiam inferat, ſine ullo fructu aut commodo tantum uoluptatis gratia, quod contumelioſi faciũt. ideo

ideo cauſam aperit Ariſtoteles. cupiunt enim (inquit) omnes aliis præſtare, & ſuperiores uideri. qui uero maleſaciunt alicui, uidentur in ea re ſuperiores eſſe, quare uoluptatem ex contumelia percipiunt. Sunt autem duo potiſſimum genera hominum qui laborant ambitione, & præſtantiores aliis uideri cupiãt, hoc eſt iuuenes, & diuites. quare cum falſam etiam & inanem gloriã ſequantur ſæpe contumelioſi fiunt. putant enim ſi alios neglexerint, & affecerint ignominia, fore, ut ipſi excellentiores uideantur. ut Midias uir ditiſſimus Demoſthenem Choragum in Dionyſiis pugno contumelioſè percuſſit. extat Oratio Demoſthenis in Midiam, qua ſe tã ingentem contumeliam à Midia affectum eſſe prædicat, nt nullum unquã Choragus talẽ acceperit. Alcibiades adoleſcens maxime contumelioſus fuiſſe dicitnr, ut obuios etiã ſine cauſa pulſaret. & cum aliquando cuiuſdã præceptoris ludũ ingreſſus Homerũ ſibi dari iuſſiſſet, stque is non eſſe ſibi Homerũ reſpondiſſet, pugno & calcibus eum præceptorẽ male habuit. in quarto Politicorum idem ferè quod hoc loco tradit Ariſtoteles cum ait, prædiuites homines, & præpotentes contumelioſos eſſe ſolere.

TEXT. *Ex contumelia uero naſcitur ignominia; & qui ignominia quempiam afficit, illum negligit. quod enim nullius precij eſt, id nullam habet æſtimationem neque boni, neque mali.*

COMM. Hac etiã ratione probatur, contumeliã eſſe negligentiæ ſpeciem. quoniã contumeliæ proprium eſt infamiã atque ignominiã alicui inferre. quod qui facit, ſine dubitatione negligit. quoniam eũ nihili facit, & neque bonum, neque malũ ſibi eã adferre poſſe exiſtimat. alludit autem Ariſtoteles ad ea uocabula ἀτιμία, τιμὴ. ἀτιμία ſignificat infamiã, quando quis in nullo penitus honore ac precio eſt, τιμὴ uero preciũ & honorem ſignificat. atque etiã æſtimationẽ. quod autem pro nihilo reputatur, id nullam nabet neque boni, neque mali æſtimationem, itaque prorſus negligitur. ſed qui afficitur contumelia, pro nihilo putatur, ergo ẽt negligitur. quare concluditur, contumeliam eſſe negligentiæ partem. qnod in Adelphis apertiſſime Terentius oſtendit his uerbis; Omnes quibus res ſunt minus ſecundæ, magis ſunt, neſcio quomodo, ſuſpicioſi: ad contumeliam omnia accipiũt magis, propter ſuam impotentiam, ſe ſemper credunt negligi.

TEXT. *Quamobrem iratus Achilles ita inquit;*

Affecit me ignominia, quoniam abſtulit ipſum

Quod Danai dederant munus mihi;

— & alibi;

Me tanquam infamem tempſit, profugumque rebellem.

Vt pote qui propter hæc indignaretur.

COMM. Homeri teſtimonio probat id, qnod ſupra dixerat, hoc eſt qnod pro nihilo putatur, negligi. nam apud Homerũ Achilles primo Iliadis cum matre Thetide conqueritur de Agamemnonis iniuria, qui Briſeidem ſibi abſtulerat, quã ei uirtutis ergo Danai dederãt. ſe igitur affectũ ignominia ac nullo in precio habitum ab Agamemnone prędicat. nã ſi eũ Agamemnon aliquo in precio habuiſſet, certè eius animũ offendere ueritus fuiſſet. idem Achilles nono Iliadis cũ Aiaci reſponderet, de eadẽ contumelia conqueſtus eſt. quod Agamemnõ non ei honorẽ ut forti uiro habuiſſet, ſed tanquã infamẽ hominẽ & tanquam rebellẽ ac profugum tractaſſet. hæc igitur indignationis cauſa fuit, quod ſe Achilles neglectũ ab Agamemnone ſentiebat. ita Cicero libro quinto Epiſtolarum à Q. Metelli fratre ſe contumelia affectũ queritur hoc modo; atque ille (quod te audiſſe credo) pridie Cal. Ian. qua iniuria nemo unquam in aliquo magiſtratu improbiſſimus ciuis affectus eſt, ea me conſulem affecit, cum Remp. conſeruaſſem: atque abeuntẽ magiſtratu, cõcionis habendæ poteſtate priuauit. his de cauſis Metello iratus erat Cicero.

TEXT. *Dignum autem cenſent ſe ab illis obſeruari, qui genere, opibus, uirtute ſunt inferiores: & denique, in quacunque re quiſpiam plurimum excellit, in ea uult obſeruari; ut diues in pecuniis à paupere; diſertus in dicendi facultate ab indiſerto & infante; &, qui imperat, ab eo, qui ſubiectus eſt imperio; & qui imperare dignus eſt, ab eo, qui parere debet.*

COMM. Omnes homines ægre ferunt, & indignantur, cũ ſe negligi intelligunt. itaque omnis ira naſcitur ex apparente negligentia. contra uero gaudẽt, cũ ſe plurimi fieri cognoſcunt. quo fit ut quoties aliqua in re præſtant, uelint ab eis obſeruari, qui in ea re ſunt inferiores. ut ſiquis ſuperior ſit aut nobilitate, aut opibus, aut uirtute, facile iraſcitur & indignatur, niſi, qui inferior eſt, eum obſeruet. aut cum ab ipſo inferiore ſuperatur. ut M. Laterẽſis iratus quod Cn. Plancius genere, opibus, & dignitate inferior, in ædilitate ſibi prælatus fuiſſet, eum de ambitu in iudicium uocauit. ſed Cicero Plancium defendens hoc in poteſtate populi docet eſſe, ut inferiores ſuperioribus præponat. atque id plerunque accidiſſe quibuſdã exemplis confirmat. M. enim Seiũ equitem iudicio damnatũ ait homini nobiliſſimo, innocentiſſimo, eloquentiſſimo M. Piſoni fuiſſe prælatũ, & Cn. Maniliũ non ſolũ ignobilẽ, uerũ ſine uirtute, ſine ingenio, uita etiam contempta & ſordida. Q. Catulo in ſumma familia nato, ſapientiſſimo, & ſanctiſſimo uiro. poterant igitur Piſo & Catulus merito indignari. quod à longè inferioribus ſuperati fuiſſent. ita Ser. Sulpitius ægre ferebat, quod cũ ipſe patricius eſſet. L. autẽ Murena plebeius, tamen in petitione cõſulatus fuiſſet à Murena ſuperatus. hoc (inquit Ariſtoteles) accidit omnibus, ut in quacunque re plurimũ excellãt, in ea uelint obſeruari. cuius rei quatuor ponit exempla. primum eſt diuitum, qui cenſent eſſe dignum, ut à pauperibus obſeruentur. efferunt enim animos diuitiæ, & qui eis abundant, nobiles & fide digni putantur, nõ recte fortaſſe, ſed uulgi opinio mutari uix poteſt: ut ait in Topicis Cicero (alterum eſt eorum) qui dicendi facultate præſtant, nam ij uolunt ab indiſertis & infan-

infantibus obſeruari, tanquam patroni & defenſores. ſicuti etiam noſtra tempeſtate iuriſconſulti & cauſidici. quos plurimi clientes conſectantur. Tertium exemplum eſt principum & imperatorum, qui non tantum obſeruari ſed etiam metui plerunque uolunt. hinc illa uox Tyrannica; Oderint dum metuant, quam multis in locis vſurpat Cicero. Quartum eſt eorum, qui ſe dignos imperio putant, quamuis non imperent. nam hi etiam volunt ab eis obſeruari, qui parere debent: quod ni fiat, magnopere iraſcuntur. tales ſunt filij principum, aut agnati, & conſanguinei, aut nobiliſſimæ perſonæ.

TEXT. *Vnde dictum eſt,*
Ab Ioue natorum, certè ira eſt maxima regum.
& alibi,
Quin etiam deinceps iram ſub pectore ſeruat.
indignantur enim propter excellentiam ſuam.

COMM. Quod ſupra dixit Homeri auctoritate probat, apud quem Iliadis ſecundo Vlyſſes vir ſapientiſsimus ait vitandam eſſe regum iram, quę maxima exiſtere ſolet in eos, quibus præſunt, niſi ſeſe in officio continuerint. uocat autem reges ab Ioue natos, quoniam (ut etiam Aſtrologi ſentiunt) Iuppiter eſt, qui dominationes & imperia donat. in primo etiam Iliadis libro Chalcas inuitatus ab Achille ut diceret, qua de cauſa Apollo peſtem in exercitũ Græcorum immiſiſſet, reformidans Agamemnonis iram, ad quem ea res pertinebat, dixit; regum eam eſſe conſuetudinem, ut cum alicui viro inferiori iraſcuntur, quamuis eodem die videãtur iram deponere, tamen ſemper eam in pectore ſuo conſeruent, vt nacti occaſionem totam effundant in eum, à quo ſe læſos arbitrantur. illa uero eſt iracundiæ cauſa, quoniam ſciunt ſe antecellere. qui uero antecellunt, ſibi honorem ab inferioribus deferri æquum eſſe cenſent, quod cum fieri non uident, tanquam debito ſuo fraudentur, in iram prorumpunt. ad hoc alluſiſſe uidetur Ouidius primo Metamorphoſeos, cum ait;
Ingentes animo, dignas Ioue concipit iras.

TEXT. *Ab illis etiam obſeruari uult, à quibus aliquis exiſtimat, ſe beneficijs affici oportere. ij uerò ſunt, de quibus alias benemeritus eſt; uel quibus in præſentia benefacit aut ipſe, aut propinquus eius aliquis, aut alius quiſpiam ipſius gratia; uel etiam ſi uelit, aut alias uoluerit, obſequi.*

COMM. Qui beneficium alteri dat, aut aliàs dedit, is in ea re ſuperior eſſe uidetur, & quaſi creditor. itaq; viciſsim putat ſe beneficiis affici oportere, uultque ab eo obſeruari, de quo benemeritus eſt. qđ ſi non fiat, aut ſi cõtra pro beneficio maleficium reddatur, ira meritò concitatur. id, quod accidiſſe ſibi Cicero contra Burſam quendam ad Marium
Epiſt. 7. ſcribens narrat; oderam (inquit) multò peius hũc, quam illum ipſum Clodium: Illũ enim oppugnaram, hũc defenderam. & certè nihil minus eſt hominis quàm beneficiorum obliuiſci, atque ingratum eſſe. neque tantum iraſcitur, qui ipſe benefecit, ſed etiam cũ propinquus aut affinis, aut alius aliquis ipſius gratia. cum enim rogatu noſtro beneficia in aliquem conferuntur, idem penè eſt, ac ſi nos ea faceremus. quin etiam cum animum noſtrum promptum ad obſequendum alicui demonſtrauimus, & conati ſumus illi gratificari, licet res non ſucceſſerit, iam illum nobis debere putamus, itaque iraſcimur, niſi nos obſeruet. hoc eſt, quod indignatur Dido quarto Aeneidos cũ ita inquit;
Nuſquam tuta fides. eiectum littore egentem
Excepi, & regni demens in parte locaui.
Amiſſam claſſem, ſocios à morte reduxi,
Heu furiis incenſa feror.

Hoc eſt quod Cicero indignatur pro Deiotaro cõtra Caſtorem Deiotari nepotem; Rex enim (inquit) Deiotarus ueſtram familiam abiectam, & obſcuram è tenebris in lucem uocauit. quis tuum patrem antea qui eſſet, quam cuius gener eſſet, audiuit?

Ex his iam perſpicuum eſſe poteſt, quomodo affecti homines iraſcantur; & quibus, & quas ob res. iraſcuntur enim cum animo dolent. nam qui dolet animo, ſemper alicuius rei deſiderio tenetur. TEXT.

Iam ea ferè ſe abſoluiſſe oſtendit, quæ de ira propoſuerat, tria uero ſunt; nempe quomodo affecti iraſcantur, & quibus, & quas ob res. quæ licet ex eis, q̃ dicta ſunt, perſpicua eſſe poſsint, & aperta, nihilominus tamen uberius totam rem explicat. Ac primo dicit homines tunc ad iram eſſe procliues, cum aliquo dolore aut ęgritudine conficiũtur. qui enim animo dolet, ſemper aliquid cupiũt, quo eã moleſtia liberentur. Itaque ſi quem impedimento ſibi eſſe, quominus eam ægritudinem dẽponant, eſſe arbitrantur; illi vehementer iraſcuntur. quin potius omnes cupiditati ac uolũtati ſuæ aduerſari putant, qui non cum eis dolent. atque ideo plerunque ſine cauſa indignantur. dolori uero coniunctam eſſe iram in ſecundo Aeneidos docet Virgilius, ubi Venerem ita loquentem inducit; COMM.
Nate quis indomitas tantus dolor excitat iras?
Et in primo de Iunone ſic ait;
Nec dum etiam cauſæ irarum, ſæuiq́ue dolores
Exciderant animo.

Itaque ſiue quis ei directò reſtiterit, ut ſitienti, ne bibat, ſiue non directò: tamen idem facere uidetur: & ſiquis aliquid contra moliatur; & ſi cum poſſit, non adiuuet; ſiue quocunque alio modo ſic animo affectum perturbarit. omnibus enim iraſcitur. TEXT.

Illi maximè iraſcuntur homines qui directò cupiditatibus ſuis obuiam eunt, & eis aduerſantur. ut ſiquis ſitientem impediat, neque bibere permittat. eſt enim ſitis magna quædam bibendi cupiditas, quæ cum expletur, mirificam adfert uoluptatem. cum autem expleri non poteſt, magnam exhibet moleſtiam. unde pro aliis etiam uehementibus cupiditatibus ponitur. vt in Paradoxis; nunquam expletur nec ſatiatur cupiditatis ſitis. & de ſenectute: literas græcas ſic auidè arripui, quaſi diuturnam ſitim explere cupiens, quamuis autem COMM.

non

non directo quis cupiditatem alterius impediat, ſed idem obliquè facere videatur, tamẽ iram eius concitat. atque etiam magis quando aliquid contra molitur,& ſtudiis eius aduerſatur, uel cũ adiuuare debet,non uult,& ſponte deſerit. de quo genere hominum ſæpe queritur Cicero. ut ad Lętulum; ſubito exorta eſt nefaria Catonis promulgatio,quæ noſtra ſtudia impediret,& alibi;ſi eſſet in iis fides,in quibus ſumma eſſe debebat,non laboraremus.& alibi;uehementer quoſdam homines, & eos maximè, qui te & maximè debuerunt, & plurimum iuuare potuerunt, inuidiſſe dignitati tuæ. Denique quicunque moleſtia affecerit eum, qui uehementer aliquid cupit,eius in ſe iram cõcitat.nam qui ita affectus eſt, minimasquaſq; iniurias ſũmas putat, & ſe dedita opera offendi exiſtimat.ſicuti Iuno cum uideret Aeneam lætum iã in Italiam ueniſſe, & urbem ſubſtruere, putauit fata ſibi eſſe contraria, & cupiditati ſuæ aduerſari.itaque

—ſtetit acri fixa dolore,
Tum quaſſans caput,hęc effudit pectore dicta;
Heu ſtirpem inuiſam,& fata contraria noſtris
Fata Phrygum.

& quæ ſequuntur.

Sic etiam Dido in quarto cum nullis precibus Aeneam flectere potuiſſet,ut in Africa maneret, & ſe non deſereret,

—ſic accenſa profatur.
Nec tibi diua parens: generis nec Dardanus auctor
Perfide,ſed duris genuit te caucaſus horrens
Cautibus,hyrcanæque admorunt ubera tygres.
Nam quid diſſimulo? & reliqua.

locus eſt enim notisſimus.

TEXT. *Quare qui morbo laborant,qui paupertate premũtur,qui amant,qui ſitiunt,& denique qui aliquid deſiderant,& id aſſequi non poſſunt; iracundi ſunt, & nullo negocio concitantur.*

COMM. Homines iracundi ſunt aut natura,aut caſu aliquo.natura ut ij,in quibus flaua bilis,aut ſanguis abundat.caſu,ut qui morbo laborant, aut ſenectute.aut premuntur moleſtiis, de quibus hoc loco ſentit Ariſtoteles. morbus enim hominẽ iracundiorẽ reddit,ſicut oſtendit Iſocrates in Aeginetico, qui difficilis naturę quendam hominẽ ait propter morbũ factum eſſe moroſiorem.& quoniam ſenectus ipſa morbus eſt,ut ait Terẽtius, ideo fit ut etiã ſenes iracũdi ſint,ut de ſenectute ſic ait Cicero; At ſunt moroſi, anxii, iracundi, & difficiles ſenes. Veteres Romani ſolebant iracundos homines morboſos appellare,ſicuti quarto Tuſcul. his uerbis oſtendit Cicero;benè igitur noſtri,cũ omnia eſſent in morbis uitia,quod nullum erat iracũdia fœdius, iracũdos ſolos morboſos nominarũt. qui uero paupertate premũtur,cũ antea res ad uiuendũ neceſſarias poſſiderent, nõ tantum iracũdi ſunt, ſed etiã plerunque deſperatione quadam inducti,multa maleficia cõmittunt quod L. Catilinæ atque eius ſociis accidit. De amantibus non eſt dubitandum, quin iracundi eſſe ſoleant, quod apertè declarant rixæ,uulnera,cædes quæ ſępe inter riuales exoriuntur. Terentius in Heauton.

Noui ego amantium animum,aduortunt grauiter quæ non cenſeas.

Generatim autem omnes qui uehementi aliqua cupiditate trahuntur,neq; id aſſequi poſſunt, quod concupiſcunt,adeo ſunt iracundi, ut minima quaque de cauſa concitentur. unde Cicero uerisſimè & elegantisſimè cæcam & temerariam animi dominatricem,cupiditatem appellat.

TEXT. *Præcipuè uero illis iraſcuntur,qui eos in præſenti ſtatu negligunt; ut ægrotans ei,qui morbum ſuum negligit,pauper ei,qui paupertatem,miles ei, qui bellũ, amans ei,qui amorem; atque eodem modo in reliquis: ducitur enim unusquiſque ab animi perturbatione, in qua prius erat, ad iram, quæ in ſingulis rebus excitatur.*

COMM. Cum docuiſſet cupiditates, quæ nõ poſſunt ad exitum deduci,ſolere homines iracundos efficere. nunc addit,irã in illos potisſimum concitari, qui negligere quempiã uidẽtur in præſenti ſtatu,quã rem quatuor exemplis explicat. ægrotus iraſcitur illi,qui morbũ ſuum negligit. vt Cicero conqueritur de Gallo,quòd ſe ægrotantẽ non uiſerit; (Epiſt. 7.) tu tamen(inquit)cũ audiſſes ab Anitio,uidit enim me nauſeantem,non modo mittendi cauſam iuſtã habuiſti,ſed etiã uiſendi. hoc autem experientia docet,ægrotos eſſe difficiles ac moroſos, & minima quaque de cauſa iraſci ſolere. pauper etiam iraſcitur illi,qui ſuã paupertatem negligit. unde bene præcipit Heſiodus ne cuiquã vnquam paupertatẽ obiiciamus, niſi forte uel ab ignauia, ſicuti Proclus adiungit,uel ab intẽperantia, & effuſione proficiſcatur. nam magna digni uituperatione ſunt, qui propter uitia ſua pauperes euadunt. qui uero caſu ac fortuna pauperes ſunt illis iraſcuntur, qui ſibi ſunt impedimento quo minus leuare paupertatem poſſint, itaque ruſtici & agricolæ etiã agris iraſcuntur,cum uotis ſuis non reſpondent,ut Virgilius ſecundo Georg.

Aut unde iratus ſyluam deuexit arator
Et nemora euertit multos ignaua per annos.

Miles belli gerendi cupidus eis iraſcitur, qui bellũ negligunt, & deteſtãtur. amore captus eis, qui ſibi in amore moleſti ſunt, uehementer iraſcitur, ut apud Terentiũ in Eunucho Cherea deteſtatur Archidemidẽ quòd ſibi impedimento fuiſſet, quo minus Virginem quam deperibat, ſequeretur. ſic enim ait; ut illum Dij, deæque ſenium perdãt, qui me hodie remoratus eſt: meque adeo qui reſtiterim.& paulò poſt; id equidem adueniens mecum ſtomachabar modo: neque quanquam eſſe ego hominem arbitror cui magis bonę felicitates omnes aduerſę ſient. hoc idem accidit etiã in reliquis cupiditatibus omnibus. cũ enim homo in aliqua perturbatione eſt, & aliquid occurrit ei, quod ſpeciẽ habeat iniuriæ, ſtatim ira concitatur. ſemper autẽ in ſingulis rebus, non in toto genere ira eſt. ſicuti etiã ſupra declaratum eſt, cum tamen odium in

toto

toto genere eſſe poſſit, ut nemo iraſcitur omnibus mulieribus, & tamen aliqui genus omne fœmineum peroſum habent, vt Orpheus & Hippolytus.

TEXT. *Ad hac iraſcitur, ſi contra accidit, quam expectabat: maiorem enim dolorem adfert magnum, & inſperatum incommodum; quemadmodum etiam magnum & inſperatum bonum magis delectat, cum ex animi ſententia ſuccedit.*

COMM. Siquis offenditur præter ſpem atque expectationem ſuam, multo grauius iraſcitur. ut ſiquis ab eo impediatur, à quo ſperabat auxilium. quemadmodum enim bonum id, quod præter ſpem euenit, maiorem delectationem adferre ſolet, cum eo modo fit, ut uolumus, ita etiam malum improuiſum & inopinatum maiorem dolorem ac triſtitiã adfert. in Andria Terentii Carinus adoleſcens iraſcitur, quòd Pamphilus pollicitus auxilium, poſtea non præſtiterit;

Hoccine credibile eſt aut memorabile
Tanta uecordia innata cuiquam ut ſiet,
Vt malis gaudeant, atque ex incommodis
Alterius ſua comparent ut commoda?

& reliqua.

Cicero pro L. Flacco dolet quod præter expectationem ſuam D. Lælius Flaccum accuſaſſet; Nunquam tamen exiſtimaui Iudices D. Lælium optimi uiri filium, optima ipſum ſpe præditum, ſummæ dignitatis, eam ſuſcepturum accuſationẽ, quæ ſceleratorum ciuium potius odio & furori, quam ipſius uirtuti atque inſtitutæ adoleſcentiæ conueniret. omnia autem improuiſa & inſperata magis animum mouẽt uel ad dolorẽ ſi mala ſunt, uel ad lætitiã ſi bona. ut in Adelphis Demea, qui putaret filium ſuum Cteſiphontẽ frugi eſſe, poſtquam inſperato reperit eum eſſe meretriciis amoribus deditum, ita clamat; Hei mihi quid faciam? quid agam? quid clamem, aut querar, o cælum, ò terra, ò maria Neptuni. at uerò in Eunucho poſtquam Cherea Pamphilam ſuam inſpiratò reperit eſſe ciuem atticam lætitia geſtiens ait; O populares, ecquis me uiuit hodie fortunatior? Nemo hercle quiſquam. nam in me planè Dij poteſtatem ſuam omnem oſtendere, cui tam ſubito tot congruerint commoda.

TEXT. *Itaque ex his intelligi poteſt, quæ hora, quæ tempora, quæ affectiones, quæ ætates facile ad iram commoueant; & quando, quoque in loco magis concitentur.*

COMM. Qui diligenter ea, quæ dicta ſunt aduerterit, facile poterit intelligere, quo tempore, & qua affectione & qua ætate ſint homines ad iram proniores. nam quod ad horas, & tempora pertinet, mane dum adhuc ieiuni ſunt facilius iraſcuntur, unde prouerbiũ illud apud Plautum in Amphytrione; Fames & mora bilem in naſum conciunt. pranſi uero ac cænati mitiores ſunt. quod eleganti ſimilitudine Zeno docuit, cũ enim eſſet natura triſtis ac ſeuerus, tamen in conuiuio fiebat hilarior, atque huius rei cauſam rogatus dixit etiam Lupinum ſua natura peramarum, tamen aqua maceratum amariciem deponere. quin etiam ſæpe diebus feſtis lætiores ſunt homines, quam profeſtis cum opus faciunt, in conuiuiis, in iocis, in collocutionibus familiarium, contra uero triſtiores in feriis negociis, in occupationibus magnis, in laboribus magni momenti eſt etiã animi affectio, quæ uel ad placabilitatem, uel ad irã ſæpe nos impellit. ętates autẽ diuerſo modo irã concipiunt, nã pueri, & adoleſcentes propter ætatis feruorẽ facile iraſcuntur, ſed etiã facile placãtur. vt Horatius ait in Arte poetica de puero;

--& iram
Colligit, ac ponit temerè, & mutatur in horas.

Et Terentius in Hecyra;

Pueri inter ſe quam pro leuibus noxis iras gerũt?

Senes autẽ grauiores iras concipiunt, neq; eas facile deponunt. unde δύσοργοι uocantur. ſic enim Teucer apud Sophoclem appellat Telamonẽ patrẽ ſuũ, iã ætate cõfectũ ἀνὴρ δύσοργος ἐν γήρᾳ βαρύς. uir amarus in ſenectute moroſus. oportet etiã conſiderare quando, & quo in loco magis concitentur. ut qui nobis incõmodant cum rem ſeriã acturi ſumus, eis iraſcimur. ſicuti Simo Critoni in Andria; Ita ne attemperatè uenit hodie in ipſis nuptiis ut ueniret ante hac nunquam. aut qui in publico loco reprehendunt aut offendũt. ut in undecimo Aeneidos. Turnus cum in conſpectu Latini regis & totius concilij Drances eum uituperaſſet;

Talibus exarſit dictis uiolentia Turni,
Dat gemitum, rũpitque has imo pectore uoces.

Illud etiam planum eſt, omnes magis ad iram pronos eſſe; cum magis his rebus tenentur. TEXT.

Oſtendit in ira gradus etiã quoſdã eſſe, ut aliquando magis, aliquando minus homines iraſcantur. ut quo quis magis aliquid concupiſcit, eo grauius iraſcitur illi, à quo impeditur, quo minus uoti compos fiat. ita cũ quis importune laceſſitur, vt Cicero primo Epiſtolarũ ad Lentulũ de Craſſo; ſed cũ me diſputantẽ, non laceſſentem laceſſiſſet; exarſi, non ſolum præſenti, credo, iracundia, nam ea tam uehemens fortaſſe non fuiſſet, ſed cum incluſum illud odium multarum eius in me iniuriarum quod ego effudiſſe me omne arbitrabar, reſiduum tamen inſciente me fuiſſet, omne repente apparuit. COMM.

Atque hactenus, quomodo affecti homines, proni ſint ad iram, dictum ſit. Eis autem iraſcuntur, qui uel derident, uel ludibrio habent, uel dictis laceſſunt; nã hac facere: contumelia eſt. TEXT.

Primã partẽ iam ſe abſoluiſſe oſtendit, hoc eſt, quomodo ſint homines ad irã procliues, deinceps docere incipit, quibus potiſſimũ iraſcantur. neq; enim ferè quiſquã eſt, qui cum afficitur contumelia, non indignetur, ergo eis iraſcuntur, qui derident, uel quodã ludibrio inſectantur, uel facetis & aculeatis dictis prouocant, quoniã hæc contumeliæ ſpeciẽ habent, nã qui derident, etiã contẽnũt, ut ſecundo de Oratore; Quare omnes iſtos me COMM.

aucto-

auctore deridere, atque contemnite. Caſſius ad Ciceronem ſcribẽs de Pompeij filio ſic ait; Scis quã ſe ſemper à nobis deriſum putet, vereor ne nos ruſticè gladio velit ἀντιμυκτηρίσαι. eadem etiam de cauſa eis iraſcũtur qui ludibrio habent, quia deſpiciant, vt Cornificius quarto ad Herennium; filij parui priuati patris auxilio, ludibrio & deſpectui paternis inimicis erunt oppoſiti. præterea facetè dicta, præſertim ſi ſint aculeata, ſolent iram concitare. ut Scipio apud Numantiam cum ſtomacharetur cum C. Metello, dixiſſe dicitur, ſi quintum pareret mater eius, aſinum fuiſſe parituram. & Q. Catulus à Philippo interrogatus quid latraret, reſpondit, furem uideo. & Cicero cum C. Popilius iuriſcõſultus in iudicio teſtis productus dixiſſet, ſe nihil ſcire, putas(inquit) fortaſſis te de iure interrogari. idem cum M. Craſſum pro roſtris infamaret, quem eodem in loco antea laudauerat, & Craſſus dixiſſet; an non me nuper ex hoc ipſo loco laudaſti? laudaui(inquit) ſed exercendi ingenii gratia argumentum infame ſumpſeram.

TEXT. *Et ijs, qui lædunt in rebus, quæ ſpeciem habent cõtumeliæ; neceſſe eſt autem, ut talia ſint ea, quæ faciũt; neque ut talionem reddant, neque ut aliquam utilitatem habeant; iam enim per contumeliam facere uidentur.*

COMM. Ira grauis concitatur in eos, qui contumeliæ tantum gratia lædere uidentur. nam qui alium offendit, uel ut talionem reddat, & acceptam iniuriam vlciſcatur, uel ut aliquam utilitatem aſſequatur, is non uidetur contumeliam facere. nam contumelia, eſt alterius læſio ſine ultione, uel utilitate. ſed voluptatis tantum gratia (vt ſupra dictum eſt)

TEXT. *Et ijs, qui ipſos uituperant, & contemnunt in eis rebus, quibus ipſi maximè ſtudent: ut ſi quis in philoſophia maledixerit eis, & ſpreuerit, qui ſe multum in ea profeciſſe gloriantur; & qui forma ſtudent, ſi quis eos, in ea re uituperet; atque ita in reliquis.*

COMM. Omnes in arte, atque in ſtudio ſuo cupiunt excellentes uideri. itaque uehementer iraſcuntur, ſi quis eos uituperat in ea re, cuius ſtudioſi ſunt, quod duobus exemplis Ariſtoteles declarat. Sunt enim quidam qui ſtudio ſapientiæ dediti, plurimum in ea ſe, profeciſſe gloriantur. hos ſi quis in Philoſophia uituperet, & imperitos eſſe philoſophiæ dicat, eorum ſtatim iram in ſe uehementem excitabit. quidam autem pulchri & formoſi uideri uolunt, atque ideo cultu nitido politoque delectantur. hos ſi quis deformes & ſordidos appellet, derepente iratos uidebit. hæc ſunt Ariſtotelis exempla, quibus adiungi poſſunt alia plurima, ut ſi quis egregium bellatorem, inertem & fugacẽ appellet, quemadmodum Drances in undecimo Aeneidos de Turno ait.

— dum Troia tentat
Caſtra fugæ fidens & cœlum territat armis.

Et paulo poſt;

Pone animos, & pulſus abi.

ideo Turnus uehementer iratus ita inquit;

Pulſus ego? aut quiſquã meritò fœdiſſimè pulſũ
Arguet, iliaco tumidum qui creſcere Tybrim
Sanguine, & Euandri totam cum ſtirpe uidebit
Procubuiſſe domum. & quæ ſequuntur.

TEXT. *Et multò magis iraſcuntur, quando ſuſpicantur ea ſibi non adeſſe, quibus ſtudẽt; uel omnino ſe expertes eſſe, uel non firmiter tenere; uel, etiam ſi teneant, non exiſtimari.*

COMM. Augetur ira, cum quis honorem ex eo ſtudio maximè cupit, in quo non multum adhuc profecit, ſi ſe vituperari ſentiat, & præcipue ſi nondum in eo nomen & exiſtimationem acquiſiuit. ut ſi quis eloquentiæ ſtudio deditus adoleſcens, qui ſtyli gloriã quærat, ſi uel nondum bene dicendi rationem aſſecutus eſt, uel non planè præcepta ſeruare nouit, vel denique non exiſtimatur politè ſcribere, certè non poteſt iram cohibere, cum ſe uituperari intelligit. cupit enim omnes ſtudio ſuo fauere. apud Platonem in Gorgia Polus adoleſcẽs iraſcitur Socrati, quod ſe artis rhetoricę imperitum argueret, cui præcipuè ſtudebat. Cicero in Piſonem uehementer indignatur, quod Piſo carmen illud ſuum reprehendiſſet;

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Quid nunc(inquit) te aſine literas doceam? nõ opus eſt uerbis, ſed fuſtibus. non dixi hãc togam qua ſum amictus, nec arma ſcutum & gladium vnius imperatoris; ſed quod pacis eſt inſigne & otij toga; contra autem arma tumultus atque belli, more poetarum locutus, hoc intelligi uolui, bellum ac tumultum, paci atque otio conceſſurum. defendit igitur Cicero ſtomachoſè atque irato animo uerſum ſuum, qui tamen à multis uituperabatur.

TEXT. *Nam, cum exiſtimant ea ſibi firmiter adeſſe; nihil curans eos, qui ſe in ea parte uituperant.*

COMM. Is qui artem aliquam preclarè didicit, & in ea iam nomẽ & famam acquiſiuit, nihil curat, etiam ſi qui ſint, qui in ea arte ipſum uituperent. ſed eos potius contemnit, & irridet. ut ſi quis Apellem dicat ineptum eſſe pictorem, aut Phidiam imperitũ ſtatuarium, aut Demoſthenem impolitum oratorem, merito ab omnibus rideatur. Sicut Zoilus ille, qui Homerum omnium ſciẽtiarum fontem inſectari non dubitauit. & C. Caligula, qui Virgiliũ vt nullius ingenij, minimæque doctrinæ. T. Liuium ut uerboſum in hiſtoria negligentemque carpebat. ut in eius uita Suetonius ſcribit. hæc eſt cauſa cur uiri ſapientes ſæpe conuiciatoribus ſuis non reſpondent, quia ſciunt, ſe iam eam famam adeptos, ut conuicia ſibi minimè obeſſe poſſint.

TEXT. *Et magis amicis iraſcuntur, quam iis qui ſunt inimici: putant enim conuenire magis ab eis ſe benè tractari, quam contra.*

COMM. Cum ab amicis offenduntur homines multò grauius iraſcuntur, quam ſi ab inimicis læduntur, cuius rei cauſa eſt, quia iuſtum eſſe cẽſent ab amicis benè tractari, non autem malè. cum autẽ à quibus beneficium ſibi deberi exiſtimant, ab ijs non ſolum beneficio fraudari ſed etiam offendi ſe uident grauiter iraſcuntur. unde prouerbio fertur,

fratrum

fratrum iras eſſe acerbiſsimas. nam qui uehementer amant, iidem etiam uehementer oderunt. ſicut ait idem Ariſtoteles Politicorũ ſeptimo. ubi hęc eadem ferè commemorat; Pars (inquit) ea animi, in qua irarum exiſtit ardor, eſt quæ amicitiam gignit. hæc enim pars eſt animi, qua ad amorem impellimur. quod ex eo ſciri poteſt, quia magis in familiares & amicos concitatur pars illa, quam in ignotos, ſi ſe contemptam putet.

TEXT. *Illis etiam iraſcuntur, qui uel ipſos honorare, uel de ipſis curam ſuſcipere conſueuerant, ſi poſtea non idem efficiunt; nam ab eis ſe tunc contemni putant, ni ſi enim hoc eſſet, idem in eos eſſe facturos.*

COMM. Siquis ſolitus aliquem honorare, poſtea nõ honorat, aut eius curam habere, poſtea non habet, iram in ſe concitat. quoniam is, qui non honoratur, ut ſolebat, & cuius non habetur ratio more ſolito, ſtatim ſe contemni exiſtimat. ſecum enim ita ratiocinatur: certè niſi me iſte contemneret, more ſolito honoraret, & res meas curaret. eſt huius rei ſatis apertum exemplum apud Ciceronem primo Epiſtolarum ad Lentulum ubi cõqueritur de quibuſdam hominibus, quòd ſe deſeruiſſent, cum antea ſibi auxilio eſſe cõſueuiſſent; Qui me (inquit) homines quod ſaluum eſſe uoluerũt, eſt mihi gratiſsimum: ſed uellem non ſolum ſalutis meæ, quẽadmodum medici, ſed etiã (ut aliptæ) uirium & coloris rationem habere uoluiſſent. nunc, ut Apelles Veneris caput, & ſumma pectoris politiſsima arte perfecit, reliquam partem corporis inchoatã reliquit: ſic quidam homines in capite meo ſolum elaborarunt, reliquum corpus imperfectum, ac rude reliquerunt. ita Venus decimo Aeneidos cum Ioue patre queritur, quod is non ſit auxilio Troianis contra Rutulos cum eos iam antea multis è calamitatibus eripuiſſet; ſic enim ait;

—quid peſtem euadere belli
Iuuit? & Argolicos medium fugiſſe per ignes?
Totque maris, uaſtæque exhauſta pericula terræ,
Dum Latium Teucri recidiuaque pergama quærunt?

TEXT. *Et iis, qui accepta beneficia non reddunt; aut non æqualem gratiam referunt.*

COMM. Hæc ira iuſtiſsima eſſe uidetur, quæ contra ingratos homines concipitur. qui, cum facultas datur, accepta beneficia reddere nolunt, aut ſi reddunt, nõ æquali menſura, neque grato animo reddere contendunt. omnes enim (ait Cicero) immemorem beneficii oderunt, itaque non iniuſta fuit illa ſuperioris Africani querela, qui, cũ ſibi uoluntariũ exiliũ indixiſſet ob aſsiduas Tribunorũ uexationes, moriens ſepulchro ſuo inſcribi iuſsit; ingrata patria, ne oſſa quidẽ mea habes. eodem modo P. Lentulus qui C. Gracchi conatus nefarios fregit, inuidia & obtrectatione compulſus in Siciliam receſsit, & quadam libera indignatione ad ingratum populum Romanũ nunquam redire uoluit. Cicero ad Atticum libro octauo ſe Dionyſio cuidam magnopere iratum oſtendit, quod is beneficiorum à ſe acceptorum immemor eſſet. quem locum ita concludit; nihil cognoui ingratius. in quo uitio nihil mali non ineſt.

TEXT. *Et iis, qui conatibus ſuis reſiſtunt, ſi inferiores fuerint; Omnes enim iſti contemnere uidentur: & hi quidem tanquam ſe inferiores, negligunt; illi uero tanquam ab inferioribus beneficia acceperint.*

COMM. Iraſcuntur etiam eis homines, qui ſibi ſunt impedimento, quo minus peragere conata ſua poſſint. præcipuè ſi fuerint inferiores. quoniã hac ratione uidentur uelle ſuperiores eſſe. tam igitur hi qui conatibus reſiſtunt, quã illi qui beneficia non reddunt, contẽnere uidentur. nã qui reſiſtunt alicuius conatibus, cum tanquã inferiorẽ negligũt, qui uero beneficia non reddunt, tanquã ab inferioribus; & à debitoribus acceperint ea reddere non curant. unde ſæpe graues oriũtur inimicitiæ. Cicero quinto Epiſtolarũ ad Metellum ſcribens ait ſe illius fratri factũ eſſe inimicum, quod eum comperiſſet omnẽ ſui tribunatus conatũ in ſuam perniciem parare, atque meditari. de quo etiã ita queritur; Ad III. Non. Ian. cũ agere cœpiſſet; tertio quoque uerbo orationis ſuæ me appellabat, mihi minabatur: neque illi quicquã deliberatius fuit, quam me, quacunque ratione poſſet, non iudicio, neque diſceptatione, ſed ui atque impreſsione euertere.

TEXT. *Et iis, qui in nulla ſunt exiſtimatione, ſi negligere uideantur, magis iraſcuntur: diximus enim iram eſſe propter negligentiam aduerſus eos, quos non conuenit; conuenit autem inferioribus non negligere præſtantiores.*

COMM. Illis, qui uiles ſunt, & abiecti, neque in aliquo honore ac precio, faciliimè iraſcimur, ſi in aliquare nos parui facere uideantur. hoc autẽ probatur ex iræ definitione, in qua dictũ fuit, iram excitarĩ propter negligentiã in eos, quos non conuenit. Sed qui ſunt inferiores, non eis conuenit, ut præſtantiores negligant, ſed potius colant, & obſeruent. hinc ira vehemens apud Virgiliũ Turni fortiſsimi iuuenis contra Drancẽ, cui frigida bello dextera, ſicut ait Virgilius. itaque cum ſumma contemptione Turnus ea uerba profert iratus;

—neque timoris.
Argue tu Drance. tot quando ſtragis aceruos
Teucrorum tua dextra dedit, paſsimque trophęis
Inſignis campos.

...Et paulo poſt;

—an tibi Mauors
Ventoſa in lingua pedibuſque fugacibus iſtis
Semper erit?

Sic Aiax apud Ouidium indignatur quod Vlyſſes contendere ſecum de armis Achillis auderet, cum robore corporis multo eſſet inferior.

Præmia magna peti fateor. ſed demit honorem
Aemulus Aiaci. non eſt tenuiſſe decorum
Sit licet hoc ingens, quicquid ſperauit Vlyſſes.
Ipſe tulit precium iam nunc certaminis huius
Quod cum uictus erit, mecum certaſſe feretur.

TEXT. *Et amicis iraſcuntur, niſi uel bene dixerint, uel*

bene

bene fecerint: & multo magis, ſi contraria fecerint: & ſi non aduerterint quibus rebus indigeant, ſicut apud Antiphontem Plexippus Meleagro iraſcitur; hoc enim negligentiæ ſignum eſt, non aduertere; nam, quæ curamus, ea nos latere non ſolent.

COMM. Sæpe etiam inter amicos ira concitatur, quando uel non ſatis laudant, uel non, quantũ poſſunt, adiuuant. neque enim tunc fungi officio ſuo uidetur. quoniam amicorum eſt, amicos laudibus extollere, atque in eos beneficia conferre. quod qui non faciunt, negligere uidentur. ex qua re exiſtit ira & tanto magis, ſi contra fecerint, hoc eſt ſi uel uituperauerint, uel offenderint. Ser. Sulpitius (ut in Oratione pro Murena Cicero oſtendit) grauiſſimè & acerbiſsimè tulit, Ciceronem amicum ſuũ familiaritatis neceſsitudinisq; oblitum cauſam L. Murenæ contra ſe defendiſſe. cui tamen ita Cicero reſpondet, ut amicitiæ ſatisfaciat. & eam ſententiam adiungit, quæ plurimum ad hunc locum facit; cum graue eſt uerè accuſari in amicitia, tum etiam, ſi falſò accuſeris, non eſt negligendũ. oportet enim & dictis & factis quantum ius faſque cõcedit, amicis obſecundare. nam etiam tũc iraſcuntur amici, cum non aduertimus, quibus rebus indigeant, ut eis, quantum fert facultas noſtra, ſubueniamus. qui enim non aduertit, quodammodo negligere uidetur. ſiquidem cum alicuius rei magnam curam habemus, nequaquam nos latere poteſt, quid ei contingat. hoc autem declarat Ariſtoteles exemplo ex Antiphontis Tragici poetæ fabula ſumpto. in qua Plexippus iratus à poeta inducitur contra Meleagrum ſororis ſuæ filium, quod Meleager, quibus ille rebus indigeret, non aduerteret. fuit autẽ Plexippus Altheæ Meleagri matris frater; qui cum Toxeo fratre ſuo uenationi apri Calydonij interfuit, quam octauo Metamorphoſis Ouidius deſcribit. aderat etiam Atalanta uirgo quã Meleager deperibat, atq; eius amore torquebatur. itaque cum ab Atalanta leuiter prius ictus aper fuiſſet, deinde à Meleagro interfectus, cupiebat Plexippus Meleagri auunculus apri ſpolia ſibi dari, ſed ea Meleager amicæ ſuæ Atalantæ largitus eſt. qua de cauſa iratus Plexippus in Virginem impetum fecit, atque illi ſpolia per uim abſtulit. quo facto Meleager tãtopere exarſit ut Plexippum & Toxeum auunculos interfecerit. huius argumenti Tragœdiam conſcripſit Antiphõ, ex qua Ariſtoteles hoc exemplum ſumpſit. fuit autem Antiphon Athenienſis ex Rhamnunte Atticæ regionis pago, unde dictus eſt Rhamnuſius, neque tantum poeta ſed etiam Orator fuit. nam Thucydides ait neminem unquam capitis cauſam Antiphonte melius orauiſſe. profitebatur etiam ſe artem tenere, qua ægris animis curationem adhiberet, atque id Corinthi propoſita publicè tabula ſcripta, in qua ſe medicum animorum prædicabat. multis autem in locis Ariſtoteles huius poetæ teſtimonia citat.

TEXT. *Et iis, qui in fortunijs, quæ ipſis accidant lætantur; & omnino qui in aduerſa ipſorum fortuna ſecuro ſũt animo; hoc enim uel inimici, uel negligentis indicium eſt.*

COMM. Non poſſunt illis homines non iraſci, quos intelligunt lætitiã capere cum aliquod ipſis infortunium accidit, aut qui ſecuro ſunt animo neque ullum omnino dolorẽ oſtendunt ob aduerſam ipſorum fortunam. hæc enim ij facere ſolent, qui uel inimici ſunt, uel magnopere negligunt. nam inimici lætitiam capiunt, cũ inimicorum infortunia uident. hoc eſt quod Cicero pro Plancio inquit; Nolite Iudices per uos, per fortunas ueſtras, per liberos inimicis meis, ijs præſertim quos ego pro ueſtra ſalute ſuſcepi, dare lætitiam, glorantibus uos iam oblitos mei. & quę ſequuntur. apud Virgilium quarto Aeneidos Dido uehementer indignatur, quod Aeneas ſuis lachrymis nihil motus eſſet, neque ullum doloris ſignum dediſſet;

Nam quid diſsimulo? aut quæ me ad maiora reſeruo?
Num fletu ingemuit noſtro? num lumina flexit?
Num lachrymas uictus dedit, aut miſeratus amantem eſt?

TEXT. *Et iis, qui non curant, etiam ſi dolorem adferunt; unde etiam mala nunciantibus iraſcuntur: & æquo animo audientibus eo, quæ exiſtimationem ipſorum lædunt; æquoque animo res malas intuentibus.*

COMM. Amicorũ propriũ eſt lętitiam, non autem dolorem adferre, itaque illis iraſcimur, qui dolorẽ nobis adferunt, neque præcauent ægritudinẽ noſtrã, ut ei obuiã eant, unde fit, ut eis, qui nobis mala nũciant, iraſcamur, & eis, qui ęquo animo uituperari nos audiũt, & eis, qui noſtra infortunia æquo animo uident. nã quemadmodũ eos præmio dignos arbitramur, qui primi res lętas nunciant. ita pœnam mereri putamus, qui libenter mala nunciãt. Quare Sophocles in Antigona ſententiam poſuit in hunc ſenſum;

Nemo eſt malorum nuncium qui diligat.

Et Birrhia Terentianus cum hero ſuo rem ingratam nunciaturus eſſet, ita inquit;

Renunciabo, ut pro hoc malo, mihi det malum.

Quin etiam uulgo coruos uocant eos, qui libẽter nunciare mala conſueuerunt. qui autem æquo aio uituperari nos audiunt, ſe inimicos eſſe oſtendunt. oportet enim (ut Epiſtolarum tertio Cicero docet) ex doctiſsimis hominibus auctoribus, quorum ſunt de amicitia gerenda præclariſsimè ſcripti libri, genus hoc totum Orationis tollere; Diſputabant, ego contra diſſerebam: dicebat, ego negabam. non enim tantum iniuriam faciunt ij, qui maledicunt, ſed etiam ij, quorum aures ad audienda maledicta patent. præterea ſolent amici cũ amicorum mala uident, aut audiunt, dolere, atque ingemiſcere, ſicut ille Terentianus Chremes; lachrymas excuſsit mihi, miſeretque me eius. qui autem non dolent, inimici uidentur. itaque merito eis iraſcimur.

TEXT. *Nam, qui hoc faciunt, uel negligentibus, uel inimicis ſimiles ſunt: amici enim anguntur, nec quiſquam eſt, cum propria mala uidet, quin doleat.*

Hæc

COMM. Hæc eſt aperta rõ cur illis iraſcamur, qui æquo animo mala noſtra intuentur. nam aut nos negligunt, aut inimici ſunt. Si. n. eſſent amici, æque atq; nos dolerent. cũ amicorum oĩa cõia ſint. nemo eſt autem tam conſtanti animo, qui non doleat, cum propria mala intuetur. ut Aeneas apud Virgilium cum Pallantem Euandri filium mortuũ uidiſſet;

Te ne (inquit) miſerandæ puer cum læta veniret
Inuidit fortuna mihi? ne regna videres
Noſtra: neque ad ſedes victor ueherere paternas?

Quin etiam tanta vis eſt humanitatis, ut pij viri inimicorum etiam malis doleant, vt idẽ Aeneas cum Lauſum Mezentij filium interfeciſſet.

At uerò ut uultum uidit morientis & ora
Ora modis Anchiſiades pallentia miris
Ingemuit miſerans grauiter, dextramq́ue tetẽdit,
Et mentem patriæ ſubiit pietatis imago.

TEXT. *Prætereà illis iraſcuntur, qui ſe negligunt apud quinque hominum genera; apud eos, quibuſcum de honore contendunt; apud eos, quos admirantur; apud eos, quibus eſſe admirationi ſtudent; apud eos, quos uerecundantur; denique apud eos, quibus ipſi ſunt uenerationi. apud hæc hominum genera ſiquis ipſos neglexerit, maxime iraſcuntur.*

COMM. Semper iniquo animo ferunt hoĩes cum negliguntur, ſed præcipuè apud quinque hominũ genera, primo apud eos, cum quibus de honore & gloria contendunt. cupiunt enim aduerſarios, ſui nominis gloria deterrere. neque pati poſſunt ſe illis inferiores videri. quo fit ut inter excellentes viros, ferè ſint aliquæ ſimultates, cum alter alteri dignitate cedere nolit, ut inter Platonem & Xenophõtem, inter Themiſtoclem & Ariſtidem, inter Fabium Max. & Superiorem Africanum. quæ res aliquando bella inteſtina generat, ut inter Mariũ, & Syllam, inter Cæſarem & Pompeium. Secundo apud eos, quos admirantur. nam illos ſibi conciliare ſua obſeruantia, atque amicos facere ſtudẽt, ſed cum apud eos parui penduntur, ſua ſpe ſe deiectũ iri timẽt. Tertio apud eos, quibus admirationi uolunt eſſe. res. n. iucũda eſt, multos habere qui nos, noſtraq; admirentur. q̃m hoc præſtantiæ indiciũ eſt. qui uero nos in eorum conſpectu paruipẽdit, qui nos admirantur, ea nos iucunditate priuat, atque dolorem adfert. itaq; merito iraſcimur. Quarto apud eos, quos verecundantur. ut apud graues & ſapientes homines. & Turnus cũ à Drãce corã Latino, quẽ ſũmè uerebaĩ, ſe negligi intelligeret, exarſit, & Dranci uehementer indignatus eſt;

Talibus exarſit dictis uiolentia Turni
Dat gemitũ, rumpitq́ue has imo pectore uoces.

Quinto & ultimo, apud eos, quibus ipſi ſunt venerationi, ut ſiquis patrẽ apud filiũ negligat, aut præceptorem apud diſcipulos, merito illi pater & præceptor iraſcetur. hæc ſunt quinque hominum genera, apud quos ſtudent omnes eſſe in honore ac precio. Quare non ſine cauſa magnopere illis iraſcuntur, qui ſe apud eos negligunt.

TEXT. *Et ijs, qui negligunt ea, quibus opem non ferre turpe eſſet; ut parentes, filios, uxores, imperio ſubditos.*

COMM. Nemo eſt ferè quin iraſcatur, & grauiſſimè ferat, cum eas perſonas negligi videt, quas niſi tueatur ac defendat, ignominiam ſubit. ut cum parentes ſuos, aut uxorem, aut imperio ſubditos, uel offendi, uel contemni intelligit, ut L. Manlius cum ruri ageret, & patrem ſuum à Pomponio Trib. Pl. accuſatum audiuiſſet, in urbem ſubitò uenit. & ad Pomponium profectus diſtricto gladio iurare eũ coegit, à patris eius accuſatione receſſurũ. ita M. Cotta quo die virilem togam ſumpſit C. Carbonem, à quo pater eius dãnatus fuerat, in iudicium vocatum condẽnauit. graues etiã iræ concitantur in eos, qui uxorẽ alicuius violant. ut Menelaus cõtra Troianos exercitum coegit ꝑꝑ abductã à Paride Helenam. ſed plurima ſunt eius generis exẽpla. cum aũt imperio ſubditi læduntur, non tantũ iræ, ſed ẽt bella ſæpe grauiſſima naſcuntur. Sed ut eſt oĩum maximus amor parentũ in filios, ita etiã grauiſſimè parentes iraſcuntur eis, à quibus filios offendi uident, quod egregiè declarat Virgilius in ſecundo Aeneidos. cum enim Pyrrhus Achillis filius Politem filium Priami coram ipſo parente necaſſet, ita inquit Poeta;

Hic Priamus, quãquã in media iã morte tenetur,
Non tamen abſtinuit, nec uoci iræq́ue pepercit.
At tibi pro ſcelere exclamat pro talibus auſis
Dij, ſiqua eſt cœlo pietas quæ talia curet,
Perſoluant grates dignas.

hoc aũt non tantum hoĩes, ſed ẽt pecudes, & feræ faciunt, ut quacunq; rõne poſſint, partus ſuos defendant, & in eo impetũ faciant, à quibus illos offendi uident. Quod uerò dictum eſt de parentibus, filiis, uxoribus, imperio ſubditis, intelligendum eſt ẽt de aliis perſonis, quarum curam ſuſcipere debemus, ut eas negligi non patiamur. quales ſunt fratres, ſorores, conſanguinei, affines, amici, quos turpe eſt deſerere, & non eis opem ferre, cum opus eſt.

TEXT. *Et, qui beneficiorum acceptorum gratiam non referunt; eſt. n. hæc negligẽtia præter id, quod cõuenit.*

COMM. Qui beneficiũ à nobis accepit, neq; referre gratiã ſtudet, ei meritò iraſcimur. non tm̃ ꝑꝑ utilitatẽ, quã ab eo expectamus, quantum ꝑꝑ honorem quem nobis exhiberi cupimus. cã uerò cur iraſcamur ea eſt, q̃m ingratus ille, contra ius faſq́; negligere nos vr̃. omnis aũt negligentia non iuſta præterq́ue rõnem iram concitat. Cic. libro Epiſtolarum quinto ad C. Antonium ſcribens, illi ſe iratũ oſtendit, qđ gratiam ſibi referre nõ ſtuderet; Ego (inquit) ſi abs te ſumma officia deſiderem, mirũ nemini uideri debeat: omnia. n. à me in te profecta ſunt, quæ ad tuũ commodum, quæ ad honorẽ, quæ ad dignitatem pertinerent. pro ijs rebus nullam mihi abs te relatam eſſe gratiam, tu es optimus teſtis. & quæ ſequuntur.

TEXT. *Et ijs, qui diſſimulatione utuntur, cum ipſi ſerio agant; ſignum enim contemptionis eſt diſſimulatio.*

COMM. Ironia q̃ latinè diſſimulatio dr̃ contemptionis indiciũ eſt. nã cum eis quos amamus, aut obſeruamus, apertè nobis agendũ eſſe cenſemus, cum eis aũt quos negligimus ſæpiſſime diſſimulare conſueuimus.

ſueuimus.atq; hæc eſt cā,cur ſæpe hōies eis iraſcātur,qui diſſimulatione vtunť, cū ipſi ſeriò agunt, quia ſe contēni putant. Socrates quaſi perpetua ironia utebať.itaq; rhetorū ferè oīum, atque etiā aliorū multorum irā in ſe concitabat.tradunt etiā inſeriorem Africanum diſſimulatorem fuiſſe maximum.quæ res in eo non ſuit improbata,quoniā imitari Socratem uidebatur. qđ aūt Ironia contēptionis indicium ſit apertiſſimū eſt,& multis exēplis oſtendi pōt. ut in Piſonem Cic. cum eſſes interrogatus quid ſentires de cōſulatu meo, grauis auctor, Calatinus credo alis,aut q.Africanus, aut Maximus,& nō Ceſoninus ſemiplacentinus Caluētius.& alibi;tu ſcilicet hō religioſus & ſanctus, fœdus quod meo ſanguine in pactione prouinciarum iceras,ſrangere noluiſti.& alibi;errauit.n.nō guſtarat iſtam tuam philoſophiam.& pro Cœlio: ſed non dubito quin ſint pergraues, qui primum ſint talis ſœminæ ſamiliares,deinde eam prouinciam ſuſceperint,ut in balneas contruderētur.ſed infinita ſunt exempla.

TEXT. *Et iis,qui ſunt in alios benefici ac liberales,niſi & ipſis benefaciant;contēptionis.n.ſignum eſt,non iiſdē rebus aliquē dignū iudicare quibus oēs alios iudicāt.*

COMM. Cū aliquid ab eo petimus, qui in alios beneficus & liberalis eſſe ſoleat,iraſci ſolemus,niſi nobis id concedat.cā eſt,quia negando nos contemnere vř.cum ſua liberalitate nos non eſſe dignos exiſtimet,qua erga alios plurimos utiť. quinetiā nobis iniuriā fieri putamus,cū aliis multis & plerunq; inſerioribus gratificeť, ſi nobis gratificari nolit.ita Tigellius Sardus Ciceroni iratus eſt, q causām ſuā ſuſcipere noluit, cum alios multos deſenderet.ut 7.Epiſtolarum ipſe Cic.oſtendit.ubi etiā ita ſe excuſat;Capius(ut opinor)olim,Non omnibus dormio: ſic ego nō omnibus mi Galle ſeruio. Quare cū aliquid impetrare uolumus, multū prodeſt ea cōmemorare beneficia,quæ,is, quē rogamus,in alios contulit.ut pro Q.Ligario Cic.commemorat quemadmodū Cæſar multos ex Pompeianis conſeruaſſet,ut eū ad ignoſcendum Ligario facilius inducat.quin eā orationē ita cōcludit; fac igitur quod de hoīe nobiliſſimo & clariſſimo M. Marcello reſtituto feciſti nuper in curia,nunc quidem in ſoro de optimis,& huic omni frequentiæ probatiſſimis fratribus. ut conceſſiſti illum ſenatui,ſic da hunc populo,cuius uoluntatem cariſſimam ſemper habuiſti.mouetur.n.is,qui rogatur, ſuo ipſius exemplo.timetque ne niſi roganti gratificetur, quodammō in eū iniurius eſſe uideatur.

TEXT. *Obliuio quoque iram commouet; ut ſiquis nomen alicuius penè oblitus fuerit. nam etiam obliuio negligentiæ ſignum eſſe uidetur: ſiquidem ab incuria naſcitur obliuio;incuria uero negligentia eſt.*

COMM. Indignātur homines,cum è memoria alicuius effluunt,qui amicus eſſe uideretur.ut ſi ille nomē penè fuerit oblitus.cauſa eſt,quia qui rei alicuius obliuiſcitur, eam negligere uidetur. cuius enim rei curam non habemus,eius obliuiſcimur. incuria uero nihil aliud eſt, quam negligentia quædā. unde fit,ut ſæpe qui nō ſalutant obuiam amicos, eos iram in ſe concitent,quia negligere uidentur. hinc illud Græcorum prouerbium, multæ amicitiæ non appellando dirimuntur.bene igitur præcepit ille ſapiens,quiſquis ſuit;qui nos admonet,ut libenter obuios ſalutemus.tradunt Cyrum Perſarum regem omnium ferè militum ſuorum nomina didiciſſe,diligenterque memoriæ mandaſſe,ut eos appellando blandius, ad ſe amādum alliceret, quem imitatus eſt etiam ſuperior Africanus, & alij nonnulli præſtantes imperatores.hinc eſt, qđ cum raro uel amicos inuiſimus, uel ad eos ſcribimus ita nos excuſare ſolemus,ut dicamus nō obliuione amicitiæ,ſed occupationibus accidiſſe. Cicero quinto Epiſtolarum ad Seſtium, Non obliuione amicitiæ noſtræ,neque intermiſſione conſuetudinis meę, ſuperioribus temporibus ad te nullas literas miſi.qua excuſatione vulgo ferè omnes uti ſolent.

TEXT. *Quibus igitur hominibus iraſcantur, & quō affecti,& quas ob res,ſimul explicatum eſt. Planum eſt aūt,oratorem oportere iudices oratione ſua tales efficere,quales ij ſunt,qui in irā procliues ſunt: atque aduerſarios eis culpis affines eſſe oſtēdere,quæ iuſtā irā cōmouēt;& tales eſſe quibus iraſci merito dēant.*

COMM. Iā ſe explicuiſſe tria illa oſtendit,quæ ſibi explicanda propoſuerat,cū eſſet de ira tractaturus,hoc eſt quibus iraſcātur,& quō affecti,& quas ob res. deinde admonet quid vtilitatis in ſe habeat hęc tā accurata de ira tractatio.nempe ut orator Iudices ita afficiat,ut ad iram procliues ſint, deinde ut aduerſarios ea peccata commiſiſſe demonſtret, quæ omnium in ſe iram concitare debeant.hæc diligēter multis in locis obſeruat Cicero, ſed præcipue ſecunda in Verrē actione, vbi ſic ait;adduxi enim hominem in quo reconciliare exiſtimationem iudiciorum amiſſam,redire in gratiam cum populo R.ſatisfacere cæteris nationibus poſſetis:depeculatorē ærarij,uexatorem Aſiæ, atque Pamphiliæ, prædonem iuris Vrbani, labem atque perniciem prouinciæ Siciliæ.ſed plurima ſunt (ut dixi) apud Ciceronem exempla.nam iræ in aduerſarios concitandæ mirus eſt artifex.

TEXT. *Quoniam autem iraſci,& leniri cōtraria ſunt; & ira lenitati: uidendum eſt, quomodo affecti homines lenes ſint, & erga quos ſe leniter gerant, & quibus de cauſis leniantur.*

COMM. Non tantum ſcire debet orator,quomodo iudicum animi ad iram commoueantur,ſed etiā quomodo ad lenitatem & clementiam reducantur, ut utraque commoditate quando cauſa poſtulat uti poſſit. nam utraque maximā uim hēt, & ſummis eloquentiæ uiribus tractanda eſt, quod primo de Oratore Cicero illis uerbis oſtendit; Quis enim neſcit,maximam uim exiſtere oratoris in hominū mentibus uel ad iram, uel ad odium uel dolorem incitandis, uel ab hiſce permotionibus ad lenitatem miſericordiamque reuocandis? cū igitur ira lenitati contraria ſit, & iam de ira copioſè uerba fecerit Ariſtoteles,nunc etiam de lenitate ſibi tra

ctandum

ctandum eſſe exiſtimat. quam quidem tractationẽ tres in partes diſtribuit, ſicuti etiam ſuperiorem, hoc eſt quomodo affecti homines lenes ſint, & erga quos leniter ſe geraut, & quibus de cauſis leniri ſoleant.

TEXT. *Eſt autem lenitudo ſedatio animi, atque ab ira ceſſatio.*

COMM. Definit primo lenitudinẽ, vt ex naturæ ipſius explicatione, quæ propoſuit, melius tractari, atq; intelligi poſsint. cum igitur ira tanquam tempeſtate quadam animus commotus eſt, opus eſt illos turbidos motus oratione quaſi tranquillare & ſedare, quod cum fit, ira ceſſat, lenitas autem ſuccedit, ita igitur ſedatio animi, atque ceſſatio ab ira uocatur lenitudo latinè, πραΰνσις græcè. quamuis Petrus Victorius exiſtimet, non reperiri latinum nomen par græco, quo uim ipſius græci exprimamus. & certè in græco uocabulo quidã eſt actus, quem nos exprimere non poſſumus, niſi lenitionem dicamus; quo latini non utuntur.

TEXT. *Cum igitur homines iraſcuntur negligentibus, negligentia uerò uoluntaria ſit: perſpicuum eſt, eſſe lenes aduerſus eos, qui aut nihil horum faciunt, aut inuiti faciunt; aut ſaltem facere uidentur.*

COMM. Ira, ſicuti ſupra declaratum eſt, propter negligentiam naſcitur. at uero negligentia eſt uoluntaria. quod ſi homines iraſcuntur eis, à quibus parui fiunt, certe lenes erunt in eos, à quibus obſeruantur, & nulla in re læduntur. uel ſi etiam lædantur, modo qui lædunt, inuiti faciant, aut facere uideãtur, tamen ad lenitatem, quam ad iram propenſiores ſunt. atque hęc eſt eorum, qui ueniam petunt, conſuetudo, ut ſe inuitos peccaſſe aut per imprudentiam aut per neceſsitatem dicant. vt Cicero pro Q. Ligario; Itaque Q. Ligarius cum diu recuſans nihil profeciſſet, prouinciam accepit inuitus. & paulò poſt; tertium eſt tempus, quo poſt aduẽtum Vari in Africa reſtitit. quod ſi eſt criminoſum, neceſsitatis crimen eſt, non uoluntatis. & alibi conatur illis rationibus aĩam Cæſaris ad lenitatem & clementiam traducere; ſed ego ad parentẽ loquor, erraui, temere feci, pœnitet, ad clementiã tuã confugio, delicti ueniã peto, ut ignoſcas oro.

TEXT. *Et erga illos, qui aliquid fecerunt contra, quam uoluerant.*

COMM. Lenes etiam in illos ſunt hoĩes, qui contra uoluntatẽ aliqd fecerũt. ut ſiqs in pugna vmbratili colludens, ſocium grauiter uulneret, ut non rarò contingit, uel ſi lapidem mouens prætereuntem feriat. Cato ſenior cum baiulus quidam arcam ferens illum percusſiſſet, deinde dixiſſe, caue. leniter arridens dixit; nunquid aliud fers preter arcã? Cic. pro Q. Ligario genus hoc defenſionis nõ prætermiſit. cum ait Ligarij uoluntatem ſemper à bello contra Cęſarem abhorruiſſe. & cum fratribus ſuis fuiſſe, qui Cæſaris partes tuebantur. quem locum ita concludit; uoluntate igitur omnes tecum fuerunt, tempeſtate abreptus eſt unus. & reliqua.

TEXT. *Et aduerſus eos, qui in ſe ipſos eadem committũt; nemo enim uidetur ſe ipſum negligere.*

COMM. Non eſt quod quiſqnam eis iraſcatur, qui tales ſunt in alios, quales in ſe ipſos eſſe ſolẽt, ut ſiquis labori deditus, alios laborare cogit, & ſiquis in ſe ipſum ſeuerus, etiam in alios ſeueritate utatur. uerum eſt enim id quod eleganter ait Ouidius;

Sic agitur cenſura, & ſic exempla parantur.

Cum iudex alios quod monet ipſe facit.

Cic. pro lege Man. neque. n. poteſt exercitum is continere imperator, qui ſe ipſum non cõtinet, neque ſeuerus eſſe in iudicando, qui alios in ſe ſeueros eſſe iudices non uult. hac de cauſa belli duces ne In ſe militum animos excitent, & ut eis lenioribus utantur, ſeſe ijſdem laboribus implicãt, quibus milites occupari uolunt, & exemplo ſuo milites ad tolerandam famem, ſitim, frigus, calorem inuitant. qua in re C. Marium præſtitiſſe legimus. unde milites eius ob ſummam laborum tolerantiam uulgò, muli mariani dicebantur. ſicut auctor eſt Plutarchus. idem Cyrum etiam facerę ſolitum Xenophon ſcribit.

Et aduerſus eos, qui fatentur quidem; ſed feciſſe pœnitet; ceſſant enim ab ira non aliter, ac ſi illis, quos pœnitet, eius rei, qua dolent, pœnas iam dediſſent. TEXT.

Cum quis peccatum ſuũ fatetur, & eius ſe pœnitere oſtendit, facile ueniam conſequitur, & eos, quos læſit, ad lenitatem & clementiam trahit. nã irati nihil aliud quærunt, quam, ut is, cui ſunt irati, pœnas det. ij uerò, quos facti pœnitet, dolore atque ægritudine afficiũtur, quæ res perinde eſt, ac ſi iam pœnas dediſſent. Cic. tamen primo de officiis uidetur de hac re dubitare, cum ita inquit; atque haud ſcio an ſatis ſit eum, qui faceſſierit, iniuriæ ſuæ pœnitere, ut ipſe nequid tale poſthac committat, & cæteri ſint ad iniuriã tardiores. ſed hac in re Deũ opt. Max. imitari cõuenit. perſuaſum. n. oẽs habẽt, Deũ illis peccata facile cõdonare, quos peccaſſe pœnitet, & qui delictorũ veniã petũt. eſt. n. Dei propriũ pro maleficiis beneficia rependere, qđ pro M. Marcello Cic. illis uerbis oſtẽdit; uetũ aĩum uincere, iracundiã cohibere, uictoriã temperare, aduerſariũ nobilitate, ingenio, uirtute præſtantẽ nõ mõ extollere iacentẽ, ſed ẽt amplificare eius priſtinã dignitatem, hæc qui faciat, non ego eum cum ſummis uiris comparo, ſed ſimillimum Deo iudico. & quia Deus maxime placabilis & clemens eſt, ideo Cic. primo de officiis ita inqt; Nihil enim laudabilius, nihil magno & præclaro uiro dignius placabilitate, atque clementia. COMM.

Hoc autem ex punitione ſeruorũ intelligi poteſt: nam eos, qui pernegant, & contradicunt, atrocius punimus; in eos uero, qui fatentur, ſe iuſtè puniri, mitiores ſumus, & ab ira ceſſamus. TEXT.

Exẽplo probat nos in eos eſſe leniores, qui peccatũ ſuũ fatentur, ſed eos peccaſſe pœnitet. cũ. n. (inquit) ſeruos noſtros punimus, ſiqui ſunt, qui ſe peccaſſe pernegent, & aperta delicta confiteri nolint, in eos longè ſumus atrociores, & grauius affligimus: ſiqui uerò ſunt. qui ſe meritò caſtigari fateantur, & pœnas commeruiſſe dicant, ſtatim nos eorum quodammodo miſeret, atque illis parcimus. COMM.

parcimus, iramque omnem remittimus. hoc autem dicit, quia ſeruos tantum antiqui cedebant, non autem liberos. ſicut apud Terẽtium in Adelphis Sannio indicat, cum enim Aeſchinus illi ita minaretur: Nam ſi moleſtus pergis eſſe, iam intro arripiere, atque ibi uſque ad necẽ operiere loris. ipſe reſpondet. loris liber? ſignificans liberum, loris cedi non ſolere. ſic etiam in Heautontimorumeno Syrus ita Clitiphonti herili filio ſic ait; Hic ſiquid nobis forte aduerſi euenerit, Tibi erunt parata uerba, huic homini uerbera. hac de cã Quintilianus conſuetudinem uerberandorum in ſcholis puerorum improbat, quia id deforme atq; ſeruile eſt. Nam ſi cui (inquit) tam eſt mens illiberalis ut obiurgatione non corrigatur, is etiã ad plagas, ut peſſima quæque mancipia durabitur.

TEXT. *Id autem in cauſa eſt, quod aperta negare impudentia eſt; & impudentia eſt negligentia, & contemptio quædã: quos n. ualde cõtẽnimus, eos nõ ueremur.*

COMM. Hæc eſt ratio cur grauius ſeruos inficiantes, & ſe pœnas meruiſſe negantes, punimus, quam eos, qui peccatum fatentur, & ueniam petunt. nam impudentis eſt hominis ea negare, quæ ſunt plana ac manifeſta. ſed qui impudens eſt, negligere & contemnere uidetur. qui autem contemnit, nõ ueretur. itaque meritò iram in ſe concitat. Cic. tertia actione in Verrem; conatur iudices iratos Verri facere, quod is eſſet tam impudens, ut ipſos iudices non uereretur. nemo (inquit) quẽquam tam audacem, tam amentem, tã impudentem fore arbitrabatur, qui tã nefariis criminibus, tã multis teſtibus euictus, ora iudicum aſpicere, aut os ſuum populo R. oſtendere auderet, eſt idem Verres qui fuit ſemper, vt ad audendum proiectus, ſic paratus ad audiendum: præſto eſt, reſpondet, defenditur: ne hoc quidem ſibi reliqui fecit, ut in rebus turpisſimis, cum manifeſtò teneatur; ſi reticeat, & abſit, tamen impudentiæ ſuæ pudentem exitum quæſiſſe uideatur.

TEXT. *In eos etiam lenes ſumus, qui ſe humiliter demiſſéque gerunt; neque contradicunt; uidentur enim ſe inferiores confiteri: & qui ſunt inferiores timent; nemo autem timentibus iraſcitur.*

COMM. In hac parte Cicero mirificus eſt artifex. nam ut ad lenitatem & clementiam Iudices impellat, in extrema parte defenſionũ ſuarũ, ſuppliciter ac demiſſe rogat eos, ut reorum miſereantur. ut pro Fonteio; tendit ad uos Virgo Veſtalis manus ſupplices eaſdem, quas pro vobis Diis immortalibus tendere conſueuit. cauete ne periculoſum ſuperbumque ſit, eius uos obſecrationem repudiare, cuius preces ſi Dij aſpernarentur hæc ſalua eſſe non poſſent. pro Cn. Plancio; non opibus contendo, nõ auctoritate, nõ gratia, ſed precibus, ſed lachrymis, ſed miſericordia: mecumque vos ſimul miſerrimus & optimus obteſtatur parens, & pro uno filio duo patres deprecamur. hoc. n. mõ precibus & lachrymis mouentur audientiũ animi ad lenitatẽ. Sic ẽt in eos lenes ſunt, qui uerbis non aduerſantur, neque contradicunt. cuius rei cauſa eſt, quia qui ſe humiliter gerunt, uidentur fateri ſe eſſe inferiores. eſt autem illa inferiorum conſuetudo, ut ſuperiores timeant. nemo autem iraſcitur eis, à quibus ſe timeri exiſtimat. ſed cum eos ſe demiſſe gerere intelligit, eis ſtatim placatur.

Quod autem ira ſtatim ceſſet in eos, qui ſe humiliter & demiſſe gerũt, declarant etiam canes, qui proſtratos non mordent. TEXT.

Probat exemplo canum, id eſſe uerum, quod ſupra dixerat. nempe irã ceſſare in eos, qui ſe humiliter gerunt, & ſupplices accidunt ad genua, ueniã petentes. canes (inquit) cum aliquem hominẽ inſectantur, ut eum mordeant, ſi ille ſe in terrã proſtrauerit, non mordent, quaſi intelligẽtes eum ſe ſubmiſſe gerere. quod autem canibus Ariſtoteles hoc loco tribuit; Plinius libro octauo de Leonibus affirmat, Sic enim ait; Leoni tantum ex feris clementia in ſupplices: proſtratis parcit, & ubi ſæuit, in uiros priuſquam in fœminas fremit, in infantes non niſi magna fame. huc facit præceptum illud Anchiſæ in ſexto Aeneidos; COMM.

Tu regere imperio populos Romane memento,
Hæ tibi erunt artes, paciq́ue imponere morem,
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Iis etiam lenes ſumus, qui ſeriò nobiſcum agunt; cum nos etiam ipſi ſeriò agimus; uidentur enim noſtri eſſe ſtudioſi, non autem contemnere. TEXT.

Sicuti illis iraſcimur, qui in rebus ſeriis iocantur, ita cũ eis lenimur, quos agere ſerio uidemus, in ſeriis noſtris rebus. qui. n. hoc faciunt non contemnere, ſed noſtri eſſe ſtudioſi uidentur. & hoc eſt, quod primo de Officiis docet Cic. Maximè curandum eſt, ut eos, quibuſcum ſermonem conferimus, & uereri, & diligere uideamur. & hęc eſt etiã cauſa, ꝙ eis nos, quos amicos habere uolumus, ita accommodamus, vt ridentibus arrideamus, flentibus adſimus, & una fleamus, aut conſolando ſubleuemus. quæ tamẽ ita facienda ſunt, ut abſint ab adulatione. ne fortaſſe in illud Græcorum vitium incidamus, quod ita Iuuenalis notat; COMM.

Sat. 3.

—rides? maiore cachino
Concutitur, flet ſi lachrymas conſpexit amici,
Nec dolet, igniculum brumæ ſi tempore poſcas,
Accipit endromydem, ſi dixeris æſtuo, ſudat.

Hæc autem faciunt adulatores, ut eorum, quibus adulantur, ſtudioſi eſſe uideantur.

Et ijs, qui pluribus in rebus, quam petieramus, nobis gratificantur. TEXT.

Cum aliquid petimus ab amico, ſi ille deneget, iraſci plerũque ſolemus, ſed ſi deinde ille dat operam, ut maius beneficium, quam antea petieramus, in nos conferat, ſtatim ab ira diſcedimus, & in eum leues euadimus. hic eſt huius loci ſenſus, licet conciſus. res autem ipſa manifeſta eſt. Quis eſt enim, qui licet iratus amico ſit, non ſtatim lenis fiat, cum ab eo plura beneficia accipit, quam petierat? COMM.

Et iis, qui rogant, & deprecantur; nam humiliores demiſſioreſque fiunt. TEXT.

Lenes i eos ſumus, q nobis ſupplicãt, & ꝗ opẽ à COMM.

nobis flagitant. quoniam hac ratione ſe humiliores & demisſiores oſtendunt. ut Cicero pro Fonteio; Qui affecti iniuriis ad opem Iudicum ſupplices inferioreſque confugiunt. & pro Murena; ueſter eſt ſupplex iudices, ueſtrā fidem obteſtatur, miſericordiam implorat, ueſtram poteſtatem ac veſtras opes intuetur. at uero Philippica quinta negat aliter cum Antonio pacem eſſe poſſe niſi roget & deprecetur. ſic enim ait; Pacem vult Antonius, arma ponat, roget, deprecetur.

TEXT. *Et iis, qui neque contumelioſi ſunt, neque deriſores, neque contemptores aut ullius hominis, aut bonorum, aut eorum qui nobis ſimiles ſunt. & omnino ex contrariis rebus ſcrutari oportet, quæ lenire animum poſſint.*

COMM. Si forte nobis accidat ab eis offendi, qui non ſolent eſſe contumelioſi, neque quemquam deridere ſolent aut contemnere, ſumus in eos longe leniores neque enim malitia, aut animi vitio læſiſſe videntur. cum eorum vita ab omni iniuria abhorreat, ſed caſu potius, aut imprudentia. quod ſi etiam deriſores ſunt, aut contemptores ij, qui nos lædunt, modo viros bonos contemnere non ſoleant, aut eos, qui nobis ſimiles ſunt: nihilominus tamen cum eis placamur, & ab ira ceſſamus. cum præſertim abſit omnis negligentiæ ſuſpicio propter quam ira ſolet excitari. Nam ſi contumelioſis, & deriſoribus, & contemptoribus iraſcimur, meritò in eos qui tales non ſunt, lenes ſumus. & hoc eſt quod ait Ariſtoteles, ex contrariis rebus; nos poſſe intelligere quæ lenire animum ſoleant. Qui igitur cupit deuincire ſibi hoīum volūtates, & multorum gratiam inire, neminem contemnere aut deridere debet, ſed comitate, atque affabilitate cum omnibus uti.

TEXT. *Iis etiam lenes ſunt, quos timent, & quos uerentur: nam, donec ita affecti ſunt, illis iraſci non ſolent; nullo enim modo fieri poteſt, ut quis ſimul timeat, & iraſcatur.*

COMM. Qui aliquem timent aut uerentur, ei nō admodum iraſcuntur. neque enim fieri poteſt, ut quis ſimul & timeat, & iraſcatur. nam ira ſemper eſt cū ulciſcendi ſpe. qui uero timet aliquem, non ſperat ſe illum ulciſci poſſe, ergo neque illi iraſcitur. ſed cum eo potius in gratiam redire ſtudet. ita ſunt affecti ſerui erga dominum, ſubiecti erga principē, filii erga parentes. & denique omnes ferè inferiores erga ualde præſtantiores. itaque licet offendātur in aliqua re, tamen ſæpe disſimulant, aut leniter non autem iracundè conqueruntur. ut Ilioneus in primo Aeneidos apud Didonem, de Tyriorum iniuriis leniter conqueritur;

Quod genus hoc hominum? quę ve hunc tam barbara morem
Permittit patria? hoſpitio prohibemur arenæ.
Bella cient, primaque uetant conſiſtere terra.
Si genus humanum & mortalia temnitis arma,
At ſperate Deos memores fandi, atque nefandi.

TEXT. *Et iis, qui irâ perciti cōmiſerint aliquid, aut non iraſcūtur, aut leuius iraſcuntur; neque enim propter negligentiam feciſſe uidentur: nam nemo iratus negligit; ſiquidem negligentia ſine animi dolore eſt, ira uero ſemper eſt cum dolore.*

Qui iuſta ira cōmoti peccatū aliquod committunt, in eos multò leniores ſumus. quia non vñr pp negligentiam aut contemptionem peccaſſe. cū.n. aliquis iraſcitur, nequaquā negligit. quod illo argumento probari poteſt, qm̄ ira ſine dolore exiſtere non pōt, negligētia uero dolore caret. Itaque iudices lōge clemētiores ſunt in eos, quos iuſta ira ac dolore cōmotos peccaſſe ītelligūt. ut M. Popilius Lenas prætor, cum apud eum mulier q̄dam accuſaretur, q̄ matrē percuſſam fuſte interemiſſet, neutrā in partem ferre ſnīam uoluit. quia abunde conſtabat (ait Val. Max.) eandem veneno necatorū liberorum dolore commotā, quos auia filiæ infenſa ſuſtulerat, parricidiū ultā parricidio eſſe. eodē mō P. Dolabella, cū proconſul Aſiā obtineret, & apud eū accuſata fuiſſet materfamilias Smyrnęa, q̄ uirū & filiū interemerat, cū ab ijs optimę indolis iuuenē, quem ex priore uiro enixa fuerat, occiſum cōperiſſet, ſnīam ferre noluit. ſed eam Athenas ad Areopagi cognitionē relegauit. Areopagitę uerò cauſa cognita & accuſatorē, & ream poſt centum annos ad ſe reuerti iuſſerunt. ne vel condemnarent eam, quæ iuſto dolore commota cædem fecerat, uel abſoluerent eam, quæ parricidium fatebatur. COMM. 8.cap.1.

TEXT. *Et iis lenes ſunt, qui ipſos uerentur*

COMM. Qui nos verentur, nequaquā negligunt. quare ſiquid in nos delinquūt, in eos lenes ſumus. quia certū habemus non eos dedita opera peccare. qui diligēter aiaduertūt, qūo nobis grati eſſe poſſint. hoc aūt inter amicos potisſimū accidit, ut inter ſe vereant. vt in Lelio Cic. docet, his uerbis; neq; ſolū colēt ſe inter ſe ac diligēt, ſed ēt verebunt: nam maximū ornamētū amititię tollit, q ex ea tollit uerecundiam. quare lenes in amicos eſſe debemus, quamuis aliqua in re lapſi fuerint, & id ſeruare, quod Horatius præcipit, cum ita inquit;

At pater ut nati, ſic nos debemus amici
Si quod ſit uitium non faſtidire.

TEXT. *Et, qui contrario modo affecti, quàm, cum in ira ſunt, perſpicuum eſt eſſe lenes; ut cum ludunt, cum rident, cum dies feſtos agunt, cum quid rectè geſſerunt, cū aliquid ex animi ſententia ſucceſſit, cū ſaturi ſunt.*

COMM. Illi ſunt ad lenitatem procliues, qui contrario modo ſunt affecti, quam cum in ira ſunt. cū enim animo dolemus, facile omnibus iraſcimur, ergo cum omni moleſtia caremus, facile in omnes lenimur. hinc fit, ut cum ludimus & iocis ac facetiis vtimur, lenes ſimus. & cum in riſu uerſamur, & cum dies feſtos agimus, & cum labore atque induſtria noſtra præclarum aliquod opus confecimus, & cum nobis fortuna fuit ita proſpera, ut ex animi ſententia ſucceſſerit id, quod moliebamur, & denique cum potu ciboq; ſumus expleti. nam hæc omnia moleſtiam abigunt ex animo, & hilaritatem inducunt. hæc igitur tempora diligenter ab iis ſunt obſeruanda, qui alicuius

gratia inire uolunt, nam ſi contrariis temporibus acceſſerint, odium potius quam gratiã reportabunt. quod Horatius ad Vinnium Aſellam ſcribens, eleganter illis uerſibus indicat;

Vt proficiſcentem docui te ſæpe, diuque
Auguſto reddes ſignata uolumina Vinni
Si ualidus, ſi lætus erit, ſi denique poſcet,
Ne ſtudio noſtri pecces, odiumque libellis
Sedulus importes, opera uehemente miniſter.

TEXT. *In ſumma, lenes ij ſunt, quibus doloris uacuitas adeſt, & uoluptas nõ contumelioſa; & qui bona ſpe ducuntur; & qui multo ante tempore, non autem recẽti re, iram conceperunt; tempus enim iram mitigat.*

COMM. Generatim ait omnes eſſe placabiliores, qui nullo dolore premuntur. dolor enim iracũdiores efficit. & qui ſunt in aliqua uoluptate non contumelioſa. nam geſtiens & intẽperata uoluptas non mitiores, ſed inſolentiores reddit. & qui bona ſpe ducuntur, placari facile ſolent. quoniam quãdam animo uoluptatem percipiunt. & denique qui iãpridem iram conceperunt, paulatim enim ira cũ tempore mitigatur, ſicut etiã ægritudo. unde Ouidius; bene multa uetuſtas lenit. & Cicero tertio Tuſcul. Quod ita eſſe dies declarat, quę procedẽs ira mitigat, ut iiſdem malis manentibus non modo leniatur ægritudo, ſed in pleriſq; tollatur. huic contrarium eſt illud quod uulgo circumfertur; Ira omnium tardiſsimè ſeneſcit. & quod Venus de Iunone libro Aeneidos quinto Neptuno exponit, hoc modo;

Iunonis grauis ira, & inexaturabile pectus
Cogunt me Neptune preces deſcendere in oẽs,
Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla,
Nec Iouis imperio, fatiſve infracta quieſcit.

Et quod ait pro Murena Cicero; cui dolet, meminit, tamen plerunque accidit, niſi grauisſima fuerit offenſio, ut (quod ait Ariſtoteles) tempus iram mitiget, atque emolliat.

TEXT. *Quin ab altero prius ſumpta pœna maiorem in alterum iram minuit, atque ſedat. unde benè Philocrates, cum iratum in ſe populum haberet, & quidam ei dixiſſet, cur non cauſam tuam dicis, & te defendis? Nondum eſt tempus (inquit) quando igitur? cum aliũ prius condemnatum uidero.*

COMM. Ira nihil alind eſt quam ulciſcendi libido, quã ſiquis explere potuerit, poſtea mitigatur. itaque ſiquis duobus iratus, de altero pœnam ſumat, in alterum ſtatim mitior fit, quamuis in eum maiorẽ iram concepiſſet. hoc autem bene Philocrates quidam Athenienſis orator intellexit, qui cum proditionis accuſatus fuiſſet, & iratum contra ſe populum uideret, noluit ſeſe populo committere. & cũ amicus quidam ab eo petiſſet, cur non cauſam ſuã diceret, & ſe defenderet, reſpondit, nondum eſſe tempus. cumque ille iterum petiſſet, quando ſe de fenſurus eſſet; cum alium (inquit) condemnatũ uidero ira enim impeditus populus & quaſi furibũdus fortaſſe etiam innocentem condemnaſſet. huius Philocratis ſæpe Demoſthenes meminit, in oratione de ementita legatione, & tanquam ſceleratum hominem, & proditorem inſimulat. diſſentiebat enim à Demoſthene in adminiſtratione Reip. & cum Aeſchine ſentiebat. itaque cum aliquando in concione de Philippo Macedoniæ rege uerba fierent, & aliter Philocrates, aliter Demoſthenes ſentiret, exurgens Philocrates dixit; Non eſt mirandum, uiri Athenienſes, ſi non eadẽ mihi & Demoſtheni uidentur; iſte enim aquam, ego uero uinum bibo. quod cum audiſſent Athenienſes, ridere cæperunt.

TEXT. *Lenes enim ſiunt, cum in alium iram ſuam effuderint. quod quidem Ergophilo contigit; cui cum iudices magis infenſi eſſent, quam Calliſtheni; tamen eum abſoluerunt, cum pridie Calliſthenẽ morte dãnaſſent.*

COMM. Manifeſto exemplo declarat, homines leniri cũ in aliquem iram ſuam effuderint. Ergophilus & Calliſthenes Athenienſium duces atque imperatores apud populum accuſati fuerunt. in utrunque commotus eſt populus, ſed tamen maiorem iram contra Ergophilum, quam contra Calliſthenem concepit. uerum quia Calliſthenes prior ſententiam dixit, morte condemnatus eſt, ſequenti uero die fuit Ergophilus abſolutus. hoc autẽ non alia de cauſa accidit, niſi quia populus iram omnem in Calliſthenem euomuerat.

TEXT. *Et ſi iudicio conuicerint, leniores fiunt.*

COMM. Dum litigant inter ſe homines plerunque uiciſſim irati ſunt, ſed qui iudicio ſuperiores euadunt, irã ſæpe ſolent remittere, & erga uictos mitiores fieri. nam in eo iam pœnam dediſſe putant aduerſarios, quòd uicti fuerint. hoc eſt quod ait ẽt Cicero, ſe malle iudicio uincere, quàm gladio.

TEXT. *Et iis, qui maius aliquod incommodum acceperint, quam illis irati ipſi feciſſent; exiſtimant enim idem eſſe, ac ſi ipſi pœnas de eis ſumpſiſſent.*

COMM. Cum aliquod magnum incommodum inimicis noſtris accidit, ſolemus in eos fieri leniores, atque de ira multũ remittimus, quaſi nos de illis iã pœnas ſumpſiſſemus. nã ea res nobis lætitiam affert, quæ dolorẽ illũ expellit, quĩ ſemper iræ comitatur. Sic Cic. in Piſonem; plura etiam accederunt quã uellẽ: nã ut amitteretis exercitũ, nunquã mehercule optaui. illud ẽt accidit ꝑter optatũ meũ, ſed valdè ex uoluntate: mihi enim non uenerat in mentẽ furorem & inſaniam optare uobis in quã incidiſtis, atqui fuit optandum. & quæ ſequũtur.

TEXT. *Et ſi priores ſe læſiſſe putant, ac ſe iuſtè pati; neq; enim contra id, quod iuſtè factum eſt, ira concitatur; quoniam non amplius ſe contra, quàm oportebat, pati arbitrantur, unde ſolet ira commoueri.*

COMM. Qui prior læſit, non ualde iraſcitur ei, à quo offenditur. quoniã intelligit à ſe profectã iniuriam, & ſe iuſtè pati. nunquã autẽ ira concitatur in eos, qui iuſtè ſe gerere uidẽtur. ſed qui par pari refert, uidetur ſe iuſtè gerere. non igitur in eũ ira commouet. ita Cic. ꝓ Cęlio excuſat aduerſarios ſuos; faciunt qđ uiri fortiſsimi ſolent, læſi dolent, irati efferuntur, pugnant laceſſiti. & in oratione pro Milone irã atq; odiũ P. Clodij in Milonẽ iuſtũ appellat, q̃a Milo Clodiũ multis in reb. offenderat.

Qua-

TEXT. *Quapropter oratione prius caſtigare oportet. hac enim ratione minus etiam ſerui dolent, cũ puniuntur.*

COMM. Hunc locum non rectè mihi uidetur intelligere Victorius. putat enim præceptum eſſe ne facile iraſcamur, & ne minima quaque de cauſa accendamur animo. atque ita credit ab Ariſtotele pręcipi, vt nos ipſos prius oratione caſtigemus, & motũ illum animi reprimamus, quoniam ita minus iraſcemur. ſed non hoc Ariſtoteles ſentit, ut ex præcedentibus, & ſubſequentibus verbis intelligi poteſt, uerum præcipit, vt cum aliquem punire uolumus, à quo iniuriam accepimus, cum prius oratione caſtigemus, & iniuriam in nos illatam commemoremus, atque augeamus, ſic enim ille non iraſcetur, cum intelliget, ſe iuſtè puniri. quod facere ſolent parentes & præceptores quoties liberos caſtigant, prius enim eos oratione reprehendunt, & eorum peccata verbis augent, deinde verberibus etiam plerunque afficiunt. ſic etiam ſerui (inquit Ariſtoteles) minus dolent, cum puniuntur, ſi domini prius eos oratione caſtigent, & qua in re peccarunt, oſtenderint.

TEXT. *Ceßant etiam ab ira, qui putant, non intellectum iri ultionem à ſe profectam; aut non propter illa, quæ paßi ſunt: nam ira contra ſingulas perſonas accenditur, quod ex eius definitione perſpicuum eſt.*

COMM. Qui non poteſt inimicum apertè punire, facile mitigatur, quamuis enim occultè lędere poſsit, tamen ſi putat fore, ut inimicus non intelligat à ſe profectam ultionem, aut non propter illam offenſionem quam acceperat, plerunque ab ultione deſiſtit. hoc autem ideo fit, quoniam ira non eſt cõis, ſed contra ſingulas & certas perſonas accenditur. quod ex eius definitione, quæ ſupra poſita eſt, intelligi facile poteſt. hæc eſt cauſa, cur, qui puniunt hoſtem, aut inimicum, ſæpe nomen ſuum illi indicent, ut is intelligat ſibi parem gratiam referri, ut in undecimo Aeneidos Camilla cũ Orinthum traieciſſet, ita dixit;

Aduenit, qui ueſtra dies muliebribus armis
Verba redargueret, nomen tamẽ haud leue patrũ
Manibus hoc referes, telo cecidiſſe Camillæ.

Itaque rectè dictum eſt ab Homero;

TEXT. *Diciso, me euerſor Troiæ cæcauit Vlyſſes.*

Tanquam ſibi non uideretur ultus iniurias, niſi ille ſenſiſſet, & à quo, & qua de cauſa tam malè tractatus fuißet.

COMM. Homeri exẽplo probat id, quod propoſuerat. nam in nono Odyſſęæ libro cum Vlyſſes Polyphemum dormientem auxilio ſociorum obcæcaſſet, & ex eius antro clanculum euaſiſſet, atque in nauem eſſet ingreſſus, clamare cœpit; ò Polypheme, ſiquis à te mortaliũ petiuerit, à quo tã acerba turpique pœna fueris affectus, reſponde, ab Vlyſſe illo, qui Troiã euertit, tibi merito perniciẽ importatam. hæc. n. magna quædã conſolatio eſt, cũ ſecurè quis inimicis inſultare poteſt, poſtq̃ eos ultus eſt. nã Vlyſſes ſociorum iniurias ſibi ultus eſſe non uidebatur, niſi Polyphemus intellexiſſet, & à quo, & qua de cauſa fuiſſet obcæcatus. hanc rem tertio Aeneidos Achemenides ita breuiter explicat;

Haud impune quidem, nec talia paſſus Vlyſſes,
Oblitus ue ſui eſt Itachus diſcrimine tanto.
Nam ſimul expletus dapibus, uinoque ſepultus.
Ceruicem inflexam poſuit: iacuitque per antrum
Immenſum, ſaniem eructans, ac fruſta cruento
Per ſomnum commixta mero: nos magna precati
Numina, ſortitique vices una undique circum
Fundimur, & telo lumen terebramus acuto,
Ingens quod torua ſolum ſub fronte latebat,
Argolici Clypei, aut phœbęæ Lampadis inſtar,
Et tandem læti ſociorum ulciſcimur umbras.

Quamuis igitur ſocios amiſiſſet Vlyſſes, tamẽ poſtea magnam percepit lætitiam, cum eorũ mortem ultus fuiſſet cæcato Polyphemo.

TEXT. *Quare neque ullis alijs iraſcuntur, quos non ſentire exiſtimant; neque mortuis, quippe qui malorum extremum iam perpeßi ſint, neque amplius dolituri, aut ſenſuri, quarum rerum deſiderio tenentur irati.*

COMM. Nemo iraſcitur eis, quos exiſtimat nihil oĩno ſentire, ſicuti neq; mortuis, qui neq; dolere, neq; ſentire pœnã poſſunt. cũ iã extremũ malorum paſſi fuerint. irati uerò cupiunt eos, quos puniunt & ſentire, & dolere. quare mortuis non iraſcuntur. vocat autem Ariſtoteles hoc loco mortẽ, malorũ extremũ, eo quod vltra mortẽ nihil eſſe cenſebat neq; aduerſum neque proſperũ. ſicuti Ethicorum tertio rerũ omnium terribiliſsimã mortẽ eſſe dicit, & terminũ ac finẽ eorũ quæ mortalibus in uita contingunt. ideo Plinius exiſtimat nullũ beneficiũ datum homini maius eſſe, quã quod unicuique in manu eſt, ut cum uelit è uita excedat, & ab omni miſeria liberetur. ſic enim etiam Electra Sophoclis; Nam mortuum dolere uideo neminem.

TEXT. *Quare benè de Hectore cecinit Homerus, uolens Achillis iram contra mortuum ſedare.*

Quis furor eſt, terram ſenſu uexare carentem?

COMM. Achilles uehementer infenſus Hectori, quod amicũ ac ſociũ ſuũ Patroclũ trucidaſſet, cũ eo congreſſus, ipſum interemit. deinde cadauer eius ter circum muros iliacos raptauit, ut in primo Aeneidos ait Virgilius. Homerus igitur Apollinẽ inducit, qui rabiẽ & furorẽ Achillis in Hectorem iam mortuum ſedare uolens, ita inquit; Quis te furor Achilles, aut inſania exagitat, ut ſurdã & nihil iã ſentientẽ terrã uexare non deſiſtas? de hac re Cic. prima quæſtione Tuſculana ſic ait; Trahit Hectorẽ ad currũ religatum Achilles, lacerari eũ, & ſentire credo putat: ergo hic ulciſcitur, ut quidem ſibi uidetur. at illa ſicut acerbiſsimam rem mœret;

Vidi uidere, quod me paſſa ægerrimè
Hectorem curru quadriiugo raptarier.
Quem Hectorem? aut quandiu ille erit Hector?

Melius Accius, & aliquando ſapiens Achilles,
Imo enimuerò corpus Priamo reddidi, Hectorem
abſtuli. Non igitur Hectora traxiſti, ſed corpus
quod fuerat Hectoris. hæc Cicero.

TEXT. *Planum igitur eſt, ex his locis ducenda eſſe argumẽta ab illis, qui placare animos uolũt. atq; eos quidẽ his rationibus mitigare oportet. illos autem quibus*

irati ſunt, oſtendere debemus, aut terribile eſſe, aut ueneratione dignos, aut benemeritos, aut inuitos feciſſe, aut denique propter ea, quæ fecerũt magnum animo dolorem ſentire.

COMM. Qui iudices iratos lenire volunt, oportet vt ab his locis argumenta ducant. atque ea, quæ dicta ſunt, diligenter conſiderent, ſic enim facile iratos mitigare poterunt. quin etiam multum proderit, aliquid de illis, quibus irati ſunt, dicere. nã ſi oſtēdere poterimus, uel terribiles eſſe, ut non ſit tutũ cum eis inimicitias exercere, vel veneratione dignos, vel benemeritos, uel inuitos feciſſe, uel ſactorum maximè pœnitere, ſtatim in eos ira ceſſabit. *In 10. Aen.* ita Latinus apud Virgilium cum Turni & Rutulorum iram in Troianos ſedare uellet, oſtendit Troianos, eſſe veneratione dignos, quod à Deis originē ducerēt, & terribiles, quod inuicti eſſent.

Bellum importunum ciues cum gente deorum,
Inuictiſque viris gerimus: quos nulla fatigant
Prælia, nec uicti poſſunt abſiſtere ferro.

Et Cicero pro Deiotaro cum Cæſaris iram placare vellet, oſtendit Deiotarum eſſe ueneratione dignum quia Rex eſſet; ſemper (inquit) regiũ nomen in hac ciuitate ſanctum fuit, ſociorum uero regum & amicorum ſanctiſſimum. quod nomen hi reges amitterent, te uictore timuerunt, retentũ vero & à te confirmatum poſteris etiam ſuis tradituros eſſe confido. at uero pro Ligario conatur Cæſaris iram ea ratione placare, quod Ligarius in Africa fuiſſet inuitus, & neceſſitate coactus, & quod eum erroris ſui pœniteret.

TEXT. *Iam uerò, quos amare ſoleant homines, & odiſſe, quibuſque de cauſis oſtendamus; ed prius quid amicitia ſit, & quid amare doceamus.*

COMM. Hactenus de ira atque lenitate diligenter & copioſè tractauit, nunc ad alium animi motũ tranſit, hoc eſt ad amorem, & eius contrarium odium, ut oſtendat quos ament homines, & quos odio proſequantur, & quæ ſint amoris, atque odij cauſæ. ſed prius amicitiæ naturam explicat, & quid amare ſit, docet.

TEXT. *Eſt igitur amare, uelle alicui bona euenire nõ ſua, ſed illius ipſius cauſa, quem diligit; & quantum in eo eſt, efficere, ut illa eueniant.*

COMM. Is dicitur aliquem amare, qui cupit ei multa bona euenire, non ſuæ utilitatis gratia, ſed illius ipſius cauſa, quem diligit. & qui pro uiribus ſuis nititur, ut ea bona eueniant. duo ſunt igitur in amãdo, uoluntas, & conatus. nam qui tantũ benè uult alicui, neque conatur ut illi benè ſit, non eſt uerus amicus. & qui conatur efficere ut alicui benè ſit, non illius gratia, ſed ſua, quo poſſit aliquam utilitatem ab eo reportare, nequaquam boni amici officio fungitur. hoc enim Epicureorum propriũ fuit ut ad propriam utilitatem omnia referrent. Cicero ſecundo libro de Inuentione ſic amicitiã definit; Amicitia eſt uoluntas erga aliquem rerũ bonarum; illius ipſius cauſa, quem diligit, cũ eius pari uoluntate. Idem primo de Natura deorum ſic ait; carum ipſum uerbũ eſt amoris: ex quo amicitię nomen eſt ductum: quã ſi ad fructum noſtrũ referemus, nõ ad illius commoda, quē diligimus; non erit iſta amicitia, ſed mercatura quædã utilitatum ſuarum. prata, & arua, & pecudum greges diliguntur iſto modo, quod fructus ex eis capiũtur. hæc autē imperitorũ & ignobilium eſt conſuetudo, ut eos tantum ament à quibus utilitatem capiunt. unde bene Ouidius.

Vulgus amicitias utilitate probat.

TEXT. *Amicus uerò eſt qui amat, & redamatur.*

COMM. Vt aliquis uerè amicus dici poſſit, ut adſit amoris uiciſſitudo neceſſe eſt, & amor vltro citroque commeet. nempe ut quantum alterũ ament, tantũ ipſe ab altero ametur. unde Pythagorici dicebant amicitiam eſſe æqualitatem, & amicum alterum ipſum. & Ariſtoteles amicum eſſe dicebat, vnam animam in duobus corporibus habitantem unde Horatius dimidium animæ ſuæ Virgilium appellat, ubi ſic nauem alloquitur;

Nauis, quæ tibi creditum,
Debes Virgilium finibus atticis
Reddas Incolumem precor,
Et ſernes animæ dimidium meæ.

Sic etiam unanimes appellantur amici, quoniã (ut ait Saluſtius) idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia eſt.

TEXT. *Illi igitur exiſtimantur amici, qui inter ſe mutuo ſic affecti eſſe uidentur.*

COMM. Quia ſæpe ſunt ſalſæ fucatæque amicitiæ, ideo nõ facile poteſt uerus amicus à ficto dignoſci. ſed qui uidetur aliquem amare illius ipſius gratia, & conari ut illi bene ſit, eius eſſe amicus exiſtimatur etiam ſi ſæpe re uera non ſit. quin etiam nos ipſi ſæpe ſallimur, ut quos nobis eſſe uerè amicos exiſtimamus, illi ficti ſimulatique ſint. itaque magna cautione opus eſt, ne decipiamur. quanquam (ut ſecundo de officiis ait Cicero) ficta omnia celeriter tanquam floſculi decidunt, nec ſimulatum poteſt quicquam eſſe diuturnum.

TEXT. *His ita poſitis, neceſſe eſt illum amicum eſſe, qui gaudet alicuius rebus bonis, doletque malis non alia, ſed illius ipſius tantum cauſa.*

COMM. Incipit hoc loco docere, quibus quaſi notis, & ſignis amici cognoſcantur. ac primò ex gaudio & dolore cognoſci ait. nã qui proſpera alicuius fortuna gaudet, & dolet aduerſa, non ſua cã, ſed illius ipſius, cui accidit, gratia, eũ amicũ eſſe neceſſe eſt. atque hæc eſt cã, ut cũ aliquid amicis noſtris qđ iucundũ ſit, aut utile, aut honeſtũ accidit, eis gratulemur, & magnã lætitiã oſtendamus ut ſe à nobis amari ſentiant. cũ autē aliquid aduerſi contingit, nos uehementer dolere ſignificamus, & licet eos cõſolari aggrediamur, tñ nos potius egere cõſolatione p̃dicamus. exẽpla paſsim in epiſtolis Ciceronis occurrũt, & gratulationũ, & conſolationũ. Veri aũt amici verè gaudent bonis amicorũ, & malis dolẽt. ſed adulatores ſe gaudere & dolere ſimulãt, licet re uera neq; gaudeant, neque doleant. Vnde Iuuenalis de Græcis adulatoribus ita inquit; Flet ſi lachrymas conſpexit amici, Nec dolet.

Omnes

TEXT. *Omnes enim gaudent, cum ea, quæ uolunt, euenerunt & cum accidunt contraria, dolent. itaque dolores & uoluptates indicia ſunt uoluntatis.*

COMM. Probat ab effectu eos eſſe nobis amicos qui bonis noſtris gaudẽt, & malis dolent. Omnes enim (inquit) magnam animo lætitiam cupiunt, cũ res ex animi ſententia ſibi ſuccedunt. cum autem contra uoluntatem eueniunt, dolent. Itaque ex lætitia & dolore cognoſcitur voluntas. cum enim ꝓſpera amicorum fortuna gaudeant, oſtendunt rẽ eueniſſe vt cupiebant. cum verò doleant aduerſa fortuna, declarant contra uoluntatem ſuam ea mala contigiſſe. ſæpe tamen uoluntas non cognoſcitur propter doloris aut lætitiæ diſsimulationem. multi enim ſunt lnuidi aut obtrectatores qui cũ bonis aliorum doleant, tamen vehementer ſe gaudere ſimulent. & cum malis gaudeant, fingant ſe dolere. quin etiã interdum ut amicos excitemus, atque illis animum addamus, oſtendimus nos non dolere, ſed optimè ſperare, licet multum doleamus. ſic ille Virgilianus Aeneas primo Aeneidos;

Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.

TEXT. *Illi etiam inter ſe ſunt amici, quibus eadem bona ac mala ſunt; & qui eoſdem habent amicos, & eoſdẽ inimicos: neceſſe eſt enim ut in eis ſit uoluntatum coniunctio. nam, cum eadem uelit alii, quæ ſibi ipſi, certè illi amicus eſſe uidetur.*

COMM. Qui ea conditione ſunt, ut eadem bona, & eadem mala ſentiant, eos inter ſe amicos eſſe oportet. quin etiam ſæpe amici fiunt, qui in eaſdem calamitates inciderunt, vt qui naufragium vna fecerunt, aut ſimul ab hoſte capti ſunt, aut ſimul in carcere fuerunt. vel cum aliquod commune periculum imminet, unde prouerbium; conciliant homines mala. quod in primo huius operis libro poſitum eſt. & qui à Cretenſibus Syncretiſmus dicebatur, de quo Plutarchus in commentario de fraterna caritate meminit. Cretenſes enim cum ſæpe bellis inteſtinis & ſeditionibus agitarentur, tamen ſi forte bellum ab exteris nationibus ſuperueniſſet, ſtatim inter ſe amici fiebant, & in hoſtes irruebant. atque ille Syncretiſmus uocabatur. præterea qui eoſdem habent amicos, & eoſdem inimicos inter ſe ſunt amici. quoniam in eis eſt uoluntatum coniunctio. ambo enim eiſdem benè uolunt, & eiſdem malè. itaque cum pares habeant voluntates, meritò amici putantur. neque enim dubitandum eſt, quin is, qui eadem velit alij, quæ ſibi ipſi, ſit amicus. nam omnes ſibi bene uolunt, & ſe ipſos amant. vt alibi docet Ariſtoteles.

TEXT. *Illis etiam amici ſunt à quibus beneficium accepe-rũt uel ipſi, uel ii, quos diligunt, caroſque habent: & præcipuè ſi beneficia fuerint uel magna, uel prompto animo collata, uel opportuno tempore; & aut ipſorum cauſa, aut eorum, quibus ipſi benefacere uelle exiſtimantur.*

COMM. Hoc ferè fit, vt omnes amici ſint eis, à quibus beneficia percipiunt, niſi prorſus ingrati eſſe uolunt, & eis etiam qui ſuis cognatis & neceſſarijs benefaciunt, quin tanto ſunt amiciores quanto beneficia fuerint vel maiora, vel promptiori animo collata, vel opportuniori tempore. nam rectè dictum eſt illud: bis dat, qui cito dat. Auſonius græcam quandam ſententiam ita latinè vertit,

Gratia quæ tarda eſt ingrata eſt gratia, namque
 Cum fieri properat gratia grata magis.

atque eandem etiam alio modo,

Si bene quid facias, facias cito, nam cito factum
 Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.

Cicero ad Quirites de lege Agraria contra Rullũ beneficia Populi Romani in ſe collata commemorat, quibus ſe plurimum populo debere, atque illi ſe amiciſsimum eſſe commemorat. & in oratione poſt reditum ſuum, tam magna eſſe Quiritium in ſe beneficia prædicat, vt tanquam Deos immortales eos uenerari & colere debeat.

TEXT. *Amicos etiam amicorum amant, & amantes eos, quos ipſi amant; & amatos ab eis, qui ab ipſis amantur.*

COMM. Cum intelligimus aliquem noſtris amicis amicum eſſe, ſtatim illum amamus, vt Cæſar Trebatium carum habuit, quia Ciceronis amici ſui valde amicum eſſe ſciebat, & qui amat eoſdem, quos etiam nos amamus, amicus nobis eſt, vt Cicero ſibi amicum eſſe Appium pulchrũ affirmat, quia Pompeium & Brutum amaret, quos etiam ipſe Cicero ualde diligeret. & qui amatur ab eo, qui amatur à nobis, amicus eſt. Vt Terentius laudabatur à Lælio, Lęlius autem à Scipione Aemiliano. ergo Scipioni etiam Terentius amicus erat. ſed hæc aperta ſunt & manifeſta.

TEXT. *Et eos, qui eiſdem ſunt inimici, & qui illos odio proſequuntur, quos ipſi oderunt; & qui odio habentur ab illis, qui ipſis odio ſunt. his enim omnibus eadem eſſe bona uidentur: quo fit ut illis benè uelint; quod amici proprium eſt.*

COMM. Hæc contraria ſunt eis, quæ ſupra poſita ſunt, ſed quæ tamen amorem concilient. cum enim intelligimus aliquẽ eſſe inimicum inimico noſtro, ſtatim illum amamus. vt Cicero Milonem amabat, quod P. Clodij inimici ſui eſſet inimicus. ita qui eos odio proſequitur, quos etiã nos odimus, amicus nobis eſt. vt iudices qui Burſam condemnarunt, quem Cicero plurimum oderat, Ciceroni ſunt amici facti. poſtremò qui ab illis odio habetur, qui nobis odio ſunt, is amicus nobis eſt. ut vt Cælius à Clodia odio habebatur, & Ciceroni Clodia erat odio, ergo Cælius Ciceroni amicus erat. cauſa uerò quod hi ſint inter ſe amici illa eſt, quoniam eis omnibus eadem eſſe bona uidentur, ideo coguntur illis benè uelle. quod amicorum proprium eſt. hac ratione Aeneas apud Virgiliũ octauo Aeneidos ſibi Euandrum conciliat, quod Daunis ſe inimicum eſſe profitetur, quibus ipſum Euandrum ſciebat eſſe inimicum. ſic enim ait;

Gens eadem quæ te crudeli Daunia bello
Inſequitur, nos ſi pellant, nihil abfore credunt,

Quin

Quin omnem Heſperiam penitus ſua ſub iuga mittant.

TEXT. *Amant etiam eos qui benefici ſunt, uel in pecuniis erogandis, uel in ſalute danda: quare liberales, & fortes uiros honorant, atque etiam iuſtos.*

COMM. Viri liberales, & fortes, & iuſti nehementer amantur, liberales autem duobus modis ſunt, uel in erogandis pecunijs uel in ſalute danda. nam ſæpe vir beneficus auxilio & opera plus prodeſt quã pecunia. idem Ariſtoteles quarto Ethicorum docet liberales vulgò pluſquam cæteros omnes amari, quòd multis emolumento ſint. Cicero ſecundo de officijs; beneuolentiam ait beneficijs capi maximè, ſecundo autem loco benefica uoluntate beneuolentia mouetur, etiam ſi res forte non ſuppetit. vehementer autem amor multitudinis commouetur ipſa ſama & opinione liberalitatis, beneficentiæ, inſtitiæ, fidei, omniumque earum virtutum, quæ pertinent ad manſuetudinem morum ac facilitatem. fortes autem viros ait Ariſtoteles tertio Ethicorum magnos honores apud omnes gentes conſequi. quin etiam iuſti maximè amantur. hinc Iliònæus ille Troianorum Orator apud Virgilium regem ſuum à iuſtitia pietate & fortitudine commendat, vt eum Didoni gratum & amicum reddat;

Rex erat Aeneas nobis, quo iuſtior alter:
Nec pietate fuit, nec bello maior & armis.

COMM. *Tales uerò exiſtimant eos, qui non uiuunt ex alienis rebus, ut qui ſuo ſibi labore uictum quærunt; quales præcipue ſunt agricolæ, & qui ipſi met opus faciunt.*

TEXT. Declarat quinam ſint illi qui iuſti exiſtimentur, & ait eos eſſe, qui nequaquam aliena ſibi uendicant, ſed labore & induſtria ſua quæ ſunt ad vſum vitæ neceſſaria ſibi acquirunt. quo in genere primo loco ſunt agricolæ, deinde opifices omnes. nam agricultura maximè iuſta eſt, vt Ariſtoteles in œconomicis tradit. neque enim agricolę quicquam ab alijs hominibus accipiunt, neque à uolẽtibus, ut caupones & mercenarij, neque ab inuitis, vt qui rei militari danr operam. Antiqui Romani (ſicut ait Cato) bonum virum cũ laudabant, ita laudabant, bonum agricolam, bonumq́; colonum. ampliſsimè laudari exiſtimabatur, qui ita laudabatur. Cicero pro Roſcio Am. multis argumentis probare contendit Roſcium innocentem eſſe, ſed eo præcipue, quòd ruſticæ vitæ deditus eſſet. quam appellat parſimonię, diligentiæ, iuſtitiæ magiſtram. Socrates dicebat agriculturam, omnium artium matrẽ & nutricem eſſe. Plato in ſua Rep. primum locum aſsignat agricolæ, ſecundum architecto, tertium textori.

TEXT. *Temperantes etiam amant, propterea, quòd minimè ſint iniuſti: atque eadem de cauſa diligunt eos, qui remoti à negocijs uitam degunt.*

COMM. Solent homines eos amare, quos modeſtos & tẽperantes eſſe intelligunt, quoniam eos ab omni iniuria abſtinere ſciunt. atque eadem etiam de cauſa illos amant, qui ſuis rebus contenti, procul à publicis negociis viuunt. quos iure beatos appellat Horatius ea cantione;

Beatus ille qui procul negociis
Vt priſca gens mortalium
Paterna rura bobus exercet ſuis.

Cicero pro Fonteio, vt eum iudicibus amicũ redderet, frugi & temperantem eſſę proclamat; Frugi igitur hominem iudices, frugi (inquam) & in omnibus vitę partibus moderatum ac temperantem, plenum pudoris, plenum officii, plenum religionis uidetis poſitum in ueſtra fidę ac poteſtate. Plutarchus, in Epaminondæ vita, tradit eum initio ab iis, qui dominatum Thebis inuaſerunt incolumẽ relictum, quia Philoſophiæ ſtudiis deditus videbatur remotus à negociis vitam degere. putabant enim eum gerendis rebus minus idoneum eò, quod ſtudiis Philoſophiæ deditus eſſet, neque facultatem aliquid moliendi habere, quoniam paupertate premebatur. hæc eſt cauſa cur multi viri ſapientes in agris uixerint delectati re ſua familiari, ne ſi res publicas adminiſtrarent, in hominum odia incurrerent.

Eos etiam amamus, quibus amici fieri ſtudemus; ſi modo, ſe id uelle, oſtenderint, tales enim ſunt, qui præclara aliqua uirtute ualent; uel qui in honore ac precio ſunt aut apud omnes, aut apud optimos uiros, aut apud eos quos admiramur, aut denique apud eos qui nos admirantur. TEXT.

Cum in amicitiam alicuius nos inſinuare ſtudemus, & id eũ velle intelligimus, confeſtim eum amare incipimus. eius autem potiſsimũ amicitiã expetimus, qui in aliqua præclara virtute aut arte excellit, cuius etiam nos ſtudioſi ſimus. vt eloquentiæ ſtudioſus, cupit amicus ei fieri, quem in eloquentia plurimum excellere indicat. ſtrenuus miles ſortis imperatoris amicitiã expetit. quin ẽt eum amamus qui in honore ac precio eſt, ſiue ab omnibus honoretur, ſiue ab optimis viris, ſiue ab iis, quos ipſi ſuſpicimus, ſiue ab iis, qui nos ſuſpiciunt. vt Cicero ad Appium ſcribens eius amicitiã ſe magnifacere oſtendit, quod eſſet homo nobiliſſimus, atque honoratiſsimus. cuius opes, ingeniũ, liberi, affines, propinqui ſibi magno vel ornamento, uel præſidio eſſe poſſent, deinde quod Cn. Põpeium eius filiæ ſocerum magnopere ſuſpiceret, cui ſciret Appium vehementer carum & iucundũ eſſe. Euander 8. Aeneidos libenter cum Aenea iũgit amicitiam, quod eum honoratiſsimũ & fortiſſimum uirum eſſe intelligeret, itaque ſic ait; vt te fortiſsime Teucrũ Accipio agnoſcoq́; libens. COMM.

Amamus etiã eos, qui morum ſuauitate præſtant, & quorum iucunda eſt conſuetudo. tales autem habentur qui ſunt ingenio placidi; neque ſiquid peccatum eſt, faciles ſunt ad reprehendendum; & qui neque controuerſi ſunt, neque litium amatores: nam huiuſmodi homines pugnant, aduerſanturq́ue alijs, qui autem pugnant, uelle contrariæ uidentur. TEXT.

Amabiles ij præcipuè ſunt homines, qui comes, benigni, faciles, ſuaues ſunt in ſermone, & in vitę conſuetudine iucundi. neque enim diu quiſ- COMM.

quam

quam durare poteſt cum homine triſti, moroſo, & querulo. ſed cum hilari, & iucundo homine libentiſsime viuitur. quod Cicero tertio Epiſtolarũ ad Appium ſcribens ita oſtendit; quid illa uincula quibus quidem libentiſsime aſtringor, quanta ſunt? ſtudiorum ſimilitudo, ſuauitas conſuetudinis, delectatio vitæ, atque victus, ſermonis ſocietas, literæ interiores. declarat autem Ariſtoteles quinam ſint illi, quorum eſt iucunda conſuetudo. nempe qui ſunt ingenio placidi. nam qui ſunt iracundi, plerunque etiam ſine iuſta cauſa iraſcũtur, & amicitiam abrumpunt. illi etiam amantur, qui non faciles ſunt ad reprehendẽdum, etiam ſi quid peccatum fuerit. nam benè præcepit Horatius.

At pater vt nati ſic nos debemus amici
Siquod ſit uitium non faſtidire.

multa enim ſunt in amicitia toleranda. neque controuerſi, & litium amatores apti ſunt ad amicitiam. quoniam aliorum uoluntatibus & ſententijs aduerſantur, & contraria velle videntur, amici autem idem uolunt. dicuntur autem homines controuerſi, qui ſemper aliquid controuerſiæ quærunt, vt in dicendo ſuperiores eſſe videantur, & qui contentionis cupidiores ſunt, quam veritatis, quo vitio græcos laboraſſe, primo de Oratore Craſſus atteſtatur. & in Bruto Cicero, Siculos ait, gentem eſſe natura controuerſam. in amicitia vero facilem eſſe oportet, neque amicorum ſententijs, niſi admodum peruerſæ ſint, magnopere reſiſtendum.

TEXT. *Et qui iocosè faceteque alios mordent, & aliorum morſus æquo animo ſuſtinent; quoniam ad eundem finem ambo tendunt, cum & inuadi æquo animo, & inuadere ingenioſè poſsint.*

COMM. Homines iocoſi ac faceti valde amantur, etiam ſi familiares dictis ſuis leuiter mordeant, modo id ſine contumelia faciant, & tanto magis amantur, quantò æquiori animo ſe viciſsim morderi ſuſtinent. Videntur enim ad eundem finem tendere, cum non moleſtè ferant, ſi mordeãtur, & alios acutè atque ingenioſè inuadãt. Iulius Cæſar apud Ciceronem ſecundo de Oratore multis de cauſis oratorium eſſe cenſet riſum mouere, ſed præcipuè, quoniam ipſa hilaritas beneuolentiam conciliat ei, per quem excitata eſt. & quoniam ipſum oratorem politum eſſe hominem ſignificat, & eruditum & urbanum. Ariſtoteles quarto Ethicorum etiam facetè dicta inter uirtutes connumerat, ſiquis mediocriter eis vti ſciat. Cicero vſque eo facetiis delectari ſolitus dicitur, ut etiam ſæpenumero modum excederet. in orationibus facetiſsimè ſæpè irridet aduerſarios ut Erucium pro Sex. Roſc. Chęream pro Roſcio Com. Fabricium pro Cluentio, Sex. Neuium pro P. Quintio, Sulpitium & Catonem pro L. Murena.

TEXT. *Eos quoque amamus qui bona noſtra laudant; & ea præcipuè quæ veremur ne in nobis planè ſint.*

COMM. Omnes fauent ſuis laudibus. itaque diligunt eos à quibus ſe ſuaque bona laudari intelligunt. & hoc eſt quod Iſocrates Demonico præcipit, vt cum alicuius amicitiam ſibi comparare ſtudet, eũ vehementer laudet, coram eis, qui poſsint illi, quę dicta fuerunt nunciare. quoniam laus (inquit) initium eſt amicitiæ, vituperatio autem inimicitiæ. Trahimur enim omnes laudis ſtudio, & optimus quiſque gloria ducitur, ait pro Archia Cicero. cũ autem libenter omnes laudes audiamus, tum eas præcipuè, quæ non planè ſunt in nobis. nam quæ bona eſſe in nobis firma putamus, & iam plurimis cognita, ea non egere teſtimonio credimus. quæ ſunt autem adhuc incerta, neq; vulgo nota, ea cupimus prædicari, quo fit vt eos amemus, qui illa extollunt, & laudant. ut Valerius ille, qui volebat uideri iuriſconſultus, cum tamen eſſet legũ ignarus, cupiebat ſe laudari in iuris ciuilis ſcientia, & iuriſconſultus appellari. vnde Cicero eum quaſi deridens ita ſcribit; M. T. Cicero S. D. L. Valerio iuriſconſulto. Cur enim tibi hoc non gratificer, neſcio: pręſertim cum his temporibus audacia pro ſapientia liceat vti.

Et qui mundi ſunt, atque elegantes in apparatu, in ueſtitu, in omni denique uita. TEXT.

Sicuti ſordes ab omnibus ferè uituperantur, ita munditia laudatur. quę tamen non odioſa neque exquiſita nimis ſit, vt primo de officiis docet Cicero, tantum quæ fugiat agreſtem, & inhumanam negligentiam. ſpectatur autem elegantia potiſsimum in apparatu domeſtico, atque in ueſtitu. ſed in alia etiam vita eſt adhibenda. quoniam amabilem reddit hominem. ipſe Ariſtoteles nitido ueſtitu & elegante delectabatur. annulis digitos refertos geſtabat, & altiore calceamento vt maior uideretur. Demoſthenem etiam tradunt (ait A. Gellius) & ueſtitu cæteroque cultu corporis nitido, uenuſto, nimiſque accurato fuiſſe. quin Hortenſius Orator adeo delicate lauteque ſe in ueſtitu gerebat, vt propè nimis effæminatus haberetur. quẽ L. Torquatus agreſti uir ingenio Dionyſiam ſaltatricem appellauit. cui Hortenſius Dionyſia (inquit) Dionyſia malo equidem eſſe, quam quod tu Torquate ἄμουσος, ἀναφρόδιτος, ἀπροσδιόνυσος. COMM. 1. cap. 5.

Et qui neque uitia, neque beneficia exprobrare ſolent; nam qui hæc faciunt, controuerſi ſunt. TEXT.

Amantur illi, qui neque peccata cuiquam exprobrant, neque beneficia. nam utrunque odioſum eſt. nemo enim libenter vitia ſua commemorari audit, & is, cui beneficia exprobrantur, quaſi ingratus accuſatur. ij uerò, qui hęc exprobrant, ſunt homines controuerſi ac litigioſi, qui facile in odium hominum incurrunt, ut ſupra dictum eſt. Cicero in Lęlio; odioſum ſanè genus hominum officia exprobrantium; quæ meminiſſe debet is, in quem collata ſunt, non commemorare, qui contulit. COMM.

Et qui non recordantur iniurias, neque aliorum peccata obſeruant, ſed placabiles ſunt; nam quales erga alios eſſe uidentur, tales etiam in nos futuros exiſtimamus. TEXT.

Viri clementes & placabiles maximè diliguntur, qui iniurias facile condonant, & earum poſtea nunquam recordantur, & qui non curioſi ſunt, COMM.

ſunt, ut aliorum peccata cognoſcant. cum enim eorum naturam cognitam habemus, tales etiam erga nos futuros putamus, quales ſunt in alios. Cicero primo de officijs ita inquit; Nec uerò audiendi qui grauirer iraſcendum inimicis putant, idque magnanimi & fortis uiri eſſe cenſent. nihil enim laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate atque clementia. ſunt autem odioſi, qui aliorum vitia obſeruant. quos ita reprehendit Horatius;

Cum tua peruideas oculis mala lippus iniunctis
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum
Quam aut aquila, aut ſerpens epidaurius? &

Iuuenalis de hoc hominum genere ſic ait;

Scire volunt ſecreta domus, atque inde timeri.

TEXT. *Et qui neque maledici ſunt, neque incommoda, maculasque uel propinquorum, uel noſtra ſcire uolunt, ſed bona tantum; hoc enim uir bonus facere ſolet.*

COMM. Sicuti maledici homines in odia multorum incurrunt, ita qui à maledictis abſtinent, multum amantur, & qui mala noſtra uel propinquorum noſtrorum nequaquam ſcire cupiuot, atque adeo ſi audiunt, ſtatim reijciuot, & occulere tentant, bona verò noſtra libenter audiunt: hoc enim boni viri officium eſt, vt bonis tantum rebus delectetur, aliorum mala ne inquirat. quod Plato in Theæteto Philoſophiæ ſtudioſis attribuit. qui rerum altiſsimarum cogitatione occupati, quid alijs accidat, ſua nihil iutereſſe cenſent. Cicero primo de Officijs præcipit eſſe cauendum, ne ſermo vitium aliquod indicet ineſſe moribus, quod maximè tū ſolet euenire, cum ſtudioſè de abſentibus detrahēdi cauſa aut perridiculum, aut ſeuerè, maledicè, contumelioſeque dicitur. nam ſiquis alteri maledicit, petulans videtur (vt ait Cicero) eſt autem differentia, inter accuſare & maledicere, ut pro Cœlio Cicero diſputat.

TEXT. *Et qui iratis non aduerſantur, aut aliquid ſeriò agentibus: nam qui hoc faciunt, litigioſi ſunt.*

COMM. Cum quis iratus eſt, aut aliquid ſerio agit, eum odit, qui ſibi aduerſatur, contra verò amat illum, qui cedit, & nulla ex parte moleſtus eſt. oportet igitur aut irato concedere, aut mitibus uerbis ac lenibus ira percitum animum placare. hoc eſt, qđ Pythagoras præcipiebat, ignem gladio non eſſe fodiendum. hoc eſt, iratum non eſſe prouocandum. eodem modo qui ſerio aliquid agentibus moleſti ſunt, eorum in ſe odium excitant, quia litigioſi ſunt, & concertationum ſtudioſi. qui verò ceduot, & oon aduerſantur; ij vehementer amantur. tale ingenium Pamphili deſcribit Terentius in Andria;

Sic vita erat: facile omnes perferre ac pati
Cum quibus erat: cumque vna his ſeſe dedere,
Eorum obſequi ſtudijs, aduerſus nemini.

TEXT. *Illos quoque amant omnes, quos ſui ſtudioſos eſſe intelligunt; ut qui ipſos admirantur, & eſſe bonos exiſtimant, & ipſorum conſuetudine delectantur: & præcipuè qui hoc faciunt in eis rebus, in quibus ipſi cupiunt admirabiles uideri, uel uiri boni, uel ſuaues, & iucundi.*

COMM. Nemo eſt, qui non amat eos, quos ſui ſtudioſos eſſe intelligit. nihil enim minus eſt hominis (ait Cicero) quam oon reſpondere in amore. ſunt autem illi ſtudioſi, qui admirantur, qui bonos exiſtimant, & qui conſuetudine delectantur. qualem Cicero quarta in Verrem actione Sthenium Siculum erga ſe oſtēdit, cum ſic ait; atque hæc vna cauſa fuiſſet, quod amicum atque hoſpitē meū Sthenium quem ego in Quæſtura mea ſiogulariter dilexiſſem, de quo optimè exiſtimaſſem, quem in prouincia exiſtimationis meæ ſtudioſiſsimū cupidiſsimumque coguoſſem, tam crudeliter, ſceleratè, ucfarieque tractaſſes. cum autem omnes ſui ſtudioſos ament, tú eos præcipuè, qui ſibi fauent, & extollunt, in eis rebus io quibus ſe excellere videri volunt, vt qui poetam in verſibus admiratur, oratorem in dicendi facultate, Philoſophū in ſapiētia, Iudicem in æquitate ac iuſtitia, facetū hominē in ſuauitate, & iucunditate conſuetudinis. nā omnes ſuis ſtudijs delectantur. aliena uerò non admodum curant. itaq; cū aliquorum beneuolentiā nobis conciliare volumus, ea facilis eſt ratio, vt eorū nos eſſe ſtudioſos oſteodamus. atque illos admirari, bonos exiſtimare, faciles, iucundos, exorabiles iudicare. quod vbique Cicero diligenter obſeruare ſolet io orationibus ſuis, vt pro M. Marcello de Cæſare; quem ſibi conciliare ſtudebat; tantam. n. manſuetudinē, tā inuſitatam, inauditamque elementiam, tantum in ſumma poteſtate rerū omniū modum, tā denique incredibilem ſapientiam ac penè diuinā tacitus nullo modo præterire poſſem. & pro Ligario de Tuberone. cuius ego induſtriæ, gloriæque faueo uel propter propinquam cognationem, uel quod eius ingenio, ſtudijsq; delector: & quæ ſequuntur.

Pares etiam amant, atque eiſdem ſtudijs deditos, niſi forte moleſti fuerint, aut ex eadem arte uictum quæſierint; tunc enim accidit, quod ait Heſiodus, Et figulus figulo. TEXT.

Plato in Lyſide tradit hoc ferè oeceſſariū eſſe, ut par pari ſit amicus. ſimilitudo. n. eſt amoris mater. & Cato in libro de ſenectute ſic ait; pares autē cum paribus vt eſt io uetere prouerbio facilimè congregantur. in haoc ſententiā multa congerit Eraſmus io adagiis. præterea qui ſunt eiſdē ſtudiis dediti plerumque ſunt inter ſe amici, ſiuti quarto Triſtium Ouidius de ſe ait; COMM.

Temporis illius colui fouiq; poetas,
Quotque aderant uates rebar adeſſe deos.

Cic. in Bruto nehementer ſe Hortenſii morte doluiſſe prædicat, quod ſocius & coosortem glorioſi laboris amiſiſſet. eſt tamen hac in re uoa exceptio. nam ſi oobis moleſti ſunt, qui iiſdem ſtudiis delectantur, aut ſi ex eadem arte ſibi uictum quærunt, non poſſunt amici eſſe. ideo Cicero, ut oſtendat ſibi amicitiā fuiſſe cū Hortenſio, ſic ait; cū præſertim noo modo ounquam ſit aut illius à me curſus impeditus, aut ab illo meus: ſed contra

ſemper

ſemper alter ab altero adiutus & communicando, & monendo, & fauendo. quoties autem ex eadem arte uiuunt homines, tunc id accidit, quod ait Heſiodus, Et figulus figulo inuidet, & faber fabro. ſemper enim ferè inter eiuſdem artis profeſſores aliqua eſt inuidia.

TEXT. *Et qui earundem rerum deſiderio tenentur; modo ſint eiuſmodi res, ut eas æqualiter ambo conſequi poſſint: ſin minus idem accidit, quod in artificibus.*

COMM. Qui res eaſdem deſiderant, inter ſe ſunt amici. ut qui urbanã uitam amant inter ſe, & qui ruſticã eodem modo, ita peregrini qui in patriam redire cupiunt, ſe uiciſsim amant. ſed ſi res eiuſmodi ſunt, ut duo pariter eas conſequi non poſsint, tũc qui eas cupiunt nullo modo poſſunt amicitiam inter ſe conſeruare. nam idem eis accidit, quod artificibus, ut ſi duo pariter eiuſdem mulieris amore capti ſint, aut regnum ac principatum appetãt. neque enim amor, neque regnum pati ſocium aut conſortem poteſt. unde Lucanus,

— omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit.

TEXT. *Eos quoque amant, quibus cum adeo familiares ſunt, ut non pudeat coram eis, illa facere, quæ uulgo turpia uidentur; niſi forte illos contemnant.*

COMM. Multa ſunt, quæ licet re uera turpia non ſunt, tamen uulgo turpia habentur, ut ructare, pedere, uentrem exonerare, & eius generis cætera, quæ ſunt interdum neceſſaria. ergo ille amicus eſſe cognoſcitur, quem non pudet hæc coram facere, quod eleganter & facetè Martialis ita expreſsit;

Nil aliud uideo quo te credamus amicum
Quam quod me coram pedere Criſpe ſoles.

hoc autem faciunt etiam nobiles & domini coram uilibus perſonis & ſeruis quoniam eos contemnunt. ideo adiungit Ariſtoteles, niſi forte eos contemnant. quos enim contemnunt, non amant. Cicero in Piſonem illi tanquam graue flagitium obiecit, quod coram ſe & C. Piſone ructauerat. & M. Antonio etiam obiicit, quod tantum uini hauſiſſet, ut illi poſtridie in conſpectu populi uomere neceſſe fuerit.

TEXT. *Et eos amant, apud quos uerentur illa committere, quæ re uera turpia ſunt: & apud quos in honore ac precio eſſe ſtudent.*

COMM. Qui ſunt honoris & gloriæ ſtudioſi, quæ turpia ſunt ubique uitare ſtudent, ſed coram eis præcipue quos uehementer ſuſpiciunt, & plurimum amant. hoc ergo ſignum eſt amoris & reuerentiæ, cum quis aliquo præſente quæ turpia ſunt aggredi non uult, quod aliquando fit ẽt in rebus non ita turpibus, ut L. Craſſus in primo de Oratore; Equidem cum peterem magiſtratus ſolebam in prenhenſando dimittere à me Scæuolam: cum ei ita dicerem, me uelle eſſe ineptum. id erat petere blandius, quod niſi ineptè fieret, bene non poſſet fieri: hunc autem eſſe unum hominem ex omnibus, quo præſente ego ineptus eſſe minimè uellem. eodem modo cum quis ſtudet in honore ac precio apud aliquem eſſe, declarat ſeſe illum amare. neque enim curat iis probari, quos negligit.

TEXT. *Et quos optant æmulos atque imitatores habere rerum ſuarum, non autem obtrectatores, eos aut amant, aut ſibi amicos fieri cupiunt.*

COMM. Viri excellentes in aliquo artis genere cupiunt imitatores ſibi atque æmulos laudum ſuarũ parere, qui tamen non ſint obtrectatores, ſed potius admiratores. itaque eos amant, & ſibi amicos fieri deſiderant, quos uolunt ſuorũ eſſe ſtudiorũ imitatores. ut L. Craſſus. Orator Sulpitiũ amabat. quoniã is in dicendo Craſſum imitari contendebat. & Cicero M. Cælium in eo ualde cõmendat, quod in eloquentiæ ſtudiis ſuarum laudum eſſet æmulator. Euander apud Virgilium octauo Aeneidos ut filium ſuum Aeneæ gratiorem faceret, ait ſe uelle, eum imitatorem, & æmulum uirtutis Aeneæ fore.

Hunc tibi præterea ſpes & ſolatia noſtri
Pallanta adiungam: ſub te tolerare magiſtro
Militiam, & graue Martis opus, tua cernere facta
Aſſueſcat, primis & te miretur ab annis.

qui uero ſunt inuidi atque obtrectatores, licet nos imitari, noſtraſque uirtutes exprimere ſtudeant, eos tamen amare non poſſumus.

TEXT. *Et quos in acquirendis aliquibus bonis adiuuarent; niſi forte in ipſos grauiora mala caſura eſſent.*

COMM. Ex uoluntate etiã ſępe amor cognoſcitur, ut qui alteri cupit quidẽ auxilio eſſe, uerum timet ex ea re ſibi maius detrimentũ euenturũ, atque ideo ceſſat, profectò hic amicus eſt iudicandus, etiã ſi nõ auxiliũ ferat. non enim ei deeſt uoluntas, ſed grauius malũ pertimeſcit. ut qui amicũ exulem & egentẽ cupit in domum recipere, deinde audit illi aqua & igni interdictũ, & cautum eſſe nequis eũ in domũ recipiat, alioqui res ea capitalis ſit. quod in hiſtoriis ſæpius accidiſſe legimus. Cicero pro Plancio vehementer extollit Plancii ipſius pietatem & amorem erga ſe, quod nõ ueritus edictum & legem Clodii ſe domo eiectum & exulem in domum receperit, & ſibi ſocius in exilio fuerit.

TEXT. *Eorum quoque amicitiam expetunt, quos uident non minus abſentes amicos diligere, quam præſentes.*

COMM. Iſocrates in principio orationis quã ad Demonicũ ſcribit, ait, hanc eſſe proborũ hominũ, & malorũ differentiã, quod mali tantum præſentes amicos amant & obſeruant, probi autem etiã diſiunctos interuallo locorũ & abſentes non minus amant quam præſentes. quo fit ut prouerbium, quo dicunt, non eſſe amicos eos, qui procul uitam agunt, non ad probos homines, ſed ad malos atque improbos referatur, de quibus ita Propertius;

Quantũ oculis, animo tam procul ibit amor.

eos igitur meritò diligimus, quos uidemus non minus diligere qui ſunt abſentes amicos, quam qui præſentes adſunt.

Itaque

TEXT. *Itaque nemo eſt, quin eos diligat, qui mortuorum amicitiam colunt.*

COMM. Quoniam probi hominis eſt etiã abſentes amicos diligere, fit vt oẽs amẽt eos, q̃ mortuorũ amicorum curã habent, & eorum memoriã colunt. tales enim ẽt erga ſe futuros ſperãt. vt Simo ille Terentianus Pamphilũ filiũ ſuum in eo vehementer cõmendat, quod parũ conſuetudinis gratia Chryſidis mortẽ defleret, quid (inquit) ſi ipſe amaſſet? quid mihi hic faciet patri? Cicero ad Atticum libro duodecimo de Triario loquens ſic ait; Amo illum mortuum. tutor ſum liberis. totam domum diligo.

TEXT. *Et omnino quicunque amicis ualde amici ſunt, & eos, cum opus eſt, non deſerunt; cum enim omnes bonos diligant, tum eos præcipuè, qui boni amici ſunt, & qui nihil apud ſe fingunt.*

COMM. Quos in amicitia colenda uidemus acres & diligentes eſſe, eos multũ amare ſolemus, cos græci uocant φιλοφίλους hoc eſt amicis amicos, quod uerbum in Phormione Terentius expreſſit, cum ita inquit; Solus eſt homo amico amicus. Vbi Donatus ait prouerbium eſſe, quod apud Appollodorũ poetam, cuius eſt Phormio græca comedia, ita legitur μόνος ἐπίσταται φιλεῖν τοὺς φίλους. i. ſolus nouit diligere amicos. nam qui ita ſunt affecti, nunquam amicos, cum opus eſt, deſerunt, cum interim (quod ait Horatius,

Diffugiant cadis cum fece ſiccatis amici.

Ferre iugum pariter doloſi. generatim quidem bonos omnes amare conſueuimus, ſed eos præcipuè qui boni ſunt amici, qui nihil fingunt nihil ſimulan, ſed ſimplicis ueritatis ſunt amatores. Nam in ſpecie fictę ſimulationis pietas eſſe non poteſt, ait Cicero.

TEXT. *Tales autem ſunt, qui mala etiam ſua narrant, & aperiunt: nam (ut ſupra dictum eſt) cum amicis nos non pudet ea dicere, aut facere, quæ uulgo turpia uidentur. itaque ſi, quem pudet, is non amat; certè quem non pudet, is amans eſſe uidetur.*

COMM. Non eſt dubitandum quin illi ſint amici, qui nobis mala ſua cõmunicant, & aperiunt. vt eis remedium quærant. iam enim ſupra declaratum eſt, nullum nobis eſſe pudorem cum amicis ea dicere, atque etiam facere, quæ vulgò homines pro turpibus habere ſolent. ut ſiquis amico narret filiæ ſtuprum, aut furtum filij, quod licet turpe ſit, non tamen ipſius culpa accidit. neque ſanè id ei narraret, quem non eſſe amicum intelligeret. ergo ita colligi poteſt; ſi is non eſt amicus, cuius nos pudet, ia certe amicus erit, cuius nos nequaquam pudet. hæc omnia ferè Cicero primò ad Atticum libro complectitur, cum ſe Romę nullum amicum habere docere uelit, ſic enim ait; Nihil mihi nunc ſcito tam deeſſe, quam hominẽ eum, qui cum omnia, quę me cura aliqua afficiunt, una communicem, qui me amet, qui ſapiat, qui cum loquar, nihil fingam, nihil diſsimulem, nihil obtegam.

TEXT. *Eos quoque amamus qui non formidoloſi ſunt, & quibus confidimus: nemo enim, quẽ metuit, diligit.*

COMM. Quamuis aliquis potens ſit, & magnas opes habeat, tamen ſi nobis non eſt horribilis ac formidoloſus, ut fidenter cum eo uerſari poſsimus, & auxilium ab eo ſperare, ſolemus eum amare. neqne. n. fieri poteſt, vt cum aliquem metuimus, eundẽ diligamus. Quod Cicero ſecundo de officijs affirmat his verbis; rerum autem omnium nec aptius eſt quicquam ad opes tuendas, quam diligi; nec alienius quam timeri. præclare Ennius: Quem metuunt oderunt,

Quem quiſque odit, periſſe expetit. & paulò poſt;

Malus enim cuſtos diuturnitatis metus: contraque

Beneuolentia fidelis eſt vel ad perpetuitatem.

TEXT. *Amicitiæ ſpecies ſunt ſodalitas, neceſsitudo, cognatio, cæteraque eius generis.*

COMM. Ethicorum octauo libro diligentiua amicitiæ ſpecies perſequitur. hic autẽ tres tantũ ponit, ſodalitatem, neceſsitudinem, cognationem. ſed alias ẽt eſſe oſtendit. Sodalitas amicitia quædam eſt in rebus leuioribus ut in cõuiuijs & ludis ac iocis. Caius Iuriſcõſultus ait, ſodales eos dici, qui ſunt eiuſdem collegij. Neceſsitudo eſt arctior amicitia, quæ ex familiaritate & frequenti conſuetudine contrahitur. cognatio eſt eorum amicitia qui ſunt eiuſdem gentis ac familiæ.

TEXT. *Conficiens autem amicitiæ beneficium eſt: & præcipuè, quod ultrò defertur, non expectatis precibus; & quod quando collatum eſt, non commemoratur. tunc enim intelligitur ipſius gratia factum eſſe, non alia de cauſa.*

COMM. Multa quidem ſunt, quæ amicitiam concilient, ſed beneficia præcipue ſunt eiua conficientia. atque illa præſertim quæ quis non rogatus ſua ſponte conferre ſolet. nam qui alicui ultrò bene facit, ſtatim eius ſibi animũ obligat. ſed cauendum eſt, ne cum alicui beneficium dederimus, illud deinde frequenter cõmemoremus. hoc.n. odioſum eſt, & à quadam animi leuitate prouenit. ſed cum ſiletur, tunc apertum eſt, non alia de cauſa datum eſſe beneficiũ, niſi eius ipſius cui datũ eſt, gratia. quo fit ut gratiſsimum habeatur. Cicero ſecundo de officijs ita inquit; Beneuolentiæ præcepta videamus: quæ quidem beneficijs capitur maximè: ſecundo autẽ loco benefica uoluntate beneuolentia mouetur etiam ſi res forte non ſuppetit. Sunt etiã aliæ cauſæ conficientes amicitiæ, neque enim tantum liberalitas & beneficentia conciliat amicitiã, ſed etiam Iuſtitia, fides, comitas affabilitaſque ſermonis, & omnes virtutes, quæ pertinent ad manſuetudinem morum ac facilitatem. tum etiam laus eius quem amicum habere deſideramus.

TEXT. *Quod autem ad inimicitias & odium attinet, perſpicuum eſt, ex contrarijs locis ſumenda eſſe argumenta.*

COMM. Declarauit quibus modis homines amicitiam inter ſe concilient, nunc autẽ oſtendit facile ex cõtrarijs locis intelligi poſſe, quæ ſint inimicitiarũ & odij cauſæ. atque vnde loci ſumendi ſint, qui ad

eam

eam tractationem pertineant. nam rerum contrariarum ex contrarijs locis argumenta ſumenda ſunt, quoniam (vt ait Cicero) contrariorum contraria ſunt conſequentia.

TEXT. *Inimicitiarum verò conficientia ſunt ira, uiolentia, criminatio.*

COMM. Tria potiſsimum illa ſunt, quæ ſolent inimicitias contrahere, primo loco ponitur ira, quæ eſt vlciſcendi libido, quæ cum prorumpit ſtatim ſeditiones, vulnera, cædes eam ſubſequuntur. ſecundo violentia, quæ ludibrij cauſa fit, vt alicui incommoda importentur. tertio criminatio, ſicuti enim laus initium eſt amicitiæ, quod ait Iſocrates ad Demonicum ſcribens, ita criminatio principium eſt inimicitiarum.

TEXT. *Sed ira concitatur ex ijs rebus, quæ ad ipſum referuntur; inimicitia verò etiam ex ijs, quæ minimè ad ipſum pertinent. ſæpe enim aliquem odio proſequi ſolemus, ſi talem eſſe ſuſpicamur.*

COMM. Quamuis ira ſæpe ſit inimicitiarum initium, tamen inter iram & inimicitias plurimum intereſt. primo enim ira tantum ex ijs rebus excitatur quæ ad ſe ipſum & ad ſuos pertinent. at vero inimicitię ex improbitate, atque ex alijs rebus, etiam ſi non ad ipſum pertineant. cum enim intelligimus aliquem eſſe uel furem, vel proditorē, vel impiū, uel latronem eum ſtatim odio proſequimur, & inimicum habemus, etiam ſi nos nunquam læſerit. qđ elegantiſsime Cicero quinta in Verrem actione declarat his verbis; An tu maiores vllas inimicitias putas eſſe, quam contrarias hominum ſententias, ac diſsimilitudines ſtudiorum, & voluntatum? fidem ſanctiſsimam in vita qui putat, poteſt ei non inimicus eſſe, qui Quæſtor conſulem ſuū, conſilijs commiſsis, pecunia tradita, rebus omnibus creditis, ſpoliare, relinquere, prodere, oppugnare auſus ſit? pudorem & pudicitiam qui colit, poteſt animo æquo iſtius quotidiana adulteria, meretriciam diſciplinam, domeſticum lenociniū videre? qui religiones Deorum immortalium retinere vult, ei, qui fana ſpoliarit omnia, qui ex Thēſarum orbitis prædari ſit auſus, inimicus non eſſe qui poteſt? & quæ ſequuntur.

TEXT. *Huc accedit quod ira ſemper contra ſingulos excitatur; ut contra Calliam, aut Socratem: odium autem etiam contra genera hominum; nam furem, & calumniatorem omnes oderunt.*

COMM. Altera differentia iræ & odij ſeu inimicitiarum hæc eſt, quod ſingulis tantum hominibus iraſci ſolemus, non autem vniuerſo alicui hominum generi. qui enim iraſcitur, vel Calliæ, vel Socrati, uel alicui ſemper homini iraſcitur. odium autem & inimicitiæ geruntur etiam contra vniuerſum aliquod genus, vt fures omnes odio proſequimur, & calumniatores, & inſidiatores, & ſicarios, & reliquos improbos. nam ſi alicuius familiares & amici fuerimus, atque is ſacrilegus, aut proditor fiat, ab eo ſtatim recedimus, & eum inimicum nobis factum eſſe putamus, etiam ſi nulla in re nobis iniuriam fecerit. quod ideo fit, quia tales homines generatim odio proſequimur.

TEXT. *Atque ira quidem tempore ſanari poteſt, odium non poteſt.*

COMM. Tertia differentia inter iram & odium, quod ira plerunque temporis longinquitate ſanatur. neque enim immortales inimicitias gerere contra aliquem qui mortalis eſt debet, & boni viri ſolēt exorabiles eſſe. ſed odiū nunquam ſanari poteſt, quia naturale eſt, & innatum homini, vt quæ contra honeſtatem fiunt, verè amare non poſsit. Videtur autē Cicero, in oratione quam habuit ad Quirites poſt reditum ſuum, contra Ariſtotelem ſentire, cū ita inquit; odium vel precibus mitigari poteſt, vel temporibus Reip. cōmuniq; vtilitate deponi, vel difficultate vlciſcendi teneri, vel vetuſtate ſedari. Sed ibi Cicero pro iracundia odium poſuit, vel ſatis apparet. ſicuti etiam pro Cælio; magnum odium video cum crudeliſsimo diſsidio extitiſſe. & pro Milone; at valuit odium, fecit iratus. proprie tamen odium generale eſt in homines improbos. ira autem in ſingulas perſonas.

TEXT. *Præterea ſtudet ira dolorem inurere; ſed inimicitiæ magis damnum importare geſtiunt.*

COMM. Quarta differentia iræ & odii ſiue inimicitiæ, illa eſt; quod ira proprie dolorem inurere ſtudet. plerunque enim ira percitus contentus eſt par pari referre, quod eum, cui iratus eſt, mordeat, & quāuis damnum non dederit, tamen ceſſat ab ira, cum intelligit, à ſe magno dolore affectum illum, cui fuerat iratus. odium autem præter dolorem, vult etiam adferre detrimentum. nam quem quiſque odit, periiſſe expetit, vt ait Cicero.

Nam qui iratus eſt alicui, uult eum ſentire, cum ulciſcitur; inimicus uero nequaquam hoc curat.

Hæc eſt ratio differentiæ præcedentis. iratus .n. (inquit) animo ſuo non ſatisfacit, niſi cum vlciſcitur, ille cui dolorem adferet, lædi ſe ſentiat, & à quo lædatur, & qua de cauſa intelligat. qui autem odit ac inimicus eſt, agit occultius, neque curat, utrum ille quē offendit, ſentiat à ſe offendi nec ne, ſed omni ratione illum extinctum cupit.

TEXT. *Quæ uero dolorem faciunt, omnia ſenſum mouent: ſed, quæ maxime mala ſunt, minimè ſentiuntur, ut iniuſtitia, & dementia; prauitas enim præſentia ſua nullum dolorem adfert.*

COMM. Non ſine cauſa vult iratus dolorē inferre, quia quæcunque uim habent dolorem faciendi, ſenſum mouere ſolent. vt iurgia, cōtumeliæ, verbera, maledicta, atque eius generis plurima. ſunt autem multa mala & ea quidem maxima quæ licet adſint alicui, non tamen illi dolorem adferunt, neque ſentiuntur, qualis eſt improbitas & inſania. quæ nequaquam iratus optat ei, quem vlciſci cupit, ſed inimicus, & odio cōmotus maxime cupit inimico ſuo illa contingere. quod in Piſonem Cicero his verbis oſtendit; Quæ eſt igitur pœna? quod ſupplicium? id mea ſententia, quod accidere nemini poteſt, niſi nocenti, ſuſcepta fraus, impedita & oppreſſa mens conſcientia, bonorum omniū odium, nota iuſti Senatus, amiſsio dignitatis. & infra; mihi enim

hi enim

hi enim non venerat in mentem furorem & inſaniam optare vobis, in quam incidiſtis, atqui fuit optandum rurſus alibi; ego te non vecordem, non furioſum, non mente captũ, non tragico illo Oreſte, aut Athamante dementiorem putem? Sæpe autem accidit vt animi prauitas, & dementia non modo nullum dolorẽ adferat, ſed ẽt lætitiã. quam.n. multi ſunt, qui ſuis vitiis, & inhoneſtis voluptatibus delectentur? qui etiam ſe peccaſſe glorientur? iam vero multi dementes & inſani voluptatẽ immenſam ex inſania ſua percipiunt, dum ſe diuites, aut reges, aut imperatores eſſe opinantur. aut cantus & modulationes ſuauiſsimas audire ſibi videntur. qualis ille Argiuus apud Horatium epiſtolarum ſecundo.

Qui ſe credebat miros audire tragœdos
In uacuo lætus ſeſſor, plauſorque theatro,
Sed poſtea cum ope cognatorum ab ea inſania liberatus fuiſſet,
— pol me occidiſtis amici
Non ſeruaſtis ait: cui ſic extorta uoluptas,
Et demptus per uim mentis gratiſsimus error.

TEXT. *Ira etiam adiunctam habet ægritudinem; ſed odiũ ægritudine uacat: nam qui iratus eſt, dolet; qui autem odit, non dolet.*

COMM. Eſt ẽt illa inter iram & odium differentia, quod ira nunquam ſine dolore atque ægritudine eſſe poteſt. odium uero plerunque eſt ſine dolore. iratus enim ſe contemptum eſſe, atque iniuriam accepiſſe arbitratur. quæ res eum ex recordatione concitat, & angit. vt in ſecundo Aeneidos venus ait;
Nate quis indomitas tantus dolor excitat iras?
& in primo de Iunone ſic ait poeta;
Nec dum etiam cauſæ irarum ſæuique dolores
Exciderant animo. qui uero odio proſequitur ſæpe nihil dolet. nam improbos & ſceleſtos homines odio babemus, etiam ſi nunquam nos offenderint. atque illos propter ſcelera ſua perditos cupimus. hoc animo ſumus in prædones, parricidas, fures, ſicarios, proditores, & cæteros eius generis homines.

TEXT. *Et iratus ob multas aduerſarij calamitates nonnunquam ad miſericordiam flectitur; qui autem odit, nunquam ulla mouetur miſericordia: nam iratus uult eum, cui iraſcitur, uiciſsim angi, & dolorem ſentire; ſed qui odit, uult eum, quem odit, extingui, & perire.*

COMM. Addit aliam iræ atque odii differentiam. quoniam plerunque accidit, ut iratus, eum aduerſariũ ſuum multis calamitatibus oppreſſum uidet, miſericordia moueatur, atque illum, ſi facultas datur, ſubleuet. ut Tiberius Gracchus feciſſe dicitur. cũ enim L. Scipioni Aſiatico vehementer iratus eſſet, & cum eo apertas Inimicitias exerceret, tamen cum eum iniuſtẽ damnatũ in carcerem duci uideret, intercesſit, & tribunicia poteſtate, qua tunc erat præditus, liberauit. eodẽ modo Metellus Macedonicus longo tempore Scipioni Aemiliano Iratus & inimicus cum audiuiſſet cum domi ſuę nefarie interfectum, uultu mœſtiſsimo in publicum profectus dixit; ciues noſtræ urbis mænia ſunt euerſa. deinde filiis ſuis præcepit, ut eius funus comitarentur, nunquam enim fore ut præſtantioris uiri funus aſpicerent. hæc ſæpe accidunt inter ciues bonos, qui licet iraſcantur, non tamen omnino cupiunt aduerſarium ſuum extinctum. ſed qui odit, nulla prorſus unquam miſericordia commouetur, ſed potius gaudet, cum eum, quem odit, opprimi, extingui, & perire intelligit. cupit enim eũ non eſſe, nomemque eius penitus aboleri deſiderat. cum interim iratus nihil aliud quærat, niſi ut aduerſarius uiciſsim doleat, & à ſe offendi ſentiat. neque mortẽ aduerſarii, ſed ultionem tantum exoptet. quod ſi ultionis cupiditas ad uitã & ſanguinẽ uſque procedat, iam non amplius ira, ſed odium eſt appellandum. quod pro Ligario Cice. ſic oſtendit. externi iſti mores uſque ad ſanguinem incitare ſolent odium aut leuium Grœcorum aut immanium barbarorum.

Ex his perſpicuum eſt, quomodo quis amicos, & inimicos oſtendere poſſit qui ſint; &, qui non ſint, quomodo facere poſſis; &, qui ſe dicunt eſſe, quomodo diſturbare queat: & cum eſt controuerſia, utrum aliquid propter iram, an propter inimicitias factum ſit, quomodo ualeat, in quam partem uoluerit, qui dicit, id traducere. TEXT.

Docet quã utilitatẽ ex ſuperioribus locis orator habere poſsit. plurimũ enim refert orationem ita conformare, ut quoſcunque uoluerimus, lj uel amici, uel inimici eſſe uideantur, & inſerere nouas amicitiæ uel odii opiniones, & euellere inſitas. quã nobis cõmoditatem loci iam ſupra declarati facile præſtant. & præterea ſiquando controuerſia accidit de aliquo facto, utrum propter iram an propter odium euenerit, intellectis iræ, atque odij differentiis, facile poterit Orator quamlibet uoluerit partem tueri ac defendere. COMM.

Quæ uero timeant homines, & quos, & quomodo affecti, planum fiet ex iis, quæ modo dicemus. TEXT.

Cum de ira ſatis multa diſputarit, nunc tranſit ad aliam animi comotionẽ, boc eſt ad metum. in quo tractando ſequitur eundem ordinẽ quem in ſuperioribus. tria.n. ſibi diſcutienda proponit, primo quæ ſint res illæ, quas homines timere ſoleãt. deinde qui ſint homines, qui timeantur. tum quo modo affecti ſint homines in timore, ſed prius definit quid ſit timor aut metus, ut quæ propoſita ſunt facilius explicentur. COMM.

Eſt autem metus ægritudo quædam, uel perturbatio ex opinione impendentis mali, quod aut interitum nobis, aut dolorem adferre poſsit. TEXT.

Metus neque præteriti neque pręſentis eſt mali, ſed impendentis ac futuri. tantũ.n. abeſt ut præterita mala timeamus, ut ẽt ex eorũ recordatione iucunditatẽ quandã ſentiamus, unde Euripides, Suauis eſt malorũ præteritorũ memoria. & Virg. COMM.
— forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit.
& Seneca.
Quod fuit durum pati meminiſſe dulce eſt,
Quę uero pſentia mala ſunt, ea nõ metũ incutiũt,

ſed

ſed mœrorem atq; ægritudinem. Eſt igitur metus futuri mali opinio. ſed quia nõ omnia mala timẽt homines, idcircò rectè additum eſt ab Ariſtotele, malum id, quod metum adfert, eſſe huiuſmodi, ut vel interitum homini, vel triſtitiam ac dolorẽ poſſit adferre. vt ſi metuamus ne nos inuadat inimicus, aut ne in grauem morbum incidamus, aut ne ignominiã ſubeamus, aut opes vel cognatos amittamus. datus autem à natura metus eſt hominibus, vt caueant nocitura priùſquam ueniant. vnde metum pœnæ ſapientes dicunt eſſe virtutis elementum. hac de cauſa Lacedæmone prope ſuum tribunal timoris templum Ephori conſtituerunt, quia Remp. nulla re magis quam metu corrigi putarent. Solon dicebat omnem Remp. metu pœnę, & ſpe præmiorum optimè gubernari.

TEXT. *Neque enim omnia mala timentur, ut, ne iniuſtus fiat, aut hebeti tardoque ingenio. ſed ea tantum, quæ uel magnos dolores; uel interitum adferre poſsint.*

COMM. Vulgò homines non omnia mala timent, imo uero ſæpe quæ grauiſsima ſunt mala, non modo non reformidant ſed etiam appetunt, ut iniuſtitiam. nam apud Platonẽ in Gorgia Callicles ſummam iniuſtitiam ſi modo lateat, uel ſummas vires habeat, magnopere eſſe expetendam cenſet, cũ tamen nullum malum ſit iniuſtitia grauius. ita nemo ferè timet ne tardo ingenio fiat, licet hoc malũ graue ſit. illa uero quæ dolorem uel interitum ferunt omnes timent, ut dedecus, mendicitatẽ, morbum; mortem, cæteraq; eius generis. hinc Rhetorum campi cum aliquid diſſuadere uel ſuadere uolunt, ut euentura mala proponant, & quaſi oculis ſubiiciant, niſi prouiſum fuerit, quod in Catilinã, & in Antonium copioſiſsime Cicero facit.

TEXT. *Et præcipuè ſi illa nõ longinqua ſint, ſed proxima, ut iam impendere uideantur; nam, quæ ualde longinqua ſunt, non metuuntur. ſciunt enim omnes fore ut moriantur; ſed quoniam id propè non eſſe putant, ideo nullam curam ſuſcipiunt.*

COMM. Ea mala præcipuè metum incutiunt, quę propinqua eſſe videntur, quia parua ſpes eſt, ea uitari poſſe, niſi magna feſtinatio adhibeatur, vt apud Virgilium Aeneas cum eius pater Anchiſes egredi ex vrbe recuſaret, ut illi metum inijceret, ſic ait;

Iamq́ue aderit multo Priami de ſanguine Pyrrhus
Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.

quod ſi mala ſint longinqua, non magnum ſolent metum inijcere, quod aperto exẽplo declarat Ariſtoteles. nemo eſt. n. qui non intelligat aliquando ſibi eſſe moriendum. verum quia ſe diu uicturos ſperãt, & longè mortem abeſſe, ideo uel nihil, uel parum admodum metuunt. ita Sinon apud Virgilium ut Troianis metum adimeret, ait Græcos Mycenas quidem petijſſe, ſed tamen ſe præparare, ut iterum ad Troiam de improuiſo veniant, ſic enim ait,

Et nunc quòd patrias vento petiere Mycenas
Arma Deoſque parant comites, pelagoque remenſo.
Improuiſi aderunt.

hoc enim ſine longo tempore fieri non poterat.

Quod ſi metus eſt eiuſmodi, neceſſe eſt, ut ea omnia ſint horribilia & pertimeſcenda, quæ nos perdendi uim magnam habere uidentur; aut eiuſmodi detrimenta importandi, quæ acerrimos animi dolores pariant. TEXT.

Iam ex definitione metus incipit ea colligere, quæ homines metuere cogant. ac primo loco ſunt ea, quæ nos perdere facile poſſunt. hæc enim præcipue timere ſolemus. ſecundo loco ea ponuntur, quæ magnas triſtitias pariunt. ut amiſſio parentũ, coniugum, liberorum, fratrũ, fortunarum, vt ignominia, carcer, exilium, plurimaque id genus alia. quæ Cicero. 4. in Catilinã actione quaſi uno faſce complectitur, cum ſic ait. Videor. n. mihi hanc urbem uidere, lucem orbis terrarũ, atq; arce omniũ gentiũ ſubito uno incendio concidentem: cerno animo ſepultam patriam, miſeros atque inſepultos aceruos ciuium: nerſatur mihi ante oculos aſpectus Cethegi, & furor in ueſtra cęde bacchantis. & quæ ſequuntur. & in extrema parte eiuſdem orationis ita inquit; Quapropter de ſumma ſalute ueſtra populiq; R. P. C. de ueſtris coniugibus ac liberis, de aris, ac focis, de fanis, ac templis, de totius urbis tectis ac ſedibus, de imperio, de libertate, de ſalute Italię, deque uniuerſa Rep. decernite diligenter ut inſtituiſtis, ac fortiter. COMM.

Itaque talium etiam rerum ſigna terrorem incutiunt. tunc enim in proximo iam eſſe uidetur id, quod eſt horribile: hoc uerò ipſum periculum eſt, horribilis rei appropinquatio. TEXT.

Impendentium malorũ ſigna nos perter refaciunt, ut reges ac principes cometarum ortus. nautas Helenæ, quod appellant, ſidus. agricolas tonitrua, & murmurantes nubes. timent enim tunc ne grandine ſata uineæque contundantur. Virgilius primo Georg. oſtendit multa ſigna mortem Cęſaris & ciuilia bella præceſsiſſe, ut defectus Solis, auguria triſtia, Aetnæ incendiũ, armorum in Cœlo ſtrepitus, terræ motus, uoces incerto auctore, ſimulachra mortuorum uiſa, locutio beſtiarum, ſudor ſtatuarum, inundatio Eridani, fibræ minaces, cruor in puteis, ululantes in urbibus lupi, crebra fulgura, cometæ, quæ omnia malorum impendentium ſigna fuerunt. ſic in primo Aeneid. cum oſtendere uelit Aeneam uirum fortiſsimum non ſine cauſa timuiſſe, cum orta eſſet tempeſtas, ita inquit, COMM.

Eripiunt ſubito nubes cœlumq́ue diemq́ue
Teucrorum ex oculis, ponto nox incubat atra,
Intonuere poli & crebris micat ignibus æther,
Præſentemq́ue uiris intentant omnia mortem.

hæc enim ſigna declarant, res horribiles proximas eſſe, quo fit ut periculi metus nos inuadat, nam periculum nihil aliud eſt, quam appropinquatio rei pertimeſcendæ.

Tales ſunt inimicitiæ, iræque illorum qui malum aliquod importare poſſunt: perſpicuum eſt enim eos & uelle, & poſſe; quo fit ut ad inferendum bellum paratiſint. TEXT.

COMM. Pertimeſcendæ ſunt eorum inimicitiæ, qui facile malũ nobis poſſunt importare, quales ſunt principes, diuites, potentes, gratioſi, eloquentes, robuſti, & ſiqui ſunt eius generis cæteri. nam cũ inimici fiunt, nocere uolunt & poſſunt, itaque data occaſione ſtatim malum inferre aggrediuntur. Quare bene Cicero Q. Thermum proprætorem admonet, ut trium fratrum nobiliſsimorum inimicitias uitet, ſic. n. ait, nocere tibi iratum neminem poſſe perſpicio: ſed tamen tres fratres ſummo loco natos, promptos, non indiſertos, te nolo habere iratos, præſertim iure, quos uideo deinceps Tribunos pl. per triennium fore. tempora autem Reip. qualia futura ſint, quis ſcit? mihi quidem turbulẽta uidentur fore. cur ego te uelim incidere in terrores tribunitios? ſic etiam Homerus Iliados primo docet non eſſe regem aut potentem hominem prouocandum. quamuis enim iram ſtatim deponere videatur, tamen occaſionem nactus, offendere non dubitat.

TEXT. *Et iniuſtitia ſi uires nacta fuerit, horribilis eſt; iniuſtus enim is eſt, qui conſultò ſe iniuſtè gerit.*

COMM. Timendi ſunt iniuſti homines cum offendendi uires habent, neque. n. de uoluntate eorum dubitandum eſt, cum iniuſtus ille dicatur, qui non caſu aut imprudentia peccat, ſed qui conſulto & dedita opera male ſe gerit. unde prouerbio dicitur, iniuſtitiæ ſola occaſio deeſt. primo Politicorum Ariſtoteles quantopere ſit iniuſtus homo pertimeſcẽdus, & quã ſceleratus ita oſtẽdit. vt. n. homo ſi omnibus ſuis partibus & numeris perfectus abſolutusque ſit, multò cæteris animantibus antecellit: ſic ſi à lege & iuſtitia remotus ſit, nulla ferarum fraus eſt tanta, nulla malitia, quæ poſsit cum eius malitia contendere. Nam cum iniuſtitia armis inſtructa ſit horribilis maximè, hominiq; à natura quaſi arma quædam data ſint prudentiæ ac uirtutis, quibus in contrarias partes plurimum uti poſſit, nihil eo ſi uirtute uacet, eſſe poteſt ſceleratius, nihil immanius, nihil denique ad libidinem & intemperantiam abiectius. Tales ſunt tyranni ut Mezentius de quo ita Virgilius in 8.

Quid memorem infandas, cædes? quid facta tyranni
Efferam? Dii capiti ipſius generiq; reſeruent.
Mortua quin etiam iungebat corpora uiuis
Componens, manibusque manus atque oribus ora.

TEXT. *Virtus quoque affecta contumelia, ſi uires adepta eſt: perſpicuum eſt enim, cum afficitur contumelia, ſemper eam ulciſci deſiderare, ſed cum poteſt, tunc id efficere.*

COMM. Quanto quis maiori virtute atq; animi magnitudine præditus eſt, tanto horribilior eſt, ſi contumelia afficiatur, ut paria faciendi poteſtatem habeat. neque enim dubium eſt, quin cum iniuriam accipit is, qui fortitudine præcellit, ulciſci deſideret, itaque facultatem nactus animum ſuũ ſtatim explet. hoc eſt quod Cicero ad Atticum ſcribens libro ſecundo metuere ſe dicit, ne Pompeius ab inimicis contumelia affectus in Remp. ſęuiat. Et timeo (inquit) tam uehemens uir, tamq; acer in ferro, & tam inſuetus contumeliæ, ne omni animi impetu dolori & iracundiæ pareat. ſic Aeneas apud Virgilium audita Pallantis morte,

Proxima quæque metit gladio, latumque per agmen
Ardens limitem agit ferro, te Turne ſuperbum
Cæde noua quærens, Pallas, Euander in ipſis omnia ſunt oculis.

ſic Hetruſci multis à Mezentio contumeliis affecti tandem in eum impetum fecerunt. Virgilius:

At feſsi tandem ciues infanda furentem
Armati circumſiſtunt, ipſumque domumque,
Obtruncant ſocios, ignem ad faſtigia iactant.

TEXT. *Metus etiam eorũ, qui malum aliquod inferre poſſunt, horribilis eſt: nam huiuſmodi homines ſemper ad offendendum parati ſunt.*

COMM. Non ſolum inimicitiæ atq; iræ potentium hominum horribiles ſunt, ut ſupra dictum eſt, ſed ẽt eorum metus. quoties. n. aliquem metuunt, eum omni ratione tollendum eſſe ſtatuunt. hanc rem primo de officiis ita explicat. Atque illæ quidẽ iniuriæ, quæ nocendi cauſa de induſtria inferuntur, ſæpe à metu proficiſcuntur, cum is, qui alteri nocere cogitat, timet, ne, niſi id alteri fecerit, ipſe aliquo afficiatur incommodo. Sic reges & principes eos plerunque necare ſolent à quibus metuunt ne priuentur imperio. cuius rei in hiſtoriis infinita ſunt exempla. neque. n. tantum alienos à familia, ſed plerunque etiam cognatos, & fratres, & liberos ipſos interficiunt, ut ſecuri poſtea dominari poſsint.

TEXT. *Et quoniam plerique ſunt improbi, & cupiditatis ſiti trahuntur, atque in periculis timidi; plerunque etiam horribile eſt, in aliorum fide ac poteſtate uitã ſuam collocatam habere. quare, qui alicuius magni facinoris conſcij ſunt, iidem ſunt etiam horribiles; ne aut facinus illud indicent, aut ſocios deſerant.*

COMM. Non eſt tutum (inquit) alicui fidere, & arcana cuiquam cõmittere, quibus patefactis uitæ periculum adeatur. atque hoc tribus potiſsimum de cauſis, primò quia plurimi ſunt improbi atque infideles, qui leui etiam de cauſa ſecreta patefaciunt. ſecundo quia pauci ſunt, qui non cupiditatis ſiti trahantur, & ſpe lucri ſocios atque amicos decipiant. tertio quia plerique ſunt in periculis timidi, atque ideo ut ipſi periculũ euadant, amicos produnt. Itaq; uehementer timendi ſunt illi, qui ſceleris alicuius magni conſcii ſunt, ſæpe enim uel propter propoſitũ indici præmiũ ſcelus illud indicãt, uel pp periculi timorẽ eos deſerunt, quibus fidẽ dederant. hæc eſt cauſa cur improbi ſoleant eos diligere, colere, & in ſinu geſtare, qui flagitiorũ ſuorum conſcii ſunt, quia ſemper timent ne ab eis prodantur. quam rem Iuuenalis Satyra tertia ſic expreſsit.

Quis nunc diligitur niſi conſcius? & cui feruens
Aeſtuat occultis animus ſemperq; tacendis?
Nil tibi ſe debere putat, nil conferet unquam

Par-

Participem qui te ſecreti fecit honeſti,
Carus erit Verri, qui Verrem tempore quo uult
Accuſare poteſt. tanti tibi non ſit opaci
Omnis arena Tagi, quodque in mare uoluitur aurum,
Vt ſomno careas ponendaq; præmia ſumas
Triſtis, & à magno ſemper timearis amico.
Et non ita multò poſt de græculis hominibus,
Scire uolunt ſecreta domus, atque inde timeri.

TETX. *Et qui iniuriam facere poſſunt, ſemper eis formidabiles ſunt, qui ſunt ad iniuriam expoſiti; plerunque enim homines facultatem nacti iniuriam inferunt.*

COMM. Sunt quædam hominum genera quaſi ſuperiora, quæ ſemper ferè timeantur ab inferioribus, ut nobiles ab ignobilibus, diuites à mendicis, urbani à ruſticis, milites à paganis, patroni à cliẽtibus, & ita de cæteris eius generis. atque ideo coli & obſeruari uolunt, alioqui facile iniurias inferunt. neq; ferè quiſquam audet eos offendere, unde Iuuenalis de militum commodis ita inquit Satyra ultima:
Commoda tractemus primum communia, quorum
Haud minimum illud erit, ne te pulſare togatus
Audeat, imo & ſi pulſetur diſsimulet, nec
Audeat excuſſos prætori oſtendere dentes.
& inferius paulo poſt,
audeat ille
Neſcio quis, pugnos qui uidit, dicere uidi
Et credam dignum barba, dignumq; capillis
Maiorum, citius falſum producere teſtem
Contra paganum poſsis, quam uera loquentem
Contra fortunam armati. hoſpites etiam infideles & ambigui formidabiles ſunt eis qui hoſpitio ſuſcipiuntur. itaque Venus apud Virgilium de Aenea ſuo uehementer erat ſolicita cum apud Tirios hoſpitaretur;
Quippe domum timet ambiguam Tyrioſque bilingues
Vrit atrox Iuno, & ſub noctem cura recurſat.

TEXT. *Et qui iniuriam acceperunt, uel ſe accepiſſe arbitrantur; ſemper enim ulciſcendi tempus obſeruant.*

COMM. Semper ille metuendus eſt, qui vel accepit iniuriam, uel ſe accepiſſe putat. quoniã vltionis eſt cupidus, & gratiã referendi tempus obſeruat. vt minquã is, qui fecit iniuriam ſecurus eſſe poſsit. ita Cicero pro Milone probat Clodiũ Miloni feciſſe inſidias, quòd ab eo læſus & accuſatus fuiſſet. ille erat (inquit) ut odiſſet primũ defenſorẽ ſalutis meæ, deinde uexatorem furoris, domitorem armorum ſuorum, poſtremò etiã accuſatorem ſuum. reus. n. Milonis lege Plotia fuit Clodius, quo ad uixit, quo tandẽ animo hoc tyrannũ tuliſſe creditis? quãtũ odiũ illius, & in homine iniuſto quã et iuſtũ eſſe? & alibi narrat Milonem nunquã ſine præſidio cuſtodiaque proficiſci quoquã ſolitum, quia Clodium quẽ offenderat, metuebat. ſemper (inquit) ille, & quantum intereſſet P. Clodij ſe perire, & quanto illi odio eſſet, & quantum ille auderet cogitabat. Quãobrem uitã ſuam quam maximis præmijs propoſitam & penè addictam ſciebat, nunquam in periculum ſine præſidio, & ſine cuſtodia prouehebat.

TEXT. *Et qui iam fecerunt iniuriam, ſi poteſtatem habent, horribiles ſunt, cum ſemper talionem reformident; hoc autem eſſe horribile iam ſupra dictum eſt.*

COMM. Nõ minus metuendi ſunt illi, qui nobis iniuriã fecerunt, quã qui à nobis acceperũt. nam iniurius homo perpetuo timet, ne is, qui accepit iniuriam ſibi talionem reddat. atque ideo iniuriã facere fortiſſimè perſeuerat. & quacunq; ratione poteſt eum, quem ſibi putat inimicum, opprimere conatur. ut Chryſogonus Sex. Roſcium cuius patrem interfecerat, & cuius bona inuaſerat, inſectari tamen non deſiſtebat, ut eo ſublato ſecurus eſſe poſſet. itaque Cicero pro Sex. Roſc. ſeſe hoc incolumi non arbitratur huius innocentis patrimonium tã amplum & copioſum poſſe obtinere, dãnato & eiecto, ſperat ſe poſſe, quod adeptus eſt per ſcelus, id per luxuriam effundere atque conſumere. & inferius ita Roſcium loquentem inducit, patrem meum cum proſcriptus non eſſet, iugulaſtis, occiſum in proſcriptorum numerum retuliſtis: me domo mea per vim expuliſtis, patrimoniũ meum poſsidetis, quid vultis amplius? etiam ne ad ſubſelia cum ferro atque telis ueniſtis, ut hic aut iuguletis aut condemnetis Sex. Roſcium?

TEXT. *Et qui de iiſdem honoribus, aut præmiis certant, ſi eadem ambo conſequi non poſſunt: tales etiam inter ſe perpetuò digladiantur.*

COMM. Cõpetitores eiuſdem honoris aut præmii ſemper inter ſe ſunt inimici, ſi forte ſit honor aut præmium eiuſmodi; vt idem ambo cõſequi nequeãt. itaque alter alteri formidabilis eſt. nã quandiu durat ea cõntentio, hoſtilẽ animum alter in alterum gerit. hinc plerunque inſidiæ, uenena, cædes, quæ noſtra etiã tempeſtate nimis frequẽter accidunt. hanc rem Cice. primo de Officijs ita explicat, Maximè autem adducuntur plerique ut eos iuſtitiæ capiat obliuio, cum in imperiorum, honorum, gloriæ ve cupiditatem inciderint, quod. n. eſt apud Ennium, Nulla ſancta ſocietas nec fides regni eſt, id latius patet: nam quicquid eiuſmodi eſt, in quo non poſsint plures excellere, in eo plerunq; fit tanta contentio, ut difficilimum ſit ſanctam ſeruare ſocietatem. declarauit id modo temeritas C. Cæſaris, qui omnia iura diuina & humana peruertit propter eum, quem ſibi ipſe opinionis errore finxerat principatum: hoc eſt quod etiam Lucanus in primo libro clamat,
Nulla fides regni ſocijs, omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit, nec gentibus ullis
Credite, nec longe fatorum exempla petantur
Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

TEXT. *Et qui ſunt horribiles iis, qui potentiores ſunt, et infirmioribus ſunt horribiles, facilius enim infirmiores quam fortiores lædere poſſunt.*

COMM. Eos metuere debemus, quos metuunt illi, qui nobis meliores ac potentiores ſunt. nam qui potẽtiores nobis offendere poſſunt, multò facilius etiã nos offendent. vt qui poteſt urbem euertere, lon-

ge facilius domum euertet, & qui Leonẽ aut aprũ proſtrauerit, etiam ceruum aut capreã proſternet.

TEXT. *Atque eadem de cauſa ſunt etiam horribiles illi, quos meliores reformidant: & qui necem eis attulerunt, qui ipſis præſtantiores erant.*

COMM. Hic locus parũ à ſuperiore diſcrepat, atque idẽ ferè eſt, niſi qđ ſupra uidetur eos intelligere, qui apertè ſunt formidabiles ijs, qui ſunt nobis potentiores, quales ſunt principes, belli duces, quos etiã primarij ciuitatis uiri ſæpe reformidant. hoc aũt loco de illis loquitur, quorum uires ſunt illæ quidem occultiores ſed tamen ab eis timentur, qui ſunt nobis firmiores. tales. n. etiam à nobis metuẽdi ſunt. & præcipue ſi iam alicui necem attulerint, qui nobis eſſet potentior. Cicero pro Milone cauſam adfert, cur potius ab vrbe diſcedere uoluerit, quam Clodio reſiſtere, quia timebat ne multi ciues interficerentur, cum iam Clodius ẽt potentioribus eſſet formidabilis factus. Seruorum (inquit) & egẽtium ciuium, & facinoroſorum armis meos ciues meis cõſiliis periculisq; ſeruatos pro me obijci nolui: uidi. n. vidi hunc ipſum Q. Hortenſiũ lumẽ & ornamentum Reip. penè interfici ſeruorũ manu cum mihi adeſſet: qua in turba C. Vibienus Senator uir optimus, cum hoc cum eſſet vna, ita eſt multatus ut vitam amiſerit. itaque quando illius poſtea ſicca illa quam à Catilina acceperat, conquieuit? hæc intenta nobis eſt: huic ego uos obiici pro me non ſum paſſus, hæc inſidiata Pompeio eſt: hæc iſtam Appiam viam, monumentum ſui nominis, nece Papyrii cruentauit.

TEXT. *Et qui in minores aggredi ſolent, uel enim iam horribiles ſunt, uel elato animo ſtatim fient.*

COMM. Cauendũ etiam ab illis eſt, qui minoribus iniuriam faciunt, quia fortaſſe iam tales ſunt, ut ẽt nobis nocere poſsint, uel paulatim audaciores fient, & nos aggredi audebunt. alitur. n. impunitate audacia. hi quatuor proximi loci quodam ordine ꝓcedunt. nam primus locus poteſtatis tantũ conſiderationẽ habet, vt eos timeamus qui poſſunt etiã fortiores nobis offendere. Secundus ꝑter poteſtatẽ addit ẽt ſigna lædendi, cũ iam timent illi, qui nobis meliores ſunt, vt etiam nos timeamus. Tertius locus ſumitur ab effectu læſioneque iã illata, quia timeri debent ii, qui necem præſtantioribus, quã nos ſimus, attulerunt. quartus ex incremento qđ illis accidere ſolet, qui iam aliquos offenderunt, paulatim enim potentiores fiunt, ita vt ſæpe multò maiores uel interficiant, uel ſibi ſubiiciant.

TEXT. *Ex illis autem, qui iniuriam acceperant: & qui inimici ſunt, aut aduerſarij maximè horribiles ſunt, non qui ad iram ſunt proclines, & libere loquuntur, ſed qui ſedati ſunt, & diſsimulatores, & uerſuti. incertũ eſt enim, an propè ſint ad male faciendum, neque unquam perſpicuum eſt, quam longè abſint.*

COMM. Omnes quidem timere debemus, quos vel offendimus, uel inimicos nobis eſſe ſcimus, uel aduerſarios. ſed tamen magna eſt inter eos differentia. nam qui ſunt ad irã ꝓcliuiores, quiq; liberè loquuntur, & animũ ſuum aperiunt, ij non valde metuendi ſunt. raro. n. minas excedunt, quoniã eorũ ira facile deferueſcit, quod bonorũ virorũ eſt proprium, qualem ſe fingit Sinon apud Virgilium 2. Aeneidos.

Nec tacui demens, & me ſors ſi qua tuliſſet,
Si patrios vnquam remeaſſem victor ad Argos
Promiſi vltorem, & verbis odia aſpera moui.

nam qui apertè eſt inimicus facile cauendo vitare poſſumus. qui uero ſedati ſunt, & diſsimulatores & uerſuti maximè ſunt horribiles, quia non ſe foras oſtendunt, neq; facile cognoſcere poſſumus vtrũ animũ exulceratũ habeant, & malefacere cogitent nec ne. & cũ eos putamus aliud agere, tunc præcipuè nos inuadunt. itaq; nunquã ſatis aduerſus eos parati eſſe poſſumus. hanc Ariſtotelis ſententiam confirmat ea C. Cæſaris vox; cui cum aliquando M. Antonius & Dolabella delati eſſent, tanquã in eum coniuraſſent, Nõ hos (inquit) ego pingues & politos pertimeſco, ſed illos macilentos, & cogitabundos. M. Brutum & L. Caſsinm intelligens, à quibus deinde fuit interfectus. nec male poeta quidam ita præcepit.

Demiſſos animo, & tacitos uitare memento.

Homerus Vlyſſem ſuũ ſedatũ fingit, & diſsimulatorem, & uerſutum, qui procorum iniurias leni atque æquo animo ſe tolerare fingeret, donec occaſionem nactus omnes ad unum contrucidauit.

Omnium autem horribilium illa maxima ſunt, in quibus ſiquid peccatum fuerit, non eſt emendandi locus; ſed uel omnino corrigi nequeunt, uel remedia nõ ſunt in noſtra; ſed in aduerſariorum poteſtate: & in quibus uel nulla ſunt auxilia, uel multum ardua. TEXT.

Sunt quædam res eiuſmodi, vt quamuis in eis ſemel aut iterũ peccatum fuerit, tamen emendari poſſunt, de quibus non admodum metuere debemus, quales ſunt merces, cõtractus, pecuniæ, ſunt aliæ res, in q̃bus ſiquid peccatũ fuerit, corrigi nullo mõ pñt, & de illis maximè ſoliciti eſſe debemus, vt ne vitam amittamus, aut eos, quos caros habemus, aut aliquã corporis partẽ, aut ne in hoſtiũ poteſtatẽ deueniamus, & q́ ſũt eius gñris. qn illa ualde ſũt horribilia, q̃ uel nullo auxilio ſubleuari pñt, uel ſũma cũ difficultate corriguñt. ut ſiq̃s infamia notatus fuerit. nõ. n. facile dedecus & vitæ ſordes eluuñt. vel ſiq̃s in eũ locũ deuenerit, ut circũſeſſus ab hoſtibus euadere nõ poſſe uideaẽ. hæc. n. & animi & corporis pericula ſine dubio ſũt metuẽda. & quãto quis & animi & corporis virtutibus magis excellit, tãto ẽt magis metuere debet, ne in hmõdi periculũ incidat, à quo ſe extricare non poſsit. qđ apud Virgiliũ rex Latinus 12. Aeneid. ita docet, COMM.

O præſtans animi iuuenis quantum ipſe feroci
Virtute exuperas, tanto me impenſius æquum eſt
Conſulere, atque omnes metuentem expendere
caſus.

Vt autem ſummatim dicam, horribilia ſunt illa omnia, quæ, cum alijs eueniunt, uel impendent, miſericordia digna ſunt. TEXT.

Hæc eſt una cõis rerum omnium horribilium notio. nam ex aliorũ calamitate miſericordia naſci ſolet. COMM.

ſolēt. quęcunque igitur miſericordiam excitant, tum alijs eueniunt, uel euentura ſunt ea omnia ſunt horribilia. cum enim cogitamus eadē illa nobis accidere poſſe, cum quodam terrore concutimur. ſic Aeneas tertio Aeneid. apud Virgilium, cum miſerum Polydori fatum audiſſet, qui crudeliter à Polymneſtore Thraciæ rege trucidatus fuerat, horrore magno concuſſus it inquit,

Tum verò ancipiti mentem formidine preſſus,
Obſtupui, ſteteruntque comæ & uox faucibus exit.

Et in nono cum Euryali mater acerbā filij mortē flebiliter conqueſta fuit, poeta ſubiungit,

Hoc fletu concuſsi animi, mæſtusque per omnes
It gemitus, torpent infractæ ad prælia uires.

Ita Cicero 3. de Oratore cum oſtendere uelit L. Craſsi Oratoris mortem opportunam fuiſſe, inter cætera ſic ait; Non uidit eorum ipſorum qui tum adoleſcentes Craſſo ſe dicarant, horribiles miſeroſque caſus.

TEXT. *Atque hæc quidem ferè ſunt, quæ horribilia dicūtur, & quæ maximè homines timere ſolent. ſed quomodo affecti ſint animo, qui timere, iam dicamus.*

COMM. Tranſit ad ſecundum huius partis membrum abſoluto iam primo. non enim omnia perſequi neceſſe eſt, quæ horribilia uideantur, ſed ea ſatis eſt explicaſſe, quæ maiorē vim habeant, & quæ maxima ſunt. nā ex his ēt ea, quæ minora ſunt, intelligi facile poſſunt. ſequitur ergo vt uideamus, quomodo ſint affecti illi homines, qui timore concutiuntur. hoc. n. ſecundum fuit huius diuiſionis membrum. nam non omnes timidi ſunt, ſed illi tantū, qui putant ſibi malum aliquod euenire poſſe, quod aut interitum aut mærorem afferat. & hoc eſt quod addit Ariſtoteles.

TEXT. *Cum igitur metus cū expectatione ſit patiendi aliquid, quod perdere ualeat, perſpicuum eſt, neminem eorum eſſe in metu, qui nihil ſe mali paſſuros arbitrantur, neque quemquam ea timere, quæ ſe non paſſurum putat, neque eos metuere à quibus nihil mali expectat, neque eo tempore formidare, cum nihil mali futurum exiſtimat.*

TEXT. Ex definitione timoris haud difficulter intelligi poteſt, qui ſint ij, qui timeant, & qui nō timeāt. metus. n. ſemper mali expectationem adiunctam habet. itaque ſiquis nihil mali ſe pati poſſe perſuaſum habet, ille nunquam eſt in metu. qualis eſt vir ſapiens & iuſtus qui præter culpam & peccatum nihil exiſtimat in vita accidere poſſe quod ſit horribile ac pertimeſcendum (ut ait Cicero) de quo ſic etiam Horatius,

Si fractus illabatur orbis
Impauidum ferient ruinæ.

ſunt ēt quidā uiri fortes & bellicoſi, qui uel ſuis viribus confidentes, vel vitā pro laude paciſci volētes nullo metu concutiuntur, qualis Hercules fuiſſe dicitur, & Achilles, & Alexander Magnus, & C. Cæſar, & alij multi. ſunt ēt qui licet in aliquibus rebus timidi ſint, aut aliquo tempore, tamen alijs in rebus, & alio tēpore non timeant, & licet hunc hominem metuāt, tamen alium non reformident. hoc eſt igitur qđ ait Ariſtoteles, neminem neque eas res, neque eos homines timere, à quibus ſe nihil mali paſſurum arbitratur. vt Polyphemus apud Homerum cum videret Vlyſſem exigua ſtatura virum, & minimi roboris, ſi ſecum compararetur, quamuis ſibi prædictū foret ab augure, vt ab externo homine caueret, tamen eum non formidauit. itaque in fraudem incidit. Quare bene pcipiūt illi, qui nos admonēt, vt ēt ab infimis caueamus, quoniā (vt prouerbio dicitur) ineſt ſua etiam formicis ira: & qui nimiū ſecuri ſunt, ij multa facilius pericula ſubeunt. ſępe fit etiam ut aliquo tempore non timeamus, quæ alias timuimus, quia non amplius impendere nobis malum arbitramur, ut Cicero contra Catilinā actione. 2. abiit, exceſsit, euaſit, erupit, nulla iam pernicies à monſtro illo, atque prodigio mænibus ipſis intra mænia comparabitur.

Neceſſe eſt igitur eos eſſe in metu, qui ſe aliquid mali paſſuros exiſtimant à certis perſonis, &, qui, quæ paſſuri ſunt, & quo tempore cogitant. TEXT.

Qui cōtrarij ſint illis, quos ſupra poſuit, in metu eſſe neceſſe eſt. vt qui certas pſonas eſſe intelligunt, qui ſibi mala machinentur, & ea mala grauia eſſe, & iam impendere exiſtimant. vt Cicero cōtra Catilinā, magno me metu liberabis, dūmodo inter me atque te murus interſit. nobiſcū verſari iā diutius non potes, non ferā, nō patiar, nō ſinā. magna Dijs immortalibus habēda eſt gratia atq; huic ipſi Ioui Statori antiquiſsimo cuſtodi huius urbis, q̄ hanc tā tetram, tam horribilem, tamq; infeſtam Reip. peſtem toties iam effugimus. non eſt ſæpius in vno homine ſalus ſumma periclitanda Reip. & quæ ſequuntur. COMM.

Qui autem plurimis fortunæ bonis abundant, aut ſe abundare putant, ij ſe nihil paſſuros arbitrantur, atq; ideo contumelioſi ſunt, & aliorum negligentes, & audaces ac confidentes. tales autem efficiunt diuitiæ, robur corporis, amicorum copia, potentia. COMM.

Diuites & fortunati hoīes ita pſperitati ſuę cōfidunt, ut uel nullū, uel paucißimos mortales timeant. neq; .n. quemquē exiſtere poſſe cēſent, qui ſibi malū inferat, & alios potius à ſe, quā ſe ab aliis formidare oportere iudicant. itaq; contumelias in multos inferre non dubitant. & multos negligere atq; contēnere. quin ēt fiunt inſolentes, audaces, & confidentes. quatuor aūt præcipue ſunt res, quę contumelioſos & audaces hoīes efficiant, hoc eſt diuitiæ, robur corporis, amicorū copia, & potētia. hinc illa Rhetorū ars, ut quoties aduerſarium in inuidiam adducere uolunt, eius uim, potentiā, diuitias, cognationem, pecunias proferant, atque eorū uſum arrogantem & intolerabilem, ut his rebus magis uideatur, quā cauſæ ſuæ confidere. qđ Cic. p P. Quintio copioſè & eleganter facit. tales aūt homines multi reformidant, neq; contra eos quicquā dicere aut facere audent, qualē Turnum fuiſſe Drances apud Virgilium undecimo Aene. oſtendit, his quidem uerbis,

— cuncti ſe ſcire fatentur

Quid fortuna ferat populi, ſed dicere muſſant,
Det libertatem fandi, flatusq́ue remittat,
Cuius ob auſpicium infauſtum, moresq́; ſiniſtros
Dicam equidem licet arma mihi, mortemq́ue minetur.
Lumina tot cecidiſſe ducum, totamq́ue videmus
Conſediſſe vrbem luctu.

TEXT. *Neque illi timent, qui ſe iam grauia paſſos exiſtimant, & qui iam omnem futuri ſpem abiecerunt, ut qui ad extremum ſupplicium adducuntur.*

COMM. Duo ſunt genera hominũ deſperatorum, qui iam timorẽ omnẽ abiecerunt, primũ eorũ qui iã ſe grauiſsimas calamitates ꝑpeſſos arbitrantur. hi. n. non modo nihil timent, ſed etiam mori deſiderãt, vt Euryali mater apud Virgilium nono Aeneid.

Figite me ſiqua eſt pietas, in me omnia tela
Conijcite ò Rutuli me primam abſumite ferro.

& Dido cum ab Aenea derelinqueretur, & eius abſentiã nullo modo ſe pati poſſe intelligeret,

Mortem orat, tædet cœli cõuexa tueri.

itaq; paulo poſt ſeipſam increpat, q̃d nõ Aeneã bello pſecuta fuiſſet, cũ nihil ſibi iã iã moriturae metuẽdũ eẽt cũ ſic ait; Quẽ metui moritura? Alterũ genus deſperatorũ qui nil timent, eorũ eſt, qui iã & extremũ ſupplicium paſſuri ſunt, neq; vllã ſpẽ ſalutis habent. nõ eſt igitur mirũ ſi pleriq; eorũ, qui condẽnati ſunt, conſtanti animo ſuppliciũ ac mortẽ ſubeunt, qui cum ſalutis ſpe metus etiam recedit. neque enim vllus ibi metus eſſe poteſt, ubi nulla ſpes relinquitur, ut ſubiungit Ariſtoteles.

TEXT. *Nam, qui timet, neceſſe eſt, aliquam ſalutis ſpem habeat in ea re, de qua ſolicitus eſt: Cuius rei ſignum eſt, quod metus cogit homines diligentius conſultare, nemo autem de rebus eis conſultat, in quibus nihil amplius ſpei relictum eſt.*

COMM. Probat in deſperatis hominibus nullũ timorem eſſe poſſe. qui. n. timẽt, in vtranq; partẽ rapiũtur, ſpemq́; metumq́; inter dubii, ſicut ait Virgilius. & ſpem habent in ea re, de qua ſoliciti ſunt, ut mater dũ uiuit ægrotus filius, timet quidẽ ne moriaẽ, ſed tamen etiã uicturũ ſperat. eo uero mortuo non iã amplius timet, ſed dolet. q̃d aũt timori ſemp adiũcta ſit aliqua ſpes, probatur ab effectu. nã cũ in metu ſunt homines multò diligentius conſultare ſolent, quid faciendũ, aut fugiendum ſit, cũ uero nulla ſpes relicta eſt, nemo amplius conſultat. itaque deſperatis uetat Hippocrates adhibere medicinã (ut ait Cicero) atque hęc cauſa eſt, cur in deſperatione frequenter homines longè fortiores eſſe ſoleant, quia timorẽ omnem abiiciunt. itaque bene dixit Imperator quidã fugientibus hoſtibus pontes aureos eſſe ſubſtruendos. ne ſi fugere impediãtur, in deſperationem incidentes, fortius dimicẽt.

TEXT. *Itaque cum utile erit inducere timorem iudicibus, tunc eis rationibus uti oportebit, quibus oſtendamus eos tales eſſe, ut pati poſſint: ut ſi dicamus alios etiam maiores paſſos fuiſſe. uel oſtendamus pares aut hoc tẽpore pati, aut antea paſſos eſſe, & ab ijs à quibus nihil mali metuebãt, & præterea paſſos ea, quæ nunquã putaſſent, & quo tempore minimè expectabant.*

COMM. Cũ Oratori propoſitum ſit, Iudicũ mẽtes, quo uelit, impellere, plurimumq́; ad impellendũ metus ualeat, diligenter aduertere debet, quando utile ſit, iudicibus timorem inducere, & tunc eas rationes exquirere debet, quibus apertè probet eos aliquid mali paſſuros niſi prouideant. cuius rei mirificus artifex eſt Cicero, tum alibi, tum in Verrẽ, vbi multis in locis timorem incutit Iudicibus fore, vt ab eis ad alium ordinem iudicia transferantur, niſi Verrem condemnarint. nunc (inquit) homines in ſpeculis ſunt: obſeruant quemadmodum vnuſquiſque ueſtrum gerat in retinenda religione conſeruandisq́ue legibus. & alibi, Etenim ſine dubio Iudices in hac cauſa ea res in diſcrimen adducitur: reus eſt enim nocentiſsimus: qui ſi condemnatur, deſinent homines dicere, his iudicijs pecuniam plurimũ poſſe. ſin abſoluitur, deſinemus nos de iudiciis transferendis recuſare. metus autẽ ex aliorum qui paſsi ſunt cõmemoratione, & ex circunſtantiis, vt eas appellãt, maximè commouetur. ut ſi ſecuri ſint Iudices, eos in metũ facile conijciemus, ſi oſtẽdemus maiores etiam quam ipſi ſint, mala perpeſſos fuiſſe, uel qui ſunt eis pares, uel nunc pati, uel aliàs paſſos præter omnem expectationem, cum eos offenderint illi, quos non timebant, & quibus in rebus minimè ſperabant, & quo tempore ſecuros ſe arbitrabantur. Cicero tertia cõtra Verrẽ actione metũ incutit Iudicibus ex eo quod Cn. Carboni propter Verris proditionẽ acciderat. Nunc (inquit) quamuis ſint homines qui mortuum Cn. Carbonẽ oderint, tamen hi debent, non quid illi accidere noluerint, ſed quid ipſis in tali re metuendũ ſit cogitare. cõe eſt hoc malũ, cõis metus, commune periculũ, nullæ ſunt occultiores inſidiæ, quã eæ, quæ latent in ſimulatione officij. & quæ ſequuntur. in eadem actione metum Iudicibus commouet ex eo, quod Verres pupillum quendã ſpoliarat. cõis (inquit) eſt ea, commune periculũ, cõi præſidio talis improbitas tanquam aliquod incendiũ, reſtinguẽda eſt. habemus enim liberos paruos, incertũ eſt quã longa noſtrũ cuiuſq; uita futura ſit, conſulere uiui ac proſpicere debemus ut illorum ſolitudo & pueritia quam firmiſsimo præſidio munita ſit. quis eſt. n. qui tueri poſsit liberũm noſtrorum pueritiam contra improbitatem magiſtratuum? &c. pro L. Man. bellum contra Mithridatem ſuadens metum Quiritibus addit, fore, ut, niſi bellum ſuſcipiant, gloriam, ſocios, uectigalia, bona multorum ciuium amittant.

Cum autem planum factum ſit, quid ſit metus, & quæ ſint ea quæ metuenda ſunt, & quomodo affecti homines metuant, & eiſdem perſpicuum etiam eſt, quid ſit confidere, & quibus in rebus confidentes ſint, & quomodo affecti confidant: nam confidentia timori contraria eſt, & quæ confidentiam adferunt, eis contraria ſunt, quæ metum incutiunt. TETX.

COMM. Quoniã contrariorũ eſt eadem diſciplina, ſicut alibi docet Ariſtoteles, ideo ſiquis vnum contrariũ benè tractare didicit, bene ẽt alterum tractare ſcict. cum igitur timor, & confidentia ſint inter ſe

contraria,

cõtraria,& quæ confidentiã adferunt,eis opponãtur,quæ timorem inijciunt, ſequitur vt qui nouit quid timor ſit,& q̃ ſint ea q̃ timorẽ adferãt, is etiã intelligat quid ſit confidentia, & quæ ſint ea,quæ confidentiam pariãt. Sed iã ſupra declaratum eſt, quid ſit metus,& quæ ſint ea, quæ metuẽda ſunt, & quomodo affecti homines metuant,ergo etiam perſpicuum eſt,quid ſit confidere,& quibus in rebus confidẽtes ſint, & quomodo affecti confidãt. Quamuis autẽ apud Latinos confidens, & cõfidẽtia plerunque in malã partẽ capiantur:tamen hoc accidit propter malam loquendi conſuetudinẽ,ut tertio Tuſcul. auctor eſt Cicero. ſunt.n.uocabula media, & tam in laude, quam in vitio poni poſſunt.ſed cum hic Ariſtoteles de perturbationibus animi loquatur,quæ ſæpius in vitio ponũtur, ideo nos confidentiam & confidentem potius quam fidentiam & fidentem vertimus. licet timidè,& fidenter opponantur vt aduerſa. Cicero de diuinat: libro 2. Timidè fortaſſe ſignifer euellebat,quod fidenter infixerat. Græcum etiam uocabulum θάρσος medium eſt, & tam in uitio,quam in laude ponitur. quamuis Suidas ita diſtinguat ut θάρσος quidem ſit laudis, θράσος autem vitij,quem etiam Phauorinus ſequitur.

COMM. *Quare confidentia ſpes quædam eſt cum opinione proximæ ſalutis futuræ, & rerum horribilium uel nõ futurarum, uel longè remotarum.*

TEXT. Cum metui confidentia cõtraria ſit, neceſſe eſt ut ſpei ſubijciatur,tanquam eius ſpecies quædam: ideo in definitione confidentiæ ponit Ariſtoteles ſpem tanquã genus,reliqua vero differentiæ gratia ſubiungit.qui.n.opinatur fore,vt breui tempore ſalutem aſſequatur, & nihil horribile ſubeat, is ſine dubio confidere ſolet. Semper igitur confidẽtiæ coniuncta eſt ſalutis opinio,& ſpes fugæ periculorũ,neque cum timore unquam eſſe poteſt, vnde fidentes animi dicuntur qui ſine ullo timore ſeſe periculis obijciunt, qualis fuit ille Sinon apud Virgilium, qui ſe ignotum venientibus ultro

Obtulerat fidens animi, atque in utrunque paratus
Seu verſare dolos ſeu certè occumbere morti.

Sæpe etiam qui confidit, res horribiles uel ſibi non euenturas putat, vel à ſe longè eſſe remotas. & hoc eſt quod valẽtes homines etiã ſi ſenes ſint, tamen mortem quæ rerum omnium maximè horribilis eſt,non timent,quia longè adhuc à ſe remotam eſſe putant.nemo eſt.n.tam ſenex,qui ſe non putet annum poſſe uiuere.

TEXT. *Confirmatur enim animus,cum mala longè abſunt, & quæ confidentiam adferunt,ſunt uicina.*

COMM. Duo ſunt pcipua quibus animus confirmatur. primũ cũ mala longè abſunt, neq;.n.ea facile ſibi nocere poſſe exiſtimat.alterũ cũ ſpes ſalutis eſt ꝓxima,ſtatim.n.erigitur,& cõfidentior fit.atq; hæc ars eſt eorũ,qui conſolari aliquẽ cupiunt,ut oſtendãt eos non diutius in calamitate futuros,ſed breui fore ut ſalutẽ adipiſcãtur, ſicut apud Ciceronẽ multis in locis uidere licet. quod autẽ ſalutis ſpes confidentiores faciat,aperte Virgilius decimo Aeneidos oſtendit. cum enim Troiani obſeſsi tenerẽtur, nec eis ulla fugę ſpes eſſet relicta

Miſeri ſtant(Inquit)turribus altis
Nequicquam & rara muros cinxere corona.

ſed poſtquam redeuntem Aeneam regem ſuum cum exercitu viderunt,

-- clamorem ad ſidera tollunt
Dardanidæ è muris,ſpes addita ſuſcitat iras.
Tela manu iaciunt.

Et ſi peccatum corrigi atque emendari poteſt. TEXT.

Sicuti mala quæ nullo remedio ſanari poſſunt, COMM. grauem metum incutiunt, ita quæ poſſunt emendari atq; corrigi cõfidentiores faciunt.qualia ſunt illa,de quibus Mitio apud Terentium,

Fores effregit,reſtituentur,diſcidit
Veſtem,reſarcietur,eſt,Dijs gratia,
Et vnde hæc fiant,& adhuc non moleſta ſunt.

ita Cicero pro Cælio confidentius de eo loquitur, quia licet propter adoleſcentiam in aliquibus peccaſſet, tamen illa omnia erant eiuſmodi, vt facile corrigi poſſent.

Et ſi auxilia uel multa,uel magna, uel utraque ſimul adeſſe uidentur. TEXT.

Cũ in periculo ſunt homines ſi auxilio deſtituãtur animo cadunt,& timore cõcutiũtur.ſed ſi multa & magna ſeſe auxilia offerant,ſtatim confidentiores fiunt & benè ſperãt. hac arte Turnus apud Virgilium cum Latinus de uictoria deſperans cũ Troianis pacem habere cogitaret, eius animum confirmare nititur oſtendens non defutura multa & magna auxilia.ſic enim ait, COMM.

Non erit euxilio nobis Aetolus & Arpis,
At Meſſapus erit,felixq́; Tolumnius, & quos
Tot populi miſere duces,nec parua ſequetur
Gloria delectos Latio, & Laurentibus agris.
Eſt & Volſcorum egregia de gente Camilla
Agmen agens equitum,& florentes ære cateruas.

Et ſi iniuriam neque nos accepimus,neque alijs intulimus. TEXT.

Qui neq; læſus fuit à quoquã,neque ipſe quem quã læſit, is ſolet fidenter & ſecurè uiuere. cur.n. timeat,ſi nulla eſt omnino timendi cã? ut uero formidabiles ij ſunt,qui uel acceperunt iniuriã,uel intulerunt,ita ſecuri ſunt & confidentes ij, qui neq; acceperunt,neq; intulerunt iniuriã, Quare frequẽter huiuſmodi hoies incauti opprimũtur, ſicuti Sicheus à Pigmalione genero ſuo, quem nihil metuebat,quia nunquam eum offenderat,neq; ab eo fuerat offenſus,de quo ita Virgilius, COMM.

-- ille Sicheum
Impius ante aras,atque auri cæcus amore
Clam ferro incautum ſuperat.

Et ſi uel nulli ſint aduerſarij,uel ſi ſint,nocendi facultatem non habeant, uel etiam ſi habeant facultatem,nobis amici ſunt. TEXT.

Aduerſarij plerunq; timorẽ incutiunt,quia maiori ex parte hoſtilẽ animũ gerunt. itaq; cũ nullos habemus aduerſarios confidere ſolemus, & timorem omnem abijcere. Sępe etiam fit,vt quamuis COMM.

aduerſarios habeamus, ſi fuerint imbecilles ac debiles nequaquam eos timeamus, ſed viribus noſtris cōfidamus. quin interdū accidit, ut aliqui uerbo quidē ſint aduerſarij, ſed re uera amici. tūc igitur ēt confidimus. hic igitur locus tria membra continet, primū cum nullos habemus aduerſarios, vt ſi cedant omnes, alterum cum infirmos aduerſarios habemus, quos facile ſuperare poſsimus, Tertium cum ij, qui aduerſarij uidentur nobis amici ſunt. his enim de cauſis confidentiores ſumus.

TEXT. *Vel ſi beneficia in nos contulerunt, aut à nobis acceperunt.*

COMM. Hoc interdum euenire ſolet, vt qui nobis aliàs beneficia dederunt, aut q̄bus nos dedimus, deinde fiant aduerſarij atque æmuli. tunc igitur etiā confidere ſolemus eos nobis non nocituros. nam qui beneficia contulit, amicus eſſe ſolet, & obſeruat ne beneficia ſua corrumpat. qui vero accepit beneficia non uult ingratus videri. in quam infamiam incideret, ſi eos læderet qui ipſi antea bene fecerunt. hoc eſt quod excuſat Cicero pro Murena qđ ſibi eſſet contra Seruium Sulpitium in ea cauſa ſuum aduerſarium dicendum, cum tamen Seruius ſibi eſſet amiciſsimus. uult enim ei timorem adimere, ne putet ſecum inimico animo Ciceronē acturum. Quare (inquit) quod dandū eſt amicitiæ, largè dabitur à me, vt tecum agā Serui nō ſecus ac ſi meus eſſes frater, qui mihi eſt cariſsimus: iſto in loco quod tribuendum eſt officio, fidei, religioni, id ita moderabor, vt meminerim me contra amici ſtudium pro amici periculo dicere. his enim uerbis vult Seruium confidentem reddere.

TEXT. *Vel ſi plures ſunt, quibus eadem conducunt, aut præſtantiores, aut utrumque ſimul.*

COMM. Hæc res in periculis maximam confidentiam parit, quando nos plures eſſe uidemus, quam ſint aduerſarij, aut inimici. uel quando uiribus nos eſſe ſuperiores intelligimus, aut quando utroque ſuperamus, hoc eſt & uiribus & multitudine. quā rem eleganter Cicero contra Catilinā actione ſecunda perſequitur, cū Romanos excitat vt fidenti animo ſint, & ne Catilinæ copias pertimeſcant. ſic.n. ait, Inſtruite nunc Quirites contra has tam præclaras Catilinæ copias ueſtra præſidia, veſtroſque exercitus, & primū gladiatori illi confecto & ſaucio conſules imperatoresq; ueſtros opponite, deinde contra illam naufragorum eiectā ac debilitatā manum florē totius Italiæ ac robur educite: iā uero urbes coloniarum ac municipiorum reſpōdebunt Catilinę tumulis ſylueſtribus, neque uero cęteras copias, ornamenta, præſidia ueſtra cum illius latronis inopia, atque egeſtate debeo cōferre.

TEXT. *Ipſi uerò homines hoc modo confidentes eſſe ſolēt, ſi multis in rebus proſperè ſe geſſerunt, & nullum incommodum paſsi ſunt.*

TEXT. Declarat quomodo affecti ſunt homines, qui confidunt. cum enim ſecundam longo tempore fortunā habuerint, & multa ꝓſperè geſſerint, nec unquam incōmodum ullū, aut raro paſsi fuerint, tunc maximè confidentes eſſe ſolent, quia fortunæ mutationem non metuunt. ita Cicero pro L. Man. cōmemorat quā feliciter in omnibus rebus ſe Pompeius geſſerit, ut Romani confidant, ſi bellum Mithridaticum ei cōmiſerint fore vt id eadē felicitate conficiat, qua cætera iam antea confecit. Itaque (inquit) non ſum prædicaturus Quirites, quantas ille res domi, militięq;, terra, mariq́;, quātaq́; felicitate geſſerit, ut eius ſemper noluntatibus non modo ciues aſſenſerint, ſocij obtēperarint, hoſtes obedierint, ſed etiam uenti tempeſtateſque obſecundarint. C. Cæſar felicitati ſuę tantū confidebat, ut cum aliquando Aruſpex exta eſſe triſtia nunciaſſet, reſponderit, ea fore læta, ſimul atque ipſi placuerit. Annibal cum apud regē Pruſiam exularet, auctorque ei committendi prælij eſſet, atque is non idem ſibi extis portendi diceret, An tu (inquit) uitulinæ carunculæ quam Imperatori ueteri mauis credere?

TEXT. *Et ſi in pericula ſæpius inciderunt, & tamen incolumes euaſerunt.*

COMM. Qui iam ex multis aliis periculis erepti ſunt, & ſæpius aduerſam fortunam experti, tamen euaſerunt incolumes, ij conſtanti ac fidenti anima eſſe ſolent, quod ueteranis militibus accidit, & ſtrenuis imperatoribus. Aeneas apud Virgilium hoc argumento ſociorum ſuorum animos confirmat, & bene ſperare iubet, ſic enim ait,

O ſocii, neque enim ignari ſumus ante malorum,
O paſsi grauiora, dabit Deus his quoque finem,
Vos & Scyllæam rabiem, penituſq; ſonantes
Acceſtis ſcopulos, vos & Cyclopea ſaxa
Experti, reuocate animos, mœſtumq́ue timorem
Mittite, forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit.

COMM. *Duobus enim modis homines timore non concutiūtur, uel, quòd ea mala nunquam experti ſunt, uel ꝙ auxilia parata habeant: quod accidit in marinis periculis, nam qui tempeſtatem nunquam experti ſunt, ij ſeſè incolumes euaſuros confidunt: qui uerò habent auxilia, propter uſum & experientiam confidunt.*

COMM. In magnis periculis homines duabus præcipue de cauſis confidere ſolent, vel quia nunquā huiuſmodi pericula ſubierunt, neq; intelligunt, quid in ſe calamitatis habeāt, unde ꝓuerbium illud apud Græcos, Dulce bellū inexpertis, uel quia facile ſperant euadere eò, ꝙ auxilia ſibi ſuppetant idonea. hoc aūt Ariſtoteles probat eorū exēplo, qui in mari periculis expoſiti ſunt. nā ii ſæpe duabus diuerſis de cauſis confidunt, quia diuerſo modo, affecti ſunt, qui nūquam turbulentas maris tempeſtates ſunt experti, & qui longo vſu & experientia didicerunt, quibus auxiliis naufragia vitari poſsint. nā tempeſtatum inexperti non agnoſcunt in quanto periculo uerſentur, atque ideo confidunt. experti uerò licet periculi magnitudinem uideant, tamen ſi auxiliis non deſtituantur, nequaquam animo cadunt, ſed potius benè ſperant. hanc utrāque confidentiam expreſsit bene Virgilius, alteram in Lauſo, qui propter inſcitiam belli contra Aeneam cōgredi auſus eſt, quem ſic Aeneas increpat,

Quo

Quo moriture ruis, maioraque viribus audes?
Fallit te incautum pietas tua.

poeta vero ſubiungit.

Nec minus ille Exultat demens.

Alteram in Turno qui propter experientiã belli, & propter auxilia præparata licet ingentẽ exercitum ueniſſe cum Aenea contra ſe uideret, nihil tamen commotus eſt,

Haud tamen audaci Turno fiducia ceſſit
Littora præripere, & venientes pellere terra,
Vltro animos tollit dictis, atque increpat vltrò.

TEXT. *Confidunt etiam, cum uident rem illam paribus & ſimilibus metum non adferre, neque inferioribus, & ijs, quibus ſe præſtantiores arbitrantur.*

COMM. Si quando propter imminens aliquod periculum homines in metum incidunt, deinde uident rem eam, quam timent, nequaquam paribus ſuis ac ſimilibus timorem incutere, neque etiam inferioribus, ſtatim animo confirmantur, & turpe ſibi exiſtimant, timidiores ijs uideri, qui ſibi uel pares ſunt, uel eliam inferiores. hac arte vti ſolent ij, qui vel adhortantur aliquem ad pericula ſubeunda, uel conſolantur. proponunt enim ſæpe exempla eorum, qui uel pares ſunt, uel inferiores, ut ſi illi fidenti animo pericula ſubeunt, aut tolerant, multo fidentius ſuperiores ferant. Cicero libro Tuſcu. ſecundo, Spartæ uero pueri ad aram ſic verberibus accipiuntur, ut multus è uiſceribus ſanguis exeat, nonnunquam etiam, ut cum ibi eſſem audiebam, ad necem quorum non modo nemo exclamauit unquam, ſed ne ingemuit quidem. quid ergo? hoc pueri poſſunt, uiri non poterunt? & quod mos valet, ratio non valebit?

TEXT. *Exiſtimant autem ſe illis præſtare, quos uicerunt, aut quibus uel potentiores, uel ſimiles uicerunt.*

COMM. Quia dixerat homines confidere, cum uident etiam eos fidenti eſſe animo quibus ſe præſtare exiſtimant, ideo nũc exponit qui ſunt illi, quibus ſe præſtare homines arbitrantur. Ac primo ſe præſtare putant eis, quos iam vicerunt. victores enim maiori ex parte victis imperant, & ſuperiores habentur, vnde prouerbium illud, Quid niſi victis dolor. deinde ſi potentiores, aut ſimiles uicerunt, ſe præſtantiores arbitrantur. ut ſi Romani Carthaginienſes uicerunt, qui Macedonibus vel potẽtiores uel ſimiles erant, & certe etiam ipſis Macedonibus Romani ſe præſtare putabunt, quamuis ipſos nondum uicerint.

TEXT. *Et ſi plura, & maiora ſibi adeſſe putãt eorum, quibus qui excellunt, horribiles eſſe ſolent, qualia ſunt, pecuniarum copia, robur militum, firmitas amicorũ, & regionis, & apparatuum belli uel omnium, uel certè maximorum.*

COMM. Quanto quis omnibus copiis inſtructior eſt alio, tãto magis ſe illi præſtare exiſtimat. & tũ præcipuè cum eis rebus magis abundat, quę formidabiles homines efficere conſueuerunt. e quarum numero quinque præcipuè numerat, ac primo loco pecuniam ponit, ſine qua, Demoſthene teſte, nihil omnino fieri poteſt eorum, quæ neceſſaria ſunt, & qua qui abundant, quicquid uolunt, efficiunt. nam (vt eſt in prouerbio) pecuniæ omnia obediunt. Philippus Macedonum Rex dicere ſolebat, nullam arcem eſſe tam munitam quæ non facile poſſet expugnari, ſi modo aſellus onuſtus auro in eam ingrederetur. ſecundo loco ponit robur militum. nam milites ſtrenui ſæpe uictoriã ex hoſtibus reportant. Cicero pro Marcello fatetur in bellis militum robur plurimum ualere. & Pyrrhus Epirotarum Rex cum Romanos milites aduerſis tãtum vulneribus proſtratos uideret, exclamauit ſe talibus militibus totum orbem terrarum facile ſubacturum. Tertio loco ponit amicorum firmitatem, multa enim per amicos tãquam per inſtrumenta quædam efficimus ut ait Ariſtoteles. neq; illi potentia deeſſe poteſt, cui potentes ſunt amici, unde prouerbio dicitur, ubi amici ibi opes. Quarto loco ponit regionis firmitatem. princeps enim quãto munitiores & fortioribus præſidiis inſtructas urbes & arces ſuas habent, tanto ſe potentiores exiſtimant. ultimo loco ponit apparatum belli, quem qui copioſiorem habet, is ſe ſuperiorẽ ſore ſperat. hæc omnia ſiquis habeat, non ſine cauſa ſe præſtantisſimum exiſtimat. quod ſi nõ omnia, ſaltem ea, quæ maxima putantur, ſi habeat, non minus ſe præſtare iudicat.

Confidunt etiam ſi iniuriam intulerint aut nemini, aut paucis, aut non huiuſmodi hominibus, quos timere debeant. TEXT.

Innocentes homines maximè omnium ſecuri, & fidentes eſſe ſolent. quid enim is timeat, qui neminem unquam offendit, nulli fuerit iniurius? itaque hæc eſt certisſima ſecuritatis & tranquillitatis uia, neminem lædere. proximus huic ille eſt, qui paucis iniuriam fecit. nam iis exceptis, ab omnibus aliis ſecutus eſt. tertio loco ſequitur ille, qui licet multos offendat, tamen uiles & abiectos homines lædit, qui periculum ei creare, aut non poſſint, aut non audeant. Cicero pro Marcello conatur oſtendere Cæſari non eſſe timendas inſidias, qui neminem læſerit eorum, qui uiuunt, & omnibus benefecerit. ſic enim ait, ſed quiſquam eſt iſte tam demẽs: de tuis ne? tametſi qui magis ſunt tui, quam quibus tu ſalutem inſperantibus reddidiſti? an ex eorum numero qui una tecum fuerunt? non eſt credibilis tantus in ullo furor, ut, quo duce omnia ſumma ſit adeptus, huius uitam non anteponat ſuæ. at ſi tui nihil cogitant ſceleris, cauendum eſt, nequid inimici qui? omnes enim qui fuerunt, aut ſua pertinacia uitam amiſerunt, aut tua miſericordia retinuerunt, ut aut nulli ſuperſint de inimicis, aut qui ſuperfuerunt amicisſimi ſint. COMM.

Et omnino quoties ſperant Deos ſibi fore propitios, & aliquid boni portendere uel ſignis, uel oraculis, uel aliis quibuſdam rebus. TEXT.

Nihil eis hominibus fidentius eſt, qui ſe Deo curæ eſſe putant, ut nihil omnino tam horribile ſit, quod eis metum incutere poſſit. declarant hoc exempla tot hominum ſanctisſimorum, quos religio noſtra Martyres uocat, qui fidentisſimo animo gra- COMM.

mo gra-

mo grauiſsimos cruciatus & mortem ſubierunt, quia perſuaſum habebant, ſe poſt hanc uitam longe beatiorem aliam cum ipſo Deo uicturos. ueteres etiam illi quamuis ueram religionem non ſequerentur, tamen multis indiciis ſe cognoſcere poſſe putabant, utrum Dei ſibi propitij eſſent an irati. Sic Tolumnius apud Virgilium duodecimo Aeneidos.

Accipio, agnoſcoque deos me me duce ferre
Corripite ò Rutuli. & alibi in eodem libro,
Nequa meis eſt dictis mora, Iuppiter hac ſtat.

Sæpe enim boni aliquid Dei portendere uidentur, vel ſignis aliquibus, ut in ſecundo Aeneidos,

Vix ea fatus erat ſenior, ſubitoque fragore
Intonuit læuum, & de cœlo lapſa per umbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.

Hinc auguria, extiſpicia, omina cæteraque eius generis quæ antiqui diligenter obſeruabant, quorum pleni ſunt libri, uel oraculis & reſponſis Deorum; ut Aeneas multa acceperat ſe regnum in Italia quietum habiturũ, unde in 1. Aeneidos ſic ait,

Tendimus in latium, ſedes ubi fata quietas
Oſtendũt. ſunt etiã aliæ notæ plurimæ quibus homines ſe Deorum uoluntatem intelligere poſſe exiſtimant, quæ uehementer animum confirmant, ſi bona aliqua portendunt. ut Cicero tertia contra Catilinam actione ſe Deorũ auxilio Rēp. ait à Catilinæ coniuratione liberaſſe, qui multis ſignis ac portentis ut mala cauerentur, prænunciarunt, ſic enim ait, Quamquam hæc omnia Quirites ita ſunt à me adminiſtrata ut Deorum immortalium nutu atque conſilio & geſta, & prouiſa eſſe uideantur. idque cum coniectura conſequi poſſumus, quod uix videtur humani conſilii tantarũ rerum gubernatio eſſe potuiſſe, tum uerò ita præſentes his temporibus opem & auxilium nobis tulerunt, ut eos penè oculis uidere poſſemus. & quę ſequuntur.

TEXT. *Iracundia namque confidentes homines facit: cum autem quis non facit iniuriam, ſed cam accipit, tunc iracundia mouetur: Deus uerò creditur eis eſſe auxilio, qui iniuriam acceperunt.*

COMM. Hæc eſt ratio cur ij fidentiores ſint, qui Deos ſibi fore propitios ſperant. nam iracũdia ſolet homines cõfidentes efficere, quam Peripatetici quaſi cotem fortitudinis eſſe dicunt (ut teſtis eſt Cicero) innocentes autem homines, qui neminem offendunt, cum afficiuntur iniuria, uehementius iraſci ſolent, & freti conſcientia ſua confidentiores fiunt, quia perſuaſum habent, Deum eis auxiliari ſolere, qui iniuria fuerint affecti. Virgilius Aeneidos ſecundo Priamum inducit fidentiſsime loquẽtem contra Pyrrhum Achillis filium, quod in eius conſpectu Politem eius filium intermiſſet,

Hic Priamus quanquam in media iam morte tenetur,
Non tamen abſtinuit, nec uoci iræque pepercit,
At tibi pro ſcelere exclamat, pro talibus auſis
Dij, ſiqua eſt cœlo pietas, quæ talia curet
Perſoluant grates dignas, & præmia reddant
Debita, qui nati coram me cernere lætum
Feciſti, & patrios fœdaſti funere uultus.

TEXT. *Confidentes etiam ſunt, cum priores aggrediuntur, & exiſtimant uel tunc ſe nihil incommodi pati, uel poſtea non paſſuros, uel quod cupiunt confecturos.*

COMM. In bello ſæpe confirmatur animus, cum prœliũ præoccupantes uictoriam ſperant, neque ullum incommodum pertimeſcunt in præſentia, neque poſtea. uel ſi etiam aliquod incommodum ſubeũdum ſit, tamen perſuaſum habent, ſe rem ex ſententia ſua confecturos. hac arte utuntur imperatores in adhortandis militibus vt ultro hoſtes inuadant. ut Turnus apud Virgilium.

Quod uotis optaſtis adeſt perfringere dextra.
In manibus Mars ipſe viri, nunc coniugis eſto
Quiſque ſuæ, tectique memor, nunc magna referto
Facta patrum, laudes, ultrò occurremus ad undam
Dum trepidi, egreſsique labant ueſtigia prima,
Audentes fortuna iuuat.

Huius rei plurima ſunt apud T. Liuiũ exēpla.

TEXT. *Ac de iis quidem, quæ metum incutiunt, & de iis, quæ confidentiam adferunt, hactenus dictum ſit. Quibus autem in rebus uerecundi ſint homines, atque in uerecũdi, & erga quos, & quomodo affecti, deinceps explicandum eſt.*

COMM. Tranſitione utitur more ſuo qua breuiter repetit, quid proximè ſuprà docuerit, & quid poſtea ſit tractaturus. iam (inquit) de metu & confidentia ſatis multa uerba fecimus, docuimuſque quomodo Iudicibus & auditoribus vel metus iniici poſsit, uel fidentia conciliari. deinceps autem eodem ordine declarare conſtituimus quid uerecundia ſit atque inuerecundia, & quæ ſint res aut homines qui uerecundiam moueant, & quomodo ſint affecti homines cum uerecundantur. ponit autem Ariſtoteles uerecundiam non inter uirtutes ut cæteri ferè ſolent, ſed inter animi commotiones ut Ethicorum libro quarto, atque hoc in loco uidere licet. qua in re tamen Alexander Aphrodiſeus uidetur ab Ariſtotele diſſentire. Cicero nõ tantum uirtutem eſſe uult uerecundiam, ſed etiã omnium uirtutum cuſtodem, ſine qua nihil rectum eſſe poſsit, nihil honeſtum. uult etiam hominis eſſe propriam, ſic enim ait, quarto de Finibus, Hoc ſolum animal natum eſt pudoris, & uerecundiæ particeps.

TEXT. *Eſto igitur uerecundia quædam ægritudo, perturbatioque in eis malis, quæ ignominiam ac dedecus ferre uidentur, cum aut ſunt, aut fuerunt, aut futura ſunt.*

COMM. Hæc eſt uerecundiæ definitio. uult enim Ariſtoteles uerecundiam eſſe animi perpeſsionẽ quãdam non autem habitum, ex quo concludit non eſſe uirtutẽ, quia uirtutes ſunt habitus ut in ſecũdo Ethicorum apertè oſtenditur. Quia uero multæ ſunt animi perturbationes & uariæ, ideo declarat quę perturbatio ſit iracundia. cum enim timẽt homines

homines in eiuſmodi mala incidere quæ dedecus & ignominiam adſerant, tunc uerecundia afficiũtur. ea uero mala uel præterita ſunt ut ſiquid turpiter iam geſtũ, ex cuius recordatione rubor enaſcitur, uel præſentia, ut cum quis in re turpi deprehenditur, uel futura, ut cum alicuius conſilia de turpitudine aliqua propalantur. itaque ad omnia tempora uerecundia pertinet. idem Ariſtoteles quarto Ethicorum ita inquit, De uerecundia autem non eſt quod ut de aliqua virtute dicendum eſſe uideatur, ſiquidem perturbationi eſt quam habitui ſimilior. itaque definitur eſſe metus quidam dedecoris & infamiæ. eodemque modo naſcitur quo metus is, qui in rebus aſperis formidoloſiſq; cernitur. ex his intelligi poteſt uerecundiam eſſe quandam timoris ſpeciem. merito igitur cum de metu ſupra tractauerit, nunc de uerecundia quæ timori ſubiicitur tractare incipit.

TEXT. *Inuerecundia verò negligentia quædam eſt, & animi ſecuritas in eiſdem illis malis.*

COMM. Inuerecundia magna reprehenſione digna eſt, quia honoris famæque contemptio eſt, cum quis ſecuro animo dedecus atque ignominiam ſubit. C. Cæſar Caligula nihil ſibi magis placere quam inuerecundiam prædicabat. erat enim tyrãnus omni ſcelere inquinatus. Heſiodus ait uerecundiam hominibus multum nocere atque eandem prodeſſe. nam quædam eſt inuerecundia laudabilis quæ ruſticum pudorem expellit. eſt etiam quædam improbanda uerecundia quam Græci *δυσωπίαν* uocant, de qua Plutarchus opuſculum quoddam cõſcripſit. Euripides impudẽtiam ait inter homines omnium morborum eſſe maximum. Xenophõ in primo libro de Cyri diſciplina ſcribit inuerecundiam ad omnem turpitudinem eſſe ducem maximam.

TEXT. *Quod ſi uerecundiæ natura ea eſt, quam explicuimus, neceſſe eſt in eiuſmodi malis homines uerecundari, quæ uel ipſis turpia ſunt, uel eis quorum curam habent.*

COMM. Poſtquam uerecundiæ naturam explicuit, nũc oſtendit quæ ſint ea mala quę cogant homines affici uerecundia. ſunt enim aliqua mala quæ metũ incutiant, ut quæ dolorem aut interitum afferũt, de quibus ſupra dictum eſt cum de metu uerba faceremus. ſunt alia mala quæ tantum turpitudinẽ & infamiam important, uel nobis uel iis, quos curamus, & caros habemus. hæc autem ſunt in quibus uerecundia uerſatur, nulla autẽ eſt magna turpitudo quæ non ab animi uitio proficiſcatur. itaque uerecundia ſemper ob aliquod uitium excitatur. quo fit ut in pueris & adoleſcentibus uerecũdia ſit laudabilis, quũ libidini parent, & in multos errores & peccata incidũt, à quibus deterrenĩ propter uerecundiam. ſenes uerò quod afficiantur uerecundia nemo laudauit unquam (vt Ethicorum quarto docet Ariſtoteles) Nihil enim exiſtimamus ſenes facere oportere eorum, ex quibus uerecundia naſcitur. itaque Diogenes Cynicus cum adoleſcentem erubuiſſe uideret, dixit, Euge adoleſcens, talis eſt uirtutis color.

TEXT. *Talia uerò ſunt ea opera, quæ ab animi uitio proficiſcuntur: ut in prælio Clypeum abijcere, uel in fugam uerti, quod à timiditate naſcitur.*

COMM. Declarat quæ ſint ea mala propter quæ homines verecundantur. & ait illa eſſe, quæ ab aliquo animi uitio proficiſcuntur. ut ſiquis propter ignauiam præſidium reliquit, aut Clypeum abiecit in prælio, aut in fugam verſus eſt. nam apud ueteres Græcos dedecoris & ignominię plenum erat Clypeum abiicere. adeo vt Lacedæmonij Archilochũ poetã e finibus ſuis iuſſerint excedere, quod ſcripſiſſet ſatius eſſe Clypeum abijcere, quam interire. unde Rhypſaſpidis infami nomine dicebantur qui Clypeũ abieciſſent. qua infamia notatus fuit etiam Demoſthenes. Ariſtoteles Ethicorum quinto inter ea quę lex vetat, commemorat etiam hęc, non deſerere ordinem, non in fugam uerti, nõ arma proijcere. Horatius ad hanc rem alluſit cum ita inquit,

Tecum Philippos & celerem fugam
Senſi relicta non bene parmula.

TEXT. *Vel depoſitum non reddere, quod naſcitur ab iniuſtitia.*

COMM. Hoc idem ferè Cicero. 3. Tuſcul. qui propter auaritiam clam depoſitum non reddidit, quod eſt iniuſtitiæ. debet enim is, qui depoſitum accepit bona fide ſemper reddere, niſi forte res aliqua ſuccedat, propter quam nõ reddere depoſitum ſit honeſtum, quod fieri poſſe Cicero. 3. de officiis docet, his verbis, Neque ſemper depoſita reddenda ſunt, ſi gladium quis apud te ſanæ mẽtis depoſuerit, repetat inſaniens, reddere peccatum ſit, nõ reddere officium. quid ſi is, qui apud te pecuniam depoſuerit, bellum inferat patriæ, reddes ne depoſitum? non, credo. facies enim contra Remp. quæ debet eſſe cariſſima. Sic multa quę natura honeſta videntur eſſe, temporibus fiunt non honeſta.

TEXT. *Et rem habere quibuſcum nefas eſt, uel ubi, uel quando non oportet, quod intemperantiæ proprium eſt.*

COMM. Tertium exemplum ab intemperantia ſumpſit, quę propriè in eis rebus eſt, quę ad tactum pertinent, vt. 3. Ethicorum docet. Sunt enim intẽperantes qui vel gulę, vel rebus venereis nimiũ dediti ſunt. non autem omnis venus eſt improbãda, ſed ea tantum, quę neque perſonas, neque locum, neque tempus reſpicit. neque enim cum omnibus mulieribus rem habere oportet, ut cum cognatis, aut affinibus, aut alienis vxoribus, neque in omni loco, vt in tẽplo, in foro, neque omni tempore, vt diebus feſtis, cũ ſacrificandũ eſt. ita exagitatur P. Clodius qui ſorores ſuas conſtuprauit. & C. Cęſar Caligula. Sic in fabulis Aiax Oilei, quod in Palladis tẽplo Caſſandram violaſſet. & Cynici quos non pudebat in foro cum mulieribus concumbere. ſic qui ſacris operam daturus eſt eo tempore debet à Venere abſtinere. Tibullus. 1.
Diſcedat ab aris Cui tulit heſterna gaudia nocte Venus, Caſta placent ſuperis.

Et

TEXT. *Et quæſtum ex minutis rebus facere, aut turpibus, aut ex ijs, ex quibus non poſſe fieri uideatur, ut à pauperibus, & mortuis, unde celebratum eſt prouerbium illud; etiam à mortuo tributum exigere, à ſordibus enim hoc, & illiberalitate naſcitur.*

COMM. Indecorum eſt, & ſordidum ex minutis rebus quæſtum facere, ut Titus Veſpaſianus non mediocriter uerecundabatur, quod eius pater etiam ex lotio uectigal caperet. ſed Veſpaſianus pater pecuniam Titi naribus appoſuit, petens an ea male oleret, unde natū eſt illud, lucri bonus eſt odor ex re qualibet. uituperantur etiam turpes quęſtus ut meretricum & lenonum, & ſcurrarum, & circūforaneorum, & qui fiunt ex pauperibus ut auari ſolent etiam infimos homines & mendicos ſpoliare. quod Verrē in Sicilia feciſſe Cicero coarguit; qui ſic aratores expoliarat, ut eis ſolum uertere neceſſe fuerit. ponit autem Ariſtoteles hoc loco prouerbium olim apud Græcos celebratum, Etiā à mortuo tributum exigere, quod in auaros principes potiſſimum dicebatur, qui etiam cadauera uenderent, vt Cicero. 7. Actione Verri obijcit, qui cum multos Siculos occidiſſet, eorū cadauera nō niſi accepto precio patribus & cognatis ad ſepulturam reddebat. hoc etiam Virgilius. 1. Aene. in Achille notat.

Exanimumque auro corpus uendebat Achilles.

Super hoc adagio declamat Eraſmus in principum auaritiam. hæc autem quia naſcuntur ab auaritia, & illiberalitate, ideo uerecundiam afferunt, cum propalantur.

TEXT. *Et eis, qui indigent non pecunia ſubuenire, cum poſſis, aut minus quam oporteat ſubuenire.*

COMM. Videtur etiam auarus ille, qui cum opibus abūdet, & alterius egeſtatem facile ſubleuare poſſit, tamen nihil porrigit, aut ſiquid tribuit, id per paruum puſillumque eſt, ut non illi, qui accipit, alleuationem afferre queat. tales ſunt multi, qui quāuis diuites ſint, tamen non ſolum externos, ſed etiam affines & cognatos ſuos egere, & fame confici patiuntur. quæ ſanè res eis magno dedecori eſt. cum beneficentia & liberalitate nihil ſit naturæ hominis accommodatius, ut. 1. de Off. ait Cicero. Alexander Magnus, cum quidam miles ab eo petiſſet dotem filiabus ſuis, juſſit ei quinquaginta talenta numerari, cum autem ille dixiſſet ſibi decem ſufficere, reſpondit Alexander, Tibi quidem fortaſſe ſatis eſt decem accipere, mihi autem decem dare non eſt ſatis.

TEXT. *Et à tenuioribus minuſque abundantibus auxiliū, & pecuniam capere.*

COMM. Habet hoc adiunctam omnino turpitudinē, ut qui potentior eſt ad tenuiorem confugiat, & ab eo pecuniam atque auxiliū petat. hoc enim quodammodo contra naturam eſt, & tamen ita comparatum eſt, licet iniquè, ſicut ait ille ſeruua apud Terentium in Phormione, ut ij, qui minus habēt, ſemper aliquid addant ditioribus. coguntur tamē aliquando potentiores à tenuioribus auxilium petere, quod licet eos pudeat, tamen neceſſitate coacti hoc faciunt, ut apud Virgilium Aeneas cum ab Euandro peteret auxilium, fortunam ſuam excuſat.

Optime Graiugenum, cui me fortuna precari
Et uitta comptos uoluit prætendere ramos,
Non equidem extimui. & quæ ſequuntur.

TEXT. *Aut mutuo eam ſumere, cum exiſtimatur aliquis à te petiturus.*

COMM. Notat quorundam ingenium callidum & ueteratorium, qui ut facilius illiberalitatem ſuam occultent, egere ſe pecunia ſemper ſimulant, & cū amicus aliquis pecuniam ab eis mutuò petiturus eſt, ipſi præoccupant, & ab alio mutuo ſumūt, quę res profectò magno eſt dedecori. Martialis Gellium quendam notat, qui ſemper in ædificando erat occupatus, ut petentibus nūmos amicis facilius denegare poſſet, quòd magnos in ædificiis ſumptus faceret:

Oranti nummos ut poſſit dicere amico
Vnum illud uerbum Gellius, ædifico.

TEXT. *Aut iterum petere, cum aliquis, quos dedit, nummos repetiturus eſt.*

COMM. Hoc ſæpe faciunt ij, qui non poſſunt in tempore pecuniam mutuo ſumptam reddere, cum enim ſciunt eum, qui dedit, repetiturum, ipſi præoccupant, & alias etiam pecunias petunt, tempuſque reddendi ſibi prorogari poſtulant. hoc tamen facere pudet eos, qui ſuæ fidei, atque honoris rationem habent.

TEXT. *Aut contra, repetere, cum iterum ille petiturus eſt.*

COMM. Hoc minus habet turpitudinis, & tamen cum ars deprehenditur pudorē adfert. interdum enim is, qui ſemel pecuniam dedit, cum uidet iterum eū egere, cui dedit, veritus ne ille iterum petat, eam repetit, quam antea dederat, non quia ſperet tunc illam ſe recuperaturum, ſed ne is, amplius ſibi moleſtus ſit.

TEXT. *Turpe eſt etiam aliquid laudare, ut illud poſcere uidearis.*

COMM. Sunt quidam ita perfrictæ frontis homines, vt cum uident amicos aliquid habere, quod ſibi placeat, non deſinant coram eis illud vehementer laudare, admirari, & ſe cupidos eius oſtendere, vt id auferant. Solent enim ingenui ac liberales viri, cū aliquid vident amico placere, cuius ipſi domini ſint, illud ſuā ſponte offerre ac donare. Cicero. 6. actione in Verrem hoc exprimit, cum enim Rex Antiochus Verrem ad cœnam inuitaſſet; & ſuas omnes copias expoſuiſſet, multum argentum, nō pauca etiam pocula ex auro; iſte (inquit) vnūquodque vas in manus ſumere, laudare, mirari: Rex gaudere Prætori populi R. ſatis iucundum & gratum illud fuiſſe conuiuium, poſtea quàm inde diſceſſum eſt, cogitare iſte nihil aliud, niſi quemadmodum Regem ex prouincia ſpoliatum expilatumque dimitteret.

TEXT. *Et cum ſemel repulſam paſſus ſis, nihilominus idē petere. nam hæc omnia ſordium, illiberalitatiſque ſigna ſunt.*

COMM. Magna eſt infamia, rem eandem iterum ac ſæpius ab eo petere, qui ſe daturum ſemel negauit. aut auxilium ab eo poſtulare, qui ſemel repudiauit. quod tamen in calamitatibus aliquando facere neceſsitas cogit, vt Cicero cum ſemel à Q. Metello petiiſſet auxilium quo tempore exulabat, & ab eo neglectus fuiſſet, nõ dubitauit tamen iterũ petere, quod eius epiſtola declarat ad Q. Metellũ libro epiſt. 5. hæc autem omnia quę ſupra commemorata ſunt (inquit Ariſtoteles) ſigna ſunt auaritiæ & illiberalitatis, cum quis excuſationẽ quęrit, ne amico ſubſeruiat, aut cum laudat aliquid, vt illud auferat, aut cum ſæpius id petit, quod antea negatum fuerat. atque ideo pudorem afferunt.

TEXT. *In præſentia uerò, coramq́ue laudare quempiam adulationis eſt.*

COMM. Solent adulatores, vt potentiorum gratiã ineãt eos in præſentia laudare, vehementerque extollere, q̃ res profecto à viro ingenno alieniſsima eſt, & magnam apportat infamiam. quod cum ingenuus adoleſcens ille Cteſipho apud Terentium intelligeret in Adelphis, ita inquit: Ah vereor coram in os te laudare amplius, Ne id aſſentandi magis, quam quod gratum habeam facere exiſtimes. hoc uitio cumnlata eſt Græcorum natio, qui non tantum bona, ſed etiam vitia laudare ſolẽt, vt gratiam hominum aucupentur. quod egregie Iuuenalis Satyra. 3. ſic oſtendit.

Quid quod adulandi gens prudentiſsima, laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici.
& quę ſequuntur.

TEXT. *Et bona pluſquam ſatis ſit laudare, mala uerò obſcurare.*

COMM. Hoc etiam adulatoris eſt proprium, vt ſiquæ bona ſint in eo, quem laudat, ea vehementer amplificet, admiretur, lõgè maiora quam ſint, eſſe dicat. ſi vero mala ſint in eodem, ea nõ attingat, vel obſcurare contendat, & abolere prorſus, ne appareant. Cicero de Amicitia, ſemper auget aſſentatio id, quod is, cuius ad voluntatem dicitur, vult eſſe magnum. qui verò gaudent adulatione, fictus ad eorum voluntatem ſermo cum adhibetur, orationem illam vanam, teſtimonium eſſe laudum ſuarum putant. quod ait in eodem loco Cicero.

TEXT. *Et cum quis dolet, maiorem eo dolorem oſtendere, & alia quæcunque ſunt eiuſmodi, turpia ſunt, quoniam indicia ſunt aſſentationis.*

COMM. Illa quoque eſt adulatorum conſuetudo, nt nõ modo gaudeant & rideant, cum uident eos, quibus adulantur, gaudere, & ridere, ſed etiam fleãt, cum flentes vident, & maiorem quam illi dolorẽ oſtendant, quod etiam Iuuenalis Satyra 3. Gręcis attribuit,

Natio comœda eſt, rides? maiora cachino
Concutitur, flet ſi lachrymas aſpexit amici
Nec dolet.

Hæc (inquit Ariſtoteles) & cætera huius generis turpia ſunt, & infamiam afferunt, quoniã ſunt adulationis ſigna, quæ ab homine ingenuo penitus eſt aliena.

TEXT. *Turpe eſt etiam eos labores ferre non poſſe, quos aut ſeniores, aut delicati homines, aut qui cum imperio ſunt, aut denique imbecilliores ferunt, hæc enim omnia mollitudinis ſigna ſunt.*

COMM. Sicuti laudantur ij, qui corpus & animum ſuũ aſſuefecerunt, vt magnos labores ſuſtinere facile poſsint, quoniam labor (vt aiebat Plato) eſt gloriæ pater, & nihil ſine labore, quod laudabile ſit effici poteſt, ita ſolent illi vituperari, & iuſtam infamiam ſubire, qui non poſſunt eos labores ſuſtinere, quos alij ſuſtinent, qui vel ſeniores ſunt, uel qui molliter & delicate viuere conſueuerunt, uel qui ſunt aliquo in magiſtratu vel dignitate conſtituti, vel denique qui aliquo modo ſunt infirmiores, atque imbecilliores. quatuor autem res numerat Ariſtoteles, quæ ſolent homines à laboribus abſtrahere, quæ ſunt, ſenectus, delicata vita, imperium, imbecillitas. nã & ſenibus labores minuendi ſunt, & qui delicatè uiuunt, labores ferre non poſſunt, & principes excuſantur à laboribus, & imbecilles iuſtã habent ceſſandi cauſam. ſiquis ergo uel à ſeniore, vel ab eo, qui delicate uiuit, uel ab eo, qui cum imperio eſt, nel ab imbecilli homine ſuperetur in laborando, certe is non poterit dedecus ſubterfugere. hac de cauſa plerunque ſenes, & imperatores primi labores ſubeunt, vt iuniores, & milites pudeat, ſi à labore abſtinuerint, cuius rei ſunt in hiſtoriis exempla plurima.

TEXT. *Et ab alio beneficium accipere, idq́ue ſæpius.*

COMM. Viri magno animo præditi ſibi turpe eſſe exiſtimant, ab aliquo beneficium accipere, quoniam in eo quod accipiunt, inferiores eſſe videntur. itaque magis facere beneficium, quam accipere contendunt quod ſi ſæpius accipere beneficium cogantur, id uerò mortis inſtar putant. & potius egere volunt, quam ab inferiore quicquam accipere. hoc autem liberalis viri proprium eſt, ut Ethicorum quarto docet Ariſtoteles, ut multis dare beneficium uelit, à paucis accipere. Cicero tamẽ ad Curionem ſcribens Epiſtolarum libro ſecundo, ut cauſæ ſuæ ſeruiret ita inquit, eſtque animi ingenui cui multum debeas, eidem plurimum velle debere.

TEXT. *Et alicui beneficia exprobrare turpe eſt, hæc enim ſigna ſunt animi puſilli, ieiuni, atque abiecti.*

COMM. Cicero de Amicitia genus hominum odioſum uocat eorum, qui beneficia exprobrare ſolent, ſic enim ait, Odioſum ſanè genus hominum beneficia exprobrantiũ, quæ meminiſſe debet is, in quẽ collata ſunt, non commemorare, qui contulit. Ariſtoteles ait, hæc eſſe ſigna puſilli animi, & abiecti, cum quis libenter beneficium accipit, & cũ aliis exprobrat ea, quę contulit. indignantur enim etiã infimi homines, & ſerui ipſi cum exprobrari ſibi audiunt beneficia, ſicuti Soſia apud Terentium in Andria, cum ita inquit,

Sed mihi hoc moleſtum eſt, nam iſthæc commemoratio,
Quaſi exprobratio eſt immemoris beneficii.

TEXT. *Et de ſe ipſo prædicare, ac magna quædam polliceri.*

COMM. Hoc expreſſit Cicero primo de Officiis, ubi ſic ait, Deforme etiam eſt de ſe ipſo prædicare falſa præſertim, & cum irriſione audientium imitari militem glorioſum. hoc tamen uitio notatus eſt ipſe Cicero, quod de ſe ipſo glorioſius prædicare ſoleret, quod non tantum illi P. Clodius & cæteri inimici obiiciebant, uerum etiam M. Brutus, qui ei ſuit amiciſſimus. vt in ipſius Bruti Epiſtola ad Atticum videre licet. Socrates apud Platonẽ multis in locis Sophiſtas irridet, qui de ſe magna quædam pollicebantur, & omnia ſe ſcire profitebantur. Catullus faceti ſſimè Suffenum quendam irridet, qui cum eſſet inepti ſſimus, tamen ſe mirificum eſſe poetam exiſtimabat.

TEXT. *Et quæ aliorum ſunt, ſibi uendicare, quod arrogantiæ ſignum eſt.*

COMM. Sunt quidam adeo glorioſi & vani oſtentatores, ut aliorum res ſibi attribuant, vt Batillus ille, qui Virgilianos uerſus à ſe factos Auguſto Cæſari perſuaſit. quidam etiam vt diuites videãtur, hoſpitibus vicinos fundos aut ædes ſuas eſſe prædicant. hæc omnia (inquit Ariſtoteles) ab inani quadam arrogantia proueniunt. hoc uitium in Thraſone uafre callideque ludit apud Terentium adulatorum ille princeps Gnatho, cum ſic ait: Labore alieno magno partam gloriam, uerbis ſæpe in ſe tranſmouet, qui habet ſalem, Quod in te eſt. huiuſmodi homines apud Græcos uulgato prouerbio Salacones appellantur.

TEXT. *Atque eodem modo in ſingulis animi uitiis facta, indiciaque, & quæ ſunt iis ſimilia, turpia ſunt, & infamiam afferunt.*

COMM. Ne ſingula perſequatur, concludit opera omnia quæ à vitiis naſcuntur, & indicia notaſque vitiorum, & quæ uitiis aliquo modo ſimilia ſunt, verecũdiam gignere, atque efficere, ut homines erubeſcant, cum in eis deprehenduntur. tria ſunt igitur hæc diſtincta atque ſeparata, quæ faciunt erubeſcere. primo uitioſa opera, turpeſque actiones, ut ſiquis in adulterio deprehendatur, aut furto. Secundo indicia notæque uitiorum, ut ſiquis in cõſpectu populi uomere cogatur, propter crapulam aut ebrietatem, quod Cicero. 2. Philipp. M. Antonio obiicit. uel ſiquis ita loquatur, ut obſcænitatem aliquam, aut turpem cupiditatem præ ſe ferat. Tertio quæ uitiis ſimilia ſunt, quamuis neq; uitia, neque uitiorum notæ ſint, ut ſi iuuenis ſeniori non aſſurrexerit, aut de via non ceſſerit, aut contra ſententiam eius aliquid dixerit, aut fecerit. hęc enim cæteraque huius generis licet uitia non ſint per ſe, neque vitiorum indicia, tamen infamiã ſæpe afferunt, & hominem erubeſcere cogunt.

TEXT. *Præterea turpe eſt, non eſſe participem rerum honeſtarum, earum, quas uel generatim omnes participant, uel pares ſimileſque uniuerſi, uel ſaltẽ plurimi.*

COMM. Declarat Ariſtoteles hoc loco, non ſolum affinem eſſe alicui uitio turpe eſſe, uerum etiam ab honeſtis rebus eſſe uacuum, ignominiam afferre. debet enim unuſquiſque pro uirili parte conari, ne in rebus honeſtis ab ullo ſuperetur, aut ſaltem à paribus, & ſui ordinis hominibus. exempli gratia, ſi nobiles omnes literas & Muſicam diſcant, turpe erit viro nobili, ſi neque literas neque Muſicam didicerit. ut cum Græci ſummam eruditionem ſitam eſſe putabant, in neruorum uocumque cantibus, & in epulis Lyra circumferretur, Themiſtocles quoniam illam recuſaſſet, habitus eſt indoctior, ut primo Tuſcul. ſcribit Cicero. Turpe fuit igitur Themiſtocli fidibus non didiciſſe, cum cæteri nobiles omnes Muſicæ operam darent.

TEXT. *Pares autem ſimileſque uoco illos, qui ſunt eiuſdẽ nationis, ciuitatis, ætatis, familiæ, denique qui æquo iure uiuunt.*

COMM. Quoniã aliquis dubitare poſſet, qui nam ſint pares ſimileſque declarat Ariſtoteles quos ipſe hoc loco pares atque ſimiles vocet. quinque autẽ modis oſtendit aliquos pares ac ſimiles dici poſſe. primò ſi fuerint eiuſdem nationis, vt Itali, Germani, Galli, Hiſpani, ſinguli inter ſe pares ſimileſque dici poſſunt. ut Itali magnanimi, Germani fortes, Galli fideles, Hiſpani callidi. quod ſiqui degenerant à natione ſua uituperantur. Secũdo qui ſunt eiuſdem ciuitatis, ut Romani, Mediolanenſes, VENETI. Tertio qui ſunt eiuſdem ætatis ut pueri inter ſe, adoleſcentes, iuuenes, ſenes. Quarto qui ſunt eiuſdem familiæ, ut Cornelij, Fabij, Iulij. Quinto qui ęquo iure uiuunt, ut Chriſtiani, Iudæi, Mahometani. omnes enim iſti aliquo modo pares inter ſe, ſimileſque dici poſſunt.

TEXT. *Nam omnino turpe eſt, non rerum huiuſmodi eſſe participes, ut eruditionem aliquo modo non deguſtaſſe. atque ita de reliquis.*

COMM. Poſtquam oſtendit quinam pares ac ſimiles inter ſe dici ſoleant, nunc ad propoſitum reuertitur, & ait omnino turpe eſſe res huiuſmodi non participare, quæ paribus & ſimilibus communes eſſe uideãtur. ut ſiquis Vrbanus nulla penitus doctrina ſit excultus. neque enim ignominiam vllo modo ſubterfugere poteſt, cũ omnes Vrbani homines aliquam doctrinæ operam dare ſoleant. ita ſiquis Chriſtianus ignoret, quæ chriſtianæ perſuaſionis ſumma capita ſint, quibus fidẽ habere oporteat, & quę certa eſſe credendum ſit, aut neſciat qua deprecatione quotidie ſit utendum, certè omnium irriſione ludatur, & magnam infamiam ſubeat. ſic Cicero pro L. Flacco Heraclidem quendam Temnitem irridet, qui cum iam ſenex eſſet, non tamen unquam in patria ſua promulgatos honores & omnibus ferè conceſſos aſſequi potuerat.

TEXT. *Quæ omnia turpiora ſunt, ſi ipſius culpa eueniſſe uiſa fuerint. ſic enim ab animi uitio magis proficiſci uidentur, ſi ipſe cauſa fuerit malorum, quæ uel antèa fuerunt, uel nunc adſunt, uel poſtea futura ſunt.*

COMM. Aliqui excuſantur quòd uel ob egeſtatem, uel ob aduerſa tempora, uel quia magiſtri defuerint, eruditionem aſſequi non potuerunt. nam uerè dixit Iuuenalis,

Haud

Haud facile emergunt quorum uirtutibus obſtat
Res anguſta domi.

Verum ſiquis ob negligentiam ſuam, & prauã uiuendi rationem, cum ei facultas daretur, doctrinam percipere noluit, is nullam habet excuſationem, ſed maxima vituperatione dignus eſt. nam omnia mala quæ ſibi culpa ſua quis contraxit, longè turpiora ſunt, quam quæ ſine culpa eueniunt. quoniam illa certum eſt, ab animi uitio prouenire, quæ res ruborem & infamiam ſemper annexã habet, ſiue mala ea, iam præterita ſunt, ſiue ſunt præſentia; ſiue futura. ſic apud Virgilium decimo Aeneidos Iuno Venerem irridet, quod conquereretur de calamitatibus Troianorum & filij ſuæ Aeneæ quarum ipſa cauſa fuerat, ſic enim ait,

Me duce Dardanius Spartam expugnauit adulter?
Aut ego tela dedi, fouive cupidive bella?
Tunc decuit metuiſſe tuis: nunc ſera querelis
Haud iuſtis aſſurgis, & irrita iurgia iactas.

TEXT. *Verecundantur etiam homines, cum aut patiuntur, aut iam perpeſſi ſunt, aut ſe paſſuros intelligunt ea, quæ ignominiam & approbria ferre poſſunt. huiuſmodi uero ſunt ea, quæ uel ad obſcœnum corporis miniſterium, uel turpium factorum pertinent, in quibus quis contumelia afficitur.*

COMM. Verecundia transfertur ad omnia tempora. cũ enim quis aut in præſentia patitur aliquid, quod ignominiam afferre poſſit; aut iam alio tempore perpeſſus eſt, aut intelligit ſe in futuro perpeſſurum, rubore ſuffundi ſolet. uel ex intelligẽtia præſentis turpitudinis, uel ex memoria præteritæ, uel ex prouidentia futuræ. declarat autem Ariſtoteles quæ dicat ignominiam afferre. nempe cum quis alteri ſeruit uel turpi corporis miniſterio, uel in aliqua re alia quæ turpis & inhoneſta habeatur, vt affici contumelia merito poſſit. cuius generis plurima Cicero Verri, & M. Antonio obiicit, & Salluſtius ipſi Ciceroni. ita Numanus nono Aeneidos molliciem & deſidiam Troianis obiectat,

Vobis picta croco & fulgenti murice ueſtis
Deſidiæ cordi, iuuat indulgere choreis
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ
O uerè Phrygiæ, neque enim Phryges.

& quæ ſequuntur.

Tanta eſt autem uerecundiæ uis & honeſtatis, ut multi præ pudore eorum, quæ paſſi fuerũt, mori voluerint, ut Lucretia, Cyane, Sophronia; multi nequid turpe paterentur ſibi mortem conſciuerint, ut Theoxena ne à Philippo Macedonũ rege uiolaretur, & Damocles adoleſcens ut Demetrij Poliorcetæ uim ſubterfugeret.

TEXT. *Et quæ ad intemperantiam attinent, ſiue quis uolens, ſiue inuitus patiatur, dedecus afferunt.*

COMM. Turpis & Venerea libido, quæ ab intemperantia naſcitur, tam maribus quam fœminis ſummã affert ignominiam, tantoq; maiorẽ, quanto quis acrius illi non reſiſtit. ſiue igitur quis ſua ſponte alicuius libidini ſe ſubiiciat, ſiue inuitus idem patiatur, in magno dedecore eſt. itaq; Pauſanias nobilis adoleſcens, quamuis per uim pudicitiã amiſiſſet, tamen illam contumeliam pati diutius noluit, & Philippo regi Alexandri Magni patri mortem intulit, quod iniuriam ſuam, ut par eſſet, vlciſci neglexiſſet, quo facto lætus interiit. multo tamen grauior eſt eius ignominia, qui volens aliquid turpe patitur, unde huiuſmodi homines ſempiterna macula notati ab omnibus honoribus excluduntur, & ſi deprehenſi fuerint, & qui agunt, & qui patiuntur, miſera & infami pœna morteq; multantur. qui uero uim à ſe repellunt, etiam ſi eum, qui uim afferre conatur, interfecerint meritò laudantur. Cicero pro Milone ſic ait. pudicitiã cum eriperet militi Tribunus militaris in exercitu C. Marij propinquus eius imperatoris, interfectus ab eo eſt, qui uim afferebat. facere enim probus adoleſcens periculoſè, quam perpeti turpiter maluit: atque hunc ille uir ſummus ſcelere ſolutum periculo liberauit.

Et quæ ad uiolentiam, cum inuitus patitur. nam huiuſmodi patientia ab ignauia, & timiditate proficiſcitur, ſicut etiam iniurias acceptas non ulciſci. TEXT.

Cum aliquis nobis uim infert, ſi uiolentiam illam libenter ſubimus, neque recuſantes, ea dedecus non habet, ut cum inter ludendum nos amici verberant, aut ſupplantant, aut uulnerant, ſicut interdum accidit, æquo animo ferre, laudi non uitio datur. Sed cum nos inuitos aliquis offendit, & eam uiolentiam æquo animo patimur, tunc certe dedecus & infamiam effugere non poſſumus. nã ea patientia non à uirtute aliqua, ſed à uili atque timido animo prouenit, qui vim vi repellere non audeat. quod ſi forte quis excuſationem habeat, quod cum offenderetur, ſe defendere nõ potuerit, vel quod potentior eſſet inimicus, vel quod ex improuiſo fuerit oppreſſus, vel aliqua alia de cauſa, profectò magnam deinceps ignominiam ſubibit, niſi acceptas iniurias vltus fuerit. quod cũ intelligeret callidus ille Sinon apud Virgilium. 2. Aen. ita ſe ipſum laudat, COMM.

Nec tacui demens, & me, ſors ſiqua tuliſſet,
Si patrios vnquam remeaſſem uictor ad Argos
Promiſi ultorem, & uerbis odia aſpera moui.

Turpe enim Sinoni fuiſſet, ducis & propinqui ſui Palamedis mortem Vlyſsis fraudibus illatam æquo animo ferre, & ultionem aĩo nõ agitare. hæc quidem ita uulgo exiſtimantur. uerum ſapientes tolerandas eſſe cẽſent iniurias, neque malum pro malo reddendum.

Hæc igitur, cæteraque huius generis ſunt, quæ homines uerecundantur. TEXT.

Primam partem ſe iam abſoluiſſe oſtendit, & docuiſſe, quæ ſint ea, propter quæ homines uerecundia afficiantur, teſtat, vt doceat etiam qui ſint homines, quos uereri ſoleamus, & quomodo affecti verecundia capiamur. COMM.

Quoniam autem uerecundia opinio quædam eſt ignominiæ, atque eius ipſius gratia, non autem eorũ, quæ inde proueniunt, & nemo bonam quærit famam, niſi propter illos, qui de ſe exiſtimant: neceſſe eſt, ho- TEXT.

mines

mines affici uerecundia propter illos, quorum rationem ducunt.

COMM. Cum oſtendere velit, qui nam ſint illi homines, quos vereamur, & propter quos verecundia afficiamur, primo verecundiæ definitionem repetit, quæ eſt opinio uel timor ignominiæ, eius ipſius ignominię tantum, non alterius rei gratia. neque enim qui uerecundatur aliud timet, niſi ut bonam famam & exiſtimationem amittat, non autem vt pecuniis priuetur, aut aliquod incommodum accipiat. quamuis plerunque accidat, vt quis præter infamiam, etiam detrimentum accipiat. & ex ignominia ſæpe damnum naſcatur, tamen qui uerecundatur, non damnum ſed infamiā timet. quærit enim bonam famam conſeruare. nō quidem apud omnes. ſed tantum apud eos, qui de ſe exiſtimare atque iudicare uerè poſſunt. Itaque fit, ut omnes eos uereamur, & propter illos uerecundia afficiamur, quorum rationem ducimus, & quos in honore, ac precio habemus. neque enim ſeruos noſtros ueremur, aut pueros, aut agreſtes & abiectos homines, quoniam eorum de nobis exiſtimationem parui pendimus. ſed ciues, nobiles, maiores, æquales, denique omnes quorum exiſtimationem de nobis magni facimus, uereri ſolemus. ut Sp. Caruilius, cum grauiter claudicaret ex vulnere ob Remp. accepto, uerecundabatur in publicum prodire, ne propter claudicationem fortaſſe aliquā ſubiret infamiā. cui mater præclarè grauiterque dixit, quin prodi mi Spuri, ut quotieſcunque gradum facias, toties tibi tuarum uirtutum ueniat in mentem.

TEXT. *Eorum autem rationem ducunt, qui ſui admiratione capti ſunt, & eorum, quos ipſi admirantur, quoſq; in admirationem ſui trahere deſiderant, & quibuſcū de honore ac dignitate contendunt, & denique quorum exiſtimationem non contemnunt.*

COMM. Numerat eorum hominum genera, quorum rationem ducere ſoleamus, ac ea quinque eſſe præcipua oſtendit. primum eorum, qui nos admirātur, & magnos atque excellentes uiros eſſe non arbitrantur. neceſſe eſt enim ut eos amemus, eis faueamus, & uereamur ne forte ſententiam mutent. itaque magnam eorum rationem ducimus. quippe hoc eſt homini naturale, ut aliis pręeſſe, & multos ad ſui admirationem concitare velit. unde Themiſtocles cum eſſet interrogatus cuius vocem libentiſſimè audiret, eius (inquit) à quo meæ uirtutes optimè celebrantur. Secundum eorum eſt, quos ipſi admiramur, & pſtantes eſſe uiros iudicamus. tales enim homines magna cum obſeruantia colimus, quia de nobis eos bene exiſtimare uolumus. vera enim laus eſt, quæ à laudato uiro proficiſcitur. ita Cicero pro P. Quintio, ſe Q. Hortenſii eloquentiam uehementer uereri oſtendit, quoniam ipſum Q. Hortenſium admirabatur. Tertium eſt eorum, quos in admirationem noſtri trahere deſideramus, & à quibus excellētes iudicari cupimus. quod accidit cum nouum aliquem magiſtratum gerimus, aut cum alicuius dignitatis candidati ſumus, aut cum tunc primum aliquod negociū aggredimur. ſolemus enim omni uti diligentia, ut aliquam de nobis admirationem concitemus. hoc eleganter Cicero pro Milone declarat, ubi ſic ait, Scio enim quam timida ſit ambitio, quātaque & quam ſolicita cupiditas conſulatus, omnia nō modo quæ reprehendi palam, ſed etiam quæ obſcurè cogitari poſſunt, timemus, rumorem, fabulam fictam falſam per horreſcimus, ora omnium atque oculos intuemur. & quæ ſequuntur. Quartum eſt eorum, quibuſcum de honore ac dignitate contēdimus. licet enim eos ſuperare contendamus, non tamen contemnimus, ſi modo tales eſſe putamus, qui nobiſcum digni ſint cōparari, ſed eos potius ueremur, quoniam ſocios & conſortes glorioſi laboris habemus, ut in Bruto Cicerò de Q. Hortenſio prædicat, cum quo certare (inquit) erat glorioſius, quam omnino aduerſariū non habere. Quintum denique eorum omnium eſt, quorum exiſtimationem de nobis non contemnimus, eos enim obſeruemus, & ueremur, &, ut bene de nobis ſentiant, laboramus.

At uerò ſui admirationem apud eos, mouere uolunt, atque ipſi etiam eos admirantur, qui bonum aliquod in ſe habent eorum, quæ honore digna iudicantur. TEXT.

Hoc loco declarat illa duo prima hominum genera, quæ ſint, nempe qui nos admirātur, & quos ipſi admiramur. & ait illos eſſe in quibus ſit aliquod bonum honore dignū. ſciendum igitur eſſe uaria bonorū genera, nā aliqua dicuntur veneranda, quia ſunt præſtantisſima, qualis eſt ſapientia, & plurimarū rerū cognitio. aliqua dicuntur laudabilia, quales ſunt honeſtæ actiones & rectè facta. aliqua dicūtur præſtantia, quales ſunt dignitates, magiſtratus, imperia, quia, qui ſunt in eis cōſtituti, reliquis præſtare creduntur. aliqua dicūtur utilia, quod ex eis emolumenta capiamus, vt diuitię. aliqua denique iucunda uocantur, quæ nobis uoluptatem afferunt, vt quies & animi relaxatio. ſed ex omnibus bonis, nulla maiorem admirationem concitant, quam ea, quæ *τίμια* Græcè, Latinè ueneranda nuncupantur. ſummam enim ſapientiā, & ſcientiam omnes admirantur. COMM.

Et à quibus impertiri ſibi quippiam ardenter cupiunt, cuius illi domini ſint, ut amatores. TEXT.

Vehemens cupiditas ſæpè nos in alicuius admirationē inducit: vt cū uidemus aliquē id bonū poſſidere, quod nos ardenter cupimus, quod amatoribus accidit, ait Ariſtoteles. illi enim allecti pulchritudine, præſtantique forma uehementer eam admirantur, uerentur, & amicæ ſuę omni ratione placere ſtudent. uim enim maximā habet pulchritudo, adeo ut Socrates exigui tēporis Tyrannidē eā appellarit, & Carneades regnū, quod nullis ſatellitibus egeat. Ariſtoteles autem dixiſſe fertur, pulchritudinem longè maiorem habere uim ad commendandum, quā accurate ſcriptā epiſtolā. COMM.

Cum paribus autem ſimilibusq́ue de honore, ac dignitate contendunt. TEXT.

Quia

Quia dixerat nos eos uereri quibuſcum de dignitate contendimus, nunc oſtendit, quinam ij ſint, & ait eſſe æquales ſimileſque. pulchrum eſt autem ab eorum nemine, qui ſunt eiuſdem ætatis ſuperari, ſed longe pulchrius eſt æqualibus ac ſimilibus antecellere, pulcherrimum uerò cum maioribus etiam natu comparari. quare Craſſus primo de Oratore apud Ciceronem ait, non ſibi cohortandum eſſe Sulpitium & Cottam, ſed magis utrunque collaudandum uideri, quod tantam iam eſſent facultatem adepti, ut non æqualibus ſuis ſolum, ſed cum maioribus natu compararentur.

TEXT. *Viros uero prudentes obſeruant, tãquam eos, qui uera prædicare ſoleant, tales autem ſunt ſenes, atque eruditi.*

COMM. Affert cauſam cur prudentes homines obſeruare, & uereri ſoleamus, quoniam (inquit) eos uera de nobis prædicare poſſe cognoſcimus. nam (ut eſt in primo Ethicorum) unuſquiſque de iis uerè iudicat, quæ intelligit, & eorum æquus eſt æſtimator. & Cicero, Statuere quid ſit ſapiens uel maximè uidetur eſſe ſapientis. docet autem qui ſint illi, quos prudentes exiſtimemus, nempe ſenes, & eruditi. Senes quia magnum rerum uſum & experientiam habent, & ætatis longæ beneficio, multa videre, audire, tractare potuerunt, quibus ex rebus prudentia naſcitur. eruditi uero propter uariarum rerum ſcientiam & cognitionem prudentes exiſtimantur. quod ſiquis ſenex ſit, & eruditus, is ſanè prudentiſſimus haberi ſolet. hanc utranque prudentiam M. Antonius apud Ciceronem. 2. de Oratore ſic expreſſit, Qui eſt verſatus in rebus, uel uſu quem ætas denique affert, uel auditione, & cognitione quæ ſtudio & diligentia præcurrit ætatem. in Topicis ſic ait Cicero, Nam & ingenioſos, & opulẽtos, & ætatis ſpacio probatos, dignos quibus credatur, putant. maior tamen ex uſu atq; experientia rerum quam ex doctrina prudentia quæritur, ut in epiſtolis ait Cicero. qua de cauſa etiam Ariſtoteles hoc loco ſenes eruditis præpoſuit.

TEXT. *Illa etiam uerecundiam mouent, quæ in oculis omnium ac propalam fiunt: unde etiam prouerbium illud; pudorem in oculis eſſe.*

COMM. Cum quis in multorum hominum conſpectu peccat, plurimum ſolet erubeſcere, quod erroris ſui multos eſſe teſtes uidet. quo fit ut multi ſint in concione timidi, neque uerba coram multitudine facere audeant, q infamiã ſubire uereãtur. nonnulli etiam dicturi in concione, uel corã principe obmuteſcunt. quod duobus celeberrimis & eloquentiſſimis uiris Demoſtheni & Theophraſto accidiſſe legimus. at in priuata domo, & loco ſolitario multa facimus, quæ nequaquam in foro, & celebri loco faceremus. unde natum eſt prouerbium (inquit Ariſtoteles) pudorem in oculis eſſe. quia conſpectus uel incutit pudorem uel renouat. & hac de cauſa dixit Ouidius, noctem pudore vacare, quia noctu nõ uidemus. obſeruatum eſt etiam cæcos impudentiores eſſe, quia ſenſu uidendi carent. unde fortaſſe poetæ finxerunt cupidinem eſſe cæcum, quia ſit impudens. & pueri ac puellæ cum pudore afficiuntur oculos tegunt, & honeſtiores mulieres rectis oculis nequaquam uiros aſpiciunt, & cum loquuntur uultum demittunt. ut Virgilius primo Aeneidos, de Didone,

Tum breuiter Dido uultum demiſſa profatur,

Et in 3. de Andromacha.

Deiecit uultum, & demiſſa uoce locuta eſt.

TEXT. *Atque hac de cauſa magis eos uerecundantur, qui ſemper ſecum futuri ſunt, & qui ſuas aduertãt actiones, eo, q hæc utraque ſint in oculis.*

COMM. Quia quæ palam fiunt, & in oculis multorum uerecundiam mouent, ideo fit, ut duo genera hominum potiſſimum uereamur, hoc eſt qui ſemper nobiſcum ſunt, & qui noſtras aduertunt actiones. nam externos, & peregrinos & qui ſunt à nobis breui diſceſſuri, præſertim ſi ſint incogniti, nõ admodum uerecundamur, neque illos qui nobiſcum vna verſantur, ſi ſuis in rebus occupati, non aduertunt, quid à nobis fieri ſoleat. quod ſi nobiſcum perpetuò viuant, & actiones noſtras aduertant, certè plurimum verecundari ſolemus, quoniam hoc vtrunque eſt in oculis, & iam dictum eſt pudorem in oculis habitare. ſic Cicero quamuis cum Luceio frequenter viueret, & ſuas illi actiones probaret, tamen verecundia impeditus, nunquam auſus eſt illi coram cupiditatem ſuam explicare. Quare ſic ad eum ſcribit Epiſto. libro quinto. Coram me tecum eadem hæc agere ſæpe conantem deterruit pudor quidam penè ſub ruſticus, quæ nunc expromam abſens audacius: Epiſtola enim non erubeſcit. Ardeo cupiditate incredibili, & quæ ſequuntur.

TEXT. *Et eos, qui eidem culpæ minimè ſunt obnoxij; perſpicuum eſt enim eos in contraria eſſe ſententia.*

COMM. Eiuſdem flagitij ſceleriſque ſocij & participes nequaquam inter ſe verecundantur. ſed qui in aliquo crimine eſt, eum verecundantur, qui ab eo peccato eſt alienus, quoniam intelligit eum à ſe diſcrepare. vt intemperans homo coram temperato viro nequitiam ſuam proferre non audet, ſed eam abſcondit, at vero cum intemperanti non ſolum eam proferet, ſed etiam de illa gloriabitur. vt Cherea Terentianus Antiphonis ſocij ſui conſpectum non timet, licet habitu eſſet indecoro, ſed ei flagitium ſuum quod virginem vitiaſſet, cum lætitia narrat. ſed Antiphonis patrem & matrem veretur, quos ſciebat, à tali flagitio abhorrere, & alios etiam fugitat, qui tali culpæ non erant obnoxii. ſic enim ipſe loquitur in Eunucho; Dum ante oſtium ſto, notus mihi quidam obuiam

Venit, vbi vidi, ego me in pedes quantum queo

In angiportum quoddam deſertum, inde item

In aliud, inde in aliud, ita miſerrimus
Fui fugitando ne quis me cognoſceret.

TEXT. *Et qui minimè procliues ſunt ad ignoſcendum eis, qui peccare uideantur.*

COMM. Non admodum ueremur eos, qui lenes ſunt, & faciles ad ignoſcẽdum, ſed qui ſeueri ſunt & aſperi, neque facile cuiquam ignoſcunt, eos magnopere ueremur, qđ elegantiſſimè Terentius in Adelphis in perſona duorum fratrum Mitionis & Demeæ expreſsit. nam Mitionem lenem, clementẽ, placidum fingit, itaque Aeſchinus & Cteſipho adoleſcentes non eum multum verebantur. Demeam uero fingit, ſeuerum, triſtem, truculentum, quare ijdem adoleſcentes eius filij maximopere illum uerirũ fugiunt, nec cum eo eſſe nolunt. ipſe igitur Demea ſuper hac re ita ſecum queritur,

Illum amant, me fugitant, illi credunt conſilia omnia.
Illum diligunt, apud illum ſunt ambo, ego deſertus ſum.

TEXT. *Nam quæ quis ipſe facit, ea dicitur uicinis non uitio uertere: quare quæ non facit, ſine dubitatione uitio uertit.*

COMM. Pauci ſunt homines, qui ea damnent, & aliis uitio uertant, quibus ipſi delectantur, ut aſotus & intemperans, non eum uituperat, qui gulæ & libidini ſeruit, vt Mitio Terentianus. qui ſuam ſemper egit uitam in ocio, & in conuiuiis, non damnat Aeſchinum, & Cteſiphontem amantes, potantes, unguenta redolentes, at ea, quibus aliquis nõ delectatur, aliis uitio vertit, ut Demea qui uenit ad Mitionem ſæpe clamitans, Quid agis
Mitio? Cur perdis adoleſcentem nobis? cur amat?
Cur potat? Cur in his rebus ſumptus ſuggeris? Erat enim Demea agreſtis, ſæuus, triſtis, parcus, truculentus, tenax, ut ipſe de ſe confitetur.

TEXT. *Eos quoque uerentur, qui omnia facile enunciant: nihil enim differt, non uideri peccaſſe, & peccatum non enunciari.*

COMM. Cum intelligimus aliquem peccata noſtra enũciaturum, eum ueremur, & ab eo diligentiſſimè cauemus, quoniam flagitia noſtra quam occultiſſima eſſe cupimus. ſic enim facile boni uiri exiſtimabimur, ſi peccata latuerint, quia quorum peccata non enunciantur, illi plerunque nihil peccaſſe videntur. hac de cauſa Semiramis (ut in hiſtoriis legimus) cum aliquem iuuenem ad concubitum ſuum admiſiſſet, erat enim intemperantiſſima fœmina, ſtatim eum occidi iubebat, ne flagitium ſuum enunciaret. & in fabulis, Tereus Philomenę quam uirginem uitiarat, linguam extraxit, ne cuiquam id ſcelus indicare poſſet. & in coniuratione contra Cæſarem M. Brutus ideo Ciceronem noluit admittere, quod eius loquacitatem uereretur.

TEXT. *Illi uerò facile enunciant, qui iniuriam acceperũt, eo, quod obſeruare ſoleant.*

COMM. Qui à nobis iniurias acceperunt, ij diligenter obſeruare ſolent, ſiquid à nobis peccatum fuerit, atque illud enunciare. quocirca uitare eos oportet, ne id forte accidat, quod Stalerio accidiſſe ſcribitur, qui ea locutus eſt, inimicis ſubauſcultantibus pariete interpoſito, quibus pateſactis, in iudiciumque prolatis rei capitalis iure damnatus eſt. huic ſimile quiddã (ait in Topicis Cicero) de Lacedæmonio Pauſania accepimus. Cicero ſe ideo Verris accuſatorem profitetur, quod ab eo multas iniurias accepiſſet.

TEXT. *Et maledici, nam ſi nihil peccantibus detrahunt, quanto magis peccantes inuadent?*

COMM. Obtrectatores & maledici homines aliorum enunciare peccata facilè conſueuerunt. quod argumento probatur à maiorum comparatione. ſolent enim maledici bonis uiris & nihil peccantibus detrahere, ergo multo magis eis detrahẽt, qui aliqua in re peccare uiſi fuerint. Cicero pro Cœlio neminem poſſe falſam famam peccatorũ ſubterfugere cenſet in maledica ciuitate. ſed pro L. Flacco, uehementer Flaccum laudat, & optimum uirum eſſe docet eo argumento, quod in maledicentiſſima ciuitate omne crimen effugiſſet.

TEXT. *Et qui in notandis proximorum peccatis occupati ſunt, quales ſunt deriſores, & Comici poetæ: nam hi quoque quodammodo maledici ſunt, & peccata enunciant.*

COMM. Eos etiam uereri debemus, qui diligentiam in ea re ponunt, ut aliorum peccata notẽt, quod ſcurræ, deriſores, comici & ſatyrici poetæ facere ſolẽt. hi enim maledicos quodammodo imitantur, dum aliorum peccata diuulgant. in hoc tantum differunt, quod maledici ſibi unum illud proponunt, ut alicui maledictis ſuis infamiam inurant, poetæ verò ac deriſores, vt riſum audientibus moueant, & uera uitia notent, atque corrigant. ut de Horatio Perſius ſcribit,

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admiſſus circum præcordia ludit.

Quòd autem antiqui poetæ comici uitia notare, atque patefacere ſolerent, ſic Horatius primo Sermonum oſtendit,

Eupolis, atque Cratinus, Ariſtophaneſq; poetæ.
Atque alij quorum comœdia priſca uirorum eſt,
Siquis erat dignus deſcribi, quod malus, aut fur,
Quod mœchus foret, aut ſicarius, aut alioqui
Famoſus: multa cum libertate notabant.

Interdum etiam bonos & ſapientes uiros in comœdiis deridebant, ut Ariſtophanes in Nebulis Socratem.

TEXT. *Eos etiam uerentur, qui ſibi nulla in re unquam refragati ſunt, ij enim admirari quodammodo uidentur.*

COMM. Qui nobis in rebus omnibus aſſentiunt, & quicquid ab eis petimus, ſine ulla repulſa concedunt, hoc quadam noſtri admiratione ducti facere uidentur, quod optimè de nobis ſentiant. itaque tales hoĩes uereri ſolemus, ne ſentẽtiã mutẽt, & aliquid de nobis mali ſuſpicari incipiant. pōt ẽt hic lo-

hic locus aliter intelligi, nam uerbum quo utitur hic Ariſtote. ἀποτύχωμεν, à præſenti ἀποτυγχάνω deducitur, quod interdũ fruſtrari ſpe ſignificat, interdum peccare, labi, decipi. primam ſignificationem nos ſecuti ſumus. nam omnino ſolemus eos uereri, apud quos nunquã ſpe noſtra fruſtrati ſumus, & qui nobis omnia petentibus conceſſerunt. altera ſignificatione poteſt ita uerti, ut dicat Ariſt. nos uereri illos, inter quos nihil unquã peccauimus, & nulla in re lapſi ſumus. qđ ẽt uerũ eſt.

TEXT. *Atque ideo uerentur etiam eos, qui tunc primum aliquid à ſe petunt, quippe cum nihil adhuc apud illos exiſtimationem ſuam eſſe læſam intelligant.*

COMM. Hoc ſanè fieri ſolet, ut cum quis tunc primũ aliquid à nobis petit, ei libenter, ſi facultas detur, morem geramus, & nos id denegare quodammodo pudeat. uidentur enim qui rogant, bene de nobis ſentire, & probos atque officioſos exiſtimare. quam eorum opinionem confirmare, atque augere cupimus. quod ſi denegemus ea, quæ petunt, ſtatim exiſtimatio illa, quam de nobis habebant, imminuitur, quod minimè vellemus. hæc etiam ars eſt eorum, qui petunt. cenſent enim iuſtum eſſe, ut quod tunc primum rogant, ſibi concedatur. ut Ilioneus ille Troianorum orator apud Virgilium primo Aeneid. ita Didonem adhortatur,

—officio nec te
Certaſſe priorem Pœniteat.

Itaque Dido uerecundia quadam affecta primo regni ſui nouitatẽ excuſat, qua durius erga hoſpites ſe gerere cogeretur, deinde liberaliter, & auxilium & opes pollicetur,

Auxilio tutas dimittam, opibuſque iuuabo.

TEXT. *Huiuſcemodi ſunt illi quoque, qui nuper amicitiã inire uoluerunt. propterea quòd ea tantum aduerterint, quæ in ipſis ſunt optima.*

COMM. Noſtram exiſtimationem eodem modo nihil eſſe læſam apud eos putamus, qui nobis amici fieri cupiunt, conſpexerunt enim quæ optima ſunt in nobis. atque ideo noſtram expetunt amicitiam. nam ſi male de nobis ſentirẽt, non certe ſe in amicitiã inſinuare ſtuderent. tales igitur etiam hoĩes vereri ſolemus, ne aliter ſentiant. Statuunt autem ſapientes comes quidem & affabiles erga omnes eſſe oportere, ſed non tamen omnes in amicitiam admittendos eſſe. Quare Solon præcipiebat, ne facile nobis amicos compararemus, ſed quos ſemel in amicitiam noſtram receperimus, ne poſtea reijciamus. idem ſignificare uoluit Pythagoras cum in Symbolis ſuis ita præcepit, Ne cui uis dextram porrigas, i. ne quemlibet hominem, in amicitiam & familiaritatem admittas.

TEXT. *Quare Euripidis reſponſum ad Syracuſanos iurè laudatur.*

COMM. Satis cõſtat Syracuſanos & Siculos omnes quadam Euripidis admiratione ductos, eum præter cęteros poetas laudare ſolitos, & prædicare, atque eius Tragœdias & carmina magno in honore ac precio habuiſſe. tradit enim Plutarchus in Niciæ uita, quo tempore uicti fuerunt Athenienſes à Syracuſanis, & fuſi fugatique per totam Siciliam ſedibus incertis uagarentur, & paſſim à Siculis trucidarentur, eos omnes, qui uerſus Euripidis memoria tenerent, & recuſarent, fuiſſe conſeruatos. tanta erat apud Siculos Euripidis reuerentia: ſed quodnam fuerit hoc Euripidis reſponſum ad Syracuſanos, de quo meminit Ariſtoteles hoc loco, non ſatis conſtat. ſuſpicari licet, Syracuſanos abſentis Euripidis amicitiam uehementer expetiuiſſe, atque illum ad ſe publicè euocaſſe, ſicut etiã Archelaus Macedoniæ rex eum ad ſe accerſiuit, Euripidem autem reſpondiſſe, ipſos Syracuſanos tantum ea conſiderare, quæ in ſe optima uiderentur, atque ideo ſuam amicitiam expetere, quod ſi præterea cogitarent, ſibi multa deeſſe, quæ in eo homine eſſe debent, qui ſit Remp. adminiſtraturus, aut toti populo ſatisfacturus non eos, tanta cupiditate flagraturos, ut Syracuſas accederet. hoc enim reſponſum cum Ariſtotelis ſententia plurimum conuenit.

TEXT. *Tales ſunt etiam ueteres familiares qui nullius flagitij conſcij ſunt.*

COMM. Quia ſemel partam bonam exiſtimationẽ tueri cupimus, ideo non tantum nouos amicos ueremur, ſed etiam ueteres familiares, atque eos præſertim qui nobis nullius ſceleris cõſcij ſunt. nam qui peccata noſtra cognita habent, illos non ueremur, ſed timemus, unde Iuuen.

Scite nolunt ſecreta domus, atque inde timeri.

TEXT. *Solent autem uerecundari homines non ſolum in eis, quæ dicta ſunt, quæ re uera ſunt obſcœna, ſed etiã in eis, quæ ſigna ſunt: ut non modo cum ueneri indulgent, ſed etiam cum eius rei ſignum aliquod edunt: neque tantum cum turpia faciunt, ſed etiam cum de illis loquuntur.*

COMM. Quæ uerecundiam mouent ita diſtinguuntur, ut alia ſint obſcœna & turpia, ut inceſtus, adulterium, alia turpitudinis ſigna ſint, ut attrectatio mulieris, oſculũ, impudica locutio. non ſolum igitur facta ipſa turpia uerecundantur hoĩes, ſed etiã turpium factorum ſigna. quod exemplo declarat Ariſto. omnes. n. cum indulgent veneri ſecreta petunt loca, ne ab aliquo videanť, quod ſi in eo actu deprehendatur, uehementer eos pudet, modo rectè inſtituti ſint. nam Cynicorum impudentia damnatur, qui tanquam canes in foro propalam coire cum mulieribus non erubeſcebant. præterea qui ſignum aliquod uenereum edunt, ſi conſpiciantur ab eis, quos uerentur, ſtatim erubeſcunt. ut apud Terentium Aeſchinus, cum meretricis hoſtium pulſaſſet, Mitione patre ſuperueniente, uerecundari cæpit. id enim ſignum erat meretriciæ conſuetudinis. neque tantum turpia facta, ſed etiam ſermo turpis verecundiam mouet, eſt enim ſermo quaſi factorum umbra quædam, ut aiebat Democritus. nam qualis uir talis etiam oratio ſolet eſſe. Quare bene Iſocrates Demonico præcipit, ut exiſtimaret, ea, quæ factu turpia ſunt, nullo modo dictu honeſta eſſe poſſe.

TEXT. *Eodem modo non tantum prædictos homines uerecundantur, ſed eos etiam qui poſſunt illis, quæ facta fuerint, enunciare, quales ſunt illorũ ſerui, aut amici.*

COMM. Sicuti non tantum facta turpia, ſed etiam eorum ſigna uerecundiam mouent, ita non tantum graues homines ueremur, ſed etiam eos, qui facta noſtra narrare illis poſſunt. quo fit, ut ſeruos illorũ, & amicos hac de cauſa uereamur, quia poſſunt ea, quæ fiunt, enuntiare. ſæpe etiam eorum, quos ſuſpicimus ſeruos & amicos colimus, ueneramur, hilari uultu excipimus, non propter ipſos, neque enim illos magnifacimus, ſed quia cupimus eorũ dominis gratificari, & gratiam illorum promereri. ſic Athenienſes (ut Plutarchus in uita Catonis ſcribit) Demetrium Pompeij libertum ſummis honoribus affecerunt, vt ipſius Pompeij gratiam inirent.

TEXT. *Nihil autem omnino ueremur eos, quos ualde contemnimus; & quibus non credi ſolere putamus: nemo enim eſt, qui puerulos, aut belluas uereatur.*

COMM. Verecundia propter infamię metum excitatur. apud eos autem infamiam timemus, apud quos in honore eſſe cupimus. ſed cum aliquos ualde contemuimus, non timemus ab eis infamiam, itaque neque eos vereri ſolemus. tales ſunt pueri paruuli qui nondum intelligentiam habent, uiles atque abiecti homines, & mendaces, quibus nemo credit. utitur autem duobus exẽplis Ariſtoteles hoc eſt puerulorum & belluarum, quas nemo uereri ſolet, quia turpis & honeſti nullum diſcrimen neque puerUli neque belluæ poſſunt habere. idem de illis cenſendum eſt, qui nullius exiſtimationis ſunt, & mendaces ab omnibus putantur, aut calumniatores, aut maledici.

TEXT. *Neque eadem de cauſa ueremur familiares & externos: nam familiares in eis rebus ueremur, quæ ad ueritatem ſpectant, externos uerò in eis, quæ ad opinionem & inſtituta.*

COMM. Ex eis quæ facimus aliqua ſunt, quæ familiares & notos cælare cupimus, aliqua uerò quæ externos & ignotos. nã quæ re uera ſunt turpia, ut adulterare, furari, fraudare, ea ſi cõmittimus, ueremur ne familiares & noti id intelligant, quæ uerò tantum opinione & inſtitutis habentur turpia, neq; re uera ſunt, in eis ueremur externos & ignotos, etiam ſi inter familiares ea committamus, ut in conuiuio atque in ſocietate familiarium, uir grauis frontem exporriget, iocabitur, ludet, ſaltabit, quod minimè faceret, ſi hoſpites & ignoti homines adeſſent. hæc enim indecora & turpia putantur. itaque Cicero pro Murena & pro Deiotaro diligenter aduerſarios refellit, qui Murenam, & Deiotarum in conuiuio ſaltaſſe dixerant.

TEXT. *Qui autem uerecundia capiuntur ita ſunt affecti; primo ſi apud ſe habeant huiuſmodi homines, quales diximus eos eſſe, quos uerentur.*

COMM. Hactenus docuit quas res, & quos homines uereri ſoleamus, nunc docet ẽt qui ſint illi, qui uerecundia afficiantur. Ac primo ſolent ij uerecundari, qui cum hmõi hominibus uerſantur, quales iã ſupra demõſtrati ſunt, quos pleriq; uereri ſolent.

TEXT. *Tales autem erãt, uel qui nobis admirationi ſunt, uel qui nos admirantur, uel quibus admirationi nos eſſe cupimus, uel quorum ope aliqua in re indigemus, quam non obtineremus ſi exiſtimationem perdidiſſemus.*

COMM. Repetit breuiter quos hoĩes uereri ſoleamus, vt oſtendat, quo affecti uerecundia capiamur. quatuor autem hæc genera ſunt, primum eorum qui nobis ſunt admirationi uel propter ſcientiam aliquam ut egregij philoſophi, ſummi oratores: uel propter dignitatem, ut principes, magiſtratus: uel propter integritatem uitę, ut religioſi. Secundum eorum qui nos admirantur, quòd putent in nobis aliqua eſſe bona excellentia, cupimus enim eos in tali ſentẽtia perſeuerare. Tertium eorum, quibus admirationi eſſe cupimus, quod adhuc uirtutes noſtras non agnouerint, & illis notas facere cupimus. Quartum eorum, quorũ ope indigemus. uolumus. n. ut bene de nobis exiſtiment. nã ſi malã opinionẽ conciperent, & nos improbos exiſtimarent, non ſanè quod ab eis expectamus, præſtarent.

TEXT. *Atque hi uel ſi præſentes ſint, ac uideant, quemadmodum Cydias in concione dixit, cum de Samiorum agrorum diuiſione tractaretur; rogabat enim Athenienſes, ut mentibus ſuis cogitarent, omnes Graecos nõ ſolum audituros eſſe, ſed etiam in corona ſtare, atque adeſſe, ut ſpectarent, quæ ab ipſis decernerentur.*

COMM. Oportet (inquit) ut illi homines, quos ſupra diximus, uel præſentes adſint, ac uideant, uel in propinquo loco ſint. nam ſi locorum interuallo diſiũcti fuerint, nequaquam eos uerebimur. hoc autẽ probat Ariſtoteles exemplo Cydiæ nobilis oratoris, qui coram populo Athenienſi orationem habuit, qua ſuadebat ei, ne Samiorum agros uiritim diuideret. cum enim Athenieſes Samum inſulam occupaſſent, inter ſe deliberabant, utrum eam Samiis redderent, an agros & domos uiritim Atticis ciuibus diuiderent, & colonos in eam inſulã mitterent. in hac deliberatione pugnabat utilitas cũ honeſtate, nam honeſtum erat inſulam reddere, ſed utile uidebatur eam retinere. vicit autem (vt ſæpe fit) vtilitas honeſtatem. nam Athenienſes Samiorum agrorum diuiſerunt, ut apud Iſocratem in Panegyrico videre licet. qui conatur Athenienſes in hac re defendere. Cicero etiã primo de Natura Deorum, narrat Epicuri patrem Neoclem in hanc inſulam habitatum ueniſſe, quoniam agrorum partem acceperat, ſic enim ait, de Epicuro loquens, Pamphilum quendam Platonis auditorem ait à ſe Sami auditum: ibi enim adoleſcens habitabat cum patre & fratribus, quod in eam pater eius Neocles agripeta uenerat. cum igitur Cydias eam diuiſionem agrorum diſſuaderet, ut facilius Athenienſes ab ea ſententia retraheret rogabat, ut fingerent mentibus ſuis, liberæ ſunt enim cogitationes, & quicquid uolunt, id tanquam præſens intuentur, omnes Græcos eſſe præſentes & in concione ſtare, ut audirent, & uiderent quid

ab eis

ab eis decerneretur. ſic enim eorum quaſi præſentiam ueriti non ſuderent rem turpem decernere. hoc exornationis genus conformatio dicitur à Cornificio, quo ſæpe etiã Cicero utitur ut in Catilinam actione. 1. rogat ipſum Catilinam, ut mẽte ſua fingat, patriã adeſſe quæ de eius ſceleribus conqueratur, & pro M. Cælio Appium Cæcum à mortuis reuocat, & quaſi pręſentem inducit, qui Clodium de impudicitia reprehendat.

TEXT. *Vel ſi in propinquo loco ſint, & facile percepturi, quæ fiant.*

COMM. Non tantum præſentium pudet, ſed eorum ẽt qui uicini ſunt, & facile poſſunt ea percipere, quæ turpiter facta fuerint. ita Latinus i 12. Aen. apud Virgilium ſe Rutulos & Italos uereri ait, quia uicini erant, atque ideo nolle pati ut Turnus ad mortem tendat,

Quid conſanguinei Rutuli, quid cætera dicet
Italia, ad mortem ſi te (fors dicta refutet)
Prodiderim natam & connubia noſtra petentem?

TEXT. *Quare qui in calamitate ſunt, ab ijs conſpici nolunt, qui ipſos olim æmulabantur: nam qui æmulantur, etiam admirari ſolent.*

COMM. Hæc eſt (inquit) cauſa, ut qui miſeriis & calamitatibus premuntur, & ex beatis miſeri facti ſunt, eorum conſpectum fugiant, à quibus olim fortunati putabantur. nam qui bene de aliquo ſentiũt, & felicem exiſtimant, eum æmulantur, atq; eius admiratione capiuntur. cum autem afflictum uident, ſtatim ſententiam immutant, neque ęmulantur, neque admirantur. ita Sinon ille Virgilianus de calamitate ſua loquens quod Palamedem propinquum ſuum amiſiſſet, ita ait,

Afflictus uitam in tenebris, luctuque trahebam.

Ex hoc euenit (ait Cicero. 3. Tuſcul.) ut in animi doloribus alij ſolitudines captẽt, ut ait Homerus de Bellerophonte,

Qui miſer in campis mœrens errabat alæis
Ipſe ſuum cor edens, hominum ueſtigia uitans.

Sic etiam in Thelamone pulſo patria, exulante, atque egente, hæc admiratio fiebat, Hiccine eſt Thelamon ille, modo quem gloria ad cœlum extulit? Quem ſpectabant, cuius ob os Graij ora obuertebant ſua?

TEXT. *Quin etiam illi pudore afficiuntur, quicunque aliquid habent, quod dedecus afferat, uel à ſe commiſſum, uel à maioribus ſuis, uel ab alijs quibuſdam, quibuſcum propinquitate aliqua coniuncti ſunt, & denique quorum infamiam ad ſe pertinere putant.*

COMM. Conſcientia mille teſtes (ut eſt in prouerbio) bene etiam Ouidius Conſcia mens recti famę mẽdacia ridet. qui uerò peccauit, ſemper timet ne peccatũ ſuũ patefiat, & facile pudore afficitur. nam difficile eſt (ut idẽ ait Ouidius) crimen non prodere uultu. cum igitur aliquid eſt eiuſmodi qđ dedecus afferre poſſit, id ẽt pudorem affert, cum obiicitur. ſiue cõmiſſum eſt ab eo cui obijcitur, ut ſiquis obiiciat Clodio qđ ſacra bonæ Deæ polluerit, aut qđ ſorores ſtuprauerit, ſiue à maioribus eius, ut Cicero Piſoni obijcit, ꝙ eius auus Mediolanenſis præco fuerit, & uilis atque abiectus homo. ſiue à propinquis, ut ſiquis ſorores aut conſobrinas meretrices, aut impudicas habeat. ſiue deniq; ab eis, quorum infamia ad ſe pertinet, ut ſi filius improbè ſe gerat, aut diſcipulus, aut ſeruus. hæc enim omnia pudorem & uerecundiam afferunt.

Tales autem ſunt ij, quos prædiximus; & præterea qui ex ipſis pendent, ut quorum magiſtri, aut conſiliarij fuerunt, TEXT.

Non ſolum peccata maiorum, cognatorum, & affinium pudorem afferunt, ſed etiam eorum qui à nobis pendent, ut eorum quos docuimus, aut quibus conſilium dedimus. tales. n. plerunque diſcipuli ſolent eſſe, quales eorum magiſtri, quo fit ut diſcipulorum peccata ſæpe in magiſtrorum infamiam recidant. idem eſt de conſultoribus ſentiendum, unde prouerbium, Malum conſilium cõſultori peſſimum. Polycrates in accuſatione Socratis, illi ut probrum obiecit, quod Alciabiadem turbulentum & pernicioſum ciuem diſcipulum habuiſſet. COMM.

Præterea pudore afficiuntur, qui pares aliquos ſimileſque habent, quibuſcum de honore ac dignitate certant: multa enim, eorum uerecundia commoti, faciunt, & multa etiam prætermittunt. TEXT.

Honoris dignitatiſque contentio, multò uigilantiores homines reddit. Itaque ſolent ij, qui de honore dignitateque cum alio contendunt, pudore affici ſiquando ſuperantur. multa igitur faciũt, quę ſine æmulo nequaquam facerent, & multas ẽt voluptates pretermittunt, quas niſi æmulũ haberent, ſequerentur. hæc autem contentio eſt hominibus utiliſſima, ſicuti ſcribit Heſiodus. nam certare glorioſius eſt, quam omnino aduerſarium non habere. COMM.

Et cum in conſpectu eorum futuri ſunt, & cũ eis uerſaturi, qui peccati conſcij ſunt, magis etiam tunc uerecundantur: unde Antipho poeta, cum iuſſu Dionyſii ad ſupplicium duceretur, & uideret alios, qui una ſecum erant morituri, cum è carcere exirent capita obuoluere; dixit, quid eſt quod capita obuoluatis? an ueremini, ne quis horum cras uos uideat? TEXT.

Augetur verecundia cum ii, qui ignominiam paſſi ſunt, cum eis uerſantur, qui ſceleris conſcij ſunt, unde ſæpe fit, ut qui dedecus patiuntur, patriam deſerant, & in alias regiones quaſi exulatũ proficiſcantur. quod eleganter Virgilius. 3. Geor. ad tauros tranſtulit. COMM.

Victus abit, longeque ignotis exulat oris
Multa gemens, ignominiam, plagaſque ſuperbi
Victoris.

Hoc autem Ariſtoteles, Antiphontis exemplo probat, qui cum ad ſupplicium duceretur, una cum aliis quibuſdam dãnatis, & uideret alios obuoluere capita ne agnoſcerentur à circumſtantibus, eos quodammodo reprehendit, quòd pudore afficerentur, cum opus non eſſet, cum eſſent è uita diſceſſuri, & quaſi in exilium abituri. non opus eſt (inquit) ut uerecundemini, cum nemo eorum, qui nunc adſunt, cras ſis

uos uiſurus. Antiphô primo poeta tragicus fuit, deinde cæpit orationes conſcribere, & Thucydidis magiſter fuit. primus autem omnium in iudicio pro ſe optimè dixit, ut auctor eſt Quintilianus. ſed cum legatione fungeretur, Syracuſas nauigauit, quo tempore Dionyſius in Sicilia rerum potiebatur, & cum in conuiuio Dionyſij quæreretur quod nam æs præſtãtiſſimum eſſet, aliis aliud approbantibus, Antipho præſtare illud omnibus dixit, quo ſtatuæ Harmodij & Ariſtogitonis eſſent conflatæ. quo dicto Dionyſius ita exarſit, ut interfici hominem iuſſerit. honeſtiſſimi autẽ homines etiam in ipſa morte prouident, nequid indecorè faciant, & uerecundè mori ſtudent, quod Suetonius de Iulio Cæſare ſcribit, cum ita inquit, Vtque animaduertit undique ſe ſtrictis pugionibus peti, toga caput obuoluit, ſimul ſiniſtra manu ſinum ad ima crura deduxit, quo honeſtius caderet etiam inferiore corporis parte uelata.

TEXT. *De uerecundia igitur hæc dicta ſint. quæ uero ad inuerecundiam pertinent, ex contrarijs erunt manifeſta.*

COMM. Declarata ſunt ea, quæ ad uerecundiã ſpectãt, quod ſiquis de inuerecundia ſcire uelit, aut dicere, is contraria conſideret. contrariorum enim cõtraria ſunt conſequentia. & eadem eſt doctrina contrariorum.

TEXT. *Quibus autem hominibus gratiam habeamus, & quibus de cauſis, & quomodo affecti, tunc erit perſpicuum, cum gratiam ipſam definiuerimus.*

COMM. Iam tranſit ad gratiam & beneficium, & eundem oſtendit ordinem ſe ſeruare uelle, quem etiã in ſuperioribus obſeruauit. primò enim docebit, quibus hominibus gratiã habeamus, deinde quas ob cauſas, poſtremo quomodo affecti. quæ tria nõ ſatis benè percipi poſſunt niſi prius explicatum fuerit, quid ſit ipſa gratia, quare in primis gratiam definit.

TEXT. *Sit igitur illa gratia, per quam, is qui facultatem habet, dicitur egenti beneficium ſuppeditare, nõ quod aliquid iam acceperit, neque quòd utilitatem aliquã inde ſperet, ſed tantum ut illi commodet, cui beneficium tradit.*

COMM. In hac deſcriptione gratiæ, quatuor ſunt aduertenda, primò non eſſe gratiam, niſi cum beneficium egenti datur. ſecundo non eſſe gratiam, cum aliquid ei damus à quo iam acceperimus. Tertio non eſſe gratiam, ex qua utilitatẽ ſperamus. Quarto non eſſe gratiam, niſi quæ ab animo commodãdi & benefaciendi proficiſcitur. Eſt igitur gratia, cum indigenti ſuccurrimus, à quo nihil acceperimus, & à quo nihil ſperamus, ut illi commodemus, & benefaciamus. hæc quidẽ proprie eſt gratia, ſed communiter etiã gratia capitur pro remuneratione, & pro remunerandi uoluntate. Itaque Cicero ſecundo de Inuentione, Gratiam dicit eã eſſe, quæ in memoria, & remuneratione officiorum, & honorum, & amicitiarum obſeruantiam teneat. Sed hic Ariſtoteles gratiam eam definit, quæ proprio nomine beneficium dicitur.

TEXT. *Magna uero illa gratia eſt, quæ ualde egentibus præſtatur: uel quæ magna & ardua tribuit, uel quæ opportunè fit, uel quam aut ſolus, aut primus, aut copioſè præſtitit.*

COMM. In beneficio tria ſunt, nempe qui accipit, quod datur, & qui dat. & ex horum trium conditione angetur beneficium. Ac primo quidem quanto magis indiget is, qui accipit, tãto maius beneficium uidetur, ut qui ualde eſurienti cibum ſuppeditat, aut nudo ueſtem, aut qui e carcere liberat, aut à prædonibus redimit. Secundo, quod datur, quanto maius eſt, aut difficilius, aut opportunius, tanto etiam magis beneficiũ augetur, ut qui multas pecunias donat, aut magiſtratus, aut imperia, uel qui in maxima penuria frumentum largitur. Tertio qui dat, beneficium auget, ſi uel ſolus dat, uel primus, uel copioſè. hæc omnia tangit Aeneas apud Virgilium primo Aeneidos, cum Didonis beneficium amplificare uult, ſic enim ait.

O ſola infandos Troiæ miſerata labores,
Quæ nos relliquias Danaum, terræque, mariſque
Omnibus exhauſtos iam caſibus, omniũ egenos
Vrbe, domo ſocias.

TEXT. *Indigentiæ uero ſunt appetitiones; atque illæ præcipuè quæ nos angunt, cum eas explere nõ poſſumus.*

COMM. Quia dixerat magnam illam eſſe gratiam, quæ valde egentibus præſtatur, nunc declarat qui ſint indigentes, & in quos hoc nomen indigentiæ cadunt. neque enim tantum pauperes ſunt indigentes, ſed quicunque aliquid uehementer appetunt. Itaque omnis appetitio quædam eſt indigentia, cum ea tantum appetamus, quæ nondum habemus, ſed præter cæteras, illę appetitiones, quæ nobis dolorem afferunt, cum eas non poſſumus explere, uocantur indigentiæ, ut cum quis fameſcit, aut ſitit, neque tamen cibum aut potum habet.

TEXT. *Tales ſunt omnes cupiditates, ut amor:*

COMM. Cupiditates omnes effrenatæ, quæ ad uoluptatem feruntur, cum ſatiari non poſſunt, dolorem & moleſtiam afferunt, ut amor. ponit autem Ariſtoteles hoc exemplum, quia nulla eſt acrior cupiditas quam amoris. qui nonnunquam ita hominem immutat, ut non cognoſcas eundem eſſe, ſicut ait comicus. ita magnum ſe accipere beneficium exiſtimant ij, qui cum amant, adiutores habent, ut amata re potiantur. Sic ille Terentianus Cherea lætitia exultans clamat ò Parmeno mi, ò mearum uoluptatum omnium inuentor, inceptor, perfector.

TEXT. *Et cum quis eſt in aliquo dolore corporis, aut in periculo, nam qui periclitatur, & qui dolet concupiſcit.*

COMM. Auxilio indigent illi, qui vel corporis dolorem aliquem habent, uel animi, ut qui ſunt in morbo, aut periculo. cupiunt enim ſani, atque incolumes eſſe. Quare beneficium magnum eſſe putant, cum quis eos aut à morbo, aut à periculo liberat.

ita

ita Græci diuinos honores Hippocrati donarunt, quod eos à peſte liberaſſet. & Cicero Lentulum auctorem, parentem, Deum ſuæ ſalutis appellat, quod is conſul ab exilio reuocandum Ciceronem eſſe cenſuit.

TEXT. *Atque hac de cauſa qui paupertate premuntur, & qui in exilio ſunt, ſiquis eis in minimis etiam rebus ſubueniat, propterea quod multum indigent, & in tali tempore conſtituti ſunt, magnum ſe beneficium accepiſſe exiſtimant.*

COMM. Auxilium quod pauperibus, & exulibus præſtatur, quamuis ſæpe re ipſa minimum ſit, tamen plerunque maximum exiſtimatur propter egeſtatē, & propter temporis opportunitatem. ut Ciceró pro Cn. Plancio plurimum amplificat ea, quæ Plācius exuli ſibi beneficia dederat, & longè maiora facit quā re uera fuiſſent, unde aduerſarij dixerūt eum, arcem ex cloaca facere, & ſaxum e ſepulchro uenerari pro Deo.

TEXT. *Vt qui ſtoream in Lycio præbuit.*

COMM. Hoc exemplo probat Ariſtoteles res etiā minimas indigentibus & exulibus plerunque magnas uideri. licet autem hiſtoria ſit ignota, neque ſatis conſtet, quinam præbuerit illā ſtoream in Lycio, aut qui acceperit, tamen ſenſus eſt apertiſſimus: Quidā (inquit) cū in Lycio, quod erat gymnaſium Athenis, exulē & pauperem humi cubantē uidiſſet, miſericordia motus, ſtoream illi præbuit, quā ſibi pauper & exul ille pro lectulo ſubſterneret: atq; hoc magnū ab eo beneficiū exiſtimatū fuit.

TEXT. *Oportet igitur in huiuſmodi rebus ac temporibus ſubuenire. uel ſi non ſint eiuſmodi modo ſint aut paria, aut maiora.*

COMM. Qui ſibi aliquem obligare beneficio uolunt, ij tria potiſſimū tempora gratificandi obſeruare debent, hoc eſt uel cum in maximo aliquo deſiderio eſt, uel cū dolore corporis premitur, uel cum periculis afflictatur. nam tribus his rebus ſubuenire optatiſſimū & gratiſſimum eſt. Si uero alia tempora ſubueniendi contigerint, quæ non ſint huius generis, modo ſint paria, vel maiora ſtatim ēt ſubueniendum eſt. ut cum de honore agitur, aut cum de abſentis fama ſine cauſa detrahitur, & ſi qua ſunt eius generis.

TEXT. *Cum igitur planum factum ſit, & quando, & quibus in rebus beneficium fiat, & quomodo affecti ſint ij, qui faciunt: perſpicuum eſt etiam his rationibus præparandos eſſe auditores, ut demonſtret orator, hos quidem aut eſſe, aut fuiſſe in huiuſmodi triſtitia atque indigentia; illos autem in tali neceſſitate ſuppeditaſſe aliquid, quod eos ſubleuare poſſet.*

COMM. Oſtendit quomodo poſſint ea, quæ dicta ſunt, oratori in dicendo prodeſſe, cum enim & tempus, & res, & animus cognoſcitur ab oratore, facile poteſt ex eis auditores præparare, atque illis perſuadere, maximum beneficium eſſe collatum. ut ſi docuerit eos, qui acceperunt, in dolore, aut egeſtate fuiſſe, qui uero dederunt, in tempore præſto fuiſſe, atque auxilio ſuo ſubleuaſſe. Sic amplificat Cicero Philippica tertia Cæſaris Octauiani beneficium erga Remp. quòd cum in maximo periculo ciuitas eſſet, ſtatim ei ſubuenerit, ſic enim ait. C. Cæſar adoleſcens, penè potius puer incredibili ac diuina quadam mente, atque uirtute, tum, cū maximè furor arderet Antonij, cumque eius à Brunduſio crudelis, & peſtifer reditus timeret, nec poſtulantibus, nec cogitantibus, nec opinātibus quidem nobis, quia fieri poſſe non uidebatur, firmiſſimum exercitum inuicto genere Veteranorum militum comparauit, patrimoniumque ſuum effudit, & cætera.

Ex his etiam facile perſpici poteſt, quomodo remoueri gratia poßit, & effici ne beneficium præſtitiſſe uideantur. uel enim dicemus eos commodi ſui gratia ſubuenire, aut iam ſubueniſſe, quod beneficium uocari non debet, uel caſu, fortuitoque accidiſſe, uel neceſſitate coactos ſubueniſſe. TEXT.

Docet quomodo beneficium uel prorſus tollere, uel ſaltem eleuare atque imminuere poſſimus, ita ut neque beneficium uideatur. nam primo qui beneficium dat, commodum & utilitatem eius, cui dat, non ſuam ſpectare debet. cum igitur tollere beneficium uolemus, probare conabimur eum qui aliquid dedit, tantum commodi ſui gratiā dediſſe, ut ſiquis ei ſubueniat, à quo lòngè plura ſit reportaturus, non enim ille beneficiū dat, ſed fœnerat. præterea beneficium conſultò & dedita opera fieri debet, quæ uerò caſu fortuitoque accidūt, ea minimè beneficia ſunt: Itaque cū eleuabimus beneficium, dicemus id caſu ac fortuito accidiſſe. ut qui carcerem fregit, quo patrē liberaret, & una cum patre multos etiam liberauit. Ad hæc, beneficium non eſt, niſi uoluntarium, quod autem fit ex neceſſitate, beneficiū nō appellat. dicemus igitur neceſſitate coactum profuiſſe, ut qui uicinum incendium extinguit, ne ipſe cum tota domo conflagret, uicino quidem profuit, ſed coactus, ideo nihil ei uicinus debet. COMM.

Vel eos beneficium reddidiſſe, non autem dediſſe, ſiue illi ſe debere ſcirent, ſiue ignorarent, nam utroque modo aliquid pro aliquo redditur: quare neque hoc modo beneficium eſt. COMM.

Qui prius ab aliquo beneficium acceperunt, cum illi poſtea ſubueniunt, non dicuntur beneficium dare, ſed reddere. ergo qui remouere gratiam cupit, dicet eum qui benefecit, beneficium reddidiſſe, non autem dediſſe. quia propter merita in ſe alias collata deuinctus erat. nihil autem refert, utrum ille ſciat ſe debere, an ignoret. nam utroque modo ſiue ſciat, ſiue neſciat, quod acceperat, reddere uidetur, itaque hoc beneficium dici non oportet. Atque hac de cauſa filii, quamuis pluribus in rebus parentes adiuuent, nunquam tamen illis beneficium dare propriè dici poſſunt, quia debent eis omnia, neque unquam parem referre gratiam valent. TEXT.

Singula etiam ſumma genera conſideranda ſunt: nam beneficium eſt, uel quod rem hanc tradidit, uel tantam, uel talem, uel tali tempore, uel in opportuno loco. TEXT.

COMM. Beneficium uel augeri, uel minui dicendo poteſt, ſiquis ipſa ſumma genera, quæ categoriæ vocantur, diligenter conſideret, vt in ſubſtantia primo, quid datum ſit. utrum cibus, an veſtis, an pecuniæ, an conſilium, nam hæc inter ſe ſpecie differunt, & aliis alia uel maiora uel minora ſunt. in quantitate conſideratur beneficij magnitudo, ut maius eſt beneficium centum aureos egenti donare, quam uiginti quinque. in qualitate ſpectatur bonitas & utilitas ipſius beneficii nam aliud alio melius & vtilius eſt. ut principibus longe melius beneficium dat, qui benè conſulit, quam qui munera precioſa largitur. tempus etiam in beneficio dando plurimum ualet, cum cito fit & opportune, unde illud, Bis dat, qui cito dat. & Auſonius

Gratia quæ tarda eſt ingrata eſt gratia, namque
Cum fieri properat, gratia grata magis.

Denique locus etiam ſæpe auget aut minuit beneficium, ut gratius interdū eſt quod extra patriam degēti datur, quam quod in patria, quod in villa, quam quod in urbe, nonnunquam etiam contra.

TEXT. *Signum autem non beneuoli animi eſt, ſi in re minori non ſubuenerunt: aut ſi inimicis eadem commoda, uel æqualia uel maiora tribuerunt. tunc enim perſpicuum eſt, eos noſtri cauſa nequaquam ea feciſſe.*

COMM. Nōnulla ſigna colligit, quibus cognoſcere poſſimus eum, qui nobis aliquid dedit, nequaquam beneficium dediſſe, ut ſi alias rem maiorem nobis conceſſit, deinde nolit minorem concedere. hoc enim ſignum eſt neque illam priorem benefaciendi nobis gratia tribuiſſe. ſed aliam fortaſſis ob cauſam. nam qui maius beneficium dat, multo facilius quod minus eſt, dabit. vt qui uitā pro amico periculis exponit, longe facilius pecunias profundet. quod ſiquis pro altero uitæ periculum ſe ſubiiſſe dicat, deinde eidem pecunias aliquas roganti non tribuat, certum eſt, neque pro illo uitæ periculum ſubiiſſe. præterea ſi uel eadē, uel æqualia, uel maiora conceſſit inimicis, non eſt putandus nobis dediſſe beneficium. nam planum eſt, eū nequaquam amore noſtri ductum ea tribuiſſe, ſed alia quædam ſecutum. ut Cicero nequaquā ab Antonio ſe beneficium accepiſſe uult, quod illi uitā Antonius cōceſſiſſet, quam adimere poterat. hoc enim ſæpe etiam hoſtibus conceditur.

TEXT. *Vel ſiquis ſciens res uiles & abiectas tribuat, nemo enim eſt, qui ſe uilibus & abiectis rebus egere fateatur.*

COMM. Qui pecunias adulterinas, aut equum morboſum donat, ſciens eſſe talem, non dicitur beneficium dare. quis enim eſt qui ſe rebus eiuſmodi fateatur indigere? neque quiſquam ei deuinctus eſſe uult, qui res uiles & abiectas tribuit, ut oleret, poma quæ plerunque vilia ſunt, ut Calabri hoſpitis munera de quibus ita Horatius,

Non quo more pyris neſci Calaber iubet hoſpes
Tu me feciſti locupletem, ueſcere ſodes,
Iam ſatis eſt, at tu quantum uis tolle benigne
Non inuiſa feres pueris munuſcula paruis,
Tam teneor dono quam ſi dimittar onuſtus
Vt lubet hæc hodie porcis comedenda relinques.

Ac de gratia quidem collata, aut non collata, ſatis dictum eſt. TEXT.

More ſuo concludit, ut ad alia tranſeat. dictum eſt (inquit) quomodo poſſit intelligi, utrum quod datur, beneficium ſit nec ne. COMM.

Quæ autem res miſerabiles ſint, & quorum hominum miſereamur, quomodoque ipſi affecti deinceps dicamus. TEXT.

Cum de miſericordia ſit uerba facturus, proponit ea tria, quæ & in cæteris animi commotionibus quærenda eſſe cenſuit. primò quæ res ſint illæ, quæ miſericordiam excitare ſoleāt; deinde qui ſint homines miſericordia digni, poſtremo quomodo affecti miſericordia moueamur. ſed prius miſericordiam ipſam definit, ut quæ propoſita ſunt, facilius explicentur. COMM.

Eſt autem miſericordia quædam ægritudo, ſuſcepta ex opinione mali, quod aut interitum, aut dolorē afferat ei, qui illa fortuna ſit indignus. TEXT.

Hæc eſt miſericordiæ definitio, quam ita Cicero expreſſit Tuſcul. 4. Miſericordia eſt ægritudo ex miſeria alterius, iniuria laborantis. naſcitur autem ab opinione mali non cuiuslibet, ſed eius tantum, quod uel interitum afferat, uel dolorem. interitum, ut ſi utrum innocentem iniuſtè torqueri uideamus, aut crudeliter ab hoſtibus interfici, ſtatim eius miſericordia commouemur. dolorem, ut ſiquis in exilium mittatur, & à parentibus atque amicis diſtrahatur, aut aduerſa fortuna uexetur. hinc rhetorum campi in Epilogis ſeu perorationibus, qua in re præcipuè dominatus eſt Cicero. ut ſæpe Iudices etiam ipſos flere cogeret, & ad miſericordiam animos eorum impelleret. COMM.

In quod quidem malum fieri poſſe putamus, ut uel nos incidamus, uel eorū aliquis, qui cari nobis eſſe debent: & præſertim cum id malum propinquum eſſe uidetur. TEXT.

Cogitatio proprij periculi maiorem concitat miſericordiam. cum enim aliquem in eam calamitatem ueniſſe uidemus, in quam uel nos, vel aliquis ex noſtris amicis incidere potuiſſet, uehemēter miſereri ſolemus. & præcipuè quando non lōgè à nobis, uel à noſtris eam miſeriam abeſſe putamus. ut Aeneas decimo Aeneid. apud Virgilium cum Lanſum Mezentij filium interemiſſet, recordatus Aſcanij filij ſui, cui talis calamitas euenire potuiſſet magna commotus eſt miſericordia. ſic enim ait poeta, COMM.

At uero ut uultum uidit morientis & ora
Ora modis Anchiſiades pallentia miris
Ingemuit miſerans grauiter, dextramque tetendit.
Et mentem patriæ ſubiit pietatis imago.

Qui vero miſericordiam mouere uolunt, ſolent ea commemorare, quę uel ipſis, quos rogant, uel eorum amicis accidere potuiſſent, ut Turnus in 12. Aen. fuit & tibi talis
Anchiſes genitor, Dauni miſerere ſenectæ.

TEXT. *Illud enim planum eſt, neceſſe eſſe ut is, qui moueri miſericordia debet, talis ſit, ut aliquid mali pati poſſe exiſtimet aut ſe, aut ſuorum quempiam: & malum eiuſmodi, quale dictum eſt in definitione, aut illi ſimile, aut propinquum.*

COMM. Miſericordiam Ariſtoteles proficiſci uult ex cõſcientia propriæ infirmitatis. nam qui talis eſt ut nihil ſe pati poſſe exiſtimet, alterius miſericordia non mouetur, quales ſunt Tyranni, & præferoces homines, & nimium ſibi arrogantes, uel qui nihil vnquam mali paſsi ſunt. bene enim apud Virgilium Dido. 1. Aen. ait,

Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.

Qui igitur intelligit & ſe, & ſuos fortunæ telis obiectũ eſſe, & facile fieri poſſe, ut aut ipſe, aut eius amici in ſimilem calamitatem incidant, is ad miſericordiam procliuis eſſe ſolet.

TEXT. *Atque hac de cauſa, qui penitus afflicti ſunt, miſericordia non mouentur; nihil enim amplius ſe pati poſſe exiſtimant cum iam perpeſſi ſint: & qui ſe ualdè fortunatos exiſtimant. nam hi potius contumelioſi ſunt; cum enim omnia ſibi adeſſe bona cenſeant, planum eſt eos non timere, ne aliquid mali patiantur; nam hoc etiam ipſum in bonorum numero eſt.*

COMM. Ex ſupra poſita miſericordiæ definitione colligit duo eſſe genera hominum qui miſericordia nõ mouẽtur. primũ eorum, qui penitus afflicti ſunt, alterum eorum, qui perbeati ſibi uidentur. nã afflicti homines & ingentibus malis oppreſſi, cum nullum amplius malum grauius extimeſcant, omnem penitus humanitatem exuunt, & immites, atque efferati fiunt. & quadam deſperatione ducti, nihil neque Deos, neque homines verentur, itaq; neque cuiuſquam miſerentur. At verò qui valdè fortunati ſunt, ad contumeliã potius quam ad miſericordiã inclinare ſolent. putant.n. nihil ſibi deeſſe, quod ad iucundam & felicem uitam attineat, quo fit, vt reliquos omnes, præ ſe contemnant, & nihil omnino pertimeſcant, quia neminẽ ſibi nocere poſſe putant. nam hoc etiam inter cætera bona connumerantur, cum quis nõ timet, ne aliquid ſibi mali contingat. timor.n. felicitatẽ minuit. Qđ aũt penitus afflicti non miſereantur, declarant hiſtoriæ, in quibus uidemus aliquando contigiſſe, vt in obſeſsis vrbibus parẽtes fame coacti ꝓprios filios deuorarint, & plerunque ne in hoſtium poteſtatem deuenirent, proprijs manibus interfecerint. de fortunatis hominibus non dubiũ eſt, quin pleriq; contumelioſi ſint, & immites, atque à miſericordia alieni. ſed qui neque penitus afflicti, neq; ualde fortunati, qualis hominũ maxima pars eſt, ij facile miſericordia mouentur, nam (vt ait Iuuenalis) molliſsima corda Humano generi dare ſe natura fatetur

Quæ lachrymas dedit, hæc noſtri pars maxima ſenſus.

TEXT. *Ii uero putant ſe in aliquod malum cadere poſſe, qui antea paſſi quidem ſunt, ſed incolumes euaſerunt.*

COMM. Cũ dixiſſet eos miſericordes eſſe ſolere, qui putant ſe, aut ſuos in aliquod malum cadere poſſe, nunc incipit exponere, quinam ſint eiuſmodi homines. ac primo ponit eos, qui mala ſunt aliás experti, licet poſtea liberati fuerint. tales enim præteritas miſerias in memoriã reuocantes, & de futuro tempore ſoliciti, facere non poſſunt, quin afflictorũ miſereantur, præcipuè ſi eos innocentes eſſe intelligant. unde Sinon ille Virgilianus, ſe innocentem fingit, ut facilius Troianos ad ſui miſericordiam moueat,

--miſerere laborum
Tantorum, miſerere animi non digna ferentis.

Cum autem Troiani multa mala fuiſſent experti, facile eius miſerti ſunt, vnde ait Aeneas,

His lachrymis vitam damus, & miſereſcimus vltro.

TEXT. *Atque etiam ſenes cum propter prudentiam tum propter uſum multarum rerum.*

COMM. Senes timidi & miſericordes eſſe ſolent, atque hoc duabus de cauſis, primò quia iuuenibus prudẽtiores ſunt, deinde quia plura ſunt experti, multasq́ue temporum varietates viderunt. ideo multarum calamitatũ memores facile lachrymas fundunt, & miſerentur. hoc eſt quod Virgil. 2. Aen. innuit, cum ita ait,

Ipſe viro primus manicas atque arcta leuari
Vincla iubet Priamus.

TEXT. *Et imbecilli, & ij, qui natura timidiores ſunt.*

COMM. Imbecilli hoĩes & natura timidiores, cũ ſe iniurijs expoſitos intelligant, & aliorum aduerſam fortunam vident, miſericordia cõmouentur, cogitant enim facile fieri poſſe, ut in idem malũ incidant. hac de cauſa pueri, & mulieres magis affici miſericordia ſolent, quam viri, quia natura timidiores ſunt, & imbecilliores.

TEXT. *Et qui doctrina exculti ſunt. nam hi res humanas bene reputant.*

COMM. Eruditi uiri fortunæ inconſtantiã & mutabilitatem conſiderantes, & humanarũ rerũ varietatem, intelligunt omnibus fortunæ telis hominum uitã expoſitam eſſe, uariaſque nobis ſemper miſerias imminere, quare miſerari afflictos & ſubleuare cõtendunt. quãuis de uiro bono Virgilius ita dicat,

--miſeratus egentem
Cur aliquem fracta perſenſi mente dolorem.

quaſi uir bonus miſericordia moueri non debeat, ſed uel ex Stoicorum ſententia locutus eſt, uel docet non ita miſereri oportere, ut fracta mente eſſe uideamur. nam quicquid nimium eſt, improbatur.

TEXT. *Et qui parentes, aut liberos, aut coniuges habent, hæc enim ipſorum ſunt, & prædictis malis expoſita.*

COMM. Magnũ eſt vinculum parentum, liberorum, & coniugum. nam fieri non poteſt, vt qui, vel parentes, vel liberos, vel coniugem habet, modo ſit humanus, non de illis ſolicitus ſit, cum intelligat eos ex ſe pendere, & multis malis expoſitos eſſe. quare cum aliorũ parentes, aut liberos, aut coniuges in calamitate videt, de ſuis cogitans, ſubito miſeri

cordia

cordia cōmouetur. ſic Aeneas apud Virgilium cū Priamum interfici uideret, ſtatim ſuorum recordatus horrere cœpit, & de illis ſeruandis cogitare, ſic enim ait,

At metum primum ſæuus circunſtetit horror
Obſtupui, ſubijt cari genitoris imago,
Vt regem æquæuum crudeli uulnere uidi
Vitam exhalantem, ſubijt deſerta Creuſa
Et direpta domus, & parui caſus Iuli.

TEXT. *Et qui in fortitudinis affectione non ſunt, ut in iracundia, aut confidentia, nam huiuſmodi affectiones quid futurum ſit non cogitant.*

COMM. Qui neque nimiū iracundi ſunt, neque nimiū confidentes ad miſericordiam haud difficulter inclinant. ſed contra illi, in quibus magna eſt iracundia, aut confidentia, uix commoueri ad miſericordiā poſſunt, nā cum ita ſunt affecti, non cogitant, quæ ſibi mala poſsint euenire. uocat autem Ariſtoteles iracundiam & confidentiam fortitudinis affectiones, quia peripatetici, ſicuti ſcribit Cicero, dicebant iracundiam eſſe cotem fortitudinis, & animi cōmotiones utiliter hominibus à natura datas. quod autem iracundia tollat miſericordiam aperte Virgilius in 12. Aen. oſtendit, ubi Aeneas, cum iam inclinaret ad miſericordiam Turni, viſo Pallantis Baltheo quem Turnus interfecerat, ſtatim excandunt, & relicta miſericordia Turnum interfecit, ſic enim ait poeta.

Ille oculis poſtquam ſæui monumenta doloris
Exuuiaſque hauſit, furijs accenſus & ira
Terribilis, tu ne hinc ſpolijs indute meorum
Eripiare mihi?

TEXT. *Et qui nequaquam ad cōtumeliam procliues ſunt. nam contumelioſi non cogitant, ſe malum aliquod pati poſſe. ſed qui inter hos interiecti ſunt.*

COMM. Qui ab omni cōtumelia uacui ſunt miſereri ſolent. ipſa enim cōtumelia uim omnē miſericordiæ tollit, ſiquidē contumelioſi homines nihil de ſuis malis cogitant, neminē. n. ſibi nocere poſſe exiſtimant. itaque fortiter facere contumeliam perſeuerant, quales ſunt Tyranni, qui ſine ulla miſericordia crudeliter homines necant, ut ille Mezentius, de quo ita Virgilius in 8.

Mortua quin etiam iungebat corpora uiuis
Componens manibuſque manus, atque oribus ora
Tormenti genus, & ſanie, taboque fluentes.
Complexu in miſero longa ſic morte necabat.

Qui uero ſunt inter hos interiecti, hoc eſt, qui neque in iracundia, & confidentia magna ſunt, neque contumeliæ uitio laborant, ij miſericordes eſſe ſolent, quales oſtendit Virgilius in 9. Troianos fuiſſe cum Euryalus abiturus matrem ſuam Aſcanio commendaret,

—Perculſa mente dedere
Dardanidæ lachrymas, antè omnes pulcher Iulus,
Atque animum patriæ ſtrinxit pietatis imago.

TEXT. *Præterea qui plurimum reformidant, & magno pauore conſternati ſunt, miſericordia non mouentur, quoniam de propria ſalute ſoliciti ſunt.*

Sicuti magna confidentia, ita magnus etiā timor miſericordiam omnem expectorat. cum. n. quis in ſummo timore conſtitutus eſt, de ſua tantum ſalute cogitat, & quid alijs accidat non multum aduertit. Cicero libro Tuſcul. tertio ita ſcribit, Conſtabat eos qui concidentem uulneribus Cn. Pompeiū uidiſſent, cum in illo ipſo acerbiſsimo, miſerrimoque ſpectaculo ſibi timerent, quod ſe claſſe hoſtiū circunfuſos uiderent, nihil tum aliud egiſſe, niſi ut remiges hortarentur, & ut ſalutem adipiſcerentur fuga, poſteaquam Tyrum ueniſſent, tum affictari, lamentarique cepiſſe.

TEXT. *Sunt autem illi miſericordes, qui putant aliquos aequos ac bonos eſſe. nam qui neminem probum eſſe putat, is omnes homines malo dignos eſſe indicabit.*

COMM. Non poteſt miſericordia cōmoueri, niſi quis de aliquibus bene ſentit, & putat bonos eſſe uiros atque calamitate indignos. qui. n. eam opinionē concepit, ut neminē penitus inueniri poſſe bonū uirū exiſtimet, is nullius miſeretur, cum omnes malo dignos eſſe iudicet. talis fuit olim Athenis Timon ille cognomento μισάνθρωπος, qui omnes oderat homines. & ex aliorū calamitatibus uoluptatem percipiebat. Cicero Tuſcul. 4. cum ita miſericordiam definiuiſſet, Miſericordia eſt ægritudo ex miſeria alterius iniuriam laborantis, ſubiunxit eā rationē, nemo enim parricidę aut proditoris ſupplicio miſericordia commouetur. Itaque opus eſt, ut qui miſericordia commoueri debeat ob alicuius calamitatem, eum bonum eſſe uirum, & ea calamitate indignum exiſtimet.

TEXT. *Atque omnino talis eſt quiſque, cum recordatur ſibi, aut ſuis eiuſmodi mala eueniſſe, uel timet ne aliquando aut ſibi, aut ſuis eueniant.*

COMM. Concludit ea, quę ineſſe nobis oportet, ut ad miſericordiam moueamur, quę tria ſunt. primū ut eū qui patitur, bonū eſſe uirū putemus. alterum, ut recordemur aut nos, aut noſtros in ſimilē calamitatē olim incidiſſe. tertiū ut cogitemus fieri poſſe, ut aliquando uel nos ipſi, uel aliquis ex noſtris, in idē malum incidat. Sed nihil eſt quod maiorē miſericordiā cōmoueat, quam cū innocentes homines propter improborū ſcelera patiuntur, ut Cicero 3. Actione in Verrem de ſupplicio Philodami atque eius filij, Quid lachrymarum ipſum Neronem putatis profudiſſe? quē fletum totius Aſiæ fuiſſe? quē luctum & gemitum Lampſacenorum? ſecuri eſſe percuſſos homines innocentes, nobiles, ſocios populi R. atque amicos propter hominis flagitioſiſsimi ſingularem nequitiam, atque improbiſsimam cupiditatem?

TEXT. *Quo modo igitur affecti homines miſericordia moueantur, dictum eſt.*

COMM. Iam primam partem huius affectionis ſe abſoluiſſe oſtendit, & docuiſſe, qualiter oportet eos affectos eſſe, qui miſericordia moueri debeant, reſtant etiam duę partes, hoc eſt quæ ſint res miſerabiles, & quorum hominum miſereri ſoleamus.

Quæ uero miſerabilia ſint, ex definitione ſatis patet, quæ enim ægritudinem & dolorem aſſerunt, & ad in-

ad interitum perducunt, omnia miſerabilia ſunt, & quæcunque perdendi uim habent, & quæ mala è fortuna proueniunt, magnaque ſunt.

COMM. Ex definitione miſericordiæ quã ſupra poſuit, intelligi poſſe ait, quæ res miſerandæ eſſe uideantur, vt tamen res apertior ſit, quatuor ipſe genera calamitatum ponit, quæ miſericordiam moueant. primum earum quæ ægritudinem adferunt, ut exilia, ſpoliationes, propinquorum mortes, infamiæ, cæteraq; eius generis. Secundum earum, quæ corpori dolorem & cruciatum important, ut tormenta, laniationes membrorum, mutilationes. Tertiũ earum, quæ perdendi uim habent, ut graues morbi, magna pericula. Quartum earum quæ à fortuna aduerſa naſcuntur, præcipuè ſi magnæ fuerint, vt de Priami calamitatibus poetæ fabulantur, & de Hecuba eiuſdem Priami uxore.

TEXT. *Quæ uerò dolorem adferunt, & interitum, ſunt mortes, uerbera, corporum uexationes, ſenectus morbi, & cibi penuria.*

COMM. Hic exempla quædam proponit, ut facilius intelligatur, quæ ſint res miſerandæ. mortes. n. primo ſolent miſericordiam excitare, uel eorum, qui mortui ſunt, vel eorum, qui ſunt in luctu. multi. n. mortuorum vicem dolent, & eos miſeros appellãt, plerique etiam eorum miſerentur, qui ſunt in luctu. ut in 9. Aen. Troiani non tantũ Euryali mortui miſerentur, ſed eius etiam matris miſerabiliter filij mortem lugentis,

Hoc fletu concuſsi animi, mæſtusque per omnes
It gemitus torpent infractæ ad prælia uires.

Sunt etiam aliquæ mortes nó miſerabiles, ſed glorioſæ, ut quæ pro patria appetuntur, de quibus ita Cicero. 1. Tuſcul. claræ uerò mortes pro patria oppetitæ, non ſolum glorioſę rhetoribus, ſed etiam beatæ uideri ſolent. verbera etiam & corporũ uexationes dolorem & interitum adferunt, vnde miſericordiam excitant. hanc rem copioſè perſequitur Cicero contra Verrem actione ultima, ubi plurimos docet à Verre per iniuriam crudeliter uerberatos, vexatos, atque omni cruciatu affectos. Senectus præterea calamitoſa facile miſericordiam excitat, vt Cicero pro M. Cælio, Cõſtituite nobis ante oculos huius etiam miſeri ſenectutem, qui hoc vno filio nititur. & quæ ſequuntur. Quin etiã morbi ſæpe interitum adferunt, ideo miſerabiles eſſe ſolent. nemo eſt enim tam inhumanus qui non amici ſui, graui morbo laborantis miſereatur. fames denique ac cibi penuria miſerabilis eſt. unde prouerbium, miſerrimum genus mortis eſt, fame mori. hac de cauſa etiam inopia miſerabilis, ut Cicero pro Rab. Poſth. Ecquis eſt ex tanto populo qui bona C. Rabirij Poſthumi nummo ſeſtertio ſibi addici velit? ſed miſerum me, quanto hæc dixi cum dolore, & reliqua.

TEXT. *Quæ à fortunæ proueniunt mala ſunt huiuſmodi, ut amicis penitus ſpoliari, aut cum paucis relinqui, quo fit ut miſerabile ſit, ab amicis, & familiaribus diuelli.*

COMM. Incipit enumerare fortunæ mala, ac primo loco ponit id qđ eſt grauiſsimũ, cũ quis amicis ſpoliatur, aut cum paucis relinquitur. quanto enim gratior & optabilior eſt bonorum virorum amicitia, tanto grauior & acerbior eſt eorum priuatio. vnde legimus etiam fortiſsimos viros in amicorũ funeribus multas profudiſſe lachrymas, uehementerq; animo perturbatos. quin cum ab amicis & familiaribus aliquis diſtrahitur, ac diuellitur, maximum dolorem & triſtitiam ſentit. Cicero pro Cn. Plancio, Atque (ut ſpero) nemo erit tã crudeli animo, tamq; inhumano, qui à me mei ſeruatorem capitis diuellat, ac diſtrahat. idem pro Milone, Sed quo eſt illa magis diuina virtus, eo maiore à te dolore diuellor. ſic etiam miſerabile eſt à patria diſcedere, ut Aeneas apud Virgilium,

Littora tũ patriæ lachrymans portusq; relinquo,
Et campos ubi Troia fuit.

Deformitas, imbecillitas corporis, membri alicuius priuatio. TEXT.

Miſerabiles ij ſunt, qui ualde deformes ſunt, & quaſi naturæ monſtra, quique maximè ſunt imbecillo corpore, aut morboſo, & qui membro aliquo priuati ſunt, & quibus manus amputatæ ſunt aut pedes. de his etiam Ethicorum. 3. meminit, & ait miſericordiam excitare, neque cuiquam obijci meritò poſſe, ſiquidem uel à natura, uel ab aliqua aduerſa fortuna prouenerunt. quod ſiquis uitio ſuo deformis fiat, aut imbecillo corpore, aut ſicui propter ſcelus aliquod aures aut manus amputentur, is certè nulla dignus erit miſericordia. at verò ſi taliá patiatur innocens ab inimicis, eius omnes boni miſerebuntur, ut Deiphobo Priami filio accidit, de quo ita Virgilius in 6. COMM.

Atque hic Priamiden laniatum corpore toto
Deiphobum uidit lacerum crudeliter ora,
Ora manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, & truncas inhoneſto vulnere nares.

Et unde bonum aliquod prouenire oportebat, inde malum accidere, atque hoc ſæpius euenire. TEXT.

Omnino miſerabile eſt, cum quis ex ea re malũ percipit, unde multum boni ſperabat, de qua re Cicero pluribus in locis conqueritur, quod cum patriam à Catilinæ coniuratione ſeruaſſet, & inde maximũ bonũ & tranquillitatẽ ſperaret, propter illud egregium factum ſuum in plurimas & turbulentiſsimas tempeſtates incidit. ſic Euryali mater apud Virgilium in 9. Aen. COMM.

— hoc mihi de te
Nate refers. hoc ſum terra mariq; ſecuta.

Et apud Catullum Ariadna de Theſeo à quo deſtituta fuerat, ita meritò conqueritur,

Certè ego te in medio verſantem turbine lęti
Eripui, ac potius germanum amittere creui,
Quam tibi fallaci ſupremo in tempore deeſſe.
Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibusque
Præda, neque iniecta tumulabor mortua terra.

Cicero pro Milone, Quodnam concepi tantũ ſcelus, aut quod in me tantum facinus admiſi Iudices, cum illa indicia cõis exitij, indagaui, pateſeci,

ptotuli s

protuli, extinxi. omnes in me meoſque redundant ex illo fonte dolores.

TEXT. *Et cum bonum aliquod tunc accidit, cum iam prodeſſe non poteſt, ut Diopithi, qui, cum ei à rege munera miſſa fuiſſent, mortuus eſt inuentus.*

COMM. Illud quoque miſerandũ eſt, cum eo tempore bonũ aliquod ſuperuenit, quo iam de re ſic actum, neque ullum amplius remedium reperitur, ut iam bonum illud nihil prodeſſe poſsit. hoc autem Ariſtoteles quadam hiſtoria probat. Diopithes in egeſtate longo tempore ſuit, multaq́; paſſus eſt, tandẽ Perſarum rex magna ad eum numera deſtinauit, quibus lautè copioſeq́; uiuere potuiſſet, ſed antequam ad eum munera deferrentur, diẽ ſuum obijt. itaque regis liberalitate frui non potuit, hoc omnino miſerandum eſt. Diopethes Athenienſis, ut ſuidas ex Aeliano citat, legẽ tulit, nt ſiquis ciuis Athenienſis in Piræo pernoctaſſet, extremo ſupplicio afficeretur. cum autem accidiſſet ut ipſe diutius in Piræo moratus exire non poſſet, & inuitus ibi pernoctare coactus eſſet, ab inimicis ſuis in iudicium uocatus, & condemnatus eſt. coniectare igitur licet, eum in exilium actum fuiſſe, atque diu rerum inopia laboraſſe, quo tempore id acciderit, quod Ariſtoteles boc loco memorat.

TEXT. *Et ſicui nihil unquam boni accidit, uel ſi accidit, eo frui non potuit.*

COMM. Miſerum eſt, nunquam à malis uacare, nihil vnquam boni percipere, miſerius etiam cum bonum aliquod accidit, eo frui non poſſe. ſunt. n. qnos aduerſa ſortuna perpetuo premit, ut Briſeis apud Ouidium clamat,

An miſeros triſtis fortuna tenacitet vrget.

quibus mala ex malis eueniunt, Cicero pto L. Sylla. Quid enim erat mali, quod huic ſpoliato honore, fama, ſortunis deeſſe videretur? aut cui nouæ calamitati locus ullus relictus eſſet? vrget eadem ſortuna quæ cæpit, repetit nouum mœrorem, non patitur hominem calamitoſum uno modo afflictum uno in luctu perire.

TEXT. *Atque hæc quidem, & cætera huiuſmodi ſunt, quæ homines ad miſericordiam mouent.*

COMM. Ex his (inquit) intelligi poteſt, quæ res miſericordiam excitent. licet enim non omnia cõmemorata ſint, tamen horum, quæ dicta ſunt, exemplo, reliqua etiam cognoſcuntur. itaque ſecunda pars huius tractationis eſt abſoluta, reſtat etiam tertia, quam deinceps explicat.

TEXT. *Miſerentur autem eorum, qui familiares ſunt, niſi forte ſint magna neceſſitudine coniuncti, nam hoi non aliter ac ſeipſos habent.*

COMM. In hac tertia parte quærit quinam ij ſint homines quorum miſereri ſoleamus, ac primò ſatis conſtat notorum nos, magis quam ignotorum miſereri. cum igitur familiaribus noſtris aliquid mali cõtingit, eornm miſericordia capimur. niſi ſorte conſanguinei fuerint, aut magna neceſsitudine coniuncti. tunc enim non tantum eorum miſeremur, ſed tanto dolore conficimur, quanto ſi nobis idem malum accidiſſet. ſic erga parentes, liberos, coniuges, fratres, affecti plerunq; ſumus, ut non minus eos, quam nos ipſos diligamus. maior igitur quædam nos tunc inuadit perturbatio, quam miſericordia, cum eos aduerſa aliqua ſortuna premit. quod accommodatiſsimo exemplo probat Ariſtoteles.

Itaque Amaſis, cum ad ſupplicium duci filium ſuũ uideret, lachrymas non effudit, ut fertur. cum autem amicum mendicantem conſpexiſſet, tunc illachrymauit: hoc enim miſerabile eſt, illud uero atrox ac terribile. TEXT.

COMM. Herodotus in Thalia narrat hanc hiſtoriã, ſed in hoc ab Ariſtotele diſſentit, quod non ab Amaſi ſactum hoc fuiſſe, ſed ab eius filio Pſammenito tradit. cum enim à Cambyſe Perſarum rege Pſammenitus captus fuiſſet, & regno ſpoliatus, in ea miſera ſortuna uidens & filiã ſuã ſeruili modo affectã, & filium miſerabiliter ad ſupplicium duci, nullam penitus lachrymã emiſit. at poſtea cum ueterẽ quẽdam amicũ ſuũ, qui valdè dines antea fuerat, bonis omnibus ſpoliatum, uideret in exercitu cibum mendicare, ſic indoluit, vt non ſolũ lachrymas ſunderet, ſed etiam frontem feriret. hoc autẽ poſtquã Cambyſi renũtiatũ fuiſſet, iuſsit à Pſammenito peti, cur pro amico lachrymaſſet, & non pro filia, neque pro filio. cui Pſammentus ita reſpondit, ò fili Cyri, mea domeſtica mala multò erant maiora, qnam ut ea deflere poſſem, at uerò amici ſortuna digna lachrymis ſuit, qui in extremo ſenectutis limine, ex plurimis opibus, ad ſnmmã venit inopiã. cum igitur bene reſpondiſſe uiſus fuiſſet, iuſsit eum Cambyſes ad ſe duci, & apud ſe deinceps in honore ſemper habuit.

Quod.n. atrox ac terribile eſt, differt ab eo, quod eſt miſerabile, quippe quod eijciendi miſericordiam uim habeat, & ſæpius in contrarium ualeat. TEXT.

Res atroces ac terribiles non modo miſericordiã non excitant, ſed etiã eã plerunqne ex animis eijcinnt, atque homines immites & quaſi efferatos reddnnt, quod elegantiſsime Cicero pro Roſcio Am. docet, ubi de crudelitate loquitur, his quidem uerbis, hanc pati nolite diutius in hac Rep. uerſari, quæ non modo id habet in ſe mali, quod tot ciues atrociſsimè ſuſtulit, uerũ ẽt hominibus leniſsimis ademit miſericordiã conſuetudine incõmodorũ. nã cũ omnibus horis aliquid atrociter fieri uidemus, aut audimus, ẽt qui natura mitiſsimi ſumus aſsiduitate moleſtiarũ ſenſum omnẽ humanitatis ex animis amittimus. hoc eſt quod ait Ariſtoteles, quod atrox eſt, ſæpius in contrariũ ualere, hoc eſt non modo non excitare miſericordiam, ſed etiã duros & inexorabiles homines reddere. COMM.

Mouentur etiam miſericordia, cum intelligunt rem atrocem eſſe propinquam. TEXT.

Cũ aliquẽ amicũ noſtrũ, aut ſamiliarẽ aut notũ intelligimus breui moriturũ, aut in aliquã grauem calamitatẽ incaſurũ, eius miſericordia cõmoueri ſolemus. bac arte rhetores in perorationibus utuntur, ut ante oculos ponant, quot miſeriæ reo ſint repente euenturæ ſi forte cõdẽnatus fuerit. ut Ci- COMM.

cero pro L. Murena, poſtquam enumerauit, quod mala Murenæ eſſent euentura ſi condemnaretur, ita concludit, Quæ ſi acerba; ſi miſera, ſi luctuoſa ſunt, ſi alienißima manſuetudine, & miſericordia ueſtra Iudices conſeruate populi Ro. beneficium & cætera.

TEXT. *Parium etiam ac ſimilium miſerentur; ſunt autem pares ac ſimiles uel ætate, uel moribus, uel habitibus, uel dignitate, uel genere: in his enim omnibus magis apparet eiſdem periculis expoſitos eſſe.*

COMM. Maximè ſolent homines eorũ miſereri quos ſibi pares ac ſimiles eſſe intelligunt, cuius rei cauſa eſt, quia ſe iiſdem periculis expoſitos eſſe uident. & ſupra iã demonſtratũ eſt eos potißimũ eſſe miſericordes, qui ſe putant in eadẽ mala poſſe incidere. Sed quia pares non uno modo dicuntur, ideo diligenter exponit Ariſtoteles quot modis aliqui pares dici poßint. & quinque præcipue modis pares ac ſimiles uocari poſſe homines docet. primò ætate, ut pueri inter ſe pares dicuntur, & iuuenes, & ſenes, vnde illud prouerbiũ pares cũ paribus facile congregantur; & illud, æqualis æqualem delectat. Secundo moribus, ut boni inter ſe pares ac ſimiles ſunt, & improbi eodem modo. Cicero, nihil eſt copulatius quam morum ſimilitudo bonorum. Iuuenalis, Magna inter molles concordia. Tertio habitibus, ut qui in eadẽ arte, aut ſcientia uerſantur pares ac ſimiles dicuntur, ut poetæ inter ſe, & oratores, & medici, & fabri. Quartò dignitate, ut qui eundem gerunt magiſtratũ vt conſules inter ſe, & prætores, & belli duces, & Reip. adminiſtratores, & ſenatores. Quinto genere, ut qui ſunt ex eadem familia, ut Cornelij, Scipiones, Fabij. atque hi quidem omnes ait Ariſtoteles, parium ſuorum miſericordia commouentur.

TEXT. *Nam omnino hoc etiam in loco ita ſtatuendum eſt, omnia, quæ ne accidant nobis timemus; cum alijs euenerint, ſolere nos ad miſericordiam commouere.*

COMM. Repetit quod ſupra poſuerat, quoniã generale quiddam eſt, ad omnia quæ miſericordiã mouent; cum. n. homines uident alijs eueniſſe ea, quæ ne ſibi euenirent, timebant, ipſi quidem recreantur, ſed tamen miſericordia mouentur. & eum, cui malum accidit, miſerum exiſtimant, vt Sinon ait apud Virg. 2.

Aſſenſere omnes, & quæ ſibi quiſque timebat
Vnius in miſeri exitium conuerſa tulere.

TEXT. *Quoniam autem res acerbæ cum propè eſſe uidentur, miſericordiam mouent, cum autem longè abſunt, ut quæ multis annis antea fuerunt, aut poſtea futuræ ſunt, quas neque timent, neque recordantur, uel non omnino miſericordiam mouent, uel non eodem modo: neceſſe eſt ut caſus illi, qui repræſentantur formis, uocibus, ueſtitu, ac denique actione longè miſerabiliores ſint. hoc enim modo efficiunt, ut malum propè eſſe uideatur, cum ipſum oculis ſubijciant, quod aut futurum eſt, aut iam præterijt.*

COMM. Ariſtoteles hoc loco probat ea, quæ oculis ſubiiciuntur, & uidentur, multò magis animos concitare, & miſericordiam cõmouere, quã quæ tantũ audiuntur. quod etiam Horatius in Arte poetica ſic affirmat.

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quam quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectatur.

ideo ſępe Oratores in perorationibus reos ſordidatos, aut infantes, aut ueſtes cruentas, aut aliquid eiuſmodi proferunt, quo maiorẽ iudicibus miſericordiam moueant. ut M. Antonius cũ Aquiliũ defenderet, cũ in iudiciũ produxit, & in cauſa perorãda tunicã eius diloricauit, & iudicibus cicatrices aduerſas ſenis imperatoris oſtendit. & T. Labienus cũ C. Rabirium accuſaret, Saturnini iãpridẽ interfecti imaginem protulit, ut eius memoriã refricans miſericordiã populo concitaret, & M. Antonius poſtea triumuir Cæſaris interfecti cruentã ueſtẽ populo R. oſtendit. cuius miſericordia cõmotus populus ad coniuratorũ ædes accurrit, ut eas incenderet. huius aũt rei rationem ſic reddit Ariſtoteles, res acerbæ tunc miſericordiã mouent, cũ uicinæ eſſe uidentur, ſed cũ longinquę ſunt non eodẽ modo. nã quæ iãdiu præterierunt, uel non amplius in memoria ſunt, uel ſi ſunt, nequaquã animũ mouent. quæ uerò futuræ ſunt, ſi longe abeſſe putantur, non reformidantur, itaque neque animos mouent. at quæ uel uicinæ ſunt, uel præſentes, atrocitate ſua non poſſunt, animos non mouere, ut cũ aliquẽ innocentẽ iugulari uidemus, aut miſeris modis excruciari. quare fit, ut quę repręſentantur in tragędiis p hiſtriones, qui formas, ueſtes, & uoces eorũ, qui quondã calamitates perpeßi ſunt, quia tunc accidere uidentur, plerunque miſericordiã excitent, & ſpectatores ſępißimè lachrymas effundere cõpellãt. hoc idẽ accidit ẽt de futuris miſeriis, cum ante cernuntur animo, & quaſi oculis audientiũ ſubiiciuntur. cuius rei Cicero mirus eſt artifex, ut in Catilinam actione. 4. Nõ atrocitate animi moueor, quis. n. eſt me mitior? ſed ſingulari quadã humanitate & miſericordia. uideor enim mihi hãc urbẽ uidere, lucẽ orbis terrarũ, atque arcem omniũ gentium, ſubito uno incendio concidentẽ: cerno animo ſepultam patriã, miſeros atque inſepultos aceruos ciuium, & quę ſequuntur. ita etiã de præterito tempore, ut pro Milone. quid miſerius, quid acerbius, quid luctuoſius uidimus? templũ ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilii publici, caput urbis, arã ſociorũ, portũ omnium gentium, ſedẽ ab uniuerſo populo R. conceſſam uni ordini, inflãmari, excindi, funeſtari. & reliqua. at uero de pręſenti multa ſunt exempla, ut pro Cn. Plancio, Quid me aſpectas? quid mea promiſſa repetis? quid meam fidem imploras? & paulo poſt, huc exurge tamen quęſo retinebo, & complectar, &c.

TEXT. *Atque hac de cauſa, quæ nuper acciderũt, aut breui futura ſunt, miſerabiliora uidentur: quin etiam ipſa indicia, atque actiones, ut ueſtes illorum, qui caſus acerbos pertulerunt, & quæ ſunt eius generis: & orationes, quas habuerunt ii, qui eſſent in calamitate, ut qui iamiam eſſent morituri.*

COMM. Ex prædictis colligit quinque rerũ genera, quę

facile

ſacile miſ r :ordiã concitant, primò quę paulo ante acciderunt, nam quaſi adhuc præſentia ſint, ita animum mouent, ut Cicero pro Cn. Plãcio, ui mé inquam, Plancius, & complexu ſuo retinuit, multoſque menſes à capite meo non diſceſsit, abiectâ quæſtoria perſona comitiſque ſumpta. o excubias tuas Cn. Planci miſeras, o flebiles vigilias, o noctes acerbas, o cuſtodiam etiam mei capitis infelicem. Secundo quæ breui ſunt futura, ſic enim oratione repræſentari poſſunt, quaſi iam adſint, ut pro Milone, hunc ſua quiſquã ſententia ex hac urbe expellet? quem omnes urbes expulſum à vobis ad ſe uocabunt? O terram illam beatam, quæ hunc virum exceperit, hanc ingratam ſi eiecerit, miſerã ſi amiſerit. Tertiò indicia rerum miſerabilium facile miſericordiam mouent, vt cruentæ ueſtes, aut effuſus cruor, aut auulſum membrũ, ut de Cæſaris interfecti ueſte, quam populo Romano M. Antonius oſtendit, ſupra diximus. ut Cicero quendam à Verre fortunis ſpoliatum ſine bulla & ingenuitatis inſignibus in iudicium produxit, ut in 3. cõtra Verrem actione legitur. Quarto actiones honeſtę eorum, qui caſus acerbos tulerunt miſericordiam excitant. vt 3. in Verrem actione, grandis natu parens adductus ad ſupplicium, ex altera parte filius; ille ꝙ pudicitiam liberorũ, hic ꝙ vitam patris famãque, non de ſuo ſupplicio, ſed pater de filij morte, de patris filius. Quinto orationes calamitoſorum miſerabiles ſunt, cuius rei pulcherrimum exemplum eſt apud Virgilium in 4. Aen. cum Dido iamiam eſſet moritura.

Dulces exuuiæ dum fata, Deuſque ſinebant,
Accipite hanc animam, meq; his exoluite curis,
Vixi, & quem dederat curſum natura peregi,
Et nunc magna mei ſub terras ibit imago. & reliqua.

Diuus Auguſtinus ait, ſe nũquam hęc carmina legiſſe quin flere cogeretur. Talis eſt oratio illa matris Euryali in 9. Aeneid. tota pathetica.

Hunc ego te Euryale aſpicio? tune illa ſenectæ
Sera meæ requies? potuiſti linquere ſolam
Crudelis? & quæ ſequuntur.

TEXT. *Maximè uerò miſeratio cõcitatur, ſi in illis acerbiſſimis caſibus fortes, & cõſtãti animo fuiſſe dicantur. nam hæc omnia quia uicina uidentur, magis miſericordiam mouent: quòd ille, qui patitur, tali fortuna ſit indignus, & acerbitas illa quaſi oculis ſubijciatur.*

COMM. Qui magno & conſtanti animo caſus acerbiſsimos ſubit, is pręcipuè miſericordia dignus eſt. qa uir eiuſmodi uidetur innocens, & dignus calamitate. quare cũ orator aliquem oſtendit, maximo animo graues miſerias pertuliſſe, facile miſericordiã excitat, quod duabus potiſsimũ de cauſis accidit, primò quod vir fortis & conſtans tali fortuna ſit indignus, deinde quod illa calamitas ita repræſentatur, vt quaſi oculis ſubijciatur. hac de cauſa fit, vt hoſtes etiam interdũ propter alicuius fortitudinẽ & conſtantiã moueantur, vt de Porſena legimus, qui, cũ Mutiũ hoſtem ſuũ videret conſtanti animo dextrã manũ exurere, quia deceptus fuerat, cũ ipſum Porſenam uellet obtruncare, ſtatim miſericordia motus, illi pepercit. ita Cicero pro Milone conatur iudices ad miſericordiam cõcitare Milonis fortitudinem prædicando. his (inquit) lachrymis non mouetur Milo, eſt quodam incredibili robore animi ſeptus, exilium ibi eſſe putat, ubi uirtuti non ſit locus, mortem naturę finem eſſe, non pœnam, ſit hic ea mente qua natus eſt, quid vos Iudices? & cętera.

Miſericordia uerò maximè opponitur illa, quæ nemeſis dicitur, quam nos indignationem appellare poſſumus. nam alicuius infortunio, qui indignè patiatur, angi ac dolere, cum ab eiſdem moribus proficiſcatur, ei quodammodo contrarium eſt, quod eſt dolere proſpera alicuius fortuna, qui ea ſit indignus. TEXT.

Cum ſatis iã de miſericordia dixerit, tranſit ad aliam animi cõmotionẽ, quę gręco uocabulo Nemeſis appellatur. nam apud Latinos nomen non habet, ſed indignatio dici poteſt. atque hęc etiam in uiro bono eſt, cum improborũ hominum proſperos ſucceſſus, & ſecundam ſortunam uidens ęgrè fert, & indignatur, quia res uidetur iniuſta, quòd improbi beatè uiuant, probi verò miſerè. Laudatur ergo nemeſis, ſicuti miſericordia, quamuis miſericordię contraria ſit, non propter ſe bonũ enim bono nunquam contrarium eſt, ſed propter res ſubiectas. nã miſericordia eſt in malis, nemeſis in bonis rebus. miſericordia enim mouetur aduerſa fortuna bonorũ hominum, Nemeſis autẽ proſpera fortuna improborũ excitatur. utraque tamen ab eiſdem moribus prouenit. & in vtraq; dolor quidam eſt, nam miſericordia dolet inſortunio hominis innocentis, Nemeſis dolet felicitate hominis improbi. atque hac ratione maximè inter ſe opponuntur. hæc eſt Ariſtotelis ſententia. uerum antiqui Nemeſin pro Dea coluerunt, quę ſuperbos homines & arrogantes ulciſci credebatur. Macrobius. 1. Satur. Nemeſis (inquit) contra ſuperbiam colitur. Catullus

preceſq; noſtras Oramus caue deſpuas ocello
Ne pœnas Nemeſis repoſcat à te
Eſt vehemens Dea, lędere hanc caueto.

Platonici dicunt Nemeſin Angelum eſſe diuini iudicij, ſicuti Cęlius annotauit. Peripatetici, quemadmodũ Plutarchus ſcribit, duas has cõmotiones, hoc eſt Nemeſin & Miſericordiam uocãt ἀστεῖα παθήματα, hoc eſt ciuiles perturbationes, quoniam ciuilis & manſueti animi indicia ſunt. Ariſtoteles ſecundo Ethicorum Nemeſin mediam ponit inter φθόνον & ἐπιχαιρεκακίαν, ideſt inuidiã, & peruerſam lętitiam. itaque Nemeſin laudabilis eſt, inuidia uero uituperabilis, & deteſtanda, quę bonis alienis cruciatur, ita etiam peruerſa lętitia, quę malis alienis lętatur.

Atque hæ commotiones ambæ, bonæ indolis ac naturæ ſunt. decet enim cum eis dolere, atque eorum miſereri, qui mali aliquid indignè patiuntur: illis autem indignari, qui præter merita ſua fortunati ſunt. quicquid præter dignitatem accidit, iniuſtum eſt. TEXT.

Laudat

Laudat more ſuo hanc utranque cōmotionem, quoniam à bona indole naturaque ambæ proficiſcuntur, ſicuti decet (inquit) eius miſereri, qui malū indigne patitur, ita decet indignari, cum quis indignus feliciter agit. quod probatur hac ſententia. quicquid alicui præter dignitatem accidit, iniuſtū eſt. hæc quidem Ariſtoteles. ſed Stoici vitioſam eſſe miſericordiam putabant, unde Seneca dixit, Non miſerebitur ſapiens, ſed ſuccurret. & Virgilius 2 Georg.

Neque ille
Aut doluit miſerans inopem, aut inuidit habenti.

& in Epigrāmate de viro bono, ſic ſe reprehendit,

Miſeratus egentem,
Cur aliquem fracta perſenſi mente dolorem?

TEXT. *Atque hac de cauſa Deis etiam ipſis hoc attribuimus, ut indignentur.*

COMM. Probat à cōi conſenſu Nemeſin laudabilem animi commotionem eſſe. ſolent enim homines omnia, quæ laudabilia ſunt Deis attribuere, nihil autē quod ſit vituperabile. ſed hanc cōmotionē Deis attribuimus, & dicimus eos indignari contra ſuperbos, & arrogantes homines. Igitur laudabilis eſt, & à bona natura proficiſcitur.

TEXT. *Poſſet autem aliquis ſuſpicari, inuidiam miſericordiæ eodem modo eſſe contrariam, tanquam uicina ſit, aut eadem quæ nemeſis, ſed ab ea diuerſa eſt.*

COMM. Hoc in loco vult Nemeſin ab inuidia diſtinguere, quoniam aliqui ſuſpicari poſſent, aut eaſdē eſſe, aut parum admodum inter ſe differre, eo quod ambæ miſericordiæ oponantur, tanquam ei contrariæ. Sed ipſe docet inuidiam multum à Nemeſi diſtare, & penitus diuerſam eſſe. quod etiam Cicero ſenſit ad Cælium ſcribens, cum ita inquit, Sed planē gaudeo, quoniam τὸ νεμεσᾶν intereſt τοῦ φθονεῖν.

TEXT. *Quamuis enim etiam inuidia ſit ægritudo, quæ animum perturbat ob alterius res ſecundas: non tamen ob eius res ſecundas, qui ſit indignus, ſed qui ſit æqualis, aut ſimilis.*

COMM. Non eſt mirum ſi aliqui decepti ſunt in his motionibus, & eaſdem eſſe putarunt, quoniam aliquā habent ſimilitudinem. ſicut enim nemeſis, ita. n. inuidia eſt ægritudo, quæ animum perturbat ob alicuius res ſecundas. ſed in hoc differunt, quod Nemeſis ægre fert tantum indignos homines & improbos opibus & dignitate florere, & laudabilis eſt animi cōmotio. inuidia verò nullum inter bonos & malos diſcrimen habet, uerum bonis alienis cruciatur, ſiue illa dignè, ſiuè indignè accidant, & inter æquales ac ſimiles præcipuè regnat. quod ēt vulgò dicitur, inter pares ſemp eſt inuidia. ſic Heſiodus, Et figulus figulo inuidet, & faber fabro. quod etiam Ethicorum ſecundo ait Ariſtoteles, & infra hoc eodem libro.

TEXT. *Commune eſt autem omnium qui inuident, & qui indignantur, ut id efficiant, non quia ſibi detrimentū aliquod ex eo prouenire poſſit, ſed quia bonum ei, cui nollent acciderit: neque enim iam eſſet inuidia, aut Nemeſis, ſed potius metus, ſiquis ideo doleret ac perturbaretur, q ex alterius bona fortuna, ſibi malum aliquod eſſet euenturum.*

COMM. Cauſam perturbationis inuidiæ & Nemeſi cōmunem quærit. omnes. n. qui inuident, & qui indignantur hoc habent cōmune, ut propter aliena bona perturbentur. ſed eius perturbationis cauſa nō inde naſcitur, quòd putent illa bona aliena ſibi detrimentum aliquod aut damnum allatura, ſed quia bona illis euenerunt, quibus potius malè optant, & quos nihil habere boni cuperent. cum autem dolemus, alicui bonum eiuſmodi eueniſſe, quod nobis aliquo modo nocere poſſet, tunc ea perturbatio non Nemeſis aut inuidia uocatur, ſed metus potius. quo enim feliciorem fortunam habent inimici noſtri, eo fiunt inſolentiores, & in nobis metus duplicatur, cum audimus inimicum noſtrum aut opibus, aut dignitatibus auctum.

TEXT. *Illud uerò perſpicuum eſt, diuerſas animi affectiones ab inuidia atque ab indignatione concitari. nam qui mœrore conficitur, cum uidet indignos aduerſa fortuna conteri, idem lætabitur, aut ſaltem dolore carebit, cum uiderit, malo dignos homines infortunijs agitari.*

COMM. Diligenter oſtendit in quo differant, Nemeſis & inuidia. & primo docet Nemeſin in probis tantum viris eſſe. deinde oſtendet inuidiam tantū in malis hominibus uerſari. probus. n. inuidet nemini. quo fit ut diuerſæ ſint affectiones Nemeſis, & inuidiæ. nā is, in quo Nemeſis eſt, ita eſt affectus, vt etiam miſereatur, cum uidet innocentes homines calamitate premi. & lætetur, aut ſaltem dolore careat, cum ſceleſtos uidet, meritis ſupplicijs affici. ergo hęc tria frequenter in bono uiro coniuncta reperiuntur, indignatio, miſericordia, lętitia. indignatio, cum improbus homo feliciter agit. miſericordia cum innocens affligitur. lætitia cum ſceleſtus punitur.

TEXT. *Neque enim quiſquam uir probus dolorem concipiet, cum parricidas aut ſicarios extremum pati ſupplicium intellexerit. decet enim in rebus eiuſmodi gaudere: quemadmodum etiam cum aliquis pro dignitate fortunatus eſt, & benè rem ſuam gerit, hæc enim ambo iuſta ſunt, & bono uiro lætitiam afferunt.*

COMM. Aequitas hoc & iuſtitia poſtulat, vt malis malè, bonis benè eueniat. vir autē probus & iuſtus tunc maximè gaudet, cū iuſtitia ſeruatur. Itaque fit ut etiam tum gaudeat, cum parricidas, ſicarios, & huiuſmodi conſceleratos homines è medio tolli, & extremo ſupplicio affici videt, non aliter atq; tunc magnopere gaudet, quando probis atque integris uiris res ſuas feliciter atque ex ſententia ſuccedere intelligit. nam quia ſunt hæc ambo iuſta, non poſſunt bono uiro non magnam afferre lætitiam. Cicero Tuſcul. 4. nemo (inquit) parricidę aut proditoris ſupplicio miſericordia commouetur. Claudianus Ruffini ſceleſti ſupplicio uehementer ſe lętatum oſtendit, cum ait,

Abſtulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum
Abſoluitq; Deos, iam nos ad culmina rerum
Iniuſtos creuiſſe queror. tolluntur in altum
Vt lapſu grauiore ruant. eodē modo qui bonum

uirum

uirum benè res ſuas gerere uidet, ſi bonus etiam ipſe eſt, gaudet.

TEXT. *Nam neceſſe eſt, ut ſperet ad ſe quoque peruentura eſſe commoda, quæ ſui ſimilis conſecutus eſt.*

COMM. Lætitia quam vir probus, ex probi uiri felicitate, & proſpero ſucceſſu percipit, inde naſcitur, ꝙ cum ſibi conſcius ſit, & probitatem ſuam agnoſcat, ſtatim in ſpem erigitur fore, vt, quod ſui ſimili contigit, idem etiam ſibi contingat. iuſtum eſt enim ut qui pari virtute ſunt, pares etiam dignitates conſequantur.

TEXT. *Hæc autem omnia ſunt eiuſdem uitæ, atque naturæ, ſicuti contraria contrarios & mores indicant: idē eſt. n. qui malis aliorū delectatur, & qui eſt inuidus.*

COMM. Hactenus docuit miſericordiā, & indignationem, & lætitiam in bono viro eſſe, nunc ad contraria tranſit, hoc eſt ad inuidiam, & peruerſam lætitiam, quas affectiones ambas in eodem malo homine docet eſſe. nam quæ contraria ſunt (inquit) contrarios etiam mores indicant, ſed hæc contraria ſunt, miſericordia & inuidia, honeſta lætitia, & turpis lætitia. ergo ille, in quo inuidia, & turpis lætitia reperitur, diuerſus eſt ab eo, in quo miſericordia, & honeſta lætitia eſt. hic enim probus uir eſt, ille improbus. qui verò inuidi ſunt, & ob aliena bona cruciantur, ijdem etiam malis alienis delectari ſolent. quamuis enim hæc duo uitia diſtincta ſint, nempe inuidia, & peruerſa lætitia, tamen in eodē homine ſemper ferè eſſe ſolent.

TEXT. *Nam, ex qua re quiſpiam angitur, cum oritur, aut iam adeſt; neceſſe eſt hunc eadem gaudere, cum eam uidet euaneſcere atque interire.*

COMM. Probat In eodem homine neceſſario eſſe inuidiam, & maleuolentiam. nam quæ ἐπιχαιρεκακία dicitur ab Ariſtotele, Cicero maleuolentiam interpretari videtur. ſic enim Tuſcul. 4. ſcribit, Maleuolentia eſt uoluptas ex malo alterius ſine emolumēto ſuo. ea eſt igitur maleuolentia quam peruerſam & turpem lætitiam ſupra diximus. quam in eodē eſſe, in quo eſt inuidia ſic Ariſtoteles oſtendit. qui dolet & cruciatur aliqua re, cum eam oriri, aut adeſſe uidet, idem gaudet cum eandem rem videt euaneſcere atque interire, ſed qui dolet alieno bono, cū illud uidet adeſſe, inuidus eſt, qui vero gaudet, cum aliquem uidet bono priuari, maleuolus eſt, ergò qui inuidus eſt, idem etiam eſt maleuolus. Itaque Cicero ſæpe inuidos & maleuolos coniungit, vt pro Cor. Balbo. ut omnium maleuolorum, iniquorum, inuidorum animos frangeremus.

TEXT. *Quapropter hæc omnia miſericordiā excitari prohibent. inter ſe uerò differunt ijs de cauſis quæ traditæ ſunt: & omnia æqualiter utilia ſunt ad efficiendū, ne res aliquæ miſerabiles eſſe uideantur.*

COMM. Hæc (inquit) omnia utiliſsima ſunt, ad auertendam ab animis iudicum miſericordiam, qui enim in aduerſarios ſuos uel indignationē, uel inuidiā, uel maleuolentiam excitare poteſt, is omnem facile miſericordiam auertet. nam quamuis hæc tria inter ſe differant, indignatio, inuidia, maleuolentia, propter eas cauſas, quas ſupra diximus, tamen æqualiter oīa uim habent auertēdæ miſericordiæ.

TEXT. *Primum igitur de libera indignatione, quam Nemeſin uocant, dicamus, & quibus homines indignentur, & quas ob res, & quomodo affecti, deinde etiam de reliquis uerba faciamus: quamuis hæc plana ſint ex ijs, quæ iam ſupra dicta ſunt.*

COMM. Cum ſibi propoſuerit hoc loco de ijs animi cōmotionibus uerba facere, quæ miſericordiam extinguere ſolent, primò de Nemeſi tractare aggreditur, atque eundem ſeruat ordinem, quem etiam in ſuperioribus tractandis obſeruauit. nam primo docet contra quos homines indignari libere ſoleamus, deinde quas ob res indignatio libera concitetur, tum quomodo affecti homines indignentur, q̄ cum explicuerit, proponit etiā de reliquis motionibus miſericordiæ contrarijs ſe eſſe dicturum. hęc autem, quæ ad Nemeſin attinent, iam ferè plana eſſe facta ait, ex ſupra dictis, attamen eadem copioſius & uberius explicat, quo res tota clarior, & aptior ſit. quod autem Nemeſis libera indigatio latinè dici debeat, oſtendit Horatius in Menam Pompeij Magni libertum ſcribens hoc modo,

Vides ne ſacram metiente te viam
 Cum bis ter vlnarum toga
Vt ora uertat huc & huc euntium
 Liberrima indignatio?

deinde cauſam indignationis hominum adiungit, quod cum eſſet indigniſsimus pluribus tamen opibus polleret, & longe ſe nobiliores contemneret.

Sectus flagellis hic triumuiralibus
 Præconis ad faſtidium,
Arat falerni mille fundi iugera,
 Et Appiam mannis terit,
Sedilibusque magnus in primis eques
 Othone contempto ſedet.

hæc igitur libera eſt indignatio, quę ꝑꝑ uilis alicuius, aut improbi hominis felicē ſucceſſum excitat.

TEXT. *Nam ſi indignari nihil aliud eſt, quam dolere proſpera alicuius fortuna, qui ea ſit indignus: primum illud perſpicuum eſt, non fieri poſſe, ut quis propter omnia bona, quæ eueniunt, indignetur: nemo enim ei, qui iuſtus, aut fortis euadit, aut uirtutem aliquam acquirit, indignatur.*

COMM. A definitione liberæ indignationis probat, nullo modo fieri poſſe, ut propter omnia bona quæ alicui eueniunt, excitetur indignatio. Qui enim indignatur, dolet proſpera eius fortuna, qui ſit indignus. ut ſi conſceleratus homo diuitijs & dignitatibus affluat, & ei quotidiè res felicius ſuccedant. Quod ſiquis impius homo iuſtus fiat, aut ignauus & imbellis, fortis & ſtrenuus euadat, aut deniq; uitioſus & inquinatis moribus uirtutē amplectatur, & in ea multum proficiat, certè propter hæc nemo indignabitur, cum tamen omnium maxima bona ſint. hoc autem ideo fit, quoniam huiuſmodi bona, nequaquam à fortuna donantur, ſed magno labore, ſtudio, & induſtria comparantur. Itaq; nullus eorū, qui talia bona poſsidet, eis indignus eſt, ſed potius alijs etiam bonis dignus eſſe iudicatur. magni igitur virtus omnis æſtimanda eſt quæ eos

omnes

omnes in quibus eſt, omnibus bonis dignos efficit, & hominum uoluntates conciliat.

TEXT. *Neque enim ob res, quæ ſunt his contraria, miſericordia commouetur.*

COMM. Probat à contrarijs propter virtutem indignationem non exoriri. quoniam neque propter vitia, miſericordia naſcitur. neque enim quiſquam alicuius miſeretur, quod ſit impius, aut ignauus, aut fur, aut proditor, ſed eum potius odio proſequitur, & cum eius generis hominibus mala eueniunt, nemo eorum miſeretur, quia dignos omni ſupplicio iudicat. ſed potius gaudent omnes cum ſcelerati homines ingentibus malis affliguntur.

TEXT. *Sed ex diuitijs, & potentia, & cæteris huiuſmodi rebus indignatio naſcitur, quibus (ut in ſumma dicam) boni tantum uiri digni ſunt, atque illi, qui à natura conſecuti bona ſunt, ut nobilitatem, pulchritudinem, & quæ ſunt eius generis cætera.*

COMM. Indignatio libera tunc exoritur, cum homines viles, & abiectos, atq; improbos uidemus magnas ſibi diuitias, & opes, & potentiam acquiſiuiſſe, quoniam eis bonis prorſus indigni ſunt. quod ita Iuuenalis egregiè docet,

Patricios omnes opibus cum prouocet unus
Quo tondente grauis iuueni mihi barba ſonabat,
Cum pars niliacæ plebis cum verna canopi
Criſpinus, tyrias humero reuocante lacernas
Ventilet æſtiuum digitis ſudantibus aurum,
Nec ſufferre queat maioris pondera gemmæ,
Difficile eſt Satyram non ſcribere. & paulo poſt,
Quid referam quanta ſiccum iecur ardeat ira,
Cum populum gregibus comitum premat hic ſpoliator
Pupilli proſtantis.

nam diuitijs, opibus, potentia, felicitate, uiri tantum boni digni ſunt, & illi, quibus natura propicia fuit, & pulchros, aut nobiles fecit. quamuis enim illi, qui valde nobiles ſunt, maximas opes & potentias acquirant, tamen nemo indignatur, quoniam eis bonis digni uidentur. eodem modo, qui pulchritudine, ac corporis dignitate præcellunt, etiam ſi in magno ſint honore ac precio nullam tamen hominum indignationem in ſe concitant. quoniam omnes pulchritudine capiuntur, & rem quandam eſſe diuinam exiſtimant. ex his intelligi facile poteſt, indignationem ab inuidia plurimum diſtare. nam ſapientibus etiam, & uirtute præditis, & nobilibus, & pulchris inuideri ſolet, cum tamen ob eiuſmodi bona nemo indignetur.

TEXT. *Et quoniam, quod antiquum eſt, parum diſtare uidetur ab eo, quod eſt naturale, neceſſe eſt in eos, qui bonum idem poſſident, ſi nuper id acquiſiuerunt, atque ob id feliciter ac proſpere uiuunt, indignationem concitari.*

COMM. Res antiquæ quodammodo uidentur eſſe naturales, vt qui ex ea familia natus eſt, in qua multi præclari viri fuerunt, quia iam antiquo tempore nobilis eſt, uidetur à natura nobilis eſſe, & qui à parentibus opulentis ac diuitibus eſt ortus, uidetur eſſe diues à natura. ſed iam dictum eſt, in eos, qui à natura bona aliqua conſecuti ſunt, indignationem non concitari, ergo neque in eos qui iampridem nobiles ſunt, ac diuites concitatur. reliquū eſt igitur, vt in eos concitetur, qui idem bonum nuper adepti ſunt, & propter illud honorificè & proſperè vitam degunt. hoc autem Salluſtius de Cicerone teſtatur, qui cum nouus homo eſſet, & conſulatum peteret, multos nobiles indignari cogebat, donec tandem Catilinæ coniuratio remoueret indignationem. ſic enim ait Salluſtius, Ea res in primis ſtudia hominum accendit, ad conſulatū mandandum M. T. Ciceroni. nanque antea pleraque nobilitas inuidia æſtuabat, & quaſi pollui conſulatū credebat, ſi eum, quamuis egregius, nouus homo adeptus foret. Sed vbi periculum aduenit, inuidia, atque ſuperbia poſt fuere.

TEXT. *Maiorem enim dolorem inurunt, qui nuper diuites facti ſunt, quam, qui diu in amplo patrimonio uixerunt.*

COMM. Exemplis declarat propter noua bona, non autem propter antiqua cōcitari indignationem. nō enim dolemus quòd aliquis in amplo patrimonio natus ſit & ab opulentis parentibus, ſed ꝙ aliquis præter dignitatem repente diues euadat, cum antea pauper, & abiectus eſſet, ut ſi forte theſaurū inueniat, aut à principe aliquo magna dona referat, aut hæreditatem, quæ nihil ad eum attineret, conſequatur. aut denique alia ratione ſine ullo ſuo merito diuitijs cumuletur. ut Chryſogonus Syllæ libertus, Demetrius Pompeij magni, Menas & Menecrates Sex. Pompeij è ſanguine Quiritium & proſcriptionum licentia ditatos, ut ait Plinius.

TEXT. *Eodem modo, qui magiſtratus, & potentiam, & copiam amicorum, & multos ac probos filios, & huius generis cætera nuper adepti ſunt.*

COMM. Quod de diuitijs ſupra dictum eſt, idem etiam de cæteris bonis intelligendum eſt. vt ſi quis præter dignitatem nuper aliquem magiſtratum adeptus ſit, aut aliquam potentiam, aut ſi multos habeat amicos, qui illi adſint, eum amplectantur & curent, aut cum ipſe ſit improbus, ſi multos bonæ indolis filios habeat, & denique ſi quod huiuſmodi bonum nuper adeptus eſt, quo indignus eſſe uideretur. nam hæc omnia cogunt homines indignari.

TEXT. *Et præcipuè cum propter hæc aliquod aliud eis bonum acciderit. magis enim offendunt animos noui diuites, quam qui iampridem diuites erant, cum propter diuitias honorem aliquem, aut magiſtratum acquiſiuerint: quod eodem modo reliquis etiam in rebus accidit.*

COMM. Bona quæ ſupra cōmemorata ſunt, non tantū ipſa ꝑ ſe iuuant, ſed etiā ad alia bona gradum quēdā faciunt, ut ſi pauper aliquis diues euadit, nō tā-

tum id commodum habet, vt diuitijs fruatur, ſed etiam frequenter accidit, vt propter diuitias nuper acquiſitas, honores & magiſtratus adipiſcatur. ergo tunc maximè indignatio concitatur, cum quis præter dignitatem non tantum bonum aliquod aſſequitur, ſed etiam deinde propter illud idem bonum etiam alia nanciſcitur. hoc autem probat Ariſtoteles eorum exemplo qui nuper diuites euaſerunt. nam ſi forte huiuſmodi homines, propter acquiſitas nuper diuitias, aliquem magiſtratum aut dignitatem adipiſcantur, longè magis ad indignationem accendunt animos noſtros, quam ſi eandem dignitatem ij, qui iampridem diuites erant, aſſeqnerentur. atque hoc non tantum in diuitijs, ſed etiam in alijs eiuſmodi bonis accidere ſolet.

TEXT. *Huius autem rei cauſa eſt, quod alteri res ſuas habere uidentur, alteri uerò minimè: quod enim ſemper in eodem ſtatu ſpectatum eſt, id æquum iuſtumque uidetur; quare noui diuites uidentur res non ſuas habere.*

COMM. Cauſam explicat, cur veteres diuitiæ nequaquam indignationem moueant, nouę uero præcipuè moueant. nemo enim indignatur, quod quis res ſuas obtineat, ſed omnis indignatio naſcitur ex eo, quod quis res non ſuas, ſed alienas occupet. Sed qui iampridem diuites ſunt, & ſemper in eodem ſtatu perſeuerarunt, æquum iuſtumq; eſſe videtur, vt honores ac dignitates aſſequantur, & ſuis diuitijs atque opibus fruantur. qui vero tanquam ſomnio (quod aiunt) beati, repentino diuites euadunt, ij propter nouitatem res alienas occupaſſe creduntur, itaque mouent indignationem. videtur enim minimè tolerandum eſſe, quòd quis alienas res occupet, & illis fruatur. quin tanto maior deinde naſcitur indignatio, quanto magis, ob diuitias nuper acquiſitas honoribus ac dignitatibus augentur; hæc enim omnia nobilium & præſtantium virorum propria, non nouorum hominum eſſe putantur.

TEXT. *Et quoniam non omne bonum cuiuis homini congruit, ſed eſt proportio quædam, & conuenientia, ut, exempli gratia, ſpecioſa arma non iuſto uiro, ſed forti conueniunt; & claræ nuptiarum affinitates non ijs, qui nuper diuites facti ſunt, ſed nobilibus, atque illuſtri genere natis, congruentes ſunt: fit, ut etiam cum probus uir, quod ei non conuenit, aſſequitur, aduerſus eum indignatio concitetur.*

COMM. Quoniam aliquis opinari poſſet, tantum contra malos atque improbos homines indignationem concitari, probare vult Ariſtoteles hoc loco, poſſe interdum fieri, vt etiam contra probum uirum cōcitetur indignatio. nam in bonorum diſtributione quædam proportio, conuenientiaq; ſeruanda eſt, vt vnuſquiſque ea bona, quę ſibi ſuiſque rebus congruentia ſunt, aſſequatur. neque enim omne bonum cuiuis homini congruit, quod duobus exēplis Ariſtoteles confirmat. ſint enim exempli gratia duo boni viri, quorum alter iuſtitia præcedat, alter fortitudine. qui ambo de ſpecioſis armis contendant, & quæratur uter eorum dignior ſit, qui arma illa ſpecioſa conſequatur, haud dubium eſt, quin longe magis forti uiro, quam iuſto conueniant. uidetur autem Ariſtoteles hoc exemplum ſumpſiſſe ab illa peruulgata contentione, quam aiunt inter Aiacem & Vlyſſem fuiſſe de Achillis armis, poſt ipſius Achillis mortem. quam Ouidius decimotertio Metamorphoſeos elegantiſsimè deſcribit. additis utriuſq; orationibus admirabili officio confectis. quo in certamine ſuperior euaſit Vlyſſes, fortiſque uiri tulit arma diſertus, quamuis Aiax vlyſſe longe fortior eſſet. itaque tanta indignatione correptus eſt Aiax, ut in furorem conuerſus ſit, & denique ſibi ipſe mortem conſciuerit. alterum exemplum tale eſt. ſint duo iuuenes, ambo probi & diuites, ſed alter eorum nobilis & illuſtri loco natus, alter nouus homo, & nuper diues factus, atque hi ambo puellam uirginem præclaris ortam parentibus uxorem petant, non eſt dubiū, quin huiuſmodi nuptiæ magis ei congruant, qui ſit illuſtri genere natus. quoties igitur contra euenit, ut aliquis quod ſibi minus congruit, aſſequitur, quamuis probus uir atque integer ſit, tamen in ſe hominum indignationem mouet. quod M. T. Ciceroni accidiſſe conſtat, quem plerique nobiles Romani ferre non poterant, quod homo nouus eoſdem honores ac dignitates aſſecutus fuiſſet, quas multi nobiliſsimi viri conſequi nunquam potuerant.

Illud etiam indignationem mouet, quando inferior cum ſuperiore contendit; & præcipuè ſi in eadem re diſpares fuerint; unde illud ab Homero dictum eſt; TEXT.

Ille redit retro non auſus tendere contra
Aiacem Telamone ſatum: nam Iuppiter ipſe
Indignabatur forti committere inertem.

Indignum eſt, & minimè ferendum, ut aliquis multo inferior velit cum ſuperiore contendere, præcipue in eodem ſtudio atque artificio, ut ſi malus pictor Apellem ad certamen prouocet, aut infans rhetor Demoſthenem, aut gregarius miles ſtrenuum bellatorem. atque hęc quidem res non tantum homines ſed etiam Deos ad indignationē mouet, quod Homeri auctoritate probat Ariſtoteles, apud quem vndecimo Iliadis Cebriones quidā Troianus Græcos quidem inuaſerat, ſed cum Aiacem Telamonis filium contra ſe venientem conſpicatus fuiſſet, cum eo congredi non auſus eſt, uerum retro ceſsit. hoc autem ait Homerus, ideo factum eſt, quia Iuppiter indignabatur inertem & longe inferiorem hominem Cebrionem cum Aiace fortiſsimo bellatore committere. idem Aiax apud Ouidium 13. Metam. indignatur quod vlyſſes ſecum de Achillis armis contendere auderet. Itaque cœpit exclamare; COMM.

— agimus prò Iuppiter inquit,
Ante rates cauſam, & mecum confertur vlyſſes. &

paulò poſt;

Præ-

Præmia magna peti fateor, ſed demit honorem
Aemulus Aiaci, non eſt tenuiſſe ſuperbum
Sit licet hoc ingens, quicquid ſperauit Vlyſſes.
Ipſe tulit precium iam nunc certaminis huius
Qui cum uictus erit mecum certaſſe feretur.

TEXT. *Quod ſi non in eodem ſtudio fuerit inferior, tamen quocunque modo minor cum ſuperiore contendit, indignationem mouet: ut ſi muſicus cum iuſto uiro de dignitate contendat, nam iuſtitia multo præſtantior eſt arte muſica.*

COMM. Quia dixerat indignum eſſe, ut quis inferior in eadem re, cum præſtantiore contendat, ut Cheilus poeta cum Homero, nunc adiungit non tantum in eodem ſtudio, ſed in omni re ſiue ſimili, ſiue diſsimili, quoties minor cum ſuperiore contendit, indignationem moueri. & exemplum duarum rerum diuerſarum affert. Sint enim duo præſtantes uiri, ſed in diuerſo genere, quorum alter ſit excellens Muſicus, vt Timotheus, alter iuſtiſsimus uir, ut Ariſtides. profectò Timotheus quamuis in arte ſua foret omnium excellentiſsimus, tamen cõtra ſe hominum indignationem concitaret, ſi cum Ariſtide uellet de dignitate contendere. propterea quòd iuſtitia uirtus eſt, quæ longo interuallo muſicam artem poſt ſe relinquit. Cicero pro L. Murena comparat quidem artem militarem cum iuris ciuilis ſcientia, ſed eam longe præſtantiorem eſſe demonſtrat. itaque facetiſsimè Seruium Sulpitiũ irridet, qui cum eſſet iuriſconſultus, uellet tamen cum L. Murena imperatore de dignitate certare, & indignaretur, quòd in petitione conſulatus L. Murena ſibi fuiſſet antelatus.

TEXT. *Iam igitur planum eſt, contra quos homines, & quibus de cauſis indignatio moueatur. hæc enim ſunt, quæ diximus; & ſiqua ſunt eius generis cætera.*

COMM. Duas ſimul partes ſe abſoluiſſe oſtendit, nempe quibus potiſsimum hominibus indignari ſoleamus. & quas ob res. quamuis enim nõ fuerint omnia numerata, tamen ex eis, quæ dicta ſunt, cætera etiam omnia facile intelligi poſſunt. reſtat igitur ſolum, ut doceat, quomodo affecti homines indignentur.

TEXT. *Eorum autem animi facile mouentur ad indignationem; qui maximis bonis digni ſunt, & ea poſsident; cum etiam indignos eadem poſſidere uident: neque enim iuſtum eſt, diſsimiles homines paribus bonis accumulari.*

COMM. Non omnes homines ad indignationem procliues ſunt, ſed ii tantum, qui ita cæteris præſtant, ut pro dignitate ſua maxima bona conſecuti ſint. huiuſmodi enim homines, cum uident indignos eadem bona conſequi, quæ ipſi poſsident, facere non poſſunt, quin indignentur. quoniam iniuſtum eſſe uidetur, ut qui diſsimiles ſunt, ſimilia pariaque bona adipiſcantur. hoc eſt quod Aiax apud Ouidium ait,

— non eſt tenuiſſe ſuperbum
Sit licet hoc ingens, quicquid ſperauit Vlyſſes.

Nam quantò quis in aliqua re prȩſtantior eſt, tanto ſe maioribus præmiis dignum iudicat. ea uero quæ uiles & abiecti homines conſequuntur, nequaquam magna habentur, aut ſi magna ſunt, & iis paria quæ iam præſtantes uiri ſunt adepti, nihil præcipuum horum excellentia uidetur iam habere quæ res facile mouere ſolet indignationem. neque enim uir prȩſtans humilibus æquiparari pati æquo animo poteſt.

TEXT. *Secundo loco mouentur ad indignationem, qui probi, ſtudioſique uiri ſunt: nam huiuſmodi homines uerè iudicant; & quæ iniuſta ſunt oderunt.*

COMM. Duabus de cauſis probat ſtudioſos ac probos uiros indignari ſolere. primò quia uerè iudicant, atque ideo benè intelligunt, qui præmio, qui pœna digni ſint, & qui proſperam, qui aduerſam fortunam habere mereantur. deinde quia magno odio proſequuntur ea, quæ ſunt iniuſta. ſupra uerò demonſtratum eſt, iniuſtum eſſe, ut qui diſsimiles ſunt, ſimilia pariaque bona conſequantur. quamuis igitur in uiros probos inuidia non cadat, tamen cadit indignatio, ex quo perſpicuum eſt, indignationem plurimum ab inuidia differre. ſæpe autem indignatio riſum conſequitur. quia uiri ſtudioſi rident eorum inſaniam qui ſe bonis & præſtantibus comparare audent, deinde iidem indignantur, quod huiuſmodi temeritas & audacia plerunque felicitèr ſuccedat, ſic Horatius in Arte Poet.

Sic mihi qui multum ceſſat, fit Cherilus ille
Quem bis terque bonum cum riſu miror, & idem
Indignor.

TEXT. *Tertium genus eſt eorum, qui honores appetunt, & aliquas ſibi res gerendas mandari cupiunt. & præcipuè ſi illos honores deſiderant, quos alij iam, eis indigni conſecuti ſunt.*

COMM. Ambitioſi omnes, & qui elato ſunt animo, magnarumque rerum appetentes ad indignationem procliues eſſe ſolent. tantoque magis cum eoſdem honores aſſequi non facile poſſunt, quos uident inferiores homines, & longe indigniores aſſecutos. Sic M. Laterenſis uehementer indignatus eſt, quòd in ȩdilitatis petitione ſibi Cn. Plancius antelatus fuerit. Sic Q. Catulus in ſumma familia natus, ſapientiſsimus & ſanctiſsimus uir, quod Cn. Manlius non ſolum ignobilis, uerum ſine uirtute, ſine ingenio, uita etiam contempta ac ſordida ſuperior euaſerit.

TEXT. *Denique illi facile indignantur, qui præclara de ſe ipſis iudicia faciunt, atque eis rebus ſe dignos putant, quibus alios non putant.*

COMM. Concludit hanc partem effato generali. quicunque (inquit) ſibi multum arrogant, & ſe aliis uirtute anteſtare exiſtimant, facile indignantur. tales enim homines ſeipſos magnis & amplis honoribus dignos eſſe arbitrantur, & reliquos prȩ ſe contemnunt, ut Salluſtius ait de Q. Metello, cui quanquam uirtus, gloria, atque alia optanda bonis ſuperabant, tamen inerat contemptor

animus, & ſuperbia, commune nobilitatis malum. & alibi de eodem Metello, Interim Romæ per literas certior fit prouinciam Numidiam Mario datam, nam conſulem factum antea acceperat. Quibus rebus ſupra bonum atque honeſtum perculſus, neque lachrymas tenere, neque moderari linguam, vir egregius in alijs artibus, nimis molliter ægritudinem pati. Quam rem alij in ſuperbiã vertebant, alij bonum ingenium contumelia accẽſum eſſe, multi quòd iam parta victoria, ex manibus eriperetur. nobis ſatis cognitum eſt, illum magis honore Marij, quam iniuria ſua excruciatum, neque tam anxiè laturum fuiſſe, ſi adempta prouincia alij, quam Mario traderetur.

TEXT. *Atq; hac de cauſa qui ſeruili ingenio ſunt, & abiecti homines, & honoris contemptores, non mouentur ad indignationem: nihil enim eſt eiuſmodi quo ſe dignos exiſtiment.*

COMM. Tria hominum genera memorat ſuperioribus contraria, qui nequaquam indignari ſoleant. primum eorum, qui ſeruili ſunt ingenio, neque animum audẽt, ad res magnas & excelſas erigere, ſed ignauię ſuæ ſibi conſcij facile patiuntur alios, quã uis genere ac nobilitate inferiores, altius euolare. Secundum eorum eſt, qui uiles ſunt & abiecti, ut operarij, & opifices, & eius generis homines, uel etiam improbi & negligentes, qui ſatis intelligũt ſe nullam aſſequi poſſe dignitatem. Tertium eſt eorum, qui licet egregij ſint, tamen honores ac dignitates contemnunt, & pro nihilo putant. itaque non indignantur etiam ſi uideant, longe infra ſe poſitos homines extolli & honorari, ſed hi pauci admodum ſunt.

TEXT. *Ex ijs, quæ dicta ſunt etiam perſpicuum eſt, quando uel gaudere, uel ſaltem non dolere debeamus, cum aliqui homines aduerſa fortuna premuntur, & res ſuas infeliciter agunt, aut quæ cupiunt, non conſequuntur. nam ex contrarijs contraria dignoſcuntur.*

COMM. Qui dolet improborum hominum fortuna proſpera, & cum uidet indignos ad opes & honores euehi, idem etiam ferè gaudere ſolet improborum calamitate, & cum videt eos deprimi, & opibus atque honoribus ſpoliari, qui contra iuſtitiam euecti fuerant. hæc enim affectio, quæ Nemeſi quodã modo opponitur, ab eadem indole, atque iiſdem moribus proficiſcitur. Quare qui bene intelligit, quæ ſint ea, quibus ad indignationem moueamur, idem etiam intelliget quando gaudendum ſit aduerſa aliorum fortuna, & inanibus uotis. quod in Piſonem Cicero bene & elegãter exprimit, his (inquit) ego rebus paſcor, his delector, his perfruor, quod de uobis hic ordo opinatur, non ſecus ac de teterrimis hoſtibus. quòd non equites R quòd cæteri ordines, quòd cuncta ciuitas odit, quòd nemo bonus, nemo denique ciuis eſt, qui modo ſe ciuem eſſe meminerit, qui uos non oculis fugiat, auribus reſpuat, animo aſpernetur, recordatione denique ipſa conſulatus ueſtri perhorreſcat. hæc ego ſemper de uobis expetiui, hęc optaui, hæc precatus ſum.

Quapropter his rationibus orator ſanè iudices ita præparare ſua oratione poterit, ut eos, qui ſui miſereri dicunt oportere, doceat indignos eſſe, qui miſericordiam conſequantur. non autem fieri poſſe certum eſt, ut eorum quis miſereatur, qui miſericordia ſunt indigni. TEXT.

Hæc omnia quæ de indignatione, & lætitia indignationi oppoſita dicta ſunt, ad auertendam miſericordiam ualent. itaque docet Ariſtoteles hoc loco quomodo Orator eis uti debeat. nempè cum reus iudices rogat ut ſui miſereantur, contra debet actor ſupra dictis rationibus oſtendere non eum ulla miſericordia dignum eſſe. nam ita facile miſericordiam auertet, quoniam nemo eſt, qui putet eius hominis miſerendum eſſe, qui nulla miſericordia dignus eſſe uideatur. ut Cicero 4. in Verrem actione. Nunc uerò quid faciat Hortenſius? auaritiæ ne crimina frugalitatis laudibus deprecetur? at hominem flagitioſiſsimum, libidinoſiſsimum, nequiſsimumque defendit. an ab hac eius infamia nequitiæ ueſtros animos in aliam partem fortitudinis commemoratione traducat? at homo inertior, ignauior, magis uir inter mulieres nequam, impura inter uiros mullercula proferri non poteſt. at mores commodi? quis contumacior? quis inhumanior? quis ſuperbior? at hæc ſine cuiuſquam malo? quis acerbior? quis inſidioſior? quis crudelior vnquam fuit? COMM.

Neque illud obſcurum eſt, propter quæ bona, & quibus hominibus, & quomodo affecti ſoleant inuidere: ſiquidem inuidia eſt ægritudo quædam concepta ex felicitate eorum bonorum, quæ dicta ſunt, cum paribus ac ſimilibus eueniunt, non ut qui inuidet, aliquod inde commodum ferat, ſed quia nollet eos, quibus inuidet, ea bona poſſidere. TEXT.

Poſtquam ſatis multa verba de Nemeſi feciſſe ſibi uidetur, nunc ad inuidiam tranſit, & ea tria proponit, quæ etiam in reliquis commotionibus pertractauit, hoc eſt propter quæ bona inuidia concitetur, & quibus hominibus inuideri ſoleat, & quomodo affecti homines inuideant, quæ tamen omnia ex ijs, quæ iam ſupra dicta ſunt, haud difficulter intelligi poſſunt. Ac primo quidem ipſam inuidiam definit, quam tamen Cicero 3. Tuſcul. mauult inuidentiam appellare. ab inuidendo (inquit) inuidentia rectè dici poteſt, ut effugiamus ambiguum nomen inuidiæ; quod uerbum ductum eſt à nimis intuendo fortunam alterius. Eſt igitur inuidentia dolor quidam animi, conceptus ex alterius felicitate, propter ea bona, quæ fortunæ munere proueniunt, ut propter opes, diuitias, honores, dignitates, gloriam. nam propter uirtutem inuidentia non excitatur. nemo enim cuiquam inuidet, quòd uir iuſtus ſit, aut temperans, niſi fortaſſe quia dignitas & gloria uirtutem ſequitur. & præcipue ſi pares ac ſimiles ea bona conſequuntur, COMM.

pauci

pauci, enim longè maioribus & potentioribus inuident, ſed inter parea ferè eſt inuidia. neque inuidus aliquam vtilitatem referre ſperat, etiam ſi ille, cui inuidet, bonis priuetur, uerum tam malo prauoque ingenio eſt, ut angatur & crucietur, quòd is, cui inuidet, proſperè ſuas res agat. hanc eandem fere inuidentiæ definitionem Cicero Tuſcul. 4. ponit, Inuidentiam (inquit) eſſe dicunt ægritudinem ſuſceptam propter alterius res ſecundas, quæ nihil noceant inuidenti. nam ſiquis doleat eius rebus ſecundis, à quo ipſe lædatur, non rectè dicitur inuidere: ut ſi Hectori Agamemnon. qui autem, cui alterius commoda nihil noceant, tamen eum doleat his frui, is inuidet profectò. ex hac definitione ſatis patet, nunquam in bonum virum, ſed tantum in improbos homines inuidentiam cadere. & hoc eſt, quod in Timæo dixit Plato, probus enim inuidet nemini.

TEXT. *Illi autem inuidia mouentur; quibus aliqui pares ſunt, aut eſſe uidentur; pares autem uoco aut genere, aut cognatione, aut ætate, aut habitu animi, aut dignitate, aut fortunis.*

COMM. Quia dixerat in definitione, inuidentiam eſſe dolorem, qui concipitur ex bonis, quæ paribus ac ſimilibus eueniunt, nunc declarat, quinam pares ſint, aut eſſe uideantur. nam hi facile mouentur ad inuidiam. quamuis etiam ſupra docuerit, qui pares ſimileſque dici debeant, cum de uerecundia uerba faceret; atque hoc loco ſex modis aliquos pares a ſe uocari oſtendit, primo qui ſunt eiuſdem generis ac nationis, ut Itali inter ſe, & Galli, & Hiſpani, & Germani. facilius enim Italus inuidet Italo quam Germano, etiam ſi eadem bona ſint ambo conſecuti. Secundo qui ſunt eiuſdem cognationis ac familiæ, ut Cornelij, Fabij, Iulij, pares ac ſimiles inter ſe uidentur. Tertio qui ſunt eiuſdem ætatis, ut pueri inter ſe, adoleſcentes, iuuenes, ſenes. Quarto qui ſunt in eodem animi habitu, ut qui eandem artem aut ſcientiam profitentur, ut medici inter ſe, & iuriſconſulti, & mercatores, & figuli, & fabri. Quinto qui ſunt in eadem dignitate ſiue imperio ac magiſtratu, ut belli duces inter ſe, & ſenatores, & prætores, & tribuni. Sexto qui ſortunas æquales poſsidēt, aut non multum inæquales, ut opulenti ac diuites inter ſe. nam hi omnes plerunque ſibi uiciſsim inuidere ſolent. Cicero 2. de Orat. Inuident autem homines maximè paribus, aut inferioribus, cum ſe relictos ſentiunt, illos autem dolent euolaſſe: ſed etiam ſuperioribus inuidetur ſæpe uehementer, & eo magis ſi intolerantius ſe iactant, & æquabilitatem communis iuris, prȩſtantia dignitatis, aut fortunæ ſuæ tranſeunt.

TEXT. *Et qui omnia ferè bona conſecuti ſunt, quo fit, ut, qui res præclaras gerunt, & qui fortunati ſunt, ad inuidiam ſint procliues; quoniam quicquid aliis boni contingit, id ſibi eripi exiſtimant.*

COMM. Procliues ſunt ad inuidentiam illi, qui omnibus fere bonis abundant. ſoli enim abundare uellent, & cum alijs quoque bona eadem euenire intelligunt, diſcruciātur. ſicut etiam illi, qui res magnas adminiſtrant, & proſpera fortuna utuntur. cuius rei cauſa eſt, quia putant ea bona, quȩ alijs contingunt, ſibi quodammodo eripi atque extorqueri. hinc diſsidiam, contentiones, iræ ſæpe exiſtunt, & uulnera etiam atque cȩdes: quoniam (ut ait Antonius) plerique ſunt inuidi, maximeque eſt hoc commune uitium, & peruagatum. & cum quis inuidet eos impedire contendit, quibus inuidet, quo minus iiſdem bonis perfruantur.

TEXT. *Et qui eximios honores in aliqua re ſunt adepti, & præcipuè qui ſapientia uitaque beata compotes eſſe uidentur.*

COMM. Qui uehementer honorantur in aliqua arte, aut ſtudio plerunque ſunt inuidi. quoniam ſe ſolos in ea re laude dignos eſſe opinantur, & alios omnes præ ſe contemnunt, & quaſi longe inferiores deſpiciunt, nec aliquid eis honoris impertiri ferre poſſunt. tantoque magis inuidi ſunt, quanto ſapientiores, & beatiores exiſtimantur. ij uerò uidentur fortunatè, beateque uiuere, quibus (ut ait Cicero) cum auctoritate, rerumque geſtarum gloria, tum etiam ſapientiæ laude perfrui licet. at huiuſmodi uiri perpetuo timent, ne aliorum res præclarè geſtȩ ſuam gloriam obſcurent: quo fit, ut inuidiæ ſtimulis agitentur. quod Lucanus de Pompeio & Cȩſare his uerbis teſtatur.

—ſtimulos dedit ȩmula uirtus
Tu noua ne ueteres obſcurent acta triumphos
Magne times, te iam ſeries, uſuſq; laborum
Erigit, impatienſq; loci fortuna ſecundi,
Nec quenquam iam ferre poteſt, Cȩſar ue priorem
Pompeius ue parem.

TEXT. *Et qui gloriæ ſunt appetentes, magis inuidi ſunt, quam, quos gloria non commouet.*

COMM. Ambitioſi homines, & glorię cupidi maiori ex parte ſunt etiam inuidi. nam qui uel propter ignauiam uel propter egregiam ſapientiā gloria non commouentur, ij raro ſolent inuidentia laborare. qui uerò glorię ſunt appetentes, & laudis cupidi, ij dolent pares ac ſimiles altius euolare. itaque laudum alienarum obtrectatores ſunt, & alios deprimunt, ſe ipſos autem extollunt. quod ſi quenquam ante ſe uident, moleſtiſsimè ferunt, hac de cauſa dixit Cicero, Miſerrima eſt omnino ambitio, honorumque contentio.

TEXT. *Et qui ſapientes uideri uolunt, cum eius gloriæ ſint appetentes, quæ ſapientiæ debetur.*

COMM. Sunt quidam homines, qui non tam eſſe ſapientes laborant, quam uideri uelint, & in numero ſapientum haberi. ij magnopere ſunt inuidi. ſed quia non ueram, ſed adumbratam ſapientiam habent, ideo facile contemni ſolent. neque ullam ſapientiæ ueram laudem aſſequuntur. tales dicuntur prouerbio, Barba & pallio ſapiētes. Horatius, Iuſsit ſapientem creſcere barbam.

TEXT. *Deniq; qui in aliquo ſtudio laudem aſſequi cupiūt, omnibus inuident, qui in eodem uerſantur.*

COMM. Summam facit omnium eorum, qui ſolent inuidere. quicunque inquit, In aliqua re cupit excellere, omnibus inuidet, qui in eadem re verſantur. neque enim quęquam ſibi præponi, aut æquari æquo animo ferre poteſt, vt ſiquis laudem petat, aut medicinæ, aut iuriſprudentiæ, diſcruciabitur ſiquem alium in eloquentia, aut medicina, aut iuriſprudentia laudari intellexerit. in eis uero qui diuerſis in ſtudijs occupati ſunt, nõ tam frequens eſt inuidia. rarò enim iuriſconſulto medicus inuidet, aut oratori poeta, aut agricola mercatori.

TEXT. *Et qui anguſto puſilloq; ſunt animo, nam eis omnia uidentur eſſe magna.*

COMM. Homines anguſti puſilliq; animi ſolent inuidẽtia, laborare, cuius rei cauſam illam affert Ariſtoteles, quòd res omnes, quamuis paruæ ſint, magnas exiſtimant. & cum eas aliquem adeptum vident, anguntur animo, & cruciantur. hoc eſt quod eleganter dixit Ouidius.

Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris,
Vicinumq; pecus grandius vber habet.

Idem Ouidius 2. Metam. vbi deſcribit inuidiam ita ait,

Sed uidet ingratos, intabeſcitq; uidendo
Succeſſus hominum. carpitq; & carpitur unà,
Suppliciumque ſuum eſt.

TEXT. *At uero propter quæ bona ſoleant inuidere, iam dictum eſt. Omnes enim res, atque opera, ex quibus laudem, honorem, & gloriam quærunt, & omnia fortunæ commoda gignere inuidiam ſolent, & ea maximè quæ aut ipſi appetunt, aut ſe habere oportere cenſent.*

COMM. Secundam huius loci partem aggreditur, quam paucis abſoluit, quia perſpicua eſt ex ijs, quæ iam ſupra dicta ſunt, nempe quæ ſint ea bona, quæ inuidiam moueãt. & illa eſſe ait, ex quibus laus, honor, gloria quęritur, & quæ fortuna proſpera tribuuntur, ut opes, ac diuitiæ, & quę magnopere cupiũt, ut ſine illis non ſatis commodè ſe poſſe uiuere exiſtiment. hæc eadem ferè M. Antonius 2. de Orat. docet. cum ait laudi atque gloriæ maximè inuideri ſolere: & non ita multò poſt ait, inuidetur autẽ præſtanti, florentiq; fortunæ. Salluſtius in Iugurtha, Meminiſſe debemus poſt gloriam, Inuidiam ſe qui. idem in Catil. Plerunque ex opulentia inuidia oritur. interdum etiam ex uirtute inuidia oritur. Cicero pro Cor. Bal. Eſt enim huius ſeculi labes quædam & macula virtuti inuidere.

TEXT. *Ob eas etiam res inuidia mouetur, quibus ſe aut paulo ſuperiores, aut paulo inferiores eſſe uident.*

COMM. Qui in aliqua re longè cæteris antecellit, & omnes longo interuallo poſt ſe relinquit, maior inuidia dicitur. quia nemo amplius illi inuidet. nemo enim ſe poſſe ſperat ad eam excellentiam peruenire. unde Horatius de ſe,

Et iam dente minus mordeor inuido,

ſed hoc in uiuis rarò contingit, quia omnes omnia ſperant, ideo benè dixit Ouidius,

Paſcitur in uiuis liuor, poſt facta quieſcit.

Et Horatius,

Vrit enim fulgore ſuo qui prægrauat artes
Infra ſe poſitas, extinctus amabitur idem.

eodẽ modo nemo inuidet eis, qui longè ſunt inferiores, quia non timet unquam ab eis ſuperari. reſtat igitur, ut præcipuè paribus inuideant, ſicuti iam demonſtratum eſt, deinde illis, qui uel paulò ſuperiores, uel paulò inferiores ſunt.

TEXT. *Nec dubium eſſe poteſt, quibus inuideant; nam hoc unà cum alijs dubium eſt. illis enim inuident, qui propinqui ſunt, aut tempore, aut loco, aut ætate, aut gloria, quam obrem illud uulgo celebratur;*
Vicinus inuidere uicino ſolet.

COMM. Cum iam declaratum ſit, quinam inuidi eſſe ſoleant, & quas ob res, ſatis patet etiam qui ſint illi, quibus inuideant. ſed ut res apertior ſit, hãc etiam partem accuratè perſequitur. Ac primo (inquit) eis homines inuidere, qui propinqui ſunt. quatuor autem præcipuè modis aliqui propinqui dici ſolent. aut tempore, ut qui magiſtratum, uel unà adepti ſunt, uel parum diuerſo tempore. nam ſi alter eorũ maiorem laudem acquirit, alterius in ſe inuidiam concitat, & qui eodem tempore cęperunt alicui arti aut ſtudio incumbere, cum alter melius ſe gerit, & magis in ea re proficit, ſtatim alteri fit inuidioſus, quod non fieret, ſi is qui peritior euadit, multò ante alterum ei ſtudio incumbere cæpiſſet. aut loco propinqui dicuntur, ut qui uicini ſunt, unde prouerbium, Inuidus uicinorum oculus. qui uerò magno locorum interuallo diſiuncti ſunt, non ita uiciſſim inuident, ut qui Mediolani degit, nemini eorum inuidet, qui Bizantij uitam agunt, aut ætate, raro enim puer ſeni inuidet, aut ſenex puero, ſed qui parum inter ſe ætate diſtãt, ij ſibi uiciſſim inuident. aut denique gloria propinqui ſunt, qui præclarè ſe ſuis in negocijs gerunt, & alter timet, ne ab altero ſuperetur. Quare illa excuſatio Q. Fabij Maximi, quia utitur apud T. Liuium, ad extinguendum inuidiæ crimen, quod Africano ſuperiori aduerſaretur, non ſatis eum purgat. nam quãuis ætate propinquus non eſſet, quia ualde ſenex erat, cum Africanus adhuc ualde iuuenis eſſet, tamen erat gloria propinquus, quæ res facile poterat inuidiam excitare. Carmen autem illud, quod Ariſtoteles citat hoc loco, non tantum ad uicinos pertinet, ſed ad omnes qui aliquo modo propinqui ſunt. Quam rẽ eleganter exprimit apud Ciceronẽ Brutus in libro de Claris Oratoribus, de ipſo Cicerone, & Ser. Sulpitio uerba faciens, ſimul (inquit) illud gaudeo, quòd & ęqualitas ueſtra, & pares honorum gradus, & artium ſtudiorumq; finitima uicinitas tantum abeſt ab obtrectatione inuidiæ, quæ ſolet lacerare pleroſque, uti ea non modo non exulcerare ueſtram gratiam, ſed etiam conciliare uideatur.

TEXT. *Inuident etiam illis, quibuſcum de honore certant: certant autem cum ijs quos modo diximus: cum ijs uero, qui multis antea ſeculis uixerunt, aut poſtea ſunt orituri, uel qui iam mortui ſunt, nemo de honore contendit.*

COMM. Honoris certamen inuidiam mouet, itaque oẽs

ferè

ferè illis inuident, quibuſcum de honore certant, à qua tamen labe Cicero in prefatione Bruti ſe uẽdicare conatur, quod nunquam Hortenſio quocũ de honore contendebat, inuiderit, at illi fortaſſe Q. Hortenſius inuidebat. declarat autem Ariſtoteles quibuſcum ſoleant homines de honore contendere, nempe cum eis quos propinquos eſſe ſupra dixit aut tempore, aut loco, aut ętate, aut gloria. nemo enim cum ueteribus, ut cum Hectore, Achille, Aiace de honore certat, neque cum poſteris, qui nundum in lucem uenerunt. ſed neque cũ mortuis, qui iam ſentire non poſſunt, vnde Plancus non illepidè (ſicuti Plinius in præfatione ſcribit) qui cum diceretur Aſinius Pollio orationes in eum parare, quę ab ipſo, aut liberis poſt mortem Planci æderentur, ne reſpondere poſſet, cum mortuis non niſi larua luctari. quo dicto ſic repercuſſit illos, vt apud eruditos nihil impudentius videretur.

TEXT.

Neque cum iјs, qui apud Herculis columnas habitãt; neque cum iјs, à quibus putant ſe longo interuallo aut ſuo, aut aliorum iudicio ſuperari, neque contra, cum iјs, quibus ſe multum praſtare exiſtimant; & quod de perſonis, idem etiam de rebus ſentiendum.

COMM.

Nemo cum eis de honore certat, qui magno locorũ interuallo diſiuncti ſunt, ut qui natus eſt in Græcia, non contendit cum iјs, qui apud Herculis columnas habitant. ſunt autem Herculis columnę uerſus occidentem ſolem in extremo Europæ atque Africæ margine, ubi Oceanus anguſto freto, quod Herculeum vocant, terras ingreditur, & mare mediterraneum efficit, ac primo ingreſſu à dextra parte Mauritaniam, à læua Beticam Hiſpaniã alluit. atque in Mauritania mons eſt, qui Abila dicitur, vna è columnis Herculis. huic è regione in Hiſpania mons alter opponitur, quem Calpen uocant, & eſt altera Herculis columna. vltra columnas Herculis antiqui nullas eſſe terras habitabiles exiſtimabãt, ſed ab Oceano totam eam regionem occupari. verum poſtea multę inſulæ, maximæque regiones à nauigantibus repertę ſunt. Itaque Ariſtoteles columnas Herculis hoc loco ponit pro extrema terrarum parte. addit præterea neminem eſſe qui cum longe ſuperioribus de honore contendat. ſiue illi ſuperiores ſint aliorum iudicio, ſiue ſuo. quis enim cum eo certet, quem à ſe nullo modo uinci poſſe ſperet? ut ſi cornix cum luſcinia de cantu certet, & lepus cũ leone de fortitudine. neq; contrà; quiſquam cum longè inferiore contendit, vt ſtrenuus imperator, cũ milite gregario, aut uir doctiſsimus cum imperito, aut ciuitatis princeps cum opifice, aut orator eximius, cum infantiſsimo homine. cum enim uir longè ſuperior, cum inferiore contendit, eum honorare quodammodo uidetur. quod in vatinium his uerbis oſtendit Cicero, Quare ne tibi hunc honorem à me haberi forte mirere, quod interrogem quem nemo congreſſu, nemo aditu, nemo ſuffragio, nemo ciuitate, nemo luce dignum putet. Solent enim magni viri uiles & abiectos potius contemnere, quam cum eis certare. hæc autem quę dicta ſunt, non tantum in perſonarum, ſed etiam in rerum diſsimilitudine conſiderantur.

TEXT.

Quoniam autem æmulos ſtudiorum ſuorum, & riuales, & denique omnes, qui eadem deſiderant, ſuperare contendunt, neceſſe eſt etiam, ut eiſdem maximè inuideant, unde dictum eſt, Et figulus figulo.

COMM.

Iam ſupra dictum eſt homines eis inuidere, quibus cum certant, hic autem declarat, qui ſint illi, quibuſcum certare ſoleamus, & quos ſuperare contendamus. Ac primo loco ponit æmulos ſtudiorum. nam æmulatio maximus quidam ſtimulus eſt, ad animos noſtros uehementer excitandos ad uictoriam. ſecundo loco riuales ponit, qui eiuſdem rei amore capti ſunt, aut eandem fœminam amant, inter quos maximæ ſæpe exoriuntur inimicitiæ. Tertio ponit omnes qui eadem deſiderant, cuiuſcunque ſint generis, aut ordinis. fieri enim non poteſt, quin inter eos inuidia naſcatur. quod Ariſtot. Heſiodi auctoritate probat, apud quem duo uerſus leguntur in hunc ſenſum;

Et figulus figulo, & fabro faber inuidet, atque
Pauper pauperie preſſo, atque poeta poetæ.

TEXT.

Et qui ſerò, uel nunquam id, quod cupiebant, aſſecuti ſunt, iјs inuident, qui celeriter idem, ac facile acquiſiuerunt.

COMM.

Res hæc maximè peruagata eſt, & quotidie ferè accidit, vt qui dignitatem, aut honorem, aut rem aliquam cuius deſiderio maximè teneretur, magna cum difficultate conſecutus fuerit, aut nunquam aſſequi potuerit, iјs maximè inuideat, qui rem eam facillimè conſecuti ſunt. ut apud Virgilium Drances, quia non poterat parem Turno gloriam acquirere, uehementer illi inuidebat, ſic enim ait in. 11. poeta,

Tum Drances idem infenſus, quem gloria Turni
Obliqua inuidia, ſtimuliſque agitabat amaris.

TEXT.

Atque illis etiam inuident, qui id quærunt, quod ſi aſſequi potuerint, & ad exitum perducere, probro ipſis futurum ſit, nanque etiam huiuſmodi homines propinqui ac ſimiles ſunt.

COMM.

Nobiles nouis hominibus maximè ſolent inuidere, quia noui homines propria uirtute freti dignitates, atque honores quærunt. quos ſi aſſecuti fuerint, ita plerunque ſe gerunt, ut nobilium gloriam obſcurent, atque eorum quodammodo luminibus officiant. quoniam igitur hi homines propinqui ac ſimiles ſunt, ideo facile in inuidiam incidunt, quod apud Salluſtium Marius nouus homo conſulatum adeptus longa oratione perſequitur. eſt enim omnino quædam nobilitatis infamia, probrumque, ac dedecus, cum à nouis hominibus dignitate atque honore ſuperatur. Itaque ſemper nobiles humili genere natis infeſti ſunt, atque eiſdem magnopere inuident. quod Cicero nouitati ſuæ contigiſſe multis in locis teſtatur.

TEXT. *Perſpicuum eſt enim ipſorum culpa fieri, ut id non aſſequantur: quare dolor moleſtiaq́; , quam ex eo capiunt, inuidiam gignit.*

COMM. Hæc eſt ratio cur inuideant, quia ſatis apparet, id accidere ſua culpa, ne æqualem honorẽ aſſequãtur, cum pares ſint, aut etiam ſuperiores. nam ſi laborare uoluiſſent, aut diligentia uti, fortaſſe idem aſſequi potuiſſent. quam rem longa oratione Cicero pro Cn. Plancio diſputat. nam M. Laterenſis nobiliſsimus uir magno dolore moleſtiaq́; afficiebatur, quòd in ædilitatis petitione ſibi Cn. Plancius præpoſitus fuiſſet, atque ideo vehementer illi inuidebat. atque etiam in iudicium de ambitu uocarat. Cicero autem Plancium defendens in ipſum Laterenſem cauſam conijcit, qui negligens in prænſando, atque in populo ſupplicando fuiſſet, cum interim Plancius nihil eorum prætermiſiſſet, quæ ad conciliandos plebis animos pertinere uiderentur.

TEXT. *Eis præterea ſolent inuidere, qui poßident illa, quæ ipſis conueniebant, aut quæ quondam ipſi poßidebãt; quare ſenes iunioribus inuident.*

COMM. Cum quis alterum habere uidet ea, quibus ipſe dignus eſſet, aut quæ quondam ipſe poſsidebat, facile mouetur ad inuidiam. & hęc eſt cauſa (inquit) cur plerunque ſeniores ſoleant iunioribus inuidere. quoniam ſe ab eis æquari dignitate, aut etiam ſuperari intelligunt. ſic Q. Fabius Maximus is, qui cunctator dictus fuit, creſcenti Scipionis gloriæ plurimum inuidere ſolitus traditur. ſic Talũ pnorum ob ſummam artis fabricæ cognitionem Dædalus inuidia motus ex alta turri præcipitaſſe memoratur.

TEXT. *Et qui magnos ſumptus in aliqua re comparanda fecerunt, ijs inuident, qui paruo ſumptu rem eandem conſecuti ſunt.*

COMM. Sæpe fit, vt aliquis aut paruo aut nullo ſumptũ rem eam conſequatur, quam alius non niſi magno ſumptu conſequi potuit. hinc igitur magna inuidia naſcitur. nã qui magnos in aliqua re ſumptus fecit, cum uidet alium idem ſine ſumptu cõſequi, diſcruciatur, atque illi multum inuidet. ut ſiquis magna largitione magiſtratum adeptus eſt, quem alius poſtea gratis adipiſcatur, aut propter egregiam virtutem ſuam. Male enim res agitur (inquit Cicero) cum id, quod uirture fieri debet, id tentatur pecunia.

TEXT. *Quin illud quoque planum eſt, quas ob res huiuſmodi homines gaudeant, & quibus in perſonis, & quomodo affecti: quo enim modo non ſunt affecti cum dolent, eo modo affecti contrarijs rebus lætabuntur.*

COMM. Qui benè intelligit, quibus rebus maleuoli & ſceleſti homines dolent, idem intelliget etiam quibus ijdem homines gaudeant. inuidorum enim hi mores ſunt, ut bonis alienis doleant, & malis gaudeant. quod Ouidius. 2. Metam. oſtendit, cum de inuidia ita inquit,

Riſus abeſt, niſi quem viſi fecere dolores.

hęc autem lætitia, quæ ex malis alienis percipitur, ab iniquo & maleuolo animo naſcitur, unde maleuolẽtia dicitur à Cicerone, ſicuti ſupra docuimus. ualet autem plurimum maleuolentia, ſicut etiam inuidia ad miſericordiam extinguendam. & hoc eſt quod ſubiungit Ariſtoteles.

TEXT. *Quod ſi ita præparati iudices fuerint, & demonſtratum erit, eos, qui, uel miſericordiam, uel aliquod bonum conſequi digni habiti fuerant, tales eſſe, quales diximus, planum eſt eos nunquam ab illis miſericordiam conſecuturos, in quorum poteſtate res tota poſita eſt.*

COMM. Si Orator hac arte uſus fuerit, & effecerit, ut Iudices aut inuideant bonis aduerſariorũ ſuorum, aut malis eorundem lętentur, nunquam ad miſericordiam cõmonebuntur, licet antea putaſſent eos eſſe miſericordia dignos, aut tales, vt eorum rationem habere oporteret. hæc eſt igitur cauſa, quare de inuidia ac maleuolentia tractauit. vt doceret, quomodo ſit auertenda miſericordia. Cicero pro P. Quintio eleganter & argutè contra Sex. Neniũ hæc tractat, & inuidiam ac maleuolentiã in illum concitat, cum ita inqnit; non comparat ſe tecum gratia P. Quintius Sex. Neui, non opibus, nõ facultare cõtendit, omnes tuas artes, qnibus tu magnus es, tibi concedit, fatetur, ſe non belle dicere, nõ ad voluntatem loqui poſſe, non ab afflicta amicitia transfugere, atque ad florentem aliam deuolare, non profuſis ſumptibus uiuere, non ornare magnificè ſplendideq́; conuiuium, non habere domũ clauſam pudori & ſanctimonię, patentem atque adeo expoſitam cupiditati, & uoluptatibus, & quæ ſequuntur. apud Virgilium Aeneidos 10. Iuno ut auerteret miſericordiam Iouis in Troianos qua venus concitauerat, multa colligit, cur neque Aeneas neque Troiani miſericordia digni ſint, & illud iacit ad extremum,

Tunc decuit metuiſſe tuis, nunc ſera querelis
Haud iuſtis aſſurgis, & irrita iurgia iactas.

TEXT. *Iam uerò, quomodo affecti ſint qui æmulantur, & quæ bona, & in quibus hominibus poſita ſoleant æmulari, deinceps perſpicuum fiet.*

COMM. Nunc de æmulatione verba facere aggreditur, quæ licet quandam cum inuidia, & cum libera indignatione ſimilitudinem habere uideatur, tamen ab utraq; diſcrepat, id, quod ex eius definitione, & ex eis, quæ ipſe tradit Ariſtoteles intelligi facile poteſt. Sequitur autem eundem ordinem, quem ẽt in ſuperioribus. nam primo docet quomodo affecti ſint, qui æmulantur, deinde quæ ſint ea bona, q̃ æmulationem moueant, tum qui ſint homines illi, quos æmulari ſoleamus. hæc eſt illa contentio, quam Heſiodus ait humano generi valde utilem eſſe, cum vicinus uicinum æmulatur, & eum in rebus honeſtis, & gloriatione dignis ſuperare totis uiribus contendit.

TEXT. *Eſt enim æmulatio, quædam ægritudo, quæ naſcitur ex eo, q̃ in ſimilibus ac paribus uideantur eſſe bona quædam honorifica, quæ bona poßint etiam in eum cadere, qui ita aſſectur: non, q̃ alij bona illa euenerint, ſed quod eis, ipſe careat.*

COMM. Hæc eſt æmulationis definitio, qua poſtea pro-

bat

bat Ariſtoteles hanc affectionem eſſe bonam. licet enim ſit ægritudo quæ naſcatur ex bonis honorificis alterius, tamen qui æmulatur, non ideo dolet, quod alter benè habeat, ſicut inuidus facere ſolet, ſed quia ipſe non eadem bona poſſideat, cum ſe dignū exiſtimet, quia ſit par ac ſimilis ei, qui conſecutus eſt. Itaque manibus pedibuſque contendit, ut etiam ipſe bona eadem acquirat. Cicero Tuſcu. 4. ſic ait; Aemulatio autem dupliciter illa quidem dicitur, ut & in laude, & in vitio nomen hoc ſit. nam & imitatio virtutis, æmulatio dicitur, ſed ea nihil hoc loco vtimur, eſt enim laudis; & eſt æmulatio ægritudo, ſi eo, quod quis concupierit, alius potiatur, ipſe careat. & alibi, cum ſit æmulantis angi alieno bono, qđ ipſe non habeat, obtrectātis autem angi alieno bono, quod id etiā alius habeat. Ex verbis igitur Ciceronis intelligimus duplicem ęmulationem eſſe, alteram malam; de qua Plinius in Panegyrico ſic ait, Nihil eſt tam pronum ad ſimultates, quam æmulatio in fœminis præſertim, ea porrò maximè naſcitur ex coniunctione, alitur ęqualitate, ardeſcit inuidia, cuius finis eſt odium. hæc etiam infenſa æmulatio dicitur. alteram autem bonam, quę eſt virtutis imitatio, de qua hoc loco ſentit Ariſtoteles, atque ideo ſubiungit;

TEXT. *Quo fit, ut æmulatio bona ſit, & bonorum uirorū affectio; ſed inuidia mala eſt, & malorum hominum: nam æmulatio cōcitat hominem, ut talis fiat, quo poſſit illa bona conſequi, ſed inuidia proximum conatur eiſdem bonis ſpoliare.*

COMM. Ponit apertam & facilem differentiam inter æmulationem & inuidiam. nam æmulatio cadit in bonum virum, in quem non cadit inuidia. probus enim, ait Plato, inuidet nemini, cùm tamen meliores & præſtantiores ſemper æmuletur. Solet enim æmulatio rebus in omnibus ingenium, & induſtriam, & profectus alere, quoniam hominem cōcitat, vt talis fieri ſtudeat, qualis eſt is, quem æmulatur, vt eoſdem honores ac dignitates conſequi poſſit. inuidia verò dolet, cùm bona proximi videt, & ſiquo modo poſſet, libenter illum ſpoliaret. Cicero in Præfatione Bruti vbi mortem Hortenſij deflet, oſtendit inter ſe & Hortenſium nunquā inuidiam vllam fuiſſe, ſed tantum virtutis æmulationem. Quo tādem (inquit) animo eius interitū ferre debui, cum quo certare erat glorioſius, quā omnino aduerſarium non habere? cum præſertim non modo nunquam ſit aut illius à me curſus impedltus, aut ab illo meus. ſed contra ſemper alter ab altero adiutus, & communicando, & monēdo, & fauendo. de hac æmulatione intelligit Andromache apud Virgilium. 3. Aeneidos, cum ab Aenea de Aſcanio eius filio illa petit,

Ecquid in antiquam uirtutem animoſque uiriles,
Et pater Aeneas, & auunculus excitat Hector?

TEXT. *Neceſſe eſt igitur eos ad æmulandum procliues eſſe, qui ſe eis bonis, quæ non habent, dignos exiſtimant. nullus autem eis ſe bonis dignum cenſet, quæ nullo modo euenire poſſe uidentur.*

Iā incipit aperire quomodo affecti ſint ij, qui æmulantur. ac primò docet eos eſſe procliues ad æmulandum, qui de ſeipſis benè exiſtimant, & audentes ſunt, & magno conſtātique animo: qui putant ſe dignos eſſe, ut ea bona, quæ alios habere vident, & quibus ipſi carent, adipiſcantur. modo talia ſint ea bona, vt ab ipſis acquiri poſſint. nam nemo tam inſipiens eſt, vt putet ea ſibi deberi bona, quæ nulla ratione conſequi poteſt. unde fit ut uicinos tantum æmulentur, & pares ac ſimiles, vt Virgilius non Platonem aut Demoſthenem ęmulatus eſt, ſed Homerum, & Theocritum; M. Tullius non Homerum aut Heſiodum eſt æmulatus, ſed Demoſthenem oratorem, quoniam etiam ipſe Orator fuit, atque ita de reliquis. & hoc eſt quod ait Heſiodus, vicinus uicinum æmulatur. Cicero pro M. Marcello, illo æmulo atque imitatore ſtudiorum ac laborum meorum. Virgilius. 10. COMM.

Spemque meam patriæ quæ nunc ſubit æmula laudi.

Quin etiam æmulus non tantum qui ſimilem honorem ac dignitatem appetit, ſed etiam qui rē eandem flagitat, appellatur, ut Aiax apud Ouidiū cum Vlyſſes de Achillis armis cum eo contenderet; indignans ita inquit,

Præmia magna peti fateor, ſed demſit honorem
Aemulus Aiaci.

Quapropter adoleſcentes, & magnanimi uiri ſolent æmulatores eſſe: & qui ea bona poſſident, quæ honoratis uiris conueniunt. talia uero ſunt diuitiæ, copia amicorum, magiſtratus, & cætera eius generis. TEXT.

Adoleſcentes qui ſibi ferè magna polliceri ſolent, & de ſe benè exiſtimant, eorum, quos admirantur, æmulatores eſſe ſolent. quod prudens ille ſenex Euander apud Virgilium. 8. Aeneid. intelligens unicum filium, quem habebat, Pallantē Aeneæ tradit, vt à primis annis eius æmulator fieret, ſic enim ait, COMM.

tua cernere facta
Aſſueſcat, primis & te miretur ab annis.

Is enim ęmulamur (ut 1. Tuſcu. ait Cicero) qui ea habent, quæ nos habere cupimus. quo fit ut ēt magnanimi uiri qui laudis & gloriæ præter cæteros appetentes ſunt, æmulatores eſſe ſoleant. atq; illi etiam æmulantur, qui bonis eis abundant, quę uiris honeſtis apta ſunt. ut qui diuitiis affluunt, qui multos habent amicos, qui ſunt in aliqua dignitate, atque magiſtratu cōſtituti. vnde propter æmuiationem etiam inter clariſſimos uiros aliquādo ſimultates, & inimicitię naſcūtur, vt apud gręcos inter Themiſtoclem, & Ariſtidem, inter Xenophontem & Platonem, apud Romanos inter Fabium Maximum & Scipionem ſuperiorem, inter Liuium Salinatorem, & Claudium Neronē. ſępe etiam ſine vlla ſimultate aut odio eſt ęmulatio quę honeſtiſſima exiſtimatur, qualem Cicero docet inter ſe & M. Marcellum fuiſſe, atque item inter ſe, & Q. Hortenſium. hęc illa eſt æmulatio, quam ait Quintilianus, in literis maximè profectus alere.

Nam

TEXT. *Nam quia eiuſmodi bona conueniunt eis, qui benè animo conſormati ſunt, tanquam ipſis quoque conueniat probis eſſe uiris, idcirco talia bona æmulātur.*

COMM. Diuitiæ, copia amicorum, magiſtratus, eis præcipuè conueniunt, qui bene animo conformati ſunt, ac probi viri. quo circa qui talia bona poſſident, aut habere cupiunt, probos ſe viros præſtare ſtudent, & eorum mores æmulantur, quos in honore ac precio eſſe vidēt. nobiles enim, & diuites, & gratioſi homines longè magis ad præſtantiorū æmulationem excitantur, quam obſcuro loco nati, & inopes, & ab amicis deſtituti. nam hi quadam deſperatione ducti, non audēt animum ad altiora tollere. illi uero magna ſpe fulti, nihil eſt tam magnificum, quod ſibi non promittant, & ſe conſecuturos non arbitrentur.

TEXT. *Atque illi etiam æmulatores ſunt, quos alij bonis dignos exiſtimant.*

COMM. Sæpe fit vt aliquis magis aliis de ſe, quam ſibi credat, itaque cum intelligit ſe dignū ab aliis exiſtimari, qui bona aliqua cōſequatur, ad æmulationem eorum excitatur, qui iam ea bona conſecuti ſunt. hac de cauſa qui adhortātur, ſæpe etiam laudes immiſcere ſolent, vt facilius quæ uelint, perſuadeant. Cicero pro Seſtio, voſque adoleſcentes & qui nobiles eſtis ad maiorum ueſtrorum mutationem excitabo, & qui ingenio & virtute nobilitatem poteſtis conſequi, ad eam rationem in qua multi homines noui & honore, & gloria floruerunt cohortabor. & quæ ſequuntur.

TEXT. *Et quorū aut maiores, aut cognati, aut domeſtici, aut gens, aut ciuitas in precio ac honore fuit, earundem rerum æmulatores ſunt: nam ea iam propria eſſe bona putant, atque illis ſe dignos arbitrantur.*

COMM. Sunt quędam propria quaſi ſtudia familiarum, ciuitatum, gentium, in quibos poſteri maiorum ſuorum æmulatores eſſe ſolent, vt Romæ Sceuolarū familia iuri ciuili dedita erat, unde multi fuerunt in ea præſtantes iuriſconſulti. quod ita Cicero primo de Officiis teſtatur, Quorū uerò patres aut maiores in aliqua gloria præſtiterunt, eorum plerique in hoc genere laudis ſtudent excellere. & pro L. Flacco, Quod maximè florere in generis ſui gloria uiderat, laudem patriæ in libertatē uindicandæ prætor adamarat. ita qui ſunt eiuſdem ciuitatis potius ciues ſuos æmulantur, quam externos, ut apud Romanos tot belli duces eximij propter æmulationem extiterunt, ſicut apud Atheniēſes tot oratores, & Philoſophi, apud Lacedæmonios tot patientes & laborum tolerantes viri. Sūt etiam gentium ſtudia, quæ gentis eiuſdem homines æmulantur, ut Chaldæi magnam Aſtrologiæ dabant operā, Iudæi cerimoniis, Cilices auguriis, Itali rei militari, Perſæ ueteres frugalitati ac temperantiæ. cur autem hoc accidat, rationem addit Ariſtoteles, quia bona illa quæ iampridem in ſua familia, aut ciuitate, aut natione fuerunt, iam propria atque ſua exiſtimant. & ſe illis dignos præſtare ſtudent. hoc eſt, quod ait Cicero, reliquas nationes poſſe pati ſeruitutem, populi Romani propriam eſſe libertatem.

TEXT. *Quod ſi bona, quibus honos debetur, æmulanda ſunt, neceſſe eſt uirtutes eiuſmodi eſſe: & quæcunque bona ſunt aliis utilia, & benefica. nam omnes beneficos & probos uiros honorant, atque in precio habēt.*

COMM. Tranſit ad ſecundam huius capitis partē ut doceat, quæ ſint ea bona, quæ conciteot homines ad æmulandum. & quoniam in æmulationis definitione dixerat eam excitari propter ea bona quæ ſunt honorifica, & quibus honos debetur, nunc oſtendit, quibus bonis honos debeatur. ac primo loco uirtutes ponit, quæ ſine dubitatione laudabiles & honorificæ ſunt, itaque etiam æmulandæ. ſecundo loco ponit vtilia bona. quoniam non tantum boni uiri ac virtute præditi laudem & honorem adipiſcuntur, ſed etiam ij, qui multis utiles ſunt, ac benefici. Cicero pro P. Seſtio docet q̄ bona ſint ęmulāda, cum ait, hæc imitamini per Deos immortales qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quęritis. hęc ampla ſunt, hęc diuina, hęc immortalia, hęc fama celebrantur, monumentis annalium mandantur, poſteritati propagātur. intelligit autem omnia quę ciuitatibus ac Rebuſp. utilia ſunt.

TEXT. *Nec non cūcta illa quibus propinqui ac uicini frui poſſunt, quales ſunt diuitiæ, pulchritudo, magis, quā bona ualetudo.*

COMM. Summam facit eorum bonorū, quę ſunt ęmulanda. nempe omnia quibus etiam propinqui frui poſſunt, non tantum is, qui poſſidet. tales ſunt diuitię, nam qui diues eſt, multis prodeſſe poteſt, & beneficientia atque liberalitate uti. talis eſt etiam pulchritudo, quæ ſpectantium oculos mouet, & mirificè delectat: quo fit, ut magis ęmulanda ſit, quam bona ualetudo. hęc enim uni illi prodeſt, & delectationem affert, qui eam habet, illa uerò ferè omnes intuentes oblectat, ut res quędam diuina videatur: ſicuti copiosè diſputat Iſocrates in Helenes encomio. ęmulatio diuitiarum magis in viris eſt, quam mulieribus. Heſiodus ait, ęmulatur uicinus uicinum diteſcere feſtinantem. pulchritudinis autē ęmulatio magis eſt in mulieribus quā in uiris, itaque non contentę naturali uenuſtate addunt etiam ſępe fucati medicamenta candoris & ruboris, ut ait Cicero.

TEXT. *Neque obſcurum eſt, quinam ſint æmulandi, nempe ii, qui huiuſmodi bona poſſidēt, qualia ſunt ea, quæ diximus. ut fortitudo, ſapientia, magiſtratus. nam qui magiſtratum gerunt, de multis bene mereri poſſunt.*

COMM. Tertio loco declarat, quos ęmulari ſoleamus, licet hoc ex ſupradictis intelligi poſſit, eos enim ęmulamur, qui prędictis bonis ornati ſunt. ut qui fortitudine pręſtant aut ſapientia, aut qui ſunt in aliquo magiſtratu conſtituti. cuius rei cauſa eſt, quia qui ſunt in magiſtratu multas occaſiones habent, ut de plurimis bene mereantur, quę res ſane glorioſa eſt, & magnopere expetenda. Sic igitur in bello ſunt ęmulationes inter fortes milites, centuriones, duces, tribunos, & cęteros ſimiles, ut ex hiſtoriis permultis exemplis intelligi poteſt. in

Rep. ſapientię ſunt ęmulationes, ut inter iuriſperitos, Senatores, medicos, philoſophos, reliquoſq; pares. neque deſunt ęmulationes in magiſtratibus, qui in unaquaque ciuitate perquā uarij ſūt. tanto autem magis ſunt ęmulanda bona, quanto pluribus utiliora eſſe poſſunt, quoniam ea poſſidenti maiorem laudem & gloriam acquirunt.

TEXT. *Imperatores quoque, & oratores, cæterique omnes, qui talia praſtare poſſunt.*

COMM. Duas tangit artes quę reliquis omnibus antecellunt ut pro L. Murena docet Cicero, hoc eſt artem imperatoriam & eloquentiam. uerba Ciceronis hęc ſunt, Duæ ſunt artes quę poſſunt locare homines in ampliſſimo gradu dignitatis, una imperatoris altera oratoris boni. ab hoc enim pacis ornamenta retinentur, ab illo belli pericula repelluntur. & de re militari ſic in eadem oratione, rei militaris uirtus pręſtat cęteris omnibus: hęc nomen populo R. hęc huic urbi ęternam gloriam peperit. hęc orbem terrarum parere huic imperio coegit, omnes urbanę res, omnia hęc noſtra pręclara ſtudia, & hęc forenſis laus, & induſtria latent in tutela ac pręſidio bellicę uirtutis. de eloquentia uero ita primo de Oratore. Quid tam porro regium, tam liberale, tam munificum, quā opē ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines in ciuitate? non eſt igitur mirum ſi hę duæ artes præter cæteras æmulandæ ſunt, quæ tantas in ſe uires habeāt, nam ex cęteris etiam ut quęque magis hominibus prodeſſe poteſt, ita magis ęmulanda eſt.

TEXT. *Illi etiam æmulandi ſunt, quibus plurimi ſimiles eſſe ſtudent, uel quibus plurimi noti, uel amici fieri cupiunt.*

COMM. Res quædam præclara eſt, habere plurimos qui ſimiles eſſe ſtudeāt, & qui familiares & amici fieri cupiant. hoc enim excellentię cuiuſdam indiciū eſt. ideo tales homines ęmulandi ſunt, quos omnes tanquam florentes expetunt, & obſeruant. in hac re Cicero de ſe gloriatur contra Piſonē, & Vatinium, quod multi ſui ſimiles eſſe cuperent, & ſuam amicitiam expeterent, nemo autem illos cōgreſſu dignos exiſtimaret.

TEXT. *Et quos multi admirantur, aut quos illi ipſi admirantur: & quorum laudationes, & encomia uel à poetis uel ab oratoribus prædicantur.*

COMM. Cum aliquem intelligimus multis hominibus de ſe admirationem concitare, ſtatim eum dignū eſſe, quem ęmulemur, arbitramur, aut ſi non multis, ſed nobis tantum ipſis admirationi eſt, nihilominus ęmulari ſtudemus. atque illos pterea quos intelligimus uel à poetis, uel ab oratoribus celebrari, ſiue uiuunt, ſiue mortui ſint, ut C. Cæſar in Hiſpania cum imaginem Alexandri Magni vidiſſet, eius egregia facta recordatus ad eius ęmulationem totus conuerſus eſt. & Alexander ipſe, cū in Sigęo ad Achillis tumulum aſtitiſſet, fortunatū Achillem appellauit, quod ſuę uirtutis Homerū pręconem inueniſſet. multi etiam uiuentes, & à poetis, & ab oratoribus celebrantur, ut Pompeius à Cicerone, Meſſala à Tibullo, quorum extant eximiæ laudationes.

TEXT. *Contemnunt autem eos, qui ſunt his contrarii: contemptio enim æmulationi contraria eſt, & æmulari, atque contemnere ſunt inter ſe contraria.*

COMM. Sicuti bonis ſupra demōſtratis inſtructos ęmulamur, ita priuatos eis, aut etiam contrariis uitijs inquinatos contemnimus, & indignos eſſe noſtra conſuetudine iudicamus. hęc enim inter ſe cōtraria ſunt, contemptio, & æmulatio, contemnere, & æmulari. quos autem contemnimus, eis aliquando ne reſpondere quidem uolumus, aliquando uero contumeliis etiam uexamus, quod in Vatiniū Cicero eleganter exprimit hoc modo, Si tua tantummodo Vatini quid indignitas poſtularet, ſpectare uoluiſſem, feciſſem id, quod his uehementer placebat, ut te, cuius teſtimonium propter turpitudinem uitæ, ſordeſque domeſticas nullius momenti putaretur, tacitus dimitterem: nemo enim horum erat ita te refutandum ut grauem aduerſarium, aut ita rogandum ut religioſum teſtem arbitrabatur. ſed fui paulo in te intemperantior, quā debui, odio enim tui, in quo & ſi omnes propter tuum in me ſcelus ſuperare debeo, tamen ab omnibus penè uincor, ſic ſum incitatus, ut cum te nō minus contemnerem quam odiſſem, tamen uexatum potius quam deſpectum uellem dimittere.

TEXT. *Neceſſe eſt autem eos, qui ita affecti ſunt, ut uel aliorum æmulatores ſint, uel ſui æmulatores habeāt, contemptores eſſe eorum hominum, qui ſunt malis iis obnoxii, quæ contraria ſunt illis bonis, quæ æmulantur.*

COMM. Qui ſunt æmulatores bonorum, ijdem ut ſint etiam malorum contemptores neceſſe eſt. nā qui rem aliquam ſuſpicit, eius contrariam contemnit, ut qui diuites admiratur, pauperes deſpicit. qui doctorum hominum ſtudioſus eſt, imperitos negligit. cum igitur aliqui iam ad æmulationem animum applicuerint, aut tales fuerint, ut ſui ęmulatores habeant, ſtatim eorum contemptores fiunt, in quibus nulla uident ex eis eſſe bona, quæ ipſi uel ſtudent aſſequi, uel iam aſſecuti ſunt, & multo magis etiam contemnunt. Si contrarijs malis aut uitijs infectos uident. ut ille Numanus apud Virgilium. 9. Aen. cum ſuos laudaſſet. quòd iu perpetuis laboribus nutriti etiam in ſenectute uires & animum eundem obſeruarent, Troianos deinde tanquam contrarijs uitijs deditos ita contemnit,

Vobis picta croco, & fulgenti murice ueſtis
Deſidię cordi, iuuat indulgere choræis,
Et tunicæ manicas & habent redimicula mitræ,
O uerè phrygię, neque enim phryges.

TEXT. *Quare ſæpenumero fortunatos homines contemnunt, cum fortuna quidem eis proſpera eſt, ſed tamen ſine iis bonis, quibus bonos tribui ſolet.*

COMM. Cauſam affert, cur ſępe accidat, ut etiam fortunatos homines aliquando contemnamus, neque quos ęmulemur, dignos eſſe putemus. cum enim quis præter dignitatem ſuam bene res ſuas gerit, & proſperam habet fortunam, cum tamē propter improbi-

improbitatem, aut ignauiam, aut humilitatē malo dignus eſſet, facile contemnitur ab ijs, qui magno ſunt, atque excelſo animo, qui non ex fortunæ inconſtantia, ſed ex bonis animi, atque ex uirtute uirum iudicant. hoc bene Cicero expreſſit in Corneliana, ſicut ipſe citat in Oratore ad Brutū. neque me diuitiæ mouent, quibus omnes Africanos & Lælios multi venalitij mercatoreſq́ue ſuperarunt. neque ueſtis aut cœlatum aurum & argentum, quo noſtros ueteres Marcellos Maximoſq́; multi Eunuchi e Syria Aegyptoque uicerunt, neque uerò mouent me ornamenta iſta villarū, quibus L. Paulum, & L. Mumium, qui rebus his vrbē, Italiamq́ue omnem referſerunt, ab aliquo video perfacile Deliaco aut Syro potuiſſe ſuperari. bona uerò quibus honos tribui ſolet, ut artes egregiæ, ſcientiæ, uirtutes, & ſiqua alia ſunt eius generis, ſolent homines in admirationem & æmulationem adducere.

TEXT. *Sed iam ſatis dictum eſt, quibus modis perturbationes animi inſerantur, aut euellantur inſitæ, unde fidei faciendæ rationes ducuntur. nunc de moribus ſermo nobis deinceps inſtituendus eſt, qui ſecundum animi commotiones, habitus, ætates, fortunas uariantur.*

COMM. Tranſitione vtitur more ſuo, ut ad ſequentia quaſi gradum faciat, hactenus (inquit) de perturbationibus animi diximus, quomodo inſeri animis audientium poſſint, aut euelli, quatenus ad fidem faciendam attinet, quoniam facilius commoti animi ad credendum inducantur, quam ſedati, deinceps uolumus de moribus hominum verba facere, qui non ijdem ſunt in omnibus, ſed quatuor potiſſimum rebus immutari ſolent, hoc eſt à commotionibus animi, ab habitibus, ab ętatibus, à fortunis. hoc autem loco mores uocantur, non qui à uirtutibus aut uitiis naſcuntur, quoniam illi habitus ſunt. ſed proprietates quædam hominum quaſi naturales, quas Plutarchus eius partis animi, quæ rationis expers eſt, qualitates eſſe uult. de quibus ita Cicero de lege Agraria, Non ingenerātur hominibus mores tam à ſtirpe generis, ac ſeminis, quam ab ijs rebus, quæ ab ipſa natura loci, & à uitæ conſuetudine ſuppeditantur, quibus alimur & uiuimus. Carthaginenſes fraudulenti & mendaces, non genere, ſed natura loci quòd propter potus ſuos multis & uariis mercatorū & aduenarum ſermonibus ad ſtudium fallendi ſtudio quæſtus uocabantur. Ligures montani duri, atq; agreſtes: docuit ager ipſe, nihil ferēdo niſi multa cultura, & magno labore quęſitum, Campani ſemper ſuperbi bonitate agrorum, & fructuum.

TEXT. *Voco autem animi commotionem, iram, cupiditatem, cæteraque eius generis, de quibus ſupra diximus, habitus uerò, uirtutes, & uitia, ſed de his etiam ante dictum eſt, & ſimul explicatum, quæ ſibi ſinguli homines proponant, & quarum rerum gerendarum ſtudio teneantur.*

COMM. Cum quatuor propoſuiſſet, quæ mores mutare ſoleant, de duobus iam à ſe dictum oſtendit, hoc eſt de commotionibus animi, & de habitibus itaque ſupereſt etiam ut de reliquis duobus diſſerat, .i. de ætatibus, & fortunis. oſtendit aūt exēplis q̄ ſint animi cōmotiones, & q̄ habitus. cōmotiones ſunt (inquit) vt ira, & cupiditas, & eius generis reliqua, quæ ſupra iam explicata ſunt. habitus ſunt, vt uirtutes, & uitia. de quibus in primo libro dictū eſt, cum de genere demonſtratiuo uerba fierent. & quia propter uarias animi cōmotiones, & propter diuerſos habitus ſtudia etiam diuerſa homines ſequuntur, & aliud atque aliud ſibi faciendū proponunt, etiam de hac re diſputatum eſt, & explicatum ad quas res impellat ira, ad quas cupiditas, ad quas miſericordia, ad quas amor, atque ita de reliquis. eodem modo quid probi uiri, uirtuteque præditi ſtudeant, quid contra improbi, & ſceleſti moliantur, & quemadmodū utrique ſuis ſtudiis delectentur, oſtenſum eſt.

TEXT. *Aetates autem ſunt adoleſcentia, media ætas, ſenectus. fortunas uerò uoco nobilitatem, diuitias, ciuilem potentiam, & ea quæ ſunt his contraria, & denique proſperitatem, & infortunium.*

COMM. Duo reliqua iam aggreditur, quæ mores uariare ſolent, hoc eſt ætates, & fortunas. tres autem tantum ætates facit, hoc eſt adoleſcentiam, mediā ætatem, & ſenectutem, non quod plures eſſe non poſſint, ſed quoniam in his potiſſimū tribus mores mutantur. uel quia pueritiæ mores non ſolent oratores admodum aduertere. Horatius tamen in Arte poetica quatuor ætatū mores deſcribit, hoc eſt pueritiæ, adoleſcentiæ, virilis ætatis, & ſenectutis. Varro quinque faciebat hominum ætates rotunda quadam & facili diuiſione, ut quinto decimo quoque anno varientur. nam à die natali uſque ad quintum decimum annum pueros vocabat, quod eſſent pueri. inde ad triginta annos adoleſcentes, quod corporis uiribus adoleſcerent. poſtea ad quadraginta quinque iuuenes, quod Rēp. in bello iuuarēt. deinde ad ſexaginta ſeniores, qui conſilio ualerent, & corpus ſeneſceret. poſt ſexageſimum annum ad finem uſque uitæ ſenes uocabat, quod ſenio laborarent, donec conficerentur. fortunas uocat Ariſtoteles eo modo quo etiā Cicero, quæ à fortuna non à conſilio proueniunt, ut nobilitatem, opes, potentiam, atque his cōtraria, ignobilitatem, paupertatem, impotentiam atque abiectionem. in ſumma omnis proſperitas, & calamitas fortuita fortunæ nomine continetur.

TEXT. *Adoleſcentes igitur, quod ad mores attinet, cupiditatibus æſtuant, atque illa conantur efficere, quæ concupierint.*

COMM. Iam mores adoleſcentium explicat, quos ait cupiditatibus trahi, & quæ cupiunt efficere conari. ſic etiam Horatius in Arte poetica, ubi poetæ cenſet, cuiuſque ætatis mores notandos eſſe, iuuenes eſſe ſublimes & cupidos ait. Sublimis cupiduſq́;. Homerus. 3. Iliados ait adoleſcentiū mentes ſemper eſſe ſuſpenſas. hoc autem propter ſanguinis feruorem accidere putant, nam quibus ſanguis magis feruet, ij pluribus cupiditatibus trahuntur.

Cicero pro M. Cœlio, ipſa natura profundit adoleſcentiæ cupiditates, quæ ſi ita erumpunt, ut nullius uitam labefactent, nullius domum euertant, faciles & tolerabiles haberi ſolent.

TEXT. *Sed ex omnibus corporis uoluptatibus maximè ueneri dediti ſunt, atque in ea potiſſimum incontinentes eſſe ſolent: uerum facile mutantur, & ea, quorum cupiditate trahuntur, cito faſtidiunt.*

COMM. Adoleſcentes, omnes quidem uoluptates ſequuntur, ſed amoribus & ueneri præcipuè dediti ſunt, quod etiam .7. Ethicorum Homeri teſtimonio probat, & ipſa nos docet experientia, quam incontinentes in amoribus iuuenes eſſe ſoleāt. Sed illud etiam quaſi proprium habent, ut facile mutentur, & quod antea magnopere cupiebant, poſtea negligant, & faſtidiant: quod ita expreſſit Horatius,

—& amata relinquere pernix.

Hac de cauſa ueteres ſolebant amores meretricios adoleſcentibus cōcedere, ne in alienas uxores peccarent, quia putabant non fieri poſſe ut à Venere penitus abſtineant. unde Horatius primo Ser.

Quidam notus homo cum exiret fornice, macte
Virtute eſto, inquit ſententia dia Catonis,
Nam ſimul ac uenas inflauit tetra libido,
Huc iuuenes æquum eſt deſcendere, non alienas
Permolere uxores.

Sic Cicero M. Cœlium excuſat ab ætate, quod cum Clodia conſuetudinem haberet.

TEXT. *Et uehementi quidem cupiditate mouentur, ſed in eis ardor ille celeriter extinguitur: illorum enim uoluntates acutæ quidem ſunt, ſed non tamen diuturnæ, qualis ægrotorum ſitis, ac fames eſſe ſolet.*

COMM. Adoleſcētium cupiditates quamuis acres ſint, & uehementes, tamen inſtabiles ſunt, & paruo tēpore perſeuerant, quod etiam Plato teſtatur cum ſuſpectum haberet Dionyſij iunioris ingenium. ſunt enim acutè & intentæ uoluntates iuuenum & magno impetu negocia aggrediuntur, ſed deinde ceſſant, neque diuturnæ ſunt, eo modo quo ſolent ægroti nonnunquam uehementer cibum & potum appetere, ſed deinde facile ſatiantur. hanc naturam in Bruto fuiſſe declarant C. Cæſaris uerba, quæ à Plutarcho recitātur in ipſius Bruti uita, Hic (inquit) adoleſcens non ſatis certò ſcio quid uelit, ſed quicquid uult, uehementer uult. Sic ille Niſus apud Virgilium. 9. Aen.

Dij ne hunc ardorem mentibus addunt
Euryale? an ſua cuique Deus fit dira cupido?
Aut pugnam, aut aliquid iam dudum inuadere magnum
Mens agitat mihi, nec placida cōtenta quiete eſt.

TEXT. *Præterea facile excandeſcunt, & leui de cauſa iraſcuntur, atque illum animi impetum ſequuntur. & omnino ſemper inferiores, & uicti ab ira diſcedunt: nam propter ambitionem, ac honoris ſtudium pati nō poſſunt, ut ab ullo negligantur, ſed grauiter ferunt, cum ſe iniuria affici exiſtimant.*

COMM. Ad iram propenſi ſunt adoleſcētes, adeo ut minima quaque de cauſa iraſcantur, neque animum regere ualeant. neque ſi uelint iram coercere facile poſſunt, quo fit, ut iræ tanquam præda ſint, & ab ea tranſuerſi rapiantur. hoc autem accidit primum ob ſanguinis feruorem, qui maximè calet in adoleſcentia. deinde propter ambitionem, cupiūt enim honores ac dignitatea, & cum aſſequi non poſſunt id, quod cupiunt, indignantur, quaſi neglecti, & iniuria affecti. hanc excandeſcentiam iuuenilem expreſſit in Turno Virgilius undecimo Aeneidos.

Talibus exarſit dictis uiolentia Turni
Dat gemitum, rumpitque has imo pectore uoces.

Et in quinto Aeneidos de Gya adoleſcente ſic ait,

Tum uero exarſit iuueni dolor oſſibus ingens,
Nec lachrymis caruere genæ, ſegnemque Menœtem.
Oblitus decoriſque ſui, ſociumque ſalutis
In mare præcipitem puppi deturbat ab alta.

Talis naturæ Magnum Alexandrum præcipue fuiſſe legimus, ut propter iuuenilem excandeſcentiam multa patraret, quorum eum deinde magnopere pœnitebat.

TEXT. *Et ambitioſi ſunt, uel potius uictoriæ cupidi. cupit enim adoleſcentia cæteris antecellere, uictoria uero quædam excellentia eſt.*

COMM. Adoleſcentes ſtudio gloriæ efferuntur, itaque ſunt ambitioſi, & aliis præſtare contendunt, atq; alios ſuperare. nam ipſa uictoria quandam præ ſe fert excellentiam. hanc affectionem Cicero quinto de Finibus pueris attribuit, cū ita inquit, Quāta ſtudia decertantium ſunt? quanta ipſa certamina? ut illi efferuntur lætitia cum uicerint? ut pudet uictos? ut ſe accuſari nolunt? quam cupiunt laudari? quos illi labores non perferunt, ut æqualium principes ſint? Quintilianus etiam eū adoleſcētē uehementer probat, qui ualde ſit ambitioſus. licet enim ipſa per ſe uitium ſit ambitio, frequenter tamen eſt cauſa uirtutum. in oratione pro M. Cœlio Cic. docet in adoleſcentia maximè ſtudiū gloriæ uigere, cum ſic ait, Non loquor de ſapientia, q̄ non cadit in hanc ætatē, de impetu animi loquor, de cupiditate uincendi, de ardore mentis ad gloriam. quæ ſtudia in his iam ætatibus noſtris contractiora eſſe debent, in adoleſcentia uero tanquā in herbis ſignificant quę uirtutis maturitas, & quantæ fruges induſtriæ ſint futuræ. Quintilianus. 1. Mihi ille detur puer, quem laus excitet, quem gloria iuuet, qui uictus fleat. hic erit alendus ambitu, & c.

TEXT. *Et hæc ambo potius quam ſtudium pecuniæ ſequūtur: neque enim pecuniæ deſiderio trahuntur, quoniā egeſtatem, aut indigentiam nondum experti ſunt, quemadmodum illud Pittaci dictum in Amphiaraum oſtendit.*

COMM. Ambitione magis & ſtudio gloriæ ducuntur adoleſcentes, quam pecuniæ cupiditate, cuius rei ſignum illud eſt. quod ut aliquem honorem aut celebri-

celebritatem aequirant, maximam pecuniarum uim ſæpe profundunt. hoc autem ideo fit, quia nondum experti ſunt egeſtatem, neque aduerterunt, quam ſit eorum interdum vita miſera, qui rerum ad uitam neceſſariarum indigent. quod olim Pittacus Mitylinæus unus è ſeptem Græciæ ſapiẽtibus, quodam in Amphiaraum dicto ſuo comprobauit. hanc adoleſcentis naturam, quod pecuniarum minime ſtudioſus ſit Horatius in Arte Poetica uno uerſu ſic expresſit, Vtiliũ tardus prouiſor, prodigus æris.

Cicero laudat M. Cælium in eo, quod nullos nimios ſumptus feciſſet, nullum æs alienum contraiſſet, uerſuram feciſſet nullam. quaſi tam prudẽs eſſet, ut ſupra ætatem ſaperet. contra M. Antoniũ vehementer inſectatur, quod patrimoniũ ingens dilapidaſſet, & breui tempore plurimas pecunias profudiſſet.

TEXT. *Neque prauo ingenio ſunt, ſed ſimplices & aperti, quia nondum multa flagitia didicerunt.*

COMM. Non ſunt malitioſi adoleſcentes, neque improbi, ſed potius fatui, atque ſimplices. & eiuſmodi ut ab improbis hominibus in fraudem allici facile poſsint, cuius rei cauſa eſt, quia nondum aliorũ flagitia intellexerunt, &, ut ait Plato. 3. de Rep. nondum habent in animo ſuo rerum earum exemplaria, quas improbi uiri perpetrare ſolẽt, ad quæ reſpicientes poſsint cautiores euadere, qua de cauſa facile decipiuntur, Cicero ſexta in Verrẽ actione ſic ait de Antiocho Syriæ rege quem Verres fefellerat, Antiochus qui animo & puerili eſſet ex regio nihil de iſtius improbitate ſuſpicatus eſt.

TEXT. *Sunt etiam creduli, quia non ſæpe decepti ſunt.*

COMM. Facile credunt adoleſcentes, quæ res maximè periculoſa eſt, & multorum malorum cauſa. hoc autem ideo fit, quia paruum adhuc uſum rerum habent. & non ſæpe decepti fuerunt. nam qui ſemel atque iterum decipiuntur, illi paulatim cautiores fiunt, & tandem illud Epicharmi Siculi dictum obſeruant. dicebat enim Epicharmus neruos eſſe ſapientiæ non credere.

TEXT. *Et bona ſpe aluntur eo, quod natura callidi ſunt, non aliter atque illi, qui uino madentes ſimul etiã quia nondum multis in rebus ſpe fruſtrati ſunt.*

COMM. Semper adoleſcentes ſpei pleni ſunt, & ſibi magna pollicentur. quod ab ætatis feruore naſci docet Ariſtoteles. ſunt enim calidi natura. & ille calor magnos ſpiritus efficit. ut in ebriis etiam accidit. qui maximas ſpes concupiunt. ut idem, in Problematibus docuit. Horatius ad Torquatum

Quid non ebrietas deſignat?
  Operta recludit,
Spes iubet eſſe ratas.

Accedit etiam alia cauſa, quia paucis adhuc in rebus fruſtrati ſunt. ideo ſe facile ſperant omnia conſecuturos. neque rerum ac negociorum difficultatem animo uoluunt. ſicuti ebrij, uini calore oppresſi, non poſſunt multa cogitare, ſed in quandam inanem lætitiam profuſi, multa bona ſperant.

TEXT. *Quin magna ex parte ſpe uiuunt, eſt enim ſpes futuri temporis, memoria uero præteriti: adoleſcẽtibus autem quod futurum tempus, longum eſt, quod uero præteritum eſt paruum. primis enim temporibus ætatis nihil eſt, quod ſe meminiſſe putent, omnia uero ſperant.*

COMM. Vita (inquit) adoleſcentium maiori ex parte pẽdet à ſpe. cuius rei cauſam probabilem affert, quia ſpes tantum ad futurũ tempus pertinet, ſicuti memoria ad præteritum. in adoleſcentia uero tẽpus præteritum paruum eſt, & futurum tempus longum fore putatur, quare longe maior ſpes quam memoria eſt in adoleſcente. quid enim recordari aut meminiſſe poteſt primis temporibus, cum nihil adhuc memoria dignum geſſit? at certè poteſt omnia ſperare, qui ſe diu uicturum putat, & aliorum proſperos ſucceſſus videt. hanc ſpem adoleſcentium Virgilius in decimo Aeneidos eleganter expresſit vbi de Anxure loquitur, quem Aeneas interfecit.

Dixerat ille aliquid magnum, uimque affore uerbo
Crediderat, cœloque animum fortaſſe ferebat,
Caniciemque ſibi, & longos promiſerat annos.

TEXT. *Et propter hanc, quam dixi, cauſam, facile decipiuntur, quia facile ſperant.*

COMM. Ex hoc loco pulchra & uerisſima ſententia elicitur, Qui facile ſperat, facile decipitur. unde cum adoleſcentes facile ſperent, ideo fit, ut etiam nullo ferè negocio decipiantur.

TEXT. *Fortiores quoque ſunt aliis, quoniam iracundi, ac ſpei ſemper pleni. quorum alterum non timere, alterum confidere facit; neque enim quiſquam iratus timet, & qui boni aliquid ſperat, audentior euadit.*

COMM. Solent adoleſcẽtes maiori ex parte cæteris fortitudine præſtare, cuius rei duplex eſt cauſa. prima quòd ad iram propenſi ſunt, altera quod à ſpe nunquam deſtituuntur. iracundia uero facit hominem intrepidum ac fortem, quia fieri non poteſt, ut quiſquam ſimul timeat, & iratus ſit, bona ſpes confidentiam parit, & audaciam, nam qui uictoriam ſperat, animum ſuum confirmat, & in dubiis rebus fortior efficitur. Ergo in adoleſcentia duo ſunt fortitudinis fundamenta, nempe iracundia & ſpes. nam Peripatetici (quod ait in Tuſculanis Cicero) iracundiam cotem fortitudinis eſſe dicebant, Ariſtoteles Ethicorum tertio genus quoddam fortitudinis ab iracundia, furoreque animi proficiſci docet, atque item alterum à ſpe, quam quis animo firmam conceperit. quod autem ſpes fortiores efficiat, docet etiam Virgilius ijs uerbis,

—ſpes addita ſuſcitat iras.

TEXT. *Et uerecundi ſunt, quia nihil aliud adhuc honeſtũ eſſe cenſent, niſi quod ex inſtitutione legeque didicerunt.*

COMM. Docet qua de cauſa ſoleant adoleſcentes eſſe uerecundi. quia cum per ætatem nondum ipſi per ſe quæ uerè bona ſint, & honeſta cognoſcere potuerint, tãtum ea putant honeſta eſſe, quæ ex puerili inſtitutione, & ea lege, atque conſuetudine didicerunt.

didicerunt. itaque quoties aliquid eiuſmodi committunt, quod ſit cōtra ea, quę hominum opinione honeſta eſſe iudicantur, ſtatim erubeſcere ſolent. hoc autem indicium probitatis habetur, quoties adoleſcens præ uerecundia rubore ſuffunditur. ideo Cato Cenſorius dicere ſolebat, magis ſibi placere adoleſcentes qui erubeſcerent, quam qui palleſcerent, quoniam rubor probæ indolis indicium eſt. Cicero pro M. Cœlio uocat Atratinū optimum adoleſcentem eo, quod pudore impediretur, quo minus in turpi oratione diu uerſaretur. neque (inquit) id quod animaduertere poteratis, pudor patiebatur optimi adoleſcentis in tali illā oratione uerſari. Diogenes Cynicus cum aliquando uidiſſet adoleſcentem erubuiſſe, confide (inquit) adoleſcens, talis eſt enim uirtutis color.

TEXT. *Sunt etiam magnanimi adoleſcentes, quia nondum uitæ miſerias ſenſerunt, ſed expertes ſunt earum, quæ in uita accidunt neceſsitatum. nam ſe magnis rebus dignum eſſe cenſere, magnanimitas eſt: hoc autem eius eſt proprium qui ſpei plenus eſt.*

COMM. Duabus de cauſis ait adoleſcentes eſſe magnanimos. primo quia nondum uſum rerum perceperunt, atque ignorant, quam difficile ſit, ea ſibi cōparare, quæ ad uitam honeſte ac liberaliter degendam neceſſaria ſunt. neque enim moleſtias, labores, curas, quæ frequenter accidunt, experti ſunt, deinde quia ſpei pleni ſunt, vt ſupra demonſtratū eſt, & de ſe præclarè ſentiunt, magniſque rebus ſe dignos exiſtimant. quod magnanimitatis eſt proprium. nam quarto Ethicorum Ariſtoteles eum eſſe magnanimum definit, qui ſe rebus magnis dignum exiſtimat, quibus re uera dignus ſit. itaque magnanimitas in honoribus ac dignitatibus propriè uerſatur. licet aliquando pro animi fortitudine poni ſoleat, vnde magnanimi duces dicuntur. & Virgilius Aeneam ſuum frequenter magnanimum uocat.

TEXT. *Et ea potius amplecti uolunt, quæ honeſta ſunt, quam, quæ utilia, magiſque ex inſtitutione uiuunt, quam ex ratiocinatione: nam ratiocinatio ad utilitatē impellit, uirtus autem ad honeſtatem.*

COMM. In adoleſcentia pauci ſunt, qui diuitias accumulent, & quę utilia ſunt, ſequantur. ſed ea potius eſt adoleſcentium natura, ut quæ dignitatem habent & gloriam ſequantur. cauſa eſt quia naturam & inſtitutionem morum amplectuntur, non autem ratiocinatione multum utuntur. nam qui ratiocinari ſolent, utilitatem conſiderant, virtus uero honeſtatem ac dignitatem ſibi proponit. hoc autem à magnanimitate naſcitur. nam nihil tam magni & excelſi animi eſt, quam contemnere diuitias, vt ait Cicero, & honori gloriæque ſtudere. Cicero pro M. Cœlio ſic ait, Etenim ſemper magno ingenio adoleſcentes refrenandi potius à gloria, quā incitandi fuerunt. docet igitur ſua ſponte adoleſcentes ad gloriam incitari ſolere. deinde paulo poſt, ſiquem etiam minimorum horum aliquid offendit, ſi purpuræ genus, ſi amicorum cateruæ, ſi ſplendor, ſi nitor, iam iſta deferuerint, iā ætas omnia, iam dies mitigarit. quibus uerbis oſtēdit adoleſcentes non utilia curare ſed magnifica & ſplendida, poſtea uero paulatim mitigari.

Et ſtudioſi ſunt amicorum, atque ſodalium magis quam in aliis ætatibus conſtituti, propterea quod eorum conſuetudine delectantur, & nondum quicquam ad utilitatem referunt, ita neque amicos. TEXT.

Omnes quidem ferè homines amicos & ſodales amant, & eorum ſtudioſi ſunt in quacunque ætate conſtituti fuerint: ſed adoleſcētes omnium maxime ſtudent amicis & ſodalibus gratificari, quod duabus de cauſis potiſsimū fit. primò quia conſuetudine & conuictu delectantur, & una cū amicis uiuere uolunt, deinde quia nō propter utilitatem amicos quærunt, ut alii ferè ſolent: ſicut enim neque cætera quæ agunt, ad utilitatem referunt, ita neque amicitias. hinc eſt, quod nemo ferè adoleſcens ſolitariam agere uitam poteſt, neq; diu procul ab æqualibus ſuis degere, ſed magnam uoluptatem ex æqualium conſuetudine capit, & ſi liceret, ſemper cum ſodalibus uerſari uellet. hāc autem naturam Horat. in Arte pueris attribuit, cum ait, geſtit paribus colludere. COMM.

Et quicquid peccant, in eo, quod eſt maior & uehementius peccant, & contra Chilonis præceptum, omnia nimis faciunt. nimium enim amant, nimium oderunt, atque ita in aliis rebus omnibus: quippe qui & ſe ſcire omnia exiſtiment, & aſſeuerent omnia, quæ cauſa eſt, ut nimis etiam omnia faciant. TEXT.

Omnia peccata uel modum excedunt, uel ab eo deficiunt. nam ipſa morum uirtus in medio cōſiſtit, unde aurea dicitur mediocritas ab Horatio. & Ariſtoteles in Ethicis apertè docet, omnem virtutem eſſe mediocritatem. itaque unicuique virtuti duo ſunt oppoſita uitia. alterum mediocritatem excedens, alterum ab ea deficiens, ut liberalitatem effuſio excedit, auaritia non attingit, ſed ab ea deficit. adoleſcentium igitur natura talis eſt, ut ſemper in eo, quod nimium eſt peccent, nunquam autem in eo, quod parum. Sunt enim prodigi, ſunt audaces. nimium amant, nimium oderunt. putant omnia ſe intelligere, de omnibus aſſeuerāter enūciant. & denique nimis omnia faciunt, cōtra Chilonis ſapiētiſsimi viri præceptum. nam Chilo Lacedæmonius, qui connumeratur in ſeptem, præcepit, ut nequid nimis fieret. quod præceptum deinde in prouerbium abiit. Terentius in Andria, id arbitror adprimè in uita eſſe utile, ut nequid nimis. hæc eſt cauſa cur ille Terentianus Simo tantopere filium ſuum Pamphilum laudet & extollat, quod reliquorum adoleſcentium uitia non ſequeretur. neque in aliquo ſtudio nimium eſſet occupatus. COMM.

Sic enim ait,

Quod plerique omnes faciunt adoleſcentuli
Vt animum ad aliquod ſtudium adiungant, aut equos
Alere, aut canes ad uenandum, aut ad philoſophos,
Horum ille nihil egregiè præter cætera

Stude-

Studebat, & tamen omnia hæc mediocriter.
Nam omnino uerum eſt id, quod ait Horatius;
Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

TEXT. *Et quas iniurias faciunt, eas propter contumeliã, non propter malitiam inferunt.*

COMM. Prompti quidem ſunt adoleſcentes ad iniuriã faciendam, ſed non ut damnum alicui dent, aut quia malitioſi ſint. nerũ quia contumelioſi ſunt, & honorem ac dignitatem inimicorum violare gaudẽt. qui mores etiam eorum ſunt, qui magnas diuitias posſident, & ingentes corporis uires habent, ut tertio Politicorum idem Ariſtoteles tradit. Cic. pro Cœlio cognouit hos eſſe mores adoleſcentium nt plerunque contumelioſi ſint, ideo ita iuuentuti præcipit, ne incurrat in alterius domum atque famam, ne probrum caſtis, labẽ integris, infamiam bonis inferat, ne quem interimat, ne interſit inſidiis, ſcelere careat.

TEXT. *Et facile miſericordia commouentur, quoniã omnes probos eſſe, ac meliores quam ſint exiſtimant: ſua enim ipſorum innocentia cæteros metiuntur. itaque illos indigna pati iudicant.*

COMM. Procliues ad miſericordiam adoleſcentes eſſe ſolent. ratio eſt, quia benè de omnibus ſentiunt, & bonos eſſe uiros putant, & multo meliores quã ſint, eſſe iudicant. hoc autem ideo fit, quia plerunque ſunt ipſi innocentes, & probi. credunt enim alios etiam eſſe ſui ſimiles, & cum aliqua calamitate preſſos uident, putant illos indigna pati, atque iniuſtè affligi. quæ res (ut eſt antea demonſtratũ) maxime ſolet miſericordiam concitare. Virgilius hanc adoleſcentium naturam miſericordem, expresſit in Aſcanio, Euryalo, & Niſo. nam Aſcaniũ miſericordia motum ſępe lachrymantem inducit, Euryalum matris ſuæ lachrymas non poſſe perferre docet, Niſum Euryalo mortuo ſuperſtitem eſſe noluiſſe.

TEXT. *Et riſus ſtudioſi ſunt, quo fit, ut faceti iocoſique ſint: urbanitas enim erudita quædam contumelia eſt. Tales igitur ſunt adoleſcentium mores.*

COMM. Læti ſunt atque hilares adoleſcentes, & riſum libenter undique captant, itaque iocis, ſalibus, & facetiis ſtudent. nam urbanitas ſæpe ualde commendatur. & licet contumeliam adiunctã habeat, tamen ab eruditione, & doctrina ſæpe proficiſcitur. quare non immerito inter uirtutes connumeratur. Cicero pro Cœlio ſcribit, maledictionem quæ facetius iactatur, urbanitatẽ nominari. quid autem habeant utilitatis ioci, ſales, & facetiæ urbanæ, copioſè declaratur apud Ciceronem libro de Oratore ſecundo. debent tamen in riſu & facetiis adoleſcentes intemperantiam & ſcurrilem dicacitatem euitare, & præcipue ne turpi & obſcæna imitatione riſum captent. Quintilianus enim ita ſcribit. Non dabit mihi ſpem bonę indolis, qui hoc imitandi ſtudio petet, nt uideatur. atque hactenus quæ ſint mores adoleſcentium ſatis declaratum eſt.

TEXT. *At uerò ſenes, & qui iam grandes natu ſunt, contrariis fere moribus plerumque prædıti reperiuntur.*

COMM. Cum iam adoleſcentiũ mores explicuerit, nũc ad ſenes tranſit, ubi quæri poteſt, cur non prius de ijs dixerit, qui ſunt in media ætate conſtituti, ſicut ordo poſtulabat. ſed quęſtio facile ſoluitur, ex uerbis ipſius Ariſtotelis, qui ait ſenes contrariis fere moribus eſſe præditos adoleſcentium moribus. contraria enim contrariis apposita & collata melius intelliguntur. neque mirum ſi contrarios habent mores, cum inter ſe multum diſtent, adoleſcentes enim in uitæ quaſi principio conſiſtunt, ſenes autem in fine. & adoleſcentes calidæ feruentisque naturæ ſunt, ſenes autem frigidæ atque rigentis. diuerſa porrò natura morum diuerſitatem parit.

TEXT. *Quoniam enim multos annos uixerunt, pluribuſque in rebus decepti ſunt, atque ipſi aberrarunt, & magna negociorum pars malis abundat: nihil planè confirmare ſolent, ac longè minus quam oporteat, omnia faciunt, & ſe opinari non ſcire quicquam prædicant, & de quaque re ambigentes, ſemper adiungunt Forſan, & Fortaſſe, atque ita omnia dicunt, nihil autem aſſeueranter efferunt.*

COMM. Primo ſenum mores explicat, qui ab experientia naſcuntur. quam ex longa uitæ conſuetudine perceperunt. atque ait ſenes nihil planè ſolere cõfirmare, ſed de omnibus ferè dubitare. cuius rei triplicem cauſam adfert, primò quòd ab aliis ſæpe, & pluribus in rebus decepti ſunt, ut nihil ſibi certi audeant, de aliis promittere. ſecundo quod ipſimet frequenter aberrarunt, & ſua culpa in errores inducti ſunt, ut etiam de ſe ipſis dubitare cõpellantur. tertio quòd in rebus ipſis, atque negociis multa mala reperiuntur, & contra uoluntatẽ noſtram accidentia, ut nunquam de ullo negocio ſecuri eſſe posſimus. his de cauſis fit, ut ſenes qui multa ſunt experti, nihil planè cõfirmare audeãt, & ſemper timidiores frigidioreſq; ſint, quã oporteat in negociis adminiſtrandis. & de omni re dubitent, atque ambigant, neque quicquam aſſeueranter affirment, ut ſolent adoleſcentes, uerum ſuſpicari & opinari ſe dicant, nihil autem ſcire, quo fit ut etiã illa dubitandi aduerbia frequenter uſurpent, Forſan & Fortaſſe. & quemadmodum adoleſcentes in eo, quod nimium eſt peccant, ita ſenes in eo, quod eſt parum. ſic etiam Horatius de ſene.

Vel quod res omnes timidè gelideque miniſtrat.

Quod autem ſenes efficiunt, ut nihil aſſeueranter efferant, id olim Academici philoſophi diligẽter obſeruabant, qui nihil ſciri, nihil percipi poſſe cenſebant. apud Romanos in iudicio teſtes etiam ſi ea dixiſſent, quæ ipſi uidiſſent, & planè comperta haberent, tamen non ſe ſcire, ſed arbitrari dicebant. quod Cicero pro Fonteio declarat, ubi quẽdam teſtem ita refellit, Qui primum illud uerbũ conſideratisſimum noſtræ conſuetudinis arbitror, quo nos etiam tum utimur, cum ea dicimus iurati, quæ comperta habemus, quæ ipſi vidimus, ex toto teſtimonio ſuo ſuſtulit, atque omnia ſe ſcire dixit. putabant enim ueteres aſſenſionem

ſionem in rebus omnibus ſuſtinere, prudentis eſſe hominis.

TEXT. *Et ingenio prauo, moroſoque ſunt: eſt enim cacoethia uitium, cum in deteriorem partem omnia capiuntur.*

COMM. Sicuti adoleſcentes aperti ſunt & ſimplices, ita ſenes maleuolam ac prauam naturam habent, & nihil unquam à quoquàm bono animo factũ putant, ſed in deterius omnia trahunt, quod uitium græco nomine cacoethia nominatur. uno autem latino explicari fortaſſe non poteſt. duobus commode poteſt, ut dicatur morum peruerſitas. Iuuenalis neutro genere protulit, & pro mala peruerſaque conſuetudine uſurpauit, cum ita inquit,

--tenet inſanabile multos
Scribendi cacoethes, & ęgro in corde ſeneſcit.

Sed Ariſtotelis definitio naturæ ſenum mirè conuenit, qui in peiorem partem omnia interpretantur, & de quocunque facto dubitatur, id ſenes malo conſilio factum arbitrantur.

TEXT. *Et ſuſpicioſi ſunt eò, quod nemini credant: credunt autem nemini propter experientiam & uſum.*

COMM. Habent ſemper ſenes mala aliqua ſuſpecta, & fraudem ac dolum in omnibus rebus timẽt, quia; ſecundum Epicharmi præceptum, nemini credũt, nulli fidem habent, hoc autem à longa rerum experientia naſcitur. nã in longa uita multę fraudes & multa mala ſolent homines experiri. hæc duo uitia cacoethiæ & ſuſpicionis quæ ſenibus Ariſtoteles attribuit, Terentius in Adelphis eis omnibus aſsignat, qui ſunt in aliqua calamitate conſtituti. ſic enim ait. Omnes quibus res ſunt minus ſecundæ, magis ſunt neſcio quomodo ſuſpicioſi: ad contumeliam omnia accipiunt magis propter ſuam impotentiam, ſe ſemper credunt negligi.

TEXT. *Atque eadem de cã neq; uehementer amant, neq; uehementer oderunt: ſed ex Biantis præcepto amant tanquam oſuri, & oderunt tanquam amaturi.*

COMM. Eadem inquit cauſa, hoc eſt experientia multarum rerum, efficit, ut ſenes neque in amando, neque in odio habendo uehementes ſint, ſed Biantis præceptum ſeruent, qui iubebat, ut ita amaremus, quaſi aliquando eſſemus oſuri, & ita odiſſemus quaſi aliquando eſſemus amaturi. Volebat igitur Bias & amorem & odium in nobis eſſe mediocre. quemadmodum in ſenibus eſſe docet Ariſtoteles. Cicero libro de Amicitia tradit hanc Biãtis uocem ita Scipioni diſplicuiſſe, ut diceret, nullam uocem amicitiæ inimiciorem reperiri poſſe. neque putaret à Biante uiro ſapiente profectam, ſed ab impuro aliquo atque ambitioſo homine, qui omnia ad utilitatem & potentiam ſuam reuocaret. itaque diligenter & accurate illam refellit, & oſtendit in amicitia nullo modo ſequendam eſſe.

TEXT. *Parui quoque animi ſunt, quoniam longa ætas eorum ſpiritus fregit; nihil enim magnum, nihil eximiũ appetunt, ſed ea tantum, quæ ſunt ad uitam neceſſaria cupiunt.*

COMM. Quia magnanimos eſſe adoleſcentes docuerat, nunc contra ſenes anguſto & puſillo animo eſſe docet. & huius rei cauſam affert, quia longum tẽpus & confecta ætas eos humiles reddidit, & animum eorum ita depreſsit, ut non amplius ſe erigat, nihil amplum, nihil glorioſum expetat, itaq; nihil aliud ſenes ait cogitare, niſi quomodo uiuãt & diu uitam producant. nam (ut ait Cicero) nemo eſt tam ſenex qui ſe non putet annum poſſe uiuere. hoc autem uitium puſilli animi, non tantum in ſenibus eſt, ſed aliquando etiam in aliis ætatibus, cùm quis etiam ſi dignus ſit magnis honoribus, tamen ſe indignum exiſtimat. de quibus ita Cicero primo de Finibus, Ecce alij minuti, & anguſti, aut omnia ſemper deſperantes. tales autem homines ſolent eſſe auari & illiberales, ut primo de Officiis Cicero, Nihil enim eſt tam anguſti animi, tamque parui, quã amare diuitias. & hoc eſt quod ſubiungit Ariſtoteles, ſenes quia parui atque anguſti ſunt animi, ideo illiberales atque auaros eſſe.

TEXT. *Atque illiberales ſunt, nam pecuniæ in eis numerantur, quæ ſunt ad uitam neceſſaria: ſimul etiam longo uſu didicerunt, quam difficile ſit pecuniam acquirere, & quam facile ſit eandem amittere.*

COMM. Duabus de cauſis ſenes ait auaros eſſe ſolere. primo quia tantum ea curant, quæ ſunt ad uitam neceſſaria. & pecuniæ ſunt eiuſmodi, ut ad uitam eſſe neceſſariæ uideantur. deinde quia difficultatem acquirendæ pecuniæ, & amittendæ facilitatẽ intelligunt reipſa atque longa experientia docti. hoc uitium ſenilis auaritię notat etiam Terentius in Adelphis, cum ita inquit,

Solum unum hoc uitium affert ſenectus hominibus
Attentiores ſumus ad rem omnes, quam ſat eſt.

Et Cicero in libro de Senectute, Auaritia uerò ſenilis (inquit) quid ſibi uelit non intelligo. poteſt enim quicquam eſſe abſurdius, quam, quo minus uiæ reſtat, eo plus uiatici quærere? Plautus in Aulularia facetiſsime deſcribit ſenem quendam Euclionem auariſsimum, ut ſenilem naturam exprimat. Poetæ fingunt Tantalum fame & ſiti confectum, neque poma capiti imminentia, neque undam labris uicinam capere poſſe, quo figmento ſenes auaros denotarunt, Horatius in Arte.

Multa ſenem circumueniunt incommoda, uel quod
Quęrit, & inuentis miſer abſtinet, ac timet uti.

TEXT. *Sunt etiam timidi, ſemperque uerentur, ne aliquid ſibi mali contingat. nam contrario modo affecti ſunt atque adoleſcentes. ſunt enim gelidi ac refrigerati, adoleſcentes autem feruentes. quare ſenectus aditum timiditati patefecit. timor enim refrigeratio quadam eſt.*

COMM. Senes eſſe timidos, & mali ſemper aliquid expectantes antequam adueniat, ea ratione probat, ꝙ homines contrario modo ſe habeãt in ſenectute,

quam in adoleſcentia. dũ enim adoleſcentes ſunt, uigore ætatis calidi ſunt & feruentes, & propter ſanguinis feruorem magnos ſpiritus concipiunt, & timorem abiiciunt. cum autem ad ſenectutem peruenerint, ceſſat ille feruor ſanguinis, & paulatim gelidus fit ſanguis, & refrigeratur, quo fit, ut etiam ſpiritus minores fiant, & facile timor ingrediatur. neque enim aliud timor eſt, quam quędam refrigeratio. quod multis in locis eleganter & erudite Virgilius expreſsit, ut in ſecundo Aeneidos,

Obſtupuere animi gelidusque per ima cucurrit
Oſſa tremor.

Idem in 3. mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine ſanguis.

Rurſus in eodem,
Tum gelidus toto manabat corpore ſudor.
& infra,
At ſociis ſubita gelidus formidine ſanguis
Diriguit. & in 6.
—gelidus Teucris per dura cucurrit
Oſſa tremor. & in 12.
Videre Auſonii, gelidusque per ima cucurrit
Oſſa tremor. & in. 1. Aeneidos,
Ex templo Aeneæ ſoluuntur frigore membra.

Quod autem ſenes gelidi ſint ac refrigerati, declarat. idem Virgilius lib. 5. Aeneidos, ubi ſic Entellum loquentem facit,

—Sed enim gelidus tardante Senecta,
Sanguis hebet, frigentque effetæ ſanguine uires.

Et in 8. Euandrum ita loquentem inducit,
Sed mihi tarda gelu, ſeclisque effæta ſenectus
Inuidet imperium.

Ergo propter refrigerationem ſenes maiori ex parte timidi ſunt, quod etiam Horatius in Arte ſic expreſsit,

Vel quod res omnes timidè gelideque miniſtrat.

TEXT. *Et cupidi uitæ ſunt, præſertim exacta ætate, atque extremo tempore: cupiditas enim abſentium rerum eſt, & omnes cuius rei indigentes ſunt, eam maximè deſiderant.*

COMM. Homines natu grandiores, quò morti uiciniores ac propinquiores fiunt, eò uitæ cupidiores eſſe ſolent. huius rei cauſa eſt, quia cupimus ea, quę non habemus. ſenes autem ætate iam decrepita atque extrema, uita quodammodo priuati eſſe uidentur. itaque illam magnopere cupiunt, nã hoc omnibus commune eſt, ut ea maximè deſideret, quorum indigentes ſunt. hoc eſt quod etiam Horatius de ſene dixit,

Dilator, ſpe longus, iners, auidusque futuri.

Cato apud Ciceronem libro de ſenectute, ſic ait, Quarta reſtat cauſa, quæ maximè angere, atque ſolicitam habere noſtram ætatem uidetur, appropinquatio mortis. quæ certè à ſenectute non poteſt longe abeſſe. ſed ipſe Cato multis rationibus probat non eſſe timendam mortem, & ad extremum contra ſenum aliorum naturam ita de ſe cõcludit, Quod ſiquis Deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repueraſcam, & in cunis uagiam, ualde recuſem. nec uero uelim quaſi decurſo ſpacio à calce ad carceres reuocari.

Difficiles etiam & queruli ſunt, quod ipſum quandam animi anguſtiam indicat. TEXT.

COMM. Sæpe ſine cã ſenes de miniſtris ſuis, & de amicis conqueruntur, neque unquam ſibi ſatisfactũ putant, & frequenter hunc & illum cum querimonia inſimulant. quo uitio qui præditi ſunt, à Græcis μεμψίμοιροι uocantur, quo uocabulo uſus eſt Cicero libro Epiſtolarum. 3. ad Appiũ. Horatius in Arte poetica duobus latinis id græcum uerbũ expreſsit, cum ait de Sene. Difficilis, querulus. & Sillius Italicus libro 13. Senectutem queribundam uocat, quòd ſæpe querantur ſenes.

Et in uiuendi ratione ſibi utilitatem, non honeſtatem proponunt. atque hoc ſupra modum faciunt eo, quod ſui ipſorum amantes ſunt. nam quod utile eſt, priuatum uſum reſpicit, quod autem honeſtum eſt, communem. TEXT.

COMM. Hoc etiam ab adoleſcentium moribus plurimum diſcrepat. nam adoleſcentes utilitatem negligunt, & potius gloriam atque honeſtatem amplectuntur. at ſenes contra ſequuntur utilitatem, & potius commodorum ſuorum quam honeſtatis rationem habent. hoc autem ideo fit, quoniã ſenes nimium ſe ipſos amant, & ea quærunt, non quę ad alios ſed ad ſe ipſos pertineant. Sed inter honeſtum & utile ea eſt differentia, quòd honeſtum ad alium refertur, utile uerò ad ſeipſum, & ad fructum commodumque proprium. hac igitur in re ſenes Epicurum & eius ſectatores imitantur, qui dicebat, utilitatis propriæ gratia eſſe omnia facienda. neque aduertendum quid honeſtas aut communis utilitas poſtulat. notandum autẽ quod ait Ariſtoteles hoc loco honeſtum id eſſe, quod ſimpliciter & communiter bonum eſt, nõ autem quod priuatum tantum uſum reſpicit.

Inuerecundi quoque potius quam uerecundi ſunt: cum enim non aquè honeſtatem, ac utilitatem curẽt, parui faciunt etiam quales uideantur. TEXT.

COMM. Verecundia non admodum in ſenes cadit, quoniam ætatis uitio magis utilitatem appetunt, quã dignitatem. itaque modo lucrari poſsint, aut aliquid utile conſequi, non curant, quid de ſe homines loquantur, aut ſentiant. nam adoleſcẽtes ſunt innocentes & uerecundi, ut bene audiant, & ut rumorem bonum colligant, erubeſcũt. ſenes autem qui aliorum de ſe exiſtimationem parui faciunt, neque ſua multum intereſſe putant, quales uulgo habeantur, omnem facile uerecundiam exuunt. nam (ut primo de legibus ait Cicero) ut quiſque maximè ad ſuum commodum refert, quæcunque agit, ita minimè eſt uir bonus. hinc eſt quod plerique ſenes improbi ſunt & auari, quia ſunt inuerecundi. uerum eſt enim quod ait Cicero, ſine uerecundia nihil rectum eſſe poſſe, nihil honeſtum.

TEXT. *Neque ulla ſpe ducuntur, cum propter experientiam (magna enim negociorum pars malis abundat, unde fit, ut in deteriorem partem pleraque cadant) tum etiam propter timiditatem.*

COMM. Duplici de cauſa ſenes ait à ſpe defici, primo propter longum uſum & experientiam, qua perſpectum habent, hominum ſpes eſſe fallaces, cum in omnibus negociis multa mala reperiantur, & humanæ res infortunatos plerunque exitus habeant. deinde propter timiditatem qua præditi ſunt. ſunt enim plerique ſenes timidi, ſicuti ſupra dictum eſt, timor autem ſpem adimit, & deſperationem inducit. Cicero in epiſtola quadā ad Cœlium, Recordor enim deſperationes eorum, qui ſenes erant adoleſcente me. Horatius in Arte uidetur ab Ariſtotele diſſentire. nam ubi de ſene loquitur, ait eum eſſe ſpe longum, ſic enim ſcribit,

Dilator, ſpe longus, iners, auiduſque futuri.

Sed dicere poſſumus, Ariſtotelem hoc loco de negociis uerba facere, in quibus ſenes uix adduci poſſunt, ut aliquid boni ſperent euenturum. quippe qui ſemper infelicem exitum timeant, Horatium autem de uita ſenum uerba facere, qui longa ſpe uiuendi ducuntur, nemo enim tam decrepitus eſt, qui ſe annum non putet poſſe uiuere.

TEXT. *Viuuntque memoria potius quam ſpe, quod enim reliquum eſt uitæ, paucum eſt, præteritum autē multum: & ſpes ipſa futuri temporis eſt, memoria uero præteriti.*

COMM. Non tam de futuris rebus ſenes cogitare ſolēt, quam de præteritis. cum enim longo tempore uixerint, frequenter ipſi ſecum ea, quæ uiderunt, audierunt, fecerint, memoria repetunt. & omnem ferè cogitationem ſuam ad rerum præteritarum memoriam referunt. cumque non multum uitæ ſibi reliquum eſſe poſſe intelligant, non audent ſibi multa promittere, neq; magna ſperare. ſpes enim omnis ad futurum tempus refertur, memoria uerò ad præteritum. quo fit ut ſenes memoria potius quam ſpe uitam traducant.

TEXT. *Quæ quidem cauſa eſt etiam loquacitatis in ſenibus: neque enim ceſſant ea narrare, quæ ſuperiori tempore geſta ſunt, quoniam ex recordatione uoluptatem capiunt.*

COMM. Quia frequenter de præteritis rebus ſenes cogitant, ideo fit ut loquaces ſint, & ſemper narrare ſtudeant ea, quæ ipſi uiderunt, aut fecerunt. ſentiunt enim in narrādo magnam uoluptatem. dum res præteritas memoria repetunt. quod quidem Homerus expreſſit in Neſtore ſene, quem ſæpe narrantem inducit ea, quæ ſuperiori tempore, uel à ſe, uel à cæteris heroibus geſta fuerant. & Virgilius in octauo Aeneidos Euandrum ita de ſe loqui facit,

Qualis eram cum primam aciem Præneſte ſub ipſa
Straui, ſcutorumque incendi uictor aceruos,
Et regem hac Herilum dextra ſub tartara miſi.

& quæ ſequuntur.

Hoc eſt quod ait Horatius de ſene.

— laudator temporis acti
Se puero.

Cicero cum ſenectutem laudaret, non potuit eam ab hoc loquacitatis uitio excuſare. ſic enim apud eum Cato loquitur, Ignoſcetis autem, nam & ſtudio rerum ruſticarū prouectus ſum, & ſenectus eſt natura loquacior, ne ab omnibus eam uitiis uidear uendicare.

Iræ ſenum acres quidem, & acutæ ſunt, ſed tamen imbecillæ. TEXT.

Facile ſenes iraſcuntur, uerumtamen non perſeuerant in ira. quoniam imbecillitatem ſuā agnoſcunt, & propter timiditatem, non audent ad illa aggredi, quæ ira ſuadet. itaque indignari quidem & minari ſolent, ſed non offendere, neque iram explere. ſtatim enim animum remittunt, propterea quòd in eis non diutius efferueſcit ſanguis propter refrigerationem ætatis. ira uerò nihil aliud eſt quam feruor ſanguinis circa cor. COMM.

Cupiditates uero partim omnino defecerunt, partim autem languidæ facta ſunt. itaque neque cupiditate flagrant, neque aliquid impulſu cupiditatis efficiunt. ſed ad lucrum omnia referunt. quare temperati eſſe uidentur huiuſmodi homines: cupiditates enim remiſerunt, & pecuniæ ſeruiunt. TEXT.

Hoc magnum eſſe bonum in ſenectute Cato cēſuit, qđ ea cupiditatibus careat. q̄ uel penitus deficiunt, uel ita languidę fiunt, ut non amplius moleſtæ ſint. Cicero de ſenectute ita ſcribit, Bene Sophocles cum ex eo quidam iā confecto ætate quæreret, uteretur ne rebus uenereis, Dij meliora (inquit) libenter uerò iſthinc tanquā à domino agreſti ac furioſo profugi. cupidis enim rerum talium odioſum & moleſtum eſt fortaſſe carere, ſatiatis uerò & expletis iucundius eſt carere, quā frui. ſenes igitur cum neque cupiditatibus flagrēt neque quicquam cupidè faciant, temperati eſſe uidentur. abſtinent enim ab omnibus ferè uoluptatibus, & pecuniam totis uiribus cogere laborant. quo fit ut auari, atque illiberales ſint, ut ſupra declaratum eſt. COMM.

Et magis in degenda uita ratiocinationem, quam morem ſequuntur; nam ratiocinatio ad utilitatem, mos ad uirtutem ſpectat. TEXT.

In hoc etiam adoleſcentibus ſenes contrarij ſunt, quod adoleſcentes inſitos à natura mores & uirtutum ſemina ſequuntur, neque quid utile ſibi ſit ratiocinantur, ſed quid honeſtum cogitant. ſenes autem id potius faciunt, quod ratiocinatio dictat, quam quod inſiti mores à natura. nam ipſa ratiocinatio, cogitatioque rerum ſuarum ad utilitatem homines impellit. mos autem ac natura uirtutem ſequitur. neglecto igitur more atque inſtinctu naturali ſenes maiori ex parte bonum illud, quod conducit, amplectuntur, neque di- COMM.

COMM. gnitatis admodum ſtudioſi ſunt.

Et quas iniurias faciunt, magis propter malitiam, quam propter contumeliam inferunt.

Omnis iniuria uel damnum, uel dedecus affert ei, cui fit. iniuria quæ damnum affert, malitia nocatur, quæ uero dedecus contumelia. ſenes igitur, cum damnum potius inimicis inferre, quam dedecus ſtudeant, non contumelioſi, ſed malitioſi ſunt. atque in hoc etiam ab adoleſcentibus differunt. nam adoleſcentes ignominia potius inimicos ſuos quam detrimento afficere ſtudent.

TEXT. *Mouentur etiam miſericordia. non tamē ea de cauſa qua iuuenes. nam iuuenes propter humanitatem, ſenes propter imbecillitatem miſericordes ſunt: exiſtimant enim omnia incommoda ſibi ita uicina eſſe, ut ea iam iam paſſuri ſint, hoc autem miſericordis proprium eſt.*

COMM. In hac re ſenes cum adoleſcentibus conueniūt, cum in aliis ferè omnibus diuerſi ſint. quod utrique facile miſericordia commouentur. ſed tamen cauſa diuerſa eſt. nam adoleſcentes ideo miſericordes ſunt, quia bene de omnibus ſentiunt, & humani ſunt, neque quemquam calamitate premi vellent. ſenes autem quia ſuam imbecillitatem vident, & timent ne in eadem mala incidant, ideo miſericordia mouentur. nam ſe omnibus calamitatibus & fortunæ telis propoſitos eſſe putant. neque ullum eſſe incommodum aut malum in quod facile non posſint incurrere. quæ cogitatio miſericordis hominis propria eſt. Sic Chremes ille Terentianus cum Menedemi triſtitiam audiuiſſet, ab eo diſcedēs ait, Lachrymas excusſit mihi, miſeretque me eius. & alibi idem, Somnum hercle ego hac nocte oculis non uidi meis Dum id quæro, tibi qui filium reſtituerem.

TEXT. *Vnde queruli ſunt ac moroſi, minimè uerò faceti, neque iocorum ſtudioſi. querulum enim & iocoſum contraria ſunt.*

COMM. Proni ſunt ad querimonias & lachryinas ſenes, ideo neque facetiis, neqne ridiculis delectantur, ſicut adoleſcentes. Sunt enim hæc inter ſe contraria, nempe, eſſe querulum, & eſſe iocorum ſtudioſum. hoc uidetur expresſiſſe Cato apud Ciceronem cum ait, At ſunt moroſi, & anxij, & iracundi, & difficiles ſenes. & paulo poſt, Contemni ſe putant, deſpici, illudi. præterea in fragili corpore, odioſa omnis offenſio eſt. hæ ſunt cauſæ, cur ſenectus queribunda eſſe ſoleat, & à iocis ac facetiis aliena.

TEXT. *Adoleſcentium igitur & ſeniorum mores huiuſmodi ſunt.*

COMM. Iam duarum ętatum adoleſcentiæ & ſenectutis mores expresſit, qni ferè contrarij eſſe ſolent, propter diuerſam earum ætatum naturam. deinceps admonet quid hæc explicatio morum Oratori proſit.

TEXT. *Quare, cum omnes eas orationes approbent, quæ moribus ſuis conueniunt, ac ſimiles ſunt, nequaquam obſcurum eſt, quomodo poſſint Oratores ita dicere, ut & ipſi, & orationes ſuæ tales eſſe uideantur.*

COMM. Sicuti ſimilitudo morum beneuolentiam conciliat, ita etiam oratio quæ ſimiles mores exprimit. nam nemo eſt, qui non eam orationem probet, quæ moribus ſuis accommodata eſt. quare Orator cognitis cuiuſque ætatis moribus facile poterit ita dicere, ut omnium ſibi uoluntates deuinciat. & eorum ſimilis apud quos uerba facit, eſſe uideatur. nihil eſt enim quod magis auditores demulcere, ac detinere valeat, quam ſi benè cuiuſque ætatis mores exprimantur. quod Horatius in Arte ſic oſtendit,

Si plauſoris eges aulæa morantis, & uſque
Seſſuri, donec cantor Vos plaudite dicat,
Aetatis cuiuſque notandi ſunt tibi mores
Mobilibuſque decor naturis dandus & annis.

Hoc eſt quod etiam M. Antonius apud Ciceronem ſecundo de Oratore tradit, Tantum autem efficitur ſenſu quodam ac ratione dicendi, ut quaſi mores Oratoris effingat oratio.

TEXT. *Qui in mediæ ætate conſtituti ſunt, perſpicuum eſt; eos mores etiam medios ſeruare, & quod in utriſque illis nimium eſt, amputare.*

COMM. Nunc ad mediam ætatem tranſit, quam uult eſſe temperatam ita, ut neque in eo quod eſt nimium, neque in eo, quod parum eſt peccet. quod ipſius uirtutis eſt proprium, ut mediocritatem teneat. omnis enim exuperantia, & omnis defectio uitioſa eſt. mediocritas uero maximè laudabilis. Itaque mediæ ætatis uiri, quod in adoleſcentia & ſenectute nimium eſt, amputant, & quod vtrique deeſt, ſupplent. atque ita medios mores obſeruant.

TEXT. *Neque enim ualde confidentes, quod eſt audaciæ, neque ualdè timentes ſunt, ſed in utroque ſe bene gerunt.*

COMM. In adoleſcentia florentiq́ue ætate ſolent homines eſſe confidentes, audaces, & temerarij, in ſenectute uero demisſi, timidi, & ignaui. ſed in ætate media, quæ conſtans & uirilis à Cicerone dicitur, neutro laborare uitio. neqne enim ſunt ualde confidentes, ut temere pericula adeāt. neque ualde timentes, ut ignauiter, pericula fugiant. uerum fortes & conſtanti animo ſunt, ut quoties opus eſt, pro honeſtate ſe cuiuis periculo exponant.

TEXT. *Neque omnibus temere credunt, neque omnibus fidem derogant; ſed ex ueritate potius omnia indicant.*

COMM. Adoleſcentes, contra Epicharmi Siculi præceptum, nimis creduli ſunt, ſenes autem nimis increduli. Verum mediæ ætatis uiri ab utroque uitio abhorrent, atque ita aſſenſionem ſuſtinent, ut neque omnibus fidem habeant, neque om-

nes

nes mentiri putent. ſed diligenter & accuratè conſiderent, quid ipſa ueritas poſtulare uideatur; & quid uerum, quid falſum eſſe poſſit.

TEXT. *Neque tantum ſibi honeſtatem in degenda uita, neque tantum utilitatem, ſed utranque proponunt.*

COMM. In hoc etiam ab adoleſcentibus & ſenibus uiri differunt, quod adoleſcentes utilitatem negligunt, & honeſtatem ſequuntur, ſenes magis utilitatis ſtudioſi ſunt. uiri autem in actionibus ſuis & honeſtatem & utilitatem ſibi proponunt, quod Horatius eleganter in Arte ſic explicat.

Conuerſis ſtudiis ætas animuſque uirilis
Quærit opes & amicitias, inſeruit honori,
Commiſiſſe cauet, quod mox mutare laboret.

Eſt igitur uirorum uirtus quodammodo propria. Nam (ut ait Cicero) appellata eſt ex uiro, uirtus.

TEXT. *Neque ad parſimoniam, neque ad largitionem inclinant, ſed ad id, quod maximè conuenit.*

COMM. Senes parci ſunt tenaces & auari, adoleſcentes largi profuſi & prodigi, uiri mediam ſequuntur uiam, ut neque ſint auari, neque prodigi, ſed cum opus eſt, & ratio poſtulat, liberaliter ſumptus faciant. quo fit ut pecuniæ non ſolum quærendæ, ſed etiam collocandæ rationem habeant, quæ perpetuos ſumptus ſuppeditet, nec ſolum neceſſarios ſed etiam liberales.

TEXT. *Eodem pacto ſe habent in eis, quæ ad iram, & ad cupiditatem pertinent.*

COMM. Iram & cupiditatem viri conſtantes ita moderantur, ut nihil in eis reprehenſione magna dignum appareat. nam neque præcipites ſunt ad iram ut adoleſcentes, neque cupiditatibus æſtuant, ſed animum uincunt, iracundiam cohibent, cupiditates refrenant, & corpus ita afficiunt ut obedire conſilio rationique poſſit.

TEXT. *Et temperantes ſunt cum fortitudine, & fortes cū temperantia. nam in adoleſcentibus & ſenibus hæc diſtincta ſunt: adoleſcentes enim fortes quidem ſunt, ſed intemperantes, ſenes autem temperantes quidem, ſed timidi.*

COMM. Media ætate uiri duas præclaras uirtutes coniunctas habere ſolent, hoc eſt fortitudinem & tēperantiam, quæ in cæteris ætatibus inter ſe ſeparatæ ſunt. ſiquidem homines in adoleſcentia, quamuis animo forti ſint, & intrepidè pericula ſubeāt, magna tamen ex parte ſeſe uoluptatibus tradunt, & intemperantiam ſequuntur. at uerò ſenes licet à uoluptatibus abſtineant, & temperantiam amplectantur, tamen animo timido ſunt ac demiſſo. ſoli igitur uiri fortitudinem cum temperantia coniunxerunt, atque hoc par nobile uirtutum ſic amplexi ſunt, ut ex eo magnum honorem & gloriam referant. quod ſi forte aliquis adoleſcens has duas uirtutes aſſecutus fuerit, is præter cæteros maximè celebratur, & in ore omnium uerſatur. ut Scipio ille ſuperior qui poſtea Africanus dictus eſt, cum quartum & uigeſimum annum agens in Hiſpania Carthaginem expugnaſſet, & ad eū à militibus ſuis uirgo captiua adducta fuiſſet, adeo eximia forma, ut quacunque incederet, omnium oculos in ſe conuerteret, eam tamen inuiolatam & intactam parentibus & ſponſo reddidit.

TEXT. *Atque (ut in ſumma dicam) quaſcunque res utiles adoleſcentia, & ſenectus inter ſe diuiſerunt, eas ſimul omnes habet ætas media: in quibus autem illæ ætates uel excedunt, uel deficiunt, eas ad mediocritatem, & conuenientiam hæc eadem ætas adducit.*

COMM. Breuiter colligit mediam ætatem omnium eſſe præſtantiſſimam, quoniam ipſa una habet omnia, quæ ſunt in aliis ætatibus bona diuiſa. nā adoleſcentia multa bona poſſidet, quibus ſenectus priuata eſt. contra ſenectus etiam bona quædam habet, quæ non habet adoleſcentia. uerū ætas media poſſidet omnia bona quæcunque uel in adoleſcentia, uel in ſenectute eſſe poſſunt. præterea cum adoleſcentes frequenter in eo, quod nimium eſt, peccare ſoleant, ſenes autem, in eo, quod eſt parum, hæc utraque uitia ætas media corrigit, & ad mediocritatem atque conuenientiam omnia reducit. nam in ea præcipuè conſilium & prudentia uiget. unde celebratur apud Græcos quoddā Heſiodi carmen (ut quidam exiſtimant) in hanc ſententiam; Adoleſcentium opera, uirorum conſilia, ſenum uota. quoniam prima ætas robore & audacia ualet, media conſilio & prudentia, tertia religione & pietate.

TEXT. *Viget autem maximè corpus ab anno trigeſimo ad quintum & trigeſimum uſque. mentis autem uigor atque animi nono & quadrageſimo anno maximè perſpicitur.*

COMM. Quia mediam ætatem magnopere commendauit, quòd omnia in ſe bona habeat, quæ in mores hominum cadere poſſunt, nunc docet quibus potiſſimum annis ætas illa terminetur, & annos ei uiginti tribuit; quibus & corporis & animi uires ſumme uigent. ineunte igitur anno trigeſimo ſummum uigorem & corpus & animus habere incipit, & corporis quidem uigor ſummus annos tantum quinque perſeuerat, nempe ad quintum & trigeſimum uſque. mentis autem perfectus uigor annos uiginti durat, nempe ab ineunte trigeſimo, uſque ad finem quadrageſimi noni. hoc eſt uſque ad ſeptimam annorum hebdomadem. uidetur autem hoc Ariſtoteles à Solone ſumpſiſſe. qui quadam in Elegia ſeptenarij numeri uim explicans dixit in ſeptima annorum hebdomade mentem hominum, intelligentiam; & conſilium ad ſummum perueniſſe. ſed in hoc ab Ariſtotele diſcrepat, quod quarta hebdomade corpus uigere cenſet, Ari-

ſtoteles uero uſque ad quintam. niſi dicamus Solonem de principio uigoris corporei, Ariſtotelem de fine ſenſiſſe. ſic enim parum inter ſe diſcrepant.

TEXT. *At de adoleſcentia quidem, ſenectute, & media ætate, earumque ſingularum moribus hæc dicta ſufficiant. At uerò de fortunæ bonis, quæ mores hominum uariare ſolent, deinceps dicamus.*

COMM. Tranſitione utitur ad fortunæ bona, quæ magnam uim habent ad mores fingendos. hactenus (inquit) de tribus ætatibus diximus, hoc eſt, adoleſcentia, media ætate, & ſenectute, & de moribus, qui ſingulas ætates comitari ſolent, nunc dicendũ eſt, de bonis, quæ nobis fortunæ beneficio prouenire ſolent, quoniam ea, mores hominum, nõ minus quam ætates, uariant. ut enim alij ſunt adoleſcentis mores, alij uiri, alij ſenis, ita nobiles ab ignobilibus, diuites à pauperibus, potentes ab impotentibus diuerſos mores habere conſueuerunt. de qnibus dicere iam Ariſtoteles aggreditur.

TEXT. *Nobilitatis ille mos eſt, ut, qui eam poßidet, honoris ſit appetentior. eſt enim hoc commune omnium, ut, cum bonum aliquod poſſident, illud accumulare ſtudeant. nobilitas autem parentum & maiorum dignitas eſt.*

COMM. Inter fortunæ bona nobilitas primo loco numeratur. caſu enim & fortuna accidit, ut quis aut nobilis aut ignobilis naſcatur. neque eſt in cuiuſquam poteſtate quibus parentibus oriatur. ergo nobilium mores deſcribit, & ait nobiles præter cæteros honoris appetentes eſſe ſolere. quoniam hoc innatum eſt omnibus hominibus, ut bona, quæ poſſident, augere, atque amplificare contendant. nobiles autem iam honorem ac dignitatem à parentibns ſuis & maioribus acceptam poſſident. itaque omni ope nituntur, ut quotidie maiorem honorem ac dignitatem acquirant. hac ratione Cicero pro lege Man. Quirites excitat, ne gloriam maiorum deſerant, uerum eam augeant, Et quoniam (inquit) ſemper appetentes gloriæ præter cæteras gentes atque auidi laudis fuiſtis, delenda eſt uobis illa macula Mithridatico bello ſuperiore ſuſcepta. & infra. Videte, ne ut illis pulcherrimum fuit, tantam uobis imperij gloriam relinquere, ſic uobis turpiſſimum ſit, illud quod accepiſtis tueri & conſeruare non poſſe. & pro P. Seſtio. Voſque adoleſcentes & qui nobiles eſtis ad maiorum ueſtrorum imitationem excitabo. eſt enim nobilitas quaſi ſtimulus quidam ad honorem.

TEXT. *Præterea nobiles ſunt ad alios contemnendos proni, uſque eo ut illos etiam contemnant, qui nunc in eiſdem honoribus ſunt, in quibus olim ipſorum maiores fuerunt. quoniam hæc, ſi interuallo temporis remota ſunt, magis quam propinqua ac nuper facta, ſolent honorari, & maiori gloriatione digna uideri.*

COMM. Nobilitati ſemper coniuncta eſt deſpicientia, nam uiri nobiles quoſcunque putant aliquo modo ſe eſſe inferiores ac contemnunt. neque tantum humiles & qui nullos honores adepti ſunt, ſed etiam eos, qui magnas dignitates conſecuti ſunt, ſi noui fuerint, & nullis maiorum imaginibus commendati. & præſertim quos uident in eiſdem eſſe dignitatibus, quæ iampridem in ſua familia fuerunt. ut Ciceronem conſulem, ſed nouum hominem contemnebant ij, qui in conſulari familia patriciaque nati fuiſſent. opinantur enim homines huiuſmodi honores ac dignitates longe præſtantiores, & maiori gloria dignas, ſi antiquæ fuerint, & familiæ ſuæ iampridem inhæſerint, quam ſi recentes ſint, & nuper acquiſitæ. hanc nobilium naturam Cicero pro P. Quintio ſic expreſſit; Quemadmodum ſolent homines nobiles, ſeu perperam facere cæperunt, ita in utroque excellunt, ut nemo noſtro loco natus aſſequi poſſet. Et Salluſtius in coniuratione Catilinæ ita de Cicerone conſulatum petente ſcribit, Namque antea pleraque nobilitas inuidia æſtuabat, & quaſi pollui conſulatum credebat, ſi eum quamuis egregius, nouus homo adeptus foret.

TEXT. *Nobile uero dicitur, id quod in familiæ uirtute conſiſtit generoſum, quod à maiorum ſuorum natura non degenerat. quod maiori ex parte nobilibus non contingit, multi enim uili atque abiecto animo ſunt.*

COMM. Docet quæ differentia ſit inter nobile, & generoſum. & ait nobile ad familiæ uirtutem pertinere, generoſum autem ad eum, qui maiorum ſuorum uirtutem imitatur. Itaque præclarius eſt eſſe generoſum, quam nobilem. nobilis enim maiorum tantum uirtute gloriaque conſpicuus eſt, generoſus autem & uirtute maiorum & ſua celebratur. itaque generoſi omnes ſunt etiam nobiles, ſed non oẽs nobiles ſunt generoſi. plerique .n. nobiles degenerant à maioribus ſuis, & humili ac demiſſo animo fiunt, atque ad ignauiã & ſecordiam delabuntur. ita Cicero Pyrrhum Epirotarum regem primo de Offi. uocat regem generoſum ac potentem, quod Aeacidarum uirtutem imitaretur. ſic in Bruto Scipionum ſtirpem generoſam uocat, quod in ea multi præclari uiri fuerint, ſic enim exclamat, O generoſam ſtirpem, & tanquam in unam arborem plura genera, ſic in iſtam domum multorum inſitam atque illuminatam ſapientiam. contra uero nobiles etiam improbos appellat, ut pro M. Cœlio Clodiam infamem & meretricio more uiuentem mulierem nobilem uocat. & Q. Cicero de Petitione conſulatus, Qui nequaquam ſunt tam genere inſignes, quam uitiis nobiles. & ſecundo de Off. Phalaris cuius præter cæteros eſt nobilitata crudelitas. ergo nobile poteſt etiam in malam partem capi, generoſum ſemper in bonam capitur. Virgilius tertia Georg.

Continuo pecoris generoſi pullus in aruis

Altius

ius ingreditur, & mollia crura reponit.

TEXT. *Vt enim in agris, & iis, quæ terra naſcuntur, ſic etiam in familiis plerunque fœtus uberior exiſtit. & interdum ſi bona familia fuerit, naſcuntur in ea per aliquod tempus eximii uiri, deinde paulatim iterum ſe remittit.*

COMM. Eleganti ſimilitudine vtitur, qua docet poſt aliquod tempus familias degenerare, & deteriores fieri. nam ut terra fœcunda, & frugiferæ arbores ſæpe multis annis uberes fructus emittunt, deinde paulatim ſterileſcunt, ita in una familia nonnunquam multi eximij & præclari uiri naſcũtur, poſtea uero degenerant. quod plurimis exemplis probari poteſt. nam neque Catonum ſapientia, neque Fabiorum prudẽtia, neque Scipionum dignitas, neque uirtus Cæſarum diuturna fuit, hoc eſt quod ait Virgilius,

ſic omnia fatis
In peius ruere, ac retro ſublapſa referri.

Sic Homerus Odyſſeæ libro quinto clamat paucisſimos eſſe filios, qui patribus ſimiles ſint, & maiori ex parte deteriores eſſe. quod etiam Euripides in Heraclidis teſtatur. unde prouerbium apud Græcos celebratur, in hunc ſenſum.

Heroum filij noxę.

TEXT. *Nam præclari ingenii familia in mores inſaniores degenerant; ut qui ab Alcibiade genus ducunt, & à Dionyſio priore: quæ uerò ſtabili pacatoque ingenio ſunt, ad ſoliditatem & ignauiam delabuntur, ut qui à Cimone, & Pericle, & Socrate progeniti ſunt.*

COMM. Ingenia laudabilia non omnia ſunt eiuſdem generis. nam alia ſunt acuta, prompta, uelocia, alia firma, ſolida, & pacata. qui acuto ſunt ac ueloci ingenio uiri uidentur quodam quaſi furore concitari ita, ut nunquam fere conquieſcere posſint, ſed ſemper in aliqua re ſint occupati. horum filij degenerantes à parentibus inſani fiunt, & præcipites, ac furioſi, quales ij fuerũt qui ab Alcibiade, & Dionyſio priore geniti ſunt. fuit enim Alcibiades præſtantis ingenij, atque admirabilis, ut ex eius uita, quam Plutarchus copioſè ſcribit, intelligi poteſt. & Dionyſius Superior ingenio & eruditione multum ualuit, vt Cicero Tuſcul. 5. oſtendit. tamen horum poſteri fuerunt inſani, & quodammodo furentes, inquit Ariſtoteles. Qui uero ſunt ingenio firmo ſolido & pacato plerunque ſtolidos & ignauos procreare liberos ſolẽt, quod tribus exemplis Ariſtoteles probat. primo Cimonis Athenienſis, qui Milciadis filius fuit, & homo tam ſplendidus & liberalis, ut omnes ferè reditus ſuos ciuibus diſtribueret, & quotidie domi conuiuium pararet, ad quod pasſim pauperes confluerent. & ſiquem nobilem ciuem inopia premi intelligeret, ei clam pecunias ſubminiſtraret. quin etiam dux in bello fuit egregius. nam Perſas non ſemel ſuperauit, & ingentem gloriam conſecutus eſt. filium tamen habuit ſtolidum & ignauum. Secundo Periclis exemplo probat Ariſtoteles à ſolidis & firmis ingeniis ſtolidos filios procreari. fuit enim Pericles uir ſummus in rebus bellicis, & eloquentia tanta, ut tonare, fulminare, & permiſcere Græciam diceretur. huius uitam Plutarchus copioſè ſcripſit. Tertium exemplum eſt Socratis, qui ſapientiſſimus omnium ab oraculo iudicatus fuit, cuius tamen filij tardi & hebetes fuerunt.

TEXT. *Qui autem mores à diuitiis proueniant, in promptu eſt omnibus uidere. Sunt enim diuites contumelioſi & ſuperbi: hanc uero labem inurit eis diuitiarum copia. nam ita ſunt affecti, quaſi omnia bona posſiderent. ſunt enim diuitiæ quaſi precium ac æſtimatio dignitatis omnium aliarum rerum: unde fit, ut diues omnia ſibi emere, ac parare poſſe uideatur.*

COMM. Mores diuitum ait omnibus eſſe notos, quia diuitiæ ſecum ſemper arrogantiam ac ſuperbiam afferunt. nam qui diues eſt, putat ſe aliis omnibus antecellere, & omnia bona poſſidere. quia pecuniæ ſunt quaſi æſtimatio reliquarum rerum omnium. unde in prouerbiis Græcorum dicitur, pecuniis omnia ſubiecta eſſe. qua de cauſa Horatius pecuniam vocat reginam. ſic enim ait,

Scilicet uxorem cum dote, fidemque, & amicos,
Et genus, & formam regina pecunia donat.

Hinc fit ut diuites contumelioſi ſint, & ſuperbi, quia pecuniis ſuis omnia poſſe emere, & ſibi parare putant. Horatius, Licet ſuperbus ambules pecunia, Fortuna non mutat genus. Cicero de lege Agraria contra Rullum ita inquit, Capani ſemper ſuperbi, bonitate agrorum & fructuum, magnitudine urbis, ſalubritate, deſcriptione, pulchritudine. ex hac copia atque rerum omnium affluentia primum illa nata ſunt, arrogantia, qua à maioribus noſtris alterum Capua conſulem poſtulauit, deinde ea luxuries, quæ ipſum Annibalem armis etiam tum inuictum, uoluptate uicit, atque omnes quidem propter diuitias ſe inſolentius efferunt, & criſtas tollunt, ſed præcipuè fœminæ. nihil eſt enim diuite atque opulenta fœmina ſuperbius, nihil arrogantius, quod Iuuenalis eo uerſu teſtatur,

Intolerabilius nihil eſt, quam fœmina diues.

Quam autem contumelioſi ſint diuites, eleganter idem Iuuenalis Satyra tertia explicat, ubi ſic ait,

Dicere ſi tentes aliquid tacitus ne recedas.
Tantundem eſt, feriunt pariter, uadimonia deinde
Irati faciunt, libertas pauperis hæc eſt,
Pulſatus rogat, & pugnis conciſus adorat,
Vt liceat paucis cum dentibus inde reuerti.

TEXT. *Sunt etiam delicati, & Salacones. ac delicati quidem ſunt, cum propter ipſas delicias, in quibus uerſantur, tum quia felicitatem ſuam*

oſtentare gaudent: Salacones autem & inaniter elati, quoniam omnes ferè ſolent in eis rebus, quas ipſi amant, atque admirantur, occupari, atque in eis toti eſſe, & quia putant alios eadem æmulari, quæ ipſi ſuſpiciunt.

COMM. Duo uitia ſimul tangit, quibus omnes ferè diuites infecti ſunt. primum eſt, quòd ſint delicati, molles & teneri. quia verſantur ferè ſemper in delitiis, & molliter etiam uiuunt, ut beati ac felices exiſtimentur. gaudent enim ſuam beatitudinem oſtentare, cum in uictu tum in ueſtibus, & magnificis apparatibus. huc accedit, qnod à teneris molliter & delicatè nntriũtur, qđ eleganter ita Quintilianus oſtendit, Infantiam ſtatim deliciis ſoluimus. mollis illa educatio quam indulgentiam uocamus neruos omnes & mentis & corporis frangit. quid non adultus concupiſcet, qui in purpuris repit? & quæ ſequuntur. Alterum uitium eſt, qnod Salacones ſint, & Solœci. vbi notandum Salacones ab antiquis dici ſolitos, qui ſibi nimium arrogarent, & cæteris omnibus anteſtare nellent. nam (vt Suidas ſcribit) Salacon uir quidã fuit, qui cũ eſſet pauper, tamen uolebat haberi ditisſimus. nnde Salacones dicti ſunt nimium arrogantes homines. Cicero in Epiſtolis ſcribens ad M. Fabium Gallum, cognoſti (inquit) meam canſam, & iſtius Salaconis iniquitatem. proprie uero Salacones dicti ſunt, qui propter copiam rei familiaris, & ingẽtes opes ſibi multum tribuũt. Auctor ille prouerbiorum non nidetur huius nocabuli uim intellexiſſe, cum ita ſcribat, Salacon qnidam extremę paupertatis homo effecit, nt omnes fortuna tenui Salacones dicerentur, & ipſa paupertas Salaconia: certè ſi locum hunc ille aduertiſſet, nunquam in talem errorem incidiſſet. neque enim Salaconia paupertas dicitur, neque Salacones pauperes ſimpliciter, ut ipſe opinatur. ſed qui nimium in diuitiis gloriantur, & ditiores etiam quam ſint videri uolunt. nt ex hoc loco facile poteſt intelligi. nam Heſychius nihil illum auctorem adiuuat, qui dicit Salaconiam eſſe arrogãtiã in paupertate. alind eſt enim paupertatem ſignificare, ut putat ille auctor, alind arrogãtiam in paupertate, cnm ſcilicet pauper haberi diues quærit, ut ſentit Heſychius. Theophraſtus uero (quemadmodum idem Heſychius ſcribit) Salaconem appellauit eum, qui ſumptum facit, quando minime opns eſt, quod ſæpe ditisſimi homines faciunt. Solœci autem ij uocantur, qui uitioſo & barbaro ſermone utuntur, à Solis quæ ciuitas Ciliciæ fuit, unde etiam Solæciſmus. ſed hoc in loco Solœcos uocat Ariſtoteles eos, qui inaniter ſe oſtentant, & efferuntur animo. qua in ſignificatione uſus eſt etiam Plutarchns in Dionis uita. & Xenophon libro. 8. de Cyri Pędia. Diuites igitur Salacones ſunt & Solœci, hoc eſt nimium arrogantes, & inaniter elati. cuius uitij cauſa eſt, quoniam nident alios ferè omnes homines in eis rebus occupatos eſſe, quas ipſi posſident. neque enim ferè quiſquam eſt, qui non accumulare diuitias ſtudeat, & qui non lucro inhiet, atque in eo totus ſit. quæ res diuitum animos extollit, & ſibi nimium tribuere facit. adeo nt exiſtiment omnes homines eadem æmulari, qnæ ipſi ſuſpiciunt, & admirantur. ergo quaſi ſupra alios poſiti ſint, ita gloriantur.

TEXT. *Atque hæc iure ſuo quodammodo faciunt. multi enim ſunt, qui diuitum ope indigeant. unde illud eſt Simonidis poetæ dictum de ſapientibus & diuitibus. cum enim Hieronis uxor ab eo petiſſet, utrum præſtaret diuitem ne eſſe, an ſapientem, diuitem reſpondit. nam ſe paſſim uidere ſapientes in foribus diuitum commorantes.*

COMM. Addit quandam quaſi excuſationem diuitum, quòd non ſine cauſa gloriari uideantur, cum multi ad eos confugere ſoleant, & ab eis auxilium atque opem flagitare. quæ res profecto egregia atque glorioſa eſt, poſſe opibus ſuis multis hominibns opitulari. hoc autem Simonidis poetæ teſtimonio probat, qui cenſuit eſſe melius multas habere diuitias quam eſſe ſapientem. uxor enim Hieronis Syracuſarum regis aliquando petiuit à Simonide utrum eſſet melius. fieri ſapientem an diuitem? ille nerò ſtatim reſpondit, melius eſſe, fieri diuitem. atque hoc ab euentis probauit: qnoniam uiri ſapientes diuitum domos frequentant, & eos tanquam ſuperiores obſeruant. Plato libro de Rep. ſexto, ſententiam hanc Simonidis refellit, & omnino falſam eſſe oſtendit. Ariſtippus Cyrenaicus (Sicuti Diogenes Laertius libro ſecundo ſcribit) cum à Dionyſio Tyranno fuiſſet interrogatus, cur ſapientes uiri diuitum domos frequenter adeant, cum diuites rarò ſoleant ad ſapientes accedere? reſpondit, quia ſapientes intelligunt quibus rebus egeant, diuites autem non intelligunt. Simonidis autem ſententiam uidetur Horatius expresſiſſe, libro Ser. ſecundo, cum ita inquit,

—omnis enim res
Virtus, fama, decus, diuina, humanaq́ne pulchris
Diuitiis parent.

TEXT. *Efferuntur etiam inaniter, quia putant ſe dignos eſſe, qui alijs imperent. ea namque ſe habere arbitrantur, quæ, qui poßident, alijs imperare digni ſunt.*

COMM. Hæc in diuitibus eſt inanis arrogantiæ maxima canſa, quod imperio ſe dignos arbitrantur. cum enim amplas diuitias, & ingentes opes ſe posſidere videant, pntant ea de cauſa ſe cæteris præeſſe oportere. quare neqne magiſtratibus cedere uolnnt. quod Satyra prima Iuuenalis facetè docet, ubi quendam libertinum diuitem ita loquentem facit,

Sed quinqne tabernæ
Quadringenta parant, quid confert purpura maius
Optandum? ſi Laurenti cuſtodit in agro

Conductas

Conductas Coruinus oues, ego poſsideo plus
Pallaute, & Licinis, expectent ergo tribuni,
Vincant diuitiæ, ſacro nec cedat honori
Nuper in hanc urbem pedibus qui uenerat albis.

TEXT. *Atque, ut in ſumma dicam, qui mores inſipientis fortunati ſunt, iidem etiam diuitis eſſe ſolent.*

COMM. Diuitiæ plerunque mentem ita præſtringunt atque obcæcant, ut hominem inſipientem reddant. quod Horatius ait, Stultitiam patiuntur opes, & mimus ille, Fortuna quem nimium fouet, ſtultum facit. Menander, ut refert Stobœus, dixit diuitias eſſe cæcas, atque eos qui diuitijs gaudent cæcos fieri. hoc eſt, quod ait Ariſtoteles hoc loco, tales eſſe diuitum mores, quales ſunt inſipiētis hominis ac fortunati. Cicero libro de Amicitia ſic ait, Nec quicquam inſipiente fortunato intolerabilius fieri poteſt. ex quo poteſt colligi, plerunque diuites intolerabiles eſſe. quia inſipientis fortunati mores imitantur.

TEXT. *Plurimum uerò differunt mores eorum, qui nuper diuites facti ſunt, ab eis, qui iampridem erant diuites, nam nuper ditati magis omnibus uitijs, atque illis deterioribus cumulati ſunt.*

COMM. Hoc ſanè perſpicuum eſt, longè importuniores, & arrogantiores eſſe, qui nuper diuites euaſerunt, quā qui in amplo patrimonio nutriti ſunt, & à maioribus ſuis diuitias acceperunt. quod elegantiſsimè Cicero contra Rullum de lege Agraria ſic oſtendit, Singularis homo priuatus, niſi magna ſapientia prędıtus, vix facile ſe ſe regionibus officij, magnis in fortunis, & copijs continet, nedum iſti ab Rullo, & Rulli ſimilibus conquiſiti, atque electi coloni Capuæ in domicilio ſuperbię, atque in ſedibus luxuriæ collocati non ſtatim conquiſituri ſint aliquid ſceleris & flagitij; imò uero etiam hoc magis quam illi ueteres; germanique Cāpani, quod in uetere fortuna illos natos & educatos nimiæ tamen rerum omnium copiæ deprauabant, hi ex ſumma egeſtate in eandem rerum abundantiam traducti non ſolum copia, uerum etiam inſolentia commouebuntur.

TEXT. *Quædam enim eſt quaſi ignorantia adiuitiarum, nuper eſſe ditatum.*

COMM. In omnibus rebus bene tractandis experientia & arte opus eſt, & qui rudis eſt atque inſcius alicuius rei, nullo modo poeſt ea bene uti. Quare q. nuper diuites facti ſunt, cum rationem diuitijs bene utendi propter inſolentiam ignorent, in multos plerunque errores incurrunt. & eo magis quia propter diuitias inſolentes facti, bene conſulentes non audiunt, & in omnibus rebus ſuo arbitrio vtuntur. vnde non ſine cauſa uulgo dicitur, cauendum eſſe à ruſticorum poteſtate.

TEXT. *Et iniurias inferunt, non quidem ob malitiam, ſed uel per contumeliam, uel per incontinentiam, ut cum pulſant homines, & ſtupra committunt.*

COMM. Mores diuitum in hac parte cum adoleſcentiū moribus conueniunt. quod utrique ſunt contumelioſi, & incontinentes. nam qui diuitijs abundat, non ſolet ob malitiam iniurias inferre, neque dānum alicui propter auaritiam dare, aut fraudando, aut ſpoliando, aut aliquo alio modo, ſed quia putat ſe plurimum alijs præſtare, ideo pleroſque contemnit, & contumelijs afficit, uiuitque incontinenter. adeo, ut ſæpe liberos homines uerberet, & caſtis domibus ſtuprum inferat. Sunt enim diuitiæ quaſi quædam ad malum irritamenta. quod Ouidius. 1. Metam. ait eo uerſu,

Effodiuntur opes irritamenta malorum.

Ariſtoteles quarto Politicorum ait in omni ciuitate tres eſſe hominum ſpecies, hoc eſt diuites, pauperes, mediocres, inter quos mediocres ſint optimi. quia medium ſemper eſt optimum, diuites uerò plerunque peſsimi. unde non ſine cauſa fuit olim ea ſententia celebrata; Diues aut iniquus, aut iniqui hæres. Plato quinto de legibus ait, ualde diuites homines non eſſe bonos. Plutarchus in uita L. Syllę, tradit quendam Syllæ glorianti, ita dixiſſe; Quomodo uir bonus eſſe potes, qui tam ingentes diuitias poſsides, cum à patre nihil acceperis?

TEXT. *Eodem modo mores eorum, qui cum imperio ac poteſtate ſunt, maiori ex parte ſunt perſpicui.*

COMM. Qui diuitum mores agnouerit, is etiam facile mores eorum, agnoſcet, qui in aliquo imperio atque poteſtate conſtituti ſunt, quoniam inter eos parua ſolet eſſe differentia. nam diuites ſe dignos imperio putant, atque ita ſe gerunt, quaſi præſint alijs, atque in poteſtate ſint.

TEXT. *Partim enim iiſdem moribus præditi ſunt, quibus diuites, partim melioribus: ſunt enim potentes honoris appetentiores, et animo magis uirili, quam diuites, expetunt enim eas res, quas propter potentiam tractandi facultatem habent.*

COMM. Viri potentes in ciuitate, magiſtratumque aliquem gerentes, licet plerunque diuitum mores imitentur, tamen in eo ſunt præſtantiores, quod magis ſunt honoris & gloriæ ſtudioſi, quam illi, qui pecunijs tantum abundant. ſuntque animo magis alto atque exaggerato, & res eas gerere ſtudent, quas propter potentiam, in qua conſtituti ſunt, bene ſe adminiſtrare poſſe confidunt. itaque ijs hominibus, cum adhortādi ſunt, ſemper dignitas, honor, laus, & gloria proponenda eſt, ad quā licet ſua ſponte ſatis incitati ſint, tamen etiam adhortatione plurimum confirmantur. ut Cicero cū audiuiſſet Curionem tribunum ple. eſſe factum, eum adhortatur ut in illo magiſtratu præclarè ſe gerat, atque etiam ei præſcribit quo modo ſe gerere debeat. ſed lōgè melius & artificioſius ad Quintum fratrem ſuum, qui Aſiæ præerat, ſcribens, admonet eum, qua ratione poſsit, magnum honorem & gloriam, ex prouincia domum reportare. quæ ſanè epiſtola multo eſt elegantiſsima, & optima.

TEXT. *Sunt etiam multo magis ſtudioſi propter curam ac diligentiam, quam habere coguntur, ut potentiam conſeruent.*

COMM. Quia multi ſunt qui potentibus inſidientur, ut eorum ipſi potentiam habeant, ideo fit, ut ſtudio-

ſiores

ſiores ſint & uigilantiores uiri potentes quam diuites, niſi enim curam & diligentiam adhiberent, nullo modo potentiam ſuam diutius conſeruare poſſent. itaque potentiæ conſeruandæ gratia maxima quæque pericula ſubire non dubitant. & animo uigilanti ſemper excubant, ut & ſe, & ſubiectos ſuos tueantur. hoc eſt quod olim Aegyptii ſignificare uoluerunt, cum apertum oculũ in ſceptro pingentes, optimum principem eo ſigno declarabant, quem oculis eſſe apertis ac uigilantibus oportet. quemadmodum etiam Homerus ſecundo Iliadis oſtendit, cum ait, non oportere principem dormire ſolidam noctem, cuius poteſtati populi commiſsi ſunt, & qui res tantas adminiſtrare curareq; debet. Cicero pro L. Man. miram Pompeii diligentiam in obeundis negociis celebrat.

TEXT. *Sunt excelſo potius animo, quam graui ac contumaci: dignitas enim eos conſpectiores efficit; atq; hac de cauſa modeſtè ſe gerunt.*

COMM. 1. Habent quidem principes uiri altum animum atque excelſum, ſed tamen non ſunt graues aut contumaces, neque tam inſolenter ſe efferunt, ut in odium ac moleſtiã incurrant, quod diuites plerunque faciunt. cum enim intelligant ſe propter dignitatem ſuam eſſe celebres & conſpicuos facilitatẽ & modeſtiã amplectũtur, quæ res eos multò clariores & amabiliores. reddit hæc eſt ea facilitas quam in Pompeio Cicero tantopere celebrat. ut is (inquit) qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis eſſe uideaẽ. & paulo poſt, Humanitate iam tanta eſt, ut difficile dictu ſit, utrum hoſtes magis uirtutem eius pugnantes timuerint, an manſuetudinem uicti dilexerint. dicuntur autem graues & contumaces ij, qui propter inſolentiam & elationem animi nimiam, odioſi ſunt ac moleſti, ut uix tolerandi eſſe uideantur, quales ſunt multi ex eorum numero, qui diuitiis abundant. his opponuntur faciles ac modeſti.

TEXT. *Eſt autem excelſitas animi quædam lenis & honeſta grauitas.*

COMM. 11. Declarat quæ ſit excelſitas animi, quæ græco nomine σεμνότης dicitur. & hoc facit, quia ſupra dixerat, principes excelſo eſſe animo. quædam enim grauitas in principe uiro eſſe debet, ſed quæ ſit lenis & honeſta, ut quandam pręſe maieſtatem ferat cum elegantia & lenitate. & hęc eſt, quæ σεμνότης, hoc eſt, animi excelſitas uocatur. hęc etiam in oratione ſæpe perſpicitur, ut Cicero pro L. Man. de Pompeio. Iam quantum conſilio, quantum dicendi grauitate & copia ualeat, in quo ipſo ineſt quædam dignitas imperatoria, nos Quirites hoc ipſo in loco ſæpe cognoſtis. nam dignitatem imperatoriam appellat Cicero, quam Græci σεμνότητα στρατηγικήν.

TEXT. *Quòd ſi forte potentes iniuriam inferant, non in paruis, & minutis rebus, ſed in magnis obeſſe ſtudẽt.*

COMM. 111. Vitanda eſt ira principum, quia nunquam paruas infert iniurias, ſed maximas. & quamuis cum offenduntur, diſsimulare uideantur, tamen poſtea uel leuem nacti occaſionem uel uita ſpoliant, uel fortunis euertunt. quod apud Homerum Chalcas Iliadis primo teſtatur. ideo Calliſthenem Ariſtoteles admonuit, ut cum Alexandro Magno uel nunquam loqueretur, uel ea tantum diceret, quæ illi iucunda uiderẽtur. qđ præceptum ſi ſeruaſſet, nõ tam miſere periſſet. tradunt autem hãc ſententiã ab Aeſopo illo fabulatore profectam, hoc eſt, cum regibus aut quamminimè aut quamiucundiſſimè loquendum eſſe. quam ita Solon uertit, imo uerò uel quamminime, uel quamoptimè.

Fortunæ proſperitas eos mores habet, qui ſigillatim explicati ſunt. nam illæ, quæ magnæ proſperitates eſſe uidentur, ad hæc, quæ modo diximus, tendunt: & præterea bonam magnamque liberorum copiam, & quæ corporis bona ſunt, fortunæ proſperitas adfert. TEXT.

Siquis ſcire cupit, qui ſint hominis fortunati mores, is conſideret propter quas res homines fortunati exiſtimentur. ſic enim facile intelliget, quibus moribus præditi ſint. ille enim fortunatus exiſtimatur, qui nobilis, diues, & potens fuerit, ergo qui mores nobilium, diuitum, & potentium fuerint, iidem etiam fortunatorum erunt. nam magna proſperitas in primis hæc tria requirit nobilitatem, diuitias, potentiam, ſed quales nobilium, diuitum, & potentium ſint mores ſupra iam explicatum eſt, unde facile poteſt intelligi quinam etiã ſint fortunatorum mores. Sed ut cumulatior proſperitas ſit, opus eſt, ut etiam bona magnaque liberorum copia adſit, qualis Q. Metello homini fortunatiſsimo adfuiſſe dicitur, & denique ut quę corporis bona ſunt, nulla ex parte deficiant. hęc. n. omnia quodammodo uidentur à fortuna proficiſci. conſtituamus igitur hominem, qui nobilis ſit, & diues, & potens, & qui multos habeat probos & liberaliter inſtitutos filios, ſitque bona proſperaque corporis ualetudine, certè nihil ei maius à fortuna tradi poterit. ſed inuenitur, cui hęc omnia ſuppetant, & qui ſua ſorte contentus ſit. Quod ſi cui fortuna benignius eblandita fuerit, is plerũque fit elatior & imprudentior, adeo uerum eſt illud, quod paſsim dicitur, Fortunam non ſolum ipſam eſſe cæcam, ſed etiam eos, quos amplexa fuerit cæcos efficere. nam (ut ait) Salluſtius, Res ſecũdæ animum etiam ſapientum fatigant. quod Virgilius in 10. Aeneid. aſſerit. COMM.

Neſcia mens hominum fati, ſortisque futuræ
Et ſeruare modum rebus ſublata ſecundis.

Ouidius etiam primo de Arte amandi ſic ait,

Luxuriant animi rebus plerunque ſecundis
Nec facile eſt æqua commoda menti pati.

Hoc eſt, quod Ariſtoteles hoc loco ſubiungit.

Solent autem homines ſuperbiores & inconſiderantiores ob proſperitatem eſſe. TEXT.

Duo mala ſecum adfert bona fortuna, primum eſt, quod ſuperbum hominem efficit. quaſi enim propter uirtutem ac ſapientiam ſuam proſperè agat, ita gloriatur. Cicero ꝓ Domo ſua. Quanquã & inſolentia dominatus extulerat animos, & erat incredibili armatus audacia. & ad Trebatium, COMM.

utrum

utrum ſuperbiorem te pecunia facit? & Horatius in odis,

Licet ſuperbus ambules pecunia
Fortuna non mutat genus.

Alterum uitium eſt, quod bona fortuna facit imprudentem & inconſideratum hominem. ſperat enim illã fore ſtabilem & diuturnam, quæ temporis momento plerunque variatur. ideo multi propter unum aliquẽ felicem ſucceſſum, ita ſe extollunt, ut imprudẽter paulo poſt in maximam calamitatem deueniant. quod Minutio magiſtro equitum contra Annibalem eueniſſe legimus, qui cum paruam quandam victoriam reportaſſet, tota acie deinde cum Annibale congredi auſus in extremum diſcrimen adductus eſt. & niſi a Fabio Maximo fuiſſet adiutus, cum toto exercitu periiſſet.

TEXT. *In illo uerò uno quod optimum eſt, fortunati excellunt, quod pie deos colunt, atque in illos benè affecti ſunt, eisque confidunt propter ea bona, quæ beneficio fortunæ conſecuti ſunt.*

COMM. Sicuti plerique calamitoſi maximeque afflicti homines quaſi deſperatione quadã adducti Deis maledicunt, & blaſphemijs inuadunt, & quaſi deſpicatui habent, ita plerique fortunati illud optimum in ſe continent, ut Deos religioſè colant, eis continenter gratias agant, magnam erga illos affectionem oſtendant, & denique nunquam eos ſibi defuturos ſperent. nam quæ bona ſunt à Fortuna conſecuti, ea ſe putant à Deis ipſis habuiſſe. quare gratiam Deis habent. hoc autem Ariſtotelis dictũ uidetur eſſe contrarium ei, quod Pythagoras dicere conſueuerat, tum maximè in mentibus hominũ religionem uerſari, cum in aliquibus ſunt miſerijs conſtituti. ſed id ita debet intelligi, cum in timore periculorum ſunt homines, tunc religioſè Deos precari, ut mala auertant. quod ſi feliciter euaſerint, tunc gratias Deis agunt, tunc pie Deos colũt. ſi uero in maximam calamitatem incidant, unde nulla ſit ſpes euadendi, tunc deſperatione fracti Deis etiam ipſis maledicunt, & contumelijs inceſſunt.

TEXT. *Ac de moribus quidem qui ab ætate, atque à fortuna proueniunt, ſatis dictum eſt. nam quæ ſunt ijs, quæ diximus contraria, facile ex contrarijs intelligi poſſunt, ut qui ſint pauperis, & infortunati, & impotentis mores.*

COMM. Concludit ſe totam eam partem abſoluiſſe, quę ad mores cuiuſque ætatis, conditionis, & Fortunę pertinet. quod ſiquis obijciat. non eſſe dictum ab Ariſtotele de moribus ignobilium, pauperum, infelicium, & impotentium, reſpondet ipſe, uerum hoc quidem eſſe, ſed ex contrarijs contraria ſine difficultate intelligi poſſe. ut qui bene didicit, quibus motibus homo diues præditus ſit, is etiam intelliget, quos mores pauper homo ſequatur. atq; ita de reliquis. quoniam omnium contrariorum eſt eadem diſciplina. uocat autem Ariſtoteles ἀδύνατον hominem, qui nullam habet in ciuitate potentiam, quem nos priuatum dicimus. quamuis interdum etiam apud Latinos impotentes dicantur, qui nihil in ciuitate poſſunt, ut Cicero pro L. Mur. Valeant hæc omnia ad ſalutem innocentium, ad opem impotentium.

TEXT. *Illud uerò non dubium eſt, quin omnis uſus orationum, quæ perſuadendi uim habent, ad iudicium referatur, in ijs enim rebus, quas nouimus, & de quibus iam iudicauimus, non amplius opus eſt oratione.*

COMM. Hactenus docuit Ariſtoteles quæ propria ſingulorum generum eſſe uideant, deinceps autem ea uult aggredi, quæ cõmunia ſunt vniuerſę Rhetoricæ, ſed antequam hoc faciat, breuiter more ſuo docet, quid hactenus effecerit, & ſummatim ea repetit, quæ ſupra tractata ſunt, atque in primis confirmat, cuiuslibet orationis uſum qua aliquid perſuadere conamur, ad aliquod iudicium referri. nã in ijs tantum rebus perſuadendi gratia utimur oratione, quæ dubitationem habent. ubi enim nulla dubitatio eſt, ibi non opus eſt uti perſuaſione, quia de rebus, quas cognitas & perſpectas habemus, iudicium iam fecimus. nulla uero dubitatio tolli poteſt, niſi de illa iudicetur. quo fit, ut omnis oratio probabilis ad iudicium referatur.

TEXT. *Eſt autem iudicium etiam, ſiquis cum uno tantum probabili oratione utatur, uel ſuadendo, uel diſſuadẽdo, ut qui admonent, aut aliquid perſuadere conantur, facere ſolent. neque enim minus eſt iudex, quòd unus tantum ſit.*

COMM. Quia ſuſpicari fortaſſe quiſpiam poſſet, iudiciũ tantum in multitudine fieri, cum aliquid publicè tractatur, non autem cum priuatè cum uno tantũ homine uerba facimus, ideo tollit hanc opinionẽ, & ait etiam ſi cum uno tantum ita loquamur, ut aliquid ei probare uelimus, id iudicium appellari. quemadmodum cum aliquem admonemus quid faciendum ſit, aut fugiendum, ut Iſocrates ad Demonicum ſcribens. aut cum aliquid alicui perſuademus, ut Socrates Alcibiadi perſuaſit, nihil inter eum, & quemlibet baiulum aut operarium intereſſe. ut Theodorus perſuaſit Ptolomæo ut Pompeium obtruncaret, dicens mortuos non mordere. neque enim quiſquam dicere poteſt, non eſſe iudicem eum, qui unus tantum ſit. cum unuſquiſque de eo, quod audit, per ſe ſolus iudicare poſſit.

TEXT. *Nam quicunque eſt ille, cui aliquid perſuadendũ ſit, is (ut in ſumma dicam) iudex eſt: ſiue contra litigãtem quis diſſerat, ſiue propoſitam aliquam ſententiam defendat: nam oratione uti neceſſe eſt, atque illa refellere, quæ contra dici poſſunt; cum eis enim tanquam cum aduerſario contendit.*

COMM. Probat in omni cauſarum genere iudicium uerſari. nam Rhetoricæ finis eſt perſuadere dictione. non poteſt autem Orator perſuadere, niſi ſit aliquis cui perſuadeat. porrò nemo perſuadetur, niſi quæ audiuerit, uera eſſe iudicet. itaque fit, ut omnes, quibus aliquid perſuadẽdum eſt, iudices ſint. atque hoc in iudiciali genere, atque deliberatiuo certum eſt. nam in iudiciali contra litigantem orator diſſerit uincendi gratia, iudices autem ſententiam ferunt. in deliberatiuo autem orator ſumit

aliquam

aliquam ſententiam defendendam, quas deliberantes ſequi debeant. at uero qui deliberant, ſtatuunt, & iudicant, quid faciendum ſit. Eſt autem magna ſimilitudo iudicialis, & deliberatiui generis. Sicut enim in iudiciali neceſſe eſt, ut argumenta noſtra confirmemus, & aduerſariorum refellamus, ſiquidem uictoriam reportare ſtudemus, ita etiam in deliberatiuo prius exponenda noſtro ſentẽtia eſt cum eius approbatione, deinde refellenda eſt eorum ſententia, qui à nobis diſſentiunt. Quare cũ eis tanquam cum aduerſarijs in iudicio contendimus. ut Cicero pro L. Man. contra Catulum & Hortenſium.

TEXT. *Eadem ratio eſt etiam in exornationibus; ad auſcultatorem enim, tanquam ad iudicem habetur oratio.*

COMM. In demonſtratiuo genere, quod genus à Cicerone dicitur exornatio, fit etiam iudicium. nam licet ibi nemo adſit, qui aliquid ſtatuat, ut in iudiciali & deliberatiuo, tamen auſcultator, qui delectationis gratia ſolet audire, de ipſius Oratoris facultate iudicat. Quare ſolent Oratores in hoc genere quantum poſſunt, artem & ingenium oſtentare, atque omnibus ornamentis & floſculis oratorijs ludere. quod Iſocrates in Buſiride, & Helena, & Euagora fecit. & nos in Panegyrico, quem Angelo Arcimboldio Mediolanenſi Archiepiſcopo diximus. quo in genere licet etiam multa fingere, modo id uériſimiliter, & ingenioſè fiat.

TEXT. *Sed omnino tamen propriè dicitur ille iudex, qui in ciuilibus controuerſiis de iis, quæ in quæſtionem ueniunt, ſententiam fert. nam de controuerſiis quæ in foro uerſantur, & de quibus in concione conſultant, quomodo ſeſe habeant, quæritur.*

COMM. Licet communiter etiam in demonſtratiuo genere iudex ille dici poſsit, qui de oratoris ingenio & facultate iudicat, tamen propriè iudex tantum in ciuilibus controuerſiis dicitur, quæ uel ad iudiciale genus uel ad deliberatiuum pertinent. ſiue enim in foro cauſa tractetur, ſiue in concione ſententia proponatur, ſemper quæritur, quomodo ſeſe res habeat. itaque in utroque genere iudice opus eſt. uocat aũt Ariſtoteles πολιτικοὺς ἀγῶνας quas Latini ciuiles controuerſias uocant. eę uero uel in litibus conſtitutæ ſunt, unde iudiciale genus, ut Brutus ad Ciceronem, Flauius noſter de controuerſia, quam habet cum Dyrrhachinis hæreditariam, ſumpſit te iudicem. uel in deliberationibus & ſententiis dicendis, unde genus deliberatiuum, ut Cicero ad Lẽtulum; hac controuerſia uſque ad noctem ducta ſenatus eſt dimiſſus. in demonſtratiuo autem genere, nulla eſt ciuilis controuerſia. quia nemo aduerſatur, & res certæ uel pro certis dicuntur, quare nullum eſt in eo genere proprium iudicium.

TEXT. *Quod autem ad Rerump. mores attinet, in deliberatiuo genere ſatis à nobis antea dictum eſt. quare ſimul etiam declaratum uideri poteſt, quomodo, quibuſque rationibus poſſimus orationem noſtram moratam efficere.*

Cum oratoris labor & induſtria ad eum finem tendat, ut in ſuam ſententiam auditores adducat, & ut ij, qui decernendi poteſtatem habent, ita iudicẽt, ut ipſi Oratori commodum eſt, atque ad hanc rem oratio morata plurimũ conducat, idcirco docet Ariſtoteles ſe omnia quæ ad mores effingendos pertinẽt, iam abſoluiſſe. nam proximè docuit, cuiuſque ætatis & conditionis mores. primo autẽ libro cum de genere deliberatiuo uerba faceret, & Rerũp. ſpecies diſtinxiſſet, declarauit quibus moribus unaquæque Reſp. delectetur. ex quibus omnibus intelligere facile põt Orator, quibus rationibus poſsit orationi ſuę mores affingere. hæc enim una eſt, ex illis tribus probandi formis, quæ ab arte proficiſcuntur, de quibus in primo libro dictum eſt.

TEXT. *Cum autem in unoquoque dicendi genere diuerſi fines ſint; & de omnibus eis ſumptæ ſint ac declaratæ opiniones, atque propoſitiones, ex quibus fidem faciunt, & qui deliberant, & qui laudant, & qui litigant; & præterea demonſtratum ſit, unde ducantur orationes, quæ bene mores exprimant, ſupereſt ut ea commemoremus, quæ communia ſunt omnium generum.*

COMM. Declarat quid hactenus docuerit, & quid deinceps docere inſtituit. cum enim tria ſunt rhetoricæ genera, atque in unoquoque genere diuerſi fines ſint, ut in deliberatiuo utilitas, in iudiciali æquitas, in demonſtratiuo boneſtas, iam copioſè declaratum eſt, unde propoſitiones ſumãtur, atq; opiniones, quibus in deliberando probetur id, qđ propoſitum eſt utile, in iudiciis noſtram cauſam æquam iuſtamque eſſe, in demonſtrando, quẽ laudamus, ad honeſtatem omnia retuliſſe. quibus rebus fides fit in unoquoque genere. præterea demonſtratum eſt, quomodo morata fieri poſsit oratio. nam cuiuſque ætatis & conditionis mores in ꝓxima ſuperiori parte ſunt expreſsi. Quare ſupereſt tantum ut ea declarentur, quæ totius artis rhetoricæ communia ſunt; & ad omne cauſarum genus pertinent. Quod autẽ ait Ariſtoteles eſt eiuſmodi, in primo libro dixit, tres eſſe probationum ſpecies, quas dicendo acquirimus, quarum una in vita ac moribus exprimendis poſita ſit, altera in permouendo atque afficiendo, prout opus fuerit, auditore, tertia in ipſa oratione, cum aut probatur aliquid, aut probari uidetur. nunc igitur oſtendit ſe duas primas ſpecies abſoluiſſe. docuit enim qui mores ſint cuiuſque ætatis & conditionis, & quibus de cauſia animi permoueantur. tertiam autem partim iam explicatam eſſe, partim autem explicãdam. nam quæ probatio in ipſa eſt oratione uel à propriis cuiuſque generis propoſitionibus atque principiis naſcitur, uel à communibus omnium. Sed ea quæ fit ex propriis propoſitionibus, iam in primo libro declarata eſt. reſtat igitur ut eam probationis partem explicet, quæ omnibus dicendi generibus accommodata eſt.

TEXT. *Neceſſe eſt enim ut in omni genere dicendi quæratur, quid fieri, aut non fieri poſsit.*

COMM. Quod fieri poteſt, aut non fieri, commune eſt omnium generum. itaque neceſſe eſt, ut in omni dicendi genere locos Orator habeat, quibus oſteu dat, rem eam, de qua verba facit, talem naturam ba bere, ut confici poſsit. nam ſi probatum ab aduerſarijs fuerit, eam nullo modo poſſe confici, ſtatim omnis controuerſia diſſoluitur, & tota perit oratio. vt in iudiciali genere probat Cicero non potuiſſe Roſcium Amerinum à filio necari. cum filius Amerię fuerit eo die, quo Roſcius Romę fuit interfectus. in deliberatiuo probat idem Cicero cum M. Antonio pacem fieri non poſſe, qui fuerit hoſtis patriæ indicatus. in demonſtratiuo, vt ſi quis ideo Numam Pompilium laudat, quod Pythagoræ ſtudioſus auditor fuerit, quod Ouidius facit libro Metam. 15. cum ex hiſtoriis conſtet Numam duobus propè ſeculis ante Pythagoræ tempora Romæ regnaſſe.

TEXT. *Et hi quidem aliquid futurum, illi uero factum eſſe demonſtrare contendant.*

COMM. Neceſſe eſt (inquit) ut oratores eius, quod fieri poteſt, aut non poteſt, cognitionem habeant. nam ſi forte deliberandum ſit, de futuro uerba ſunt facienda. quare probandum eſt id, quod ſuadetur, futurum eſſe. Si uero in iudicijs uerſandum, probare oportet id, quo de controuerſia eſt, factum eſſe, aut non factum. idem in exornationibus uſu uenit, ut quod factum eſſe dicitur, uideamus an fieri potuerit. ergo in omni dicendi genere poſsibilis atque impoſsibilis cognitio neceſſaria eſt.

TEXT. *Quin etiam de magnitudine rei diſſerere, commune eſt omnium generum: omnes enim & amplificare, & imminuere ſolent, & ſuadentes & diſſuadentes, & laudantes & uituperantes, & accuſantes & defendentes.*

COMM. Amplificationem omnibus generibus eſſe cõmunem docet. quoniam & in deliberatiuo genere cum aliquid ſuadent aut diſſuadẽt Oratores illud amplificant, quod utile eſſe probare uolunt, & in demonſtratiuo maximè uirtutes eorum augent, quos laudant, & eorum uitia, quos uituperant. denique in iudiciali ſolent accuſatores crimina amplificare, defenſores autem minuere. quibus de cauſis neceſſe eſt oratorem ſcire de magnitudine rerum & paruitate diſſerere. Quintilianus octauo putat omnem uim Oratoris in augendo minuendoque conſiſtere. quod à Gorgia Leontino ſumpſit. qui (ut ait in Bruto Cicero) iudicabat hoc Oratoris maxime proprium, rem augere poſſe laudando, uituperãdoq; rurſus affligere. L. Craſſus apud Ciceronem tertio de Oratore ſic ait; Summa autẽ laus eloquentiæ eſt, amplificare rem ornando, qđ ualet non ſolum ad augendum aliquid, & tollendum altius dicendo, ſed etiam ad extenuandum atque abijciendum. id deſideratur omnibus ijs locis, quos ad fidem orationis faciendam adhiberi dixit Antonius, uel cum explanamus aliquid, uel cum conciliamus animos, vel cum concitamus. Sed in hoc quod poſtremum dixi, amplificatio poteſt plurimum, eaque una laus Oratoris eſt, & propria maximè. Turnus apud Virgilium vndecimo Aeneidos vim hanc amplificandi Dranci inimico ſuo concedit, quem magnum eſſe Oratorem innuit, ſic enim ait,

Proinde tona eloquio, ſolitum tibi.

& paulo poſt,

— proinde omnia magno
Ne ceſſa turbare metu, atq; extollere uires
Gentis bis victæ, contra premere arua Latini.

hoc eſt, quod erat inuidioſum in antiquis Sophiſtis, & quod Socrati quidam obijciebãt. quod ꝓfiteretur ſe tenere ſcientiam, qua cauſa deterior, dicendo melior fieri poſſet. Ageſilaus Lacedæmoniorum rex hanc amplificandi rationem & artem irridebat. cum enim apud eum quidam Oratorem laudaret, quod res exiguas mirifice uerbis amplificaret, Ego (inquit) eum peſsimum eſſe ſutorem arbitror, qui paruis pedibus magnos calceos induat. Sed hoc ideo dixit, quoniam apud Lacedæmonios in nullo precio erat eloquentia, qui dicendi breuitate magnopere delectabantur.

TEXT. *Hæc poſtquam explicuerimus, tum communiter de enthymematibus, ſi quid habemus, dicere conabimur; ac de exemplis etiam: ut, quæ reliqua ſunt, adiungentes, incepto operi finem imponamus.*

COMM. Proponit omnia quæ deinceps hoc in libro tractaturus eſt. poſtquam (inquit) explicuerimus ea, quæ præpoſita ſunt. hoc eſt, de eo, quod fieri põt, aut non poteſt, & de magnitudine rei, tunc etiam de enthymematibus, & exemplis uerba faciemus, atque ita finem habebunt ea, quæ ad probationem attinent. Quoniam autem in primo libro docuit, quomodo propria cuiuſque generis enthymemata poſsint inueniri, ideo nũc ait, ſe cõmuniter de eis tractare velle. & quia non admodum multa ſunt enthymemata communia, ſicuti primo in libro teſtatus eſt, ideo uerba illa uoluit adiungere, ſi quid habemus, quaſi diffideret ſe partem illam copioſè poſſe tractare, quam tamen ingenioſè, ſicut alia omnia perfecit. de exemplis etiam uerba facit, quia exempla ſunt inductiones rhetoricæ. his declaratis, nihil erit amplius explicandum, quod ad fidem faciendam pertinere uideatur.

TEXT. *Ex locis autem communibus amplificatio demonſtratiui generis eſt maximè propria, ſicut antea dictũ eſt; quod uerò factum eſt, iudicialis generis: de factis enim rebus iudicium fieri ſolet. denique quod fieri poteſt, & futurum eſt, deliberantibus conuenit.*

COMM. Tria propoſuerat, quæ generum omnium dicẽdi communia eſſe dixerat. hoc eſt, factum eſſe, fieri poſſe, & amplificationem. nunc autem ait hæc non ita eſſe communia, vt in omnibus generibus æqualiter ualeant, ſed alia in aliis magis ualere. ut amplificatione utimur quidem etiam in iudiciis, & deliberationibus, ſed tamen ea, demonſtratiuo generi magis conuenit, vt in primo libro demonſtratum eſt. eodem modo quæritur in demonſtratiuo an facta ſint, aut fieri potuerint, quæ laudantur aut uituperantur. ſed tamen in iudicijs multo diligentius de facto quæritur. itaque factum

ctum eſſe, aut nõ eſſe, proprium erit iudicialis generis. denique vtrum res fieri poſsit nec ne, licet interdum in exornationibus, & iudicijs quęratur, propriè tamen hæc quæſtio deliberantibus accõmodata eſt, qui de futuris rebus conſultare ſolẽt, ſicuti iudicium ad res iam factas pertinet. Concludit igitur Ariſtoteles id, quod Cicero multis in locis docet; amplificationem in demonſtratiuo, quæſtionem de facto in iudiciali, quæſtionem de futuro in deliberatiuo genere propriè uerſari.

TEXT. *Primum igitur de eo, quod fieri, aut non fieri poteſt, uerba faciamus.*

COMM. Ex tribus illis, quæ communia ſunt omnium generum, primum uidendum eſt, quid fieri poſsit, aut non poſsit. hic ſciendum eſt quod Græci δυνατὸν uocant ueteres latinos non uno uocabulo expreſsiſſe, quia poſsibile durum eſſe uocabulum putabant. tamen aliqui nequaquam id uerbum refugerunt. nam Quintilianus libro. 3. capite 8. ſic ait, Melius igitur qui tertiam partem dixerunt δυνατὸν, quod noſtri poſsibile nominant, quæ, ut dura uideatur appellatio, tamen ſola eſt. Plautus tamen in Sticho non refugit hoc uocabulum, cum ait, Poſsibile eſt tandem ſtantem ſtanti ſuauium dare amicum amicæ. apud Ciceronem certè nuſquam reperitur.

TEXT. *Ac primo quidem ſi contrarium eiuſmodi eſt, ut aut eſſe, aut factum eſſe poſſit; etiam alterum contrarium eandem naturam habebit: ut ſi fieri poteſt, ut aliquis bonam ualetudinem recuperet, eundem etiam in morbum incidere potuiſſe certum eſt. eadem enim eſt contrariorum poteſtas, quatenus contraria ſunt.*

COMM. Primus locus intelligendi quid fieri poſsit, aut non poſsit, à contrarijs ſumitur. cum enim dubitatur vtrum aliquid fieri poſsit, nec ne, uidendum eſt an id habeat contrarium. quod ſi habere repertum fuerit, tunc uidendum an id contrarium eam habeat naturam, ut aut eſſe, aut factum eſſe poſsit. quod ſi habet, etiam id de quo dubitarur fieri poterit. nam contrariorum eadem eſt poteſtas & diſciplina, quatenus contraria ſunt. hoc autem exemplo probat Ariſtoteles. nam morbus & bona ualetudo contraria ſunt. quod ſi fieri poteſt, ut aliquis ægrotus priſtinam ualetudinem bonam recuperet, non dubium eſt, quin etiam in morbum incidere potuerit. tale eſt illud, quod in Topicis ponit Cicero,

Seruare potui, perdere an poſsim rogas?

nam ſeruare & perdere contraria ſunt. & in oratione pro Milone, Eius igitur mortis ſedetis ultores, cuius uitam ſi putetis per uos reſtitui poſſe nolitis? & pro Q. Ligario. Quorum igitur impunitas Cęſar tuę clementiæ laus, eorum ipſorum te ad crudelitatem acuet oratio? ſed aduertendum eſt in contrariis ſemper alterum eſſe præſtantius alterum deterius, quod ſi id, quod præſtantius eſt, fieri poteſt, etiam quod deterius fieri poterit, non autem contra. ut ſeruare & perdere contraria ſunt, ſed ſeruare pręſtantius eſt, perdere uero deterius. quod ſiquis ſeruare poteſt, poterit etiam perdere. ſed non contra, neque enim qui perdere poteſt, idem etiam poteſt ſeruare. ut qui mortem adfert, non poteſt uitam reddere, & qui rem candidam uertit in nigram, non poteſt iterum eandem facile candidam efficere. ſed qui donare uitam poteſt, mortem etiam poteſt adferre, & qui facere candidum poteſt, nigrum etiam poteſt efficere.

TEXT. *Et quæ ſimilia ſunt, ſi alterum eorum fieri poteſt, etiam alterum poterit.*

COMM. Secundus locus à ſimili ducitur. nam ſi quod ſimile eſt, fieri poteſt, etiam id, de quo dubitatur fieri poterit, ut ſi Cæſar Pontem in Rheno conficere potuit, etiam Carolus eodem modo poterit. ſic C. Marius nouus homo Romæ conſulatum adeptus eſt, etiam M. Cicero ſimiliter homo nouus adipiſci poterit. Si Demetrius iſthmum perfodere nullo modo potuit, neque Cæſar ullo modo poterit. Si Galli Romam expugnare potuerunt, etiam Annibal poterit. hæc enim exempla ſimilia plurimum ualent in ſuadendo & diſſuadendo.

TEXT. *Et ſi quod difficilius eſt, effici poteſt, etiam id, quod eſt facilius, poterit effici.*

COMM. Qui probat ea quæ difficiliora ſunt effici poſſe, etiam quæ faciliora ſunt effici poſſe probabit. ut ſi Milo Crotoniata potèrat taurum tollere, non dubium eſt, quin etiam vitulum ferre poſſet. talia ſunt illa, quæ Cornificius ad Herennium libro. 4. ponit, Quos ex collibus deiecimus, cum his in Cãpo metuimus dimicare? Qui cum plures erant, paucis nobis exęquari non potuerunt. hi poſtquã pauciores ſunt, metuimus ne ſint ſuperiores? tale eſt illud Aeneæ primo Aeneidos,

O paſsi grauiora, dabit Deus his quoque finem.

TEXT. *Et ſi quid poteſt fieri bonum, aut pulchrum, id et ſimpliciter fieri poterit. difficilius eſt enim domum eſſe pulchram, quam domum eſſe.*

COMM. Locus hic à ſuperiore pendet, & eius quaſi quædam pars eſt. quoniam ab eo, quod difficilius eſt, ſumitur. difficilius eſt enim aliquid benè pulchreque efficere, quam ſimpliciter efficere. Itaque qđ bene pulchreq; fieri poteſt, ſine dubitatione poterit etiam fieri. quod exemplo probat Ariſtoteles. Architectus qui domum pulchram extruere poteſt, ſimpliciter etiam domum ſine pulchritudine poterit extruere. nam omnino difficilius eſt facere domum pulchram, quam facere domũ. ita poeta qui pulchros & elegantes uerſus pangit. aut orator qui politas ſcribit orationes, aut pictor, qui bene cuiuſuis animantis effigiem exprimit. cum eis libuerit, poterunt ſine cura uerſus, orationes, imagines fingere.

Et quod principium habere poteſt, id etiam finem habebit. nihil enim neque fieri incipit eorum, quæ nullo modo fieri poſſunt, ut quod dimetiens lateri ſit comparabilis, hoc neque initium capit ſui ortus, neque ſit.

Cum de fine alicuius rei dubitamus utrum fieri poſsit nec ne; uidendum, an eiuſdem rei principium poſsit eſſe. nam uериſimile eſt, quod principium habere poteſt, etiam finem habere poſſe. qđ à contrario probat Ariſtoteles. quæ enim (inquit)

fieri nullo modo poſſunt,ea neque fieri incipiunt. hoc autem exemplo geometrico probatur. linea dimetiens,quæ diuidit quadratum in duas æquales partes,quia nullo modo poteſt habere communem menſuram cum aliquo quadrati latere, ideo neque unquam habere incipit, neque habet.hoc autem exemplo multis in locis utitur Ariſtoteles, cum aliquid ſignificare uult, quod nulla ratione poſsit fieri. ab hoc loco poteſt argumentum eiuſmodi deduci.quomodo Cæſar Britannos ſubiget, cum in Britanniam nullus ſit acceſſus? non poterit Cęſar Gallos debellare, quia pecunias non habet, quibus milites congreget. item à contrario, Annibal à Marcello uinci cæpit, ergo etiam debellari prorſus poterit. ita Cicero pro L. Man.docet bellum Mithridaticum nō eſſe ita magnum, ut ſit pertimeſcendum,quia Mithridates iam à L.Lucullo & Murena uinci cæperat.huc pertinet id, quod vulgo dicitur. Dimidium facti qui cæpit habet. ſic Auſonius,

Incipe, dimidium facti eſt cæpiſſe, ſuperſit
Dimidium,rurſum hoc incipe,& efficies.

TEXT. *Et quod finem habere poteſt, id etiam principium habebit: nam à principio cuncta proueniunt.*

COMM. Hic locus ſuperiori oppoſitus eſt, quoties enim uidemus aliquid finem habere poſſe, ſtatim intelligimus poſſe etiam habere principium. nihil enim omnino fieri poteſt, quod non ab aliquo principio proueniat. Cicero libro primo Tuſcul.nam ex principio oriuntur omnia.ipſum autē nulla ex re alia naſci poteſt, nec enim eſſet id principium,quod gigneretur aliunde. Cicero pro M. Marcello eleganter hoc loco vtitur, cum à bellis q̃ Cæſar confecerat, argumentatur ea principium tale habuiſſe ut cōfici poſſent. ſic enim ait;domuiſti gentes immanitate barbaras,multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes: ſed tamen ea uiciſti,quæ & naturam & conditionem,ut uinci poſſent,habebant. nulla eſt enim tanta uis, tantaque copia, quę non ferro ac uiribus debilitari frangique poſsit. huiuſmodi ſunt hæc argumēta. non ſunt indomiti Parthi, nā eos Ventidius ſuperauit. non eſt homini negata rerum futurarum præſenſio. nam multi quæ futura erant, ſcitè prædixerunt.

TEXT. *Et, ſi, quod poſterius natura, aut ortu factum eſſe contingit,etiam id,quod prius;eſt.ut ſi fieri poteſt, aliquem eſſe uirum factum,id etiam puer fieri potuit;nā hoc prius fieri ſolet. & contrà, ſiquis puer fieri poteſt, etiam uir fieri poterit; nam illud eſt principium.*

COMM. Locus hic apertus & facilis eſt.nam ſi poſteriora ſunt, neceſſe eſt etiam, ut priora fuerint. ut ſiquis uir eſt,prius puer fuerit neceſſe eſt.ſiquis eximius eſt philoſophus, neceſſe eſt ut prius philoſophiam didicerit.potuit L.Opimius C. Gracchum debellare, ergo potuit etiam contra illum arma ſumere. potuit Xerxes pontem ſuper Heleſponto cō ficere, ergo potuit etiam aptā ad id opus materiā comparare.potuit Cæſar Remp.occupare,ergo potuit etiam Pompeium pro Rep.pugnantem uincere.in ſumma quotieſcunque id, quod poſterius eſt, fit,etiam quod prius eſt,fieri potuit.ut,ſi Venetiæ ſunt in mari ædificatæ, etiam ibi fundamenta iaci potuerunt.

Quæ ratio uiciſsim retro cōmeat,ut ſi quod prius eſt,fieri poteſt, etiam id, quod eſt poſterius fieri poterit.vt, ſiquis poteſt in mari fundamenta iacere,poterit ibi etiam ędificare.fundamentum enim eſt ædificii principium. & ſupra dictum eſt ea, quæ principium habere poſſunt, poſſe etiam finem habere.

TEXT. *Illa quoque effici poſſunt,quorum amor,& cupiditas à natura inſita eſt. nam plerunque fit, ut nemo diligat,aut cupiat ea,quæ fieri nullo modo poſſunt.*

COMM. Docet Ariſtoteles alibi Deum, & naturam nihil fruſtra moliri.ſed natura quendam amorem & cupiditatem hominibus ingenerauit, quod non fruſtra feciſſe credendum eſt. quod ſi quæ cupimus & amamus nullo modo fieri poſſent,amor & cupiditates in nobis fruſtra eſſent. quo fit ut ea, quorum amor & cupiditas à natura nobis inſeritur, effici poſsint.quod etiam ipſe uſus & experiētia docet.nemo enim,niſi planè demens ſit,& cōmunis ſenſus expers,ea diligit,aut cupit,quæ nullo modo fieri poſſunt. vt nemo naturaliter nolare cupit, aut in feram conuerti, ſed omnes à natura ſcire deſiderant.ergo fieri poteſt ut ſcientiam habeant.trahimur enim omnes(ait Cicero)cognitionis & ſcientiæ cupiditate,in qua excellere pulchrū putamus.facit autem amor & cupiditas, ut quæ ſupra modum difficilia, & penè impoſsibilia uidentur, facile fiant.hoc eſt, quod in Oratore ad Brutum ait Cicero, Nihil difficile amanti puto. & in Epiſtolis,Nihil eſt quod ſtudio & amore effici nō poſsit.hoc eſt,quod fictis fabulis ſapientiſsimi uiri poetæ dixerunt, ab amore omnia domari. ſic Virgil.

Omnia uincit amor. & ſecundo de oratore M. Antonius,Diligentia pręcipuè colenda eſt nobis, hæc ſemper adhibenda, hæc nihil eſt, quod non aſſequatur.

TEXT. *Et ea quorum ſcientiæ, atque artes ſunt,naturam hanc habent;ut eſſe & gigni poſsint.*

COMM. Artes & ſcientiæ tantum earum rerum ſunt, quæ fieri poſſunt. itaque cum alicuius rei ſcientiā aut artem eſſe cognouerimus,ſtatim intelligemus etiam eam fieri poſſe. vt ſi ſcientia eſt, qua uiuum argentum in aurum conuertatur, ut quidam profitentur,ergo uiuum argentum in aurum conuerti poterit. ſi nauigandi ſcientia eſt, ergo poteſt aliquis ſcitè nauigare. ſi ars eſt aliqua dicendi, ergo poteſt aliquis artificioſè dicere, Cicero benè ſcit, quomodo animi dicendo moueantur, ergo poteſt animos mouere dicendo.pro Cor.Balbo multis argumentis probat Cicero, Pompeium eſſe peritiſsimum iuris & fœderum Romanorum, itaque concludit ab eo Cornelium Balbum iure potuiſſe romana ciuitate donari.

TEXT. *Et ea fieri poſſunt, quorum principium ortus eſt in*

eis

eis, quæ nos cogere, aut perſuadere poſſumus. hæc autem ſunt, quibus aut opibus præſtamus, aut domini ſumus, aut amici.

COMM. Quoties id, de quo deliberamus, ab eis pendet, quæ in poteſtate noſtra nos habemus ita, ut cogere poſsimus; non eſt dubitandum, quin fieri poſſit. tria uero ſunt hominum genera, quos, vt aliquid faciant cogere, aut quibus peruadere poſſumus. primum eorum, quibus opibus præſtamus, ut reges & principes cogere ſubiectos poſſunt, alterum eorum, quorũ domini ſumus. ſeruos enim noſtros pro imperio cogere poſſumus. Tertium eorum, qui nobis amici ſunt, quibus facile perſuadere ſolemus, vt nobis obſequantur. itaque quoties uel à ſubiectis, uel à ſeruis, uel ab amicis res pẽdet, ea facile cooficietur. ſic Cicero probat M. Antonium facile opprimi poſſe, quòd tota Italia ſenatui pareret, quòd Octauius Veteranos milites imperio contineret, qui pro Reip. libertate parati erant dimicare. quòd ipſe Octauius ſe poteſtati Senatus tradidiſſet.

TEXT. *Et quorum partes effici poſſunt, etiam totum: & contra, ſi totum fieri poteſt, etiam partes. nam ſi obſtragulum, & ligula, & ſolea fieri poſſunt, etiam calcei poſſunt fieri: & ſi calcei, poteſt etiam obſtragulum, & ligula, & ſolea.*

COMM. A confectione partium intelligitur, an totum fieri poſsit, & contra, à totius confectione, cognoſcitur, an partes fieri poſsint. cũ enim partes poſſunt fieri, poteſt etiam totum, & cum totum fieri poteſt, poſſunt etiam partes. ut ſi fundamenta, & parietes, & tecta fieri poſſunt, etiã domus poteſt, & ſi domus poteſt fieri, poſſunt etiam fundamenta, & parietes, & tecta. locus eſt facilis, ad quem probandum Ariſtoteles utitur hoc exemplo, ſi calcei ſingulæ partes fieri poſſunt, etiam totus calceus fiet. & ſi totus calceus poteſt fieri, poſſunt ẽt ſingulæ partes. ſed in enumerandis calcei partibus utit quibuſdam vocabulis non ſatis apud auctores tritis, ideo Trapezuntius in conuerſione ſua relicto hoc Ariſtotelis exemplo, ipſe aliud ſubſtituit, à ueſtimenti partibus ſumptum. Victorius autem in his calcei partibus nihil extricat. nos Latinis uocabulis & (vt opinor) ad Ariſtotelis ſenſum accommodatis Græca expreſsimus. nam q̃d Ariſtoteles πρόσχισμα dixit, Theodorus Gaza in Probl. Sectione trigeſima, proſciſſum uertit, non ſatis Latinè, licet ad Græcum uerbum accommodatè, nos obſtragulũ interpretati ſumus. eſt enim apud latinos obſtragulum pars anterior ac ſuperior calcei, vel ſocci, uel crepidæ, quo uocabulo Plinius utitur libro. 9. cap. 35. ubi de unionibus loquitur, cum ita ſcribit, quin & pedibus, nec crepidarum tantum obſtragulis, ſed totis ſocculis addunt. Quod autem κεφαλὶς ab Ariſtotele dicitur, nos ligulam uertimus. erat enim ligula pars calcei apud ueteres, ſicuti ſcribit Sex. Pompeius. quæ γλῶττα Græcè dicitur. Iulius Pollux libro ſeptimo inter calcei partes etiam γλώττας .i. ligulam numerat. Iuuenalis Satyra quinta, ligulam pro toto calceo poſuit, cum ita inquit,

—— & ligulas dimittere ſolicitus ne
Tota ſalutatrix iam turba peregerit orbem.

Martialis libro. 2. Non extrema ſedet lunata ligula planta. facile autẽ adducor ut credam ligulam à capite κεφαλὶς Græce fuiſſe dictam, à linguæ ſimilitudine, quæ in capite eſt. Sed utcunque ſit, certum eſt, ligulam eſſe calcei partem. Tertia calcei pars, quæ χιτὼν ab Ariſtotele dicitur, Latinè ſolea dicitur à nobis quadam ſimilitudine, χιτὼν enim propriæ tunicam ſignificat, uerum in calceo tunica non eſt, ſed ut in ueſtimẽtis tunica eſt inferior, ita in calceis ſolea. eſt enim ſolea pars ea calcei quę pedibus ſubijcitur, ſic dicta quod ſolo pedis ſubijciatur, ut Feſtus auctor eſt. Sunt igitur tres calcei partes, obſtragulum quæ ſuperior pars eſt, ſolea quæ eſt pars inferior, & ligula, quæ iam in uſu deſiit eſſe apud nobiles, ſed adhuc in ruſticorum calceis adiungi ſolet, ſicut etiam Luna, quam in calceis ruſticarum mulierum ſæpe obſeruauimus, cũ apud ueteres Romanos id eſſet inſigne nobilitatis, & patricij tantum Lunas in calceis geſtarent, ut Plutarchus auctor ẽ. Iuuenalis de Quintiliano,

Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.

nam cum Senatores fierent, lunatos calceos ſumebant. Cice. Philippica tertiadecima, Eſt etiam Aſinius quidam ſenator uoluntarius, lectus ipſe à ſe, apertam curiam uidit poſt Cæſaris mortem, mutauit calceos, pater conſcriptus repente factus eſt.

TEXT. *Et ſi genus fieri poteſt, etiam ſpecies fieri poterit; & ſi ſpecies, etiam genus: ut ſi nauis fieri poteſt, etiam triremis; & ſi triremis, etiam nauis.*

COMM. Quoties genus eiuſmodi eſt, ut fieri poſsit, quę libet etiam ſpecies fieri poterit. ut ſi quis aptus eſt ad uirtutem percipiendam, poterit iuſtus, prudẽs, fortis, & temperatus euadere. ſi quis ſcientiã percipere poteſt, etiam geometriam percipere poterit. hic autem locus conuertitur, ut ſi quis Grammaticus fieri poteſt, etiam ſciens fieri poterit, ſi iuſtus eſſe poteſt, etiam uirtute præditus erit. Ariſtotelis exemplum hoc eſt. Si nauis poteſt fieri, etiam triremis, quinqueremis, actuaria, ſcapha, celox, ponto, limbus, mioparo, liburnica cæteræque naues fieri poterunt. ſunt enim plurimæ nauium ſpecies. & ſi quælibet nauis, ut triremis, aut ſcapha poteſt fieri, poterit etiam nauis. poſita enim qualibet ſpecie, ponitur etiam genus. ut Cicero pro lege Man. probat Pompeium in omni genere belli peritiſsimũ, quia diuerſa bella confecerat, quorum ſpecies enumerat, ſic enim ait, Quod denique genus belli eſſe pôt, in quo illum non exercuerit fortuna Reip. ciuile, Africanum, Tranſalpinum, Hiſpanięſe, miſtum ex ciuitatibus, atque ex bellicoſiſsimis nationibus, ſeruile, nauale, uaria & diuerſa genera & bellorum, & hoſtium nõ ſolum geſta ab hoc uno, ſed etiam confecta, nullam rem eſſe declarant in uſu militari poſitam quæ huius uiri ſcientiam fugere poſsit.

TEXT. *Et ſi alterum eorum, quæ ſub eandem rationem cadunt,*

dunt,

dunt fieri poteſt; etiam alterum poterit, ut ſi duplum fieri poteſt, etiam dimidium poterit, & ſi dimidium etiam duplum.

COMM. Sunt quædam vocabula, quę mutuā confirmationē pſtant, vt ſi vnū ſit, ēt alterū eſſe neceſſe ſit, quæ ſemper natura ſimul ſunt, & ſimul intereūt, vt pater & filius, nam ſi pater eſt, ut ēt filius ſit neceſſe eſt, & contra. ꝙ ſi alterutrum tollitur, ēt alterum tollitur, ut ſi filius intereat, non amplius eius pater uocatur. huiuſmodi autē vocabula, quę ſunt innumerabilia, Græcè dicuntur πρός τι, vt in prædicamētis ea nocat Ariſto. vel πρὸς ἄλληλα ut hoc in loco, barbari noſtri tēporis relatiua nomināt, Cic. dicit ea, q̄ ſub eandem rationem ueniunt. Quintilianus lib. 5. capite de Argumētis ita ſcribit; Illa quoq; q̄ ex rebus mutuā cōfirmationē pſtantibus dicūtur, q̄ ꝓprij generis quidā videri uolūt, & uocant ἐκ τῶν πρὸς ἄλληλα. Cicero ex rebus ſub eandē rationē uenientibus, forte cōſequentibus iunxerim, ſi portoriū Rhodijs locare honeſtū eſt, & Hermacreonti conducere, & qđ diſcere honeſtū, & docere. At verò in Topicis Cic. ſic ait; Nā alia quoq; ſunt cōtrariorū genera, velut eorū, q̄ cū aliquo cōferuntur, vt duplū, ſimplū, multa pauca, longū, breue, maius, minus. in his igit̄ poſſumus ab utrolibet incipere, ut alterum confirmemus. ut ſi duplū eſſe pt, ēt ſimplum ſeu dimidium eſſe poterit, & ſi dimidiū eſſe poteſt, ēt duplū poterit eſſe. & ſi multa eſſe poſſunt, ēt pauca, & ſi pauca, ēt multa. nonnunquā his aliqua adiunguntur, q̄ ualde uериſimilia ſunt, vt ſi pater fortis eſt, etiam filius erit fortis. quo genere argumenti eleganter vtitur Horatius Odarum libro quarto,

Fortes creantur fortibus, & bonis
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbā.

tale eſt illud, qđ vulgo dicitur, Mali corui, malum ouum, & nunquam ex malo patre, bonus filius.

TEXT. *Et quod ſine arte, atq; apparatu fieri poteſt; id magis adhibita arte, ac diligentia fieri poterit: unde ab Agathone dictum eſt,*

Fortuna quædam agenda nobis obijcit,
Quædam ſimul fert caſus & neceſſitas.

COMM. Multa fiunt caſu, ſine vlla arte & apparatu, quibus ſiquis artē & diligentiā adderet, multo melius & pſtantius fierent. nam ars & diligentia plurimū actiones oēs adiuuant, vt imperitus aliquis de cœlo & ſideribus aliquid bene & uerè diſſerere pōt, ſed aſtrologus qui artē didicit & in ea ſe exercuit, longe melius & uerius de ijſdem diſputabit. ita aliquis ſubito factū vulnus alligabit, & bene fortaſſe curabit, ſed id chirurgus melius efficiet. robuſtus homo temere in hoſtē irruēs, eum fundere ac fugare poteſt, ſed idē robuſtus ſi prudentiam & artem militarem adhibeat, ſecurus uictoriā reportabit. hunc autem locum Ariſtoteles Poetæ Agathonis auctoritate comprobat. fuit enim Agatho poeta Tragicus ut Suidas teſtatur Platonis amiciſſimus, cuius etiam in ædibus ſympoſium illud ubi tam multa de amore diſputata ſunt, celebratum fuiſſe memorant. Ariſtoteles multis in locis huius poetæ meminit, & eius carmina teſtimonii loco citat, ut in ſexto Ethicorum, cum ait fieri non poſſe, vt quod factum eſt, infectum ſit, & rectè (inquit) Agatho

Nam ſolo hoc, etiam Deus ipſe, carere uidetur,
Interfectum vt faciat, quod factum eſt.

& non ita multo poſt, citat eiuſdem Agathonis ſenariū, qui locum etiam hunc illuſtrat, cuius eſt hic ſenſus; Namque ars fortunā, fortunaq; diligit artem. multa enim caſu & fortuna fiunt, quæ melius arte fierent. itaque fortuna uidetur artem amare atque deſiderare ad perfectionē ſuam. eodem modo ars niſi proſperam fortunam & ſortem habeat, plerunque uirtutem ſuam explicare non poteſt. quo fit ut etiam ars fortunam diligat & deſideret. ad eundem ſenſum tendunt duo ſenarii qui ponuntur hoc in loco, Multa nobis fortuito eueniunt, quæ nequaquam euentura putabamus, quæ nos facere oporteat. ea igitur plerunque ſine arte, & apparatu facimus. multa etiam neceſſario nobis agenda ſunt, alioquin haud commodè uitam degere poſſemus. his autem ſolemus artem & diligentiam adhibere, quamuis in eis etiam fortuna multum poſſit, adeo in omnibus fortuna dominatur. Summa eſt huius loci, res omnes multo melius confici poſſe, ſi ars & diligentia adhibeatur, quam ſi temere & ſine diligentia tractentur. eſt igitur omnibus in rebus adhibenda ars & diligentia.

Et ſiquid à deterioribus, uel impotentioribus fieri poteſt; id multò magis ab ijs, qui ſunt his contrarij, fieri poterit: unde dictum illud Iſocratis; qui rem indignam eſſe dixit, & grauem, ſi Euthymus quidem didiciſſet, ipſe uerò non poſſet inuenire. TEXT.

Cum inferiores atque impotentiores aliquid facere poſſunt, idem certè ſuperiores & potentiores facilius efficiēt. ut ſi priuatus homo poteſt auctoritate ſua ferocientem multitudinem cohibere, longè facilius eam princeps egregius prohibebit. Si mulier oīa perpeti pōt, potius quam cōſcios delendæ Tyrannidis indicet, multo facilius uir cōſtans patietur. Cicero. 2. Tuſcul. hoc utitur argumento; ergo hæc ueteranus miles facere poterit, doctus uir, ſapienſq; nō poterit? ille uerò melius, ac non paulo quidem. & paulo poſt; ergo hoc poterit, Sānis ſpurcus homo, uita illa dignus locoq; uir natus ad gloriam, ullam partē animi tam mollem habebit, quam non meditatione, & ratione corroboret? itaque turpe eſt etiam ab inferiore ſuperari, unde Tharcon ille apud Virgilium milites ſuos ſic increpat; COMM.

Fœmina Palantes agit? atque hæc agmina uertit?
Quo ferrū? quid ve hæc geritis tela irrita dextris?

hac de cauſa ſibi putabat Iſocrates turpe eſſe, qđ ab Euthyno quodā nullius ingenii hoīe uinci videret. cuius dictum refert Ariſtoteles. dicebat igitur Iſocrates rē indignā eſſe, neq; ullo modo ferendā, ꝙ Euthynus rē quandā didiciſſet, quā ipſe nō poſſet inuenire, aut excogitare. difficilius eſt quidem

T aliquid

aliquid inuenire, quã iuuẽtũ ab alio perdiſcere, ſed Iſocrates tanto ſe pſtautiorẽ Euthyuo cenſebat, ut indignaretur, non poſſe partem eius rei difficiliorẽ efficere, cuius Euthynus faciliorẽ præſtitiſſet.

TEXT. *Quæ uerò fieri non poſſunt, facile percipiuntur ex contrarys eorum, quæ dicta ſunt.*

COMM. Qui beue perceperit, quõ probetur, rem fieri poſſe, is etiam intelliget, quõ probetur, non poſſe fieri. nã ex contrariis argumenta deducentur, quoties probandum erit id, quod propnnitur, fruſtra ſuſcipi, quoniam ad exitum deduci non poterit. cõtrariorum enim ſemper cõtraria ſunt cõſequẽtia.

TEXT. *Quod ſi quæratur utrum aliquid factum ſit, an non factum, his modis conſiderari poteſt; Primo, ſi, quod à natura fieri minus eſt aptum, factum eſt, etiam id erit factum, quod fieri magis eſt aptum.*

COMM. Iam tranſit ad facti coniecturam, & docet quibus quaſi ueſtigiis indagare poſsimus, utrum aliquid factum ſit, nec ne. & cum multis modis hoc intelligi pnſsit, ait illum eſſe primum, ut facti naturam uideamus comparando. nã ſi factum eſt id, quod à natura fieri minus aptum erat, etiam illud erit factum, quod màgis aptũ erat fieri. ut ſi Clodius ẽt amicis ſuis iſidias ſtruere ſolitus erat, multo facilius credendum eſt inimico ſun Miloni inſidias ſtruxiſſe. ſi Catilina propter auaritiam & nuptias Horeſtillæ proprium filium necauit, ergo ẽt putandum eſt, eũ in patriã, ut dnminus fieret, coniuraſſe. Si Rnſcius trecenta ſeſtertia, cum lucrari poſſet, ea cnntempſit, nnn dubitandum quin etiã quinquaginta, quæ poſtea lucrari potuit, cõtempſerit. Si Roſcius Capito homn audax & ſicarius multos ferro, multos ueneno interfecit, ergo credibile eſt, etiam Roſcium Amerinum inimicum ſuum iuermem à cœna redenntem ab eo fuiſſe interfectum. hæc exempla ſumpta ſunt ex orationibus Ciceronis, ubi copioſiſsime tractantur. Sed ſatis eſt locum oſtendere. tale eſt illud, Si Catn fuit in pueritia conſtantiſsimus, eundem adulta ętate multo conſtantiorem fuiſſe.

TEXT. *Et, ſi, quod poſterius fieri conſueuit, factum eſt; id etiam, quod prius, factum eſt: ut ſiquis rem aliquam oblitus eſt, etiam aliquando illam didicit.*

COMM. Siquis pbare põt id, qđ poſterius fieri ſolet, eſſe factũ, is etiã facile pbabit, qđ fieri prius ſolet, factũ eſſe. ut ſiquis dicat Ciceronẽ ab exilio reuocatum, ſtatim intelligitur, eũ exulaſſe. ſiquis Meſſalam dicat omnes ſcientias oblitum fuiſſe, & memoriam omnẽ amiſiſſe, igiẽ antea memor erat, & ſciẽtias didicerat. talia ſunt ſigna, quæ rẽ ſubſequũtur, ut cruentũ habuit gladiũ, deprehẽſus eſt in loco, ubi cadauer inimici iacebat, ergn cedem cõmiſit. corpus mnrtui tumidũ fuit & liuidum, ergo ueneno ſublatus eſt. titubauit, expalluit, inconſtanter locutus eſt, ergo fuit conſcius. Clodius uenit e xpeditus in equo, cum armatis hominibus, & electis, & Miloni non longè à fundo ſun factus eſt obuiam, ergo inſidias ibi fecerat.

TEXT. *Et ſiquis quippiam efficere potuit, & noluit, non dubium eſt, quin fecerit; omnes .n. cũ aliquid poſſunt, & uolunt, id ẽt efficiunt, cũ nihil eis impedimento ſit.*

COMM. Duo ſunt, q̃ homines ad aliquid faciendum impellunt uoluntas & poteſtas, qunrum ſi alterum deeſt, nihil fit. Itaque ſi probare potuerimus aliquem & uoluiſſe, & potuiſſe, probabimus etiã feciſſe, quia uoluntati & poteſtati nihil eſt impedimẽto, ut ſi Capito Roſciũ interficere uoluit, quoniam erat inimicus, & potuit, quoniã Romæ erat gladiorum impunitas, & Capito armatus, Roſcius inermis incedebat, ergo etiam interfecit. hęc in vtranque partẽ ingeuioſe pro Milone tractantur à Cicerone. Clodius uoluit inſidias Milnni ſtruere, qm̃ illum oderat, & ſuis nefariis conatibus reſiſtere intelligebat, potuit ẽt ſtruere inſidias ante fundum ſuum, ubi propter inſanas ſubſtructiones hominum mille facile latere poſſet ualentium aduerſari, ergo inſidias ſtruxit. contra uerò, Milo noluit inſidias ſtruere, neq; enim Clodium oderat, & eũ uiuere cupiebat tanquam mareriam & ſegetem gloriæ ſuæ, neq; potuit, qm̃ erat ĩn Rheda penulatus cum uxore, & ancillarũ grege, ergo non ſtruxit inſidias. hæc in ea nratione diuinitus tractanẽ.

TEXT. *Et ſi uoluntatem habuerit, nullaque res eum externa prohibuerit.*

COMM. Interdum uoluntas ſola ſufficit ad rem perficiẽdã, licet poteſtas deſit, modo nulla res externa uoluntatem impediat. ut Vlyſſes cupit Aiacem occidere, ſed non poteſt, quia multo fortior eſt Aiax. accidit autem ut illum dormientem in ſylua reperiat, atque ita interficiat, quia tunc nihil eum impedit. Cicero pro P. Seſtio, elegãti ſimilitudine locum hunc expreſsit hoc modo; Sed ita eſt Iudices, ut, ſi gladiũ paruo puero, aut ſi imbecilln ſeni, aut debili dederis, ipſe impetu ſuo nemini noceat, ſin ad nudum uel fortiſsimi uiri corpus acceſſerit, poſſit acie ipſa & ferri uiribus vulnerari: ita cũ hominibus eneruatis, atque exanguibus cnnſulatus tãquam gladius eſſet datus, qui per ſe ſe pungere neminem vnquam potuiſſent, hi ſummi imperii nomine armati Remp. contrucidauerunt.

TEXT. *Et ſi res illa fieri potuit, & qui feciſſe dicitur iratus erat.*

COMM. Accidit aliquãdo, ut quãuis aliquid faciendi poteſtatẽ habeamus, tamen uoluntas abſit, atq; ideo nõ id efficiamus. qđ ſi fnrte ira ſuperuenerit, tunc idẽ aggrediamur. ut Alexãder Clytũ ĩterficere poterat, ſed nolebat, qm̃ erat amicus. poſtea cũ iratus eſſet eũ interfecit, ſed eo facto tãtopere doluit, ut uix à ſe manus abſtinuerit. diſtincta eſt igiẽ ab ira uolũtas. nã multa facimus irati, q̃, ſi abeſſet ira, nequaquam facere uellemus. Cicern pro Milone, At ualuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fecit ultor iniuriæ, punitor doloris ſui. deinde probat in Milnne nulla fuiſſe, in Clodin maxima.

TEXT. *Et ſi facultatem habuit, & concupiuit; nam plerique ſi potuerint, ea faciunt, quorum deſiderio tenentur, improbi quidem propter incontinentiam, probi uero quia res tantum iuſtas deſiderant.*

COMM. Qui probare poteſt facultatem & cupiditatem alicuius rei faciendæ in aduerſario fuiſſe, is etiam

rem

rem fuiſſe factam facile probabit. nam hoc ita cō paratū eſt, ut oēs homines ſiue probi fuerint, ſiue improbi, ſi poſsint ea, quę cupiunt efficiant. ſed in hoc differunt, quod improbi trahuntur ab incontinentia, & pro libidine ſua res adminiſtrant, probi uerò quæcunque faciunt, ad iuſtitiam referunt. cupiebat Clodius Ciceronem exterminare, ſed non poterat, cū priuatus eſſet. ergo dedit ſe in adoptionem homini plebeio, ut Tribunus plebis fieret, quem magiſtratum; cum adeptus fuiſſet, legem tulit, qua Ciceronem urbe expulit, & eidem aqua & igni interdixit, facultatem igitur nactus, quod cupiebat, effecit. contra Cicero uir iuſtus Remp. ſaluam eſſe cupiebat, ſed eam à coniuratione Catilinæ, niſi ope Senatus liberare non poterat, ergo præſidio Senatorum armatus Catilinam euertit.

TEXT. *Et ſiquid futurum erat, aut aliquis facere paratus erat; nam probabile eſt, cum quis facturus fuerat, etiam feciſſe.*

COMM. Hæc ante negocij geſtionem conſiderantur in coniecturis, quid dixerit, quid fecerit, quid appararit. nā dicta & facta coniecturā plurimū adiuuant. ut pro Milone Cicero narrat, quid fecerit, & dixerit Clodius antequā inſidias Miloni strueret. palā (inquit) agere cæpit, & apertè dicere, occidendum Milonem. ſeruos agreſtes & barbaros, quibus ſyluas publicas depopulatus erat, Hetruriamq́ue uexarat, ex Appēnino deduxerat, quos uidebatis. res erat minime obſcura: etenim palam dictitabat conſulatum Miloni eripi non poſſe, uitam poſſe. ſignificauit hoc ſæpe in Senatu, dixit in concione. quin etiā Fauonio fortiſsimi uiro quærenti ex eo qua ſpe fureret Milone uiuo, reſpondit triduo illum, ad ſummum quatriduo periturum. hęc omnia probabilia ſunt ad oſtendendum à Clodio factas inſidias fuiſſe.

TEXT. *Et ſi omnia facta ſunt, quæ naturæ ordine uel ante illud, uel eius gratia fieri ſolent; ut ſi fulgurauit, etiā tonuit; & ſi ſolicitauit, etiam confecit.*

COMM. Cum aliquid eſſe factum probare uolumus, ea diligenter perſcrutanda ſunt, quę naturę ordine prius fieri ſolent, & eius gratia, quod probaturi ſumus. hoc autē duobus exemplis oſtendit Ariſtoteles. nam fulguratio tonitrum præcedere ſolet, ergo ſi fulgurauit, ēt tonuiſſe credibile eſt. & ſolicitatio ſtuprum aut adulterium pręcedit, ergo ſiquis mulierem ſolicitauit, & ſæpe cum ea locutus eſt, ueriſimile eſt, ēt ſtuprū aut adulterium commiſiſſe. contra uero ſi nūquam ſolicitauit, aut nunquā cū ea locutus eſt, non eſt credendū, rem habuiſſe. ita Simo ille Terentianus, cū audiuiſſet Pamphilum filium ſuum à ſocijs ad Chryſidem una perductum, ita inquit, certè captus eſt, habet.

TEXT. *Et ſi ea facta ſunt, quæ naturæ ordine poſtea conſequuntur, uel quorū gratia fiunt alia; factum ēt illud eſt, quod eſt prius, & quod aliorū gratia fit: ut ſi tonuit, ēt fulgurauit; & ſi confecit, etiam ſolicitauit.*

COMM. Hic locus ſuperiori oppoſitus eſt, & à cōſequētibus deducitur. nā ex poſterioribus plerūq; priora cognoſcūtur, ut ſi tonuit, ſcimus etiā fulguraſſe, & ſiquis adulteriū cōmiſit, intelligimus ēt ſolicitaſſe. Valet autem multū hic locus in coniecturis, cū ea explicantur, quę geſtum negociū cōſeqni ſolent. ut Cicero probat Milonem inſidias non feciſſe, quia poſt interfectum Clodium Romā uenit, & ſe populo R. atque ſenatui cōmiſit. & pro Roſcio Amerino probat Roſcium non à filio ſed ab accuſatoribus interfectum, ab ijs, quæ conſecuta ſunt. ſic.n.ait; Occiſo Sex. Roſcio primus Ameriā nunciat Manlius Glaucia quidam, homo tenuis, libertinus, cliēs & familiaris iſtius T. Roſcii, & nūciat domum non filii, ſed Titi Capitonis inimici. & cū poſt horam primam noctis occiſus eſſet, primo diluculo nuncius hic Ameriā uenit. decem horis nocturnis ſex & quinquaginta millia paſſuū ciſiis peruolauit, non modo ut exoptatū inimico nuncium primus adferret, ſed etiam cruorem inimici quam recentiſsimum, telumq́ue paulo ante è corpore extractum oſtenderet.

Ex his autem omnibus aliqua neceſſaria ſunt; aliqua maiori ex parte fieri ſolent. TEXT.

Pauca ſunt neceſſaria eorum, quę ab oratore tractantur, ſed pleraque tātum probabilia ſunt, quia maiori ex parte eodem modo fiunt, ut in primo libro dictum eſt. Sunt tamen aliqua neceſſaria, quæ propriæ rerū notæ dicuntur. ut, ſi lac habet mulier ergo peperit, & ſi peperit, cū viro cōcubuit. hęc.n. neceſſaria ſunt, & aliter eſſe nō poſſunt. ſicut ēt ꝗdam ꝓcurrentia, ut ſi cor læſum habet, ergo morietur. Si ſanguinem è pulmone remiſit, ſanus fieri non potuit. ſic enim Ouidius, COMM.

Cernis, vt è molli ſanguis pulmone remiſſus
Ad ſtygias certo limite ducat aquas?

Sed hæc (ut dixi) pauca ſunt, probabilia uero ſunt infinita.

Quod uerò non factum eſſe dicitur, facile probatur ex contrarijs eorum, quæ dicta ſunt. TEXT.

Si cā poſtulabit, ut aliquid nō factū fuiſſe ꝓbandū ſit, ex contrariis locis argumenta deeſſe nō poterūt. vt Cice. ꝓbat à Roſcio patrē nō fuiſſe interfectū, qđ huiuſmodi ſceleribus reclamat ipſa natura, qđ ab eo uolūtas huius maleficii abeſſet, qđ in eo nulla eſſet effrenata cupiditas. ꝙ nullum odiū in patrem, nulla denique parricidii cauſa. COMM.

Atque ex iiſdem locis intelligitur etiam, quid futurum ſit. Nam, quod eſt in poteſtate noſtra, atque uoluntate ſitum, id etiam erit. TEXT.

Quibus locis aliquid iā factū eſſe ꝓbatur, iiſdē ēt futurū aliquid eſſe ꝓbabitur. vt ſi is, qui potuit, & voluit, rē effecit, ita ēt qui ptātem habet, & uolūtatē, rē efficiet. fieri.n. fere ſolet, vt ꝗ poſſumus, & volumus, ea faciamus. ꝙ ſi uel facultas deeſt, uel volūtas, nihil confici ſolet. qđ ꝓ L. Man. Cice. illis verbis oſtendit; Etenim illud primū paruī refert, uos publicanis amiſſa vectigalia poſtea uictoria recuperare: neque. n. iiſdē redimēdi facultas erit ꝑꝑ calamitatem, neq; aliis uoluntas propter timorē. COMM.

Et, quæ cupiditas iubet, & ira, & cogitatio, ſi poteſtati coniuncta ſunt, erunt. TEXT.

Qui poteſtatem habent alicuius rei faciendæ, COMM.

uel non faciendæ, ſi in cupiditatem, aut iram, aut cogitationem eius rei inciderint, ad eam faciendã aggrèdiuntur. ut Romani diruendæ Corinthi poteſtatem habent, & cupiunt eam propter illatas legatis iniurias delere, iratiq; ſunt, quòd Corinthij non modo ius gentium uiolarint, ſed etiam populi R. maieſtatem contempſerint, & præterea cogitant, eam ciuitatem opportunam eſſe ad bellum reparandum, ergo illam deſtruent. Ita Cicero pro L. Man. bellũ cõtra Mithridatem eſſe ſuſcipiendũ docet, quod Romani ſint appetentes glorię, & maculam ſuperiore bello ſuſceptam delere cupiant. quod irati ſint Mithridati, qui una die tota Aſia tot in ciuitatibus, uno nuncio, atque una literarũ ſignificatione ciues R. necandos trucidandosque denotauit. quod cogitent in eo bello agi ſalutem ſociorum atque amicorum, & certiſsima populi R. uectigalia, & bona multorum ciuium, quod denique poſsint ei bello egregium imperatorem Pompeium præficere.

TEXT. *Præterea ſi in procinctu eſt, ut fiat, aut ſi futurum eſt, erit; nam plerunque fiunt ea potius, quæ futura erant, quam quæ non futura.*

COMM. Poſſumus affirmare futurum aliquid eſſe, cum ij, quorum intereſt in procinctu ſunt, & iamiam rem aggreſſuri, ut ſi uiderimus acies inſtructas ab utraque parte, & milites ad prælium præparatos, prælium futurum eſſe dicemus. uel ſiquem uiderimus lateres & cementa præparantem, eum ædificaturum aſſeremus. & longè facilius hæc eſſe futura credemus, ſi operam aliquem dare uidemus, ut rem gerat, quam ſi tantum dicat ſe geſturũ. nã ita ſolet euenire, ut ea potius fiant, quę quis facere parat, & quæ aggreditur, quam de quibus nihil cogitat. hic eſt huius loci ſenſus. uocat. n. Ariſtoteles, τὰ μέλλοντα .i. futura, q̃ in procinctu ſunt, ut fiant, & quæ quis non tantum cogitat, ſed ẽt efficere p̃parat. at uero τὰ μὴ μέλλοντα. i. nõ futura, de quibus agendis nihil hactenus cogitatum eſt.

TEXT. *Et ſi iam omnia extiterunt, quæ natura præcedere ſolent, ut ſi nubes coactæ ſunt imber erit.*

COMM. Cum uidemus iam omnia p̃ceſsiſſe, quæ rẽ præcedere ſolent, tunc affirmamus rẽ futurã. ut ſi coactas nubes conſpexerimus, & cœlum obſcuratũ, atque auſtrum flantem ſine dubitatione dicimus futuram pluuiam. itaque ſi mulierem nonum iam menſem geſtantem uterum̃ uiderimus, dicemus eam breui parituram. facetè Socrates, cum uxor eius Xantippe poſt multa iurgia lotio eum perfudiſſet, dixit, ſciebam poſt tonitrum imbrem ſequi ſolere.

TEXT. *Et ſi, quod huius gratia fit, factum eſt; ueriſimile eſt etiam hoc futurum: ut, ſi fundamentum, & domus.*

COMM. Cum ea præparata fuerint, quæ alicuius gratia fiunt, affirmare ſolemus illud futurum, vt cũ fundamenta iacta fuerint, & allata materia, domũ futurã dicimus. non quia neceſſariũ ſit domum fore: poſſunt. n. impedimenta multa ſuperuenire, ne domus perficiatur. ſed quia plerunque fit, ut qui fundamenta iacit, ẽt domum perficiat, ideo ueriſimile eſt, ut iactis fundamentis, fiat domus. ſi miles equos & arma parat, dicimus eũ ad bellũ profecturum. ſi adoleſcens Ariſtotelis opera coemerit, dicimus eum Philoſophiæ operam daturum. Cicero pro lege Man. ab apparatu Mithridatis argumentatur, magnum bellum futurum, cum ita inquit; Quantum illud bellum futurum putatis, quod cõiungant reges potentiſsimi, renouent agitatæ nationes, ſuſcipiant integræ gentes, nouus imperator ueſter accipiat uetere expulſo exercitu?

TEXT. *De magnitudine autem & paruitate rerum, & de maiore, & minore, & omnino de magnis & paruis, ex ijs, quæ iam tradita ſunt, nobis perſpicuum eſſe poteſt. nam in ijs, quæ diximus de genere deliberatiuo, de magnitudine etiam bonorum & de maiore ac minore ſimul diximus.*

COMM. Quia ſupra dixerat omniũ generum cõe eſſe de magnitudine & paruitate rerũ diſſerere, cũ in omni genere aliquid amplificare, atque imminuere opus ſit, ideo conſequi uidebatur, ut hoc loco diligenter de rerum magnitudine diſputaret. ſed hãc partem iam à ſe perfectã oſtendit. nam cum in primo libro de genere deliberatiuo tractaret, & bonorum formas explicaret, docuit etiã quæ magna, & parua bona ſint, & quæ maiora, & minora. quo fit, ut eodem ſit in loco de malis etiam tractatum, cum eadem ſit contrariorum ſcientia. quare totus hic locus iam explicatus eſt. nam ex deliberatiuo genere quicquid opus fuerit, ad alia genera traduci poteſt. cum præſertim omnia genera dicendi quoddam habeant commune uinculum, & inter ſe cognatione iungantur.

TEXT. *Quare cum in unoquoque genere finis propoſitus bonus ſit, ut utilitas, honeſtas, æquitas, perſpicuum eſt, inde ſumẽdas eſſe cuiuſq; generis amplificationes.*

COMM. Probat à fine, ea, quæ de magnitudine bonorũ in deliberatiuo genere declarata ſunt, ad omne dicendi genus pertinere. finis enim cuique generi propoſitus bonus eſt, ut in deliberatiuo finis eſt utilitas, in demonſtratiuo honeſtas, in iudiciali æquitas. hęc autem omnia bona ſunt. quare quoties finẽ alicuius generis amplificare uolumus, ex eis, quæ tradita ſunt in deliberatiuo genere, amplificandi rationem ſumemus.

TEXT. *At uerò præter hæc de magnitudine ſimpliciter, & de exuperantia quærere, inanem eſt ſuſcipere ſermonem. nam ad uſum maiorẽ adferunt utilitatẽ, quæ ſigillatim tradũtur, quã quæ generatim atq; uniuerſe.*

Quia poſſet aliquis ſimpliciter q̃rere, quid magnitudo ſit, & quid exuperãtia, docet Ariſt. eã rẽ, nihil ad p̃ſens opus, & dicẽdi rõnem p̃tinere. neq; enim hoc in opere ſunt omnia diligenter excutienda, ſicuti ſupra traditũ eſt, uerũ ea tm̃ q̃rẽda ſunt, quæ dicẽdi facultatẽ augere poſsint. qđ ſiquis alia ſcrutetur, inanẽ & alienũ à p̃poſito ſermonẽ ſuſcipit, hic. n. aliter fit ac in ſciẽtiis. nã in ſcientiis magis ea proſunt, quę generatim atq; uniuersè tradũtur, quia ſcientiæ ſunt rerũ generaliũ & æternarũ, quæ aliter ſe habere non poſſunt. ſed in rhetorica cæteriſque artibus, quę ad uſum tendunt, magis

ea pro-

ea proſunt, quæ ſigillatim, atque in ſpecie traduntur, quam quæ in genere. ut rhetori maiorem adfert utilitatem ſcire, quanta ſit magnitudo boni, de quo agitur, quam ſcire ſimpliciter quid ſit magnitudo, quid exuperantia, quid bonum, atque ita de ſingulis.

TEXT. *Ac de eo quidem, quod fieri poteſt, aut non poteſt, & utrum aliquid factum ſit an non factum, & utrũ futurum ſit an non futurum, denique de magnitudine & paruitate rerum, hæc dicta ſufficiant. Reliquum eſt, ut de probationibus, quæ communes ſunt omnium generum dicamus, cum iam de proprijs dixerimus.*

COMM. Tranſitione utitur, frequenti more ſuo, qua repetit ea, quæ iam explicata ſunt, & proponit, q̃ ſit deinceps explicaturus. iam (inquit) ſupra docuimus quatuor illa, quæ ſunt omnium generum cõmunia, primum quid fieri poſsit aut non, ſecundum, utrum aliquid factum ſit an non. Tertium, utrum aliquid futurum ſit an non futurum. Quartum, de magnitudine & paruitate rerum. deinceps autem probationis eas explicare cõſtituimus, quę ad omnia dicendi genera pertinent. nam quæ probationes ſunt cuiuſque generis proprię, ut quibus in deliberatiuo ſit utendum, quibus in iudiciali, quibus in demonſtratiuo, ſatis in primo libro fuerunt explicatæ, nunc eas probationes inueſtigabimus, quæ ad omne dicendi genus accommodari poſſunt, & quibus cuiuſque generis argumentum poteſt expoliri.

TEXT. *Sunt autem communium probationũ genera duo; exemplum atque enthymema: nam ſententia enthymematis pars eſt. primo igitur de exemplo dicamus, quod inductioni per quã ſimile eſt; inductio uerò quoddam eſt principium.*

COMM. Primo libro docuit oratorẽ habere duo inſtrumenta, quibus rationes ſuas probet, hoc eſt exemplum & Enthymema, quæ probationibus Dialecticis ex altera parte reſpondeant. nam exemplum eſt tanquam inductio, enthymema uero tanquam ſyllogiſmus. hoc autem in loco de ijs, diligentius tractare conſtituit. ac primo dicit hæc duo genera probationum omnis rhetoricæ communia eſſe. & quia poſſet aliquis etiam ſententiam inter communia probationum genera connumerare, dicit Ariſtoteles ſententiam per ſe non eſſe probationis genus, ſed eſſe partem Enthymematis, quod inferius poſtea probabit. Ac primo quidem de exemplo uerba facere incipit, & ait illud inductioni eſſe per quam ſimile. ſicut enim inductio quod concludere uult, ex indiuiduis plerunque, atque ex ſingularibus colligit, ita etiam exemplum. quo fit ut inductio ſit quoddam principium probationis, vnde ẽt exempla proueniant. duo ſunt enim ſciendi principia ſenſus & intellectus. uerum ſenſus apprehẽdit ea, quæ ſingularia ſunt, intellectus autem generalia. probantur autem omnia uel per inductionẽ, uel per ſyllogiſmum. Quamobrem inductio ſenſus inſtrumentũ eſt, ſyllogiſmus uero intellectus. & cognitio noſtra, quæ à ſenſu originem habet, per inductionem acquiritur, quæ autem habet originem ab intellectu, per ſyllogiſmum. hæc eſt cauſa, cur dixerit Ariſtoteles inductionem quoddam eſſe principium.

TEXT. *Duo ſunt exemplorum genera, alterum quo res geſtas commemoramus; alterum, quod nos ipſi fingimus aliquid perinde ut geſtum. atque hoc ſecundum genus iterum in duo diuiditur, quo alterum collatio, alterum fabula dicitur; quales ſunt Aeſopicæ, & Libicæ fabulæ.*

COMM. Ariſtoteles exempli nomine, comprehendit hiſtorias, ſimilitudines, fabulas, quæ probandi gratia afferuntur. ita duo facit exemplorum genera, alterum uerum alterum fictum. verum eſt quod alia hiſtoriam ac rem geſtam continet. ut Cicero pro lege Manil. Legati quod erant appellati ſuperbius Corinthũ patres ueſtri totius Græciæ lumẽ extinctum eſſe uoluerunt: uos eum regem inultũ eſſe patiemini, qui legatum populi R. conſularẽ, uinclis, ac uerberibus, atq; omni ſupplicio excruciatum necauit? fictum eſt quod uel collationem, uel fabulã continet. collatio eſt ſimilitudo rei quę probandi gratia adducitur, ut pro A. Cluentio Cicero, ut corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine lege ſuis partibus, ut neruis, ac ſanguine & membris uti nõ poteſt. fabula eſt res olim ab alijs ficta, qua orator interdum utitur ad probandum, ut pro lege Man. Primum ex ſuo regno ſic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondã profugiſſe dicitur: quam prædicant in fuga fratris ſui membra in ijs locis, qua ſe parens perſequeretur diſſipauiſſe, ut, eorum collectio diſperſa, mœrorque patrius celeritatem perſequendi retardaret. Hæc autem tria, quæ Ariſtoteles exempli nomine comprehendit, Cicero ſeparat, & ſeorſum tradit, ut in Partitionibus, ubi ſic ait; Maximam autem facit fidem ad ſimilitudinem ueri, primum exemplum, deinde introducta rei ſimilitudo. fabula etiam nonnunquam & ſi ſit incredibilis, tamen homines commouet. Sed Ariſtoteles duas tradit exempli ficti ſpecies collationem, & fabulã. Quintilianus libro quinto tradit; Heſiodum auctorem fabularum fuiſſe, ſed Aeſopicas fabulas ideo dici, quoniam eas Aeſopus excoluerit. quin etiam à gẽtibus nomina traxerunt à quibus inuentę fuerunt ut Aphthonius docet. nã alię Libycę, aliæ Cyprię, aliæ Aegyptiæ fuerunt appellatæ. Libycæ uero fabulæ dictæ ſunt, uel quod in Libya repertæ fuerint, uel quod Libyci populi mẽdaces ſunt, & multa fabulãtur, uel quod in Libya multa monſtra gigni ſolent. unde vulgo dicitur. Semper aliquid noui fert Libya. Theon etiam Rhetor in progymnaſmatis ſuis Libycarum fabularũ meminit, & Dion Pruſienſis. ducunt autem animos fabulę præcipuè ruſticorum, qui capti uoluptate facile ijs, quibus delectantur, aſſentiunt.

TEXT. *Eſt autem exemplum res quædam eiuſmodi; ut ſi quis diceret, oportere contra Perſarum regem arma parare; neque pati, ut in ſuam poteſtatem Aegyptũ redigat. etenim antea Darius nõ prius in Græciã traiecit, quã Aegyptũ cepiſſet, ſed ea capta traiecit: atque*

iterum Xerſes non prius Graciā inuaſit, quā Aegypti occupauit, qua cum potitus eſſet, tunc inuaſit Graciam. quare etiam iſte capta Aegypto, copias in Graciam traijciet. non igitur hoc illi permittendum.

COMM. Primo libro naturam exempli diligenter aperuit, nunc autem docet, quomodo exemplo ſit utēdum. & cum duo ſint exemplorum genera, uerū, & fictum, prius de uero, deinde de ficto verba facit. quod autē ait eſt huiuſmodi. quodam tempore rex Perſarum Aegyptum Inuaſit, ut eam regionē in poteſtatem ac ditionem ſuam redigeret. Aegyptij uero ab Athenienſibns auxilium contra Perſas petiuerunt. deliberant ergo Athenienſes vtrū Aegyptiis auxilium ferant, an eos in poteſtatem Perſarum redigi patiantur. quidam Orator Athenienſis ſnadet Athenienſibns, ut Aegyptiis auxlilium ferant, neque patiantur Aegyptum à Perſis occupari, quoniam ea res toti Græciæ maximè periculoſa eſſet. futurum enim ait, vt ſi rex Perſarum Aegyptum ſibi ſubiiciat, ſtatim in Græciā veniat, & Gręcis bellum inferat. hoc autem duobus exemplis probat. primò qđ Darius non auſus eſt prius Græciam tentare, quam Aegyptum occupaſſet. ſecundo quòd Xerſes idem effecit. qui poſtqnā Aegyptum ſubieciſſet, ad expugnandam Gręciam nēnit. ergo etiam hic Perſarum rex, qui bellum Aegyptils Intulit, ſi eos debellare potuerit, poſteà Græciam inuadet, quod nullo modo ferendū eſt, itaque ſubueniendum eſt Aegyptiis & opem ferēdam. hoc eſt Ariſtotelis exemplum. apud Ciceronem huius generis plurima ſunt. ut pro Milone, probat exemplis, hominem ſceleratum interficere, nt Milonem defendat, qui Clodium ſceleratum hominem interfecerat. neque enim (inquit) poſſet, aut Hala ille Seruilins, aut P. Naſica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut me conſule Senatus non nefarius haberi, ſi ſceleratos ciues interfici nefas eſſet. prima actione in Catilinā probat exemplis licere ſibi Catilinam interficere; Decreuit quondā Senatns ut L. Opimius Coſ. videret, nequid Reſp. detrimenti caperet: nox nulla interceſsit: interfectus eſt propter quaſdam ſeditionnm ſuſpiciones C. Gracchus clariſsimo patre natus, anis, maioribus. Occiſus eſt cum liberis M. Fuluius conſularis. ſimili. S.C. C. Mario, & L. Valerio Coſſ. permiſſa eſt Reſp. num vnū diem poſtea L. Saturninum Trib. pl. & C. Seruilium mors à Reip. pœna remorata eſt? at nos vigeſimum iam diem patimur hebeſcere aciem horū auctoritatis. Quintilianus ait exemplum aut ſimile eſſe, aut diſsimile, aut cōtrariū. ſimile eſt, iure occiſus eſt Salturninus, ſicut Gracchi. diſsimile, Brutus occidit liberos proditiones molientes. Manlius virtutē filii morte multauit. cōtrariū, Marcellus ornamenta Syracuſanis hoſtibus reſtituit, Verres eadē ſociis abſtulit. ſed ibi multa & egregia de exemplis Quintilianus.

TEXT. *Collatio eſt, qua Socrates frequenter uti ſolebat; ut ſiquis dicat, magiſtratus ſorte creari non oportere; nam id eſſet ſimile, ac ſiquis athletas eligeret ſorte; nō qui pugnare ualcant, ſed quicunque contigerint, uel ſorte ducta nautarum aliquem ſumere, cui nauis gubernacula traderentur; tanquam oporteat eum, quem ſors tulerit, non qui peritus ſit, nauem gubernare.*

COMM. Socrates in diſputationibus, ut eos, cōtra quos diſſereret, facile refelleret, ferè ſemper inductione per collationem ſiue ſimilitudinem facta utebatur. ut in Dialogis Platonis apertè uideri poteſt. nam omnis inductio aut per exemplum, aut per collationem, aut per enumerationem partium fieri ſolet, ut nos in Partitionibus Ciceronls copioſè docuimus. exemplum Ariſtotelis eſt huiuſmodi. quidam probare uult, magiſtratus non ſorte ſed electione creandos eſſe, atque hac ſimilitudine utitur. ſicuti Athletæ non illi in certamen prodeunt, qnoſcunque ſors obtulerit, ſed qui periti ſunt, & pugnare ualent, & ſicuti nantæ non eligūt ſorte, cui nauis gubernacula tradant, ſed eum qui gubernandi peritum eſſe intelligunt, ita magiſtratus non ſorte creandi ſunt, ſed illi, qui Reſp. benè adminiſtrandæ rationem tenēt. Cicero primo de Inuentione ſic ait, Similitudo autem in contrarils, & in paribus, & in iis rebus, quę ſub eandem cadunt rationem, maximè ſpectatur, in contrariis hoc modo; Nam ſi iis, qui imprudenter læſerunt ignoſci conuenit, ijs, qui neceſſario profuerunt, haberi gratiā non oportet. ex pari ſic, Nam ut locus in mari ſine portu nauibns eſſe nō pōt tutus, ſic animus ſine fide ſtabilis amicis non pōt eſſe. in ijs rebus quæ ſub eandē rationem cadunt hoc modo probabile cōſideratur, Nā ſi Rhodijs turpe non eſt portorium locare, nec Hermacreonti quidem turpe eſt conducere. prima actione in Catilinā pulchra eſt ſimilitudo hoc modo; ut ſæpe homines ægri, morbo graui, cū æſtu febriq; iactātur, ſi aquā gelidā biberint. primo releuari uidentur, deinde multo grauius uehemētiusq; afflictantur, ſic hic morbus, qni eſt in Rep. releuatus iſtius pęna uehemētius uiuis reliquis ingraueſcet. Quintilianus lib. 8. ſic ait, ꝑclarè uerò ad inferendā rebus lucē repertæ ſunt ſimilitudines, quarum aliæ ſunt quæ ꝓbationis gratia inter argumēta ponuntur, aliæ ad exprimendā rerum imaginem cōpoſitæ. & paulo poſt. Sed illud quoque de quo in argumentis diximus, ſimilitudinls genus ornat orationem, facitque ſublimem, floridam, iucundam, mirabilem.

TEXT. *Fabula eſt, ut ea Steſichori contra Phalarim, & Aeſopi de turbulento oratore. Steſichorus. n. cum Himerenſes ducē exercitus ſui cū ſumma poteſtate Phalarim creaſſent, atque illi cuſtodes corporis dare conſtituiſſent: cum multa alia diſſeruiſſet, tandem eis hāc fabulam narrauit: Equus olim pratum ſolus depaſcebat; cum ceruus ſuperueniens illi paſcua diſturbauit. equus uerò ceruum punire cupiens, quendam hominē interrogauit, an ſibi ſuam operam in puniendo ceruo praſtare poſſet: ille ſe poſſe reſpondit, modo frænum equus reciperet, ac ſe in dorſum aſcendere pateretur, manu iacula geſtantem. quam cum equus conditionem accepiſſet, & hominem dorſo recepiſſet; non modo ceruum non puniuit, ſed in hominis ſeruitutem*

reda-

redactus eſt. nos igitur (inquit) cauete, ne, cum uelitis hoſtes ueſtros ulciſci, idem quod equus ille, patiamini. iam enim frænum recepiſtis, poſtquam ducem exercitus cum ſumma poteſtate Phalarim elegiſtis: quod ſi cuſtodes etiam illi corporis dederitis, & aſcendere permiſeritis, iam in eius ſeruitutem deuenietis.

COMM. Nunc ad fabulã tranſit, quæ eſt ſecũda ſpecies exẽpli ficti, & duobus exemplis oſtendit, quomodo fabula probandi uim habeat, ac primum quidẽ exemplum Steſichori poetę lyrici eſt, alterum Aeſopi fabulatoris. nam Steſichorus poeta Siculus fuit, ex Himera ciuitate, vir maximo ingenio prçditus, & quem Homero perquam ſimilem ferunt, quamuis Lyrica ſcripſerit. hic poeta cum uideret Ciues ſuos Phalari ſceleſto ac perfidioſo homini imperium in hoſtes cum ſumma poteſtate tradidiſſe. & pręterea corporis quoque cuſtodes eidem uelle tradere. ueritus ne, ſi id feciſſent, libertatem amitterent, eos hac fabula ab incepto retrahere conatus eſt. quã Horatius eleganter epiſtolarum libro primo latinè ſic expreſsit;

Ceruus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat: donec minor in certamine longo
Implorauit opes hominis; fręnumque recepit,
Sed poſtquam uictor uiolens diſceſsit ab hoſte,
Non equitem dorſo, non fręnum depulit ore.

Gręci cum belli duces eligerent, aliquando ſummã illis poteſtatẽ dabant, ut quicquid egiſſent, firmum ac ratum eſſet. eos aũt quibus id conceſſerant, αὐτοκράτορας appellabant, quales erant apud Romanos dictatores, & conſules cum eis ſenatus committebat, vt viderẽt nequid Reſp. detrimenti caperet. Himerenſes igitur ſtultè fecerãt qui ſummum imperium Phalari conſcelerato homini tradidiſſent, ſed ẽt longè ſtultius feciſſent ſi illi ſatellites, & corporis cuſtodes tradidiſſent, quibus facile Remp occupare potuiſſet, quod certè feciſſent, niſi Steſichorus eos hac fabula retraxiſſet. hic Phalaris poſtea Agrigentinorũ ciuitatẽ occupauit, & crudeliſsimus oium tyrannus euaſit. Cic. 2. de Offi. ita ſcribit, Teſtis eſt Phalaris: cuius eſt pter cęteros nobilitata crudelitas, qui non ex inſidiis interiit, ſed in quẽ uniuerſa Agrigentinorũ multitudo impetũ fecit. Val. Max. lib. 3. ſcribit Zenonẽ Eleatem cum quibuſdã aliis in Phalaridem coniuraſſe, & cum detecta coniuratione Zeno uario cruciatus genere torqueretur, ut ſocios indicaret, proximũ quẽq; ac fidiſsimũ Tyranno ſuſpectũ reddidiſſe. deinde (inquit) increpitans Agrigentinis ignauiã, ac timiditatem, effecit, ut ſubito mentis impulſu concitati Phalarim lapidibus proſternerent.

TEXT. *Aeſopus in Samo, cum oratorem quendam turbulentum defenderet, qui rei capitalis inſimulabatur, & de uita periclitabatur: ita dixit; Vulpes quædam cum fluuium pertranſire uellet, in uoraginẽ decidit: & cũ exire inde nullo modo poſſet, multa diu perpeſſa eſt; plurimaq́; caninæ muſcæ cuti eius adhæſerunt. cum autem herinaceus per eam regionem uagaretur, atq; illam conſpexiſſet, miſericordia motus, interrogauit, an caninas muſcas à ſe abigi uellet. illa uerò non permiſit: & cum huius rei cauſam herinaceus peteret; dixit, Quoniam iſtæ iam ſatiatæ ſunt, & parum ſanguinis exugunt. quod ſi tu iſtas abegeris, aliæ famæ confectæ ſuperuenient, quæ reliquum ſanguinem meum totum abſument. Eodem modo (inquit) O uiri Samij, nihil hic orator uobis amplius nocet: eſt enim locuples, quod ſi hunc interficiendum curaueritis, alij pauperes ſuccedent, qui depeculantes Remp. pecunias omnes ueſtras publicas dilapidabunt.*

Aeſopus in inſula Samo, cũ oratoris cuiuſdam improbi patrocinium ſuſcepiſſet, eum hac fabula defendit ac liberauit. quæ res ſanè declarat fabulas perſuadendi uim magnam habere. cum uitium confitendo, tamen reum Aeſopus à periculo exemerit. cum enim ait, eum pecunia publica locupletem iam eſſe factum, certè uitium & crimen confitetur. ſed cum non amplius nocere dicat, quia ſatiatus pecunia ſit, ut illę caninæ muſcæ ſanguine vulpis, quodammodo defendit. poſtea uerò timorem incutiens, ne eo ſublato deteriores Remp. capeſſant, utile eſſe oſtendit eum liberare. Quantam autẽ perſuadendi uim habeant fabulæ declarauit Menenius Agrippa, qui cum plebs romana à ſenatu defeciſſet, & hoſtili odio Senatorium ordinem inſectaretur, una fabula mentes omnium flexit. quam rem T. Liuius libro ſecundo ita narrat; Placuit igitur oratorem ad plebem mitti Menenium Agrippam, facũdum uirum, & quòd inde oriũdus erat, plebi carum. is intromiſſus in caſtra, priſco illo dicendi & horrido modo nihil aliud, quam hoc narraſſe fertur. Tempore, quo in homine, non ut nunc, omnia in unum conſentiebant: ſed ſingulis mẽbris ſuum cuique cõſilium, ſuus ſermo fuerat: indignatas reliquas partes, ſua cura, ſuo labore ac miniſterio uentri omnia quæri: uentrem in medio quietum nihil aliud, quã datis uoluptatibus frui: conſpiraſſe inde ne manus ad os cibum ferrent, nec os accipere datum, nec dentes cõficerent. hac ira dum uentrem fame domare uellent, ipſa unà membra, totumq́; corpus ad extremam tabem ueniſſe. inde apparuiſſe, uentris quoque haud ſegne miniſterium eſſe: nec magis aliquam alere eũ, reddentem in omnes corporis partes hunc, quo uiuimus uigemusq́;, diuiſum pariter in uenas maturũ confecto cibo ſanguinem. comparando hinc quã inteſtina corporis ſeditio ſimilis eſſet iræ plebis in patres, flexiſſe mentes hominũ. Cicero pro Milone cũ probare uelit licere interdũ hominem interficere pter cætera argumẽta ſabulam ẽt ad rem confirmandã adfert, Itaq; (inquit) hoc iudices nõ ſine cauſa fictis fabulis doctiſsimi homines memoriæ prodiderunt, eũ, qui patris ulciſcendi cauſa matrẽ necauiſſet, uariatis hominũ ſententiis, non ſolum humana, ſed etiam deę ſapientiſsimæ ſententia liberatum. Horatius libro Epiſtolarum primo fabula utitur ad probandum non eſſe plebis iudicia ſequenda, neque alienis erroribus inſiſtendum.

COMM.

Quod ſi me populus Romanus forte roget, cur
Non ut porticibus ſic iudicijs fruar iiſdem,
Nec ſequar aut fugiam quæ diligit ipſe, uel odit,
Olim quod vulpes ęgroto cauta Leoni
Reſpondit, referam, quia me ueſtigia terrent,
Omnia te aduerſum ſpectantia, nulla retrorſum.

tradunt Demoſthenē quo tempore Magnus Alexander Thebas diruit, una fabula ſibi, & cæteris oratoribus uitam conſeruaſſe. cum enim Alexander petijſſet ab Athenienſibus, vt oratores qui curſum uictoriæ ſuæ conati fuerant impedire, ſibi ad necem dederent, & Athenienſes propter timorem ad eos dedendos inclinarēt, in medium progreſſus eſt Demoſthenes, atq; ita eſt exorſus. Lupus olim cum ouibus pacem & perpetuum fœdus firmare pollicitus eſt, ſed ea conditione, ut oues ſibi canes omnes traderent, quam cum oues conditionem accepiſſent, & canes Lupo tradidiſſent, cuſtodibus poſtea ſpoliatæ, lupo præda factę ſunt, atque ab eo deuoratæ. Quod niſi caueatis, viri Athenienſes, idem uobis accidet. nam Alexander nos cuſtodes ueſtros ideo petit ad necem, ut poſtea nos arbitrio ſuo perdere valeat.

TEXT. *Sunt autem huiuſmodi fabulæ concionibus accommodatæ: atque hanc in ſe commoditatem habent; quod arduum eſt, res geſtas, exemplaq; iis, quæ tractantur, ſimilia inuenire, fabulas autem facile eſt.*

COMM. Docet quid vtilitatis habeant in ſe fabulæ. nam concionibus (inquit) accommodatæ ſunt. conciones enim ex imperitis hominibus ferè conſtant, qui (ut ait Quintilianus) & ſimplicius quæ ficta ſunt, audiunt, & capti uoluptate facile ijs, quibus delectantur, cōſentiunt. ideo poetæ qui præcipuè delectare uolunt, frequentibus fabulis utuntur. & concionatores ad uulgi animos commouendos plerunque fabulas fingunt. ſicuti in ſacris literis res fictæ docendi gratia tractantur, quas Græco nomine parabolas uocant, quæ in euangelijs etiā frequentes ſunt. nam ſimilitudine quadam homines imperitos ad ueritatis cognitionem quaſi manu ducunt. eſt etiam alia fabulæ utilitas quod facile inueniri poteſt, & idem ſæpe conficit quod exemplum. nam exempla ſemper inuenire difficile eſt, niſi qui omnium hiſtoriarum, & omnis antiquitatis peritus ſit. opus eſt enim ut exempla ſint ijs rebus ſimilia, quæ tractantur. non eſt autem prōptum ſubito memoriam omnem ueterem cogitatione euoluere, vt exempla ſimilia excogitentur. cum interim liceat ex tempore fabulam fingere.

TEXT. *Nam eas ita fingere ſicuti collationes licet; modo quis id, quod ſimile eſt, perſpicere poſſit: quod ij facile faciunt, qui ſapientiæ ſtudijs incubuerunt.*

COMM. Non cui uis tamen promptum eſt fingere fabulas, ſed ingenio & eruditione opus eſt. finguntur eo modo quo parabolæ ſiue collationes fingi ſolent, ab ijs, qui, quod ſimile eſt, in quaque re perſpiciendi facultatem habent. hoc autem ſine philoſophię cognitione non fieri facile poteſt. qui uero ſapientiæ ſtudijs incubuerunt, ij ſine ulla difficultate collationes & fabulas fingere poſſunt. qua de cauſa fabularum amator quodāmodo philoſophus dici poteſt (ut in procemio primæ Philoſophiæ tradit Ariſtoteles. nā qui fabulas amat, ea diſcere ſtudet, quę ſunt admiranda, ſiquidem ex rebus admirandis, & incredibilibus fabula conſtat. quicunq; uero propter admirationem alicuius rei, conantur eam intelligere, ij philoſophi ſunt, ut Alexander Aphrodiſæus ait. Quin Aeſopus fabulator inter Philoſophos connumeratur, quia ſuis in fabulis præcepta ad uitæ honeſtæ degendæ rationem utiliſſima docet. Plato etiam & eius ſectatores omnia ferè ſapientiæ myſteria fabulis inuoluunt, vt ingenia excitentur ad ea intelligenda. ſunt qui homericas etiā fabulas putent doctiſſime confictas, & res cognitione digniſſimas ſub illis uerborum inuolucris continere. quo fit ut illas alij aliter interpretentur.

Ac fabulæ quidem facilius excogitantur, ſed in deliberationibus exempla longè ſunt utiliora: nam quæ futura ſunt, plerunque paria ſimiliaque ſunt iis, quæ iam facta ſunt. TEXT.

Nunc fabulas cum exemplis comparat. & ait in ea quidem re fabulas exemplis præſtare, quòd facilius excogitantur, & præſentibus rebus accommodantur. ſed tamen exempla multò maiorē uim in deliberationibus ad perſuadēdum habere. quia quę facta ſunt, cum ob oculos ponuntur, uidētur ea, quę futura ſunt, quodammodo repræſentare. nam plerunque fit, ut futura cum eodem conſilio adminiſtrantur, ſimilia euadant eis, quę iam antea facta ſunt, ut ſiquis alicui perſuadere uelit, ut aulas principum fugiat, ubi multa ſunt pericula, uariæ curę, plurimę ſolicitudines, magis eum mouebit, ſi recitet eorum exempla, qui in aulis miſerè perierunt, aut infeliciter geſſerunt, uel antiqua, uel recentia. nam quę recentia ſunt, magis etiam monere ſolent, quam ſi fabulā eā recitet, quā Horatius Sermonum libro ſecundo copioſè refert in hunc ſenſum. Mus quidam ruſticus urbanum murē hoſpitio ſuſcepit, & cum benignè pro paupertate ſua tractauit. ſed urbanus lautis menſis principum aſſuetus, apparatū illū hoſpitis ruſtici contēpſit, & ſecū in urbē ad ſplendidiores mēſas ire iuſſit. cui cū ruſticus obtemperaſſet, & in urbē, in domum quandam locupletem perueniſſet, & copia rerum circunfluente ſibi iam beatus uideretur, de repente ianuis apertis ingens ſtrepitus auditus eſt. itaque mures ambo,

Currere per totum pauidi conclaue, magiſque
Exanimes trepidare, ſimul domus alta moloſſis
Perſonuit canibus. tum ruſticus haud mihi uita
Eſt opus hac ait: & ualeas: me ſylua cauuſque
Tutus ab inſidijs tenui ſolabitur eruo.

Ergo longè beatius eſt, ſecurum in paupertate ac libertate viuere, quam curarum plenū in magnis copiis, & in ſeruitute ſemper eſſe cum timore.

Is autem poterit exemplis tanquam demonſtrationibus uti, qui argumentorum copiam non habuerit: nam per ea fides fit. TEXT.

Magna

COMM. Magna eſt exemplorum utilitas.nam plærunq; demonſtrandi uim habēt,cum argumenta nō ſuppetunt.quoties igitur accidit,ut in cauſis argumēta nobis deſint, poſſumus ad exempla confugere, quibus non aliter quam argumentis ſępe fides fieri ſolet.ut pro Cor.Balbo Cicero cum probare non ſit,non eſſe dubitandum quin Pompeius Cor.Balbo iure ciuitatem dederit, duobus exemplis utitur.primo Metelli Numidici,quo cauſam dicente cum ipſius tabulæ circumferrentur inſpiciēdi nominis cauſa nemo fuit,quin remoueret oculos, & ſe totū auerteret, ne forte quod ille in tabulas publicas retuliſſet,dubitaſſe quiſquam,uerum ne an falſum eſſet,uideretur.altero Xenocratis philoſophi,qui cum ſanctè grauiterque uixiſſet, & teſtimonium publicè dixiſſet, & (ut mos Græcorum eſt)iurandi cauſa,ad aras accederet, una uoce omnes iudices,ne is iuraret reclamarunt. cum igitur (inquit Cicero)Græci homines, ſpectati uiri noluerint religione uideri potius, quam ueritate fidem eſſe conſtrictam, nos etiam in ipſa religione & legum & fœderum conſeruanda, qualis fuerit Cn.Pompeius dubitabimus.ſed exempla ſunt huius generis apud Ciceronem plurima.ſicut enim Demoſthenes enthymematibus abundat, & rarius exemplis utitur, ita Cicero frequentisſima exempla conglobat.

TEXT. *Quod ſiquis habet argumenta; debet exemplis pro teſtimonijs uti,quæ tanquam probationes,& concluſiones ſint argumentorum.nam exempla.Si præponantur argumentis, uim inductionis habent:ſed Oratoribus inductio non eſt,niſi paucis admodum locis accommodata:at uero ſi poſtponantur ; teſtimoniorum uim habent ; teſtis autem ubique ad perſuadendum aptus eſt.*

COMM. Aliquando accidit ut in cauſa noſtra multis argumentis abundemus.tunc(inquit)exempla nobis uicem teſtimoniorum præbebunt. ſicut enim teſtes cum aliquid probatum eſt adhiberi ſolent, qui rem ita eſſe teſtentur: ita etiam exempla poſt argumenta ſunt quaſi probationes argumentorū, & concluſiones. Sed in oratione ſolent exempla uel argumentis præponi,uel poſtponi. quod ſi p̄ponantur argumentis,ſunt tanquam inductiones & probationum initia.ut Cicero pro Milone, cū probare uelit,licere interdum hominem interficere,ſtatim ab exemplis incipit,& poſt exempla, nōnulla etiam argumenta colligit, Negant(inquit). intueri lucem fas eſſe ei, qui à ſe hominem occiſū eſſe fateatur: in qua tādem urbe hoc homines ſtultisſimi diſputant, nempe in ea,quæ primum iudicium de capite uidit M.Horatij fortisſimi uiri, &: quæ ſequuntur.notandum uero quod ait Ariſtoteles hoc loco, inductionem non eſſe Oratoribus accommodatam, niſi paucis in locis.quod omnino uerum eſt, ſi de inductione Dialectica intelligamus. quæ per interrogationem & reſponſionē fieri ſolet,qua Socrates in ſermonibus ſuis plurimum utebatur. uſque eo, ut etiam in Apologia quam coram iudicibus pro ſe habuit, ab ea nō potuerit abſtinere. Sed Oratores inductionis loco, ponunt exempla,quæ quoties argumentis præponuntur,inductionis uim habent. hoc autē in oratione fit frequentisſimè.quod ſi poſt argumenta quis exempla ponat, tunc uicem teſtimoniorum ſubibunt,& maiorem quandā uim habebunt,quoniam teſtes in omni dicendi genere plurimum ad perſuadendum ualent.ut pro Roſcio Am. Cicero cum multis argumentis antea probaſſet, non eſſe credendum ab aliquo filio patrem interfectum, poſtea unum adiungit exemplum ; Nō ita multis (inquit)ante annis aiunt T.Cælium quendā Terracinenſem,hominem non obſcurum,cum cænatus cubitum in idem conclaue cum duobus adoleſcentibus filiis iſſet, inuentum eſſe mane iugulatum.cum neque ſeruus quiſquam reperiretur,neque liber,ad quem eā ſuſpitio pertineret,id ætatis autem duo filij propter cubātes ne ſenſiſſe quidem ſe dicerent,nomina filiorum de parricidio delata ſunt. narrat deinde quomodo fuerint abſoluti.quin etiā fabulam addit loco teſtimonij, Videtis ne quos poetæ nobis tradiderunt patris ulciſcendi cauſa ſupplicium de matre ſumpſiſſe, cum præſertim Deorum immortalium iuſſu atq; oraculis id feciſſe dicantur, tamen ut eos agitent furiæ,neque conſiſtere uſquam patiantur.

Atque ideo cum quis exempla proponit ; neceſſe eſt, ut multa congerat, quod ſi poſtponit unum ſatis eſt;nam etiam teſtis unus,qui probatæ fidei ſit, multum adiuuat. TEXT.

Exempla vel præponuntur argumentis, vel poſtponuntur.ſi præponuntur, ſunt tanquam inductiones. quare ſicut inductiones nō ex vno ſed ex pluribus ſimilibus fiunt,ita cum præponuntur exempla,non vnū ſufficit, ſed opus eſt multa congerere. ut Cicero pro Milone, cum probat licere interdum hominem interficere non vnum M.Horatij qui ſororem interfecit exemplum ponit, verum ſeptem continuato ordine congerit. ita prima actione in Catilinam multis exemplis probat licere ſibi Catilinam interficere. ſi verò poſtponātur, ſatis erit vnum proferre, quia tunc ſunt tanquam teſtimonia.& in iudiciis vnus teſtis probatæ fidei plerunque totam cauſam adiuuat. verum hoc hodie non ſeruatur.neque enim vnus tantum teſtis fidem facit, ſed opus eſt ut ſaltem duo ſint, aut tres. quod etiam apud Romanos obſeruabatur. Quintus enim Sceuola vir excellentisſimus, teſtis in reum productus (vt Val.Max. ſcribit) cū id reſpondiſſet,quod ſalutem periclitātis magnopere læſurum videbatur,diſcedens adiecit,ita ſibi credi oportere, ſi & alij idem aſſeueraſſent: quoniam vnius teſtimonio aliquem credere, peſſimi eſſet exempli. COMM.

Quot igitur ſint exemplorum formæ,quomodoque ſit eis utendum,& quo tempore declaratum eſt. TEXT.

Docuit eſſe duas exemplorum ſpecies, nēmpe veram,& fictam,vera quidem continet ſemper hiſtoriam aliquam ac rem geſtam,falſa verò diuiditur in collationem & fabulam. vtendum eſt autē COMM.

exemplis

exemplis in concione potiſſimum, quia valent ad perſuadendum. quod ſi præcedant argumẽta, ſunt tanquam inductiones, ſi vero ſequantur, ſunt tanquam teſtimonia. quare ſi exemplis ante argumẽta volumus vti, plura congerere debemus, ſi vero poſt argumenta ſatis erit vnum adhibere. atque hæc de exemplis dicta ſufficiant. deinceps ad ſententias transeundum eſt, quæ ſæpe in orationibus adhiberi ſolent, cum quia grauem & ſplendidam orationem faciunt, tum quia partes ſunt enthymematum.

TEXT. *Quòd autem ad ſententias dicendas attinet; cum quid ſententia ſit, expoſitum fuerit, ſimul etiam perſpicuum erit, quibus de rebus, quo tempore, quibuſque perſonis conueniat in oratione ſententias proferre.*

COMM. Cum de ſententia verba facturus ſit, prius eius naturam definiendo quid ſit, explicandam eſſe cẽſet. nam ſiquis benè intellexerit quid ſit ſentẽtia, non dubitandum eſt, quin etiam ſit intellecturus illa tria, nempe quibus in rebus ſententiis uti deceat, & quo tempore, quibuſque perſonis conueniant. neque enim omnibus in rebus opus eſt ſententiis vti, neque ſemper, neque cuilibet perſonæ conueniunt. Quintilianus libro octauo ſic ait, ſententiam veteres quod animo ſenſiſſent uocauerunt. id cum eſt apud oratores frequentiſſimum, tum etiam in vſu quotidiano quaſdam reliquias habet. nam & iuraturi ex animi noſtri ſententia, & gratulantes ex ſententia dicimus. hæc Quintilianus. nos apud latinos auctores vocabulum hoc variis modis vſurpari notauimus, ac primo quidẽ pro opinione, vt hæc mea eſt ſententia, vel pro iudicio, vt Terentius in Adelph. & errat longe, mea quidem ſententia. ſecundo pro voluntate ſeu deſiderio, vt ex ſententia res ſucceſſit. tertio pro re iudicata, vt iudex ſententiam tulit. Quarto pro ſignificatione, vt verborum ſententia. Lucretius libro 4. Internoſcere uerborum ſentẽtia quæ ſit. Quinto pro materia de qua verba fiunt. Cicero. 1. de Off. plura in eam ſententiam ab eiſdem contra verecundiam diſputantur. & alibi, Multa dici poſſunt in hanc ſententiam. Sexto pro re ſubiecta orationi quæ ſit ordine diſpoſita. Cic. 1. de Oratore, verborum ſonitus inanis nulla ſubiecta nec ſententia, nec ſcientia. Septimo pro lumine orationis, vnde figuræ ſententiarum dicuntur, quæ à verborum figuris plurimum diſtant, & oratio ſententioſa dicitur, quæ variis dicendi luminibus ſit illuſtrata. Octauo pro deliberatiuo genere, quia qui deliberant, & alios audiunt ſententiam ſuam exponentes, & ipſi dicunt, quid ſentiant. Nono, pro qualibet periodo quę ſenſum habeat integrũ. vt, ſi eſſet in ijs fides, in quibus ſumma eſſe debebat, non laboraremus. Decimo pro oratione ſumpta de vita, quæ aut quid ſit, aut q̃d eſſe oporteat in vita breuiter oſtendit, hoc modo, Difficile eſt primum virtutem revereri, qui ſemper ſecunda fortuna ſit vſus. & in hac ſignificatione ſententiã hoc in loco accipit Ariſtoteles. quæ vel ad rem tantum refertur, vt Nihil eſt tam populare quã bonitas, vel ad perſonam, vt Princeps, qui vult omnia ſcire, neceſſe habet multa ignoſcere. quin etiam ita diſtinguitur, vt alia ſit ſimplex, quales ſunt illæ, Nequid nimis, Noſce teipſum, alia duplex vt illa; Obſequium amicos, veritas odium parit. omnis autem ſententia verſatur in iis rebus, quas vel expetimus, vel refugimus, itaque pertinet ad humanas actiones, & vitæ rectè degendæ quaſi moderatrix eſt, vnde Iſocrates benè Demonicum admonet, vt in colligendis ſententiis apes imitetur, quæ ex omni flore decerpunt, quod ad mel conficiendum vtile eſſe videatur. Sed iam ab Ariſtotele ſententiæ definitionem audiamus.

Sententia igitur, eſt enunciatio, non quidem ſingularum rerum, aut hominum, ut qualis ſit Iphurates; uerum generis uniuerſi: neque tamen omnium rerum abſolutè, generatimque, ut ſiquis rectum curuo contrarium eſſe dixerit, ſed earum rerum omnium, quæ ad humanas actiones pertinent, & quas in agendo uel expetimus, uel declinamus. TEXT.

Sententiam definiẽs Ariſtoteles, primo ponit eius genus, quia definitio conſtat ex genere, & differẽtiis. dicit autem eſſe enunciationem. nam enũciatio, eſt propoſitio, quæ ſenſum integrum habeat, & aliquid eſſe vel nõ eſſe ſignificet. ſed quia enunciationes aliquæ ſingulares ſunt, quę de vna tantum re, vel de vno homine proferũtur, vt qualis eſt equus Alexandri, qualis eſt Iphicrates, aliquæ verò generales ſunt, quæ de vniuerſo genere dicuntur, vt omnes ſibi melius eſſe malunt, quam alteri. docet Ariſtoteles ſententiam non eſſe ſingularum rerum, aut hominũ, ſed eſſe generis vniuerſi. ſunt enim ſententiæ legibus & decretis per quam ſimiles. quæ non ſigillatim de vno, ſed generatim de omnibus feruntur. vt, Nulla re homines ad Deos propius accedunt, quam ſalutem hominibus dando. præterea cum enunciationes generales ita diſtinguãtur, vt aliæ ad cognitionẽ rerum pertineãt, vt vtrum curuum recto cõtrarium ſit, an Mundus prouidẽtia regatur, vtrum reſpirẽt ſub aqua piſces, aliæ vero ad actionẽ, vt an Reſp. ſit adminiſtranda, an excolenda ſit iuſtitia, docet Ariſtoteles, ſentẽtiam non eſſe rerum earum, quę ad cognitionem pertinẽt, ſed quę ad actionẽ, quas in agẽdo vel expetere, vel declinare ſolemus. erit igitur hoc modo perfecta ſentẽtiæ definitio, Sentẽtia eſt enũciatio generis vniuerſi rerum earum omnium, quæ ad humanas actiones pertinent, & quas in agẽdo vel expetimus, vel declinamus. quãuis autem verum ſit quod ait Ariſtoteles, ſententiam eſſe generis vniuerſi, tamẽ interdum Oratores eas ad perſonam vertunt, vt Cicero pro Ligario, Nihil habet Cæſar, nec fortuna tua maius, nec natura melius quam vt velis ſeruare quampluri mos. ita quæ erant rerum propria (ut ait Quintilianus) fecit hominis. nam ſiquis Cæſaris perſonã detrahat remanebit integra ſentẽtia hoc modo; Nihil habet nec fortuna maius, nec natura melius, quam ut uelit ſeruare quamplurimos. Itaque

cum

eum laudamus aut uituperamus, ſolemus ea, quę generatim ſententioſè proferuntur, ad perſonas accommodare. ut hæc eſt ſententia; ad principes aditus priuatorũ faciles eſſe debent, & liberæ querimoniæ de aliorum iniuriis. quam ſenteutiam ita uertit ad Pompeium Cicero; Iam uerò ita faciles aditus ad eum priuatorum, ita liberæ querimonię de aliorum iniuriis eſſe dicuntur, ut is, qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis eſſe uideatur. item illa eſt ſententia; turpiſſimum eſt habere domi omnia uenalia. quam ſeutentiam ita ad Autonium Cicero uertit; cum domi tuę turpiſſimo mercatu omnia eſſent uenalia. dixerat olim Periander Corinthius eam ſententiã; Exercitatio pótomnia. qua laude potiſſimũ Demoſthenes celebratur, quod exercitatione ſit omnia conſecutus.

TEXT. *Quare cum Enthymemata nihil aliud ferè ſint, quam rerum huiuſmodi ratiocinationes, ſiquis uel cõcluſiones, uel principia enthymematum ſine ratiocinatione ſumat, erunt ſententiæ, qualis eſt illa;*

Quicunque prudens eſt uir, is ne liberos
Optet ſuos nimis ſcientes effici.

COMM. Dixerat ſupra ſentẽtias earum rerum eſſe, quæ ad humanas actiones pertinent, & quas in agendo uel expetimus uel declinamus. nunc addit etiã enthymemata ferè omnia quibus orator utitur, ex huiuſmodi rebus confici, quæ ad actiones humanas pertinent. quare fit, ut ſenteutiæ ferè ſint enthymematum partes. eſt enim enthymema ſyllogiſmus de rebus, quæ ad uitam & mores attinent. ex quibus ſunt etiam ſententiæ. Quod ſiquis enthymema diſſoluat, is profectò intelligit uel concluſionem eius, uel principium eſſe ſententiã. ut, Clodius iure fuit interfectus, quoniam erat inſidiator. hoc eſt enthymema. quod ſi diſſoluatur, in ſententiam eius concluſio euadit, quam ita Cicero prouunciat; inſidiatori uero, & latroni, quæ poteſt adferri iniuſta nex? Catilina eſt exterminandus, eſt enim proditor patriæ. enthymema eſt ex propoſitione, & ratione. ſume rationem, quæ concluſio eſt enthymematis, & uide à quo principio pendeat, ſtatimque ſententiam conficies hoc modo, Quicunque patriæ proditor eſt, ille exterminari debet. in ſumma in omni enthymemate rhetorico ſentẽtia latet, uel in concluſione uel in propoſitione. non tamen omnis ſententia pars eſt enthymematis, neque enim hæc ratio uiciſſim retro cõmeat, ut poſtea docet Ariſt. Cum autem enthymema conſtet ex propoſitione & ratione, propoſitionem Ariſtoteles principium uocat, rationem uero uocat concluſionem. nam interdum ipſa propoſitio ſententia eſt. Vt, omnes bene uiuendi rationes in uirtute ſunt collocandę, ſola enim uirtus in ſua poteſtate eſt, omnia pręter eam ſubiecta fortunæ ſunt. Item, optima uiuendi ratio eſt eligenda, eam enim iucundam conſuetudo reddet. interdũ uero ipſa ratio ſententia eſt, ut Cicero pro M. Marcello, ea uiciſti, quæ & naturam & conditionẽ ut uinci poſſent habebant, nulla eſt enim tanta uis, tantaque copia, quæ non ferro ac uiribus debilitari frangique poſſit. & pro Q. Ligario, Noli obſecro dubitare C. Cæſar ſimilem glorię laudem quã ſæpiſſimè quærere. nihil eſt enim tam populare quam bonitas. Iam igitur ſatis conſtat, cur dixerit Ariſtoteles uel principia uel concluſiones enthymematum eſſe ſententias. profert autem exemplũ Ariſtoteles ex Euripidis Medæa: ſunt enim duo ſenarij uerſus ab ipſa Medæa pronunciati. quæ cũ expelleretur à Creonte Corinthiorum rege, quod eſſet ſciens & perita multarum rerum, & maleficiorum, dixit hanc ſententiam, Nõ debere parentes, qui prudentes ſunt, operã dare, ut filij ſui multa diſcant, & plurimarum ſcientiam percipiant, quam ſententiam ſubiecta ratione comprobauit. uerſus autem Euripidis nos ita latinos reddidimus,

Quicunque prudens eſt uir, is ne liberos
Optet ſuos nimis ſcientes effici.

Hæc quidem eſt ſententia. quod ſiquis adiungat causam, & cur ita ſit explicet, iam totum ſimul erit enthymema: ut, TEXT.

Nam præter illam cui applicant ſe ignauiam,
Parant ſibi liuorem acerbum ciuium.

Duo ſenarij qui ſupra poſiti ſunt, per ſe ſententiam abſoluunt. quibus ſi cauſa addatur, & ratio cur ita ſit explicetur, tunc id totum ſimul, hoc eſt ſententia, & cauſa uel ratio ſimul iuncta, faciet enthymema. uidetur autem illa Medææ ſeutentia abſurda, & præter communem omnium opinionẽ, omnes enim ferè cupiunt filios ſuos eſſe quã erudiſſimos. ſed illi duo ſenarij adiuncti probabilẽ ratiocinationem efficiunt, quos ita nos conuertimus, COMM.

Nam præter illam cui applicant ſe ignauiam,
Parant ſibi liuorem acerbum ciuium.

Duæ ſunt igitur cauſæ, cur liberi nimis magnã operam ſtudiis ſcientiarum dare non debeãt. prima, quòd ignaui fiant, & deſides, & ad res alias gerendas inepti, ſicut apud Platonem in Theæteto Socrates eleganter explicat. unde Neoptolemus ille apud Ennium dicebat, philoſophandum quidem eſſe ſed paucis, nam omnino haud placet, cuius ſentẽtiam apud Ciceronem ſecũdo de Oratore M. Antonius approbat. altera cauſa eſt, quia qui ſcientia cæteris antecellunt, in multorum inuidiam & obtrectationem incurrũt. ergo fieri poteſt enthymema hoc modo; nemo debet operam dare, ut filij ſui multum in ſcientiis proficiant, nã præterquam, quòd ignaui & deſides euadent, etiã in multorum inuidiam & obtrectationem incident. uult igitur Ariſtoteles, ex ſentẽtia & ratione fieri enthymema, uocatque ſyllogiſmum ſiue ratiocinationem, quoties ſeutentia cum ratione copulatur. quoties autem diſiungitur à ratione ſententia, tunc dicitur ſyllogiſmus auferri. & hoc eſt quod ſupra dixit cõcluſiones uel principia enthymematum, ablata ratiocinatione ſentẽtias eſſe. interdum uero ſententiæ cõglobãtur ſine rationibus præceptorum loco, ut pro P. Seſtio Cicero,

amemus

amemus patriam, pareamus ſenatui, conſulamus bonis, præſentes fructus negligamus, poſteritati & gloriæ ſeruiamus. id eſſe optimum putemus, quod erit rectiſſimum. ſperemus, quæ uolumus, ſed quod acciderit, feramus. cogitemus denique corpus uirorum fortium, magnorumque hominũ eſſe mortale, animi uero motus & uirtutis gloriam ſempiternam.

TEXT. *Et illa, Nemo beatus rebus eſt in omnibus. rurſus illa, Nemo omnium omnino uirorum liber eſt, eſt ſententia, ſed ſi iungatur cum ſequenti, fiet enthymema, Fortunæ enim aut eſt ſeruus, aut pecuniæ.*

COMM. Pergit oſtẽdere ſententias addita ratione fieri enthymemata. quod ſi ratio nõ adiũgatur ſententiæ tãtum dicũtur, ut illa, Nemo beatus rebus eſt in omnibus. ſenarius autem hic à nobis ita conuerſus, Euripidis fuit, in prologo StenobϾ tragœdiæ, ſicuti docet Ariſtophanis interpres. quæ quidem tragœdia nõ amplius extat. ſententia autem uerisſima eſt, quam ita Horatius Latinè expreſſit,

—nihil ab omni Parte beatum.

Aliam ſentẽtiam addit Ariſtoteles, ſumptam ex Euripidis Hecuba. quam ipſamet Hecuba protulit, cum Agamemnõ oſtẽdiſſet ſe aperte nolle Polymneſtori Thracum regi nocere, qui Polydorum Hecubæ filium propter auri cupiditatem interfecerat, quia Græcorum exercitum reformidaret. clamat igitur Hecuba nullum eſſe uirum omnino liberum. cum etiam ipſe rex regum Agamẽnon iram populi pertimeſceret. ergo ſi tãtum ille ſenarius proferatur, erit ſententia,

Nemo omnium omnino uirorum liber eſt.

Quod ſi ſubſequens etiam ſenariolus addatur, qui ſuperioris rationem continet, tunc ambo ſimul copulati enthymema conficient, hoc modo;

Nemo omnium omnino uirorum liber eſt.
Fortunæ enim aut eſt ſeruus, aut pecuniæ.

Sunt etiam aliquæ ſentẽtiæ duplices, quibus ſi ab utraque parte ratio addatur, fiunt enthymemata, ut Terẽtius in Phormione, Non rete accipitri tẽditur, neque miluio, Qui male faciũt nobis, illis qui nihil faciũt tẽditur. hæc eſt duplex ſententia, cui ſtatim rationem adiũgit, ut fiat Enthymema, Quia enim in illis fructus eſt, in his opera luditur. Idem Terentius in Hecyra,

Nam qui amat cui odio ipſus eſt, bis facere ſtultè duco,
Laborem inanem ipſus capit, & illi moleſtiam adfert.

TEXT. *Quod ſi ea eſt ſententiæ natura quam diximus; neceſſe eſt quatuor eſſe ſententiæ ſpecies, uel enim rationem adiunctam habent, uel ſine adiecta ratione proferuntur.*

COMM. Poſtquam declarauit quid ſententia ſit, & quo modo ex ea fiat enthymema, nũc quærit quot ſẽtẽtiæ ſpecies ſint. & ait eſſe quatuor. quæ ita diſtribuũtur. Omnis ſentẽtia uel rationem adiunctam habet, uel ſine ratione profertur. atq; ita duæ fiũt ſpecies. rationem adiũctam habet illa Terentij in Adelphis; Homine imperito nũquam quicquam iniuſtius, Qui, niſi quod ipſe facit, nihil rectum putat: ſine ratione eſt illa in eadem comœdia, Pecuniam in loco negligere, maximum interdũ eſt lucrum. hæ duæ ſpecies iterum ſingulæ in duas diuidũtur, quo fit, ut quatuor ſint omnes ſentẽtiæ ſpecies. nam quæ rationem adiũctam habent, uel ſunt partes enthymematum, uel ſunt quidem enthymematicæ, ſed nõ tamen enthymematum partes. quæ uerò ſine ratione proferũtur, uel præcognoſcũtur ab omnibus, uel ſimul atque prolatæ fuerint ab audiẽtibus approbantur. prima igitur ſentẽtię ſpecies eſt pars enthymematis, altera eſt enthymematica, Tertia eſt per ſe cognita, Quarta conſenſu probata. quas ſpecies ſigilatim explicat Ariſtoteles.

Atque illa rationis ac probationis egent, quæ uel admirabile quippiam uel controuerſum enunciant: quæ uerò nihil alienum à multorum opinionibus habent, nullius rationis indigent. TEXT.

Oſtẽdit quomodo duæ primę ſentẽtiarum ſpecies diſtinguantur. ſunt enim aliquę primo aſpectu quodammodo admirabiles, & quæ non facile credãtur, ſed in controuerſia ſint, quod alij ueras, alij falſas exiſtimãt. has igitur ſubiecta ratione ꝓbare oportet, qualia ſunt illa quæ ſtoici paradoxa uocant. ut, nihil bonum, niſi quod honeſtum, uirtus per ſe contenta eſt ad beatè uiuẽdum. Solus ſapiẽs eſt diues. hæc enim nõ uulgo creduntur, niſi adiecta ratione probẽtur. tales ſunt etiam illę, quę cõtrouerſum aliquid enunciant. de quo alij aliter ſentiant. ut publica utilitas propriæ uitæ eſt anteponẽda. bona exiſtimatio diuitiis præſtat. melius eſt accipere iniuriam quam inferre. nam hoc genus omne ſentẽtiarum probationem requirit. at uero ſentẽtiæ illæ, quæ non ſunt ab opinione uulgari diſiunctæ, ſed id enuntiãt, quod omnibus uerum uidetur, nullius probationis indigent. ut Terentius in Eunucho; COMM.

Omnia prius experiri quam armis ſapiẽtẽ decet.

Cicero in Epiſtolis, Tempori cedere, ideſt neceſſitati parere, ſemper ſapientis eſt habitum. Virgilius in Bucolicis,

Trahit ſua quemque uoluptas.

Ex his neceſſe eſt, quaſdam eſſe, quæ nullam ideo rationem requirant, quoniam ab omnibus conceduntur; ut illa; corpus habere benè conſtitutum, optimum eſt, ut nobis quidem uidetur: in hanc enim ſententiam plerique omnes conſentiunt. quædam uerò ſimul ac enunciantur, perſpicua ſunt eis, qui aduertunt ut illa; TEXT.

Nemo eſt amans qui ſempiternè non amet.

Ex illis ſententiis, quæ probatione non egent, aliquæ ſunt eiuſmodi, ut eas omnes credant, & quaſi pręcognoſcant, quadam quaſi naturali notione, ut ſiquis dicat, optima res eſt, eſſe ſanũ. hæc ſententia tam aperta eſt, ut ei nemo contradicat. nam in epigrammate etiam deliaco, quod primo Ethicorum Ariſtoteles recitat, dicitur, optimum eſſe, COMM.

eſſe, bene ualere. & Metrodorus putabit illum eſſe beatum, cui corpus eſſet bene conſtitutum, & exploratum haberet, ita diu futurum. Vulgo etiã omnes dicunt, rem quandam pulcherrimam eſſe ſanitatem. quas igitur ſententias omnes homines uel ſaltem plerique ueras eſſe putant, illæ probatione non indigent. vt Cicero, Nomen pacis dulce eſt, & res ipſa ſalutaris. Salluſtius, Virtus æterna clara que habetur. ſunt item aliæ ſententiæ, quæ licet ante neſciantur, tamen ſimul atque fuerint auditæ, atque intellectæ, creduntur, vt ea, quã in Troadibus apud Euripidẽ Hecuba pronunciat, in hunc ſenſum.

Nemo eſt amans, qui ſempiternè non amet.

Veri enim amantes licet interdum diſſentiant, & iraſcantur inter ſe, tamen poſtea iterum etiam amorem redintegrant, neque ullæ tam graues iniuriæ ſolent exiſtere quæ uero amantes penitus ac perpetuo diſiungere poſſint, huius generis eſt illa Terentij ſententia; amantium iræ, amoris redintegratio eſt.

TEXT. *Earum autem quæ rationis egent, aliquæ ſunt Enthymematis partes, ut illa;*

Quicunque prudens eſt uir,

—& cætera.

Aliquæ uero uim habent Enthymematis, unde uocantur enthymematicæ, neque tamen ſunt enthymematis partes: quæ quidem etiam magnopere precellunt. tales ſunt illæ, in quibus eius, quod dicitur, cauſa apparet, quemadmodum in illa;

Ne immortale odium mortali in pectore ſerues.

nam ſiquis ita enunciet; Ne immortale odiũ ſerues, erit ſententia; id uero, quod adiungitur, mortali in pectore, cauſam exprimit.

COMM. Duas ſententiarum ſpecies explicuit, quę ſublecta ratione non indigent, nunc ad alias duas accedit, quæ fidem non faciunt, niſi ratione comprobentur. ac prima quidem ſpecies eſt illa, quæ pars eſt enthymematis, qualis eſt ea, quam ſupra poſuit ex Euripidis Medæa ſumptus,

Quicunque prudens eſt uir, is ne liberos
Optet ſuos nimis ſcientes effici.

Non enim integrum locum citat Ariſtoteles, breuitatis cauſa, quod ſæpiſſimè facit. hæc autem ſententia non eſſet credibilis, niſi addita ratione probaretur. itaque pars enthymematis uocatur. ſunt aliæ ſententiæ, quæ uocantur enthymematicæ, non quia ſunt enthymematis partes, ſed quia uim habent enthymematis, & in ſe quaſi clauſam rationem habent. quæ quidem ſententiæ maximè laudabiles ſunt, & plurimum excellũt. quia ſimul enunciantur, & in eis quaſi expreſſa cauſa ſeu ratio uidetur. huius generis duo ponit exempla Ariſtoteles, quorum primum eſt.

Ne immortale odium mortali in pectore ſerues.

Hic uerſus apud græcos ſenarius eſt, & inter ſententias diuerſorum auctorum circumfertur. nos quia commodius uidebatur, exametrum latinè fecimus. docet autẽ Ariſtoteles quomodo hæc ſententia, rationem adiunctam habeat, nã ſiquis tantum ita dicat, Ne immortale odiũ ſerues. ſententiam proferet, ſed cum addantur ea uerba, mortali in pectore, cauſa ratioque exprimitur, cur odium immortale eſſe non debeat.

Eodem modo etiam illa, Eum mortalia curare decet, qui mortalis eſt, non immortalia. TEXT.

Alterum ponit exemplũ enthymematicæ ſententiæ. quod etiam decimo Ethicorum citauit. licet ibi ſententiam hanc uituperet. quòd inutilis hominibus eſſe uideatur, & à magnis rebus deterrere. qui uerò fuerit auctor huius ſententiæ non ſatis conſtat. quidam haud ſanè malus poeta, quẽ Catonem uulgo nominant ita latinè ſententiam hanc expreſſit, COMM.

Mitte arcana Dei, cœlumque inquirere quid ſit,
Cum ſis mortalis, quæ ſunt mortalia cura.

Huc alluſit etiam Horatius cum ita inquit;

Quid æternis minorem conſiliis animum fatigas?

Apud latinos etiam huiuſmodi ſententiæ frequenter inueniuntur, ut Salluſtius in Iugurthino; At ingenij egregia facinora, ſicut anima, immortalia ſunt. nam ſi dixiſſet, ingenia egregia facinora immortalia ſunt, ſententiam protuliſſet. Sed cum addiderit, ſicut anima, rationem ſimilitudine expreſſit. ſicut etiam in illa eiuſdem operis; Nam in omni certamine, qui opulentior eſt, etiam ſi accipit iniuriam, tamen quia plus poteſt, facere uidetur. enthymematicam enim ſententiam facit illud, quod additur, Quia plus poteſt,

Ex ijs, quæ dicta ſunt, iam perſpicuum eſt, quæ ſententiæ ſpecies ſint, & quibus rebus ſingulæ conueniant. quoties enim de illis ambigitur, aut aliquid præter opinionem continent, tunc ſemper addenda eſt ratio. TEXT.

Iam ſatis declaratum eſt, quæ ſententiarũ ſpecies ſint, & quomodo inter ſe diſtinguantur. nam quatuor eſſe diximus. quarum aliquæ rebus indubitatis, & certis conueniunt, quæ ſine ratione proferuntur, aliquæ uero conueniunt rebus de quibus ambigitur, & quæ aliquid præter communẽ opinionem enunciant, quibus rationem ſemper oportet addere. nam ſi proferrentur ſine ratione, ſtatim audientes eas reijcerent, neque ullam oratori poſſent utilitatem adferre, ſed potius ei fidẽ abrogarent, ut ſiquis ita proponat; melius eſt iniuriam accipere, quam inferre. niſi rationem addat, ſtatim omnium irriſione ludetur. ſed ſi rationem ſubiungat hoc modo, nam qui facit iniuriam ſemper improbus eſt, qui uero iniuriam accipit, probus eſſe poteſt. animus acquieſcit. ita ſiquis dicat, ſupplicium miſereri non oportet, uidebitur impia ſententia. ſed ſiquis addat rationem, quia miſericordia perturbat animum, & uerum iudicium confundit. facile fiet probabilis. COMM.

Sed uel præponere licet rationem, & uti ſententia pro concluſione, ut ſiquis ita dicat; Ego quidem quoniam declinare inuidiam oportet, atque ignauia nomen fugere, dico ſapientiæ ſtudijs operam dare non oportere. uel ipſam enunciare ſententiam, TEXT.

tiam, deinde rationem addere.

COMM. Duobus modis enunciare ſententias admirabiles, hoc eſt, quæ præter communem opinionem ſunt, poſſumus. uel enim rationem præponemus, & ſententiam tanquam concluſionem adiungemus, uel contrà. primo loco ponemus ſentẽtiam, deinde rationem pro concluſione. hoc autem exẽplo ſupra poſito ex Euripidis Medæa probat. ſed ad commodum ſuum conformat. dixerat Medæa, non eſſe ſtudiis ſapientiæ dandam operam. quæ ſententia communi opinioni repugnat. ergo illã duabus rationibus probauit, prima quod ignaui euadunt ij, qui literis dant operam, altera, quòd in multorum inuidiam incurrunt. ergo licet has rationes ſententiæ præponere hoc modo; Ego ſane, cum euitanda ſit inuidia, nomenque ignauiæ fugiendum, cenſeo ſapientiæ ſtudiis operam dare non oportere. vel præponere ſententiam, & rationes ſubiungere hoc modo; Non eſt ſapientiæ ſtudiis danda opera. nam & inuidiam hominibus cõflant, & ignauos atque deſides efficiunt. Seneca ſcribens ad Lucilium ſic ait; Sine faſtidio implendus eſt venter. quid enim ad rem pertinet, quid accipiat, perditurus quicquid acceperit? propoſuit igitur ſententiam, deinde rationem adiunxit, poterat etiam rationem proponere hoc modo; cum venter, quicquid acceperit, perditurus ſit, ſine faſtidio implendus eſt. ex hoc loco bene poteſt intelligi, quod ſupra dixit Ariſtoteles, ſententiam eſſe uel principium, uel concluſionem enthymematis. cum enim ratio præponitur, tunc ſententia eſt tanquam concluſio, cum uero ſubiicitur ratio, tunc ſententia eſt enthymematis principium.

TEXT. *Quoties autem non ſunt quidem præter opinionẽ, ſed aliquid obſcuritatis habent, tunc aptè & concinnè ratio eſt adiungenda.*

COMM. Nunc de illo ſentẽtiarũ genere loquitur. quod enthymematicum ſupra dixit. quæ licet non ſint contra communem opinionem, tamen aliquid in ſe habeant, quod incertum eſſe uideatur. oportet igitur huiuſmodi ſententiis concinnè rationem inſerere, ne de illis quiſquam dubitare poſſit. Vt, Quoniam uita ipſa qua fruimur breuis eſt, memoriam noſtri quam maximè longam efficiamus. cũ omnibus fortunæ telis propoſita ſit uita noſtra, quicquid accidit, moderatè feramus. in ſola uirtute, quæ claros homines reddit, vera nobilitas eſt. hoc ſententiarum genus maximè probatur ab Ariſtotele, quoniam una continuatione ſententiam incluſa ratione breuiter & eleganter explicat.

TEXT. *Conuenient etiam huiuſmodi locis apophthegmata Laconica.*

COMM. In omnibus locis, in quibus ſentẽtiæ benè poſſunt accommodari, breuiter etiam & ſcitè dicta, qualia ſunt illa, quibus Lacones præcipue delectabantur, conuenient. apophthegmata uertit Eraſmus, breuiter & ſcitè dicta. Plutarchus librum cõfecit, quem Apophthegmata Laconica inſcripſit. quòd à Laconibus quibuſdam uiris eſſet pronunciata. ſed Laconica uocabantur etiam ſi ab aliis, quam à Laconibus eſſent dicta, quod morem Laconum imitarentur. nam dicendi breuitate Lacones utebantur, unde etiam Laconiſmus pro breui loquentia ponitur. Eraſmus octo libros Apophthegmatum collegit, unde poteſt quis ſibi copiã arbitrio ſuo parare.

TEXT. *Et quæ per ænigmata proferuntur, ut ſiquis idem diceret, quod Steſichorus apud Locrenſes dixit: non oportere contumelioſos eſſe, ne cicadæ humi canant.*

COMM. Obſcura quoque dicta, quæ græcè dicuntur ænigmata ſæpe uim ſententiarum habent. quod exẽplo probat Ariſtoteles. Steſichorus enim poeta, cum uideret Locrenſes eſſe contumelioſos, & multis hominibus iniuriam inferre, uolens eos admonere ut à contumeliis abſtinerent, dixit ut cauerent, ne cicadæ in agro Locrenſi humi canerẽt. nam hoc ænigmate rerum omnium vaſtitatem eis minabatur, ſiquidem cicadę ſolẽt in arboribus canere. quod ſi tecta omnia, atque omnes arbores excindantur, tunc neceſſe erit, ut Cicadæ humi canant, cum nihil habeant, in quod aſcendant. Euſtathius libro tertio Iliadis hoc ænigma ſic interpretatur; minatus eſt quidam ſe facturũ, ut apud hoſtes cicadæ humi canerent. hoc eſt, ſe uaſtaturũ eorum regionem & arbores excíſurum. ut neceſſario cicadæ humi canerent. Strabo libro ſexto tradit cicadas quæ in Locrenſi agro uerſantur ſonantius canere, cum in Rhegino agro uicino mutæ ſint. Quintilianus libro octauo de ænigmate ſic ait; Hæc allegoria quæ eſt obſcurior, ænigma dicitur, uitium meo quidem iudicio, ſiquidem dicere dilucidè uirtus. L. Craſſus. 3 de Orat. Eſt hoc magnum ornamentum orationis, in quo obſcuritas fugienda eſt. etenim ex eo genere fiunt ea, quæ dicuntur ænigmata. Cicero. 2. de Diuin. Iam uerò quo pertinent obſcuritates, & ænigmata ſomniorum. Sunt igitur ab Oratore perquam raro ænigmata uſurpanda, quia uitioſam efficiunt orationem, cuius præcipua uirtus eſt perſpicuitas.

TEXT. *Seniori autem homini potiſſimum conuenit ſententias dicere. atque illi præcipuè qui magnum rerum uſum habeat.*

COMM. Non cuiuis homini conuenit ſentẽtiis uti, ſed eis tantum, qui iam ſeniores ſunt, & magnum rerum uſum habent. tales enim propter auctoritatẽ quam longo tempore, & uſu acquiſiuerunt, monẽdi & præcipiendi facultatem habent, & quaſi magiſtri docere poſſunt, quid faciendum, aut fugiendum ſit. hoc eſt, quod in octauo libro Quintilianus ne paſſim & à quocunque dicantur. magis enim decent eos, in quibus eſt auctoritas, ut rei pondus etiam perſona confirmet. quis enim ferat puerum, aut adoleſcentulum, aut etiam ignobilẽ, ſi iudicet in dicendo, & quodammodo præcipiat? Cornificius libro quarto ad Herennium ita monet; Sententias interponi raro cõuenit, ut rei actores, non uiuendi præceptores eſſe uideamur. neq; tamen quilibet ſenex aptus eſt ad ſententias proferendas, ſed is tantum, qui peritus rerum ſit, &

multa

multa tractauerit, multáque experientia doctus fuerit, uel qui plurimum in ſtudiis ſapientiæ profecerit, talibus enim viris facile credere ſolemus.

TEXT. *Indecorum enim eſt iuniori ſententias dicere, ſicuti etiam fabulas commiſci. de iis uero quemquam dicere, quorum ignarus eſt, ſtulti, ac rudis ingenij proprium eſt,*

COMM. Probat à contrariis ſeniori tantum & perito uiro ſententias conuenire. nam ſi à puero, uel ab imperito proferantur nullam dignitatem habent. eſt enim res quædam indecora, cum puer aut adoleſcentulus, quaſi aliorum magiſter, ſententias loquitur. quoniam ad eam ætatem pertinet diſcere, non autem docere. ſicuti neque puero conuenit fabulas fingere, quamuis ætas illa fabulis præcipue delectetur, quas à maioribus audire debet, & per eas in rebus honeſtis erudiri. quod ſi quiſpiā imperitus ac ignarus de aliqua re pronunciare velit, nonne ſtultus & inſipiens ab omnibus habebitur? quare iuuenes, & imperiti homines debent hoc negocium dicendarum ſententiarum ſenioribus, & longo uſu peritis relinquere.

TEXT. *Huius autem rei ſignum eſt, quod agreſtes homines maximè ſententias loquuntur, & facile de re qualibet enunciant.*

COMM. Quod ſtulti & rudis ingenij proprium ſit, de rebus incognitis iudicare, probat à ruſticorum cōſuetudine. qui cum omnium imperitiſſimi ſint, tamen frequentiſſimè ſententias loquuntur, & quędam quaſi uiuendi præcepta tradunt, neque quicquam penſi habent in rebus iudicandis, ſed temerè de quauis re pronunciant. hoc autem propter ſtultitiam faciunt, & quia res grauiores ignorant. qui igitur eodē ingenio, quo ruſtici præditi ſunt, eodem etiam uitio laborant, & de rebus incognitis temerè iudicant.

TEXT. *Generatim autem aliquid proferre, quod nequaquam generale ſit, maximè conuenit in conqueſtione, atque amplificatione. & hoc uel in principio, uel poſt quam aliquid concluſum fuerit.*

COMM. Debet orator diligenter cauere nequid dicat, quod apertè falſum ſit. & præcipuè nequid generatim proferat, quod nequaquam ad omnes eius generis homines pertineat, ut ſiquis dicat omnes iuriſconſultos auaros eſſe, aut omnes mercatores mendaces quamuis plerique tales ſint, tamen in uitium incidet, quoniam aliqui forte iuriſconſulti liberales reperiuntur, & aliqui mercatores ueridici. conceditur tamē interdum oratori, ut ea dicat, quæ apertè falſa ſunt, & generatim proferat, quæ nequaquam generalia ſunt, tunc, cum de calamitatibus ſuis, aut eorum, quos defendit, conqueritur, aut cum amplificatione vtitur. cuius rei plurima ſunt apud Ciceronē exempla. ut pro Milone ſunt hæc apertè falſa; omni in hominum cætu gratiis agendis, & gratulationibus habendis & omni ſermone celebramur. & pauio poſt, omnibus in terris & iam uerſatur, & ſemper habitabit nominis mei gloria. item illa, ò terram illam beatam, quæ hunc uirum exceperit, hanc ingratam ſi eiecerit, miſeram ſi amiſerit. pro Cn. Plancio, Nihil tam inhumanum, tam immane, tam ferum quam committere ut beneficio non dicam indignus, ſed uictus eſſe uideare. pro lege Man. Cicero cum Pompeij laudes amplificat ea dicit, quæ ſunt apertè falſa; Qui ſæpius cum hoſte conflixit, quam quiſquā cum inimico concertauit, plura bella geſſit, quā cæteri legerunt, plures prouincias confecit, quam alij concupiuerunt. & alibi, ut eius ſemper uoluntatibus non modo ciues aſſenſerint, ſocij obtemperarint, hoſtes obedierint, ſed etiam uenti tempeſtateſque obſecūdarint. in ſumma ferè ſemper Cicero cum utitur cōqueſtione uel amplificatione, ſolet aliquid dicere, quod ueritatem excedat. Sed hic Ariſtoteles de ſententiis loquitur, quæ ſæpe generatim proferuntur in conqueſtione & amplificatione, quamuis generales non ſint. ut apud Catullum Ariadna cum de Theſeo amante conqueritur, ita clamat.

Iam iam nulla uiro iuranti fœmina credat,
Nulla uiri ſperet ſermones eſſe fideles.
ita Dido irata quarto Aeneidos ait,
Nuſquam tuta fides.

Apud Euripidem Hecuba cum Vlyſſem ingrati animi crimine accuſaret, dixit, omnes eos, qui populares honores ambiunt, beneficiorum immemores eſſe. nihil autem intereſt utrum in conqueſtionis atque amplificationis principio, an in fine vtamur eiuſmodi ſententiis, cum vtrobique ſupra veritatem aliquid extollere liceat.

TEXT. *Licebit etiam uti peruulgatis, communibuſq; ſententijs, ſi cauſæ noſtræ profuerint. nam quia communes ſunt, tanquam omnium conſenſu probatæ, rectè ſe habere uidentur: ut ſiquis adhortetur ad periculum ſubeundum eos, qui litare non potuerint, & id dicat; Augurium, ut patriam ſerues, bellare, ſecundum eſt.*

COMM. Hactenus docuit quomodo nos ipſi ſententias excogitare & conformare debeamus, & quot ſint earum ſpecies, quomodoque tractentur: nunc ait nos aliorum etiam ſententiis in oratione noſtra uti poſſe, & præcipuè ſi peruulgatæ fuerint, & communes. atque huius rei rationem addit. quia huiuſmodi ſententiæ multum ualent ad fidem faciendam. cum enim communes ſint, omnium iam conſenſu uidentur approbatæ. hoc autem tribus exemplis illuſtrat, primum eſt Homeri carmen peruulgatum & tāquam prouerbium à multis celebratum, quod hunc ſenſum habet; optimum augurium eſt pro patria pugnare, ergo ſiquis uelit eos ad bellum pro patria gerēdum adhortari, qui litare non potuerunt, & quibus exta portēdere triſtia uideantur, & qui infauſta notarunt auguria, poterit hoc homerico uti carmine,

Augurium, ut patriam ſerues, bellare, ſecundum eſt.

Aiunt Epaminondam Thebanorum ducem, ante Leuctricam uictoriam, cum eſſet congreſſurus cum Lacedæmoniis, & litare non potuiſſet, extaque triſtia apparerent, hunc uerſum pronūciaſſe. Cicero in Catone maiore ſententiam huius

carminis

carminis ita expreſſit; cum de Q. Fabio Maximo loqueretur; Augurque cum eſſet, dicere auſus eſt, optimis auſpiciis ea geri, quæ pro Reip. ſalute gererentur, quæ contra Remp. fierent, contra auſpicia fieri.

TEXT. *Et qui concitat inferiores: Mars eſt communis.*

COMM. Alterum exemplum. cum quis (inquit) inferiores excitare cupit, ne timeant cum ſuperioribus congredi, poterit ea peruulgata ſentētia uti. Mars eſt communis. quę ſententia ſumpta eſt ab Homero, ex libro decimoſeptimo Iliadis. & à multis poſtea tū Græcis tum Latinir auctoribus uſurpata. Cicero Philippica undecima. Sed ut concedam in certos exitus eſſe belli, Martem commuuem, tamen pro libertate, uitę periculo decernendum. idē pro P. Seſtio; Homini ſtudioſo fortaſſe uictoriæ, ſed tamen nimium communem Martem bellique caſum metuenti. apud T. Liuium frequenter hæc ſententia reperitur, ut libro. 8.

Quid illum facturum fuiſſe, ſi, quod belli caſus ferunt,
Marsque communis, aduerſa pugna eueniſſet?

Et alibi, Martemque belli communem propone animo. rurſus alibi: & arma, & cōmunis Mars belli decernet. carmen autem Homeri nos ita vertimus.

Communis Mauors uincentem ſæpe trucidat.

TEXT. *Et qui adhortatur, ad inimicorum filios interficiendos, etiam ſi fuerint innocentes;*
Stultus, qui natos, occiſo patre, relinquit.

COMM. Carmen hoc etiam primo libro huius operis ab Ariſtotele citatur. nbi de teſtibus uerba facit, & docet, peruulgatas ſententias teſtimoniorum uim habere. Clemens Alexandrinus ait eſſe Staſini poetæ. Philippus Macedoniæ rex frequenter hanc ſententiam uſurpabat. de quo ita T. Liuius libro decimo de bello Maced. His ferox animus omnes homines, omnia loca temporaque ſuſpecta habebat. poſtremo negare propalam cæpit, ſatis tutum ſibi quicquam eſſe, niſi liberos eorum, quos interfeciſſet, comprehenſos in cuſtodia haberet, & tempore alium alio tolleret. eſt autem tāta uis in his peruagatis ſententiis, ut etiam peſſimæ cauſæ earum ope ſuperiores fiant. id, quod declarat Ptolemæi factum, in Pompeium. cum enim poſt Pharſalicam pugnam Pompeius Cæſaris impetum fugiens in Aegyptum perueniſſet, deliberantibus Ptolemęi conſiliariis utrum Pompeium reciperent, an è regione iuberent diſcedere, Theodorus Chius Ptolemæi præceptor, cenſuit recipiēdum & interficiendum eſſe, addens uulgatam illā ſententiam; Mortui non mordent. quod ſtatim à Ptolemęo cęteriſque comprobatum eſt. de hoc genere ſententiarum intelligit in Partitionibus Cicero cum ita inquit; Ad commouendos autem animos maximè proficient, ſi incitandi erunt, huiuſmodi ſententiæ, quæ ad explendas cupiditates, aut odium ſatiandum, aut ad ulciſcendas iniurias pertinebunt. quales ſunt illę. ex malo genere ne catulur quidem relinquendus. Pereant amici, dū una inimici intereant. hanc poſteriorem ſententiam citat Cicero pro Deiotaro, & ait immanem eſſe.

TEXT. *Quædam etiam prouerbia uim ſententiarum habent, ut illud; Atticus inquilinus.*

COMM. Prouerbia & ſententiæ diſtinguuntur. neque enim omnia prouerbia ſententię ſunt. neque omnes ſententię prouerbia. ueruntamen plurima huiuſmodi reperiūtur, quę ſimul & prouerbia ſint, & ſententię, ut, ubi amici, ibi opes. conciliant homines mala. conſcientia mille teſtes. Mali corui malum ouum. & ſexcenta alia. quę tamen potius ſententię, quam prouerbia uocātur. ſunt alia quę tantum prouerbia dicuntur, non autem ſententię, ut Adonidis horti, prora & puppis, Duabus anchoris fultus, inter ſacrum & ſaxum. quę tamē interdúm uim ſententiarum habent, ut Atticus inquilinus. quod de moleſtis atque odioſis vicinis dici ſolebat. ſumptum ab Atticis qui cum in Samum inſulam migraſſent, indigenas expulerūt. conuenit igitur in illos, qui munus aliquod nuper adepti, ſuperiores eiiciūt. erit igitur quaſi ſententia, ſi quis dicat; Atticum inquilinum eſſe uitandum.

TEXT. *Licet etiam ſententias proferre contra illas, quæ iampridem ſunt peruulgatæ. uoco autem peruulgatas, ut illa eſt. noſce te ipſum. & illa; nequid nimis.*

COMM. Nemo debet exiſtimare ſententias peruulgatas eſſe tam firmas & ſanctas ut nemo poſſit eas labefactare. licet enim interdum aliquid etiam cōtra illas dicere, & alias quę contrarię ſint ſententias proferre. & tunc pręcipuè, cum eas reprobando meliores viri, aut ingenioſiores uideri poſſumus. quę ſint autem ſentētię peruulgatę duobus exemplis oſtendit, quorum primum eſt, Noſce te ipſum. hęc ſententia Chilonis Lacedęmonij fertur eſſe, quę pro foribus templi delphici inſcribi ſolebat, ut ait Plato in Charmide, quaſi Deo digna videretur. vnde Iuuenalis, è cœlo deſcendit γνῶθι σεαυτόν. Ouidius.

—fama celebrata per orbem
Litera, cognoſci quę ſibi quemque iubet.

Cic. ad Quintum fratrem; Et illud γνῶθι σεαυτὸν noli putare ad arrogantiam minuendam ſolum eſſe dictum, verum etiam vt bona noſtra norimus. Alterum exemplum eſt; Nequid nimis. quam ſententiam quidam Biantis eſſe dicunt, & vna cum ſuperiore foribus delphici templi inſcribi ſolitā. Terentius in Andria ſeruum Soſiam ita loquentem inducit, Nam id arbitror adprimè in vita eſſe utile, ut nequid nimis. Plinius libro undecimo. Perniciosiſſimum autem & in omni quidem uita quod nimium. Ariſtoteles ait, in omni re plus nocere, quod nimium eſt, quam quod parum.

TEXT. *Atque hoc tūc faciendum eſt, cum is, qui dicit, uel ex ea re melior eſſe uidebitur, uel aliqua perturbatione commotus erit.*

COMM. Duo tempora incurrūt, quibus commodè ſententias peruagatas reprehendere poſſimus, primo cum eas uituperando meliores eſſe uidemur.

nam

nam qui ſententias improbas vituperat, ipſe probus vir eſſe uidetur. vt Cicero pro Deiotaro: de Domitio dixit verſum græcum eadem ſententia, qua etiam nos habemus latinum, Pereant amici, dum vna inimici intercidant. quod ille ſi eſſet tibi inimiciſſimus, nũquam tamen dixiſſet: ipſe enim manſuetus, uerſus immanis. Secundo cum aliqua perturbatione cõmotus eſt is, qui dicit, tunc enim ei conceditur etiã contra uulgatas opiniones ſentire. vt Menedemus ille apud Terentium, ita inquit, Aut ego profectò ingenio egregie ad miſeriam natus ſum, aut illud falſum eſt, quod vulgo audio dici, Diem adimere ægritudinem hominibus.

TEXT. *Eſt autem cum animi perturbatione dictum, ut ſiquis iratus affirmet, falſum eſſe, quòd ſe ipſum noſcere oporteat. Nam hic (inquiet) ſi ſeipſum nouiſſet, nunquam exercitum ducere ſe dignum eſſe cenſuiſſet.*

COMM. Exemplum adfert ad probandum, licere contra vulgatas ſententias cum animi perturbatione aliquid dicere. perturbationem autem hic intelligimus omnem animi motum vehementem, vel ad laudandum vel ad vituperandum. ad laudandum, vt ſiquis extollat Iphicratem Athenienſium ducẽ. qui cum eſſet adoleſcens & ignobili loco natus, tamen multa egregie geſſit, & multas auſpicio ſuo victorias reportauit. poſſet ita contra ſententiam celebratam dicere, ubi ſunt qui dicant, oportere quemque ſeipſum noſcere? profectò falſum hoc eſt, neque à quoquam magnopere attendendum. nam ſi Iphicrates ſeipſum noſcere voluiſſet, & genus ſuum atque ætatem reſpexiſſet, nũquam exercitum ducere ſe dignum eſſe cenſuiſſet, atque ita Reſp. magnis & egregiis victoriis, quas per ipſũ aſſecuta eſt, ſpoliata fuiſſet. Cicero ad Atticum libro. 2. ut eius literas laudet, contradicit illi uulgatæ ſententiæ, uiua vox magis afficit. ſic enim ait; ubi ſunt qui aiunt, ζώσης φωνῆς μεῖζω ἐνάργειαν εἶναι; quanto magis vidi, ex tuis literis, quam ex illius ſermone, quid ageretur? ita ſiquid Fabricium laudet, quod magnis pecuniis ſolicitatus à Pyrrho, tamen à iuſtitia non diſceſſerit, ita poterit, ſententiam illam impugnare, Pecuniæ omnia obediunt. declarauit profectò Fabricius falſum eſſe quod vulgo iactatur, omnia pecuniis obedire. qui cum infinitam pecuniarũ vim impune lucrari poſſet, maluit tamen probus uir eſſe quam pecunioſus. ad uituperandum uerò poſſumus contra uulgatas ſententias dicere hoc modo; ut ſiquis dicat falſum eſſe, quod vulgo dicitur. Malè parta cito dilabuntur, cum Dionyſius rapinis & ſacrilegiis plurima congeſſerit, quæ non ſolum ipſe ad ſenectutem vſque conſeruarit, ſed etiam filio ſuo reliquerit.

TEXT. *Melior eſſe uidebitur, qui dixerit, non eſſe uerum, quod aiunt, ita amare oportere, ut aliquando ſis oſurus, ſed potius oportere ita odiſſe, ut ſis amaturus.*

COMM. Interdum accidit, vt vulgatas ſententias vituperando meliores eſſe videamur. quo tempore licet eas ſecurè vituperare, quod Ariſtoteles exemplo comprobat. aiunt enim Biantem Prienenſem qui connumeratur inter ſeptem, ita præcepiſſe; Ama tanquam oſurus, oderis tãquam amaturus. ſiquis igitur hanc ſententiam inuertat, hoc modo, nõ ita amare oportet, vt aliquãdo ſis oſurus, ſed ita oportet odiſſe, ut aliquando ſis amaturus, is profectò vir eſſe bonus, & mitis ingenij videbitur. Cicero in libro de Amicitia, de Scipione ſic ait; Negabat vllam vocem inimiciorem amicitiæ potuiſſe reperiri, quam eius qui dixiſſet, ita amare oportere, vt aliquãdo eſſet oſurus. Nec ſe adduci poſſe, vt hoc, quemadmodum putaretur, à Biante eſſe dictũ crederet, qui ſapiens habitus eſſet vnus è ſeptem: ſed impuri cuiuſdam & ambitioſi, aut omnia ad ſuam potentiam reuocantis eſſe ſententiam.

TEXT. *Sed oportet oratione pateſacere, quid ipſi ſentiamus: quod ſi minus, cauſam addere oportet, ut ſi, uel ita dicamus, amare oportet, non quemadmodum aiunt, ſed tanquam ſis ſemper amaturus, illud enim alterum inſidiatoris eſt: uel hoc modo; nequaquam mihi placere poteſt id, quod uulgo dicitur: uerum enim amicum ita amare oportet, tanquam perpetuo ſis amaturus.*

COMM. Duobus modis contra peruulgatas ſententias ita diſputare poſſumus vt meliores ipſi viri eſſe videamur. primo ſi in dicendo ſententiam noſtram aperiamus, altero ſi cauſã addamus cur ab ea nos diſcrepamus. & cauſam quidem diſſenſionis à cæteris, hoc modo addere poterimus. Non ita amare oportet, vt vulgo dicunt, tanquam aliquando ſis oſurus, ſed tanquam ſis ſemper amaturus. illùd enim improbi hominis atque inſidiatoris eſt. Sententiam autem noſtram aperiemus hoc modo; Nunquam mihi placere potuit id, quod vulgò dicitur, Ama tanquam oſurus, oderis tanquam amaturus. oportet enim, vt verum amicum ita diligamus, tanquam perpetuò ſimus amaturi. idem in alia ſententia faciemus, vt, Non benè dictum illud eſt, Noſce teipſum, multi enim ſi ignobilitatem & ætatem ſuam atque vires aduerterẽt, à præclaris operibus auerterentur. vel. Nequaquam mihi ſatisfacit illud dictum, Noſce teipſum. frangit enim animos hominum, & in rebus gerendis tardiores efficit.

TEXT. *Sed neque illud probo; Nequid nimis: nam improbos homines ſupra modum odiſſe conuenit.*

COMM. Illa quoque ſententia vulgata, Nequid nimis, quam ſupra Chilonis Lacedæmonij fuiſſe diximus, ita reprehendi poteſt, ut reprehendentis mores eſſe meliores uideantur, ut ſiquis ita dicat; Non poſſum id omnino probare, quod uulgo dicitur, Nequid nimis. improbos enim & conſceleratos homines ſupra modum odiſſe laudabile eſt.

TEXT. *Magnam autem in dicendo utilitatem adferunt ſententiæ, primo propter rudem & inanem auditorum naturam; gaudent enim ſiquis generatim locutus, eas opiniones tetigerit, quas ipſi ſigillatim habent.*

Duabus de cauſis docet Ariſtoteles, ſententias in oratione maximam utilitatem & fructum adferre. quarum primam multis uerbis explicat, antequam ad ſecundam accedat. eſt igitur prima cauſa cur ſententiæ magnam uim habeant in dicendo, quia plerunque apud rudes & imperitos habetur oratio, qui quadam inani ſcientiæ perſuaſione capiuntur. cum id ab Oratore probari audiant, quod iam ipſi ſcire quodammodo ſe putabant. Orator enim cum ſentẽtias loquitur, eas communiter & generatim profert, ut, carere culpa maximum eſt in rebus aduerſis ſolatium, auditor autẽ, qui iam ſe culpa uacuum eſſe intelligit, in aliqua re moleſta & aduerſa, ſtatim ſententiam illam audiens exhilaratur, & veriſsimam eſſe iudicat. ita ſi quis ope amicorum ſuſtentatus, & quæ cupiebat aſſecutus audiat ab Oratore ſententiam illam, ubi amici, ibi opes, facere non poterit, quin gaudeat, & eam ſententiam approbet. iam enim ſigillatim eam opinionem conceperat, quam generatim deinde ab Oratore proferri audit. nempe hunc & illum amicum ſibi eſſe colendum & retinẽdum, cuius ope fuerat adiutus, hoc enim apud animum ſuum ſtatutum habebat. poſthæc audiens eis opes non deeſſe, qui amicis abundant, magno gaudio cumulatur. & ſecum prudentiam ſuam laudat, quod amicos ſibi compararit. hæc eſt Ariſtotelis ſententia, quam deinceps clarius explicat.

TEXT. *Quod autem dico clarius exponam, unde etiã perſpicuum erit, quomodo ipſas opiniones uenari oporteat. Sententia enim, quemadmodum antea dictum eſt, generalis eſt enunciatio, qui uero audiunt tunc lætantur, cum id generatim dicitur, quod ipſi antea in parte uerum eſſe credebant: ut ſiquis malos uicinos, aut filios improbos habeat, eum ſanè probabit qui dixerit, Nihil eſt uicinitate moleſtius; aut, Nihil ſtultius quam liberos procreare.*

COMM. Debet Orator diligenter aduertere quid auditores opinentur ac ſentiant. hoc enim ad perſuadendum uim habet maximam. itaq; clarius exponit Ariſtoteles id, quod ſupra dixerat, ut etiam ab Oratore poſsit intelligi, quomodo opiniones audientium uenari oporteat. cum enim ſententiã generalis quædam ſit opinio, ſicuti ſupra declaratum eſt, cum ſententiæ naturam ac definitionem euolueremus, fit ut auditores tunc non mediocriter lætentur, cum ab Oratore audiunt id uniuersè dici atque affirmari, quod ipſi antea aliqua ex parte experti erant, aut uerum eſſe opinabantur. confirmantur enim noſtræ opiniones, cum prudentibus uiris idem uideri intelligimus. & nobis ipſis ſapientiores uidemur. hac ratione fit, ut Oratores facile mentes audientium, quo uelint, impellant. magna enim lætitia afficiuntur, cum eas ſentẽtias audiunt, quas ipſi iam quodammodo intelligebant, & ſe nõ paruo ingenij acumine præſtare credunt. ſuamq́ue ipſorum ſolertiam ſecum admirantur, quæ cauſa eſt illius inanis lætitiæ, quam animo concipiunt. gaudent enim omnes cum aliquid ingenioſe putant ſe intelligere. probat autem hoc, quod dicit Ariſtoteles duobus exemplis. primum hoc eſt, ſiquis improbos habeat uicinos, à quibus moleſtia ſæpe afficiatur, & audiat oratorem ita dicentem, Nihil eſt uicinitate moleſtius, confeſtim hanc ſententiam probabit, & ueriſſimam eſſe dicet. alterum exemplum eſt illud, ſiquis prauos habeat filios, qui magnis curis parentes onerent, & audiat illam ſententiam, Nihil ſtultius quam liberos procreare. ſine dubitatione ueram eſſe confirmabit, quamuis re ipſa non omnino uera ſit.

TEXT. *Quare diligenter oportet aliqua ratione conijcere, quid ſentiant, exiſtimentq́ue auditores. deinde generatim illud enunciare. Atque hæc quidem una eſt utilitas, quæ ex ſententiis dicendis percipitur.*

COMM. Plurimum difficultatis eſt in uenandis audientium opinionibus, multæ ſunt enim in animis hominum latebræ, multi receſſus. ut non cognoſci facile poſsit, quid quiſq; ſentiat. itaque debet Orator omni diligẽtia ſcrutari, quid ſentiant, & quid exiſtiment auditores. quod cum intellexerit, generatim illud enuncians, coget eos in ſententiam ſuam deſcendere. hoc eſt quod apud Ciceronem ſecundo de Oratore M. Antonius ait ſe diligenter obſeruare. his quidem uerbis; ſic equidem cum aggredior ancipitem cauſam, & grauem ad animos iudicum pertractandos, omni mente in ea cogitatione, curaque uerſor, ut odorer quam ſagaciſsimè poſsim, quid ſentiant, quid exiſtiment, quid expectent, quid uelint, quo deduci oratione facillimè poſſe uideantur. Si ſe dãt, & (ut ante dixi) ſua ſponte, quo impellimus inclinant, atque propendent, accipio quod datur, & ad id unde aliquis flatus oſtenditur, uela do. ſin eſt integer, quietuſque iudex, plus eſt operis, ſunt enim omnia dicendo excitanda nihil adiuuante natura. ſed tantam uim habet illa, quæ rectè à bono poeta dicta eſt flexanima, atque omnium regina rerum Oratio, ut nõ modò inclinantem erigere, aut ſtantem inclinare, ſed etiam aduerſantem & repugnantem, ut imperator bonus ac fortis capere poſsit. hæc Antonius. ex quibus intelligi poteſt, quanta ſit utilitas in cognoſcendo quid ſentiant atque exiſtiment auditores.

TEXT. *Eſt etiam altera longe melior, quòd ſententiæ moratas orationes efficiunt. Orationes autem mores habere dicitur, in quibus dicentis ſenſus aperitur: quod in omnibus ſententijs dicendis accidit eo, quòd, qui ſententiam dicit, generatim enunciat, quid ipſe de rebus expetendis ſentiat. quare ſi bonæ ſententiæ fuerint, probum etiam Oratorem uideri faciunt.*

COMM. Hæc eſt ſecunda cauſa, quare ſententiæ multum utilitatis in dicendo adferant, quod Orationes moratas efficiunt. dicuntur autem Orationes moratæ illæ, quæ dicentis mores exprimunt, & in quibus tanquam in ſpeculis imago animi perſpicitur.

perſpicitur. nam plerunque uerum eſſe ſolet id, quod Socrates aiebat, Qualis vir, talis oratio. ſępe etiam in oratione boni mores finguntur, ut facilius fides fiat. Cicero pro P. Quintio ſic ait; Quia; quod uirum bonum facere oportebat, id loquebatur Næuius, credidit Quintius, eum qui orationẽ bonorum imitaretur, facta quoque imitaturum. Ratio autem, cur in dicenda ſententia mores exprimantur illa eſt, quod qui ſententiam dicit, generatim enunciat mentem ſuã, & aperit quid ſentiat, de rebus expetendis & fugiendis. ex qua re non difficulter intelligi poteſt, vtrum bonus an malus ſit is, qui dicit. nam ſi bonæ ſententiæ fuerint, virum bonum oratorem videri faciunt, Si verò malę, malum. debet igitur Orator ſemper à malis ſententiis abſtinere, & bonas tantum atq; laudabiles inueſtigare. Nam quis nõ eum bonum virum exiſtimet, qui ita loquatur, ut Cicero pro Milone facit ipſum Milonem loqui? Addit hæc quæ certè vera ſunt, fortes & ſapientes uiros non tam præmia ſequi ſolere rectè factorum, quam ipſa rectè facta: ſe nihil in uita niſi pręclariſſimè feciſſe, ſiquidem nihil ſit præſtabilius uiro, quam periculis patriam liberare. beatos eſſe quibus ea res honori fuerit. à ſuis ciuibus, nec tamen eos miſeros; qui beneficio, ciues ſuos uicerint: ſed tamen ex omnibus præmiis uirtutis, ſi eſſet habenda ratio præmiorum, ampliſſimum eſſe præmium gloriã, eſſe hanc unam, quæ breuitatem uitæ poſteritatis memoria conſolaretur, quæ efficeret ut abſentes adeſſemus, mortui uiueremus. hanc denique eſſe cuius gradibus etiam homines in cœlum uideantur aſcẽdere. certe nihil hac oratione moratius nihil ſublimius; nihil ad commouendum accommodatius fieri poteſt. ſed huiuſmodi plurima ſunt apud Ciceronem exempla, quibus uel ſe, uel eos, quos defendit, optimos uiros uideri facit.

TEXT. *Atque hæc quidem de ſententia, & quid ipſa ſit, & quot eius ſint ſpecies, & quomodo ſit utendum ea, quamque utilitatem habeat, dicta ſufficiant.*

COMM. Iam eam tractationem, quæ ad ſententiam attinet, ſe abſoluiſſe oſtendit, cum illa quatuor explicuerit, quæ ad huiuſmodi tractationem eſſe neceſſaria uidebantur. nempe, quid ſit ſententia; & quę ſint eius ſpecies, & quomodo ſit eis utendum, & quam utilitatem in dicendo adferant. hæc enim omnia ſigillatim diligenterque ſunt explicata. quare nihil amplius ſupereſt, quod hoc loco de ſententia dicendum eſſe uideatur.

TEXT. *De argumentis uero generatim primo dicamus, quemadmodum ea quærere oporteat, deinde ſigillatim etiam eorum locos explicemus. ſunt enim hæc duo inter ſe diſtincta, ac diuerſa.*

COMM. Nunc tranſit ad enthymemata, quæ latinè dici poſſunt argumenta, ea uerò quomodo tractaturus ſit, exponit. primo enim generatim docet, cuiuſmodi eſſe debeant, ex qua materia, quaque forma conſtituantur. deinde ſigillatim tradit locos unde deducantur. hæc autem duo plurimum inter ſe differunt, & ſpecie diſtincta ſunt. itaque ſeparatim etiam ea tractat.

TEXT. *Quòd autem Enthymema ſyllogiſmus quidam ſit; antea dictum eſt; & quomodo ſit ſyllogiſmus, & in quo differat à Dialecticis, & quod in colligendo neq; ea, quæ remota ſunt, neque omnia, quæ dici poſſunt ſumere oporteat. illud enim obſcurum eſt propter diſtãtiam, hoc autem garrulitatis eſt, quia perſpicua dicuntur.*

COMM. Cum ſit de enthymemate uerba facturus, prius ea repetit, quę primo in libro declarata ſunt. ut oſtendat ſe nihil quod neceſſarium ſit, prætermittere. nam ſcire oportet, quid Enthymema ſit. & antea dictum eſt, eſſe quandam ſyllogiſmi ſpeciem, qua Oratores potiſſimum utantur. deinde ſcire oportet, quomodo ſit ſyllogiſmus, & in quo differat à Dialecticis. & dictum eſt, eſſe ſyllogiſmum imperfectum ex ueriſimilibus & ſignis. qui eundem uſum oratori præbeat, quẽ perfectus ille Syllogiſmus Dialectico. & qui non tam materia quã forma diſtinguatur à Dialectico ſyllogiſmo. poſtremo ſciendum eſt, ex quibus rebus omnes ſyllogiſmi conficiãtur, & dictum eſt, ex ijs conflari, quæ neque ualde remotæ ſint ac diſtantes, neque ualde propinquæ atque omnibus obuiæ. nam longè petitæ atque accerſitæ res obſcuriorem efficiunt orationem. quod in oratore uitium eſt uel maximum. res autem propinquæ, atque omnibus obuiæ, propter claritatem & perſpicuitatem ſuam facile contemnuntur, & uanum atque garrulũ Oratorem uideri faciunt. uocat autem Ariſtoteles τὰ πόῤῥωθεν, quæ procul ab imperitorum intelligentia ſenſuque diſiuncta ſunt. quę non niſi ab eruditis hominibus, & in diſciplinis multum ac diu uerſatis intelligi poſſunt. ut quæ à Mathematicis & Philoſophis traduntur. Itaque magna reprehenſione digni ſunt oratores, & concionatores ij, qui coram populo de rebus occultis, & à communi ſenſu ualde remotis diſputant. quia uel perperam intelliguntur, uel faſtidium auditoribus mouent. neque ſanè probandus eſt ille, qui res tantum maximè perſpicuas, & nulla probatione indigentes colligit, neque quicquam acutè atque ingenioſè concludit. ſed omnia plana atque aperta complectitur, ut res manifeſtior fiat. hoc enim garrulitatis crimine carere non poteſt.

TEXT. *Atque hæc etiam cauſa eſt, cur imperiti homines apud plebem facilius, quam eruditi, quod uolunt, perſuadeant: quemadmodum poetæ quoque teſtantur; qui aiunt imperitos in turba concinnius ac probabilius dicere. docti enim uiri ad res ſuas probandas communibus & generalibus utuntur; indocti uero ſumunt ea, quæ cognita habent, atque in promptu ſunt.*

COMM. Hic aliud agens explicat quæſtionem de qua nonnulli dubitarunt, cur accidat, ut imperiti homines cum in turba uerba faciunt, ingenioſiores uulgo uideantur, & facilius, quæ uolunt perſua-

deant, quam eruditi? & hoc ita clarum eſt, ut etiã in carminibus ſuis poetę uerum eſſe fateãtur. nam Euripides in Hippolyto Tragœdia ſcribit eos, qui apud ſapientes uiros nihil dicendo ualẽt, apud imperitos plurimum ualere. quem locum etiam Plutarchus citauit in opuſculo de Liberorũ educatione. Ariſtoteles hanc adfert cauſam; quod eruditi dicunt ea, quæ in uniuerſo genere ſunt, & communia. quoniam artes & ſcientiæ, quibus pręditi ſunt, generalia tantum amplectuntur, & ſingularia negligunt. hæc autem ab intelligentia uulgi remota ſunt, quia uulgus magis ea, quæ ſingularia ſunt, & ſub ſenſum cadunt animaduertit. ſpecies autem rerum & genera non facile cõcipit. de quibus omnes ſcientiæ ſunt. at uero imperiti rationes ſuas atque argumenta ducunt ex rebus cognitis & apertis, quæ in promptu ſunt omnibus, & ſenſibus accommodatæ, quare fit ut probabiliores eſſe uideantur. Quintilianus libro ſecundo ponit hanc quęſtionem; Quare ineruditi ingenioſiores uulgo habeantur? deinde eam multis allatis rationibus ſoluit, ac primo quidem ait accidere uitio malè iudicantium, qui maiorem habere uim credunt ea, quæ non habent artem. deinde multa etiam eſſe ait, quę imperitos naturaliter fallant, quia rudia politis maiora, & ſparſa compoſitis numeroſiora creduntur. propter hoc etiam (inquit) interdum uidentur indocti copiam habere maiorem, quod dicunt omnia; doctis eſt electio & modus. nonnullas etiam alias adfert cauſas Quintilianus, quas ſiquis quærit, ab eo petat. Ariſtoteles enim una, quæ ueriſſima eſt, contentus fuit. Primum igitur hoc pręceptum eſt, ut in conficiendis argumentationibus, ne res eas ſumamus, quæ uel à re ipſa ualde remotæ ſunt, uel nimis uulgares & uicinæ uidentur.

TEXT. *Quare non ex omnibus, quæ probabilia uidentur, ſed ex certis ac definitis ſumenda ſunt argumenta, ut ex eis, quæ uel diſceptatores ipſi probant, uel ij, quorum ſententiam ſequuntur.*

COMM. Ex hoc primo præcepto ſequitur, vt non omnia, quæ probabilia ſunt, Oratori ſint accommodata. multa enim à doctis & ſapientibus uiris probantur, quæ uulgo uel non intelliguntur, uel non creduntur, uel etiam ridentur. Sunt igitur certa quædam & definita; quæ tractari debent ab Oratore, nempe ea, quæ probantur ab ipſis iudicibus, uel ab eis, quorum ipſi iudices ſententiam ſequũtur, ut legũlatoribus, magiſtratibus, principibus. iudices enim uel ſententiam ſuam atque opinionem in iudicando ſequuntur, uel aduertunt, quid legibus conſtitutum ſit, uel quid maiores magiſtratus aut principes præſcripſerint. quod ſi ea, quæ dicuntur ab Oratore ab horum opinione, nõ diſcrepant, omnino probabilia ſunt, & facile fidẽ faciunt. & hoc eſt quod odorari quam ſagaciſſimè debet Orator, quid ſentiant atque exiſtiment ij, qui ſententiam laturi ſunt, vt ad eorum opinionẽ quam maximè fieri poteſt, orationem ſuam accommodet.

TEXT. *Et hoc ita uideri, uel omnibus, uel maximæ parti, perſpicuum eſſe debet.*

COMM. Cum iudicibus aliquid probare contendit Orator, quod non ipſi iudices ſentiant, ſed ij, quorum ſententiam iudices ſequi debeant, ut legumlatores, & probati iuriſconſulti, tunc non ſatis eſt unũ aut alterum ita ſentientem in medium adducere, ut Trebatium, aut Scæuolam, ſed oportet oſtendere uel omnes legumlatores & iuriſconſultos in ea eſſe ſententia, uel maximam eorum partem. ut ſiquis, exempli gratia, Milonem defendens, dicat, in periculis omnem eſſe honeſtam rationem expediendæ ſalutis, & licère uim ui repellere, quoniam id Manilio uideatur, certè non erit hoc probabile, ſed ſi oſtendat, omnes iuriſconſultos, aut maiorem partem ita ſentire, ſtatim fiet probabile.

TEXT. *Neque tantum ex neceſſarijs colligendum eſt, ſed etiam ex eis, quæ plerunque fiunt.*

COMM. Cum res omnes, quæ fiunt, ita diſtinguantur, ut aliquę ſemper & eodem modo fiant, quæ neceſſariæ dicuntur, aliquę frequenter & ex maiori parte, aliquę rarò atque fortuito, debet Orator non tantũ eas inueſtigare, quæ neceſſarię ſunt, & ſemper eodem modo fiunt, quoniam hæ paucæ ſunt, & ad humanas actiones ferè non pertinẽt, de quibus Oratoribus eſt aſſidua tractatio, ſed eas pręcipuè quęrere debet, quę plerunque fieri ſolent, & à communi opinione non abhorrẽt. quę uerò fortuitæ ſunt & rariſſimè accidunt, eas prętermittere debet Orator, quia nihil, aut parum admodum ad perſuadendum ualent. ergo duo genera rerum tractat Orator, hoc eſt neceſſarias, & ueriſimiles: argumenta quę ex neceſſariis conficiuntur in arte oratoria dicuntur ab Ariſtotele τεκμήρια, ſicut in primo libro declaratum eſt. hęc in Partitionibus Cicero uocat proprias rerum notas, quę aliter eſſe non poſſunt. ea uero argumenta, quę fiũt ex ijs, quę plerunque eueniunt, uocat Ariſtoteles εἰκότα, Cicero ueriſimilia ſiue probabilia, quę licèt non ſemper uera ſint, & aliquando fallant, tamen ex maiori parte uera eſſe ſolent, & rarò falſa.

TEXT. *Atque illud primo ſciendum eſt; neceſſe eſſe, ut, qui de aliqua re dicturus eſt, & argumentaturus, uel oratorio ſyllogiſmo, uel quocunque alio, quæ in ea re ſunt, cognita & perſpecta habeat uel omnia, uel ſaltem aliqua. nam ſi nihil cognitum habueris, nihil erit unde argumentari poſſis.*

COMM. Hoc pręceptum commune eſt, nõ tantum omni generi cauſarum, ut iudiciali, deliberatiuo, & demonſtratiuo, ſed etiam omni doctrinæ, & omni diſputationi, ut antequam de aliqua re dicere aggrediamur, prius cognoſcamus uel omnia, uel ſaltem aliqua eorum, quę ad eam rem pertinent. inſipientis enim eſt, ac planè dementis hominis, de ea re uerba facere, quam penitus ignorat: nam quid erit, unde poſſis argumenta deducere, ſi nihil cognitum habueris? quod ſi tenuem & obſcu-

ram

tam cognitionem tenueris, quid erit vnde poſsis aptè, diſtinctè, copioſeque diſputare? veriſsimè enim dictum eſt ab Horatio,

Scribendi rectè, ſapere eſt principium & fons.

Plato in Sympoſio negat eum recte quicquam de laude poſſe dicere, qui rem, quam laudat, non intelligit. quod in rebus omnibus idem valet. nam qua ratione fieri poteſt, vt quis cauſam aliquam benè agat, quam vel penitus ignoret, vel non ſatis cognitam habeat? M. Antonius libro ſecundo de Oratore præcipit idem quod Ariſtoteles hoc loco, ſic enim ait; Riſerit aliquis fortaſſe hoc præceptum, eſt enim non tam acutum, quam neceſſarium. magiſque monitoris non fatui, quam eruditi magiſtri. Hoc enim primum præcipiemus, quaſcunque cauſas erit acturus, vt eas diligenter penituſque cognoſcat. & paulo poſt ita inquit; Nemo poteſt de ea re, quam non nouit, non turpiſsimè dicere. rurſus infra; cum rem penitus cauſamque cognoui, ſtatim occurrit animo, quæ ſit cauſa ambigui. Atque vtiliſsimum quidē eſſet omnia, quæ ſunt in cauſa, penitus cognoſcere, ſic enim maior copia maiorque dicendi facultas daretur, quod ſi omnia cognoſci poſſunt, danda ſaltem eſt opera ut multa cognoſcantur. nam quanto plura cognita fuerint, tanto melius & accuratius cauſa tractabitur.

TEXT. *Dico autem hoc modo; ut, ſi conſilium dandum ſit Athenienſibus, utrum bellum ſuſcipiendum ſit, necne; quomodo id facere poterimus, niſi copias eorum cognitas habuerimus? utrū nauales ſint an pedeſtres, an utriuſque generis, & quanta ſint: deinde quæ ſint eorum uectigalia, qui amici, qui inimici: præterea quæ bella iam antea geſſerint, & quomodo; cæteraque eius generis.*

COMM. Exemplis illuſtrat id, quod ſupra dixerat, oportere cauſam habere cognitam, de qua dicturi ſumus. ac primum quidem exemplum eſt in deliberatiuo genere. ut ſi deliberent Athenienſes, vel Lacedæmonij, vel Romani de bello gerendo, vtrū ſuſcipiendum ſit bellum, necne. neceſſe eſt, vt qui bene ſententias dicturus ſit, cognoſcat eorum copias, quos ad bellum adhortaturus eſt, verū in terra, an in mari ualeant, an utrobique. & utrum ſatis magnæ ſint, ut hoſtium impetum ſuſtinere, aut etiam hoſtes debellare poſsint. Secūdo loco opus eſt, ut ciuitatis uectigalia nota habeat, unde commeatus & ſtipendia militibus comparari poſsint. ſunt enim uectigalia (ſicut ait Cicero) ſubſidia belli. Tertio noſcat, qui amici, & qui inimici futuri ſint. hinc enim ſæpe maxima rerum gerendarum momenta pendent. & auxiliarij milites ſæpe uel uictoriam, uel belli offenſionem importāt. Quarto ſcire oportet, quæ bella ciuitas iam antea geſſerit, & quo exitu. nam ex præteritis facile de futuris coniecturam facere poſſumus. Cicero Philippica tertia cum bellum contra Antonium ſuſcipere P. C. adhortatur, enumerat copias, quibus debellari poſsit Antonius. ac primo loco ponit, firmiſsimū exercitum inuicto genere ueteranorum militum, quem C. Cæſar adoleſcens compararat. deinde legionem Martiam incredibili uirtute, quæ Albæ conſederat, tum legionem quartam quæ contra Antonium ſtabat, Denique D. Bruti exercitum, qui Galliam ciſalpinam tenebat. poſtremo cōſenſum Municipiorū coloniarumque prouinciæ Galliæ, quæ omnes ad auctoritatem Senatus, maieſtatemque populi R. defendendam conſpiraſſe uidebantur. Pro L. Man. ubi ſuadet Romani ut bellum contra Mithridatem ſuſcipiant, & illud Pompeio gerendum committant. hęc omnia diligenter perſequitur. nam Pompeij copias & terra & mari ualentes commemorat, & Aſiam prouinciam celebrat, unde uectigalia maxima prouoniebāt, & amicos Aſiæ populos, inimicos autem Mithridatem & Tigranem. bella etiā à Sylla, & Murena, & Lucullo contra Mithridatem geſta narrat. Sic etiam Turnus apud Virgilium, non eſſe deferendū bellum contra Aenæam ſuadet, quoniam non defuturæ ſint copiæ, quamuis Diomedes auxilium ferre denegaſſet;

Non erit auxilio nobis Aetolus & Arpi
At Meſſapus erit, felixque Tolumnius, & quos
Tot populi miſere duces, nec parua ſequetur
Gloria, delectos Latio, & Laurentibus agris,
Eſt & Volſcorum egregia de gente Camilla
Agmen agens equitum, & florentes ęre cateruas.

TEXT. *Et ſi laudandi fuerint, quomodo id præſtabimus, niſi naualem eorum pugnam & uictoriam apud Salaminem inſulam, aut terreſtre prælium in Marathone cognitum habuerimus; aut quæ pro ſalute filiorum Herculis geſſerunt. & ſiquid eſt aliud eius generis: omnes enim à bonis, quæ inſunt in aliquibus uel ineſſe uidentur, laudare conſueuerunt.*

COMM. Alterum exemplum in demonſtratiuo genere. ſenſus eſt, non poſſumus quemque laudare, niſi bona, quæ illi inſunt, aut ineſſe uidentur, cognita habeamus. ut ſi laudare Athenienſes uoluerimus, nequaquam id commodè præſtare poterimus, niſi res ab eis pręclarè geſtas intellexerimus, ut uictoriam quam de Xerſe Perſarum rege tulerunt apud Salaminem inſulam duce Themiſtocle. fuit enim illa uictoria inſignis ac memorabilis, de qua ita Cicero primo de Off. citeturque Salamis clariſſimæ teſtis uictoriæ. Herodotus in urania copioſè pugnam hanc deſcribit. uictoriā autem In Marathone de Medis duce Milciade reportarūt Athenienſes. de qua idem Herodotus in Erato uerba facit. Cicero primo de Off. ita inquit, quæ magno animo & fortiter, excellenterque geſta ſunt, ea neſcio quo modo quaſi pleniore ore laudamus. hinc Rhetorum campus de Marathone Val. Max. ſcribit, trecenta millia Perſarum ab Athenieſibus In Marathone, duce Milciade fuiſſe cæſa. q̄ uerò pro filiis Herculis Athenienſes geſſerunt Iſocrates in Panegyrico narrat, & Euripides in Heraclidis. tria ſunt hæc Athenienſiū p̄clara opera, q̄ gratia exempli ſunt ab Ariſto. poſita. nā eiuſdē generis ēt multa narrari poſſunt. ſiquidē in laudando ſolent Oratores diligenter inquirere, quæcunq; bona ſunt in

eo, quem laudant, vel quæ eſſe videntur. vt Lucretius libro ſexto ſic Athenienſes laudat;

Primæ frugiferos fœtus mortalibus ægris
Dididerunt quondam præclaro nomine Athenæ.
Et recreauerunt vitam, legeſque rogarunt.
Et primæ dederunt ſolatia dulcia vitæ.

Cicero pro L. Flacco ſic Athenienſes in cœlũ effert; Adſunt Athenienſes vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortę. atque in omnes terras diſtributæ putantur; de quorum vrbis poſitione, propter pulchritudinem etiam inter Deos certamen fuiſſe proditum eſt, quę vetuſtate ea eſt, vt ipſa ex ſeſe ſuos ciues genuiſſe dicatur, & eorum eadem terra parens, altrix, patria dicatur, auctoritate autem tanta eſt, vt iam fractum propè ac debilitatum Gręcię nomen huius vrbis laude nitatur.

TEXT. *Eodem modo ex contrarijs uituperant: aduertunt enim ſiquid in eis turpe eſt, aut ineſſe uidetur; ut quòd Athenienſes reliquos Græcos in ſeruitutem redegerunt, & quòd Aeginetas, & Polidæatas, qui cum ipſis contra barbarum pugnauerant, & ſe ſtrenuè fortiterque geſſerant, ſibi ſeruire coegerunt; & ſiqua ſunt eiuſmodi. quin etiam quærunt an in aliquem alium errorem uniuerſa ciuitas delapſa ſit.*

COMM. Quod ſiquis (inquit) Athenienſes vituperare voluerit, id nequaquam facere poterit, niſi ſciat, quid contra iuſtitiam & æquitatem commiſerint, & quid in eis turpe ſit, aut eſſe videatur. vt ſi dicat ab Athenienſibus, poſtquam maris imperium occupaſſent, Græcos in ſeruitutẽ fuiſſe redactos: hoc enim iniquum & tyrannicum fuit. ſed illud atrocius, quòd Aeginetas & Polidæatas, quorum egregia virtus contra barbaros enituerant, ex vrbibus propriis vna cum liberis & coniugibus crudeliter expulerunt, & in eas ipſi colonos tranſmiſerunt. Val. Max. libro nono, capite de crudelitate, tradit Athenienſes ſtatuiſſe, vt Aeginetarum iuuẽtuti pollices abſcinderentur, vt claſſe poteſt populus in certamen maritimarum virium ſecum deſcendere nequiret. Cicero tertio de Offic. ſic ait; Durius etiam Athenienſes, qui ſciuerunt, vt Aeginetis, qui claſſe valebant, pollices præciderentur: eodem modo Potidæatas longo tempore bello fatigatos, tandem cum ſingulis tantum veſtimẽtis ex vrbe dimiſerunt, & eorum agros & poſſeſſiones occuparunt. hæc igitur qui vituperare volunt Athenienſes diligenter inueſtigare debent. & præterea ſiquem in alium errorem deprehendere poterũt vniuerſam ciuitatem incidiſſe. vt quòd Miltiadem præſtantiſſimum imperatorem, & optimè de Rep. meritum in carcere mori coegerint, quòd Ariſtidem iuſtiſſimum hominem eiecerint è ciuitate, quod Phocionem virum innocentiſſimum indigniſſime cruciarint, & ſiqua ſunt huius generis cætera.

TEXT. *Idem quoque in accuſando & defendendo fieri ſolet: nam ea ſpectantes, quæ inſunt, accuſant, & defendunt.*

COMM. In iudiciali etiam genere neceſſe eſt cauſam prius cognoſcere, quam ad agendum accedamus. nam quomodo poteſt orator quempiam in iudicium vocare, & accuſare, niſi ſciat, quid ab eo nefarie turpiterque geſtum fuerit? aut quomodo defendere poterit, niſi rei vitam & mores explicet? ideo Cicero cum Verrem eſſet accuſaturus in Siciliam prouinciam. quam per triennium Verres obtinuerat, profectus, diligentiſſime quæſiuit, quid ab eo flagitiosè, turpiter, auare, crudeliter, actum fuiſſet, atque ita paratiſſimus ad accuſandũ venit. quod etiam in defenſionibus obſeruabat, vt nunquam niſi diligenter pręmeditatus, ad orandum accederet.

TEXT. *Nihil autem intereſt ſiue de Athenienſibus, ſiue de Lacedæmonijs ſiue de aliquo Deo, ſiue de homine agatur. etenim ſi Achilli conſilium dare uoluerimus, aut eum laudare aut uituperare, aut accuſare aut defendere, quæ ipſius perſonæ hærent, aut hærere uidentur, ſumenda ſunt, ut de illis dicamus.*

COMM. Sicuti hoc præcepti cuilibet generi cauſarum commune eſt, ita etiam cuilibet hominum generi. neque enim quicquam intereſt, de quo homine, aut Deo, aut de qua ciuitate, aut de quo populo verba faciamus. nam quamuis Athenienſium exemplo ſupra ſit vſus Ariſtoteles, poterat etiam Lacedæmoniorum, vel Thebanorum, vel Romanorum vel quorumlibet aliorũ vti. ita ſicut Achillem pro exemplo ponit, etiam Vlyſſem, vel Diomedem vel Theſeum, vel quemuis alium hominẽ ponere poteſt idem de reliquis ſentiendum. nam (vt primo de Inuentione Cic. docet) Omnes res argumentando confirmantur, aut ex eo, quod perſonis, aut ex eo, qđ negociis eſt attributũ. vt, exẽpli gratia, ſit Achilles nobis propoſitus, cui ſuadere aliquid velimus, vel quem laudemus aut vituperemus, vel quem accuſemus aut defendamus. certè neceſſe erit ea conſiderare, ac videre, quę ipſius perſonæ hærent aut hærere videntur. has autẽ res Cicero vndecim eſſe putat, quæ perſonis attributæ ſunt, hoc eſt, nomen, naturam, victum, fortunam, habitum, affectionem, ſtudia, conſilia, facta, caſus, orationes, quas ſiquis in unaquaque cauſa bene intellexerit, ei uerba deeſſe non poterũt. modo has res ad finem cuiuſque cauſæ rectè dirigat. nam (ut in primo libro declaratum eſt) in demonſtratiuo genere finis eſt honeſtas & turpitudo, in deliberatiuo, utilitas & detrimentum, in iudiciali æquitas & iniquitas, ad quos fines omnis ſemper oratio tanquam ad proprium ſcopum eſt dirigenda, & hoc quod Ariſtoteles hoc loco ſubiungit.

TEXT. *Quod ſi laudamus aut uituperamus, ſpectare oportet, ſiquid in eo ſit honeſtum aut turpe: ſi accuſamus aut defendimus, ſiquid iuſtum aut iniuſtum: ſi conſilium damus; ſiquid eſt, quod prodeſſe, aut obeſſe poſſit.*

COMM. Quamuis omnis cauſa confirmetur ex ijs, quæ rebus & pſonis attributa ſunt, tamẽ hæc eſt inter

cauſas

cauſas differentia, quod cum in demonſtratiuo genere verſamur, & aliquem laudamus aut uituperamus, omnis oratio noſtra eo ſpectat, ut oſtendamus, quid in eo quem laudamus honeſtum ſit, vt quam nobili genere natus ſit, quam liberaliter educatus, quam laudabili uita & moribus præditus ſit, quas res egregiè geſſerit, ita quid in eo, quē uituperamus, turpe ſit, ut in ſecunda Philippica Ciceronis in Antonium uidere licet, quæ flagitiorum & ſcelerum Antonij refertiſsima eſt. cum autem iudiciale genus tractamus, & aliquem accuſamus aut defendimus, tunc id vnum ſpectandum eſt, quod iuſtum aut iniuſtum eſſe videatur. ut Cicero contra Verrem quæ ille iniuſtè geſſerit, commemorat. & pro Milone docet iuſtè Clodium à Milone fuiſſe interfectum. Denique cū uerſamur in deliberatiuo genere, & conſilium damus, tunc aduertimus quid in cauſa ſit, quod prodeſſe aut obeſſe poſsit, ut Cicero pro lege Man. docet in eo bello, quod ſuadere uolebat, agi gloriam populi R. agi ſalutem ſociorum atque amicorum, agi certiſsima populi R. uectigalia & maxima. agi denlq; bona multorum ciuium. quæ omnia ſine dubitatione ſunt utiliſsima.

TEXT. *Idem etiam in qualibet re faciendum eſt: ut ſi quæratur, utrum bona ſit iuſtitia, an non bona; ex ijs, quæ ipſi iuſtitiæ, ac ut bono inſunt, colligere oportet.*

COMM. Quod in perſonis fit, idem etiam in rebus fieri ſolet. ut ex iis, quæ rei inhærent, uel inhærere videtur, omnis cauſa confirmetur. ut ſi quæſtio proponatur, utrum iuſtitia bona ſit necne? ſpectanda ſunt ea, quæ iuſtitiæ, atque bono inſunt, atque ita colligere, & argumentari in utranque partem licebit. utitur autem hoc exemplo Ariſtoteles, quia Sophiſtæ quidam probare conati ſunt, iuſtitiam rem eſſe malam. ſicut apud Platonem in Gorgia Callicles, & in libris de Rep. Thraſymachus. tradunt Carneadem Romæ audiente Catone Cenſorio iuſtitiā ſummopere laudaſſe, remque eſſe optimam probare cōtendiſſe. poſtridie uerò eius diei, eodem audiente Catone magnis eloquentiæ uiribus improbaſſe iuſtitiam, & rem omnium peſsimam eſſe, conatum oſtēdere, Quare Cato fuit auctor, ut ſtatim ex urbe Carneades emitteretur, quoniam talis uir quæcunque uoluiſſet, perſuadere poſſe uideretur. Quintilianus libro duodecimo de hac re ſic ait; Neque Carneades ille, qui Romæ audiente cenſorio Catone nō minoribus uiribus contra iuſtitiam dicitur diſſeruiſſe, quam pridie pro iuſtitia dixerat, iniuſtus ipſe uir fuit.

TEXT. *Quare cum omnes ita demonſtrare uideantur, ſiue accuratius, ſiue popularius argumententur; neque enim ex omnibus ſine diſcrimine, ſed ex ijs, quæ ſingulis rebus adſunt, propoſitiones ſumunt, & hoc cum ratione faciunt, quoniam perſpicuum eſt, aliter fieri nullo modo poſſe: haud dubium eſſe poteſt, quin ſit neceſſarium, quemadmodum in Topicis dictum eſt, in ſingulis rebus delectas habere propoſitiones earum rerum, quæ ſæpe accidunt, ac maximè opportunæ ſunt.*

COMM. Concludit opus eſſe, ut Oratores delectum habeant earum rerum, quæ ſæpe accidunt, & ad probandum in primis opportunæ ſunt, ut in ſingulis cauſis parati inſtructique ad dicendum ueniant. omnes enim (inquit) qui aliquid demonſtrare uolunt, ſiue accuratè id faciant, hoc eſt ualidis ac demonſtratiuis rationibus, ſiue populariter, & infirmioribus argumentis ut Oratores ſolent, hāc uiā ſequuntur, & diligenter aduertunt, quid in illis rebus ſit, de quibus dicturi ſunt. nam qua ratione fieri poteſt, ut ex omnibus ſine ullo diſcrimine poſsint argumenta ducere? cum ea, quæ penitus diſiuncta ſunt, neque vllam habēt cum re, de qua diſputatur, cognationem, ad probandum nullam uim habere poſsint? Ergo (ut ait Agricola) ut ad alterius confirmationem aliquid poſsit adhiberi, coniunctum quadam ratione, & uelut cognatum eſſe oportet illi cui probando adhibetur, taleque uideri, ut non ſubſiſtere res ſine illo, ſi affirmes, non ſubuerti ſi neges, poſsit. Propoſitiones autē, quas in ſingulis rebus delectas habere oportet, è locis petuntur, è quibus, tanquam è theſauro quodam, omnia faciendæ fidei inſtrumenta repoſita ſunt. Eſt enim locus quædam communis rei nota, cuius admonitu quid in quaque re probabile ſit, inueniri poteſt. quamuis autem loci communes ſint, non tamen ex communi confuſaque rerum ſylua propoſitiones captantur. ſed ſcrutandum eſt, quæ rebus ipſis adſint, de quibus acturi ſumus.

TEXT. *Atque etiam in rebus, quæ repente euenerunt, idem ordo ſeruandus eſt, neque enim reſpicere oportet ad ea, quæ ſunt infinita, ſed quæ rebus illis adhærent, de quibus eſt oratio: atque illorum plurima colligere, quæ ad rem ipſam quam proximè accedunt.*

COMM. Cum Orator præmeditatus & paratus ad dicēdum uenit, facilius ea, quæ cuiuſque rei propria ſunt, uidere poteſt, & communia, nihilque ad propoſitum facientia prætermittere. ſed cum ei ſubito repenteque dicendum eſt, ut in cauſis & contētionibus ſæpe accidit, tunc maior eſt difficultas. ſed tamen conari debet Orator, ut eundem ordinem ſeruēt, neque ad ea reſpiciat, quæ communia ſunt & infinita, ſed mentem ad ea quam celerrimè conuoluat, quæ cauſæ inhærent, & cum ipſo negocia continentia ſunt. & ex eorum numero quærat ea potiſsimum, quæ cauſæ ſuæ maximè propinqua ſint. hæc autem facultas lōga exercitatione, & magno ingenio indiget. nam (ut ait Craſſus) & animi atque ingenii celeres quidam motus eſſe debent, qui ad excogitandum acuti ſint, & aſsidua ac diligens exercitatio ſcripturaque ſubitam & fortuitā orationē debet præcedere. Omnes enim loci, qui modo inſunt in ea re, de qua dicimus, inquirentibus nobis, omnique acie ingenij contemplantibus oſtendunt ſe, & occurrunt.

TEXT. *Quanto enim plura quis habuerit eorum, quæ rebus adſunt, tanto facilius demonſtrabit: & quanto ea propinquiora fuerint, tanto ad probandum erunt accommodatiora, & minus communia.*

COMM. Oſtendit huius præcepti utilitatem, duo enim ſimul præcepta ſunt. primo vt quamplurima colligantur eorum, quæ cauſæ inhærent, deinde ut ea quamproxima rei ſint. nunc vtriuſque pręcepti rationem adfert. nam quo quis plura colligit argumenta, tanto facilius, quod uult, demonſtrat. ſicuti multi teſtes facilius fidem faciunt. & quãto fuerint argumenta illa magis cauſæ propinqua & affinia, tanto magis erunt apta ad faciendam fidem, cum à communitate diſcedant. communia namq; cum ad plures pertineant, nou poſſunt aliquid de uno facile probare. ut ſiquis Ciceronem laudet, quòd conſul fuerit, hæc non erit propria Ciceronis laus, ſed communis multorum quoniam etiã alij plurimi conſules fuerunt. ſed ſiquis in eo Ciceronem extollat, quod à coniuratione Catilinæ patriam liberarit, id iam erit Cicerouis proprium. idcirco ſolent oratores cũ aliquid amplificare volunt, id oſtendere proprium ac ſingulare eſſe, non commune, ut Cicero pro M. Marcello; nam bellicas laudes ſolent quidam extenuare verbis, eaſque detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propriæ ſint imperatorũ, & certè in armis militum uirtus, locorum opportunitas, auxilia ſociorum, claſſes, commeatus multum iuuant: maximã vero partem quaſi ſuo iure fortuna ſibi uendicat, & quicquid eſt proſperè geſtum, id penè omne ducit ſuum. at uerò huius gloriæ C. Cæſar, quam es paulo ante adeptus ſocium habes neminem, totum hoc quantumcunque eſt, quod certe maximũ eſt, totum eſt (inquam) tuum.

TEXT. *Voca autem communia hoc modo; ut, ſiquis Achillem laudet, quod homo fuerit, & quod ex numero ſemideorum, & quod ad bellum Troianum profectus ſit. hæc enim alijs etiam multis acciderunt: quare qui hæc commemoraret, non magis Achillem, quam Diomedem laudaret.*

COMM. Vt res apertior ſit, & facilius intelligatur, declarat quæ communia vocet, & quæ propria. nam cõmunia ſunt, quæ non uni tantum ſed pluribus cõueniunt. ut ſiquis Achillem laudare velit, & illa tria cõmemoret, primo quòd Achilles homo fuerit, non autem bellua, deinde quòd non ex ignobili genere natus ſit, ſed è numero ſemideorum fuerit, tum quòd ad illud memorabile Troianorum bellum profectus fuerit. certè non erũt hæc Achillis propria, neque Achilles hoc modo ſolus laudabitur, nam alij etiam multi, & homines fuerunt, & heroes, & ad bellum Troianum profecti. ut Diomedes, Aiax, Vlyſſes, Agamemnon. non igitur hæc laus magis ad Achillem pertinet, quam ad eos, qui cum heroes eſſent, in bello uerſati ſunt.

TEXT. *Propria uerò illa dico, quæ nemini alii contigerint; ut quod Hectorem Troianorum optimum interfecerit, & Cygnum, qui cum uulnerari non poſſet, Græcos omnes exire de naui prohibebat; & quod omnium eſſet maximè iuuenis, & quod iureiurando non aſtrictus, ad id bellum profectus ſit, & alia, quæ ſunt huius generis.*

COMM. Quæ uni tantum homini aut rei accidunt illa nocantur propria, quæ veram habent laudem ſi bona ſuut, & honeſta, ueram vituperationem ſi mala, & turpia. quatuor autem Achillis propria commemorat, quibus iure ſolus laudari poteſt. primò quòd Hectorem omnium Troianorũ fortiſſimum & optimum ſingulari certamine congreſſus interfecerit. cum alij ferè omnes eum reformidarent. Secundo, qnod Cygnum Neptuni filium, qui eam à patre virtutem acceperat, vt à nemine vulnerari poſſet, qua fretus in litore conſtiterat, & neminem Græcorum è nauibus exire patiebatur, morti dederit. ſed quomodo necatus fuerit ab Achille Cygnus qui uulnerari non poterat, declarat Ouidius libro Metam. duodecimo his uerſibus;

Quem ſuper impulſum reſupino corpore Cygnum
Vi multa uertit, terræque affixit Achilles,
Tum Clypeo genibuſque premens præcordia duris
Vincla trahit galeæ, quæ preſſo ſubdita mento
Elidunt fauces, & reſpiramen, iterque
Eripiunt animæ.

Tertio proprium Achillis fuit, quòd omnium heroum in bello Troiano maximè iuuenis fuerit. nondum enim lanuginem emiſerat, quo tempore ad bellum profectus eſt. quippe qui matris conſilio muliebri veſte indutus inter puellas Lycomedis regis latebat, ne ad bellũ proficiſceretur. Quarto, quòd poterat bellũ detrectare ſi voluiſſet, quoniam iureiurando non erat aſtrictus ſicut reliqui heroes. tradunt enim Tindarum Helenæ patrem cum videret Helenam filiam ſuam propter pulchritudinem à multis procis expeti, ueritum ne prælium aliquod exitiale naſceretur propter eius nuptias, iureiurando adegiſſe procos omnes, ne armis inter ſe decertarent, ſed ſortes iacerent, & is, cui ſors obtigiſſet, vxorem Helenam haberet. reliqui verò omnes, ſi qua vis Helenæ marito pararetur, auxilium ei ferrent. quam conditionem omnes libenter acceperunt, quoniam vnuſquiſq; ſortem ſibi propitiam augutabatur. itaque iureiurando aſtricti, cum à Paride Helena rapta fuiſſet, ad eam repetendam, aut bello recuperandam venerunt. ſed Achilles cum eſſet adoleſcentulus, neque Helenæ nuptias appetiſſet, eo iureiurando nequaquam aſtrictus fuit. quo fit vt maior eius laus qnam cæterorum heroum fuerit. reliqui enim iuriſiurandi religione compulſi venerũt ad bellum gerendum, Achilles eo vinculo ſolutus, ſua ſponte, quamuis ſibi pereundum eſſe intelligeret, una cum reliquis bellum adminiſtrauit. hæc igitur & huiuſmodi cætera, quæ propria ſunt eius cauſæ, quam tractandam ſuſcepimus, diligenter à nobis inquirenda ſunt.

TEXT. *Atque hic quidem unus eſt ac primus delectus habendi locus, ijs ſimilis, qui in Topicis traduntur.*

COMM. Vnũ iam à ſe locum expoſitum fuiſſe oſtendit, quo docuit, oportere delecta atque parata habere

ea, quæ

ea, quæ in ſingulis rebus ſunt, de quibus dicturi ſumus, ita vt communia prętermittantur, & propria ſumantur. itaque locus hic primus ad delectū habendum pertinet earum rerum, quæ opportunæ ſunt, & ab oratoribus frequēter tractari ſolēt. vocat autem topicum, quia ſimilis eſt eis, de quibus in Topicis agit. nam ars topica Rhetori & Dialectico communis eſt, & æquè tractatur ab vtroque, quod ex Cicerone notiſsimum eſt.

TEXT. *Quæ uerò ſint enthymematum elementa iam dicamus. elementum autem, & locum enthymematis, pro eodem capio.*

COMM. Poſtquam generatim de enthymemate uerba fecit, nūc ad locos ſigillatim explicandos accedit, ſicuti ſupra propoſuerat. neque enim omnia enthymemata in ſingulis locis latent, ſed certa quædam ac propria cuiuſque loci reperiuntur, quę diligenter eruenda ſunt. duo uero nomina ponit, q̄ vult eandem habere ſignificationem, hoc eſt elementum & locum, ſicut etiam Theophraſtus dixit locum eſſe principium & elementum. & Cicero ſecundo de Oratore ſic ait; Neque illa elementa deſiderare, quæ, ut nemo tradat, quis eſt, qui neſciat, quæ ſint in homine laudanda. ſicut enim ex elementis omnia conſtituuntur, ita ex locis enthymemata fiunt.

TEXT. *Primum igitur dicamus, de quibus neceſſe eſt primum dicere. nam enthymematum ſunt ſpecies duæ: quædam enim demonſtrant aliquid eſſe, aut non eſſe; quædam autem refellunt. quæ ita inter ſe differunt, ſicut in Dialecticis elenchus & ſyllogiſmus.*

COMM. Antequā ad locos accedat, prius explicat, quot ſint enthymematum ſpecies. hoc enim prius ſciendum eſt. ut poſtea melius intelligatur, qui nam loci ſint huic uel illi ſpeciei magis accōmodati. duas igitur facit enthymematis ſpecies, quarum altera demonſtrat aliquid eſſe, uel non eſſe. & ideo enthymemata quæ in ea continentur δεικτικὰ, hoc eſt demonſtratiua dicuntur, & uel aientia ſunt uel negantia. altera uero refellit, quę ab aduerſarijs dicta ſunt, & idcirco uocantur hæc enthymemata, ἐλεγκτικὰ, ideſt; redarguentia. atque hæ ſpecies duę ſic inter ſe diſtinguuntur, quemadmodum apud Dialecticos ſyllogiſmus & elēchus. Syllogiſmus enim probat aliquid eſſe uel non eſſe, elenchus autem docet id, quod ab aduerſario dictū eſt, eſſe falſum. Atque enthymema quidem demonſtratiuum & aiens eſt huiuſmodi, ut pro lege Man. hoc bellum maxime ueſtros animos excitare, atque inflammare debet, in quo agitur populi Romani gloria. & illud; Quid quod ſalus ſociorum ſummum in periculum ac diſcrimen uocatur? regno expulſus eſt Ariobarzanes rex ſocius populi R. atque amicus, imminent duo reges toti Aſię non ſolum nobis inimiciſsimi, ſed etiam ueſtris ſociis atque amicis. & pro Q. Ligario; cauſa tum dubia, quòd erat aliquid, in utraque parte quod probari poſſet. nunc ea certè melior eſt exiſtimanda, quam etiam Dij adiuuerunt. enthymema uerò demonſtratiuum & negans eſt eiuſmodi, ut pro lege Man. Neq; enim poteſt exercitum is continere imperator, qui ſeipſum non continet, neque ſeuerus eſſe in iudicādo, qui alios in ſe ſeueros eſſe iudices nō vult. Enthymema redarguens ſeu refellens eſt huiuſmodi. ut pro Milone; Negant intueri lucem fas eſſe ei, qui à ſe hominem occiſum eſſe fateatur; in qua tādem urbe hoc homines ſtultiſsimi diſputant? nēpe in ea, quæ primum iudicium de capite uidit M. Horatij fortiſsimi uiri: qui nondum libera ciuitate, tamen populi R. comitijs liberatus eſt, cum ſua manu ſororem interfectam eſſe fateretur.

TEXT. *At illud enthymema demonſtrare dicitur, quod ex conceſsis propoſitionibus concludit: illud autem refellere dicitur, quod ex propoſitionibus non conceſſis concludit.*

COMM. Declarat utranq; ſpeciem enthymematis quid ſit. & primò demonſtratiuum enthymema dicit illud eſſe, quod fit ex propoſitionibus, quibus aſſentitur is, quo cum diſputamus, & quæ multorum opinionibus conueniunt, ut, ſi feræ partus ſuos diligunt: qua nos in liberos noſtros indulgentia eſſe debemus? ſi pietati ſumma tribuenda laus eſt, debetis moueri cum Q. Metellum tam pie lugere uideatis. pro Milone, Liberæ ſunt cogitationes noſtræ, & quæ uolunt, ſic intuentur, ut ea cernimus quæ uidemus. at uerò Enthymema redarguens illud eſſe dicit, quod ex propoſitionibus fit, quæ nō conceduntur, ut pro Milone; Nam quid eſſet ingratius, quam lætari cęteros, lugere eum ſolum, propter quem cæteri lætarentur? & alibi; excitare eum, ſi poteſtis, ab inferis, frangetis impetum uiui, cuius uix ſuſtinetis furias inſepulti. item alibi; cius igitur mortis ſedetis ultores, cuius uitam ſi putetis per uos reſtitui poſſe nolitis?

TEXT. *Ac iam ferè ſingulis in dicendi generibus declarati ſunt à nobis utiles ac neceſſarij loci. nam in unoquoque genere delecta ſunt à nobis propoſitiones; & oſtenſum ex quibus locis argumenta ſumantur de bono & malo, de honeſto & turpi, de iuſto & iniuſto. quin etiam de moribus & animi commotionibus, & habitibus eodem modo locos antea declarauimus.*

COMM. Enthymematum loci ita diſtinguuntur ut alij ſint proprij, alij communes, & proprij quidem illi dicuntur, qui ad unum aliquod dicendi genus pertinent, ut ad demonſtratiuum, aut iudiciale, uel ad unam aliquam animi commotionem ſiue excitandam ſiue ſedandam, ut iram, aut inuidiam, uel ad unam aliquam ætatem ſeu conditionem ut adoleſcentiam, nobilitatem. communes autem loci dicuntur ij, unde poſſunt argumenta deduci, q̄ non ad hoc aut illud tantum dicendi genus pertinent, ſed communiter ad omnia. ſed de proprijs locis iam ſatis multa uerba fecit Ariſtoteles. nam in primo libro docuit, quomodo propoſitiones in unoquoque dicendi genere poſsint inueniri, ut in deliberatiuo genere de bono & malo, in demonſtratiuo, de honeſto & turpi, in iudiciali, de iuſto & iniuſto. in hoc autem ſecundo libro de commotionibus animi, & de moribus cuiuſque ætatis & ordinis copioſè locutus eſt. itaque propriorum

argu-

argumentorum ſedes iam ſatis explicatæ ſunt. ſupereſt ut etiam de communibus dicatur.

TEXT. *Nunc uero alio modo generatim atque uniuersè de omnibus agamus; & dicamus accuratè, qui loci ſint ad refellendum, & qui ad demonſtrandum accommodati: nec non unde ducantur ea, quæ ſpeciem quidem habent enthymematum, licet re uera non ſint enthymemata, quoniam neque ſyllogiſmi ſunt. His autem declaratis, definiemus etiam unde ſolutiones, & obiectiones ad argumenta labefactanda ſumi poſſint.*

COMM. Proponit omnia quæ deinceps hoc in ſecundo libro tractaturus eſt, quæ tria ſunt. primo enim generatim ſe traditurum pollicetur locos ac ſedes argumentorum omnium, quę uel ad confirmandas rationes noſtras, uel ad refellẽdos aduerſarios accommodata ſunt. deinde, quia quędam ſunt quaſi argumenta, quę ſpeciem habent enthymematũ, quamuis re uera non ſint enthymemata, quoniam neque ſyllogiſmi ſunt, ait ſe declaraturũ unde huiuſmodi argumenta deducantur, & quomodo cognoſci atque intelligi poſsint, poſtremò reliquis iam expoſitis, ſpondet ſe patefacturum rationem, qua diſſolui poſsint aduerſariorum argumenta, atque illis occurri, ne quod uelint, colligant. magna enim uis artis oratoriæ pendet ab hac ratione, ut aduerſariorum argumentis occurrere, atque ea labefactare ualeamus. quod optimè M. Antonium feciſſe teſtis eſt Cicero. ſic enim primo de Orat. Craſſum cum Antonio loquentem inducit; atque haud ſcio an aliter ſentias, & utare tua illa mirifica ad refellendum conſuetudine: qua tibi nemo vnquam prçſtitit.

TEXT. *Atque unus quidem eorum, quæ demonſtrant enthymematum locus eſt à contrarijs. Spectare enim oportet, an contrario contrarium inſit: nam ſi non inſit, erit negandum; ſi autem inſit, erit affirmandum; ut ſiquis probet temperate uiuere bonum eſſe, quoniam intemperantem agere uitam noxium eſt.*

COMM. Primus hic locus utiliſsimus & frequẽtiſsimus eſt à contrarijs, & magnam habet in dicendo non ſolum uim, ſed etiam uenuſtatem. verum quoties à contrarijs argumentari uolumus diligenter uidere oportet, an contrario contrarium inſit, ut ſi probare uolumus, uoluptatem eſſe bonam, uidendum eſt, an dolor ſit malus. nam ſi ita ſit, confirmare poterimus, ſi uerò contrarium non erit in contrario, non affirmare, ſed negare debemus. ut ſiquis dicat pacem ſemper eſſe expetendam, quod bellum ſemper fugiendum ſit. hoc enim facile refellemus hoc modo, cum bellum aliquando neceſſarium ſit, non eſt pax ſemper expetenda. Ariſtoteles quatuor exemplis utitur, quorum primum illud eſt; utile eſt temperate uiuere, quoniam agere uitam intemperantem noxium eſt. Quintilianus libro quinto ſic ait; frugalitas bonum, luxuria n. malum. Cicero in topicis ait enthymemata quæ fiunt ex contrarijs acutiſsima eſſe, atque ideo ſola propriè nomen commune poſsidere, eius (inquit) generis, hæc ſunt;

Hunc metuere, alterum in metu non ponere.
Eam quam nihil accuſas damnas,
Bene quam meritam eſſe autumas, dicis male mereri. in orationibus frequentiſsimè à contrariis argumenta ducit Cicero, ut pro Milone; Quonam modo ille uos uiuus afficeret, qui mortuus inani cogitatione percuſsit? item; Nemo ei neganti non crediſſet, quem eſſe omnes ſaluum etiam confitentem uolunt. item, Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc uoluit cum aliquorum querela? quem iure, quem loco, quem tẽpore, quem impune non eſt auſus, hunc iniuria iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitauit occidere? item, Quæ fuiſſet igitur iuſta cauſa reſtituendi mei, niſi fuiſſet iniuſta eijciendi? frequenter etiã inter ſe contraria in oratione elegantiſsime opponuntur. ut in Catilinam; hoc uerò quis ferre poſſit inertes homines fortiſsimis uiris inſidiari? ſtultiſsimos prudentiſsimis, ebrioſos ſobrijs, dormiẽtes uigilantibus? item; Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc ſtuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc ſcelus: hinc conſtantia, illinc furor: hinc honeſtas, illinc turpitudo: hinc continentia, illinc libido: denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, uirtutes omnes, certant, cum iniquitate, cum luxuria, cum ignauia, cum temeritate, cum uitijs omnibus. ſed hæc (ut dixi) frequentiſsima ſunt.

Vel, quemadmodum in oratione Meſſeniaca; Nam ſi bellum præſentium malorum cauſa eſt, ea per pacem emendare ac corrigere opus eſt. TEXT.

COMM. Alterum exemplum à contrarijs, ſumptum ex oratione quam Alcidamas orator apud Meſſenios ſiue Mamertinos habuit, in qua pacem eis ſuadere ſtudebat, de Alcidamante iam in primo libro dictum eſt, exemplum uerò eſt apertiſsimum, quod ita Quintilianus libro quinto conuertit, ſi malorum cauſa bellum eſt, erit emendatio, pax. Qui igitur pacem ſuadere uult, enumeret mala quę ex bello proueniunt, & bona quæ ex pace, ſic enim à contrariis facile quod vult, probare poterit.

Et illud; TEXT.

Si iniuſta in illum eſt omnis iracundia,
Qui quempiam læſit per imprudentiam;
Non eſt habenda ei ulla iure gratia,
Neceſſitate qui coactus profuit.

COMM. Tertium exemplum à poeta neſcio quo ſumptum, quatuor ſenarios uerſus complectitur, ſanè per quam elegantes, vt ex Sophoclis aut Euripidis officina profecti uideantur, locum tamen adhuc unde ſumpti ſint, reperire non potui, ſententiam eorum breuiter ita Quintilianus interpretatus eſt; Si ueniam meretur, qui imprudẽs nocuit, non meretur præmium qui imprudens profuit. nos in his uerſibus uertendis, & numeros & figuras latinè exprimere conati ſumus. Sunt autem in hoc exemplo tria contrariorum paria, quæ inter ſe concinne conferuntur, prudens imprudens, lę-

dere

dere prodeſſe, pœna pręmium. ab his tota uis argumenti pendet hoc modo; cum aliquis Imprudens quempiam lædit, non eſt pœna dignus, ergo etiam, cum aliquis prudens cogitur alicui prodeſſe; non eſt præmio dignus. Volunt enim imprudentiam interdũ excuſari, unde Teré. in Eun. Si id eſt peccatum, peccatum imprudentia eſt Poetæ: non qui furtum facere ſtuduerit.

TEXT. *Et illud;*
Falſum quod eſt, ut ſæpe ſit probabile
Dicendo; ſic plerunque contra uſu uenit,
Vt uera non queant probari ullo modo.

COMM. Quartum & ultimum exemplum à contrariis tribus ſenariis continetur, quorum hic ſenſus eſt, quemadmodum accidit interdum ut ea, quæ falſa ſunt, dicendo probabilia fiant, ita nõnnunquam accidit, ut quæ uera ſunt, nullo modo probari poſſint. ſunt enim hæc inter ſe contraria, falſa uera, probari non probari. Cicero in Topicis quatuor genera contrariorum facit, primum eorum, quæ in eodem genere plurimum differunt, ut ſapientia ſtultitia, tarditas celeritas, candidum nigrum, quæ proprio nomine aduerſa dicũtur. ſecundum genus eſt eorum, quę priuantia dicuntur à Græcis στερητικὰ: vt, dignitas indignitas, uiſus cæcitas. Tertium eorum, quæ cum aliquo conferuntur, ut duplum ſimplum, multa pauca, longũ breue, maius minus. Quartum eorum, quæ negantia uocantur, à Græcis ἀποφατικὰ, contraria aientibus, ut, ſi hoc eſt, illud non eſt. horum omnium contrariorum eſt eadem ratio, atque doctrina, & orationem maximè illuſtrare, atq; exornare ſolent. quocirca frequenter à bonis oratoribus vſurpantur.

TEXT. *Alius locus eſt à caſibus ſimilibus; nam eodem modo uel ineſſe, uel non ineſſe oportet: ut, ſiquis probare uelit, non omne iuſtum eſſe bonum, nam etiam quicquid iuſtè fit, bonum eſt. nunc autem iuſtè mori non eſt expetendum.*

COMM. De hoc loco nonnulla dicta ſunt in primo libro, cum de comparatione bonorum uerba fierẽt, ubi Ariſtoteles poſuit hoc exemplum; Si fortiter ſe gerere pulchrius, & magis expetendum eſt, quã temperanter, etiam fortitudo magis erit expetenda, quam temperantia. uocat autem Ariſtoteles caſus ſimiles, quæ coniugata dicuntur à Cicerone, hoc eſt ea, quæ orta ab uno uariè commutantur, ut, ſapiens, ſapientia, ſapienter. unde huiuſcemodi eſt argumentum, ſi compaſcuus eſt ager, ius eſt compaſcere. M. Antonius ſecundo de Orat. ponit hoc exemplum; Si pietati ſumma tribuenda laus eſt, debetis moueri, cum Q. Metellum tam piè lugere uideatis. Terentius in Heauton. ita argumẽtatur ab hoc loco; Homo ſum, humani nihil alienum à me puto. exemplum Ariſtotelis probat à coniugatis, nõ omne iuſtum eſſe bonum. hoc modo; Si omne iuſtum eſt bonum, ergo quicquid iuſtè fit bonum. Sed iuſtè mori non eſt bonum, nõ igitur omne iuſtum eſt bonum. quod autem iuſtè mori non ſit bonum, probatur, quia non eſt expetendum. melius eſt enim iniuſtè condemnari & mori, quam iuſtè. unde Socrates cum uxor eius maximè lamentaretur, quòd ad mortem iniuſtè condemnatus fuiſſet. ò ſtulta (inquit) mulier, an malles me iuſtè fuiſſe condemnatum? præſtat igitur iniuſtè mori, quam iuſto ſupplicio affici.

TEXT. *Alius locus eſt ab iis, quæ ſub eandem rationem cadunt. nam ſi eorum alteri contigerit uel honeſtè, uel iuſtè aliquid facere, etiam alteri perpeti. & ſi uni iuſſiſſe, etiam alteri paruiſſe: ut Diomedon publicanus de uectigalibus dixit, Si enim uobis ea uendere, non turpe eſt, neque uobis emere.*

COMM. Sunt quædam uocabula inter ſe ita affecta, ut unum ſine altero neque eſſe, neque intelligi poſſit, quæ Gręcè dicuntur πρός τι, uel πρὸς ἄλληλα. Cicero uocat ea, quæ cum aliquo conferuntur, uel q̃ ſub eandem rationem cadunt, ut in nominibus, pater filius, dominus ſeruus, diſcipulus magiſter: in verbis, emere uendere, dare accipere, locare conducere, in aduerbiis citò ſerò, ſæpe rarò, cuius generis ſunt omnia etiam comparatiua, ut magis minus, quæ inter ſe conferuntur. Ex horũ genere plurima ſunt eiuſdem rationis & quaſi æqualia inter ſe, ut quod uni conuenit, etiam alteri conueniat, & ſi alteri contigerit honeſte quippiam facere, ẽt alteri contingat honeſte perpeti. & ſi alteri iubere fas eſt, etiam alteri parere. quod exemplo declarat Ariſtoteles. quidam publicanus nomine Diomedon reprehendebatur, quod redimendis publicis uectigalibus rem familiarem amplificaret. is uero pro ſe, ſuoq; ordine uerba faciens, ita ſe defendit, argumento ſumpto ab iis, quæ ſub eandem rationem cadunt; Si uobis ò ciues non turpe eſt uectigalia uendere, neque nobis publicanis ea emere turpe erit. hoc exemplum uidetur expreſsiſſe, uel ſaltem imitatus eſſe Cicero primo de Inuentione, vbi ita ait; In iis rebus, quę ſub eandẽ rationem cadunt, hoc modo probabile conſideratur; Nam ſi Rhodiis turpe non eſt portorium locare, nec Hermacreonti quidem turpe eſt conducere. Cicero in Oratore ad Brutum ita argumentatur ab hoc loco; cur aut diſcere turpe eſt, quod ſcire honeſtum eſt, aut quod noſſe pulcherrimum eſt, id non glorioſum docere? pro M. Marcello, ex quo profecto intelligis, quanta in dato beneficio ſit laus; cum in accepto tanta ſit gloria.

TEXT. *Et, ſi, qui damnum accepit, honeſtè, & iuſtè multatus eſt; ita etiam qui damnum illud dedit: & contrà, ſi, qui damnum dedit, honeſtè & iuſtè fecit, ita etiam qui paſſus eſt.*

COMM. Alterum exemplum ab eodem loco, quo docet hęc quæ ſub eandem rationem cadunt, inter ſe cõuerti & reciprocari, atque uiciſsim retro commeare. nam hæc duo; damnum dare, & damnum accipere, ſub eandem rationem cadunt. ponamus ergo aliquem damnum accepiſſe, idque iuſtè & honeſtè, ut ſiquis maleficii conuictus, in carcerẽ cõiectus fuerit, & pecuniis multatus à Prætore, certè non erit dubitandum quin Prætor iuſtè & honeſtè damnum illud dederit. eodem modo contra, ſi iuſtè populus Romanus Corinthum euertit, &

tit, & Corinthiorum bona diripuit, quòd ius gentium violaſſent pulſatis Romanorũ legatis, iuſtè etiam Corinthij euerſionem vrbis & direptionẽ paſsi ſunt. idem etiam in præmijs ualebit, ut ſi laudabile fuit Pompeio Cor. Balbum Romana ciuitate donare, propter eius virtutem, etiam Cor. Balbo ciuem Romanum à Pompeio fieri laudabile fuit.

TEXT. *Sed hoc in loco poteſt exiſtere captio: ſi enim quiſpiam iuſtè necatus eſt, etiam iuſtè paſſus eſt; uerum à te fortaſſe pati non debuit. atque ideo ſeparatim conſiderare oportet, an qui paſſus eſt, pati dignus erat, & qui fecit, facere debebat: deinde ita eis uti, ſicuti cauſa poſtulat.*

COMM. Hęc admonitio eſt ne quando in captionem incidamus. quoniã non cuiuslibet hominis eſt, maleficij animaduerſio, neque cum aliquis necari dignus eſt, à quouis homine iuſtè poteſt interfici. ut ſi Oreſtes accuſetur, quod Clytemneſtram matrem interfecerit; atque is ita ſe defendat, illa digna erat, quæ interficeretur, quoniam & adultera fuit, & patrem meum Agamemnonem impie trucidauit. hæc concedere poterit accuſator, ſed tamẽ ita crimen intendere; quamuis illa mori digna eſſet, non tamen à te filio mater interfici debebat. hac diſtinctione utitur Thais meretrix apud Terentium in Eunucho, ubi ita Chęream reprehendit, quòd virginem vitiaſſet; Non te dignum Cheręa feciſti, nam ſi ego digna hac contumelia ſum maximè, at tu indignus, qui faceres tamen. oportet igitur (inquit Ariſtoteles) iſta ſeparatim conſiderare, utrum qui paſſus eſt, pati dignus erat, & qui fecit, facere debebat. nam ſi hæc benè intellexerimus, facile poterimus etiam, quid cauſa poſtulet, intelligere.

TEXT. *Nam interdum hæc inter ſe diſcrepant; neq; quicquam prohibet, quin diſcrepare poſsint: ut in Alcmæone Theodectis;*

Quis non tuæ ſcelus parentis oderat? at ille reſpondit, oportere ſeorſum hæc diſtinctéque conſiderare: tumque Alpheſibæa rogaret, quo modo? ſubiunxit ille;

Dignam mori illam cenſuerunt, non tamen
A me necari debuiſſe.

COMM. Probat exemplo, quod dixerat, non à quolibet hominem conſceleratum & mori dignum, occidi iuſtè poſſe. facile enim accidere poteſt, ut hæc inter ſe diſcrepẽt, quis, & à quo occidatur. vt in Tragœdia Theodectis, quæ Alcmæon inſcribitur, intelligi poteſt. nam Theodectes Ariſtotelis ſocius etiam arti poeticæ operam dedit, & Tragicus pöeta fuit. ſcribit enim Stephanus de Vrbibus quinquaginta fabulas à Theodecte fuiſſe editas. inter quas fuit etiam Alcmæon. tradunt ab Alcmæone matrem Eriphilen interfectam fuiſſe, quoniam illa patrem Alcmæonis ac maritum ſuum Amphiaraum latentem Adraſto indicarit, cum is ad bellũ Thebanum proficiſceretur, & Amphiaraum uatẽ ſecum habere uellet. nam Amphiaraus præuiderat fore, ſi ad bellum iret, vt terra abſorberetur, atque ideo latitabat. uxor autem eius Eriphile capta deſiderio monilis aurei, quod Adraſti filia collo ſuſpenſum geſtabat, pollicita eſt, ſe maritum indicaturã, ſi monile illud ſibi donaretur. quod ſtatim Adraſtus fecit. atque ita coactus eſt Amphiaraus ad id bellum proficiſci, ubi terra abſorptus eſt. ſed prius Alcmæonem filium de fraude matris certiorem fecit, & ut iniurias ſuas vlciſceretur imperauit. Alcmæon igitur poſtquam audiuit patrẽ interiiſſe, confeſtim matrem aggreditur, atque illam obtruncat, de qua ſic ait Virgilius in ſexto,

męſtamque Eriphilen crudelis nati monſtrantem vulnera cernit. poſtea cum eſſet condemnatus de parricidio, & aufugiſſet ad fluuium Phegeum, interrogatus eſt ab Alpheſibæa Phegei filia, cur condemnatus fuiſſet à iudicibus; cùm omnes mortales ſcelus matris eius odio proſequerentur? & meritò necatam fuiſſe cenſerent. reſpõdit Alcmæon, hæc diſtinctè & ſeorſum conſideranda eſſe. cumque iterum inſtaret Alpheſibea, quomodo ſint hęc diſtinguẽda, ſubiunxit Alcmæon, Iudices quidem cenſuiſſe dignam fuiſſe Eriphilem, quæ necaretur, ſed non tamen à filio necari debuiſſe: atque ideo dixit ea uerba;

Dignam mori illam cenſuerunt, non tamen
A me necari debuiſſe.

Et quemadmodum in iudicio Demoſthenis, & eorũ qui Nicanorem occiderant; poſtquam enim iuſtè interfeciſſe iudicati ſunt, etiam ille iuſtè necatus exiſtimatus eſt. TEXT.

Exemplũ hoc apertiſsimũ eſt, licet hiſtoria nõ ſatis nota ſit, quia non conſtat, quinam fuerit ille Nicanor interfectus. neque utrum Demoſthenes hic fuerit ille princeps oratorum, an alius quiſpiã. quoniam multi Demoſthenes celebrantur. ſed (ut dixi) ſenſus eſt apertiſsimus. cum enim Nicanor interfectus fuiſſet, in iudicium uocati ſunt eius interfectores, tanquam rei de cede. Demoſthenes autem eos defendebat. accuſatores aſſerebant Nicanorem iniuſtè impieq; cæſum fuiſſe. Demoſthenes contra dicebat eos, qui Nicanorem interfecerant, iuſtã & legitimam eius interficiendi cauſam habuiſſe, idque multis argumentis comprobauit. itaque cũ illi crimine cædis abſoluti fuiſſent, ſimul etiã iudicatum fuit, Nicanorẽ iure necatũ fuiſſe. eadẽ fuit cauſa Cœlii Plocii, quẽ C. Marius Imperator abſoluit, & iuſte feciſſe iudicauit cũ Cluſium interfeciſſet, Cluſiũque ſororis ſuæ filiũ tribunũ militũ iure cæſum pronunciauit, quia Cœliũ de ſtupro cõpellare auſus fuerat: de quo ita Cicero pro Milone; Pudicitiam cũ eriperet militi Tribunus militaris in exercitu C. Marii propinquus eius imperatoris, interfectus ab eo eſt, cui vim afferebat. facere enim probus adoleſcens periculosè, quàm perpeti turpiter maluit: atque hunc ille uir ſummus ſcelere ſolutum periculo liberauit. COMM.

Et de illo, qui Thebis necatus eſt, de quo iudicium eſt conſtitutum, utrum mori dignus eſſet, tanquam nõ iniuſtum ſit, eum interficere, qui mori dignus ſit. TEXT.

Vtitur

Vtitur Ariſtoteles recenti exemplo, quod paulo ante acciderat, quam hæc ſcriberet. quidam dicunt Timolaum Thebanum mercede corruptum à Philippo Macedoniæ rege, Thebanorum Rép. prodidiſſe. poſtea uerò de illo fuiſſe judicium conſtitutum, utrũ propter illam proditionem morte dignus uideretur. & cum in eum pronuntiatum fuiſſet, & dignus morte judicatus, nenia illi data eſt, à quo fuerat interfectus. ſtatuerunt enim illi Iudices, non eſſe contra iuſtitiam, eum hominem interficere, qui ea commiſit, propter quæ mori debeat. hoc eſt quod etiam Cicero pro Milone ait; Inſidiatori verò & latroni quæ poteſt adferri iniuſta nex?

TEXT. *Alius locus eſt ex maiore, & minore: ut, Si ne dij quidem omnia ſciunt, multò minus homines. hoc autem eſt eiuſmodi; Si res non ineſt in eo, in quo magis eſſe deberet, perſpicuum eſt, neque in eo eſſe, in quo minus eſſe debet.*

COMM. Hic locus à Cicerone dicitur, ex comparatione maiorum, aut parium, aut minorum, & eſt frequẽtiſsimus apud oratores, quoniam omnia exempla complectitur. nam omne exemplum aut eſt maius, aut par, aut minus. itaque triplex eſt hic locus, uel enim à maiore, uel à pari, uel à minore licet argumentari. atque à maiore quidem hoc modo, Si Dei non habent rerum omnium ſcientiam, multo minus homines. uis autem huius argumentationis ab hac ratione pendet, quando res non eſt in eo, in quo magis eſſe deberet, neque in eo erit, in quo minus eſſe debet. Vt ſi Annibal imperator præſtantiſsimus imperium romanũ euertere non potuit, multo minus Antiochus rex delicijs deditus illud euertet. ita Cicero, Cæſarem perferre nõ potuimus & Antonium perferemus? vocat Ariſtoteles argumentum à maiore cum negatur Antecedens, quod frequentius eſt, & magis probabile, ut etiam conſequens tollatur, ut, ſi conſuli non licet iniuſsi populi legem aliquam abrogare, neq; prætori licebit; à minore uero uocat, quoties antecedens affirmatur. quod rarius eſt, & minus probabile, ut etiam conſequens affirmetur. ut Qui fallere conſueuit patrem, tanto magis audebit cæteros. Qui ſacrilegium ſecit, faciet & furtum. Omnium eſt communis inimicus, qui fuit hoſtis ſuorum. hęc eſt Ariſtotelis ſententia, ut à maiore dicatur, quod eſt frequentius, & magis probabile. à minore uero, quod eſt rarius & minus probabile. ſed Cicero aliter ſentit, nam à maiore uocat, quod magis eſt uel improbandum uel laudandum, à minore uero quod minus uel improbandum uel laudãdum eſt. itaque eadem argumẽtatio Ariſtoteli erit à minore, & Ciceroni à maiore, quoniã diuerſam rationem ſequuntur, ut illud Terentij; Qui fallere conſueuit patrem tanto magis audebit cæteros, Ciceroni eſt à maiore, quoniam maius flagitium eſt fallere patrem, quam Cæteros. Ariſtoteli uero eſt à minore. quia minus probabile eſt, & rarius accidit, ut quis patrem fallat, quam cęteros. & hoc eſt, quod ſubiungit Ariſtoteles.

TEXT. *Illud autem, Qui patrem cedit, etiam propinquos cæderet, ex minore eſt: nam ſi id ineſt, quod minus eſſe debet, etiam id inerit, quod magis eſſe conſueuit.*

COMM. Hoc argumentum ſi flagitium reſpicias, erit à maiore. quoniam maius peccatum eſt, patrem cędere, quam propinquos. ſed ſi reſpicias probabilitatem & conſuetudinem, erit à minore, quoniam minus probabile eſt, & rarius fit ut quis patrem cędat, quam ut propinquos. & hoc eſt, quod ſequitur Ariſtoteles. quoties enim ineſt in aliqua re aut homine id quod minus debet eſſe, inerit etiã id quod magis eſſe ſolet. ut Terentius in Andria; Hic paruæ conſuetudinis gratia mortem huius fert tã familiariter; quid ſi ipſe amaſſet? quid mihi hic faciet patri? Cicero pro lege Man. Ius legationis uerbo uiolatũ illi perſecuti ſunt, uos Legatũ populi Romani omni ſupplicio interfectũ inultũ relinquetis? in Verrem 3. Quid putãdum eſt Verrem in Sicilia, & externis locis feciſſe, qui Romæ tam improbè latrocinatus eſt?

TEXT. *Hic autem locus in utranque partem ualet, ſiue rem ineſſe demonſtrandum eſt, ſiue non ineſſe.*

COMM. Locus ex comparatione ualet ad confirmandũ & negandum, ſiue ex maiore ſiue ex minore ducatur. ad confirmandum ut Cicero pro Milone, Etenim ſi in gladiatoris pugnis, & in infimi generis hominum conditione atque fortuna timidos & ſupplices, & ut uiuere liceat, obſecrãtes, etiã odiſſe ſolemus, fortes & animoſos, & ſe acriter ipſi morti offerentes ſeruare cupimus, eorumque nos magis miſeret, qui noſtram miſericordiã non requirunt, quam qui illam efflagitant: quanto hoc magis in fortiſsimis ducibus facere debemus? pro Q. Ligario, Quam multi eſſent de uictoribus qui te crudelem eſſe uellent, cum etiam de uictis reperiantur? Sexta in Verrem, Etenim ſi Athenienſiũ ſacra ſumma cupiditate expetũtur, ad quos Ceres in illo errore ueniſſe dicitur frugesque attuliſſe, quantam eſſe religionem conuenit eorum, apud quos eam natam eſſe, & fruges inueniſſe conſtat? ad negandum ualet etiam hęc argumentatio, ut tertia Philippica, L. Brutus regem ſuperbũ nõ tulit, Decimus ſceleratum atque impium regnare patietur? pro L. Man. illi libertatem ciuium imminutam non tulerunt, vos uitam ereptam negligetis? Verres ciuibus Romanis non pepercit, ergo multò minus cæteris.

TEXT. *Item etiam ſi neque magis neque minus. unde illud dictum eſt.*

Dicendus eſt ergo miſer parens tuus,
Qui filios amiſerit, non autem erit
Oeneus miſer, cui Græciæ flos totius
Extinctus eſt natus.

COMM. In comparatione ſpectantur etiam quæ paria ſunt. quando alterum neque magis neque minus altero eſt, ut illud apud Virgilium. 4. Aeneidos,

-- ſi te Carthaginis altæ
Phœniſſam, Libycæq; aſpectus detinet urbis,
Quæ tandem Auſonia Teucros conſidere terra

Inuidia

Inuidia eſt? & nos fax extera quærere regna. Cicero in Topicis, ſi conſilio iuuare ciues & auxilio æqua in laude ponendum eſt; pari gloria debent eſſe ij, qui conſulunt, & ij, qui defendunt. tale eſt illud, Qui ob rem iudicandam pecuniam accepit, etiam ob dicendum falſum teſtimoniũ accipiet. Ariſtoteles multis exemplis utitur, quorum primum è Tragædia ſumptum eſt, ſunt autẽ duo ſenarij integri, & dimidiatus unus in Græco exẽplari, ſed nos in tres cum dimidio uertimus, ut cõmodius ſenſũ aperiremus. Fabula eſt huiuſmodi. Cum ingens aper Calydoniam regionem deuaſtaret, multi robuſti iuuenes ad uenationẽ eius congregati ſunt. inter quos fuit ẽt Atalanta uirgo, à Meleagro Oenei filio adamata. quæ prima ferum illũ aprũ vulnerauit. Itaque cum Meleager aprum poſtea confodiſſet, caput eius abſciſſum Atalantæ donauit honoris gratia, tanquam illa mortis apri cauſa fuiſſet. Verum duo iuuenes Thoxeus & Plexippus auunculi Meleagri, qui venationi interfuerãt, ægrè ferentes honorem cũ Atalantæ dari, caput apri per uim illi eripuerunt. quo facto tantopere Meleager exarſit, ut ambos auũculos interfecerit. hoc cum Althæa Meleagri mater audiuiſſet, vtroque fratre priuata filiũ ſuũ diris imprecationibus inſecuta ad mortem impulit. poſt Meleagri mortẽ Althæa Theſtium parẽtem ſuum omnium miſerrimum eſſe dicebat, quod filios ſuos amiſiſſet. cui quidã in Tragædia reſpondit, etiã Oeneũ Meleagri patrẽ eſſe miſerum, quod filio præſtanti virtute fuiſſet orbatus. eſt igitur argumentum ex comparatione parium, hoc modo; ſi Theſtius miſer dicendus eſt, qui filios amiſit duos, quos ſolos habebat, etiam Oeneus miſer eſt dicendus, qui cũ vnicum haberet filium, eo priuatus eſt.

TEXT. *Et ſi non iniuſtè geſſit Theſeus, neque Alexander.*

COMM. Alterum exemplũ ex parium comparatione. Si quis Paridem Priami filiũ, qui Alexander etiam dictus fuit, defendere uellet, quod Helenam rapuerit, poſſet exemplo Theſei, qui eandem Helenam antea rapuerat, hoc modo argumentari; ſi Theſeus cum Helenã rapuit, non ſe iniuſtè geſsit, ergo neque Paris iniuſtè ſe geſsiſſe exiſtimandus eſt, cum eandẽ Helenam rapuerit. Plutarchus in Theſei uita narrat, quemadmodum Theſeus Helenam adhuc puellam, & nondum maturam uiro rapuerit, & quemadmodum à Tyndaridis fratribus bello fuerit repetita. quod etiam Iſocrates in Encomio Helenæ affirmat.

TEXT. *Et ſi Tyndaridæ non iniuſtè geßerunt, neque Alexander.*

COMM. Tyndaridæ fratres Helenæ, Caſtor & Pollux duas puellas Leucippij filias, hoc ẽ Phœbẽ & Elairã rapuerũt, ſicuti Stephanus de urbibus teſtatur. Itaque eorum exemplo Paris defendi poteſt. nam ſi Caſtor & Pollux nõ iniuſtè duas puellas rapuerunt, ergo neque Alexander eorum ſororem Helenam iniuſtè rapuit. cum enim par ſit crimen, pariter etiam omnes uel abſolui, uel condemnari debent. ſed cum Tyndaridæ in Deorum numerũ recepti fuerint, nihil iniuſte geſsiſſe debent exiſtimari.

Et ſi Hector iuſtè Patroclum interemit, etiam Achillem Alexander. TEXT.

COMM. Achilles à Paride per dolũ hoc modo fuit interfectus. poſt mortem Hectoris & Troili filiorum Priami petiuerunt inducias Troiani ut cadauera ſuorum ſepelirent. quas cum Græci conceſsiſſent, Achilles uidit Polyxenã virginem pulcherrimam Priami filiam, cujus amore ſtatim captus eſt. hoc cum Hecuba Priami uxor perſenſiſſet, pollicita eſt ſe daturam Achilli filiam in uxorem ſi à bello abſtineret. Achilles iuuenis & cupidus, nocte quadam ex compoſito uenit in Apollinis templũ, ubi promiſerat Hecuba, ſe cũ filia Polyxena præſtolaturam. ſed cum templum ingreſſus fuiſſet Achilles, & ſupplex Deum adoraret, Alexander, qui latebat in inſidiis eum ſagitta confixit, atq; ita mortuus eſt Achilles. tradunt autem Apollinẽ Achilli iratum propter cædem Hectoris direxiſſe ſagittam Paridis in Achillis corpus: de qua re ſic Virgilius in Sexto;

Phœbe graues Troiæ ſemper miſerate labores
Dardana qui Paridi direxti tela, manuſque
Corpus in Aeacidæ.

Iam uero quemadmodũ ab Hectore Patroclus interfectus fuerit, notiſsimum eſt. cũ enim propter abductã ab Agamennone Briſeidem iratus Achilles bello abſtineret, Patroclus vt Troianos perterrefaceret, armis Achillis indutus in mediũ proceſsit. verũ Hector intrepidus putans eum Achillẽ eſſe cõminus congreſſus interemit. licet igitur ita Alexandrum defendere; Si Hector Patroclum hoſtẽ iuſtè necauit, ut patriã conſeruaret, etiam Alexander Achillem iuſtè interfecit. eadẽ enim fuit utriuſque cauſa, quãuis aliter uterque rem geſſerit. Hector enim apertè, atque ex congreſſu Patroclum ſuſtulit. Alexander occultè atque ex inſidiis Achillem occidit. ſed dolus an uirtus quis in hoſte requirat?

Et ſi alij artifices non ſunt improbi, neque philoſophi. TEXT.

Multi fuerunt, qui philoſophiã improbarent, & Philoſophos ignauos, deſides, & inutiles Reip. dicerent. ſicut in Theæteto Socrates oſtendit, & in Gorgia Callicles ſentit. nonnulli etiã tanquam impios damnarunt philoſophos, unde Cicero primo de Inuentione inter argumenta uerisſimilia ponit etiam illud; Eos, qui Philoſophiæ dant operam, non putare Deos eſſe. qui ergo probare uult Philoſophos non eſſe improbos, ſi poterit ex comparatione parium ita argumentari, Si cæteri artifices non ſunt improbandi, neque Philoſophi improbari debent, qui liberales artes profitentur. COMM.

Et ſi imperatores non habentur mali, quamuis ſæpe uincantur, ita neque Sophiſtæ. TEXT.

COMM. Sicut imperatores in bello pro victoria dimicãt, ita etiã Sophiſtæ in diſputando. ſed interdum accidit, ut imperatores, quamuis egregii ſint, tamen belli offenſionẽ accipiant, & Sophiſtæ in di-

ſputando

ſputando licet acuti ſint, interdũ tamen ſuperantur. procedit igitur argumentum à pari; hoc modo; Si malus non habetur is imperator, qui cum ſępe fuerit uictor, ſemel ab hoſte ſuperatur, neque ſophiſta malus haberi debet, quamuis nonnunquam in diſputando vincatur.

TEXT. *Si priuatus quiſque gloriæ ueſtræ debet eſſe ſtudioſus, etiam nos Græcorum gloriam curare debetis.*

COMM. Siquis Athenienſibus, uel alicui alij græcæ ciuitati perſuadere uellet, ut omnium græcorum gloriam, ſtudioſè curarent, poſſet hoc argumento à pari ſumpto id facere, Si cuiuſque priuati officiũ eſt, ut ueſtræ gloriæ cupidus atque ſtudioſus ſit, ueſtrum etiam erit officium viri Athenienſes, ut reliquorum Græcorum gloriam ſtudioſè curetis. pluribus autem exemplis à pari uſus eſt Ariſtoteles, quoniam frequentius hoc argumentandi genus vſurpamus. eſt enim quaſi quædam inductio qua probatur, quod in re pari valet, etiam in hac ualere, quæ par eſt, ut quoniã uſus auctoritas fundi biennium eſt, ſit etiam ædium. Quoniam iure M. Manlius qui Romæ regnum affectabat, trucidatus eſt, iure etiam Sp. Caſsius eiuſdem criminis reus trucidari poteſt. Si Tib. Gracchus iure cæſus eſt, qui ſtatum Reip. perturbat, etiam C. Gracchus Tiberij frater eadem moliens iure necandus eſt.

TEXT. *Alius locus eſt à tempore, quod ſpectandum eſt: ut Iphicrates in oratione contra Harmodiũ; Si priuſquam hæc gererem, poſtulaſſem à uobis, ut mihi ſtatuam erigeretis, ſi ea confeciſſem, nonne eam mihi decreuiſſetis? nunc poſtquam confeci, non decernetis? ne igitur committatis, ut, quod beneficium expectantes, pollicemini, id accepto beneficio auferatis.*

COMM. Sæpe à tempore ducuntur argumenta, quod & Quintilianus & Cicero teſtantur. ut P. Clodius à tempore ſe defendebat, cum accuſaretur de pollutis Bonę deæ ſacrificijs. nam ſe eo tempore, quo dicebatur in operto Bonæ deę fuiſſe, non Romæ ſed Interamnę fuiſſe dicebat. Ariſtoteles exemplum ſumit ex oratione, quam Iphicrates dux Athenienſium contra Harmodium habuit. cum enim Iphicrates ob rem præclarè geſtam ab Athenienſibus erigi ſibi ſtatuam peteret, Harmodius quidam illi aduerſabatur, & negabat eum eſſe ſtatua dignũ. at Iphicrates inter cætera argumenta quibus probaret ſibi ſtatuam deberi, poſuit etiam hoc à tempore ſumptum; ſi uobiſcum paciſci noluiſſem uiri Athenienſes priuſquam ad hoc negocium accederem, ſi illud ex ſententia confeciſſem, ut tum denique me ſtatua donaretis, an non libentiſsimè conditionem hanc accepiſſetis, & ſine dubitatione ſtatuam polliciti fuiſſetis? nunc cum omnia rectè feliciterque geſſerim, erit aliquis ueſtrum, qui dubitet, mihi ſtatuam decernere? Videte ne nobis turpe ſit, quod cum beneficium aliquod expectatis, promittere ſoletis, id accepto iam beneficio auferre. Plutarchus exiſtimat, eam orationẽ quam Iphicrates pro ſe contra Harmodium habuit, à Lyſia oratore ſcriptam fuiſſe. nam ſolebat Lyſias multis orationes ſcribere, quibus uel ſe defenderent, uel alios accuſarent. ſed aliqui uolunt, non à Lyſia, ſed ab ipſo Iphicrate conſcriptam, qui præter cæteras uirtutes etiã facundus ac diſertus fuit. Cicero ſæpe argumentatur à tempore, ut pro Cœlio, fuit aſsiduus mecum Prætore me, non nouerat Catilinam: Africam tũ Prætor ille obtinebat; ſecutus eſt annus, cauſam de pecunijs repetundis Catilina dixit: mecum erat hic, illi ne aduocatus quidem uenit unquam. deinceps fuit annus, quo ego conſulatum petiui, petebat Catilina mecum, nunquam ad illum acceſsit, à me nunquam receſſit. item; poterunt ne meliori tempore proſilire, quam cum Licinius ueniſſet? cum in manu teneret ueneni pyxidem? Sed Ariſtoteles uidetur à tempore uocare argumenta illa, quæ ficta epicheremata uocantur à recentioribus. quale eſt illud Ciceronis pro Cor. Balbo, Etenim ſi Cn. Pompeius abhinc annos quingentos fuiſſet, is uir, à quo ſenatus adoleſcentulo atque equite Romano ſæpe cõmunis ſalutis auxiliũ petiſſet, cuius res geſtæ omnes gentes cum clariſsima uictoria terra marique peragraſſent, cuius tres triumphi teſtes eſſent, totum orbem terrarum noſtro imperio teneri, quẽ populus R. ſingularibus honoribus decoraſſet: ſi nunc apud uos id, quod is feciſſet, contra fœdus factũ diceretur, quis audiret? nemo profectò: mors enim cum extinxiſſet inuidiam, res eius geſtę ſempiterni nominis gloria niterentur. cuius igitur audita uirtus dubitationi locum non daret, huius p̄ſens experta, atque perſpecta obtrectatorum uoce lædetur? huius generis multa ſunt apud Ciceronem exempla. quę nos argumenta à fictione uocare conſueuimus. quale eſt etiam illud, quod hoc loco ſubiungit Ariſtoteles.

TEXT. *Et rurſus ſiquis Thebanis diceret, debere eos aditum in Atticam Philippo tradere. nam ſi hoc petiſſet, priuſquam contra Phocenſes eis auxilium tuliſſet, certè polliciti fuiſſent. abſurdum igitur erit; ſi, quoniam illis fidem habuit, neque id tunc contendit, ei nunc tranſitum non dederint.*

COMM. Thebani bellum contra Phocenſes gerebãt, & cum illud ſoli ſuſtinere nõ poſſent auxilium à Philippo Macedoniæ rege Magni Alexandri patre petiuerunt, quo adiutore Phocenſes debellarunt. poſtea uerò cum Philippus contra Athenienſes bellum ſuſcepiſſet, à Thebanis petiuit, ut aditum ſibi in Athenienſium regionem daret, quo facilius Athenienſes opprimeret. ponamus igitur Thebanos conſultare utrum Philippo tranſitum in Atticam patefaciant an non. certè qui Philippi cauſam tueretur, ita à tempore poſſet argumentari, Si quo tempore petitum auxilium, à Philippo miſiſtis uiri Thebani contra Phocenſes, illud à uobis Philippus poſtulaſſet, ut, ſi quando foret opus, aditũ illi in Atticam præberetis, an non ei ſine ulla dubitatione polliciti fuiſſetis? quod igitur, fide ac ſocietate ueſtra fretus, à vobis eo tempore non cõtendit, id ei nunc, tantis acceptis beneficijs, denegabitis? tradit Plutarchus in uita Demoſthenis, cum

cum Thebanorum animi propter recentia beneficia ad Philippum inclinarent. Demoſthenem incredibili quadam ac penè diuina facultate dicendi eis perſuaſiſſe, ut à Philippo deficerēt, & cum uniuerſa ferè Græcia contra illum conſpirarent. ſunt etiam alia argumenta à tempore, in quibus commoditas aliqua, vel incommoditas ſpectatur. ut pro Milone, quem ſi interficere uoluiſſet quantę, quoties occaſiones, quam pręclaræ fuerunt? potuit ne cum domum ac deos penates ſuos illo oppugnante defenderet iure ſe ulciſci? potuit ne ciue egregio & uiro fortiſsimo P. Seſtio collega ſuo uulnerato? & quæ ſequuntur. alibi uero non eſſe credibile colligit, Milonem occidendi Clodij conſilium eo tempore ſumpſiſſe, quo petebat cōſulatum. Ipſi uero Ciceroni fuit obiectum ab Antonio, quod in medio ciuilium armorum fremitu dicax fuerit. Dido apud Virgilium argumentatur à tempore, non debere Aeneam diſcedere,

Quin etiam hyberno moliris ſidere Claſſem,
Et medijs properas aquilonibus ire per altum..

TEXT. *Alius locus ſumitur ex ijs, quæ contra nos dicuntur, cum ea uertimus in aduerſarium. locus autem hic multum excellit, ut in Teucro.*

COMM. Quidam hunc locum inuerſionem appellant, cum ea ſumimus quæ contra nos dicta ſunt, & in aduerſarium uertimus. Ariſtoteles ait hunc locū plurimum excellere in dicendo, vimque maximā habere. quemadmodum (inquit) in Teucro Tragędia. ſed ex Teucro uerba non citat, quia fortaſſe tunc erant notiſsima, neque opus erat ea recitare. quo genere dicendi, nos etiam frequenter utimur. neque enim ea, quæ peruulgata ſunt, recitamus, ſed locum tantum oſtendimus. ut ſi dicamus equos ex coloribus ſæpe dignoſci, ut in Georgicis. & interdum à poetis egregiè maris tempeſtates deſcribi, ut in primo Aeneidos. ſic Ariſtoteles ait hunc locum, quo uertimus in aduerſarium ea, quæ contra nos dicuntur, multum excellere, ut in Teucro. neque Teucri uerba citat, quæ tunc, cum eſſet in manibus ea tragœdia, facile quiuis uidere ac legere poterat. nunc cum illa interierit, quę uerba fuerint in ea, ſcire non poſſumus. neque tamen hoc impedimento eſt, quominus locum hunc rectè intelligamus, quia ſubiicit Ariſtoteles ſtatim aliud exemplum, quo totam rem apertè explicat, cum ait.

TEXT. *Quo loco uſus eſt Iphicrates contra Ariſtophontem, eum interrogans, an ipſe accepta pecunia naues proditurus eſſet, quod cum ille negaßet, ergo (inquit) quod tu, cum ſis Ariſtophon, non feciſſes, ego Iphicrates feci?*

COMM. Quintilianus libro quinto vbi de uſu argumētorum uerba facit, ita locum attigit; Atque Ariſtoteles quidem potentiſsimum putat, ex eo, qui dicit, ſi ſit uir optimus: quod, ut optimum eſt, ita longè quidem, ſed ſequitur tamen, uideri. Inde. n. illa nobilis Scauri defenſio, Quintus Varius Sucronenſis ait Aemilium Scaurum Remp. populi R. prodidiſſe, Aemilius Scaurus negat. cui ſimile quiddam feciſſe Iphicrates dicitur, qui cum Ariſtophontem, quo accuſante ſimilis criminis reus erat, interrogaſſet, an is accepta pecunia Remp. proditurus eſſet, iſque negaſſet. Quod igitur (inquit) tu non feciſſes ego feci? hactenus Quintilianus. quibus uerbis totum hunc locum expreſsit. Plutarchus in præceptis ciuilibus tradit Iphicratē in dicēdo nō fuiſſe parē Ariſtophonti, ſed ab eo ſæpe eloquentia uinci atque obrui ſolitum. Itaq; victus aliquando Iphicrates ab Ariſtophonte, dixiſſe fertur, aduerſariorum quidem hiſtrio melior eſt, ſed fabula mea præſtantior. Sed hoc argumento, quod Ariſtoteles recitat. ita dicitur Ariſtophōtem oppreſsiſſe, ut ille, quid reſponderet, ex tempore non haberet. neque mirum cum Iphicrates melior uir haberetur, & uitæ probitas maximam uim habeat, ad fidē faciēdam. Cicero pro Roſcio Comœdo ſic locum hūc vſurpauit. Pro Deum hominumque fidem: hoc aut Roſcius unquam à Cluuio petijſſet, ſi ſeſtertium millies in iudicium haberet: aut Cluuius Roſcio petenti conceſſiſſet, ſi uniuerſæ pecuniæ particeps eſſet? uix mediusfidius tu Fanni à Ballione, aut aliquo eius ſimili hoc poſtulare auderes, & impetrare poſſes. Item in eadem oratione, Quemadmodum ſi Fannius Roſcium fraudaſſe diceretur, utrunque ex utriuſque perſona uerisimile uideretur, & Fannium per malitiam feciſſe, & Roſcium per imprudentiam deceptum eſſe, ſic cum Roſcius Fannium fraudaſſe arguatur, utrunque incredibile eſt, & Roſcium quicquam per auaritiam appetiſſe, & Fannium quicquam per ſe bonitate amiſiſſe. tota uis huius argumentationis à uita & moribus utriuſque aduerſarij pendet. Itaque non ſine cauſa dixit Ariſt. multum hunc locum excellere, uerum cautionem quandam adhibet, ne ridiculum argumentum appareat, quare ſubiungit.

TEXT. *Sed oportet aduerſarium uideri procliuiorem ad iniuſtitiam, alioqui res ridicula uideretur: ut ſiquis hoc contra Ariſtidem accuſantem diceret. nam ad accuſatoris perfidiam hoc referendum eſt.*

COMM. Nunquam ualet hoc argumentum, niſi cum accuſator reo uidetur improbior eſſe, atque ad ſcelus perpetrandum procliuior. nam ſiquis contra uirū meliorem ſe, hoc argumento utatur, res tota ridicula uidebitur. ut ſi Ariſtides iuſtiſsimus uir, Hyperbolum improbum hominem accuſet, quod de patrię proditione cogitarit, non poterit Hyperbolus ita argumentum inuertere, Tu cum ſis Ariſtides, nunquam adduci poſſes, ut patriam proderes, & ego, qui ſum Hyperbolus patriam prodere cogitaui? quod ſi inuertat, riſum omnibus concitabit, neque quicquam cauſam ac defenſionem ſuam adiuuabit. hoc enim argumenti genus ad accuſatoris perfidiam pertinet, ut ſi accuſator improbus tale facinus non commiſiſſet, neq; reus uir probus commiſiſſe uideatur. quoties autem accuſator probus exiſtimatur, ut M. Cato, & Ser. Sulpicius L. Murenæ accuſatores, tunc hoc argumenti genere ſuperſedendum eſt, & aliis utendum.

Omnino

TEXT. *Omninò enim debet accuſator eſſe reo melior, ſin minus hoc argumento ſemper coarguetur.*

COMM. Quoties ad accuſandum aliquis accedit, is diligenter aduertere debet, ne uirum ſe meliorem in iudicium uocet, alioquin facile poterit hoc argumento coargui, & à reo per inuerſionem eludi. Cicero quinta in Verrem actione, ſane quam eleganter id, quod ait hoc loco Ariſtoteles, expresſit, cũ ita inquit, Omnes qui alterum iudices nulli impulſi inimicitijs, nulla priuatim læſi iniuria, nullo præmio adducti in iudicium Reip. cauſa uocant; prouidere debent, non ſolum quid oneris in præſentia tollant, ſed etiam quantum in omnem uitam negocij ſuſcipere conentur: legem enim ſibi ipſi indicunt innocentiæ, continentiæ, uirtutumque omnium, qui ab altero rationem uitæ repoſcunt, atque eo magis & quæ ſequuntur. L. Craſſus dicebat nullius rei tam ſe pœnitere, quam ꝙ adoleſcens Ca. Carbonem accuſaſſet. nam uitam ſuam pluribus, quam uellet obſeruari oculis arbitrabatur. Carere enim debet omni uitio, qui in alterum paratus eſt dicere.

TEXT. *In omni uero negocio ſe abſurdè gerit ille, qui in alijs ea reprehendit, quæ uel ipſe facit, uel nactus occaſionem, faceret.*

COMM. Generalis eſt hæc & uera ſententia. neque.n. ullam aliorum emendandorum auctoritatem habere poteſt is, qui eodem uitio laborat, quo alium reprehendit, immo potius omnium irriſione ludetur, quoties in alijs damnat, quæ ipſe facit. Iuuenalis Satyra ſecunda uehementer eos inſectatur, qui uitia reprehendunt, cum ipſi ſint maximè uitioſi.

Loripedem (inquit) rectus derideat, Aethiopem albus.
Quis cœlum terris non miſceat, & mare cœlo
Si fur diſpliceat Verri, homicida Miloni?
Clodius accuſet Mæchos? Catilina Cethegum?
In tabulam Syllæ ſi dicant diſcipuli tres?

Cicero ſecunda Philippica, P. Clodium meo conſilio interfectum eſſe dixiſti, quid nam homines putarent, ſi tamen occiſus eſſet, cum tu illum in foro inſpectante, populo R. gladio ſtricto inſecutus es? negociumque tranſegiſſes, niſi ille ſe ſub ſcalas tabernæ librariæ conieciſſet, iiſque oppilatis impetum tuum compresſiſſet? pro Q. Ligario multis uerbis oſtendit Cicero, Q. Tuberonem abſurdè facere, qui Ligarium eo crimine in iudiciũ uocet, quo & ipſe & pater eius teneretur.

TEXT. *Vel qui alijs ea ſuadet, quæ ipſe, nec facit, nec ullo modo faceret.*

COMM. Ille etiam abſurdè ſe gerere exiſtimandus eſt, qui conatur aliis ea perſuadere, à quibus ipſe refugit, & quæ facere, nunquam animum induceret. ut ſiquis alij ſuadeat, ut pecunias ſuas pauperibus largiatur, cum ipſe ne teruntium quidem unquã inopi ſubminiſtret, aut ſiquis alterum adhortetur ut antelucano tempore ſurgat ad ſtudia, cum ipſe quotidie ad multam lucem dormiat. Turnus apud Virgilium, cum Drances eum excitaret, ut contra Aeneam congrederetur, qui illum ad certamen prouocabat, oſtendit Drancem fugacem & imbellem cum ait,

—Posſit quid uiuida uirtus.
Experiare licet, nec longè ſcilicet hoſtes
Quærendi nobis, circumſtant undique muros.
Imus in aduerſos, quid ceſſas? an tibi Mauors
Ventoſa in lingua, pedibuſque fugacibus iſtis
Semper erit?

TEXT. *Alius locus à definitione: ut, Dæmonium nihil aliud eſt, quam uel Deus, uel Dei opus. qui uero putat aliquod opus eſſe Dei, neceſſe eſt illum etiam deos eſſe putare.*

COMM. Definitionem uocat Ariſtoteles hoc loco omnem uocabuli explicationem, & omnem rei alicuius deſcriptionem. neque enim oratores ita ſubtiliter definitionem tractant, ut logici faciunt, ſed omnem alicuius rei explicationem Oratores definitionem uocant, ſiue ea uera definitio ſit, & naturæ explicatio, ſiue ſit deſcriptio quędam & apertior eius rei declaratio, de qua agitur, de qua re multa diximus in Partitionibus Ciceronis & in Oratore ad Brutum. Cicero primo loco definitionem ponit. quoniam, ut aiebat Plato, Omnis quę à ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio debet à definitione proficiſci, ut intelligatur, quid ſit id, de quo diſputatur. Sunt autem quinque potisſimum definitionis ſpecies, licet plures a Boetio numerentur, prima conſtat ex genere & differentia, ut homo eſt animal rationis particeps. Animal eſt corpus uiuum & ſentiens. Altera ducitur a cauſis, ut a materia, Ira eſt feruor ſanguinis in corde. a fine, ut Ira eſt appetitus ultionis. ab efficiente, ut Felicitas eſt præmium uirtutis, à forma, ut Mundus eſt uniuerſa complexio globoſa. Tertia ducitur ab effectis uel officijs, ut Magnes Lapis eſt, qui ferrum attrahit. Luna ſidus eſt, cuius ui fluunt ac refluunt maria. Prætor eſt, qui iuri dicendo in ciuitate præeſt. Quarta ducitur à partibus, ut Menſis eſt ſpacium triginta dierum. Dies ciuilis eſt ſpacium uiginti quatuor horarum. Rhetorica eſt inueniendi, diſponendi, & eloquendi ſcientia. Quinta ducitur ab accidentibus, quæ propriè deſcriptio uocatur, ut Mulus eſt animal quadrupes ex equa & aſino genitum. Ibes ſunt aues excelſæ, cruribus rigidis, corneo proceroque roſtro. quæ auertunt peſtem ab Aegypto, cum uolucres angues ex uaſtitate Libyæ uento Africo inuectas interficiunt atque conſummunt. ſic.n. Ibes Cicero definit 1. lib. de Nat. Deorum. Ariſtoteles hoc loco ſumit exemplum ex Apologia Socratis, cum.n. accuſatus fuiſſet Socrates, ꝙ deos eſſe non putaret, hoc argumento ſe defendere conatus eſt, Ego palam omnibus ſemper teſtatus ſum, adeſſe mihi dæmonium quoddam, a quo regor, & prohi-

beor, ſi quando contra ius fasque aliquid aggredi paratus ſum. Sed Dæmonium aut Deus eſt, aut certè Dei quoddam opus. quod ſi exiſtimo aliquod opus eſſe Dei, cum dæmonium adeſſe mihi fatear, neceſſe eſt, ut etiam deos eſſe exiſtimem. hoc igitur argumentum à Dæmonij definitione ſumptum eſt.

TEXT. *Et quod Iphicrates dixit. Ille maximè generoſus eſt, qui optimus. Et eum in Harmodio, & Ariſtogitone nihil ante generoſum fuit, quam generoſè ſe geſſerunt.*

COMM. Hermodius quidam Iphicratis aduerſarius, de quo ſupra mentionem fecit Ariſtoteles, cum negaret Iphicrati ſtatuam ob res eius geſtas erigi debere, præter cætera dixit etiam Iphicratem ignobilem eſſe minimeque generoſum. cui reſpondẽs Iphicrates à definitiooe probat, ſe aduerſario ſuo generoſiorem eſſe, quamuis ille à claris maioribus oriundus eſſet. Quis eſt enim (inquit) maximè generoſus? an non is qui optimus? nam qua de cauſa maiores ſui Harmodius & Ariſtogiton nobilitati fuerunt? num quia parentes nobiles & rerum geſtarum gloria claros habuerint? minimè uero. nihil enim in eis antea generoſum fuit, quã ipſi generoſè ſe geſſerunt, & interfecto tyranno ciuitati libertatem reſtituere conati ſunt. quod ſi illi non maiorum uirtute, ſed ſua generoſi facti ſunt, cur ego non generoſus exiſtimer, qui res eas geſſi, propter quas multi nobilitati ſunt? hoc argumento ſuperbiam aduerſarij ſui Harmodij, qui ab illo Harmodio celeberrimo, qui primus Athenis ſtatua decoratus eſt, originem ducebat, Iphicrates repreſſit. cum oſtenderet, ueram nobilitatem non in genere, ſed in uirtute conſtitutam eſſe. unde rectè Iuuenalis ita cecinit.

Tota licet ueteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas ſola eſt atque unica uirtus.

TEXT. *Præterea ſe uerius propinquum illorum eſſe dixit, Nam res (inquit) meæ geſtæ, magis ſunt propinquæ factis Harmodij & Ariſtogitonis, quam tuæ.*

COMM. Aliud argumentum Iphicratis contra eundem Harmodium aduerſarium ſuum, qui ualde moleſtus illi erat. cum enim Harmodius e clariſſima familia natus eſſet, Iphicrati frequenter ignobilitatem obijciebat. & eius honori atque dignitati aduerſabatur. Iphicrates autem conabatur oſtendere ſe generoſiorem & nobiliorem eſſe, quam ipſe eſſet Harmodius. nam quis (inquit) clarorum uirorum propinquior eſt? utrum qui coniunctione ſanguinis illos attingit, an qui præclaris rebus geſtis quam ſimillimus eſt? certe uiri fortes & egregij magis illorum propinqui eſſe uolunt, qui ſuã uirtutem æmulantur, quamuis obſcuro genere nati ſint. quam eorum, qui claro genere nati, ſe totos ſecordiæ ignauiæque tradiderunt. eſt igitur hoc argumentum à definitione Propinqui deductum quæritur enim qui uerius appellari debeat propinquus, utrum qui ſanguine coniunctus eſt, an qui eſt rebus geſtis & uirtute ſimilis. Plutarchus Iphicratis perquam ſcitum & acutum dictum cõmemorat. cum enim Harmodius nobilis quidem ſed parum probatus homo, minimeque maiorum ſuorum uirtutibus reſpondens ignobilitatem illi obiecisſet, confeſtim ita reſpondit, Meum genus a me incipit, tuum in te deſinit. Iuuenalis ſatyra octaua eos acriter inſectatur, qui nobilitate maiorum ſuorum inflati, cæteros tanquam ignobiles contemnunt, cum ipſi nihil egregium gerant.

Quis enim, inquit, generoſum dixerit hunc qui
Indignus genere & præclaro nomine tantum Inſignis? & tandem Satyram ita concludit,
Malo pater tibi ſit Therſites dummodo tu ſis
Aeacidæ ſimilis, uulcaniaque arma capeſſas
Quam te Therſitæ ſimilem producat Achilles.

Et quemadmodum in Alexandro ſcriptum eſt: omnes in hac eſſe ſententia, ut intemperantes eos exiſtiment, qui non unius corporis pulchritudine frui contenti ſunt. TEXT.

COMM. Veteres oratores ſolebant orationes ſuas, quibus aliquos ornarent, eorum nomine, quos laudarent, inſcribere. ſic Iſocrates orationem eam, qua Cypri regem Euagoram celebrat, inſcribit Euagoram. ſic ea qua Buſirim laudat, Buſiris appellatur. ergo credibile eſt, etiam Alexandrum orationem fuiſſe, qua Priami filius Alexander ornaretur, & à criminibus, quæ illi obijciebantur, quod rapuiſſet Helenam purgaretur. Orator igitur ille, quiſquis fuit, cum oſtendere uellet Alexandrum non debere intemperantem appellari, quamuis amoribus Helenæ totus eſſet deditus, argumentum à definitione intemperantis duxit. Quis eſt (inquit) intemperans, aut in quem potisſimum ita cadit appellatio? nempe in eum, qui non una muliere contentus eſt, cuius pulchritudine fruatur, ſed modo hanc, modo illam appetit, & quotcunque egregia forma facieque liberali uidet, eas omnes ſecum habere deſiderat, ſed Alexander una Helena contentus fuit, & cum ea ſemel potitus fuiſſet, nunquam aliam mulierem appetiuit. non igitur intemperans appellari debet. tale illud eſt argumentum Ciceronis in Paradoxis, Quem.n. intelligimus diuitem? aut hoc uerbum in quo homine ponimus? opinor in eo, cui tanta poſſesſio eſt, ut ad liberaliter uiuendum facile contentus ſit, qui nihil quærat, nihil appetat, nihil optet amplius. & quæ ſequuntur.

Vnde etiam Socrates dixit, ad Archelaum ſe proficiſci nolle, propterea quòd ignominia ſit, beneficia non poſſe reddere, non aliter atque, non poſſe ulciſci iniurias. TEXT.

COMM. Socrates ab Archelao Macedoniæ rege ditisſimo, multis propoſitis præmijs & ad opes & ad dignitatem, inuitatus, ut ad eum accederet, nunquam aſſentiri uoluit, ſed potius eius promisſiones cõtẽnere uidebatur. cũ autem ab amicis interrogaretur, cur ad tãtũ regẽ ꝓficiſci nollet, à quo

plurima

plurima beneficia eſſet accepturus, reſpondit, ſe omnem ignominiam atque contumeliam uitare uelle, quod ſi ad Archelaum accederet, ſe ignominiam ſubiturum. hoc autem ab ignominiæ definitione probabat, hoc modo; Ignominia eſt, accepta beneficia reddere non poſſe, non aliter atque non poſſe iniurias ulciſci. Satis autem conſtat Socratē cum à multis regibus benignisſimè inuitaretur, nunquam ad ullum accedere uoluiſſe, & miſſas à multis pecuniaa, quamuis eſſet admodū pauper, repudiaſſe. malebat enim potius indigere, quam acceptis pecuniis quodammodo libertatem ſuam uendere.

TEXT. *Omnes enim iſti rem ipſam definientes, & quid ſit aperientes, concludunt ea, quæ nolunt.*

COMM. Concludit quinque exempla propoſita ducta eſſe a definitione. nam qui ita argumentati ſunt, rem ipſam prius definierunt, & aperuerunt, quid eſſet. deinde concluſionem, quam uolebant, adiūxerunt. multum ualet etiam hic definitionis locus ad diſtinctionem, & ad quæſtionem de eodem & altero, ut non idem eſt Tyrannus, & rex. nam rex eſt, qui iuſtitiam ſeruat, & nō tam propriam, quā ſubiectorum utilitatem quærit. Tyrannus autem omnia pro libidine ſua adminiſtrat, & non quid ſubiectis, ſed quid ſibi ſuiſque rationibus utile ſit cogitat. Cicero pro Roſcio Cor. aliud eſt iudiciū, aliud arbitrium. iudicium eſt pecuniæ certæ, arbitrium incertæ. pro M. Cælio, Aliud eſt maledicere, aliud accuſare, accuſatio crimen deſiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teſte confirmet. maledictio autem nihil habet propoſiti præter contumeliam: quæ ſi petulantius iactatur, conuicium, ſi facetius urbanitas nominatur. fit etiam ſæpe definitio ex contrarijs, ut Horatius,

Virtus eſt uitium fugere, & ſapientia prima
Stultitia caruiſſe.

Interdum uocabula tantū ipſa definiuntur, ut Cicero pro P. Seſtio, Qui ea, quæ faciebant, quæque dicebant multitudini iucunda eſſe uolebant, populares: qui autem ita ſe gerebant, ut ſua conſilia optimo cuique probarētur, optimates habebantur.

TEXT. *Alius locus eſt, cum aperitur quot modis aliquid dicatur: ut in Topicis, de eo, quod rectè factum dicitur.*

COMM. Primo libro Topicorum diligentisſimè docet Ariſtoteles, qua rōne ſcire posſimus, utrum id uocabulum de quo agitur, uno modo dicatur, atque unam tantum habeat ſignificationem, an dicatur pluribus modis, & uarias ſignificationes habeat. quæ cognitio plurimum ualet ad diſtinctionem & ſolutionem argumentorum. nam alio modo dicimus ſanum hominem, qui corpus habeat benè conſtitutum, alio modo ſanum cibum, qui conficiens ſit ſanitatis. alio modo ſanam urinam, quæ ſanitatis ſignum ſit. cum igitur aliqua dictio plura ſignificat, opus eſt aperire, quot modis dicatur, ſicut in Topicis declaratum eſt. ut ſi dicatur aliquid rectè factum eſſe, quia non uno tantum modo rectè factum dici ſolet, oportet declarare, quot modis aliquid dicatur rectè fieri. primo enim rectè fieri dicitur, quòd honeſtè fit, ut qui pro patriæ ſalute dimicat, rectè facit. Et qui Deum colit, qui iuſtitiam ſeruat, qui cupiditatea coercet. Secundo modo dicitur rectè fieri, quod fit utiliter, ut qui rem ſuam familiarem diligenter curat, rectè facit. & qui ſanitati ſtudet, & qui pro ſuo uectigali ſumptus facit. Tertio modo rectè fieri dicitur, quod fit artificioſè, atque ingenioſè, ut rectè Chryſippus diſputat, Ariſtoteles rectè docet, Vitruuius rectè ædificat. ars enim recta ratio eſt rerum gerendarum. Cicero, primo libro Tuſculanarum quæſtionum, ab hoc loco probat, mortuos uitæ commodis non carere, ſic enim argumentatur; an pōt is, qui non eſt re ulla carere. Triſte. n. eſt nomē ipſum carendi, quia ſubijcitur hæc uis, habuit non habet, deſiderat, requirit, indiget. opinor hæc incommoda ſunt carentis, caret oculis, odioſa cœcitas, liberis orbitas. & paulo poſt; carere hoc ſignificat, egere eo, quod habere uelis. ineſt enim uelle in carendo, niſi cum ſic tanquam in febri dicitur, alia quadam notione uerbi. dicitur. n. alio modo etiam carere, cum aliquid non habeas, & non habere te ſentias, etiam ſi id facile patiare. carere enim malo id non dicitur, non enim eſſet dolendum. dicitur illud bono carere, quod eſt malum. ſed ne uiuus quidem bono caret, ſi eo non indiget, ſed in uiuo intelligi tamen poteſt. regno carere, dici hoc in te ſatis ſubtiliter non poteſt: poſſet in Tarquinio, cum regno eſſet expulſua. at in mortuo ne intelligi quidem poteſt. carere enim ſentientis eſt, nec ſenſus in mortuo eſt, ne carere quidem igitur in mortuo eſt. Cato apud Ciceronem hac ratione probat ſapientem uirum eſſe regem, diuitem, & pulchrum. nam rex dicitur non ſolum, qui regnum obtinet, ſed etiam qui bene ſe ipſum regit. diues non tantum qui multas habet pecunias, ſed etiam qui ſua ſorte contentua eſt. pulcher non tantum qui corporis dignitate conſpicuus eſt, ſed etiam qui uirtutibus eſt exornatus. animi enim lineamenta ſunt pulchiora quam corporis.

TEXT. *Alius locus à diuiſione, ut cum omnes qui iniuriam faciunt, trium rerum aliqua impellantur. uel hac, uel iſta, uel illa, hic duabus rebus impelli nullo modo potuit, de tertia uero, neque ipſi aduerſarij inſimulant.*

COMM. Hunc locum M. Antonius apud Ciceronem ſecundo de Oratore uocat à partitione, atque hoc exemplum ponit, aut ſenatui parendum de ſalute Reip. fuit, aut aliud conſilium inſtituendum, aut ſua ſponte faciendum. aliud conſilium ſuperbum, ſuum arrogans. utendum igitur fuit conſilio Senatus. Quintilianua libro quinto uocat ex remotione partium, quia remotis alijs partibua una ſola relinquitur, uel omnes pariter remouentur. Vt hic ſeruus quem tibi uendicas, aut uerna tuus eſt, aut emptus, aut donatus, aut teſtamento relictus, aut ex hoſte ca-

ptus, aut alieous. deinde remotis prioribus, ſuperrerit alienus. Periculoſum, ait Quintilianus, & cũ cura iutuẽdũ genus, qui ſi io proponẽdo uoũ q̃dlibet omiſerimus, cũ riſu quoq; tota res ſoluit. aliquando remouentur omnes partes, ut Cicero in Topicis, ſi neque cenſu, oeque uindicta, nec teſtameoto liber ſactus eſt, non eſt liber, ocque eſt ulla earum rerum, non eſt igitur liber. tale eſt hoc Ariſtotelis exemplum, quo probatur aliquis iniuriam oon feciſſe, hoc modo, cum omnes homines ut ioiuriam faciant trium rerum aliqua impellantur, uel propter iram, uel propter utilitatem, uel propter uoluptatem; & hic homo oeque iratus unquam illi fuerit, neque aliquam ex iniuria poterat utilitatem ſperare, neque ipſi aduerſarij dicũt in accuſatione ſua uoluptatis gratia factum, reſtat igitur ut ioiuriam oullo modo fecerit. Cicero pro L. Man. probat Pompeium eſſe ſummum Imperatorem à partium eoumeratione, cum ita proponit; ego enim ſic exiſtimo, in ſummo Imperatore quatuor has res ineſse oportere, ſcientiam rei militaris, uirtutem, auctoritatem, felicitatem. deinde multis rationibus probat, in Pompeio quatuor has res ineſſe. tandem ita coucludit, Quare cum & bellum ita neceſſarium ſit, ut oegligi oon poſſit, ita magoum, ut accuratiſsimè ſit adminiſtrandum, & cum ei Imperatorem præficere poſſitis, in quo ſit eximia belli ſcieotia, ſiogularis uirtus, clariſsima auctoritas, egregia fortuna, dubitabitis Quirites, quio hoc tantum booi, quod à Dijs immortalibus oblatum & datum eſt, iu Rep. conſeruandam atque amplificandam conferatis? ita frequenter accidit, ut enumeratio partium totam unam orationem & benè longam efficiat.

TEXT. *Alius locus ab inductione, ut illud ex Peparethia; matres de filijs ubique uerum diſcernere. nam Athenis, cum Mantias orator de filio dubitaret, illi mater indicauit: & Thebis, cum Iſmenias, & Stilbo de filio contenderent, Dodonis Iſmenia filium eſſe dixit. itaque poſtea Theſſaliſcum Iſmeniæ cenſuerunt.*

COMM. Inductio eſt, cum ex multis ſingularibus probatur aliquid generatim atq; uniuersè. quo genere probationis ferè ſemper uſus eſt Socrates, ut in Platonis Dialogis apertè uidere licet. Ariſtoteles quatuor exemplis docet, quomodo ab iodnctione ducantur argumeota, quorum primum ex oratiooe quadam, quæ Peparethia dicta eſt, deſumpſit. eſt autem Peparethus inſula una ex Cycladibus, in qua fuit oppidum eiuſdem nominis, quod à Philippo Macedoniæ rege poſt ſecundum bellũ punicum, dirutum fuit, oe à Romanis occuparetur. in eo igitur oppido, cum de puero quodam nata eſſet controuerſia cuiuſnam filius eſſet, cum plures ulri cum eius matre rem habuiſſeot, orator ceoſebat à matre petendum eſſe, quòd ea ſola uerum aperire poſſet. atque hoc modo argumentabatur ab Inductione, Matres de filijs ubiq; poſſunt uerum diſcernere, quod exemplis multis intelligi pôt. Athenis. n. cum inter Mãtiã oratorẽ, & quendã aliũ ciuem, de puero nata eſset cõtẽtio cuius eſſet filius, pueri mater controuerſiam ſuſtulit, & cuius eſſet indicauit. Idem Thebis accidit, cum enim duo Thebani ciues Iſmenias & Stilbo de filio cootendereot, quòd Iſmeoias ſuum eſſe diceret, Stilbo uero ſibi uendicaret, Dodonis pueri mater totam litem diſſoluit. nam Iſmeniæ filium adiudicauit. is autem puer Theſſaliſcus uocabatur. itaque poſt eam controuerſiam Theſſaliſcus Iſmeniæ uocitatus eſt. hoc primum Ariſtotelis exemplum eſt ab Inductione, quo ſatis intelligitur, duas aut tres hiſtorias ſiue exempla, ſufficere ad aliquid uniuersè confirmandum. ut ſiquis probare uelit, omnes Philoſophos eſſe ueritatis amatores, quoniam Pythagoras, Plato, Ariſtoteles, nil aliud quam ueritatem inueſtigabant. Sed tamen quo plura colliguntur, eo magis res ipſa coofirmatur. Cicero pro Milone, cum probare uelit, ſceleratos ciues iure interfici poſſe, quinque exempla conglobat, eo quaſi uno faſce complectitur, cum ita inquit, neque enim poſſet aut Hala ille Seruilius, aut P. Naſica, aut L. Opimins, aut C. Marius, aut me coofule Seoatus non nefarius haberi, ſi ſceleratos ciues interfici nefas eſſet. ſed huius generis exẽpla ſunt apud Ciceronẽ plurima.

Et quo Teodectes uſus eſt in lege ſi nemo proprios equos eis committit, qui neglig̃ter alienos curarunt, neque quiſquam naues ſuas eis tradit, qui alienas euerterunt, & ſi hoc in rebus omnibus ita ſe habet, nõ debemus eis uti in ſalute noſtra tuenda, qui ſalutem alienam malè defenderunt. TEXT.

Theodectes Ariſtotelis ſocius, quodã in opere, quod νόμος ſiue lex inſcribebatur, cum probare uellet, non debere nos eis ſalutem noſtram tuendam committere, qui oullum unquam rectè defendere potuerũt, uſus eſt inductione à ſimilibus, hoc modo; ſi nullus tam inſipiens, qni proprios equos illis curandos tradat, à quibus uidet alienos negligenter curari, neque quiſquam ita fatuus, ut à quibus uidet aliorum naues euerſas, eis ſuas gubernãdas tradat, & hoc omnibus io rebus obſeruari ſolet, quid eſt, quod in ſalute noſtra tuẽda illis utamur, qui ſalutem aliorum malè defendere ſoliti ſunt? hæc eſt Socratica inductio à ſimilibus, ut qui probare uelit eum eſſe generoſum q̃ uirtute præditus ſit, ita poterit inductione a ſimilibus argumeotari. ſi pomum id generoſum eſt, non quod ex pulchra ſit arbore decerptum, ſed quod ſit pulchrũ & ſuaue, & equus generoſus eſt, nõ q ſit ex equa nobili oatus, ſed q uiribus & curſu reliquis antecellit, ita uir ille geoeroſus eſt, noo qui natalium ſplendore gloriatur, ſed qui magna uirtnte præditus ſit. uerum Socrates Interrogatiooe ferè ſemper uti ſolebat, nihil. n. ipſe uolebat affirmare, ſed ex aliorum reſponſione quæ nellet coocludere ſolebat. COMM.

Et quo Alcidamus utitur, ut probet ſapientes ab oibus honorari; Parij. n. Archilochũ, quãuis maledicus eſſet, honorarũt, & Chij Homerũ, quis eorũ ciuis TEXT.

non

non eſſet, & Mytilenæi Sapphonem quanquam eſſet mulier, & Lacedæmonij Chilonem in ſenatum elegerunt, cum tamen ad literarum ſtudia duriores eſſent, & Itali Pythagoram, & Lampſaceni Anaxagoram peregrinum hominem ſepulchro decorarunt, & in hunc uſque diem colunt.

COMM. Tertium exemplum ab Alcidamo oratore ſumpſit, quem oratorem ſæpe nominat. cum igitur probare uellet Alcidamus ſapientes homines ubique magno in precio atque honore eſſe, tali inductione probauit; Archilochus apud Parios, quamuis poeta maledicus eſſet, tamen in magno honore fuit. & Homerus apud Chios, quamuis non eſſet eorum ciuis, & Sappho licet eſſet mulier apud Mytilenæos, & Chilo, qui connumeratur in ſeptẽ ſapientibus apud Lacedæmonios, quamuis Lacedæmonij ſtudia literarum penè contemnerent. & Pythagoras apud Italos & Anaxagoras apud Lãpſacenos licet peregrinus eſſet, ſepulchro publice decoratus eſt, & ad hunc uſque diem cultus. ergo magno ubique precio uirtus æſtimatur. notanda uero ſunt huius inductionis. nam ut firmior appareat, ſingulis exemplis unam exceptionem appoſuit, ut Archilocho poetæ, quod maledicus eſſet. Homero, quod non eſſet Chiorum ciuis. Sapphoni, quod eſſet mulier, Chiloni quod apud literarũ contemptores uiueret, Pythagoræ & Anaxagoræ; quod apud peregrinos habitarent. quæ tamen exceptiones impedimento non fuere, quo minus honorarentur.

TEXT. *Et illud, Athenienſes donec Solonis legibus uſi ſunt beati fuere, & Lacedæmonij, dum Lycurgi legibus paruerunt, & apud Thebanos, cum primum ciuitatis principes ſtudio ſapientiæ ſe dare cœperunt, ſtatim beata ciuitas extitit.*

COMM. Hoc quartum eſt exemplum, quo probatur id, quod Plato ſexto de Rep. libro poſuit, tum beatas fore ciuitates, quando uel ſapientes imperant, uel qui Reip. præſunt, ſapientum conſiliis utuntur. hoc autem trium ciuitatum exemplo probat, quæ aliquo tempore benè beateque uixerunt, nam Athenienſes donec Solonis ſapientiſsimi viri legibus obtemperarunt beati fuere, & Lacedæmonij quo tempore Lycurgi leges diligenter obſeruarunt, & Thebani cum eorum principes ſtudio ſapientiæ ſe dediderunt, beati ſtatim extiterunt, ergo quæcunque ciuitas, uel à ſapientibus regitur, uel ab ijs, qui ſapientibus obediunt, iure beata dici poteſt. Sunt autem tres præcipuè ſpecies inductionis, prima ducitur ab exemplis quæ apud oratores frequentisſima eſt ut Cicero pro Cor. Balbo; Si M. Craſſus, ſi Q. Metellus, ſi L. Sylla, ſi C. Marius, ſi Senatus, ſi populus R. iure fœderatos homines ciuitate donarunt, etiam Cn. Pompeius L. Cornelium fœderatum iure potuit ciuitate donare. Secunda ducitur à ſimilibus, quæ Socratica inductio uocatur, quoniam ea frequenter Socrates utebatur, ut ſi agricola, bonus eſt, qui fertiliores & meliores agros reddit, & paſtor ille probandus eſt, qui meliores pecudes efficit, ita etiam princeps laude dignus eſt, qui ſubditos ſuos facit eſſe meliores. Tertia ducitur à partibus & totum colligit, uel à ſingularibus ad generalia procedit, ut ſi iuſtitia eſt animi habitus, & prudentia, & fortitudo, & temperantia, ergo omnes uirtutes ſunt animi habitus. Si patres conſcripti, patricijque omnes, & equeſter ordo, & plebs omnis Milonem diligit, ergo populus R. uniuerſus eum diligit.

Alius locus à rebus iudicatis aut iiſdem aut ſimilibus, aut contrariis: & præcipuè ſi omnes ſemper ita iudicarunt; ſin minus, ſaltem quamplurimi, aut qui ſapientes ſunt uel omnes, uel maior eorum pars; aut qui probi uiri ſunt: uel ſi ipſi iudices aliàs ita ſtatuerunt, uel ii, quorum iudicium ipſi iudices ſequuntur, uel ſi ita illi iudicarunt, contra quos ſtatuere nihil licet, ut qui domini ſunt, aut quibus non honeſtum eſt contradicere, quales ſunt Dei, parentes, magiſtri. TEXT.

A rebus iudicatis argumentum plerumque firmum deducitur. quod enim ſemel auctoritate ſapientum uirorum conſtitutum eſt, id uidetur immutandum non eſſe. Cicero primo de Inuentione ſic ait, Iudicatum eſt res aſſenſione, aut auctoritate, aut iudicio alicuius, aut aliquorum comprobata. Id tribus in generibus ſpectatur, religioſo, communi, approbato. Religioſum eſt, quod iurati legibus iudicauerunt. Commune eſt, quod omnes uulgò probarunt, & ſecuti ſunt huiuſmodi ut maioribus natu aſſurgatur, ut ſupplicum miſereatur. Approbatum eſt, quod homines, cum dubium eſſet, quale haberi oporteret, ſua cõſtituerunt auctoritate. Velut Gracchi patris factum, quem populus R. ob id factum, quod inſciente collega in cenſura nihil egiſſet, poſt cenſuram conſulem fecit. Ariſtoteles res iudicatas ita diſtinguit, ut aut eædem ſint, aut ſimiles, aut contrariæ. eædem ſunt, de quibus ſententia lata eſt, aut decretum interpoſitum, ut Cicero pro Flacco; actionem ſe daturum negauit, re iudicata ſtari oſtendit placere. & pro Sylla, Status enim Reip. maximè iudicatis rebus continetur. Similes ſunt; quæ eodem ferè præmio aut pœna dignæ ſunt. Vt, ſi M. Manlius qui Romæ regnum affectauit, morte dignus iudicatus eſt, etiam Sp. Caſſius eodem crimine conuictus, mori debet. Si cæteri legati qui pro patria mortem obierunt, ſtatua digni iudicati ſunt, etiam Ser. Sulpitius in legatione pro patria mortuus ſtatua decorari debet. contrariæ ſunt, quæ plurimum inter ſe diſtant. ut M. Marcellus in bello Syracuſis expugnatis, fana non eſſe ſpolianda ſed potius ornanda cenſuit, C. Verres in pace ſociis atque amicis Syracuſanis, e fanis ornamenta omnia ſuſtulit. Valent autem plurimum res iudicatæ, quando omnes ſemper ita iudicarunt, ut, nemini quis noceat, niſi laceſſitus iniuria, ut uim ui repellere iuſtum eſſe. Vel quando plerique ita cenſent, ut apud inferos impiis pœnas eſſe conſtitutas, certum eſſe in cœlo piis animis conſtitutum COMM.

locum ubi beati æuo ſempiterno perfruantur. vel quando ſapientes omnes, aut maior pars eorum ita cenſet, ut melius eſſe iniuriam accipere quam inferre, labores uoluptatibus eſſe potiores, animum noſtrum immortalem eſſe. uel quando probi uiri ita iudicant, ut melius eſſe detrimentum aliquod pati, quam litigare. publicam vtilitatem proprijs commodis anteponendam. uel quando ipſi iudices alias ita ſtatuerũt. ut ſi Mimus ille, qui nominatim Accium poetam in ſcena compellauit, iterum apud eoſdem iudices accuſetur, à quibus antea fuerat abſolutus. Vel quando illi ſtatuerunt, quorum iudicium ipſi iudices ſequuntur, ut ſi in priuato iudicio tractetur aliquid, de quo iam in Senatu decretum ſit. uel apud prætorem agatur de illa re, de qua iam princeps ſententiam tulit. vel quando ita iudicarunt illi, qui poteſtatem habent, & contra quos non licet aliquid decernere. ut ſi dominus de Seruo ſuo iudicium fecit, aut ſi rex de ſubiectis. quis enim dominis & regibus reſiſtere poteſt? uel denique quando ſic illi ſtatuerunt, quibus nequaquam honeſtum eſt contradicere, quòd nobis ſuperiores ſint, atque illis omnia debeamus, quales ſunt dei, parentes, & magiſtri. quibus ita deuincti ſumus, ut nunquam eis parem gratiam referre ualeamus. ex his intelligi poteſt, res iudicatas omnes ab aliquorum auctoritate pendere, & quantò præſtantiores illi fuerunt, qui iudicarunt, tanto etiam res iudicatas eſſe firmiores, & minus conuelli aut labefactari poſſe. colligit autem Ariſtoteles uaria exempla rerum iudicatarum.

TEXT. *Quemadmodum in Mixidemidem Antocles dixit, ſi Eumenides ſibi honeſtum eſſe duxerunt, in Ariopago cauſam ſuam tractari, Mixidemides non honeſtum ſibi ducet?*

COMM. Antocles orator ſatis celebris apud Athenienſes, ut pote quem aliquando de pace legatum ad Lacedæmonios miſſum teſtis eſt Xenophon Græcarum rerum libro ſexto, cum Mixidemidem quêdam apud Ariopagitas in iudicium uocaret, atq; is in Ariopago ſeueriſsimo iudicio nollet cauſam dicere, iudiceſque Ariopagitas recuſaret, à Dearũ Eumenidum auctoritate probare uoluit, non debere Mixidemidem Ariopagitarum iudicium ſubterfugere. nam ſi deæ (inquit) Eumenides immortali conditione natæ ſtatuerunt honeſtum eſſe ſibi cauſam ſuam agi apud Ariopagitas, cur Mixidemides mortalis homo ſibi non honeſtum eſſe cenſet in eodem iudicio contẽdere? de iudicio autem Oreſtis intelligit. nam poſtquam Oreſtes matrẽ Clytemneſtram interfeciſſet, eum furiæ quæ etiã Eumenides uocantur, exagitare cœperunt, neque unquam eum ulciſci deſtiterunt, donec in Ariopago parricidij cauſa dicta eſt, & cum perorata cauſa ſententiæ iudicum uariarent, Pallas Dea ſapientiæ cenſuit Oreſtem abſoluendum, atque ita furias cum Oreſte conciliauit. qua de cauſa Oreſtes poſtquam abſolutus fuit, Mineruæ templum erexit, apud quod templum, etiam ſacellum Furiarum ædificatum fuit, quas Athenienſes σεμνὰς θεὰς idest, uenerandas deas appellant, ut ait Pauſanias. in eodem loco, ferunt etiam Martem cauſam dixiſſe, cum Alirrhothium interemiſſet, unde locus Ariopagus, ideſt campus martius fuit appellatus.

Vel quemadmodum Sappho dixit, mori omnino eſſe miſerum, quoniam etiam dei ita iudicarunt; niſi enim ita eſſet, mori uoluiſſent. TEXT.

Sappho docta & ingenioſa mulier in Lesbo inſula nata, multa præclarè ſcripſiſſe fertur, & inter ſui temporis poetas celeberrimum nomen tenuiſſe, uſque eo, ut nonnulli eam decimam muſam appellarint, & Ariſtoteles hoc loco exemplum ab ea ſumere non dubitet. ea igitur cum probare uellet mortem eſſe rem acerbam & miſeram, à Deorum iudicio ſumpſit argumentum hoc modo; omnino mori miſerum eſt, ſic enim etiam ipſi Dei cenſuiſſe uideri poſſunt. nam niſi res quædam miſera mors eſſet, Dei mori uoluiſſent. nunc cum eam tantopere fugiant, ut nunquam experiri uelint, ſed immortales eſſe perſeuerent, non dubium eſſe poteſt, quin miſeram eſſe cenſeant. Cicero pro Q. Ligario probat à Deorum iudicio cauſam Cæſaris fuiſſe meliorem quam Pompeij; ſic enim ait; cauſa tamen dubia, quod erat aliquid in utraque parte quod probari poſſet, nunc melior certe ea iudicanda eſt, quam etiam Dij adiuuerunt. COMM.

Vel quemadmodum Ariſtippus contra Platonem, qui neſcio quid, ut illi uidebatur, arrogantius dixerat; Atqui ſodalis noſter nihil unquam huiuſmodi protulit, Socratem uerò innuebat. TEXT.

Ariſtippus Cyrenaicus Platonis condiſcipulus & Socratis auditor fuit, à quo Cyrenaica philoſophia manauit. Porro Socrates in ſermonibus ſuis nihil neque arroganter unquam neque aſſeueranter proferebat, ſed de omnibus rebus dubitabat, & ſe illud unum tantum ſcire, quod nihil ſciret, aiebat. cum igitur aliquando Plato neſcio quid arrogantius aſſeuerantiusque dixiſſet, Ariſtippus, eum quaſi eo arguens, dixit; certè ò Plato, nihil unquam à ſodale noſtro tale prolatum eſt. Socratem autem, quamuis magiſter fuiſſet, ſodalem tamen appellauit. nam apud Græcos ἑταῖροι. i. ſodales dicebantur omnes qui eiuſdem ſectæ eſſent, & qui eaſdem ſententias in Philoſophia ſequerẽtur. Igitur à Socratis auctoritate atque iudicio duxit argumentum Ariſtippus, nihil arrogantius ab homine Philoſopho Socratiſque imitatore dici debere. Sic apud Virgilium Aeneidos ſecundo Priamus Pyrrhum arguit ab eius patris Achillis auctoritate, COMM.

At non ille, ſatum quo te mentiris Achilles
Talis in hoſte fuit Priamo, ſed iura fidemque
Supplicis erubuit, corpuſque exangue ſepulchro
Reddidit hectoreum, meque in mea regna remiſit.

Et Hegeſippus in Delphis Apollinem interrogauit, cum iam oraculum Olympici Iouis audiſſet, an ea TEXT.

dem

dem illi, quæ patri uiderentur, tanquam turpe eſſet contraria ſentire.

COMM. Hoc factũ Xenophon lib. 4. Rerum Græcarũ, non Hegeſippo ſed Ageſipoli Spartano attribuit. cum enim iam Olympici Iouis oraculum interrogaſſet, an cum Argiuis faciendæ ſibi eſſent induciæ, atque reſponſum à Ioue retuliſſet, Delphos ad Apollinem conceſsit, & interrogauit, an idem ei, quod patri ſuo Ioui, de eadem re uideretur. à quo ſtatim reſponſum accepit, idem omnino ſibi quod patri uideri, nullaque in re ſe à patris iudicio diſſentire. Cicero ꝓ Milone conatur oſtẽdere Clodium Deorum iudicio iure fuiſſe interfectum, cum ita inquit, Non eſt humano conſilio, ne mediocri quidem Iudices deorum immortaliũ cura res illa perfecta: religiones mehercule ipſæ, aræque cum illam belluam cadere uiderunt, commouiſſe ſe videntur, & ius in illo ſuum retinuiſſe. & paulo poſt. Niſi forte hoc etiam caſu factum eſſe dicimus, vt ante ipſum ſacrarium bonæ Deæ qđ eſt in fundo T. Seſtij Galli, in primis honeſti & ornati adoleſcentis, ante ipſam (inquam) Bonam deam prælium commiſiſſet, primum illud vulnus acceperit quo teterrimam mortem obiret, ut non abſolutus iudicio illo nefario videretur, ſed ad hanc inſignem pœnam reſeruatus.

TEXT. *Et quod de Helena ſcripſit Iſocrates, eam eſſe rare uirtutis, quoniam Theſeus ita iudicauit.*

COMM. Quintum exemplũ à Theſei iudicio ſumptũ, quod Iſocrates in Helenæ Encomio poſuit, cum enim probare nellet, Helenam fuiſſe lectiſsimam fœminam raræque virtutis, præter cætera argumẽta, poſuit etiam illud ab auctoritate Theſei, qui tãtopere Helenæ pręſtantiam admiratus eſt, ut eam puellam adhuc, nec dum viro maturam rapuerit, vt ſibi cum tempus foret, vxorem haberet. Cicero pro Archia poeta, probat Archiam uirum eſſe doctiſsimum & ingenioſiſsimum, quòd Q. Metellus Numidicus, & M. Aemilius, & Q. Catulus pater & filius, & L. Craſſus & alij multi præſtantiſsimi viri talem eſſe indicarant.

TEXT. *Et de Alexandro quem tres Deæ iudicem elegerunt.*

COMM. Cum Iuno, Pallas, & venus inter ſe de pulchritudine certarent, Alexandrum Priami filium, tũc inter paſtores degentem, iudicem elegerunt, ut ea pulchritudinis palmam referret, quam ille cæteris præſtare cenſuiſſet. Iſocrates igitur in eodem Helenæ Encomio, probat mirã Helenæ fuiſſe uenuſtatem ab Alexandri iudicio, qui cum antea dearũ iudex fuiſſet, & optimè de pulchritudine iudicare ſciret, Helenæ formam admiratus, eam rapuit, & in Troiam ſecum aſportauit.

TEXT. *Et de Euagora, quod uir eſſet eximius, ut ait Iſocrates, quoniam Conon fractis opibus alios omnes poſthabuit, atque ad Euagoram profectus eſt.*

COMM. Vltimum exemplum huius loci ſumit ab eodẽ Iſocrate. ſcripſit enim Iſocrates elegantem & artificioſam orationem in Euagorę Cypri regis honorem, quæ etiam Euagoras inſcribitur. atque inter cæteras ſummas eius regis laudes illam etiam cõmemorat, à Cononis Athenienſis præſtantiſsimi viri iudicio ſumptam. quod cum Athenienſium opes à Lacedæmonijs afflictæ atque fractæ fuiſſent, Conon dux Athenienſium, quamuis ad alios multos reges & populos confugere poſſet, tamen alijs omnibus poſthabitis ad Euagoram ſe contulit, & eum tanquam portum quendam calamitatum ſuarum eſſe tutiſsimum cenſuit. Cicero pro lege Manilia probat Cn. Pompeij magnam eſſe auctoritatem, quòd Quirites de illo multa & præclara iudicia fecerint, quod Mithridates & Tigranes eius auctoritate moti ſe continuerint, quod Cretenſes ad eum in vltimas propè terras legatum miſerint. hic igitur locus ab auctoritate, uel à iudicio, longè lateque patet. & apud ſcriptores cuiuſque generis frequentiſsimus eſt. nam (ut Quintilianus ait) ſi quid ita uiſum gentibus, populis, ſapientibus uiris, claris ciuibus, illuſtribus poetis referri poteſt.

TEXT. *Alius locus ab enumeratione partium, ſicut etiam in Topicis.*

COMM. Hic locus inductioni perquam ſimilis eſt, uel ſub inductione continetur. ſunt enim plures inductionis ſpecies, ut ſupra iam demonſtratum eſt. ualet autem uel ad confirmandum totum, uel ad infirmandum. ad confirmandum hoc modo, ut ſi quatuor tantum res in ſummo Imperatore requiruntur, ſcientia rei militaris, uirtus, auctoritas, felicitas, & in Gn. Pompeio ſunt hæ quatuor res, ergo Pompeius ſummus eſt imperator. ad infirmandum hoc modo, ut ſi tribus tantum modis à ſeruo libertas acquiri poteſt cenſu, uindicta, teſtamento, & Soſia neque cenſu, neque uindicta, neque teſtamento factus eſt liber, non eſt igitur liber. ſed Ariſtotelis exempla uideamus.

TEXT. *Si anima motus eſt, quinam eſt motus? uel enim hic, uel ille.*

COMM. Plato dixit animam eſſe perpetuam motionẽ. cuius ſententiam multis argumentis refellit Ariſtoteles, atque hoc potiſsimum ab enumeratione partium, cum enim ſex tantum ſint motionis ſpecies, generatio, corruptio, accretio, diminutio, alteratio, loci mutatio, ſi anima motio eſt, uel generatio erit, uel corruptio, uel accretio, uel diminutio, uel alteratio, uel loci mutatio. quod ſi nihil horum eſſe deprehenditur, nullo modo poteſt eſſe motio, ſed neque generatio eſt, neque corruptio, neque accretio, neque diminutio, neque alteratio, neque loci mutatio, non eſt igitur motio. Cicero quarta in Verrem actione eleganter hoc loco utitur, ut oſtendat in Verre nihil eſſe, quo uitia defendi poſsint. Nunc uero quid faciat Hortenſius? auaritiæ ne crimina frugalitatis laudibus deprecetur? at hominem flagitioſiſsimum, libidinoſiſsimum, nequiſsimumq; defendit. an ab hac eius infamia nequitiæ ueſtros animos in aliam partem fortitudinis commemoratione traducat? at homo inertior, ignauior, magis uir inter mulieres nequam, impura inter uiros muliercula pro-

ferri non poteſt. at mores commodi? quis contumacior? quis inhumanior? quis ſuperbior? at hæc ſi ne cuiuſquam malo? quis acerbior? quis inſidioſior, quis crudelior unquam fuit?

TEXT. *Et illud exemplum ex Theodectis Socrate: Quod fanum uiolauit? quem Deum non coluit eorum, quos ciuitas ueneratur?*

COMM. Theodectes orationem ſcripſit, quam Socratē appellauit, in qua Socratem ipſum impietatis reū defendebat cum enim aduerſarij dicerent Socratem impium eſſe, Deoſque non putare, ſic argumentatus eſt Theodectes, Si Socrates impius eſt, uel aliquod ſanum uiolauit, uel aliquem Deū non coluit, ſed quod fanum à Socrate uiolatum eſſe dicitur? quem Deum Socrates eorum, quos ciuitas noſtra ueneratur, non coluit? certe Deos omnes colit, ſana non uiolat, non igitur impius eſt. Cicero pro Cœlio, poſſum omnes latebras ſuſpicionū peragrare dicendo, non cauſa, non locus, non facultas, non conſcius, non perficiendi, non occultādi maleficij ſpes, non ratio ulla, non ueſtigium maximi facinoris reperietur. Quintilianus uocat hoc genus argumentationis à remotione partium. qđ ait eſſe periculoſum & cum cura intuendum, quia ſi in proponendo vnum quodlibet omiſerimus cū riſu quoq; tota res ſoluitur. Tutius (inquit) quod Cicero pro Cecina facit, cum interrogat, ſi hæc actio non ſit, quæ ſit. Simul enim remouentur omnia. uel cum duo ponentur inter ſe contraria, quorum tenuiſſe utrunlibet ſufficiat, quale Ciceronis eſt, unum quidem certè nemo eſt tam iniquus Cluentio, qui mihi non concedat, ſi conſtet corruptum illud eſſe iudiciū, aut ab Habito, aut ab Oppianico eſſe corruptum, ſi doceo non ab Habito, unico ab Oppianico, ſi oſtendo ab Oppianico, purgo Habitum.

TEXT. *Alius locus eſt, quoniam in plurimis rebus accidit, ut eas bonum & malum conſequatur, ex eo, quod ſequitur, ſuadere aut diſſuadere, accuſare aut defendere, laudare aut uituperare. ut eruditionem conſequitur inuidia, quod eſt malum, & ſapientia, quod eſt bonum: non eſt igitur ſcientijs danda opera, quoniam inuidiam ſubire non oportet. imo uero ſcientijs opera danda eſt, quoniam ſapientem fieri oportet.*

COMM. Hic locus à conſequentibus uocatur, & omni cauſarum generi communis eſt. ſiue.n. in deliberatiuo genere uerſemur, & ſuadeamus aut diſſuadeamus, ſiue in iudiciali, & accuſemus aut defendamus, ſiue in demonſtratiuo, & laudemus aut uituperemus, licet conſequentia uidere, quoniam ita ferè natura comparatum eſt, ut rebus etiam bonis aliquod malum ſit adiunctum, quod ab eis nos retrahere poſſit, aut propter quod eas uel accuſare, uel uituperare ualeamus. ut ecce doctrina res q̃dam eſt præſtantiſſima, quia ſapientes homines efficere ſolet. ſed tamen plerunque ſecum inuidiā adfert, & homines à negocijs & cura rerum domeſticarum abſtrahit. ergo locus hic in utranq; partē diſputare docet. nam ſiquis ſuadere uelit, ut ſcientiæ demus operam, poterit oſtendere quanti ſit ſacienda ſapientia, q̃ per ſcientiam acquiritur, quot honores, quot dignitates, quot præmia uiri docti conſequantur. ſiquis autem nos à ſtudiis ſcientiæ uelit retrahere, poterit oſtendere, quantam ſibi inuidiam conflare ſoleant eruditi uiri, quot obtrectatores, quot maleuolos habeant, quantum detrimentum ſit rem familiarem negligere, perpetuis in laboribus uerſari, uoluptates omnes prætermittere, corporis ſalutem non curare. hoc Ariſtotelis exemplum eſt. Quintilianus libro ſecundo ponit hanc quæſtionem an utilis ſit eloquentia, quæ poteſt in utramque partem hoc modo tractari. nam qui dicit inutilem eſſe ſic à conſequentibus argumentabitur, Eloquentiam eſſe quæ pœnis eripiat ſceleſtos, cuius fraude damnentur interim boni, conſilia ducantur in peius, nec ſeditiones modo turbæque populares, ſed bella etiam inexpiabilia excitentur, cuius denique tum maximè ſit uſus cū pro falſis contra ueritatē ualet. qui uero utilem eſſe contendit, ea commemorabit, quæ L. Craſſus apud Ciceronem primo de Oratore, Neque uero mihi quicquam præſtabilius uidetur, quam poſſe dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere quo uelit, unde autem uelit deducere. & quæ ſequuntur. ita ſiquis uelit diuitias laudare, poterit commoda plurima commemorare, quæ ex eis percipimus. ſi uero uituperare uoluerit, poterit oſtendere, quantam arrogantiam, quantam ignauiam, quantā denique luxuriam hominibus adferāt. in ſumma copioſiſsimus eſt hic locus, & in eis rebus omnibus ualet, quibus & bene, & male uti licet, & in aliis etiam quibuſdam, vt apud Ciceronem ſecundo de Natura deorum, Balbus multis laudibus rationem extollit. tertio uero libro Cotta multis argumētis eandem rationem improbat. ita primo de Diuinatione Q. Cicero probat à conſequentibus inter homines eſſe Diuinationem, at uero ſecundo libro M. Cicero multis argumentis nullam eſſe diuinationem oſtendit.

TEXT. *Hic locus in arte Callippi præcipuè tractatur; in qua ſumitur etiam, quod fieri poteſt, & alia, de quibus à nobis iam antea dictum eſt.*

COMM. Quam copioſus ſit hic locus oſtendit, de quo penè ſolo Callippus artis rhetoricæ ſcriptor antiquus verba fecerit, & alia quædam pauca adiunxerit, vt de eo, quod fieri pōt, aut non poteſt, de quo ſupra iam multa pertractata ſunt. Ariſtoteles libro primo priorum vbi docet, quomodo liceat argumentorum, quæ ipſe media uocat, copiā cōparare, docet à conſequētibus plurima duci argumēta, quidā hęc appellant adiuncta, quidam cōiter accidentia. ut ſiquis probare velit, voluptatē eſſe bonam, videndum eſt, quę ſint ea, quæ bonum conſequuntur, ut qđ ſit utile, quod eligendum, qđ expetendū, quod naturæ accōmodatū, qđ iucundū, & ſi qua ſunt huius generis alia. Si vero cōtrà probare velit voluptatē eſſe malam, debet ea diligenter ſcrutari, quæ malum conſequuntur, vt quod ſit damnoſum, quod reſpuendum, quod fugiendum,

dum,quod à uatura alienum,quod triſtitiam ſecũ adferat.hæc in arte ſua Callippus diligenter perſecutus eſt,quę plurimum valent ad diſſerendum in contrarias partes.non ſatis autem conſtat vtrũ Calippus iſte,de quo meminit Ariſtoteles hoc loco,ſit is, qui Platonis auditor fuit, quem Suidas tradit à Syracuſanis interfectum fuiſſe, quoniam regnum affectabat, de quo Plutarchus in Dionis vita,fuit autem Dionis Syracuſani proditor,& improbus ac ſceleſtus homo,an alius quiſpiam, qui de ratione dicendi ſcripſerit. certè Quintilianus libro tertio,ubi ſcriptores artis commemorat,huius Callippi nou meminit. quem etiam Ariſtoteles oſtendit imperfectam artem tradidiſſe, quoniam nnum tantum locum tractauit, paucis quibuſdam adiunctis.

TEXT. *Alius etiam,quando ex duobus contrarijs,quæ cõſequuntur, aut ſuadere, aut diſſuadere opus fuerit, & eo,quo diximus modo,in utranque partem uti.differt autem hic locus à ſuperiore,quoniam in eo quæcunque eueniunt,qualiacunque ſint,opponuntur. hic autem tantum ea,quæ contraria ſunt.*

COMM. Locus hic, non aliter atque ſuperior, à conſequentibus dicitur. ſed tamen ita diſtinguitur, ut in ſuperiore,nou contraria, & quæ plurimum inter ſe diſtant,opponantur.ſed quæcunque conſequi ſolent,ut ſcientiam conſequitur inuidia & ſapientia, quæ nequaquam inter ſe contraria ſunt. voluptatem conſequitur iucunditas uitæ, & rerũ honeſtarum negligeutia,quæ non ſunt contraria. iu hoc autem loco, quæ contraria ſunt opponuntur,ut iuſtum iniuſtum, probum improbum. ut apud Ciceronem primo de Inuentione,ſi improbus eſt,cur uteris? Si probus cur accuſas? & alibi ex poeta neſcio quo;Nam ſi ueretur,quid eum accuſes,quòd eſt probus?

Sin inuerecundum animi ingenium poſsidet
Quid eum accuſes, qui id parui auditu exiſtimat?

Quod conuerſione ſic reprehendetur;Imo uerò accuſandus eſt. nã ſi ueretur,accuſes.non enim parui auditu exiſtimabit, ſin iuuerecundum animi ingenium poſsidet,tamen accuſes, non enim probus eſt.hoc genus argumentationis Cicero cõplexionem uocat.in qua ntrum conceſſeris reprehenditur.hoc genus(ut Quintilianus docet) plurimum ualet in altercando, qua in re Q. Hortenſium multum ualuiſſe Cicero docet in Diuinatione,cum ita Cœcilium alloquitur;quoties ille tibi poteſtatem, optionemq́ue facturus ſit, nt eligas vtrum uelis,factum eſſe necne,uerum eſſe an falſum,utrum dixeris,id contra te futurum.

TEXT. *Vt Sacerdos quædam filium ſuum à publicis concionibus abſterrebat,Nam ſi iuſta dixeris,aiebat,homines te odio proſequentur:ſi uero iniuſta, Deos offendes.imo uero dicet aliquis,concionari oportet. nã ſi iuſta dixeris, Deos tibi conciliabis, ſin iniuſta homines.*

COMM. Exemplo declarat, quomodo tractetur hic locus in utranque partem.quidam adoleſcens Orator fieri cupiebat, & in concione de publicis rebus uerba facere.ſed eius mater,quæ ſacerdos erat hoc illi diſſuadere tentabat,quia plerique concionatores malè audiebãt. itaque hoc dilemmate uſa eſt;Fili,nulla quæſo tibi res cum populo ſit, neq; in concione uerba facere ſtudeas.neceſſe eſt enim ut aut iuſta,aut iniuſta dicas. ſi iuſta dicere tentaueris, homines te magno proſequentur odio, Si uero uolueris iniuſta dicere, deorum indignationem non effugies.hoc argumentum (inquit Ariſtoteles)ita conuerti poteſt. Imò uerò mater omnino mihi utile erit coucionari,Si enim iuſta dixero,deos amicos & propitios habebo, ſi uerò quæ iniuſta ſunt,defendero,mihi homines conciliabo. tale eſt illud,quod A.Gellius libro quinto capite decimo de Protagora Sophiſta,& de Euathlo eius diſcipulo refert.cum enim Euathlus artis Rhetoricæ cupidus eſſet,acceſsit ad Protagoram,& cum eo pactus eſt, quantum mercedis ei daret, dimidiumq́ue ſtatim numerauit,reliquum uero ſe tũc daturum pollicitus eſt,cum artem didiciſſet, hoc eſt,cum cauſam aliquam bene peroraſſet & uiciſſet.poſtea uero cum Euathlus multũ in arte profeciſſet,neque tamen ullam cauſam reciperet, eũ Protagoras magiſter in iudicium uocauit, atque ita exorſus eſt;Diſce ſtultisſime adoleſcens utroque modo fore,uti reddas,quod peto, ſiue contra te pronunciatum fuerit, ſiue pro te. nam ſi contra te lis data erit, merces mihi ex ſententia debebitur,quia ego uicero. ſi uerò ſecundũ te iudicatũ fuerit,merces mihi ex pacto debebitur,quia tu uiceris.ad ea reſpondit Euathlus, Diſce tu quoque magiſter ſapientisſime, utroque modo fieri uti non reddam,quod petis, ſiue contra me pronunciatum fuerit,ſiue pro me.nam ſi iudices pro mea cauſa ſenſerint, nihil tibi ex ſententia debebitur, quia ego uicero, ſi contra me pronunciauerint, nihil tibi ex pacto debebo,qa ego nõ uicero. hoc dilemmatis genus græci uocãt ἀντιστρέφον,eo quod in aduerſarium retorqueri ſolet. Scitum eſt illud Antigoni regis,à quo cum frater peteret, ut cauſa,quam habebat cum aduerſario quodam,non in foro,ſed domi cognoſceretur, is ita reſpondit; Si cauſam iniuſtam habes,cur litigas? Si iuſtam,cur hominum conſpectum refugis? potuit autem ita frater reſpondere,debes hoc mihi,ſi me amas,concedere.nam ſi cauſa mea iniuſta eſt, minorem infamiam priuatim, quam publice ſubibo, ſi iuſta melius & facilius domi cognoſcetur.

Hoc autem idem eſt cum eo,quod uulgo dicitur paludem & ſales emere. TEXT.

Auctor Prouerbiorũ, locum hunc Ariſtotelis citat & ita legit, τὸ ἔλαιον πρίασθαι καὶ τοὺς ἅλας, hoc eſt,oleum & ſalem emere.& ait hoc prouerbio ſignificari, nonnunquam remediis coutrariis utendum eſſe,nunc acrimonia,nunc lenitudine. Sal.n. (inquit) mordet ac ſiccat, oleum lenit, & humectat.ſic medici oleum addũt ſali,ne plus ſatis erodat,& qui ſapiunt,admonitionis acrimoniam,bonis uerbis leniunt.hęc ille.quæ potius ex ingenio ſuo commentus uidetur, quam ex alicuius ueteris, COMM.

ris ſcriptoris interpretatione. ſūt quibus placeat, olim hoc prouerbio præcipi ſolitū.ita nos inſtruere oportere,ut inſipientium argumentis & dilemmatis facile occurrere, atq; ea refellere poſſimus. tradit enim Ariſtophanis interpres in Nubibus, hanc apud ueteres fuiſſe conſuetudinem, ut qui deſiperent,Sale & oleo perungerentur. quoniam id aduerſus dementiam remedium præſens exiſtimabatur.oleum igitur & ſalē(aiunt) emere oportet,uel, ne tanquam inſipientes utamur argumentis,quæ in nos retorqueri poſſint,uel vt argumenta,quæ ab aduerſariis tanquam deſipientibus, proferuntur,diluamus.Sed omnino prouerbium obſcurum eſt,& ipſa uetuſtate delectum. itaque coniectura tantum vti poſſumus. mihi magis placet ea lectio quā in manu ſcripto,reperi τὸ ἕλος πρίασθαι καὶ τὰς ἅλας, hoc eſt paludem & ſales emere.ut ſit ſenſus,vt bona habeamus interdum aliqua mala ſubeunda ſunt.& aliquod accipiendum eſt incommodum,ut maiorem utilitatem conſequamur. ut ſiquis emere ſalinas cupiens id obtinere non poſſit, niſi etiam uicinam paludem emat. atque hic ſenſus huic loco maxime conuenit. uulgo etiam dicunt,neminem poſſe carnes ſine oſſibus emere. quaſi omni utilitati ſit adiuncta incommoditas aliqua.Itaque poteſt aliquis dicere, concionandū eſt omnino,quoniam vtiliſſimum eſt populo quę iuſta ſunt perſuadere, etiam ſi fortaſſe aliquos homines offendamus. oportet enim & paludem & ſales emere.ſicuti prouerbio dicitur.

TEXT. *Et hæc ratio bleſoſis,hoc eſt inuerſio uocatur:cum duorum contrariorū utrunque bonum & malum conſequitur ita,ut utraque ſint utriſque contraria.*

COMM. Blæſoſis apud græcos ſignificat obliquitatem crurum qualis eſt in cancris, ranis, & lacertis, & blæſi dicuntur,qui crura diſtorta, & in partem exteriorem uerſa gerūt, quos latini ualgos & uatios dicunt, ut Budæus cenſet. quamuis blæſi dicantur etiam qui lingua ſunt impedita, qualis initio Demoſthenes fuiſſe dicitur.hinc igitur apud rhetores hoc argumēti genus Blæſoſis dicebatur,qđ in contrarias partes uergeretur.& eſt quando duo contraria proponuntur. quorum utrunque bonū aliquod & malū conſequitur,& utraque ſunt vtrique contraria.ut in exemplo ſupra poſito,iuſta dicere,& iniuſta dicere ſunt inter ſe contraria. & eorum utrunque bonum & malum conſequitur. nā qui iuſta dicit,bonum id aſſequitur, quod eū Dei diligunt,malum autem id, quod homines illi fiūt irati,ita contra,qui iniuſta dicit, bonum id habet, quod amatur ab hominibus,ſed in id malum incidit,quod Deos offendit.hoc modo quædam inuerſio fit,ſiue obliquitas,quæ blæſoſis appellatur.

TEXT. *Alius eſt locus, quando quidem homines non eadem palam & occultè probare ſolent,ſed palam quidem iuſta & honeſta maximè laudant, occultè uerò magis utilia cupiunt,cum ex his quiſpiam conatur alterum concludere.*

COMM. Nunc locum aggreditur ab apertis & occultis ſententiis, qui magnam diſputantibus utilitatem adfert,ut etiam in Elenchis docet Ariſtoteles. nā plerique homines ſolent aliter palam ſentire, aliter occultè. palam enim omnes honeſta iuſtaque laudant.ut pro patria mori,potius quàm cum uoluptate uiuere,paupertatem ferre,potius quam iniuſtè diteſcere,nemini nocere,plurimis benefacere,continenter & temperatè uiuere,cæteraq; huius generis, nemo eſt ferè quin apertè laudet, & ab omnibus expetenda eſſe dicat,uerū pauci ſunt qui eadem occultè probent,plerique enim magis quæ ſunt utilia uel iucunda perſequuntur. nam (ut ait Iuuenalis) probitas laudatur, & alget. ab hoc loco totam ferè ſecundam Satyram finxit Iuuenalis

Vltra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum,quoties aliquid de moribus audent
Qui Curios ſimulant,& bacchanalia uiuunt.

Perſius etiam Satyra ſecunda ſic ait;

Mens bona, fama, fides, hæc clare & ut audiat
hoſpes.
Illa ſibi introrſū,& ſub lingua immurmurat, o ſi
Ebullat patrui præclarum funus.
& cætera.

Cicero in Partitionibus docet huius loci uſum per diſtinctionem perſonarum ubi ſic ait; hoc primum intelligamus,hominum duo eſſe genera,alterum indoctum & agreſte, quod anteferat ſemper utilitatem honeſtati,alterum humanum expolitumque quod rebus omnibus dignitatem anteponat.Itaque huic generi laus, honor,gloria, fides,iuſtitia,omniſque uirtus,illi autem alteri quęſtus,emolumentum,fructuſque proponitur, atq; etiam uoluptas. Quare uel apertas ſententias ſequi licet, ut Cicero pro P. Seſtio, hæc imitamini per Deos immortales,qui dignitatem,qui laudē, qui gloriam quæritis,hæc ampla ſunt,hæc diuina, hæc immortalia, & quæ ſequuntur. uel occultas ſententias, & cupiditates hominum proferre, ut pro M. Cœlio,detur aliquid ætati,ſit adoleſcentia liberior,non omnia uoluptatibus denegentur,nō ſemper ſuperet uera illa & directa ratio, uincat aliquando cupiditas uoluptaſque rationem. hæc enim licet apertè non probentur, tamen occultè tanquam uera conceduntur. pauci ſunt enim aut certè nulli,qui hac indole uirtutis & continentię, ſint, ut reſpuant omnes uoluptates, omnemque uitæ ſuæ curſum in labore corporis, atque in animi contentione conficiant,quos non quies, non remiſſio,non æqualium ſtudia,non ludi,non conuiuia delectent.nihil in uita expetendum putent, niſi quod ſit cum laude,& cum dignitate coniunctum. Quamobrem orator uidebit, utrum cauſæ ſuæ magis conueniat,id ne, quod palam & apertè laudatur, an id quod homines occultè cupiunt, nam utrum cunque benè concluſerit, fidem auditoribus faciet.

TEXT. *Atque hic quidem locus præter cæteros, qui contra communem opinionem proferuntur, plurimum ualet.*

COMM. Sūt quidem etiam aliqui loci alij, quorum ope probari

probari poteſt aliquid, contra receptas & uulgatas hominum opiniones, ſed hic omnium præſtātiſsimus eſt, quoniam eo ſemper vti poſſumus, vel in affirmando, vel in refellendo. cum enim inter ſe contrarię ſint apertæ, & occultæ ſententiæ, qui confirmat apertas, occultas refellit, & contra qui occultas confirmat, refellit apertas. quas ob res ſẽper anſa datur ex hoc loco in contrarias partes diſputandi, & hæc eſt cauſa cur hunc locum Ariſtoteles tantopere commendet.

TEXT. *Alius locus, cum eadem ex proportione conueniunt: ut Iphicrates, cum eius filium, qui magno quidem erat corpore, ſed adhuc ætate puerili, cogere uellent onera publica ſuſtinere, dixit, ſi pueros, qui magno ſunt corpore, uiros exiſtimatis; ergo etiam uiros, qui puſillo corpore ſunt, pueros exiſtimare debetis.*

COMM. A proportione ſæpe firma ducuntur argumenta. nam ſeruata proportione neceſſe eſt idem euenire. fit autem inter quatuor proportio, ut in numeris ſicut ſe habent ſex ad nouẽ, ita octo ad duodecim, ergo etiam contra, ſicut ſe habent duodecim ad octo, ita nouem ad ſex. interdum etiam in tribus tantum fit proportio, ſed quod mediũ eſt, bis numeratur, ut ſicut ſe habent duo ad quatuor, ita quatuor ad octo. quod autem fit in numeris, idem etiam in reliquis rebus omnibus, quæ ſibi proportione reſpondent, ut ſicut ſe habet filius ad patrem, ita pater ad auum. ſed filius in poteſtate patris eſt, ergo etiam pater eſt in aui poteſtate. ab hoc loco duxit elegans & argutum Iphicrates Athenienſium dux argumentum, quo probauit, non debere filium ſuum ante conſtitutam ætatem onera publica ſuſtiuere. erat enim apud veteres ea conſuetudo, vt ante decimũ ſeptimum ætatis annũ pueri eſſent immunes, poſtea vero ſumpta virili toga nomen in militiam dare cogebantur, & alia publica onera ſubire. cum igitur Iphicrates filium haberet magno quidem corpore, ſed qui nondum ad ætatem conſtitutam perueniſſet, & quidam ciues eum vellent, ad onera ſuſtinenda impellere, quòd dicerent magnum eſſe, ſic eos refellit Iphicrates à proportione, ſicuti ſe habent pueri magno corpore ad uiros, ita viri puſillo corpore ad pueros, ergo ſi pueri qui magno corpore ſunt, viri debent exiſtimari, etiam viri, qui ſunt puſillo corpore pueri ſunt exiſtimandi. Sed cum hoc abſurdum ſit, vt qui viri ſunt, pueri exiſtimẽtur, etiam illud eadem ratione abſurdum erit, vt qui pueri ſunt, viri habeantur. Quintilianus libro quinto proportionem, quæ analogia græco nomine dicitur, ſimilitudini ſubiicit, ſic enim ſcribit; Analogiam quidam à ſimili ſeparauerunt, nos eam ſubiectam huic generi putamus. nam vt vnũ ad decem, ſic decem ad centum ſimile certè eſt, & vt hoſtis, ſic malus ciuis. quamquàm hæc vlterius quoque procedere ſolent, ſi turpis dominæ conſuetudo cum ſeruo, turpis domini cum ancilla. Cicero primo de legibus ab hoc loco ſic argumentatur; verè dici poteſt magiſtratum legem eſſe loquentem, legem autem mutum magiſtratum. idẽ pro A. Cluentio; vt corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine lege ſuis partibus vt neruis ac ſanguine & membris vti non poteſt. verum (vt benè Quintilianus ſentit) multæ ſimilitudines proportione ſibi reſpondent, vt, Quod oculus in corpore, id mens in animo, quod paterſamilias in domo, id princeps in Rep. ſicut malus paſtor eſt, qui deglubit oues, ita malus princeps qui ſubiectos perdit. Quod in rebus, quæ ſentiuntur, Sol eſt, id, in rebus, quæ intelligũtur, Deus. ita pro L. Murena Cicero docet in gręcis artificibus eam eſſe proportionem inter aulœdos & Citharœdos, quæ inter iuriſconſultos & Oratores.

Et quo Theodectes uſus eſt in lege Nam ſi propter modeſtiam, probitatemq́ue mercenarios milites ciuitate donatis, ut Strabacem & Charidemum, nonne milites eos mercenarios exterminabitis, qui nefaria ſcelera perpetrarunt? TEXT.

Alterum exemplum à proportione quo Theodectes vſus eſt in quadam lege. cum enim probare vellet, quoſdam improbos milites, qui mercede conducti fuerant, in exilium agendos & exterminandos eſſe, ſic argumentatus eſt, in mercede conductis militibus eadem proportio eſſe debet, improborum ad pœnam, quæ proborum eſt ad præmiũ. ſed milites mercenarios, qui præclare ſe geſſerunt, ciuitate donare ſoletis, ſicuti iam Strabacẽ & Charidemum in ciuitatem aſciuiſtis, ergo etiã eos, qui ſe improbè nefarieq́ue gerunt, ab vrbe veſtra remouere, atque exterminare debetis. nam Solonis hæc ſententia fuit, ſtatum Reip. pœna, præmioq́ue contineri. COMM.

Alius locus ab euentu, ſi idem eſt, ut etiam eadem dicantur ea, à quibus id euenit: ut quod Xenophanes dicebat, eodẽ modo impios eſſe illos, qui dicerent deos eſſe natos, atque eos, qui dicerent deos interire. nam utroque modo fit, ut aliquando dei non ſint. TEXT.

Hic locus & copioſus & vtilis eſt, quoties oſtẽdere volumus res quę videntur eſſe diuerſæ, vel eaſdem penitus eſſe, vel eandem habere vim ac poteſtatem. debemus id, quod ab eis euenit conſiderare. nam ſi idem eſt rerum illarum euentus, dicemus etiam res eaſdem eſſe, vel eiuſdem eſſe poteſtatis. quod exemplo declarat Ariſtoteles. Xenophanes, cum videret aliquos eſſe, qui de natura Deorum diſſererent, & natos eſſe exiſtimarẽt, qui etiam Theologi dicebantur, vt Heſiodus, & magno erant in honore ac precio apud uulgares homines, & imperitam multitudinem, dixit illos eſſe impios, & tantum peccare, quantum ſi dicerent, Deos mori atque interire. quod à religione penitus alienum eſt. hoc autem probabat ab euentu, quoniam utroque modo ſiue Dei nati eſſe dicantur, ſiue interire, fit ut aliquando Dei non ſint, quod dictu impium eſt. hoc genere argumentationis frequentiſsime utitur Cicero, quod per cõparationem fieri ſolet, ut nona Philippica, cum probare conatur Ser. Sulpitium tam eſſe dignum ſtatua, quam illos, qui ferro eſſent in legatione interfecti. quoniam ei uitam abſtulerit ipſa legatio. COMM.

itaque

itaque poſt nonnulla exempla ita concludit, Non igitur magis Octauium Leptines, nec Veientium rex eos, quos modo nominaui, quam Ser. Sulpitium occidit Antonius. is enim profecto mortem attulit, qui cauſa mortis fuit. quarta Philippica ſimilem eſſe M. Antonium Spartaco, & Catilinæ confirmat eò, quòd in patriâ Antonius vt illi bellum gereret. apud Virgiliū Aeneidos decimo Venus ab euentu probat Troianos in iiſdem eſſe malis, quibus fuerant, cum Troia obſideretur.

--nunquam ne leuari
Obſidione ſines? muris iterum imminet hoſtis
Naſcentis Troiæ, nec non exercitus alter,
Atque iterum in Teucros Aetolis ſurgit ab Arpis,
Tydides, equidem credo mea uulnera reſtant.

Cicero primo de Officiis colligit pari laude dignos eſſe qui bene Remp. adminiſtrant domi, & qui foris egregie bella gerunt. quoniam vtrique ciuitatis ſtatum confirmant.

TEXT. *Et omnino quod euenit, ex utroque probare oportet, unum atque idem eſſe, ut, Non enim de Socrate, ſed de toto hoc ſtudio iudicaturi eſtis, utrum philoſophiæ danda ſit opera, nec ne.*

COMM. Quoties (inquit) incidit hic locus, debet Orator probare, quod ex utroque eueniet, unum atq; idem futurum, ut maioris mali uel boni comparatione iudicū animi magis moueantur. quod oſtendit exemplo ſumpto ex oratione pro Socrate, cū eſſet à Melito uocatus in iudicium. quo exemplo uolebat orator, quicunque fuit illius orationis auctor, iudicibus perſuadere, ne Socratem condemnarent, omnis philoſophiæ ciuilis parentem. nam idem eſſe dicebat, damnare Socratem, & damnare totum Philoſophiæ ſtudium. turpe autem fuiſſet iudicibus, ſtudium philoſophiæ damnare, & ſententia ſua ſtatuere non eſſe philoſophiæ dandam operam. turpe igitur etiam Socratem condemnare. Cicero pro Lege Man. hac ratione Quiritibus ſuadet, ut uectigalium Aſianorum rationem habeant. nam ſi illa amiſerint, etiam pecunias quas Romæ haberent, amiſſuros eos affirmat. Non .n. (inquit) poſſunt una in ciuitate multi rem atque fortunas amittere, ut non plures ſecum in candē calamitatem trahant. à quo periculo prohibete Remp. & mihi credite id, quod ipſi uidetis. hæc fides, atque hæc ratio pecuniarum, quæ Romæ, quæ in foro uerſatur, implicita eſt cum illis pecuniis aſiaticis, & cohæret, ruere illa non poſſunt, ut hæc non eodem labefactata motu concidant. tale eſt illud pro A. Cluentio, Non illi uos de unius municipis fortunis arbitrantur, ſed de totius municipij ſtatu, dignitate, cōmodiſque omnibus ſententias laturos. & pro Milone, Non enim poteſtis hoc facinus improbum iudicare, quin ſimul iudicetis, omnibus, qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut ueſtris ſententijs eſſe pereundum. pro C. Rabirio colligit Cicero ſi damnandus eſt Rabirius quod arma contra Saturninum ſumpſerit, eodem crimine plurimos honeſtiſsimos uiros in ſummum capitis periculum eſſe uenturos.

TEXT. *Et terram atque aquam dare, eſſe idem quod ſeruire.*

COMM. Tertium hoc exemplum eſt, ſumptum à conſuetudine regum Perſarum, qui eos, ad quos accedebant, terram atque aquam poſcere ſolebāt, qua petitione ſibi rerum omnium poteſtatem tradi uelle ſignificabant. de hac conſuetudine meminit T. Liuius initio belli Aſiatici his quidem uerbis, niſi crederent Perſas, cum aquam terramque à Lacedæmoniis petiuerūt, gleba terræ & hauſtu aquæ eguiſſe. quo ex loco poteſt intelligi Perſas aliquādo aquam terramque à Lacedæmoniis petiuiſſe, qua petitione uolebant, ſub ditionem ſuam eos redigere. potuiſſet igitur aliquis Lacedæmoniis facile ſuadere, ne aquam & terram Perſis darent, quoniam idem eſſet, ac ſi eorum ſeruos ſe eſſe confiterētur. Cicero in Diuinatione contra Verrem, ut oſtendat Q. Cæcilium non fore bonum & acrē Verris accuſatorem ait. Q. Cæcilium accuſatorem conſtituere, eſſe idem quod Verrem abſoluere. ſic enim Hortenſium Verris patronum loquentem inducit, Non enim illud peto, quod ſoleo, cum uehementius contendi, impetrare, reus ut abſoluatur, non peto, ſed ut ab hoc potius, quam ab illo accuſetur, id peto. da mihi hoc, concede. quod facile eſt, quod honeſtum, quod non inuidioſum. quod cum dederis, ſine ullo tuo periculo, ſine infamia illud dederis, ut is abſoluatur cuius cauſa laboro.

TEXT. *Et communis pacis fieri participes idem eſſe, atque imperatum facere.*

COMM. Quartum & ultimum huius loci exēplum eſt huiuſmodi, Græci pacem cum Philippo Macedoniæ rege facturi Athenienſes inuitarunt, ut pacis illius communis participes fieri uellent, quo uniuerſa Græcia à bello quieſceret, Orator quidam Athenienſibus diſſuadet pacem, & admonet, ne cum aliis Græcis conditiones pacis admittant. atque hoc utitur argumento, Non debetis Atheniēſes huius communis pacis participes fieri, nam hoc perinde eſt, atque ſi parere, atque imperata facere uolueritis. Cicero philippica quinta uult idē eſſe Mutinam obſidere, & Romam, cum tamē maxima ſit differētia. ſic enim ait. Quid intereſt, per Deos immortales, utrum hanc urbem oppugnet, an huius urbis propugnaculum? coloniamque populi R. præſidij cauſa collocatam?

TEXT. *Cum autem alterutrum ſumi poſſit, id erit ſumendum, quod nobis utile eſt.*

COMM. Hoc ab Oratoris prudentia pendet, ut cū duæ res ſint, quæ penè ſint eædem inter ſe, ſumat eam ad probandū, quæ cauſæ ſuæ magis conuenire uideatur. nam ſi nobis utile erit eaſdem eſſe probare, id faciēdū eſt, ſin autem diuerſas eſſe proderit oſtēdere, id quoque conari debemus. ut ſiquis dixerit, idem eſſe uitium, de fama alicuius detrahere, & bonis ac fortunis aliquē ſpoliare, nos contra magnum inter famam & fortunas diſcrimen eſſe docebimus.

TEXT. *Alius locus eſt ex eo, quod ijdem nō eadem ſemper eli-*

per eligunt aut antea, aut poſtea. ſed diuerſis temporibus diuerſa: ut in illo eſt enthymemate; ſi, cum in exilio eſſemus, pugnauimus, ut in patriam rediremus, nunc poſtquam reuerſi ſumus, in exilium abibimus, ne pugnemus? aliquando enim in patria manere pugnando elegerunt, aliquando uerò patria potius diſcedere, quam pugnare uoluerunt.

COMM. Non ſemper homines eodem ſunt animo, neque in eadem ſententia perſeuerant, ſed vel ratione conſilioque, vel aliqua animi perturbatione mutantur. Quod ſiquis cum ratione conſiliũ mutet, is laude potius quã vituperatione dignus eſt. nam (vt ait Cicero) nunquã præſtantibus in Rep. gubernanda viris landata eſt in vna ſententia perpetua permanſio. Si vero quis animi perturbatione ſententiam mutet, is facile reprehendi poterit ex hoc loco, quòd ſibi non conſtet, neque eandem ſemper houeſtatem ſequatur. & quod aliquando cum laude ſecutus eſt, nunc cum ignominia relinquat. ſumit autem exemplum Ariſtoteles ex oratione Lyſiæ oratoris egregij, qui quadam in oratione, de qua Dionyſius Halicarnaſæus meminit, Athenienſes, poſtquam in vrbem expulſis Lacedæmoniorum tyrannis, & ijs qui ſtatum popularem ſuſtulerant, reuertiſſent, hortatur, ut in ſentẽtia pugnandi permaneant, & aduerſarios ſuos ab vrbe procul arceant, & hoc facit Enthymemate à contrariis deducto, hoc modo; An non hoc nobis turpiſsimum eſſet Athenienſes, ſi, cum eſſemus in exilio, pugnauimus, ut in patriam rediremus, nũc poſtquam reuerſi ſumus, iterum in exilium abiuerimus, ne pugnemus? hæc autem (inqnit Ariſtoteles) fuit iuſta reprehenſio. nam illi ciues, non in eadem ſententia conſtiterunt, modo enim omni ratione in patria manere volebant, & ſeſe armis defendere, modo potius quam armis decertare, diſcedere à patria ſtatuerunt. ſic Cicero prima philippica Dolabellam, & Antonium reprehendit, quod non in eadem ſententia conſeruandæ libertatis cõſtitiſſet. ſic enim cum Antonio loquitur; Num huiuſce, cum pro ſalute Reip. tanta geſsiſſes, fortunæ te, num amplitudinis, num claritatis, num glorię pœnitebat? vnde igitur ſubito tanta iſta mutatio? & cum Dolabella ſic loquitur. Recordare quęſo Dolabella conſenſum illum theatri, cum omnes earum rerum obliti, propter qnas tibi fuerãt offenſi ſignificauerunt ſe nouo beneficio memoriam ueteris doloris abieciſſe. hanc tu P. Dolabella (magno loquor cum dolore) hanc tu (inquam) potuiſti æquo animo tantam dignitatem deponere? valet igitur hic locus ad improbandam inconſtantiam & lenitatem, atque ad exhortandos homines ut in bene inſtituta ſententia perſeuerent.

TEXT. *Alius locus eſt, cum quis dicit, aliquid eius gratia eſſe, aut factum eſſe, cuius gratia neque eſt, neque factum eſt.*

COMM. Magnam habet vim hic locus, quoniam exquirit cauſam illam, quæ finis dicitur, & quo conſilio, cuius rei gratia quicqne fiat. multæ ſunt enim in hominibus ſimulationes, multæ fraudes, multi doli, & ſæpę fit, ut quis amoris aut ntilitatis amicorum gratia ſe quippiam facere dicat, cum tamẽ longe aliam mentem habeat. quod ſi poterit Orator oſtendere nequaquam aduerſarium eo conſilio, aut eius rei gratia feciſſe, aut facere, quod fecerit, aur facit, qua ille affirmat, facile poterit eum refellere. quod Cicero de lege agraria contra Rullum copioſiſsime facit. nam Rulllus legem agrariam ad populi R. vtilitatem ſe ferre uelle ſimulabat, cum tamen longe aliud ſpectaret. Cicero igitur multis rationibus & argumentis probat, non eius rei gratia, quam fingebat, legem à Rnllo latã fuiſſe. ut ibi, neque ſiqui agros populo R. pollicẽtur, ſi aliud quiddam obſcure moliũtur, aliud ſpe, ac ſpecie ſimulationis oſtentant populares exiſtimandi ſunt. & alibi, Atqui ego à primo capite legis uſque ad extremum reperio Quirites, nihil alind cogitatum, nihil aliud ſuſceptum, nihil aliud actum, niſi uti decem reges ærarij, uectigalium, prouinciarum omnium, totius Reip. regnorum, liberorum populorum, orbis denique terrarũ domini conſtituerentur legis agrariæ ſimnlatione atque nomine. Denique in tota illa oratione nihil aliud agit, atque molitur Cicero, niſi ut aperte oſtendat, non eius rei gratia legem à Rullo fuiſſe propoſitam, qua ille ſe ferre legem illam ſimulabat. ita pro Milone, Clodium ait Preturam petiuiſſe, non quia honoris gradum ſpectaret, ut cæteri, ſed nt Remp. arbitrio ſuo dilacerare poſſet.

TEXT. *Vt ſiquis alicui quid donaret, ut illud deinde idem auferens, dolorem inureret.*

COMM. Hoc, quod pro exemplo ponit Ariſtoteles ſæpe reges & principes facere ſolẽt, ut ſuos familiares & aulicos magnis muneribus cumulent, & dignitatibus exornent, non qnod illos ament, aut illis bonis ipſos diu frui nelint, ſed ut eoſdem poſtea ſpoliẽtes magno dolore & cruciatu afficiant. hoc quod ait Claudianus,

—tolluntur in altum
Vt caſu grauiore ruant.

TEXT. *Vnde etiam illud dictum eſt;*

Felicitates, atque opes dat maximas
Fortuna multis, non quod illos diligat,
Sed de gradu præſtantiore ut decidant.

COMM. Tres nerſus iambicos ſenarios pro exemplo citat, quorum nos ſententiam totidem ſenariis latinis interpretati ſumns, ſed cuius poetæ ſint, neq; Ariſtoteles addit, neq; nos adhuc ſcire potuimus. ſunt autem elegantes, & eorum ſententiam impugnãt, qui quoſdam homines, qnia fortunati ſunt, & felices, putant ab ipſa fortuna diligi atque amari. non eſt ita (inquit poeta) neqne enim eos fortuna omnes diligit, quibus magnas opes & felicitates donat, ſed id facit, ut cum in altum eos extulerit, poſtea grauiore caſu præcipitentur. hanc ſententiam C. Cæſar primo libro de bello gallico ſic expreſsit, Conſueſſe enim Deos immortales, quo grauius bomines ex commutatione rerum doleant, quos pro ſcelere eorum ulciſci uelint, iis ſecundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem

nitatem

nitatem concedere. Sic contra ſæpe fit, vt bonos uiros multis calamitatibus affligi Deus patiatur, non quod illos odio proſequatur, ſed ut deinde beatiores æuo ſempiterno perfruantur.

TEXT. *Et illud ex Antiphontis Meleagro;*
Non tam necandi cauſa apri conuenerant,
Quam maxima uirtutis ut teſtes forent
Meleagri, apud Græcos.

COMM. Antiphon poeta Tragicus fuit, & orator eximius, quem Thucydides ait primũ omnium pro ſe cauſam capitis optime peroraſſe, de quo multa Plutarchus. hic Tragœdiam ſcripſit inter cæteras Meleagrum nomine, quoniam in ea de calamitoſa Meleagri morte tractabat, ſed in ea tragœdia, dum Meleagri uirtutem extollere laudando uellet, dixit ex uniuerſa Græcia concurſum à præſtãtiſsimis & fortiſsimis uiris eſſe factum, quo tempore quidam ferus & immanis aper totam regionem Calydoniam deuaſtaret, non tantum ut aprũ interficerent, quantum ut eximię uirtutis Meleagri teſtes forent. fuerunt igitur Græcis illis heroibus duo fines propoſiti. unus ut aprum necarent, alter ut Meleagri præſentem uirtutem intuerentur. priorem illum poeta minuit, ut hunc ſecundũ amplificet, quaſi non uenturi fuiſſent, niſi Meleagri uirtutis ſe ſpectatores fuiſſe credidiſſent. hanc aũt apri Calydonij uenationẽ, & heroes, qui illi interfuerunt, copioſè deſcribit Ouidius Metamorphoſis ſuæ libro octauo. & Homerus meminit nono Iliadis.

TEXT. *Et illud ex Theodectis Aiace, quod Diomedes Vlyſſem ſocium elegerat, non quòd eum honoraret, ſed ut comes ſe eſſet inferior. hac enim etiam de cauſa potuit illud à Diomede fieri.*

COMM. Theodectes tragœdiam conſcripſit Aiacem nomine, ſicut etiam Sophocles, in qua, cum Vlyſſes gloriaretur, ex omnibus Græcis ſe unũ à Diomede præſtantiſsimo uiro ſocium electum fuiſſe, quod eum Diomedes & conſilio præſtare, & manu promptum eſſe cognoſceret, contra Aiax hanc rem in Vlyſsis uituperationem conuertit, non.n. (inquit) te Diomedes ideo ſocium elegit, quòd te honoret, aut egregium eſſe iudicet, ſed ut comitẽ inferiorem habeat. nam ſi alium ſorte ſocium elegiſſet, uerebatur, ne aliquid ſuæ laudis & gloriæ amitteret, nunc cum ignauum & imbellem comitem habeat, quicquid eximie facit, id totum ſuum exiſtimat, neque timet, ut tu aliquid ex ſua laude decerpas. hæc autem Aiacis ratio veriſimilis eſt, quia fieri poteſt, (inquit Ariſtoteles) ut Diomedes ea mente atque conſilio comitem Vlyſſem elegerit. difficile enim eſt, de alienis cogitationibus iudicare. ita Cicero tertia in Verrem actione, cum negare non poſſet. C. Verrẽ à L. Sylla magnis muneribus donatum fuiſſe, cauſam turpem adiũgit, ut Verrem magis uituperet. ait enim non ideo L. Syllam ea munera Verri dediſſe, quod illum amicum ſibi eſſe uellet, ſed quia Carbonis proditor fuerat. habuit (inquit) honorem ut proditori, non ut amico fidem. ita pro Q. Ligario, quo magis Tuberonis crudelitatem augeat, ait eum accuſatione ſua non id quærere, quod cæteri accuſatores ſolent, ut reus condemnetur, ſed ut uita priuetur. Hæc (inquit) non modo mirabilia ſunt, ſed prodigiis ſimilia quæ dicam, non habet eam uim iſta accuſatio, ut Q. Ligarius condemnetur, ſed necetur. hoc egit ciuis Romanus ante te nemo. & paulo poſt, non tu ergo hunc patria priuare, qua caret, ſed uita uis. Sic Ilioneus Troianorum Orator apud Virgilium primo Aeneidos ut Didoni metum adimeret, ait Troianos nõ ea de cauſa in Africam ueniſſe, ut aliquid hoſtile molirentur, ſed coactos tempeſtatibus. eſt autem copioſiſsimus hic locus, & frequentiſsimus, & in coniecturalibus cauſis ualde neceſſarius. ut pro Roſcio Amerino, dicebat accuſator Erucius Roſcium odio patri ſuo fuiſſe. quòd eum pater in prædia ruſtica relegarat. contra Cicero, nõ quia pater eum oderat, ſed quia ualde amabat, ait prædiis ruſticis præfeciſſe. in eadem oratione docet Cicero Roſcium ab aduerſariis fuiſſe accuſatum, non quia parricidium commiſiſſet, ſed quia bona eius aduerſarij inuaſerant, quæ uiuo Roſcio diutius tenere non poſſent. pro Q. Ligario probare conatur Ligarium in Africa diu fuiſſe, nõ quia Cæſaris eſſet inimicus, ſed quia propter belli tumultum illinc euadere non potuerit. quoties igitur quærimus qua mente, qno conſilio ſit aliquid geſtum, poſſumus ex hoc loco argumenta ducere.

TEXT. *Alius locus eſt communis diſceptantium, & deliberantium: ut ea conſideremus, quæ uel impellere, uel retrahere poſſunt, & quorum cauſa ſolent homines aliquid aut efficere, aut euitare, hæc enim ſi adſunt, rem aggredi oportet, ut ſi fieri poteſt, ſi facile eſt, ſi utile uel ſibi uel amicis, uel noxium, & pernicioſum inimicis. aut ſi minor eſt pœna, quam id, quod expectunt. nam his rationibus ſuadere ſolent, & contrarijs diſſuadere.*

COMM. Locum aggreditur communem iudicialibus controuerſiis, & deliberatiuo generi. cum ea diligenter aduertimus, quæ poſſunt homines ad aliquid agendum impellere, uel retrahere. & cum ea cõſideramus, quæ ſunt in cauſa ut aliquid homines faciant, aut euitẽt. nam ſi res huiuſmodi adeſſe probare potuerimus, facile qđ uolumus eſſe aggrediendum ſuadebimus. quinque uerò numerat quæ in deliberatiuo genere plurimum valent. primum eſt, ſi fieri poteſt. cum enim de aliqua re deliberamus ſiquis probare poteſt eam effici nullo modo poſſe, ſtatim omnis deliberatio tollitur. ut nõ poterit Cæſar iſthmum perfodere. nõ poterit in Africam Annibalem Scipio retrahere. non poterit Scythas Alexander debellare. quod ſi conſtat fieri poſſe, tunc uidendum eſt etiam quam facile. nam (ut ait in Partitionibus Cicero) quæ perdifficilia ſunt, perinde habenda ſæpè ſunt, ac ſi effici non poſſint. ut ſi deliberet Xerſes an pontem ſuper Helleſpontum faciat, diſſuaſor oſtẽdere poterit id eſſe difficillimum, atq; ideo dimittẽdum. uerum quamuis res perdifficilis & perardua ſit, tamen

men ſæpè ſructu & dignitate, quæ percipitur ex ea, compenſatur, vt Cicero pro P. Seſtio; Eſt labor, nou nego. pericula magna, fateor. multæ inſidiæ ſunt bonis, veriſſimè dictum eſt, ſed te id, q̃d multi inuideant, multique expetát, inſcitia ſit (inquit) poſtulare, ſi tu laborem ſumma cum cura ef feras nullum. hoc igitur ſecundum eſt, ur poſtquã oſtenderimus rem fieri poſſe, doceamus etiam facilem & procliuem eſſe. Tertium eſt, ut uel eis, qulbus conſilium damus, uel amicis eorum rẽ fore vtiliſſimam oſtẽdamus. mouetur enim animus ſtatim utilitatis cõmemoratione. nam omnis deliberationis finis eſt utilitas, ut pro lege Man. Cicero docet utiliſſimum fore bellum contra Mithridatem, quoniam in eo agitur populi R. gloria, agitur ſalus ſociorum atque amicorum, aguutur certiſſima populi R. uectigalia & maxima, aguntur bona multorum ciuium. hæc enim omnia ſunt vtiliſſima. Quartum eſt ut doceamus noxium & perniciosum inimicis id fore, quod ſuademus. omnes enim inimicis ſuis maleſacere, atque iocommodare concupiſcunt. cum adoleſcens quidam à Diogene Cynico petiſſet, qua ratione poſſet iuimicos ſuos ulciſci, reſpoudit Diogenes, ſi te quamoptimè geſſeris. nam uirtutes & egregia facta magnũ inimicis dolorem afferre ſolẽt, amicis autem gaudium & lætitiam. Quintum eſt ſi minor pœna ſit quam id quod expetunt, nam æquo animo pœnã ſubeũt homines, cum maiorem utilitatem aut voluptatem ex facto ſuo percipiunt. Cicero in Partitionibus locum hũc ira expreſſit, aut ſi iudicij pœna leuior, quam facti præmium. quod Verrem in Sicilia cum prætor eſſet, feciſſe dicit, tantum enim rapuit, ut deiode iudicij pœnam non timeret. Qui ita (inquit) dictitat, ijs eſſe metuendum, qui, quod ipſis ſolis ſatis eſſet, ſurripuiſſent, ſe tantum rapuiſſe, ut id multis ſatis eſſe poſſit. ita facile pecuniæ cupldo ſuadere poterimus, ut omni ratione lucrari ſtudeat, neque infamiam auaritiæ timeat, cũ dluitiæ maiorem uoluptatem, quam auaritiæ ſuſpicio dolorem. ſic enim apud Horatium auarus quidam loquitur.

--populus me ſibilat, at mihi plaudo
Ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arca.

Hæ ſunt rationes quibus aliquid Orator ſuadere poteſt, & coutrariis diſſuadere.

TEXT. *Quin ex iiſdem & accuſant, & defendunt, quibus enim argumentis diſſuadent, iiſdem etiam defendunt, & quibus ſuadent etiam accuſaut. uno uero hoc loco tota Pamphili, & Callippi ars continetur.*

COMM. Oſtendit locum hunc nou tantum in deliberationibus, ſed etiam in iudiciis multum ualere. ſiquidem diceudi genera ita commiſceutur, ut quibus argumentis aliquid diſſuademus, iiſdem etiã defendamus, & quibus ſuademus, eiſdem accuſemus. cum enim aliquid diſſuadere volumus, oſtendimus id, aut nullo modo fieri poſſe, aut non facilo, aut nullam utilitatem habere, aut inimicis gratum fore, aut maiorem eſſe in eo moleſtiam atque periculum, quam emolumentum. ita cum defendimus oſtendere conamur, reum efficiendi facultatem non habuiſſe, aut difficulrer id facere potuiſſe, aut nullum ex eo facto fructum ſperaſſe. aut iuimicis rem gratam facere noluiſſe, aut denique non tam ſtulrũ fuiſſe, ut paruæ utilitatis gratia tantum periculum ſubire uellet. hæc enim omnia defenſionem adiuuant, & coniecturam ucriſimiliorem efficiunt. contra uero cum accuſamus, eos locos perſequimur, quibus utimur in ſuadendo. ut facultatem habuit committeudi ſceleris, facile committere potuit, magnas utilitates in eo ſibi propoſitas intelligebat, inimicum ulciſci cupiebat. periculum ſe perrumpere poſſe ſperabar. quare tantum mutata dicendi ratione, eodem manente loco, poterimus & deliberationes, & iudiciales coutrouerſias tractare. quod cũ intelligerent duo rhetores antiqui Callippus & Pamphilus totam artem ſuam Rhetoricam ſuper hoc uuo loco fuudauerunt, ex quo intelligitur, quam imperfecte atque imperitè illi artem tradiderint. De Callippo meminit Plutarchus in Dione, quem Platonis quidem auditorem fuiſſe dicit, ſed ſceleſtum hominem, quippe qui Dionem per proditiouem occiderit, Pamphilum autem quaſi per contemptionem L. Craſſus apud Ciceronem tertio de Oratore ira nominat, Pamphilumque neſcio quem ſiuamus iu inſulis tantam rem, tanquam pueriles delitias aliquas depingere. de hoc memioit etiam Suidas.

Alius locus ex iis, quæ fieri quidem uidentur, ſed ſua ſponte incredibilia ſunt, quoniam non crederentur, niſi aut iam eſſent, aut prope eſſent. TEXT.

COMM. Argumentum ab incredibili, uel ab effectu, uel ab aliqua ſimilirudine probatur. cũ enim aliquid ſua ſpõte eſt inctedibile, ſi effectus appareat, multo magis animos mouet ad credendum. ut quod mater extinctum filium ſuum cupiat, hoc ſua ſpõte uidetur incredibile. quouiam matres ferè omnes filios ſuos tenerè amant, ſed Cicero pro Cluẽtio probat ab effectis Saſſiam Cluentij matrem filio ſuo mortem machinari. Quare ita Iudices cõtra illã excitat, Quo euim eſt ipſum oomen amantius indulgentiuſque maternum, hoc illius matris, quæ multos iam annos, & nuuc cum maximè filium interfectum cupit, ſingulare ſcelus maiore odio dignum eſſe ducetis. pro Cor. Balbo docet à ſumma Cn. Pompeij præſtantia, ueram illam eſſe ſentẽtiam, quę uulgo incredibilis eſſe putabatur. Qui omues animo uirtutes penitus comprehendiſſet, omnia quæ facere uellet, facillimè tractare. ſæpe etiam ſimilitudo facit, ut quæ putantur incredibilia, uera eſſe uideantur, cuius exemplum paulo poſt ipſe ponit Ariſtoteles.

Imò magis credi debent, homines enim aut ea, quæ uera ſunt, aut ueriſimilia credunt. quod uero incredibile eſt, neque ueriſimile, & tamen fit, id ut uerum ſit neceſſe eſt: neque enim, quia ueriſimile ſit, aut probabile ita uidetur. TEXT.

COMM. Hæc eſt confirmatio huius loci ab adiunctis. dicet enim Orator, rebus huiuſmodi, quæ uulgo incre-

incredibiles exiſtimantur,maiorem eſſe fidē adhibendam cum fieri perſpiciūtur, quam ſi eſſent ueriſimiles. cū enim homines duobus modis ad credendum inducantur,hoc eſt,uel cum uera, uel cū uerisimilia dicuntur,quod incredibile eſt, omnino non eſt uerisimile, quare neceſsitas cogit, ut cum accidit,uerum ſit.neque enim dici poteſt,ita uideri,quia uerisimile ſit,aut probabile,cū ſit præter omnium opinionē.Itaque ſi ueriſimile nō eſt, ut uerum ſit,neceſſe eſt. Cicero pro Roſcio Ame. multis rationibus oſtendit incredibile eſſe patrē à quopiam filio interfici. quem locum ita deinde cōcludit,Quare hoc quo minus eſt credibile, niſi oſtenditur,eo magis eſt,ſi conuincitur, uindicandum.Sic etiam fit in aliis rebus omnibus,quanto enim minus ueriſimilia dicuntur, & ab hominū opinione abhorrentia, tanto illa deinde firmius creduntur,cum oſtenduntur. ex hoc loco, qui de rebus admirandis ſcribunt, uberē materiam hauriunt,extat opuſculū ſub Ariſtotelis nomine, de Mirabilibus rebus, in quo multa non uerisimilia recitantur.

TEXT. *Sicuti Androcles Pittheus dixit,cum legem quandam reprehenderet, & ei dicenti obreperent, Egent leges alia lege,quæ illas corrigat.nam & piſces ſalis egent.atqui uerisimile non eſt,neque probabile, cum in ſalſo piſces nutriantur,ſalis indigere.*

COMM. Androcles quidam rhetor,cū in concione legē reprehenderet, & populus id ægre ferens obſtreperet,neque audire uellet,dixit,ſæpe fieri,ut leges alia lege indigeant quæ illas corrigat & emendet, cum autē hoc incredibile uideretur, quadam ſimilitudine probare conatus eſt.dixit enim etiam piſces, quamuis in mari ſalſo naſcantur & nutriantur,tamen,ut diu conſeruentur ſalis indigent. atqui(ait Ariſtoteles)hoc uerisimile non eſt, neque probabile,& tamen eſt uerum. nam niſi ſale condiantur piſces, facile computreſcunt. ita leges etiam interdum alia lege ſunt emendandæ.

TEXT. *Atqui etiam oliuæ egent oleo, cum tamen hoc incredibile ſit,ut ex quibus oleum conficitur, illæ oleo indigeant.*

COMM. Alia ſimilitudo,qua idem probatur.nā etiā oliuæ(inquit)ut conſeruentur, egent oleo, cum tamen hoc incredibile uideri poſsit.nihil enim eius rei indiget,qua abundat, ſed oliuæ abundāt oleo, cum ex eis oleum conficiatur, non igitur olei indigent.& tamen uſus aliter oſtendit, cum in oleo ſeruentur oliuæ. notandum eſt hanc apud Athenienſes fuiſſe conſuetudinem,ut oliuas in oleo cōſeruarent, atque illis ita conditis pro obſoniis uterentur. ſed uariis modis apud ueteres condiebantur oliuæ, ut Palladius docet. in Attica regione magna erat olearum copia, quæ arbor erat Palladi dicata,ut Virgilius,

Palladia gaudet ſylua uiuacis oliuæ.

TEXT. *Alius locus ad refellendum accommodatus cum inter ſe diſsidentia ſpectamus,ſiquid in aduerſarij perſona poſsimus inuenire, quod diſsideat, ex omnibus temporibus,actionibus,orationibus, ut. Iſte quidem ait ſe nobis amicum eſſe, ſed tamen cum triginta tyrannis coniurauit.*

COMM. Ad reprehenſionem aduerſarij multum ualet hic locus, cum aliquid oſtendere poſſumus ab eo dictum,aut factum,quod minime conueniat.ut ſi pugnantia dixerit,aut inter ſe diſcrepantia,aut ab aliis diſsidentia, quo in loco ſunt præterita & præſentia tempora conſideranda,ut ſi aliter alias dixerit,aut geſſerit,quam nunc dicat, aut gerat. Sunt etiam actiones & orationes diligenter aduertendæ,an aliquo modo inter ſe diſcrepent. nam ita refelli facillime poterit aduerſarius, ſi qua in eius dictis aut factis repugnantia reperiatur.exemplum primo ponit Ariſtoteles,cum præteritis factis præſentia dicta repugnant, quidam ciuis Athenienſis dicebat ſe Reip.amicum eſſe,ſtatuque illo populari gaudere. ſed eius aduerſarius mentiri eum ab anteacta uita ita probauit,quod cum illis triginta tyrannis,qui Remp.euerterant,coniuraſſet.huius rei pulcherrimum exemplum eſt apud Ciceronē in ſecunda Philippica cum ita inquit, Tam autem eras excors ut tota in oratione tecum ipſe pugnares,ut non modo non cohærentia inter ſe diceres, ſed maximè diſiuncta atque contraria, ut non tantum mecum,quanta tecum tibi eſſet contentio.uitri cum tuum fuiſſe in tanto ſcelere fatebare, pœnæ affectum querebare.& paulo poſt,Nihil profecto ſapis. quid eſt enim dementius quam cum ipſe contra Remp. pernicioſa arma ceperis obijcere alteri ſalutaria? tale eſt illud Iuuenalis Satyra ſecunda,

—caſtigas turpia,cum ſis
Inter ſocraticos notiſsima foſſa cinædos.

TEXT. *Aut etiam ſeorſum in perſona noſtra,ut, Iſte quidem ait me ſectatorem eſſe Litium,ſed tamen non poteſt oſtendere quemquam à me unquam in iudicium uocatum.*

COMM. Hic locus tribus modis tractatur uel à perſona aduerſarij,ut in ſuperiori exēplo,uel à noſtra perſona,uel ab utriuſque.refutatur aduerſarius à perſona ſua,cum oſtenditur ea dicere, quæ contraria ſint alijs dictis,aut factis ipſius.ut Salluſtius contra Ciceronem, etiam ne aures noſtras onerabis tuo odio,etiam ne moleſtiſsimis uerbis inſectabere?cedant arma togæ,concedat laurea linguæ.qua ſi uero togatus, & non armatus ea, quæ glorians confeceris.Cicero in Piſonem, Tu es ille cui crudelitas diſplicet? cui cum Senatus luctum ac dolorem ſuum ueſtis mutatione declarandum cenſuiſſet,cum uideres mœrere Remp. amplisſimi ordinis luctū,ò noſter miſericors quid facis?quod nulla in Barbaria quiſquam tyrannus.& quę ſequuntur.à perſona uero noſtra refutatur aduerſarius, cum ea falſa oſtenduntur, quæ in nos ab eo dicta ſunt,ut in Ariſtotelis exemplo, apertè mentitur aduerſarius meus, qui me ſectatorem eſſe litium ait,cum nullum unquam hominem in iudicium à me uocatum oſtendere poſsit.Cicero pro Roſcio Com. Nonne ut ignis in aquam cōiectus continuo. reſtinguitur & refrigeratur, ſic referuens falſum

falſum crimen in puriſsimā & caſtiſsimā uitā collatū ſtatim concidit, & extinguitur? Roſcius ſociū fraudauit? pōt hoc homini huic hærere peccatum? qui medius fidius, audacter dico plus fidei, quam artis, plus ueritatis quā diſciplinæ poſsidet in ſe.

TEXT. *Partim uero in noſtra atque aduerſarij perſona, ut, Iſte neminem unquam ſua pecunia ſubleuauit, ego autem multos ueſtrum ab hoſtibus captos redemi.*

COMM. Tertio modo tractatur hic locus ab utriuſque perſona hoc, eſt à noſtra, & aduerſarij, cū oſtendimus aduerſarij facta plurimū à noſtris diſcrepare, noſq; utilitatem attuliſſe Reip. aduerſarium autē uel nihil profuiſſe, uel ēt damnum dediſſe. ut ſi ita dicamus, Inique me aduerſarius auaritiæ, Iudices, inſimulat, cum ipſe pecunia ſua neminem unquā adiuuerit, ego uero liberalitate mea multos ciues ab hoſtibus captos redemerim. hęc autem appellatur contentio, cū inter ſe contraria comparantur. quo genere frequentiſsime Cic. utitur ut in Piſonem, Atque ut tuum lætiſsimum diem cum triſtiſſimo meo conferā, utrū tandē bono uiro & ſapienti optabilius putas ſic exire à patria, vt oēs ſui ciues ſalutē, incolumitatem, reditū precentur, quod mihi accidit, an qđ tibi proficiſcēti euenit, ut oēs execrarentur, male precarentur, unā tibi illā uiam & perpetuā eſſe uellent. Idem. 8. Philippica, Nam me tecum iracunde agere dixiſti ſolere, nō eſt ita. uehementer me agere fateor, iracunde nego. omnino iraſci amicis nō temere ſoleo, ne ſi merentur quidem. itaque ſine uerborum contumelia à te diſſentire poſſum, ſine animi ſummo dolore nō poſſum. parua eſt. n. mihi tecū, aut parua de re diſſenſio? ego huic uidelicet faueo, tu illi? imo uero ego D. Bruto faueo tu M. Antonio. ego conſeruare coloniam populi R. cupio tu expugnare ſtudes.

TEXT. *Alius locus eſt, cum homines, uel res non uidentur affines ei culpæ, cuius accuſantur, cauſam eius criminis, quod præter opinionem accidit, explicare, eſt. n. aliquid propter quod ita uideatur, ut, Mulier quædā, cum ſe filio ſubieciſſet, ut eum blandius ſalutaret, uiſa eſt ſtuprum cum adoleſcente illo commiſiſſe, ſed explicata cauſa, ſtatim crimen ſolutum eſt.*

COMM. Interdum accidit, ut hoīes, aut res in turpē aliquam opinionē eius uitii ueniāt, qđ ab eis prorſus alienū antea eſſe uidebatur. ut ſi Cato proditor eſſe dicatur, aut Xenocrates adulter, qđ ille cum hoſtibus occultè loqui uiſus fuerit, hic aūt cum matrona nocte ſit deprehenſus. atqui neutri horū crimen illud hærere videtur, qm̄ Cato Reip. ſit amātiſsimus, Xenocrates aūt continentiſsimus. cauſā igitur quærere oportet, cur Cato cū hoſtibus occulte locutus fuerit, & cur Xenocrates nocturno tēpore cū matrona ſit deprehenſus. quod ſi cā fuerit explicata, ſtatim crimen erit diſſolutum. ut ſi Cato dicat ſe cū hoſtibus occultè locutum fuiſſe, ut eorum conſilia ſcrutaretur, & intelligeret, quo melius Remp. adminiſtraret, non aūt ut eam proderet. & Xenocrates probet ſe comitē eius matronę fuiſſe, cui neceſſe eſſet, nocte pro ſalute uiri ſui amicos adire, cum is eſſet in uitæ periculo conſtitutus. idq; ſine lucerna feciſſe, quo res eſſet occultior, & ab aduerſariis non intelligeretur. hoc mō purgabitur crimen illud, quod licet incredibile uideretur, & præter omnium opinionem, tamen iā erat uulgatum & diſſeminatum, & facere fidem cum admiratione cæperat. exemplum quod affert Ariſtoteles eſt hoc, Quædam mulier cum filium ſuum diu non uiſum uehementer oſculari atque amplecti cuperet, ei ſe ſubiecit, atque os ori admouit, brachiiſque ſuis totum illum implicuit. ſed cum à quibuſdā in eo habitu uiſa ac ſpectata fuiſſet, exiſtimata eſt, cum filio ſuo ſtuprum cōmiſiſſe, atque ita infamis haberi cæpta eſt. licet. n. uerisimile non eſſet, tantum ſcelus à matre ſuiſſe commiſſum, ut cum filio ſuo corpus miſceret, tamen habitus ille atque actus in quo uiſa fuerat, facinus clamitare uidebatur. ſed poſtquā intellectum & oſtenſum fuit, id à matre factum deſiderio exoſculandi & amplectendi filij, quem longo tempore non uiderat, ſtatim ab eo crimine liberata fuit.

Et in Aiace Theodectis, Vlyſſes Aiaci cauſam explicat, cur cum ipſe eſſet Aiace fortior, non tamen eſſe uideretur. TEXT.

Theodectes poeta tragicus fabulam Aiacē nomine conſcripſit ut ēt ſupra dictum fuit. in qua facit Vlyſſem & Aiacem inter ſe uerbis altercantes. atq; inter cætera quæ Vlyſſes contra Aiacē dixit, illud ēt addidit, ſe Aiace longè eſſe fortiorem. & qm̄ hoc pter omnium qui utrunque norāt, opinionem erat, cām explicuit Vlyſſes, cur quāuis ipſe eſſet Aiace fortior, tn̄ aliis non eſſe talis uideret. nā niſi cām addidiſſet, merito rideri poterat, qđ ea diceret, q̄ contra omnium ſnīam eſſent. quam uero cām attulerit Vlyſſes, neque Ariſt. addidit, neque nos ſcire poſſumus, quia Theodectis fabula non amplius extat. hæc aūt appellātur Græco noīe paradoxa, q̄ pter oīum opinionē proferunt, q̄ niſi firmis rōnibus probent, incredibilia videri ſolent, vt illa Stoicorū, Qđ nihil bonū niſi uirtus. Qđ ſolus ſapiens ſit diues. & illa, q̄ leguntur in euangelio, Beati qui pſecutionem patiuntur pp iuſtitiā, quoniam ipſorum eſt regnū cælorū: Beati eſtis cū maledixerint uobis hoīes, & perſecuti uos fuerint, & dixerint omne malū uerbū aduerſum uos mentiētes pp me, gaudete & exultate quoniā merces ueſtra copioſa eſt in cælis. nam ſi tollas cauſam his paradoxis additā, nihil incredibilius eis uidebitur. COMM.

Alius locus eſt à cā, ut ſi cā extiterit, factum eſſe dicatur, ſi nō extiterit, non eſſe factum. nam ſimul eſt cauſa cum eo, cuius eſt cauſa, & ſine cauſa nihil eſt. TEXT.

Cauſarum locus latiſsimè patet, & maximam oratori dicendi copiam ſubminiſtrat. nam cū aliquid factum eſſe probare uult orator, cām explicare debet, cum autem factum negat, cām nullā fuiſſe doceat. fere. n. fieri ſolet, ut cā ſemper cum eo ſit, cuius eſt cā, neq; quicquam ſine cā fiat. ut cur in patriam Catilina cōiurauit? quoniā magno ære alieno preſſus ſoluendo non erat. & ſcelerum ſuorū pęnas ſe daturū aliqn̄ timebat. cur M. Antonius triumuir Ciceronem interficiendum denotauit? COMM.

qm̃ in eum acerrime Cic. fuerat inuectus. diligẽter autem Cic. in orationibus ſuis cauſss factorũ inueſtigat, ut pro Milone, probat P. Clodium multas habuiſſe cauſas, cur Milonem interficere cuperet. ut ſatis eſt quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei cauſam, magnam ſpem in Milonis morte propoſitam, magnas utilitates fuiſſe. itaque illud Caſſianum, cui bono fuerit, in his perſonis ualeat, & ſi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi ſæpe paruo. contra uero pro Roſcio Am. copioſè probat nullam fuiſſe canſam, quare patrem Roſcius interficeret, ant quare pater filiũ odiſſet. Nam (inquit) ut illud incredibile eſt, mortem oblatam eſſe patri à filio ſine plurimis, & maximis cauſis, ſic hoc uerisſimile non eſt, odio fuiſſe parenti filiũ, ſine cauſis multis, & magnis, & neceſſariis. quam aũt latè pateat hic locus, & quã utilis ſit in omni rõne diſſerendi, quãq; ſint uariç cãrum ſpecies, nos copioſe docuimus in commentariis, quos olim in Partitiones Ciceronis conſcripſimus. non. n. tantũ philoſophi & oratores, ſed ẽt hiſtorici & poetæ rerũ geſtarum cauſas frequenter inueſtigant, & explicant, ut apud T. Liuium videre licet. & apud Virgilium, qui primo ſtatim ita canit,

Muſa mihi cauſas memora, quo numine læſo,
Quid ue dolens regina deum tot uoluere caſus
Inſignem pietate uirum, tot adire labores
Impulerit, tantæ ne animis cœleſtibus iræ?

Sic etiam apud Homerum & Herodotum frequentisſime cauſæ rerum explicantur.

TEXT. *Vt Leodamas in defenſione ſua dixit. cum enim Thraſybulus eum accuſaret, ac diceret, eius nomen tanquam infamis & hoſtis in columna, quæ in arce erat, olim inciſum fuiſſe, ſed ab eo, cum triginta rerũ potirentur, fuiße abraſum, reſpondit illud non eße uerisſimile, Nam mihi (inquit) triginta tyranni magis credidiſſent, ſi quas cum populo geßiſſem inimicitias, in columna ſignatas uidiſſent.*

COMM. Exemplum hoc à cãæ negatione ducitur, ut ſi nulla cã fuit, neq; factum fuiſſe oſtẽdatur, Thraſybulus, cum triginta illos tyrannos exegiſſet, quos Lacedæmonij deuictis Atheniẽſibus impoſuerãt, Leodamantem perduellionis reum fecit, & maieſtatis accuſanit, qđ enm cũ triginta illis tyrannis conſenſiſſe diceret, & hoſtem populi Athenienſis fuiſſe. qđ ut magis confirmaret, addidit ipsũ Leodamantẽ olim à populo Athenienſi notatũ infamia fuiſſe, atq; eius nomẽ in columna, q̃ erat in arce poſita, publicè fuiſſe inſcriptũ. nã hæc fuit olim apud Athenienſes conſuetudo, vt in colũna nomẽ eorũ inſcriberent, quos infamia publice notarẽt, qui idcirco ςηλῖται poſtea dicebanẽ. ſed cũ eo tpe, quo Thraſybulus Leodamantẽ accuſaret, Leodamantis nomen in colũna non extaret, neq; ueſtigiũ ullum eius noĩs appareret, Thraſybulus dixit, ab ipſo Leodamãte fuiſſe abraſum quo tpe triginta rerũ potirent, apud quos ipſe multũ gratia ualeret, atq; hoc feciſſe, ne publica ſuæ infamiæ nota conſpicereẽ. ad hoc crimen ita Leodamas reſpondit, ut diceret, non eſſe ullo mõ uerisſimile, neque ullã fuiſſe cãm, cui regnantibus triginta tyrannis, qui Athenienſi populo maxime erant infenſi, nomen ſuum uellet ex colnmna abradere, ſi fuiſſet inſcriptum. nã (inquit) ſi triginta uidiſſent in columna ſignatas inimicitias, quas ego cũ populo geſſiſſem, ꝑꝑ quas me tanquam hoſtem notaſſet, multo maiorem mihi fidem adhibuiſſet, & longe maiorem apud illos gratiam nactus fuiſſem.

TEXT. *Alius locus eſt, uidere an melius alia rõne ac uia potuiſſent ea geri, quæ uel ſuadet facienda eſſe, uel facit, uel iã fecit. perſpicuum eſt. n. niſi ita ſit, eũ non feciße. nã nemo ſciẽs uolensq; ea, q̃ deteriora sũt, eligit.*

COMM. In defenſione uidere dẽt Orator, an qđ arguiẽ reus feciſſe, potuerit cõmodius aut melius alio tẽpore, uel alio loco, nel alio mõ facere. nã ſi probatum fuerit, neq; tp̃s, neq; locũ, neq; modũ idoneũ fuiſſe, facile crimen eſſe falſum oſtendeẽ. quia nemo eſt, qui ſua ſponte q̃ deteriora ſunt, eligat. qđ aũt ait Ariſt. uel ſuadet facienda. ſic eſt intelligendũ, ut ſæpe ẽt qui malũ conſiliũ dedit in iudicium nocetur, non aũt tm̃ is, qui malefacit. parum. n. intereſt, inter ſuaſorẽ facti, & factorẽ. ab hoc uero loco ſæpisſime Cic. deducit argumẽta, ut pro Milone, probat non in aĩo fuiſſe Miloni ut Clodinm interficeret, cum eius occidendi multas & præclaras occaſiones ꝑtermiſerit. Quẽ ſi (inqnit) interficere noluiſſet, quantæ, quoties occaſiones quã ꝑclarę fuerunt, potuit ne cum domnm ac penates ſuos illo oppugnante defenderet, iure ſe ulciſci? & q̃ ſequuntur. qnẽ locũ ita cõcludit. Quẽ igitur cũ oĩum gr̃a noluit, hunc uoluit cũ aliquorũ querela? quẽ iure, quẽ loco, quẽ tpe, quẽ impune non eſt auſus, hunc iniuria iniquo loco, alieno tpe, periculo capitis, non dubitauit occidere. pro Deiotaro. Quid ait medicus? nihil de ueneno, at id fieri potuit, primo occultius in potione, uel in cibo. deinde ẽt impunius ſit, qđ cũ eſt factũ negari p̃t. ſi palã te interemiſſet, oĩum in ſe gentiũ non ſolũ odia ſed ẽt arma conuertiſſet, ſi ueneno Iouis quidẽ illius Hoſpitalis numen nunquã cælare potuiſſet, hoĩes uero fortaſſe cælauiſſet. qđ igitur & occultius conari, & efficere cautius potuit, id tibi & medico callido, & ſeruo, ut putabat, fideli nõ credidit, de armis, de ferro, de ĩſidiis cælare te noluit? pro A. Cluentio, Iã uero illud quã nõ probabile, quã innſitatũ Iudices, quã nouũ, in pane datũ venenũ? facilius ne potuit quã in poculo? latentius potuit abditũ aliqna in parte panis, quã ſi totum colliquefactum in potione eſſet? celerius potuit comeſum, quã epotũ in nenas atque in omnes partes corporis permanare? facilius fallere in pane, ſi eſſet animaduerſum, qnam in poculo, cum ita confuſum eſſet, ut ſecerni nullo modo poſſet?

TEXT. *Sed hoc falſum eſt, ſæpe. n. accidit, ut, quod facere melius erat, poſtea coguoſcatur cũ incertũ eſſet antea.*

COMM. Hnne locũ eſſe captioſum & fallacẽ oſtendit. nã ſæpe ſit ut hoĩes decipiãtur, & primo nõ aduertãt, q̃d melius & cõmodius ſit. poſt factũ aũt id cognoſcant, quod antea ignorauerant. multa enim

ſunt,

ſunt, quæ ſi iterũ fieri poſſent, multo melius quã antea fierent. tempus.n. & uſus rerum agẽdarum rõnem aperit. præterea ſæpe accidit, ut audaces & temerarij non aduertãt quid melius aut deterius, ſed impetũ animi ſequant, ſicuti contra callidi & aſtuti ſæpe non audent aggredi quæ excogitarũt. qđ ita pro A. Cluentio Cic. ait, Hoc uno mõ Iudices ſæpe multorum improbitate depreſſa ueritas emergit, & innocẽtię defenſio interclusa reſpirat, qđ aut ij, qui ad fraudẽ callidi ſunt, non tantũ audẽt, quãtũ excogitant, aut illi, quorũ eminet audacia, atq; ꝓiecta eſt, à conſiliis malitiæ deſeruntur.

TEXT. *Alius locus eſt, uidere, an quicquam geri debeat, quod rebus iam geſtis contrarium ſit. ut Xenophanes cum ab eo petiſſent Eleatæ, utrum, cum Matutæ ſacrificarent, lugerent, nec ne: conſuluit, ut ſi deam illam eſſe putarent, ne lugerent, ſi hominẽ, ne ſacrificarent.*

COMM. Hic locus ex inſpectione & conſideratione pugnantium ducitur, & ab utraque parte concludit, iõ rhetores complexionem uocant, & ex eo firma ducuntur argumenta. de hoc Cic. 1. de Inuẽtione ſic ait, Complexio eſt, in qua utrum cõceſſeris, reprehenditur, ad hunc modũ, ſi improbus eſt, cur uteris? Sin probus, cur accuſas? in orationibus Ciceronis multa ſunt huius loci exempla, ut pro Q. Ligario, Nunc q̃ro utrũ ueſtras iniurias, an Reip. perſequamini? ſi Reip. quid de ueſtra in ea cã perſeuerantia rñdebitis? ſi ueſtras, uidete ne erretis, qui Cęſarem ueſtris inimicis iratum fore putetis, cum ignouerit ſuis. pro M. Cœlio, ſi.n. tam familiaris erat mulieris quam uos uultis, iſtos quoque ſeruos familiares eſſe dominæ ſciebat, ſin ei tanta conſuetudo, quanta à uobis inducitur; non erat, quæ cũ ſeruis patuit familiaritas eſſe tanta? item pro eodem, ſi tam familiaris erat Clodiæ, quã tu eſſe uis, cũ de libidine eius tã multa dicis, dixit profecto, quo uellet aurũ, ſi tam familiaris non erat, non dedit, ita ſi uerum tibi Cælius dixit, ò immoderata mulier. ſciens tu aurum ad facinus dediſti? ſi non eſt auſus dicere, non dediſti. Exemplũ Ariſtotelis hoc eſt. Xenophanes Colophonius philoſophus cum ab eo petiſſent Eleatę an in ſacrificiis Matutæ deæ, luctus emitterent, erat.n. illa conſuetudo apud ueteres aliquos, ut cum Deis aliquibus ſacra facerent, immenſas lamentationes & luctus effunderent, & pectus atque caput percuterẽt, ſic Aegyptij ſuum Oſirim colebãt. ſic Eleatæ Matutam, quæ fuit Ino Cadmi filia & à Græcis Leucothea appellata, de qua ita Cicero libro Tuſcul. primo, Quid? Ino Cadmi filia nonne Leucothea nominata à Græcis Matuta habetur à noſtris? quem imitatus Ouidius ſexto Faſtorum ſic ait,

Leucothoe Graiis, Matuta uocabere noſtris
In portus nato ius erit omne tuo.

Cũ igitur à Xenophane uiro ſapiente petitum eſſet ab Eleatis, an lugẽdum eſſet in Matutæ ſacrificiis. ita reſpondit; ſi Deam eſſe Matutam putatis, ne lugete, ſin hominem ne illi ſacrificate.

TEXT. *Alius locus eſt, ex ijs, quæ male facta ſunt, uel accuſare, uel defendere. ut in Carcini Medea, quidam Medæam accuſat, dicens ab ea filios interfectos, quoniam illi nuſquam apparebant. in hoc enim peccaret Medæa, quod filios ſuos amandaſſet. ſed ipſa ſe defendit, quòd Iaſonem potius quam filios interfeciſſet, ſi quempiam interficere uoluiſſet. nam omnino peccaſſet, niſi hoc feciſſet, cum illud alterum perpetraſſet.*

COMM. Sæpe fit ut in accuſando, aut defendẽdo, error aliquis nobis dicendi materiã ſuppeditet, & tunc ab hoc loco ducimus argumẽta. in accuſando quidem cum error à reo commiſſus anſam fingendi criminis accuſatori præbet. in defendendo autem cum ab eodem errore reus occaſionem ſui defendendi arripit. quod exemplo probat Ariſto. ducto e Carcini Medęa. fuerunt autem duo Carcini poetæ Tragici, ut Gyraldus aſſerit, quorũ alter Agrigentinus, qui cum fabulam meditaretur à ſerpente demorſus occubuit, alter Athenienſis qui centum & ſexaginta fabulas edocuit, cum tamen in una ſola uictor fuerit, hunc Ariſtophanes in Pace (id nomen eſt comœdię) multis conuiciis lacerat, de quo intelligit hoc loco Ariſt. Medæam.n. fabulam cõſcripſit, in qua fingit Medæam ipſam ſuos filios amandaſſe, cum necẽ Iaſoni marito ſuo propter pellicatum meditaretur. unde quidam cũ Medææ filii non apparerent, cœperunt illam accuſare tanquam filiorum interfectricem, errauerat enim in eo Medæa, quod filios amandare nõ debuerat, ut res eſſet occultior, & in ſuſpicionem parricidij non incurreret. Sed Medæa ex eodem errore ſuo ducit argumentum hoc modo; falſum eſt, qđ mihi ab aduerſariis crimen obiicitur, non.n. necaui filios, ſed amandaui. nam ſi quempiam interficere uoluiſſem, Iaſonem potius à quo grauem iniuriã acceperam, quam innocentes filios occidiſſem. quod ſi tam graue ſcelus, ut uultis, perpetraſſem, nonne deinde magnopere peccaſſem, niſi etiam Iaſonem ſtatim trucidaſſem? eſt autem hic locus communis de quo licet in utranque partem diſputare. ut accuſant aliqui Ciceronem tanquam pernicioſiſſimi belli & triumuiratus auctorem, quoniam Octauianum Cæſarem ita amplexus eſt, ut eum uehementer extulerit, & ad magnas dignitates euexerit, qui deinde cum Antonio & Lepido Remp. occupauit. nam omnino peccauit in eo Cicero, quod Octauianũ ſperabat libertati Romanę fauturũ, & contra Antoniũ quẽ ipſe oderat, arma laturũ. aliqui uero Ciceronẽ defendunt, quod animus eius ſit ſpectandus, non aũt exitus rei, bono .n. animo pro ſalute Reip. Cic. ſe Octauiani fautorẽ præbuit, nõ ut Remp. euerteret, quã propria uita chariorẽ habebat. ab hoc loco totã orationẽ ꝓ C. Rabirio poſthumo Cic. duxit, nã peccauerat in eo Rabirius qđ multas pecunias Ptolemæo regi Aegyptio mutuo dediſſet, quas ut reciperet, poſtea coactus eſt in Aegyptum ꝓficiſci, & ipſi regi quodãmõ ſe ſubijcere, atque ei ſeruire, hinc nacti occaſionẽ aduerſarij C. Rabiriũ accuſarũt duplici crimine, hoc eſt Repetundarũ, & Maieſtatis. qđ contra leges pecuniam accepiſſet, & qđ contra dignitatẽ equitis R. externo regi ſeruiuiſſet, at eum

defendens Cic. fatetur in eo peccaſſe Rabirium qđ pecunias regi mutuo dederit,ſed à crimine Repetundarũ & Maieſtatis defendit. Itaq; ſic eã orationem exorditur, Siquis eſt Iudices, qui C.

TEXT. *Alius locus eſt à conſequente, ut in Alexandro, quod uir eſſet excelſo animo, quia ſolus in Ida monte, relicta æqualium conſuetudine, uitam ageret. nam quia excelſo animo uiri tales ſunt, etiam hic talis uideri poſſet.*

COMM. Hæc fallacia conſequentis, tota pendet ab hominum inſcitia atq; imperitia, qui nõ ſatis diſcernere ſciunt, quæ conſequentia ſint, & q̃ nõ, & plerunq; putant ea reciprocari, & uiciſſim retro commeare, q̃ minimè reciprocantur. hinc multæ fallaciæ naſcuntur, q̃ & à quadam intelligentia proficiſcuntur, & ab aliquo ſenſu. atq; ab intelligẽtia quidem, ut ſiquis intelligat oẽs philoſophos eſſe eruditos, & putet ẽt uiciſſim, oẽs eruditos eſſe philoſophos, à ſenſu uero, ut ſiquis uideat omne mel eſſe flauum, & putet ẽt uiciſſim omne flauum eſſe mel. aut quoties pluit terrã fieri madidam uideat, deinde cogitet, quoties terra madida eſt pluiſſe. exemplum Ariſtotelis à cõi quadam magnanimorum uirorum conſuetudine ducitur. ſolent.n. magno & excelſo aĩo uiri plerũq; ſolitudine delectari, neq; ſeſe inter gregarios committere. quod ſiquis putaret, hoc retro commeare, oĩno deciperetur hoc modo. magno & excelſo animo uiri ſolitudine delectantur, ergo quicunq; delectantur ſolitudine magno & excelſo animo uiri ſunt. hoc. n. falſum eſt. quia triſtes ẽt & melãcholici viri & mulieres ſolitudinem amant. uſus eſt hac fallacia rhetor ille, quicunq; fuerit, qui Paridem ſeu Alexandrum Priami filium laudauit. nã inter cęteras eius laudes illam ẽt poſuit, qđ excelſo animo uir eſſet, qđ cũ probare uellet, eã rõnem addidit, qđ ſolus in Ida monte, relicta ſuorum æqualium conſuetudine, uitam ageret. nã quia magnanimi uiri tales eſſe ſolent, ut ſolitariam uitam amplectantur, etiã Paris magnanimus uideri poſſet. uerum (ut dixi) non hæc ratio conuertitur. multi enim ſolitariam uitam amant, etiam ſi non ſint magnanimi.

TEXT. *Et quia ueſtitu nimio indulget, & noctu uagatur, adulter eſt: tales enim ſunt adulteri.*

COMM. Hoc idẽ exẽplũ poſuit ẽt in Elenchis, qđ à conſequenti ſigno ducitur. ut, quoniã adulteri ſolent optime veſtiri cultoque eſſe corpore, & nocturno tpe uagari, qui ueſtitu nimio indulget, & noctu uagaĩ, adulter eſſe vř. ſed hoc non neceſſario ſequitur, licet. n. oẽs adulteri, ſe multũ exornent, & noctu uagenĩ, non tamen quicunq; ſe multum exornant, & noctu nagant, ſunt adulteri. hæc autẽ fallacia latè patet, cũ ea, q̃ plerunq; fiunt, ſemper fieri ponimus, ut fortes creanĩ fortibus, & bonis Eſt in iuuencis, eſt in equis patrũ uirtus. ergo ẽt in Scipione virtus eſt paterna. hoc. n. falſum eſt. iuuenes intẽperantes eſſe ſolent, ergo ẽt Cælius eſt intẽperans. ita ſigna ẽt naturalia q̃ Phyſiognomones ſequunĩ, plerunq; decipiunt. ut Zopyrus Socratem ſtupidũ eſſe dixit, & bardum quod iugula concaua non hřet. addidit ẽt mulieroſum in quo Alcibiades cachinum dř ſuſtuliſſe. talia ſunt illa argumenta, ſi diues eſt, erit inſolens. ſi pauper, aĩo demiſſo, ſi ſenex, auarus, ſi mulier, inconſtans & mutabilis, ſi mater eſt, filium diligit. nam licet hæc plerunq; uera ſint, tamẽ interdũ falſa reperiũtur.

TEXT. *Eodem modo ſiquis mendicos diceret eſſe beatos, quod in ſacris locis ſuo arbitrio canunt, & ſaltant: atque exules itidem beatos, quod ubicunque terrarũ uoluerint, domicilium habere poſſunt, quoniã. n. hæc ij facere poſſunt, qui beati uidentur, & qui hæc faciũt, beati uideri poſſunt, differt autem quõ hæc fiant, atq; ĩõ in eã fallaciã quæ à defectu naſcitur, hoc ẽt incidit.*

COMM. Siquis ita argumẽtareĩ, Diuites ac beati hoĩes quicquid uolunt, id ſibi licere arbitrantur, ẽt ſi in templo cauere aut ſaltare voluerint, aut mõ in hac mõ in illa ciuitate domiciliũ hře, neq;. n. eſt quiſquã qui illos impediat, ſed potius oẽs fere laudãt, q̃cunq; ab opulentis & fortunatis fiunt. igiĩ quicunque faciunt ea, q̃ uoluerint, ij diuites ac beati ſunt, oĩno fallaciter concluderet. nã hoc mõ fit, vt mendici, atq; exules beati ac diuites ſint. nã mendici ſacris in locis ſuo arbitrio canunt & ſaltant, & exules extra patriã ubicunq; uolunt, domiciliũ hře poſſunt. Sed hæc rõ non retro commeat. licet .n. beati faciant, q̃cunq; uoluerint, non tamẽ, qui faciunt, q̃cunq; uoluerint, ſunt oẽs beati. alioqui mendici & exules beati eſſent. qnoniã illi ut ſtipẽ cogãt in tẽplis arbitrio ſuo canũt & ſaltãt, hi vero uagi quocunq; aĩus fert, eo, pficiſcunĩ. ſed magna eſt dña quõ hæc fiant. quare põt hoc ẽt ad aliud fallaciæ genus ptinere, quæ naſcitur à defectu, cũ quis non plenè, ſed præciſè loquitur. nam ſiquis hãc dñã plenè explicet, decipe nullo mõ poterit.

TEXT. *Alius locus eſt, cum eam dicimus eſſe cãm, quæ cã non eſt: ut quod una cum facto, aut poſt accidit: nam illud ita accipiunt, quaſi propter factum euenerit. & hoc ii præcipue utuntur, qui in Rep. uerſantur: ut Demades aiebat, Demoſthenem in adminiſtratione Reip. malorum omnium cauſam, & auctorem fuiſſe. nam poſtquam is ad Remp. acceſſit, bellum exortum eſt.*

COMM. Cũ alicuius facti non ueram cãm, ſed falſam aſſignamus, in hanc fallaciã incidimus. ut ſiquis dicat eruditionẽ arrogantię cãm eſſe. qnoniã nõnulli pp doctrinã arrogãtes ſũt. aut diuitias ignauiæ eſſe cãm, qđ pleriq; diuites ſint ignaui. Sępe uero fit hæc fallacia, cũ aliqnid una cum facto, aut poſt factum accidit. nam ita id homines accipiunt, quaſi propter illud factum euenerit. ut ſi quis conceptã iam in domo flamma ignarus accedat, & hoſtium aperiat, unde ſtatim ignis exardeſcat, & totam domum incendat, deinde qui hoſtium aperuit, tanquam incendij auctor accuſetur. hac fallacia (inquit Ariſtoteles) ii præcipuè ntuntur, qui res ciuiles tractant, & in Remp. nerſantur. quod exemplo Demadis oratoris probat, qui cum eſſet Demoſthenis inimicus, eum tanquam malorum omnium, quæ tunc erant in ciuitate, cauſam & auctorem inſimulabat. atque illo argumento vtebatur, quod poſtquam Demoſthenes ad Reip. admi-

adminiſtrationem acceſſiſſet, bellum ingens eſſet exortum. atqui nulla eſt hæc concluſio; poſtquam Demoſthenes ad Remp. acceſſit, bellum exortum eſt, ergo Demoſthenes auctor & cauſa belli fuit. ita M. Antonius dicebat Ciceronis cã bellum ciuile eſſe natum, quod eius opera Pompeius à Cæſaris amicitia diiunctus eſſet. contra uero Cicer. 2. Philippica dicit ipſum M. Antonium omniũ malorum quæ in bello ciuili acciderunt cauſam fuiſſe, ſic.n. ait; ut igitur in ſeminibus eſt cauſa arborum, & ſtirpium, ſic huius luctuoſiſsimi belli ſemẽ tu fuiſti. doletis tres exercitus populi R. interfectos, interfecit Antonius, deſideratis clariſsimos ciues, eos quoq; eripuit nobis Antonius. auctoritas huius ordinis afflicta eſt, afflixit Antonius. omnia denique quę poſtea uidimus (quid autem mali non uidimus?) ſi rectè ratiocinabimur, uni accepta referemus Antonio, ut Helena Troianis, ſic iſte huic Reip. cauſa belli, cauſa peſtis, atq; exitij fuit. ita Virgilius in ſexto Aeneidos,

Cauſa mali tanti cõiunx iterum hoſpita Teucris,

TEXT. *Alius locus eſt à defectu, cum nec quãdo, nec quo modo additur, ut ſiquis dicat ab Alexãdro iuſtè Helenam fuiſſe abductam. nam Helenæ pater optionem dederat. neque enim ſemper eodem modo pater optionem dedit, ſed initio tantum, cum eã in ptãte haberet.*

COMM. De hoc loco iam ſupra mẽtio facta eſt, cum eo fallacia prouenit, quòd, qui argumentatur, præciſe loquitur, neque ea explicat, quę opus eſt explicare, ut quo tempore, aut quo modo res geſta ſit. multa enim aliquo tpe concedũtur, quę alio prohibentur, modus ẽt & rõ rei gerendæ multum refert. exemplum Ariſtotelis ab hiſtoria ſumptũ huiuſmodi eſt. cum Helena Tyndari filia iam ad ætatem nobilem perueniſſet, & cæteris omnibus eius ætatis fœminis pulchritudine antecelleret, multi ex uniuerſa Græcia principes eius nuptias appetebãt, & alter alteri minabatur. itaque Tyndarus Helenæ pater, ueritus ne propter filiam ſuam prælium inter procos eius committeretur, iuuenes illos omnes conuocauit, & iureiurando aſtrinxit, ut cuicunque illa obtigiſſet, eum reliqui omnes in ea retinenda adiuuarent, neque ſinerent illi à quoquam iniuriam fieri. quam cum illi conditionem libenter accepiſſent, quia unuſquiſque ſibi illam euenturam ſperabat, Tyndarus optionem filię dedit, vt quem uellet ex omnibus ſibi maritum eligeret, at illa Menelaum elegit. poſt aliquod tempus cum in Græciam Alexander Priami filius adueniſſet, abſente Menelao ſecũ Helena non inuitã abduxit, unde poſtea Græci bellũ in Troianos ſuſceperunt. Siquis igiť Rhetor, Alexandri factũ defendens, ita argumenteť: Alexander Helenã iuſte ſecũ abduxit, pater.n. Helenę dederat optioné, vt quẽ ipſa vellet, ſequereť, oĩno captioſe argumẽtabitur quoniã neq; tps neque modũ explicuit in afferenda facti rõne, non.n. perpetuo tpe conceſſit filiæ Tyndarus, vt quẽ nellet uirũ eligeret, ſed initio tantũ, cum ea nondum eſſet alicui mřimonio copulata. & cũ eam hřet in ptãte. poſtea uero quã ea Menelao nupſit, tũc deſiit eſſe in ptate patris. neq; amplius habuit eã facultatem eligendi uiri, quã illi pr̃ conceſſerat. latè uerò patet hic locus per ea q̃ negociis & perſonis attributa ſunt. cũ .n. aut perſona, aut cã, aut modus, aut tps, aut locus reticet, hęc captio fit, quã à defectu vocamus. vt, licet furẽ nocturnũ interficere. non tamen patrẽ aut matrẽ, licet fures ſint, filio necare licet. dãnandus eſt Horat. qui ſororẽ interfecit. at illa peremptũ hoſtẽ populi R. dolebat. licet cũ uxore ꝓpria rẽ hr̃e. ſed nõ cõtra naturã. licet iocari, & ridere, ſed nõ in luctu publico, aut aliena calamitate. licet canere & ſaltare, ſed nõ in templo aut foro.

Vel ſiquis dicat cædere liberos homines eſſe contumeliam. neque enim hoc quocunque modo uerum eſt, ſed quando quis prior lædere incipit. TEXT.

COMM. Alterum exemplum huius fallaciæ, quod à defectu modi & tpis ducitur. ſiquis.n. ita vniuersè pronũciet, cædere liberos eſſe contumelia, captioſè pronunciabit, quoniã hæc ſñia non eſt perpetuo nera, neq;.n. cõtumelia eſt liberũ hoĩem pcutere, qñ is prior incipit lædere, aut qñ quis ſe, aut aliquẽ ſuorũ detendit. ſed tũc eſt cõtumelia, cũ qs ſine iuſta cã nolẽter incipit manus afferre locio.

TEXT. *Præterea ſicut in litigioſis diſputationibus fit inanis Syllogiſmus, cum abſolutè ſimpliciterque ponitur aliquid, quod non ſimpliciter, ſed cum aliqua adiunctione poni debet, ut apud Dialecticos, cum dicitur id quod non eſt, eſſe. Quod.n. non eſt, eſt id, quod nõ eſt. Et, quod incognitum eſt, ſcientia comprehendi, ſcitur .n. quod incognitum eſt, eſſe incognitum: ſic ẽt in Rhetoricis fit inane enthymema, cũ id ſimpliciter eſſe uerisimile ponitur, quod aliquo mõ tantũ eſt uerisimile.*

COMM. Inter eos ſyllogiſmos, qui non ueri ſunt, ſed tãtum apparẽtes, apud Dialecticos ponit in genus, qđ fit, cũ aliquid abſolutè concludit, qđ tantũ aliquo mõ uerũ eſt. ut ſiquis dicat, mons aureus eſt opinabilis, ergo mons aureus eſt, Cæſar eſt mortuus, ergo Cęſar eſt. qđ nõ eſt, eſt id, quod nõ eſt, ergo qđ non eſt, eſt. qđ incognitum eſt, ſcĩa comprehendi põt eſſe incognitũ, ergo qđ incognitũ eſt, ſcĩa comprehendi põt, quod ſyllogiſmorũ genus ſophiſticũ eſt & captioſum. ait igitur Ariſtoteles ẽt in arte rhetorica hmõi aliqua enthymemata fieri ſolere, ſicut in litigioſis diſputationibus quando ponitur aliquid abſolute uerisimile eſſe, quod non omnino ſed aliqua ex parte tantũ uerisimile ſit. ut ſiquis dicat, opes ac diuitias omnino malas eſſe, quoniã eis plerique male utuntur: aut paupertatẽ eſſe magnopere expetẽdã, quod induſtrios homines efficiat. aut non adminiſtrandam eſſe Remp. quia nos auocet à ſtudiis bonarum artium. bonę leges improbis hominibus pernicioſę ſunt. igitur bonæ leges ſunt malæ.

Hoc autem nõ generatim accidit, ſicut etiam Agathon ait; TEXT.

Veriſimile forſan quis eſſe diceret,
Multa euenire, quæ haud ueriſimilia ſint.

ſit enim aliquando id, quod non erat ueriſimile, quare uerisimile eſt etiam præter ueriſimile.

COMM. Illud, quod non eſt ſimpliciter veriſimile, ſed tantum aliquo modo, non generatim accidere ſolet. quod etiam Agathon pocta intellexit. qui in fabula quadam dixit, illud etiã veriſimile dici poſſe, quòd multa hominibus eueniant, quę prius nõ eſſe veriſimilia videbantur. nam veriſimilia proprie dicuntur, quæ uel ſemper eodẽ modo uel plerunque fiunt, vt quod mater filios diligat, quod bonis bona eueniant, quæ vero præter omnium opinionem & conſuetudinem eueniunt, ea nequaquam ueriſimilia propriè dici poſſunt, vt quod vir prudentiſsimus deceptus ſit, quod mater filium iugularit. & quamuis hæc non ſint veriſimilia, tamen interdum accidit, ut fiant. quare concludi poteſt, veriſimile eſſe, fieri aliquid, quod non ſit veriſimile. ut, non ueriſimile eſt patrem à filio ſine graui cauſa fuiſſe interſectum. ſed ſiquis ſit filius profligatiſsimus, qui multas iã cædes ſecerit, pro cætera eius audacia veriſimile eſt, ab eo parentem interſectum ſuiſſe. itaque ueriſimile eſt, ut aliquid ſigillatim fiat, quod generatim veriſimile non eſt.

TEXT. *Quod ſi ita eſt, id etiam quod ueriſimile non eſt, ueriſimile erit, ſed non tamen ſimpliciter. uerum, ut in litigioſis diſputationibus, cum non additur ex qua parte, & quocum collata, & quo in loco, gignitur captio, ita etiam in hac arte, cum de ueriſimili uerba fiunt, quod non ſimpliciter, ſed aliquo modo ſit ueriſimile.*

COMM. Si uera eſt (inquit) Agathonis poetę ſententia, quod veriſimile non eſt, veriſimile erit. hoc eſt, quod non eſt veriſimile ſimpliciter & abſolute, veriſimile erit ex aliqua parte, vel aliquo modo, vt non eſt veriſimile, quòd vir aliquis ſapiens & robuſtus, ſua ſponte mẽdicet, & iniuriam à deteriore patiatur. & tamen Vlyſſem virum ſapiẽtem & robuſtum ſua ſponte mendicaſſe, & à deterioribus iniurias accepiſſe, quo ad exoptatum finem ſuum perueniret, & de inimicis ſuis pœnam ſumeret, veriſimile eſt. Itaque ſicut apud Dialecticos cum litigandi & altercandi gratia diſputatur, ſępe fiunt captiones & ſycophantiæ. ita ẽt apud Rhetoricos, vt quando tm̃ in parte verum eſt, & non additur ex qua parte. ut ſiquis dicat AEthiopem ſimul nigrum & candidum eſſe, quia nigram faciẽ candidos dentes habeat. aut eundem hominem ſimul ægrum & ſanum eſſe, quod æger pedibus ſit, reliquo corpore valeat. aut Socratem & doctum, & ignorantem eſſe. quia bonus eſt philoſophus, malus rhetor. vel quando nõ exprimitur, quibuſcum res, de qua agitur, comparatur. vt ſiquis dicat idem eſſe magnum & paruum, quoniã equus ſi ad canem comparetur, eſt magnus, ſi ad Elephãtum eſt paruus. aut eadẽ eſſe multa & pauca, vt viginti ſi ad tria cõparentˀ, multa ſunt, ſi ad cẽtũ pauca. vel quando non additur quo in loco aut tpe. vt ſiquis contendat licere choreas agere, & perſonas induere. nõ. n. in ſoro aut in tẽplis licet, neq; omni tpe, vt in luctu publico, aut matutino tẽpore.

TEXT. *Ex hoc autem loco ars Coracis eſt conſcripta. nã ſi reus affinis non eſt culpæ, cuius accuſatur, ut ſi fuerit infirmo corpore, qui pulſaſſe dicitur, facile defenditur: nõ enim eſt ueriſimile. quod ſi culpæ affinis eſt, ut ſi fuerit robuſtus, dicetur non eſſe ueriſimile. quoniam ſciebat ille ſi feciſſet, ueriſimile viſum iri.*

Corax & Tiſias ut Cic. & Quintilianus tradũt, huius artis Rhetoricæ inuentores fuerunt. nã in Bruto ſic ait Cic. Itaq; ait Ariſto. cum ſublatis in Sicilia tyrannis res priuatæ longo interuallo iudiciis repeterentur, tum primum quod eſſet acuta gens illa, & controuerſa natura artem & præcepta Siculos Coracem & Tiſiam cõſcripſiſſe. quam autem fuerit ars illa Coracis imperfecta licet ex hoc loco intelligere. nam in vna tantum ſallaci ratione poſita erat. ponebat igitur Corax duo veriſimilium genera. quorum alterum ſimplex & abſolutum, alterum imminutum & ex aliqua tantũ parte ueriſimile eſſet. deinde iubebat aduertere in defenſionibus & accuſationibus, vtrum, qui accuſatur, affinis culpæ ſit nec ne. hoc eſt utrum crimen eius perſonæ conueniat, an non. non enim omne crimen omni perſonæ conuenit, ut adulteriũ puero non conuenit, neque timido cædes, neque ſapienti proditio, atque ita de reliquis. ſunt etiã crimina quæ conueniant, ut auaro fraus, diuiti & iuueni adulterium, ſeroci & robuſto cædes. quando ergo crimina non conueniunt, neque reus affinis eſſe culpæ videtur, tũc in defenſione, priori genere ueriſimiliũ hoc eſt ſimplici & abſoluto per negationem utendum eſt, ut ſiquis petulantiæ accuſetur, quòd aliquem iniurioſè percuſſiſſe dicatur, & is, qui accuſatur, infirmo ac debili corpore ſit, facilis erit defenſio. quoniam non eſt ueriſimile, qui ſit infirmo corpore, eum eſſe petulantem. & ad percutiendum pronũ. cũ aũt crimen conuenit, & reus vř eſſe culpæ affinis, tunc in defenſione, ſcđo genere ueriſimilium, qđ imminutum eſt, & ex aliqua tantũ parte ueriſimile utendum erit. ut ſi is, qui petulantiæ accuſatur, ſit robuſtus, defenſor dicet non eſſe ueriſimile commiſſum illud eſſe ab eo facinus, cuius facile redargui poſſet, & quãto robuſtior eſt, tanto ſemper diligentius cauiſſe, ne petulantiæ poſſet ueriſimiliter accuſari. in accuſatione uero fit contra, nam ſi reus affinis eſſe culpæ uidetur, priori genere ueriſimilium per affirmationem utendum erit, ut ſi is, qui accuſatur cędis, audax, auarus, & tenuis fuerit, facilis erit accuſandi rõ, quoniam ueriſimile eſt ab audaci, auaro, & tenui cædẽ eſſe factam, qđ ſi crimen non cõuenit, neq; reus eſt affinis culpæ, tunc ſcđo genere uti opus eſt. ut ſi Cato proditionis accuſetur. dicet. n. accuſator, ueriſimile eſſe factam ab eo proditionẽ, quoniã ſperabat ſe facile poſſe eã occultare. ꝑpea qđ intelligebat, hoĩes de ſe ac moribus ſuis bene ſentire, neq; fore, ut quiſquã crederet, eum eſſe proditorem, quem bonum eſſe uirum & patriæ amatorem opinarentur.

Eodem modo etiam in aliјs. nam uel affinẽ eſſe culpæ, uel non affinem oportet. utraque aũt uidentur eſſe ueriſimilia. ſed alterum tãtũ eſt ueriſimile, alterũ aũt nõ ſimpliciter ueriſimile eſt, ſed ut antea dictũ eſt. TEXT.

Quã latè pateat hic locus oſtẽdit, põt. n. omni COMM.

cauſæ

cauſæ accommodari. quoniam quotieſcunque aliquis in iudiciũ uocatur, neceſſe eſt ſemper vt uel affinis culpæ ſit, uel non affinis. utroque autẽ modo, ſicuti docuimus, ueriſimiliter concludi poſſe videtur. Sed hæc eſt differentia, quod alterum tantum abſolutè atque omnino veriſimile eſt. alterum uero quamuis appareat veriſimile, tamen re ipſa, non eſt, ſed ex aliqua parte tantum eſſe uidetur.

TEXT. *Et hoc eſt, quod aiũt, cãm inferiorẽ, dicẽdo ſuperiorẽ fieri poſſe. unde hoĩes iure optimo Protagora profeſſionẽ æquo animo ferre non poterant. eſt enim hoc falſum, non autem uerum, quamuis eſſe veriſimile uideatur. neque in ulla arte reperitur, præterquam in Rhetorica atque Sophiſtica.*

COMM. Paulo ante Ariſtotelis ætatem fuere quidam magiſtri dicendi, qui Sophiſtæ dicebantur, ij profitebantur ſe tenere artem, qua dicendo quis efficere poſſet ut inferior cauſa, ſuperior eſſe uideretur, de quibus ita Cicero ſcribit in Bruto, Tum etiam magiſtri dicendi multi ſubito extiterunt, tũ Leontinus Gorgias, Thraſymachus Chalcedonius, Protagoras Abderites, Prodicus Chius, Hippias Eleus in honore magno fuit, alijque multi tẽporibus eiſdem docere ſe profitebantur arrogantibus ſanè uerbis, quemadmodum cauſa inferior, ita enim loquebantur, dicendo ſuperior fieri poſſet. Protagoras igitur Abderites de quo hic Ariſtoteles loquitur, acerrimus Sophiſtarum fuit, ut A. Gellius teſtatur, qui libro quinto, capite tertio narrat, quemadmodum Democritus cognita Protagoræ, qui in adoleſcentia baiulus erat, ſolertia, eum erudierit. ita ut poſtea docere cœperit, & cum ingentem à diſcipulis pecuniã acciperet, polliceretur ſe id docere, quanam uerborum induſtria cauſa infirmior fieret fortior. hanc eius arrogantiam eruditi uiri non poterant æquo animo ferre, quoniam non ueritate ſed mẽdacio potius nitebatur, & id ſequebatur, quod fictum & adumbratũ quadam ueriſimilitudine uideretur, licet reipſa nõ eſſet probabile. quod quidem ab omni arte alienum eſt. nam omnes artes id inquirunt, quod aut uerũ aut ueriſimile eſt. duæ ſolæ reperiuntur artes, quæ non tantum quod ſimpliciter & omnino veriſimile eſt, ſed etiam quod aliquo mõ tantum uidetur veriſimile, ſequuntur, hoc eſt Rhetorica & Sophiſtica. quam rem M. Antonius libro de Oratore ſecundo ita apud Ciceronem expreſſit, vt igitur in eiuſmodi re, quæ mendacio nixa ſit, quæ ad ſcientiã non ſæpe perueniat, quæ opiniones hoĩum, & ſæpe errores aucupetur, ita dicã, ſi cauſam putatis eſſe, cur audiatis. Quibus ex verbis intelligitur, oratores ſæpe mendacia ſectari ſolere, & errores aucupari, vt iudices in ſnĩam ſuam adducant, & auditoribus id perſuadeant, quod ſibi propoſuerũt. idem etiam ſophiſtæ faciunt. ſic. n. appellantur, qui lucri & oſtentationis gratia philoſophantur.

TEXT. *Ac de argumentationibus quidem, & quæ uera ſunt, & quæ tantum apparent, hactenus dictum eſt. ſequitur ut dicamus etiã qua ratione diſſolui poſſint.*

COMM. Iam locos argumentationũ abſoluit, quarum duo genera eſſe docuit, nã aliæ ueræ ſunt argumẽtationes, aliæ tantum apparent veræ, quãuis non ſint re ipſa. deinceps igitur docere inſtituit, quibus modis argumenta ſolui refelliq́ue poſſint.

TEXT. *Duobus autem modis argumentationes diſſoluuntur, uel contra argumentando, uel reprehendendo.*

COMM. Cũ aduerſariũ noſtrũ refellere volumus, e duobus alterũ faciamus oportet. vel. n. afferemus in contrariã partẽ argumenta, q̃ vel grauiora ſint, vel æque grauia, atq; ita per argumentorũ contẽtionẽ oſtẽdemus nihil ab aduerſario firmiter eſſe cõcluſum. vel ea reprehendemus, q̃ comprobandi cã ſũpſit aduerſarius, demõſtrabimuſq; id, qđ cõcludere ille velit, non effici ex propoſitis, nec eſſe cõſequens. vtroq; genere p̃clarè vtitur Cic. pro Roſcio Am. nã primo argumentatur à Roſcio patrẽ non fuiſſe interfectum, qđ obiiciebant aduerſarij, qm̃ neq; audax, neq; ſicarius, neque luxurioſus eſſet Roſcius, ſed vir probatis moribus. deinde reprehendit Erucij accuſatoris argumenta tanquã inania & leuia. Ego (inquit) res tã leues qua ratione infirmẽ, ac diluã reperire nõ poſſum. Quid ais Eruci tot prædia tam pulchra, tam fructuoſa Sex. Roſcius filio ſuo relegationis ac ſupplicij gratia colenda ac tuẽda tradiderat? quid hoc? & reliqua.

TEXT. *Perſpicuum eſt autem ex iiſdem locis in contrarias partes diſputandi facultatem ſuppeditari. nam argumentationes ex probabilibus ducuntur. uerum probabilia ſæpe ſunt inter ſe contraria.*

COMM. Hunc locũ ita expreſſit M. Antonius apud Ciceronẽ. 2. de Orat. Iã illud perſpicuũ eſt, oĩum rerũ in cõtrarias partes facultatẽ ex iiſdẽ ſuppeditari locis, huius rei rõ eſt, qm̃ Rhetoricę argumentationes nõ ex neceſſarijs, ſed ex probabilibus ducũtur. at vero ſæpe fit, vt ꝓbabilia ſint inter ſe contraria, exẽpli grã, ꝓbabile eſt, voluptatẽ eſſe bonã, qm̃ aiantes oẽs eã appetunt, probabile ẽt eſt eſſe malam, qm̃ multorum malorum cã eſt. ita diuitiæ ſunt vtiles ac bonæ, ſunt ẽt plerunq; pernicioſæ. docti viri plerunq; bene ſentiunt. interdũ decipiũtur & errant. rumores ſæpe veri ſunt, ſæpe etiam falſi. deniq; nihil eſt ferè apud Rhetores, qđ nõ in cõtrarias partes diſputari poſſet, quo fit vt in hac arte exercitato nunquã deſit copia dicendi. ſiue accuſet, ſiue defendat, ſiue laudet, ſiue vituperet, ſiue deniq; ſuadeat aliquid, ſiue idem diſſuadeat.

TEXT. *Reprehẽſiones uero (ſicut in Topicis traditur) quatuor modis afferuntur, uel enim ab ipſa re, uel à ſimili, uel à contrario, uel à rebus iudicatis.*

COMM. Quatuor modis, q̃ cõcluſa ſunt ab aduerſariis, reprehẽdere poſſumus, & oſtẽdere nõ eſſe verè cõcluſa. primo ab ipſa re, de qua agiť, q̃ reprehenſio eſt oĩum potẽtiſſima, cũ aut generatim oſtẽditur id eſſe falſum qđ cõcluſum eſt, aut ex aliqua parte verũ nõ eſſe. ſcđo à ſimili, tertio à contrario, quarto ab ijs, de quibus iã lata ſnĩa eſt, & ab aliis iudicatũ. hos aũt modos ait ẽt in Topicis eſſe traditos, cũ tamen in ijs, qui extant, Topicorum libris, nõ inueniat hęc diſtributio. quãuis 8. Topicorũ lib.

doceat qũo refelli poſſint aduerſarij, ſed nõ hunc ordinẽ ſequit̃, quẽ fortaſſe topicũ appellat, q̃ a ad artẽ inueniẽdi ꝑtinet. oĩa uero quæ tradit hoc in loco ſubiectis exẽplis illuſtrat, quo res ſit facilior.

TEXT. *Di.o aũt ab ipſa re, ut ſiquis concluſerit amorẽ eſſe bonũ, duobus modis affertur reprehenſio, uel generatim atque uniuerſe, cum quis dicit, omnem indigentiam eſſe malam, uel ſigillatim atque ex parte; quoniam uulgo non diceretur, Caunius amor, niſi etiam amores quidam eſſent improbi.*

COMM. Primus reprehẽſionis modus, qui ab ipſa re ducitur bifariã tractatur. vel in vniuerſo genere, vel in parte: in vniuerſo genere, cũ totum genus probat̃ non conuenire. vt ſiq̃s concluſerit, amorẽ eſſe bonũ, videndũ eſt, in quo gñe ſit amor. nã ſi genus ipſius nõ erit bonũ, neq; amor bonus erit. vt autẽ amor eſſe quædam indigentia, ꝑ ꝑ deſideriũ rei amatæ. quare Plato dixit in conuiuio amorem eſſe paupertatis filium. Sic igitur argumentari licet à genere contra illum, qui dixerit, amorem eſſe bonum, omnis indigentia mala eſt, amor eſt indigentia, igitur amor malus eſt. in parte uero reprehenditur, cum aliquid oſtenditur, concluſioni non cõuenire, ut in eodem exemplo, cum dicitur, amor eſt bonus, imo uero ſunt amores aliqui improbi dicet aduerſarius, ut is, qui prouerbio celebratur, Caunius amor. nam Byblis puella quędam fuit, quæ fratris ſui amore turpiſſimo capta, cum eum deperiret, neque frui poſſet, tantam uim lachrymarum profudit, ut mærore interierit. itaque poetæ fingunt eam in fontem fuiſſe conuerſam. quam fabulam Ouidius nono Metamorphoſeωs copioſe perſequitur. & eam ita incipit;

Byblis in exemplo eſt ut ament conceſſa puellæ,
Byblis apollinei correpta cupidine fratris
Non ſoror ut fratrem, nec qua debebat amauit.

Hac de cã factum eſt, ut uulgo, Caunius amor, pro turpi atque nefario poneretur. & in prouerbium abierit, de quo Stephanus, Heſychius, Suidas, & Diogenianus meminerunt, & nouiſſime Eraſmus. huius generis reprehenſiones quæ ab ipſa re ducuntur, multæ ſunt apud Ciceronẽ. ut pro Milone cum dixiſſent aduerſarij, nefas eſſe ei lucẽ intueri, qui à ſe hominem occiſum eſſe fateretur; probat Cicero ſæpe licere hominem occidere. pro Rab. Poſth. probat licere arma capere contra magiſtratum ſeditioſum & improbum. pro L. Murena contendit, non eſſe contra legem de Ambitu, publice aliquid populo largiri. pro M. Cælio ſic à genere confutat. ſunt etenim iſta maledicta peruulgata in omnes quorum in adoleſcentia forma & ſpecies fuit liberalis.

TEXT. *A contrario affertur reprehenſio, ut ſi concluſum ſit, à bono uiro cunctos amicos beneficijs accumulari, ſed neque improbus cũctos amicos incõmodis afficit.*

COMM. Secundus reprehenſionis modus à contrario ducitur, nam (ut ait Cic.) contrariorum contraria ſunt conſequentia. itaque ſi unum contrariorum uerum eſt, etiam alterum erit uerum, ſi uerò unũ eſt falſum, etiã alterum falſum erit. ponamus igitur eſſe concluſum ab aduerſario, eam eſſe boni uiri naturam, ut omnes amicos ſuos beneficiis accumulet, certe hoc à contrario facile refellemus hoc modo, ſicuti uir improbus nõ omnes amicos ſuos incommodis afficit, ita neque uir probus cunctos amicos beneficiis accumulat. hinc omnia ducuntur Enthymemata quæ à contrariis appellantur, & omnium firmiſſima habentur, quibus utitur frequentiſſime Cicero, ut pro Milone, Quem igitur omnium gratia noluit, hunc noluit, cum aliquorum querela? quem iure, quem loco, quem tẽpore, quem impune non eſt auſus, hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis, non dubitauit occidere? & alibi, Eius igitur mortis ſedetis ultores, cuius uitam ſi putetis per uos reſtitui poſſe nolitis? pro Q. Ligario, Quorum igitur impunitas Cæſar tuæ clementiæ laus eſt; eorum ipſorum te ad crudelitatem acuet oratio?

TEXT. *A ſimilibus autem, ut ſi concluſum ſit, eos, qui iniuriam acceperunt, ſemper odio proſequi: Sed neque ij, qui beneficium acceperunt, ſemper diligunt.*

COMM. Similia uocat Ariſtoteles hoc in loco, quæ ſibi uiciſſim proportione quadam reſpondent, etiam ſi contraria eſſe uideantur: ut accipere iniuriam, & accipere beneficium, uidentur eſſe contraria, & tamen tanquam à ſimilibus deduci poteſt argumentum & reprehenſio afferri, hoc modo, ſi cõcluſerit aduerſarius, eos, qui iniuriam acceperunt, ſemper eſſe infenſos, & ſemper odio proſequi. dicemus hoc eſſe falsũ à ſimili ratione, quoniam neque illi, qui beneficium acceperunt, ſemper diligere ſolent. ita ſiquis dixerit, ſapienti propter uitæ breuitatem dolendum eſſe, ſic à ſimili reprehendetur, ut Cicero de Senectute, Quod cuique temporis ad uiuendum datur, eo debet cõtentus eſſe, neque. n. hiſtrioni ut placeat, peragenda eſt fabula, mõ in quocunq; fuerit actu probetur, neq; ſapienti, uſq; ad plaudite uiuendũ. Q̃d ſiquis concluſerit, corporis pulchritudinẽ eſſe rẽ expetendam, ita reprehendetur à ſimili, ut Virgilius in Bucolicis;

O formoſe puer nimium ne crede colori
Alba liguſtra cadunt, uacinia nigra leguntur.

Si uero quis dixerit à ſapiente facile omnia ſuperari, ita refelletur, ut Cic. ad Q. Fratrem ait Epiſto. 1. Quemadmodum gubernatores optimi uim tempeſtatis, ſic ſapientiſſimi uiri fortunæ impetũ perſæpe ſuperare non poſſunt. atque etiam hoc reprehenſionis genus frequens eſt.

TEXT. *Res uero iudicatæ ſumuntur à præclaris, & illuſtribus uiris, ut ſiquis concluſerit, ebriis ignoſci oportere, quoniam imprudentes peccant, affertur ita reprehẽſio; Nõ igitur eſſet Pittacus laudandus, qui maiores pœnas in ſuis legibus propoſuit, ſiquis ebrius peccaſſet.*

COMM. Cum oſtendere poſſumus præclaros & ſapientes uiros aliter ſenſiſſe atque iudicaſſe, quam aduerſarii concluſerint, tunc ea reprehenſio ducitur à rebus iudicatis, ut ſi dicat aduerſarius, debere nos ebriis ignoſcere, cum in aliqua re peccãt, quo

niam

niam id imprudenter faciunt, nos ſtatim Pittaci Mitylenei, qui fuit unus è ſeptem Græciæ ſapientibus, auctoritatem opponemus. is enim tantum abfuit, ut ebrijs ignoſcendum eſſe cenſeret, ut etiã duplo magis puniendos eſſe ſtatuerit, quicunque per ebrietatem peccaſſent facilis eſt, & aperta hęc reprehenſio. quoties enim aliquid dicitur, contra ſapientum hominum ſententiam, toties afferri poteſt, ut ſiquis dicat, uxorem diuitem ac nobilem eſſe quærendam, ea Cleobuli ſententia refutabitur, uxorem ſibi parem eſſe deligendam. quam Ouidius etiam ad fœminas tranſtulit eo uerſu;

Siqua uoles apte nubere, nube pari.

Ita ſiquis dicat, uoluptati eſſe indulgendum, refelletur Platonis auctoritate, qui dixit, uoluptatẽ eſcam eſſe malorum, qua homines capiuntur, ut hamo piſces. atque item auctoritate Archytæ Tarentini, qui nullam capitaliorem peſtẽ, quã corporis uoluptatem dicebat à natura datam, ut de Senectute ſcribit Cicero.

TEXT. *Et quoniam ea, ex quibus enthymemata fiunt, quatuor numero ſunt; probabile; exemplum; propria nota; ſignum; nam enthymemata, quæ conſtant ex iis, quæ plerunque ita fiunt, uel fieri uidentur, ea ſunt ex probabilibus; quæ autem inductione conſtant, ex uno ſimili, uel pluribus, hoc eſt, cum quis poſito generali, uult illud ex ſingulis probare, ſunt ab exemplo; quæ uerò conſtant ex neceſſario ſigno, ſunt à propria nota, quæ denique fiunt uel ex generali aliqua re, uel ſingulari, ſiue illa uera fuerit, ſiue non, ſunt à ſignis, ſed probabile non ſemper uerum eſt, licet plerunque fiat, perſpicuum eſt, nos huiuſmodi enthymemata ſemper euertere poſſe, atque illis occurrere. quæ reprehenſio erit quidem apparens, non tamen ſemper uera, nam qui occurrit, non ideo refellit, quia non ſit probabile, ſed quia non ſit neceſſarium.*

COMM. Vult Ariſtoteles hoc in loco docere, nunquam Oratori deeſſe refellendi facultatem, quoniam ea natura eſt illarum rerum quæ traduntur in hac arte, ut aliquid ſemper contra eas dici posſit, neque enim omnino neceſſariæ ſunt, neque eiuſmodi ut aliter ſe habere non posſint, uerum facile mutabiles ſunt, & uel hoc uel illo modo fiunt. ut autem hoc oſtendat, repetit ea breuiter, quæ primo libro declarata ſunt, hoc eſt probationes rhetoricas quę enthymemata dicuntur, quatuor modis fieri, uel à probabili, uel ab exemplo, uel à propria nota, uel à ſigno. quo in loco notandum eſt id omnino eſſe uerum, quod nos ſecundo Reprehenſionum noſtrarum libro cõtra Nizolium copioſe docuimus, Enthymema apud antiquos ſcriptores tribus modis intelligi, communiter, propriè, & maximè propriè. communiter enthymema uocatur omnis ab Oratore præparata ad probandum materia ſiue illa neceſſaria ſit, ſiue probabilis, ſiue artificioſa ſiue artis expers: itaque Cicero ait in Topicis, omnem ſententiam apud Rhetores enthymema dici, & Quintilianus libro quinto ſic ait. Nam enthymema unum intellectum habet, quo omnia mente concepta ſignificat. & alibi ſic ait, Igitur enthymema & argumentum ipſum, ideſt rem quæ probationi alterius adhibetur appellant, & argumenti elocutionem, qua in ſignificatione capitur hoc in loco ab Ariſtotele, cum ait ea, ex quibus enthymemata fiunt, quatuor numero eſſe. probabile, exemplum, propria nota, & ſignũ. communiter igitur enthymema pro omni probatione rhetorica ponitur, propriè uero tantum argumentationem rhetoricam, ſiue oratorium ſyllogiſmum ſignificat, & ab exemplo ita diſtinguitur, ut ſyllogiſmus ab inductione, ſicuti primo poſteriorum docet Ariſtoteles & ſuperius hoc eodem libro ſic ait; Sunt autem communium probationum genera duo exemplum, atque enthymema. atque in primo libro ita dixerat, omnes fidem faciunt demonſtrandi gratia uel exempla dicendo, uel enthymemata, præter hæc enim omnino nihil eſt. igitur enthymema proprie dictum, prout ab exemplo diſtinguitur, idem eſt quod argumẽtatio rhetorica. maximè uerò propriè rhetores enthymemata uocant eas argumentationes, quæ ex contentione contrariorum & pugnantium fieri ſolent. itaque Hermogenes hoc ſolum genus enthymematum uidetur agnoſcere, & Ariſtoteles ad Alexandrum ſcribit ex contrarijs tantum enthymemata conſtare, quem ſecutus eſt in Topicis Cicero, nam de hoc enthymematis genere ita ſcribit, Ex hoc illa rhetorum ſunt, ex contrarijs concluſa, quæ ipſi enthymemata appellant, non quod non omnis ſententia proprio nomine enthymema dicatur, ſed ut Homerus propter excellentiam commune poetarum nomen efficit apud Græcos ſuum, ſic cum omnis ſententia enthymema dicatur, quia uidetur ea, quæ ex contrarijs conficiatur acutisſima, ſola proprium nomen posſidet. Quintilianus libro quinto de hoc enthymemate maximè proprio ſic ait: ex pugnantibus uero quod etiam ſolum enthymema quidam uocant, fortior multo probatio eſt, Tale eſt illud Ciceronis pro Milone, Eius igitur mortis ſedetis ultores cuius uitam ſi putetis ꝑ uos reſtitui poſſe nolitis. Sed ad hunc Ariſtotelis locum redeamus, ubi enthymema communiter capitur pro omni rhetorica probatione. cum enim Orator ex eis argumentatur, quæ plerunque eodem modo fiunt, uel fieri uidentur, tunc a probabili ducitur enthymema. ut M. Cœlius optimarũ artium ſtudijs maxime deditus eſt. nulla igitur eſt in eo luxuries. cum autem ab uno ſimili, uel pluribus argumentatur, tunc enthymema eſt ab exẽplo, ut ſi Scipio Naſica iuſte Tiberium Gracchũ mediocriter ſtatum Reip. labefactantem interfecit, etiam Cicero conſul Catilinam orbem terrarum cæde & incendiis uaſtare cupientem iuſte potuit interficere. quod ſi ducatur argumẽtum a neceſſario ſigno, diceẽ enthymema à ꝓpria rei nota. ut, Quoniam peperit mulier, cum uiro cõcubuit. Denique cum ab uno uel pluribus ſiue generalibus ſiue ſingularibus euentis aliquid Orator colligit, enthymema uocatur à ſigno, ut expalluit, fugam quæſiuit, inconſtanter locutus eſt. igitur ſce-

lus

lus commiſit. hæc aotem omnia quodammodo ꝓbabilia dici poſſunt, quia plerunque fiunt, propria tantum nota neceſſario concludit, reliqua uero non ſemper uera ſunt, quamuis plerunque ita fiant. itaque ſemper eis occurrere licet, & tãquam parum firma euertere. nam tota hæc materia, qua enthymemata conſtant, præter pauca quædam in quibus ſunt propriæ rei notæ, probabilitate quadam tantum ſulcitur, non autem ulla neceſſitate, quo fit ut omnia quæ ex ea fiuot argumenta, diſſolui labefactarique poſſint. Sed illa, quæ contra affertur reprehenſio licet uera eſſe uideatur, non tamen ſemper eſt uera. propterea quod is, qui refellere contendit, non ideo reprehendit, quod nón ſit probabile, quia apertè mentiretur, ſed quia nõ ſit uceeſſarium. nam hoc uerum eſt, nempe quod probabile tantum eſt, non eſſe neceſſarium. ut ꝓbabile eſt, à iuuene & cupido uirginem, quã in poteſtate ſua diu habuerit, eſſe uitiatam, non tamen neceſſarium eſt. poteſt enim aliqua de: cauſa iuuenis ille à uirgine abſtinuiſſe.

TEXT. *Atque ideo propter fallacem hanc concludendi rationem argumentis magis abundat defenſor, quam accuſator; ueriſimilibus enim utitur accuſator ad probandum: ſed non idem eſt ſoluere aliquod argumentum quod non ſit ueriſimile, & quod nou ſit neceſſarium, nam quod plerunque fit, habet eam naturam, ut ſemper refelli poſſit, aliter non eſſet tantum probabile, ſed ſempiternum & neceſſarium.*

COMM. Cicero & Quintilianus uideotur ab hac Ariſtotelis ſenteotia diſcrepare, qui putaot longe difficilius eſſe defendere, quam accuſare; ſicuti difficilius eſt ſanare uulnera, quam ſacere. unde labores deſenſionum ſæpe iactat Cicero, ſed ut concedamus defeodere difficilius eſſe, quam accuſare, uerum tamen erit, quod ait hoc in loco Ariſtoteles, defeuſorem argumentis magis abundare, quã accuſatorem. propterea quod fallaci hac concludẽdi ratione ſæpe iudicem decipit, cum probat ea, noo eſſe neceſſaria, quæ ſunt ab accuſatore concluſa quæ quidem facilis eſt & prompta probatio: ſiquidem accuſator ueriſimilia ſerè tãtum & probabilia ſequitur. in huc igitur latet ſallacia; quod non idem eſt argumeotum ſoluere & refellere, quia noo ſit ueriſimile, & quia non ſit neceſſarium. multum enim inter ſe differunt ueriſimile, & neceſſarium, nam quòd neceſſarium eſt, ſemper eodem modo fit, quod autem ueriſimile eſt, non ſemper fit eodem modo, ſed plerunque tantum, quod autem fit plerunque, facile refelli poteſt, & ei ſemper licet occurrere. ſi enim refelli non poſſet, eſſet ſempiternum & oeceſſarium. hac fallacia ſæpe io defenſiooibua ſuis utitur Cicero, pro Roſcio Am. cum accuſator probabili ſigno concluſiſſet Roſcium patri non placuiſſe, quia cum duos haberet filios, alterum apud ſe ſemper habebat, ipſum autem Sex. Roſcium rus ablegarat. inſtat Cicero: noo eſſe hoc indicium odij neceſſarium oeq; enim omnes patres, qui ruri filios ſuos eſſe uolũt, eos odio proſequuntur, ſed plerique hoc ideo faciunt, ut filii rerum ſuarum curam habeant. pro M. Cœlio multis rationibus contendit, non ideo neceſſarium eſſe, ut M. Cœlius ſit improbus, licèt cum Catilina familiaritatem habuerit, & adoleſcẽtiam uoluptatibus dediderit.

TEXT. *Iudex autem exiſtimat, cum ita refutatum ſit, aut non eſſe ueriſimile, aut nihil ad iudicium ſuum pertinere, ſed (ut diximus) fallaci concluſione decipitur: neque enim oportet ipſum tantum ex neceſſariis iudicare, ſed etiam ex ueriſimilibus. & hoc eſt quod dicitur æquiſsima ſententia iudicare.*

COMM. Nunc aperit qua ratione iudex a defenſore decipiatur, & in errotem inducatur. cum enim audit accuſatoris argumenta, tanquam non neceſſaria refutari, ſtatim exiſtimat etiam non eſſe ueriſimilia, neque ad ſuum iudicium pertinere. atqoe ita fallaci concluſione decipitur. quoniam non oportet cum tantum ea ſpectare, quæ neceſſario concludunt, quæ paucisſima ſolent eſſe, uerum etiam quæ probabilitatem aliquam in ſe cohibent. hoc enim pertinet ad id, quod iurati ſunt, ſe æquisſima ſententia iudicaturos. nam cum multa ueriſimiliter concurrunt ad aliquod ſcelus probandum æquisſimum eſſe uidetur, ut reus condemnetur. hoc olim apud Romanos ſeruabat Casſius ille, de quo ita Cicero ꝓ Roſcio Am. L. Caſſius ille, quẽ populus R. uerisſimum & ſapientisſimum iudicem putabat, identidem in cauſis quærere ſolebat, cui bono fuiſſet. ſic uita hominum eſt, ut ad maleficium nemo conetur ſine ſpe, atque emolumento accedere. hunc quæſitorem ac iudicem fugiebant, atque horrebant ii, quibus periculũ creabatur. ideo quod tametſi ueritatis amicus erat, tamen natura non tam propenſus ad miſericordiam quam implicatus ad ſeueritatem uidebatur. in hác ſententiam ait idem Cicero ſeptima in Verrem actione: Iudex eſſe bonus nemo poteſt, qui ſuſpicione certa non mouetur. & primo de officiis ita inquit; ſic nos ſi acres ac diligentes iudices eſſe uolumus, animaduerſoresque uitiorum, magna intelligemus ſæpe ex paruis. Eſt igitur boni iudicis, ex ſuſpicionibus, ex ſignis, ex ueriſimilibus argumentis, perſæpe moueri, neque expectare, ut omnia crimina neceſſario probentur. ut hoc io loco docet Ariſtoteles.

TEXT. *Non igitur ſatis eſt, ſi defenſor docuerit, non eſſe neceſſarium; ſed oportet, ut oſtendat etiam non eſſe ueriſimile. hoc autem fiet, ſi in reprehenſione docuerit rem plerunque aliter fieri ſolere.*

COMM. Quamuis defenſor probet ea crimina, quæ ſunt ab accuſatore reo objecta non eſſe neceſſariò probata, non tamen ideo reum liberat; neque ſatis officio ſuo facit, oportet enim ut oſtendat, nõ eſſe ueriſimilia. quòd ita demum conſequetur, ſi docuerit, aliter quam accuſator obiecerit, rem plerunque fieri. ut cum Roſcius Amerinos de parricidio accuſator, & ab accuſatore dicitur, ueriſimile eſſe patrem à Roſcio interfectum, quoniam eũ pater oderat, & rus ablegarat. non ſatis eſt, ut Roſcij patronus dicat, hoc non conſequi neceſſario,

ut filius,

ut filius, quem pater odit, & res ablegat, ad parricidium impellatur. Sed oportet ut oſtendar, tam atrox ſcelus raro accidere ſolere, atque ab iis tantũ filiis committi, qui ſingulari ſint audacia, qui mores feros habeant, immanemq́ue naturam, & uitã uitiis flagitiisq́ue omnibus deditam, & denique omnia ad perniciem profligata atque perdita (ut ait Cicero) porteotum atque monſtrum certiſſimum, eſſe aliquem humana ſpecie & figura, qui tautum immanitate beſtias uicerit, ut propter quos hanc ſuauiſſimam lucem aſpexerit, eos indigniſſime luce primaria, cum etiam feras inter ſeſe partus atque educatio, & natura ipſa coociliet. hæc enim & multa alia Cicero diuinitus in oratione pro Roſcio diſputat. ut oſtendat rem plerumque aliter fieri ſolere, quam accuſator obiecisset. quin etiam, quod aduerſarius odij ſignum eſſe dixerat, id Cicero potius amoris indicium fuiſſe cõtendit, quod pater rebus ruſticis Roſcium filium præfeciſſet, quod eum magnopere diligeret, cum igitur defenſor probare poteſt, contrarium eius, quod accuſator obiecit, ſæpius euenire, tum ſane crimen facile diſſoluet. ut parentes ſæpius amoris quam odij cauſa filios ſuos rebus ruſticis præficere, ut rem familiarem tueri, atque amplificare diſcant.

TEXT. *Poteſt autem duobus modis hæc afferri reprehenſio, uel à tempore, uel à rebus ipſis, quod ſi utrunque coniũgatur, tauc erit firmiſſima. nam ſi frequentius res ita fiet, hoc erit magis uerisimile.*

COMM. Refutario uerisimilis argumeotationis duobus præcipuè modis fieri poteſt, uel à tempore, uel à rebus ipſis. à tempore cum ſæpius aliter euenire probatur, quam ab accuſatore dictum ſit, ut ſi dixerit accuſator, adulterium ab eo commiſſum, qui familiarius cum muliere loqui, & ridere uiſus ſit. immo dicet defenſor, ſæpiſſime euenit, ot uiri cum mulieribus familiariter loquantur, & rideant, neque tamen adulterium committant. à rebus ipſis ut ſi accuſator dixerit, eum eſſe ſuperbum & inſolentem, qui maxima ſcieotia præditus ſit, immo defenſor inquietus, plerique docti uiri mitiores & humaniores eſſe ſolent. Quod ſi defenſor utrunque coniungere poterit, & oſteodere tam a tempore, quàm a rebus ipſis id quod ipſe defendit, frequentius accidere, tunc erit illa firmiſſima reprehenſio, nam illud erit magis uerisimile, quod euenire ſæpius oſtendetur. ut ſi accuſator dixerit, ſenem in coouiuio nudum ſaltauiſſe, immo dicet defenſor, ea ætate, uel nulli uel pauciſſimi ſolent in conuiuio ſaltare. cum iuuenes etiam honeſti ſoleant ab huiuſmodi turpitudine abhorrere. Cicero pro Deiotaro; Qui igitur adoleſcens nondum tanta gloria præditus nihil uoqoam uiſi ſeueriſſimè & grauiſſimè fecerit, is ea exiſtimatiooe, eaqoe ætate ſaltauit?

TEXT. *Reprehenduntur etiam ſigna, & argumenta, quæ a ſignis ducuntur, etiam ſi extent, apertaque ſint, quẽadmodum antea dictum eſt. nam in Analyticis declaratum eſt, nullum ſignum uim habere concludendi.*

COMM. Cum rationem oſtenderit, qua uerisimilia ſiue probabilia refelluntur, nunc docet etiam ſigna atque omnia, quæ à ſignis argumenta ducuntur euerti facile poſſe. quamuis enim ſigna extent, apertaque ſint, tameo alio ſemper deriuari poſſunt. ut in primo libro declararum eſt, atque etiam libro Priorum ſecundo. ad extremum, docuit nullum eſſe ſignum, quod uim habeat concludendi neceſſariam, niſi illud ſignum ſit propria rei nota. ut ſiquis cruore reſperſus in eo loco deprehenſus ſit, in quo inimicus eius fuerit occiſus. hæc certe ſigna ſunt aperta cædis, maximamq́ue ſuſpicionem habent, ſed tamen reus affirmare poteſt, ſe caſu in eum locum ueniſſe, & interueniendum ſanguinem ſibi è naribus profluxiſſe, unde reſperſus fuerit, uel à ſe feram in ea ſolitudine occiſam cuius cruore reſperſus fuerit. ita Cethegus cum in eius domo tela plurima deprehenſa fuiſſent, & coniurationis accuſaretur, dixit ſe ab adoleſcentia ſemper armorum fuiſſe ſtudioſum. Et M. Cœlius cum ei Catilinæ familiaritas obiiceretur, & tanquam conſcius coniurationis accuſaretur, dixit ſe deceptum, quia Catilinam probum eſſe uirum exiſtimabat, ſunt etiam alii multi nobiliſſimi uiri, qui eiuſdem familiaritate uterentur.

TEXT. *Atque etiam exemplorum eadem reprehenſio eſt, quæ uerisimilium: nam ſi unum tantum proferre poterimus aliter factum, ſoluta eſt argumentatio; quoniam non eſt neceſſaria, quamuis & plura, & ſæpius aliter facta fuerint.*

COMM. Sicuti uerisimilia argumenta ſoluuntur, ita etiam exempla. quamuis enim aduerſarius noſter plura collegerit exempla ad ſuam ſenteotiam confirmandam, quæ ſæpius eueoerint, tamen ſi nos unum tantum aut alterum proferre potuerimus, quod aliter ſit factum & approbatum tota aduerſarii argumentatio ſoluta erie, tanquam minimè neceſſaria. ut ſi dixerit aduerſarius; abſtinendum eſſe ab adminiſtrarione Reip. quoniam multi præclari uiri cum optime Reſpublicas adminiſtraſſent, infelices exitus habuerunt, ut apud Græcos Miltiades, Themiſtocles, Paches, apud Romanos Scipio ſuperior, & inferior. Scipio Naſica, Rutilius, Opimius, & alij multi. immo nos dicemus nõ ideo Remp. deſerere debemus, propter aliquorũ calamitates, cum & æquiſſimum ſit Remp. adiuuare, & aliqui ſummo cum honore in admioiſtratiooe Reip. uſque ad extremum uitę diem uixerint, ut Caro Cenſorius, & Fabius Max. & Quintus Metellus.

TEXT. *At uero ſi plura fuerint, & ſæpius eodem modo facta, contendendum eſt id, de quo agitur, uel non eſſe ſimile, uel non ſimiliter factum, uel denique aliquo modo ab aliјs differri.*

COMM. Nunquam deerit occaſio oobis contra exempla diſputandi. quamuis enim plura congerantur ab aduerſario, quę ſępius eodem modo facta ſint,

& cauſæ

& cauſæ noſtræ aduerſentur, tamen nos oſtendere conabimur id, de quo agitur, uel nullam cum eis habere ſimilitudinem, uel non eodem modo factum, uel denique aliquam habere cum eis, quæ dicta ſunt, differentiam, ut ſi uel tempus, uel locus, uel modus, uel cauſa, uel res uel perſona ſit diuerſa. ut pro M. Cœlio Cicero; Ego, ſiquis Iudices hoc robore animi, atque hac indole uirtutis, ac cōtinentiæ fuit, ut reſpueret omnes uoluptates, omnemq́ue uitæ ſuæ curſum in labore corporis, atque in animi contentione conficeret, quem non quies, non remisſio, non æqualium ſtudia, non ludi, non conuiuia delectarent, nihil in uita expetendum putaret, niſi quod eſſet cum laude, & cum dignitate coniunctum hunc mea ſententia diuinis quibuſdam bonis inſtructum, atque ornatum puto. ex hoc genere illos fuiſſe arbitror Camillos, Fabricios, Curios, omnesq́ue eos, qui hæc ex minimis tanta fecerunt. uerum hęc genera uirtutum non ſolum in moribus noſtris, ſed uix tàm in libris reperiuntur, Chartæ quoque, quæ illam priſtinam ſeueritatem continebant, obſoluerūt, neque ſolum apud nos, qui hanc ſectam rationemq́ue uitæ re magis, quam uerbis ſecuti ſumus, ſed etiam apud Græcos doctisſimos homines, quibus cum facere non poſſent, loqui tamen & ſcribere honeſte, & magnifice licebat. alia quædā mutatis Græciæ temporibus præcepta extiterunt, & quæ ſequuntur. ita ſiquis diceret, auſpicia diligenter eſſe obſeruanda, multosq́ue ſapientisſimos, & clarisſimos homines proferret, qui nihil olim niſi auſpicato aggrederentur, dicemus illa exempla, nihil ad hoc tempus, nihil ad noſtros mores ac leges pertinere.

TEXT. *Iudicia uero ac propriæ notæ argumenta nequaquam in eo reprehendi poſſunt, quod non rectè concludant; quod ex ijs, quæ dicta ſunt in Analyticis perſpicuum eſt. reſtat igitur ut demonſtremus id non eſſe uerum, quod dicitur. quod ſi certum eſt, eſſe uerum, & eſſe propriam rei notam, nullo modo labefactari poteſt. iam enim omnia demonſtratione clara ſunt.*

COMM. Illud genus ſignorum, quod certum habet indicium, & ab Ariſtotele τεκμήριον à Cicerone propria rei nota dicitur, ſi uerum ſit, ſemper neceſſariò concludit, ut ſi uerum ſit, mulierem lac habere: neceſſarium eſt, eam peperiſſe, & ſi uerum ſit, aliquem ſpirare, neceſſarium eſt, eum uiuere. Itaque nunquam reprehendi poteſt, tanquam non rectè concludat. Quod ſi uolumus id refellere, ꝓbare oportet, antecedens non eſſe uerum, ut mulierem lac non habere, aut aliquem non ſpirare, nam ſi certum ſit, antecedens eſſe uerum, nullo modo conſequens euerti poterit, quoniam aperta eſt, & clara demonſtratio, ut ſi conſtat mulierem peperiſſe, neceſſario ſequitur eam cum uiro concubuiſſe. ſi certum eſt aliquem in facie cicatricem habere. neceſſe eſt eum uulnus accepiſſe.

TEXT. *Iam uero amplificatio, & diminutio non ſunt enthymematis elementa. idem enim ego elementum & locum appello. eſt autem elementum ſiue locus in quē multæ argumentationes incidunt: amplificatio uero & diminutio ſunt argumentationes ad oſtendendum aliquid eſſe magnum aut paruum, ſicut etiam eſſe bonum aut malum, uel iuſtum aut iniuſtum, & in cæteris eodem modo. hæc autem omnia ſunt, in quibus ſyllogiſmi atque enthymemata uerſantur. quod ſi nullum horum eſt locus enthymematis, neque amplificatio aut diminutio erit locus.*

Cum uniuerſam oratoris materiam bipartito ſupra diſtribuiſſet, hoc eſt in proprios & communes locos, & proprios appellaſſet eos, qui ſingulis tantum generibus adhibentur, ut deliberatiuo, aut iudiciali, communes autem qui omnibus generibus conueniunt, deinde communes docuiſſet in triplici eſſe differentia, quod alii ſedes ſint eius, quod fieri aut non fieri poteſt, alij amplificādi, & diminuendi, alii denique communium argumentorum, nunc ne fortaſſe aliquis in errorem inducatur, docet ipſam amplificationem & diminutionem non eſſe enthymematis elemētum, atque hoc tribus potisſimum rationibus probat, quarū prima hæc eſt; elementum enthymematis & locus idem eſt, quod ſi amplificatio & diminutio locus non eſt, neque elementum enthymematis erit. Secunda hæc eſt, locus non eſt idem quod argumentatio, quoniam ſedes eſt ipſius argumentationis, ſed amplificatio & diminutio ſunt argumentationes ad oſtendendum aliquid eſſe magnū aut paruum, igitur non ſunt loci. Tertia eſt, ſicut aliquæ argumentationes ſunt, ad probandum aliquid eſſe bonum aut malum, ut in deliberatiuo genere. aliquæ ad probandum iuſtum aut iniuſtum, ut in iudiciali, & in cæteris eodem modo, ita ſunt etiam argumentationes ad probandum aliquid eſſe magnum aut paruum. nā in his omnibus ſyllogiſmi atque enthymemata uerſantur. Si igitur argumentationes de bono aut malo, de iuſto aut iniuſto loci non ſunt, neque amplificatio aut diminutio locus erit. cum Ariſtotele ſentit etiam Cicero in Partitionibus qui amplificationem nō inter locos numerat, ſed eam ita definit, ut dicat, uehementem eſſe argumentationem, quo in loco præclare docet, quibus modis amplificatio fiat, ſicut etiam Quintilianus in octauo. COMM.

Nec ſanè argumenta, quibus refellimus, diuerſam habent ſpeciem ab ijs; quibus confirmamus. perſpicuum eſt enim duobus modis argumentum ſolui, uel per demonſtrationem, uel per reprehenſionem: per demonſtrationem, ut cum probatur contrarium, exempli gratia, ſiquis demonſtrauit rem factam eſſe, qui ſoluere uult, oſtendit, non eſſe factam; & contra ſiquis oſtendit, non eſſe factam, qui uult ſoluere, factam eſſe demonſtrat. quare non eſt in argumentandi ratione differentia; ambo enim ijſdem utuntur, cum aut eſſe, aut non eſſe argumentantur. TEXT.

Quamuis confirmatio & refutatio diuerſæ partes eſſe uideantur, tamen eadem eſt ſpecies argumentorum, quibus & confirmamus & refellimus. & ab eiſdem locis, tam ad refellendum, quā COMM.

ad

ad confirmandum argumenta ducuntur, quod ea ratione probat Ariſtoteles; duobus modis argumenta diſſoluuntur, uel per demõſtrationem uel per reprehenſionem. per demonſtrationem cum rem aliter ſe habere oſtendimus, quam aduerſarius dixerit, & contrarium probamus. ut ſi dixit aduerſarius rem eſſe factam, nos contra non eſſe factam demonſtrare contendimus, ut Milonis aduerſarij dicunt à Milone factas fuiſſe inſidias, & id multis argumentis probare conantur. contra Cicero Milonis defenſor non eſſe factas à Milone inſidias contendit, & ad hoc oſtendendum, multis etiam ipſe utitur argumentis. ita ſi dixit aduerſarius rem non eſſe factam, nos contra demonſtrabimus eſſe factam, ut Sillanius ait; Ser. Sulpitius non eſt dignus ſtatua, quia non eſt mortuus pro patria in legatione, non enim fuit interfectus, ut ij, qui ſtatua decorati fuerunt, immo uero ait Cicero nona Philippica Ser. Sulpitius ſtatua dignus eſt. nam pro patria mortuus eſt, cui mortem attulit ipſa legatio, quam pro patria ſuſceperat. certum eſt igitur non eſſe differẽtiam in argumentandi ratione, ſiue quis affirmet, ſiue quis refellat, ſiue accuſet, ſiue defendat. nam ambo iiſdem argumentis utuntur, cum rem aut eſſe, aut non eſſe probare conantur.

TEXT. *Reprehenſio uero non eſt enthymema: ſed quemadmodum in Topicis docetur, nihil aliud eſt reprehenſio quam opinionem aliquam afferre, qua planum fiat, non eſſe bene concluſum, aut aliquid ſumptum, quod falſum ſit.*

COMM. Quod ſi per reprehenſionem argumenta diſſoluuntur, non per aliam ſpeciem argumentandi refelluntur, quam fuerant confirmata. nam ipſa reprehenſio, non eſt enthymema neque argumentatio, ſed ut docetur in arte Topica, fit duobus modis, uel cum opinionem in medium adducimus, qua probemus non eſſe benè concluſum ab aduerſario, uel cum oſtendimus, aliquid pro uero ſumptum eſſe, quod falſum ſit. interdum enim quamuis antecedentia concedamus, ipſam concluſionem negamus, cum dicimus id, quod concluſum eſt non ſequi neceſſariò. ut, ſi quis ita argumentetur; Clodius Milonis erat inimicus, ergo Milo eum oderat. Cicero concedit antecedens, quia negare non poterat, Clodium fuiſſe Miloni inimicum. ſed opinionem quandam affert, qua probet, non eſſe bene cõcluſum, hoc eſt, Clodium Miloni odio non fuiſſe. Quid enim (inquit) odiſſet Clodium Milo ſegetem ac materiam gloriæ ſuæ? interdum uerò negatur antecedens, & eſſe falſum oſtenditur, ut ſiquis dicat omnem uoluptatem eſſe ſecundum naturam, atque ideo eſſe laudabilem. dicemus id, quod ſumptum eſt, eſſe falſum. neque enim uerum eſt, omnem uoluptatem eſſe ſecundum naturam. licet aliqua uoluptas ſit naturalis.

Ac de exemplis quidem, & ſententijs, & argumentationibus, & denique de ijs, quæ ad ſenſus animi proferendos pertinent, qua ratione poſſimus eis abundare, & quomodo ea ſoluere ualeamus, ſatis dictum eſt. Reliquum eſt, ut etiam de elocutione, & diſpoſitione uerba faciamus. TEXT.

Concludit hunc ſecundum librum per enumerationem eorum, quæ in poſteriore parte tractauit. ait enim ſe uiam ac rationem oſtendiſſe, qua exempla, ſententiæ, argumentationes, & alia, quæ ad ſenſus animi proferendos attinent, bene tractari poſſint, & quomodo liceat eorum copiam habere, quibuſque modis aduerſariorum argumenta reprehendantur. deinde proponit materiam tertii libri, & oſtendit, quid adhuc ſuperſit ad huius artis abſolutionem, & ait duo eſſe reliqua, nempe elocutionem, & diſpoſitionem, de quibus, in ſubſequenti libro tertio diſputabit, cum iam in duobus ſuperioribus inuentionem abſoluerit. COMM

Secundi libri Rhetoricorum Ariſtot. finis.

M. ANT. MAIORAGII
IN TERTIVM ARISTOTELIS
L I B R V M.
De Arte Rhetorica Explanationes.

TEXT. *Cum tria ſint,quæ in arte dicendi pertractare oporteat; primum unde probationes ducantur, alterum qua ſit utendum elocutione,tertium quomodo partes orationis diſponendæ ſint : iam de probationibus dictum eſt,& oſtenſum quot ſint illa, ex quibus ducantur;diximus enim eſſe tria,atque ea , quæ ſint explicuimus : & cur eum numerum non excedant ; omnes enim qui de aliqua re iudicaturi ſunt,uel quia ipſi affecti ſunt aliquo modo,uel quia putant eos , qui dicunt,dignos eſſe,quibus fides habeatur, uel quia claris argumentis res probata eſt,in perſuaſionem inducuntur.*

COMM. IN HOC tertio libro de elocutione, & diſpoſitione tractare uult Ariſtoteles quæ duæ ſunt rhetoricæ reliquæ partes. Sed prius omnia ſummatim comprehēdit, quæ ad artem dicendi pertinēt. & oſtēdit quid iam declaratuto ſit,in duobus libris ſuperioribus, & qnid in hoc tertio ſuperſit explicandum. Tria ſunt(inquit)quæ totam dicendi attem perficiunt, hoc eſt inuentio,elocutio,diſpoſitio. nam primo excogitare oportet, quibus argumentis id probaturi ſumus,quod tueri ac ſuſtinere uolumus, deinde quibus uerbis & ornamentis qnæ inuenimus, explicare poſſimus,tum quo ordine ſingula proferamus.hoc eſt quod in Oratore ad Brutum ait Cicero debemus Oratotem uidere,quid dicat,& quo quicque loco,& qnomodo.Sed quoniam innentio eſt omnium difficillima, ideo prius de illa tractauit, & duobus eam ſuperioribus libris explicuit, nam docuit eſſe tria quæ probandi uim habeant, & quæ diligenter excogitare debet Orator,neque plura, neque pauciora eſſe poſſe, effectus enim eloquentię eſt audientium approbatio.quare unū illum ſibi ſcopum proponere debet Orator, ut fidem faciat,& iudices atque auditores in perſuaſionem inducat. adhoc autem efficiendum tria requiruntur, primo ut audientium animi afficiantur ita,uti cauſæ noſtræ utile eſt, & uel ad miſericordiam,uel ad indignationem,uel ad odium, uel ad amorem moueantur, atque impellantur, in quo uno regnat oratio(ut ait Ciceto)deinde nt ipſe orator in dicendo uir bonus eſſe uideatur, ſic enlm auditores ei facile fidem habebunt. tertio ut rem ipſam,de qua agitur,argumentus probet. atq; hæc tria qnibus rationibus inueniantur, iam ſupra copioſè declaratum eſt. ſicut enim cum habetur oratio,tria adſint neceſſe eſt,auditores,orator, & res, de qua agitur.ita etiam tria requiruntur ad probādum , ut ſingulis ſingula tribuantur, hoc eſt motus animorum auditoribus,vitæ probitas oratori, argumenta ipſi rei.

TEXT. *Dictum eſt etiam unde trahantur enthymemata: ſunt enim quæ dicuntur enthymematum ſpecies; ſunt etiam qui loci nominantur.*

COMM. In primo libro dictum eſt , enthymemata eſſe corpus & quaſi fundamentum rhetoricæ probationis,& eſſe duo enthymematum genera. nam aliqua ſunt ſingulorum tantum generum propria ut demonſtratiui,uel iudicialis, uel deliberatiui, aliqua uero ſunt omnium cōmunia, quæ propria ſunt cuiuſque generis, ſuis formis continentur, quæ communia ſunt omnium ſuos locos ac ſedes habent,unde ducantur, eſt igitur apnd Ariſtotelem inter ſpeciem , & locum enthymematis, hæc differentia,quod ſpecies enthymematis unius tantum eſt generis propria,nt deliberatiui,locus autem enthymemaiis eſt communis omnium generum,ut locns definitionis,qno & in deliberatiuo, & in iudiciali & in demonſtratiuo genere uti poſſumus,atque ita de reliquis ſentiendum eſt,qui loci nominantur.

TEXT. *Reliquum eſt ut de elocutione dicamus : neque.n. ſatis eſt ea tenere,quæ dicenda ſunt; ſed etiam ſcire oportet , quomodo ſint dicenda . hoc enim multum etiam prodeſt ad efficiendum ut oratio bene morata uideatur.*

COMM. Proponit quid deinceps tractare inſtituat, & qua de cauſa: conſequens eſt(inquit) ut de elocutione,& orationis forma uerba faciamus . Primo quia debet Orator non tantum inuenite quæ dicēda ſunt, ſed etiam intelligere quomodo ſint dicenda, nam eadem res varijs modis enunciata, ſæpe uaria ac diuerſa eſſe uidetur , modus autem in rebus omnibus eſt optimus , deinde quoniam hæc eloquendi ratio ualde utilis eſt ad exprimendos Oratoris mores,& ad efficiendum,ut oratio uera eſſe uideatur,& à ſyncero animo profecta,quæ tes ſine dubitatione cauſis omnibus multū prodeſt . nam oratio omnino eſt interpres mentis , & in ea ſæpe tanquam in Speculo relucent uel boni , uel mali mores,unde Socrates dicere ſolebat , qualis uir talis oratio; & Solon , orationem motum eſſe ima-

imaginem, ſed qui bonus orationis eſt artifex etiã ſi ipſe bene moratus non ſit, tamen orationi ſuæ bonos mores, cum opus erit, affinget.

TEXT. *Ac primo quidem, ut ordo naturæ poſtulat, quæſitum eſt, id quod re ipſa primum erat; unde ipſæ res probabilitatem habeant: ſecundo qua ratione eas eloqui ac diſponere conueniat: tertium id eſt, quod horum omnium uim habet maximam, ſed nondum à quoquam pertractatum eſt, quod ad actionem, & pronunciationem facit.*

COMM. Artes quoad fieri poteſt naturam imitantur, & non ſtatim perfectæ fiunt, ſed paulatim augentur, & expoliuntur. nihil enim (ut ait Ciceró) ſimul inuentum eſt, & perfectum. ergo etiam in arte Rhetorica, quæ paulò ante Ariſtotelis ætatem florere cœpit, idem quod in alijs accidit. nam primo cœperunt illud inquirere, quod natura primũ erat, ut ea reperirent, quibus oratio probabilis fieret, & quibus rationibus cauſas ſuas confirmarent, aduerſarios autem refellerent. poſtea uero cogitare cœperunt, quibus uerbis, quoq́ue ordine res inuentas explicarent. Itaque tres Rhetoricæ partes factæ ſunt, Inuentio, Elocutio, Diſpoſitio. Verum non ſatis eſſe uidetur inuenire, eloqui, diſponere, niſi quis etiam agat, & prouunciet, cum in actione, & pronunciatione maxima quædam uis eſſe uideatur. ſed (inquit Ariſtoteles) nemo adhuc de hac parte tractauit. quo in loco duo uotanda ſunt. primum Ariſtotelis tempore nondum ulla fuiſſe actionis, & pronunciationis præcepta tradita, cum de alijs Rhetoricæ partibus multi pertractaſſent. alterum Ariſtotelem cenſere. maximã in pronunciando uim exiſtere. hanc Cicero corporis eloquentiam uocat, quoniam reliquæ partes rhetoricæ potius ad animum referuntur. nam inuenire, eloqui, diſponere non corporis, ſed animi officia ſunt. pronunciare uero, quod à uoce & à motu pendet, non ad animum ſed ad corpus refertur. duos enim ſenſus in agendo afficere debet Orator, hoc eſt auditum & uiſum. auditus afficitur uoce clara & ſuaui, uiſus autem apto totius corporis motu. Quintilianus ait actionem quaſi uitam orationis eſſe. Cicero in Oratore ad Brutũ ſic ait. Nam & infantes actionis dignitate eloquẽtiæ ſæpe fructum tulerunt; & diſerti deformitate agendi multi infantes putati ſunt. ut iam non ſine cauſa Demoſthenes tribuerit & primas, & ſecundas, & tertias actioni. quantum autem ſtudii Demoſthenes actioni tribuerit, declarat M. Antonius primo de Oratore ad extremum, & Plutarchus in Demoſthenis uita. aiunt Cn. Lentulum non alia de cauſa fuiſſe inter magnos oratores numeratũ, niſi propter egregiam actionem, quin apud græcos Demades propter actionis dignitatem longo tempore Demoſtheni par exiſtimatus eſt, ſicut apud Romanos Hortẽſius Ciceroni. C. Gracchus in deflẽda fratris nece totius populi R. lachrymas concitaſſe dicitur. hinc illa uiua uox apud auctores tantopere celebratur, quam in ſe magnam efficacitatem habere uerisſimè prædicant. hoc eſt, quod in hoc loco ait Ariſtoteles actionem omnium partium rhetoricæ uim habere maximam. At uero de memoria quam aliqui numerant inter rhetoricæ partes nihil Ariſtoteles meminit, quoniam ut ait in Oratore Cicero, memoria communis eſt multarum artium.

TEXT. *Quæ res etiam à tragicis atque epicis poetis ſerò animaduerſa eſt: nam initio poetæ ipſi tragœdias ſuas agebant.*

COMM. Non debet cuiquam mirum uideri, ſi actio & prouunciatio quæ tam utilis eſt, in ſoluta oratione tam diu latuit, cum etiã in arte poetica, in qua multò magis eſt neceſſaria, ſerò cognita fuerit. nã antiquis illis temporibus quibus inuenta eſt comœdia atque tragœdia nulli erant actores nulli hiſtriones. Sed ipſimet poetæ fabulas ſuas in theatro agebant, quod etiam plutarchus in uita Solonis apertè oſtendit, cum ait Solonem in theatrum uениſſe, & Theſpim ipſum poetam tragicum ſuas fabulas agentem ſpectaſſe, ſicut antiquorum mos erat. hoc etiam Horatius in arte poetica innuit;

Iguotum tragicæ genus inueniſſe camænæ
Dicitur, & plauſtris uexiſſe poemata Theſpis,
Quæ canereut, agerentq́ue peruncti fecibus
ora.

Quin etiam Homerum Epicorum principem legimus ſua carmiua recitare ſolitum. quem ſumma cum dignitate imitatus eſt longo poſt tempore Virgilius.

TEXT. *Perſpicuum eſt autem, etiam in arte dicendi tale aliquid eſſe, quod ad actionem pertinet, quale in arte poetica; de qua re cum alij quidam ſtudioſè pertractarunt, tum præcipue Glauco Teius.*

COMM. Quamuis nullus (inquit) de actione rhetorica pertractarit, tamen nemini dubium eſt, quin etiã in hac facultate ſint agenda præcepta quædam ſicut in arte poetica. quæ iam ſuos habet magiſtros, qui uocem, & corporis motum, pro re, pro loco, pro tempore, pro perſona decore moderari doceant. nam de uoce & geſtibus hiſtriouum multi pertractarunt. atque inter alios præcipue Glauco Teius. De hac re dolet etiam Cicero tertio de Oratore, quod ab Oratoribus prætermiſſa eſſent agendi præcepta, hæc (iuquit) eo dico pluribus, quod genus hoc totum Oratores qui ſunt ueritatis ipſius actores, reliquerunt, imitatores autem ueritatis hiſtriones occuparunt. Cornificius etiam ad Herennium libro tertio, neminem de pronunciatione diligenter ſcripſiſſe tradit. Quintilianus undecimo libro curioſè perſequitur omnia, quæ ad aptam pronunciatiouem pertinere uideantur. Ariſtoteles hoc in loco pauca quędam attingit, quia nondum erat ars ulla pronunciandi apud rhetores. uult tamen aptam pronunciationem eſſe neceſſariam ad monendos auditores, quam ait potius a natura quam ab arte proficiſci.

TEXT. *Eſt autẽ actio in uoce poſita, quomodo ea uti oporteat, ad ſingulos animi motus. ut quando magna, quãdo parua, quando media utendum ſit.*

Hoc

COMM. Hoc loco uidetur Ariſtoteles in unce tantum actionem ponere cum reliqui motum etiam corporis adiungant. in quo maximam eſſe uim etiam muti homines declarant, qui geſtibus ita ferè omnia exprimunt, ut intelligantur. ideo Cicero pronunciationem ita definit, ut dicat eſſe moderatio nem uocis & corporis ex rerum & uerborum dignitate. ſed Ariſtoteles id tantum attigit, quod maioris eſt momenti. quia non accurate (ut diximus) de actione tractat, docet tamen plurimum ualere uocem ad ſingulos animi motus concitandos, ſed diligenter aduertendum eſt, quando magna uoce uti oporteat, quando parua, & quando mediocri. nam aliud genus uocis iracundia ſibi ſumit, aliud miſeratio ac mærnr, aliud metus, aliud uis, aliud uoluptas, aliud moleſtia. Iracundia ſumit uocem acutam, incitatam, crebro incidentem, ut quouſque tandem abutere Catilina patiētia noſtra? quā diu nos etiam furor iſte tuus eludet, quem ad finem ſeſe effrenata iactabit audacia? & quæ ſequūtur. Miſeratio ac mæror, uocem flexibilem, plenam interruptam, flebilem requirit, ut, Quo me miſer conferam? quo uertam? in Capitolium ne? at fratris ſanguine redundat. an domnm? matrem ne ut miſeram lamentantemque uideam & abiectam? Quæ ſic a C. Graccho (inquit Cicero) acta eſſe cō ſtabat, oculis, uoce, geſtu, inimici nt lachrymas te nere non poſſent. Metus demiſſam, hæſitantem & abiectam uocem poſtulat, ut quid reſpondebo liberis meis qui te parentem alterum putant? quid tibi Quinte frater, qui nunc abes, conſorti mecum temporum illorum, me non potuiſſe Milonis ſalutem tueri per eaſdem, per quos noſtram ille ſeruaſſet? Vis quærit uocem contentam uehementem, imminentem quadam incitatione grauitatis, ut, Quid enim Tubero tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladins agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manns? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? uoluptas effuſam, lenem, teneram, hilaratam, ac remiſſam uocem poſcit, ut Dij boni, boni quid porto, ſed ubi inueniam Pamphilum, nt metum in qno nunc eſt adimam, atque expleam animum gaudio. Moleſtia ſine commiſeratione graue quiddam, & uno preſſu ac ſono obductum genus uocis habere debet. ut Nam mihi ante oculos dies noctesque uerſatur ſqualor ueſter & mœror, & infirmitas ualetudinis tuæ, ſpes autem ſalutis pertenuis oſtenditur, inimici ſunt multi, inuidi pene omnes, eijcere nos magnum fuit, excludere facile eſt. hæc qui præcepta ſeruauerit, facile uocem cum opportunitate uariabit.

TEXT. *Et quomodo ſoni uocis adhibeantur, ut acutus, grauis, medius.*

COMM. Ad pronunciationem maximè pertinet, ſonos uocis diligenter aduertere, ne ab una ſyllaba ad aliam transferantur, quod eſſet maximè uitioſum. quo uitio præcipuè gallica natio noſtro tempore laborat. atque ideo Galli ferè omnes ineptiſſimè pronunciant. qnia ſonos uocum tranſponunt, & immutant. ſunt autem tres ſoni uocis, qui etiam toni uocantur, acutus, grauis, & inflexus, quem Ariſtoteles medium uocat. Nā uoces (ut ait Craſſus) ut chordæ ſunt intentæ, quæ ad quenque tactum reſpōdeant, acuta, grauis, cita, tarda, magna, parua, quas tamen inter omnes, eſt ſuo quæque in genere mediocri. uerum tonos obſeruare longè difficilius eſt apud græcos, quā apud latinos. quoniam latini ferè ſyllabarum quantitates in pronunciando ſequuntur, quod græci non faciunt.

TEXT. *Quibus præterea numeris utendum ſit, in unaquaque animi perturbatione concitanda.*

COMM. Numeri etiam multum ualent ad animos in agendo concitandos, nam alii pedes animum commouent, & perturbant, alii ſedant, & tranquillant, ſicut etiam Hermogenes docet. Sed de numeris infra copioſius agetur. nam hic tantum ea numerat, quæ in actione requiruntur. quod autem numeri uim animorum mouendorum habeant, declarat etiam Cicero, cum ait; nihil eſſe tam cognatum mentibus noſtris, quam numeri atque uoces, quibus & excitamur, & incendimur, & lenimur, & languefcimus, & ad hilaritatem & ad triſtitiam ſæpe deducimur. *3. de Ora.*

TEXT. *Tria ſunt enim, quæ conſiderant ij, qui in hoc ſtudio uerſantur, hoc eſt, magnitudo, ſonus, numerus: quibus qui bene utuntur, ij ferè ſolent ex certaminibus uictoriam reportare.*

COMM. Ex prædictis tria eſſe colligit, quæ conſiderare debent illi, qui de actione ac pronnnciatione tractant, primo loco magnitudinem uocis ponit, ubi etiam paruitatem & mediocritatem intelligere debemus. interdum enim extollenda eſt uox, & (ut ait poeta) magno ore tonandum, interdum remittenda ad uulgarem uſque loqnendi conſuetudinē interdum æquabili & temperata uarietate diſtinguenda. Secundo loco ſonus ſiue harmonia ponitur, qui eſt concentus ex acuto graui, & inflexo tono conſtitutus, qui aptam intentionis remiſſionisque uocum menſuram ſeruat, ut in cantibus fieri conſueuit. nam qui tonos immutat, is totam pronunciandi rationem euertit, ut galli homines facere conſueuerunt. Tertio loco numerus collocatur, qui certa pedum ratione conſtat, de quo infra ſuo loco dicetur. quantum autem hæc tria ualeāt in agendo declaratur ab effectu, quoniam & hiſtriones & Oratores, qui tribus his rebus bene uti ſciunt, ex certaminibus uictoriam & præmia reportant. hoc eſt quod in tertio de Oratore Craſſus ait, Actio inquam in dicēdo vna dominatur, ſine hac ſummus Orator eſſe nullo modo poteſt. mediocris hac inſtructus ſummos ſæpe ſuperare. huic primas dediſſe Demoſthenes dicitur, cum rogaretur, quid in dicendo eſſet primum, huic ſecundas, huic tertias.

TEXT. *Et quemadmodum in arte poetica plus hoc tempore ualent hiſtriones, quam poetæ; ſic etiam in ciuilibus controuerſiis. quod uitio fit rerum publicarum.*

COMM. In agendis fabulis hiſtriones (inquit) maiorem

hoc

hoc tempore quam poetæ uim habēt. quamuis.n. fabula ſit pulcherrima, & ſummo artificio confecta, tamen niſi ab hiſtrionibus agatur appoſitè & accurate, ſtatim exploditur, atque exibilatur, contra uero licet fabula non ſit admodum exculta neq; artificioſa, tamen ſi Roſcius aliquis aut Aeſopus illam agat, mirificè placet, laudatur, & cum plauſu excipitur, idem (inquit Ariſtoteles) accidit in forēſibus cauſis & ciuilibus controuerſijs. nam qui orator inepte pronunciat, etiam ſi reliquis in rebus multum excellat, tamen ab auditoribus contemnētur, & exploditur, quod accidiſſe Demoſtheni Plutarchus ſcribit, quo tempore primum ad remp. acceſſit, adeo ut deſperatione quadam ductus eloquētiam derelinquere cogitauit. itaque in Piræum ſeceſſit, & a foro cœpit abſtinere. ſed ab Eunomo Thraſio reprehenſus, quod cum eius oratio ſimilis eſſet Periclis orationi ſeipſum perĕgnauiam proderet, iterum in forum reuerſus nihilominus contemnebatur, donec Satyrus hiſtrio, ut Plutarchus ait, uel Andronicus, ut Quintiliano placet, ſic eum exercuit in actione, ut deinde alter uideretur. contra multi tantum ob actionis dignitatem maximam ſunt laudem conſecuti. hoc autem euenire ſolet uitio rerump. quæ ita corruptæ ſunt, ut aurium uoluptatem undique aucupentur, & eam rebus etiam ſerijs anteponant. nam in optimo reip. ſtatu nequaquam hæc accidere poſſunt, ubi res ipſæ, non autē uerba, neque artificium dicendi ſpectatur, & ubi animos commouere orator prohibetur, ut initio primi huius operis libri dictum eſt.

TEXT. *Nondum tamen de his ars ulla conſcripta eſt. quandoquidem etiam illa, quibus ornatur oratio ſero in lucem uenerunt.*

COMM. Quanquam apta pronunciatio magnas utilitates oratori præbet, tamen (inquit) nulla adhuc ars eſt confecta, quę præcepta tradat ad actionem & pronunciationem ſpectantia. quod nemini mirum uideri debet, cum ēt orationis ornamenta ſero fuerint animaduerſa, atque in lucem educta. nam (ut ait Cicero) multis ſeculis ante oratio nuda ac rudis ad ſolos animorum ſenſus exprimendos fuit reperta, quam ratio numerorum cauſa delectationis aurium excogitata. Gorgias aūt Leontinus qui præceptor Iſocratis fuit, primus orationem expolire, & figuris uariare cœpit, & eam uerborum concinnitatem quę ex comparibus, ex ſimiliter deſinentibus, & ex contrariis conſtat, excogitauit. Thraſymachus uero Chalcedonius numerum oratorium inuenit, quos deinde ſecutus eſt egregius orator Iſocrates, qui utrumque longe ſuperauit, & ita docere cœpit, ut eius domus quaſi eloquentiæ officina uideretur, unde plurimi dicendi principes extiterunt. huius gloria commotus Ariſtoteles, cœpit etiam ipſe pomeridianis horis in arte dicendi iuuenes exercere, dicens ſibi turpe eſſe tacere, & permittere ut Iſocrates loqueretur. Itaque paulo ante Ariſtotelem orationis ornamenta reperta fuerunt, & ad artem reducta, cum tamen nullus de actione aute Ariſtotelem pertractaſſet.

TEXT. *Et ſanè, ſiquis rectè reputet, tota res leuis & importuna eſt. uerum cum omnis ars dicendi ad opiniones hominum accommodetur, non tanquam honeſtæ rei, ſed tanquam neceſſariæ curam ei ſtudiumque impendere debemus.*

COMM. Cum utilitatem actionis explicuerit, nunc etiā eius naturam oſtendit. nam ſi (inquit) uerè iudicare uoluerimus, res quædam eſt minus honeſta, neque ſapienti uiro digna, ſed leuis & importuna, ſimulata uoce, & corporis motu, quaſi præſtigijs quibuſdam ita iudicum, & audientium animos occupare, ut uerum uidere non ſatis queant, ſed ita commoueantur, ut oratori commodum eſſe uidetur. Sed tamen, quoniam tota facultas oratoria non ad ueritatem, ſed ad opiniones hominum accommodatur, non debemus hanc partem, quę uim omniū maximam habet negligere, ſed ei ſtudium & diligentiam adhibere, non quia res ſit honeſta aut recta, ſed quia eſt oratori neceſſaria. niſi.n. adhibeatur in agendis cauſis, ipſi rei periclitantur. quod Athenis Socrati, Romæ P. Rutilio accidit, de quibus primo de Oratore M. Antonius, ac de Rutilio primum hoc modo; talis uir amiſſus eſt, dum cauſa ita dicitur, ut ſi in illa commenticia Platonis ciuitate res ageretur: nemo ingemuit, nemo inclamauit patronorum, nihil cuiquam doluit; nemo eſt queſtus. nemo rēp. implorauit. nemo ſupplicauit. quid multa? pedem nemo in illo iudicio ſupploſit. credo ne Stoicis renunciaretur. deinde ita de Socrate, Imitatus eſt homo Romanus & Cōſuetèrem illum Socratem. qui cum omnium ſapientiſſimus eſſet, ſanctiſſimeque uixiſſet, ita in iudicio capitis pro ſe ipſe dixit, ut non ſupplex, aut reus, ſed ut magiſtèr, aut dominus uideretur eſſe iudicum. & reliqua.

TEXT. *Nam certè æquum erat, ut nihil aliud in oratione quæreretur, quam ut ijs, qui audiunt, nec moleſtiam, nec lætitiam afferremus: iuſtum eſt enim ipſis tantum rebus in iudicio contendere. cætera uero omnia, quæ præter probationes adhibentur, ſuperuacanea ſunt; ſed tamen (ut antea dictum eſt) propter auditoris uitium, plurimum ualent.*

COMM. Hæc in primo libro copioſius diſputata ſunt, ubi docuit, non eſſe iuſtum commouere animos iudicum, & eos detorquere uel ad iracundiam, uel ad miſericordiam, uel denique ad aliquē affectum. cū igitur tria ſint, quæ inducunt auditores ad credendum, affectus, mores oratoris ipſa oratione expreſſi, & argumenta quæ ex rebus ipſis ducuntur, duo illa prima ſunt omnino uitioſa & à directa ratione aliena, tertium ſolum iuſtū eſt, quia ſimplicem ueritatem ſequitur, & res, ita ut ſunt, oſtendit. hoc eſt igitur quod ait Ariſtoteles, æquum eſſe, ut in oratione nihil aliud quæratur, quam ut iudices & auditores nullo modo afficiantur, neque moleſtiam aut lætitiam animo concupiant, ſed animo tranquillo & quieto rem uerè intelligant, ut de illa iuſte iudicare poſſint.

hoc enim ipſa iuſtitia poſtulat, ut de rebus ipſis tantum,in iudicio contendatur. cętera uero omnia,quæ ab oratoribus adiunguntur, ut affectus, orationis ornamenta,dicendi lenocinia, uocum in flexiones,corporis geſtus,& ſimilia, in ciuitatibus bene inſtitutis,ſunt ſuperuacanea. ſolæ probationes apud ſapientes iudices neceſſariæ ſunt. Sed quoniam uiuitur non cum perfectis hominibus, neque plane ſapientibus,ſed cũ ijs,in quibus præclare agitur,ſi aliqua ſignificatio uirtutis appareat ideo fit,ut,propter auditorum uirium, & naturam quodammodo deprauatam hæc, quæ in oratione, præter probationes adhibentur,plurimum ualeāt, & ad uincendum planè neceſſaria eſſe uideantur. quin alij rhetores,præter Ariſtotelem qui philoſophi grauitatem ſeruat,in his ſolis orationem regnāre ac dominari uolunt.

TEXT. *Quin ipſa eloquendi ratio neceſſarium quiddam habet in omni diſciplina. nonnihil enim intereſt ad rem explicandam hoc an illo dicendi genere quis utatur, non tamen tantum quantum in hac arte. uerum hæc ex opinione pendent, & auditoris gratia quæruntur. itaque nemo Geometriam hoc modo docere inſtituit.*

COMM. Non tantum in arte rhetorica,ſed etiam in alijs diſciplinis(inquit)elocutio neſcio quid neceſſitatis habere uidetur,quoniam ad mentis interpretationem,& ad animi ſenſa exprimenda magna differentia eſt,utrum quis uno dicendi genere, an alio utatur.hanc rem L.Craſſus primo de Oratore copioſè perſequitur.quod etiam exemplis intelligere poſſumus,cum etiam multi philoſophi propter eloquentiam magnopere laudati fuerint, ut Plato, qui tam eximie locutus eſt,ut Ionem ipſum, ſi loqueretur, ita locuturum dicerent, ut Ariſtoteles, quem aureum flumen orationis fundere Cicero dixit,ut Theophraſtus, qui diuinitate loquendi nomen inuenit,ut Xenophon quem apem & atticam muſam propter orationis ſuauitatem appellarunt. contra alii, quod elocutionem claram & ſuauem ſpernerent,propterea ſunt improbati ut Heraclitus Epheſius,qui propter orationis obſcuritatem, tenebricoſus fuit appellatus.ut Chryſippus qui ieiune & exiliter multa conſcripſit. ut noſtrates philoſophi,qui tam ſpinosè barbareque loquuntur,ut à pleriſque contemnantur. non tamen in aliis diſciplinis tantum ualet elocutio,quantum in arte rhetorica. eſt enim rhetoricæ propria,compoſita oratio & ornata, & artificio quodam & expolitione diſtincta.quæ auditoris gratia comparatur, & quam ſi cæteri artifices adhibent,non ipſius rei, quam tractāt,gratia, ſed,ut auditores & lectores alliciāt adhibere ſolent. hoc autem intelligi facile poteſt ex illis diſciplinis in quibus res tantum ipſæ quæruntur,illæ enim omnem orationis ornatum tanquam mutilum reſpuunt. qualis eſt Geometria. quis enim artem geometricam ita docet, ut de expolienda oratione ſolicitus ſit? nemo ſane. quoniam(ut ait Manilius)

Ornari res ipſa negat,contenta doceri.

TEXT. *Ars igitur illa,cum in lucem uenerit,idem efficiet, quod ars hiſtrionica.quidam tamen hactenus nonnihil de ea præcipere tentarunt,ut Thraſymachus in Miſerationibus.*

COMM. Ad actionem reuertitur,de qua nondum fuerat ars una conſtituta,cum tamen ars hiſtrionica iam floreret. tantam(inquit)utilitatem oratori afferet apta pronunciatio.quantum poetis ars hiſtrionica.licet autem nondum in lucem uenerit, tamen nonnulli fuerunt qui de illa præcipere aliquid tentarunt. ut Thraſymachus Calcedonius Sophiſta magni nominis de quo Plato ſæpe meminit, & Cicero in Oratore. is enim cœpit de numeris oratoriis uerba facere,ut iam ſupra dictum eſt, & cum de Miſerationibus tractaret, quædam etiam de actione præcepta tradidit.quoniam in ea parte orationis,qua miſerationem concitare quærit Orator plurimum actio ualet, de qua re ita Cicero de ſe in Oratore, Quid ego de miſerationibus loquar? quibus eo ſum uſus pluribus,quod etiam ſi plures dicebamus,perorationem mihi tamen omnes relinquebant.in quo ut uideret excellere, non ingenio ſed dolore aſſequebar,& paulo poſt; Nec uero miſeratione ſolum mens iudicũ permouenda eſt, qua nos ita dolenter uti ſolemus,ut puer in infante in manibus perorantes tenuerimus, ut alia in cauſa excitato reo nobili ſublato etiam filio paruo,plangore & lamentatione compleremus forũ ſed etiam eſt faciendum ut iraſcatur iudex,mitigetur,inuideat,faueat,contemnat,admiretur, oderit, diligat, cupiat, ſatietate afficiatur, ſperet, metuat,lætetur,doleat.quibus ex uerbis ſatis intelligi poteſt, quare Thraſymachus in Miſerationibus tractandis de actione meminerit,& præcepta quædam de illa tradiderit.

TEXT. *Atque hoc quidem,quod ad agendum attinet, a natura potius habetur,& paruo eget artificio:quod autem ad ornandam orationem ſpectat, id uero artis indiget:quare qui hoc facere poſſunt, eodem modo uictoriam ex contentionibus reportant, ſicut oratores illi, qui plurimum in actione ualent. nam quæ ſcriptæ ſunt orationes,magis ornatu ipſo uerborum, quam ſententijs ualent.*

COMM. Nunc aperit quæ ſit inter actionem & elocutionem differentia,ut intelligi poſſit,quare de elocutione multa uerba faciat, de actione uero pauca ſcribat.nam actio(inquit) parui indiget artificii, quoniam à natura potius quam ab arte naſcitur, quod ita tertio de Oratore Craſſus affirmat;Quare in hac noſtra actione ſecundum uocem uultus ualet,is autem oculis gubernatur. atque in iis omnibus,quæ ſunt actionis ineſt quædam uis à natura data.hoc eſt quod etiam Horatius in Arte poetica ſic ait,

Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum: iuuat, aut impellit ad iram.

Aut ad humum mœrore graui deducit, & angit.
Poſt effert animi motum interprete lingua.

Quãuis aũt à natura, clara uox, & aptus corporis motus habeatur, tamẽ ẽt ars & exercitatio multum poteſt, ꝙ ip ſe Demoſthenes oſtendit, quem (ut ait Valerius Max.) alterum natura, alterum exercitatio peperit. Cicero primo de Oratore ſic ait, Tum uocis & ſpiritus, & totius corporis, & ipſius linguæ motus, & exercitationes, non tam artis indigent quam laboris. At uero elocutio, qua oratio expolitur & exornatur, tota ferè artis eſt. unde uulgo dicunt, poetam naſci, Oratorem fieri, quoniam propria eſt Oratoris, apta, diſtincta, & ornata oratio, quæ arte & exercitatione perficitur. & ſicut Oratores illi, qui naturæ muneribus inſtructi plurimum in agendo ualent, ita etiam illi, qui polite eloqui poſsunt, & uarijs figuris, atque ornamentis ſuam orationem uariant, ex certaminibua uictoriam reportare conſueuerunt. quin elocutionem eſſe rem gratisſimam & iucundisſimam ex eo intelligi poteſt, quod orationes, quæ ſcriptæ ſunt, multũ legentes oblectant. quod accidit magis propter ornatum uerborum, quam propter ſententias. quoniam ſæpe de rebus non admodum ſerijs ant grauibus tractant. hoc autem in otationibus Iſocratis uidere licet, in quibus eſt ſumma iucunditas, de quibus fortasſis hoc in loco ſenſit Ariſtoteles.

TEXT. *Cœperunt autem poetæ primo, ſicuti natura poſtulabat, aliquid de elocutione tractare, ſiquidem nomina rerum imagines ſunt: atque in nobis nulla pars eſt, quæ magis, quam uox ad imitandum apta ſit. Vnde epica, & hiſtrionica, atque aliæ artes huiuſmodi confectæ ſunt.*

COMM. Quærit nnde primo nata ſit elocutio, & qui primi fuerint auctores orationis conformandæ, atque ait poetas fuiſſe primos, quod ea ratione probatur, quia poeſis nihil aliud eſt, quam imitatio, ut in libro de Arte poetica docet Ariſtoteles. at nomina rerum ſimulacra ſunt, & imagines, ſiue imitationes, ſicut etiam Plato in Cratylo confirmat. nomẽ (inquit) eſt imitatio uocis eius rei, quã imitatur, ac nominat. cum autem homini uſque ab infantia cupiditas imitandi ſit innata, atque omnum animalium homo maximè ſit aptus ad imitãdum, nulla tamen par eſt in homine, quæ maiorẽ uim habeat imitandi quam uox ipſa. quare à uocis imitatione natæ ſunt artes plurimæ, ut epica, quæ regũ, imperatorum, ducum res geſtas & bella carminibus exametris exprimit, & hiſtrionica, quæ comœdias, tragœdias, Satyras, mimos amplectitur, & cuiuslibet ætatis, ordinis, conditionis hominum mores & uitas uoce repræſentat. Satis autem conſtat poetas fuiſſe primos, qui non tantum elocutionem conformarint; ſed etiam ſcribere cœperint. nam, ut Strabo refert, atque Euſtathius confirmat, Pherecydes atque Hecatæus primi fuerunt, qui ſolutam orationem ſcribere inceperint, cum antea carmine tantum ſcribi ſolitum eſſet. Cicero primo Tuſcul. ſcribit, apud Græcos antiquiſsimum e doctis genus fuiſſe poetarum. Pontanus in eo Dialogo qui Actius inſcribitur, hanc Ariſtotelis ſententiam ita explicat; Itaque dum poetæ hæc ipſa & fingunt, & ficta ſuauiter, magnificè, admirabiliterque loquuntur, alios ipſi eloqui docuere. nam imitati eos poſtea, qui cauſas egere, qui in Senatu de capiẽdis conſilijs diſſeruere, qui res geſtas memoriæ mandauere, eloquentiam perfecerunt ſolitam illam ac uagantem, quo fit ut omne dicendi genus à poetica manauerit. nam & primi doctorum omnium cũ extiterint poetæ, omnia quoque carmine ac numeris ſunt complexi. teſtisque horum omnium eſt Homerus, qui quantum ubique dicendo ualeat, & ſuſpiciunt docti, & admirantur indocti. quod autem ait Ariſtoteles, nomina eſſe rerum imagines, id ex Platonis ſententia dixiſſe uidetur. nam Plato neſcio quid diuinum eſſe in nominibus exiſtimauit, adeo nt apud eum Socrates nefas arbitretur nomina diuina uel leuiter immutare, quòd iam olim rebus ſingulis ſua nomina conſecrata fuerint. quin Democritus Abderites aiebat nomina eſſe uocales rerum imagines, & Pythagoras maxima illum ſapientia fuiſſe præditum cenſet, qui primus nomina rebus impoſuerit.

Et quoniam poetæ, licet plerunque res inanes proferant; tamen propter elocutionem gloriam acquiſiuiſſe uidebantur, ideo factum eſt, ut elocutio poetica primo probaretur, qualis eſt Gorgiæ. TEXT.

Cauſam explicat, quare primi Oratores, qui ornate dicere conati ſunt, poeticam elocutionem maxime probarint, cum tamen ea res uitio non careat, nt poſtea declarabitur. hoc (inquit) ideo factum eſt, quoniam poetę propter elocutionem ſolam magnum ſibi honorem & gloriam comparaſſe uidebantur. cum plerunque res quæ à poetis tractantur inanes ſint, & commentitiæ, atque eiuſmodi ut potius rideri, quam ſuſpici atque in precio haberi debeant. ita igitur ſecum argumentabãtur. poetæ ſunt in magno honore ac précio propter poemata ſua, quæ ex rebua, & uerbis cõſtant, Sed res poeticæ dignitatem non habent, quæ magna ex parte futiles ſunt, & inſulſæ, ergo uerba ſunt, quæ gloriam poetis afferunt. hac ratiocinatione inducti Oratores illi primi poeticam elocutionem amplexi ſunt, gloriam & honorem ex ea ſperantes. Itaque Gorgias Leontinus poeticæ locutionis auidior fuit, & his feſtiuitatibus inſolentius abuſus eſt. quas Iſocrates (ut ait in Oratore Cicero) cum tamen audiuiſſet, in Theſſalia adoleſcẽs ſenem iam Gorgiam, moderatius temperauit. tradunt Gorgiam, cum Athenas ueniſſet, & ad populum concionem habuiſſet, orationis nouitate multos in admirationem traxiſſe, & nonnullos atticos oratores cõuitio infeciſſe, ut poeticam locutionem tanqnam optimam ſequerentur. COMM.

Quinetiam hoc tempore multi imperiti homines exiſtimant tales oratores optimè loqui: ſed hoc minime uerum eſt; alia eſt enim oratoria, alia poetica elocutio; quod ex ipſo euentu poteſt intelligi. TEXT.

In ſoluta oratione, ꝙ poeticũ ẽ, apud peritos homines laudẽ hẽre nõ põt, quãuis aliqui ſint impe- COMM.

riti,indicio tam deprauato,qui putent eos Oratóres optimè dicere, qui poetica uerborum licentia exultant.& poetarum floſculos undiq; delibẽt,qua in re omnino decipiuntur,quoniam aliud eſt poeticè,aliud oratoriè dicere. neque priſcorum poetarum uerba,ſunt Oratorum locutioni accommodata.quod intelligi facile poteſt ex eo, quod poetis ipſis accidit,qui ut oratoribus in dicendo finitimi fierent,totam penè priſcam dicendi rationem commutarnnt.

TEXT. *Neque enim qui tragœdias conſcribunt, adhuc eo dicendi genere utuntur: ſed quemadmodum tetrametros uerſus reliquerunt,& ad iambos ſe contulerunt eo, quod ex omui metrorum genere iambicum eſt orationi ſolutæ ſimillimum;ſic etiam ea uerba reliquerũt, quæ à communi loquendi conſuetudine abhorrent; & omnem illum ornatum abiecerunt, quo priſci poetæ tragici utebantur,& quo adhuc utuntur ij,qui uerſus heroicos pangunt,itaque ridiculum eſt eos imitari,qui ipſi non amplius eo dicendi genere utuntur.*

COMM. Argnmentum à comparatione cõtra illos, qui ĩ ſoluta oratione poeticã locutionẽ probãt. tragici inquit,poetæ non amplius boc rpe ſequuntur illud priſcum dicendi genus à cõſuetudine uulgaris ſermonis remotum, ergo multo minus Oratores illud ſequi debere. magnam igitur factam eſſe mutationem in poetis oſtendit, qui non tanrum nnmeros,ſed etiam dicendi genus immntarunt, ut communem loqnendi conſuetudinem ſeqnerentur. prius.n.in tragœdijs tetrametros uerſus frequẽtiſſimè uſnrpabant,cum adhuc poeſis eſſet Satyrica, & ad ſaltandnm accommodatior,ut in Arte poetica ſcribit Ariſtoteles.magis enim petulans & laſciua,qnam grauis & ſententioſa tunc erar tragœdia, in qua Satyri ſaltantes introdncebãtur. itaque uerſibus etiam ad ſaltandum accommodatis uti opus erat,quales ſnnt tetrametri, qni etiam octonarii à latinis dicuntur,qnòd octo pedibns conſtarent, & non tantum iambos ſed etiam choræos & tribrachos pedes continebant.nam hi pedes celeres sũt, & ſaltationibus apti,ſicut infra dicemns. poſtea uero tragici poetæ,qui grauitatem & pondus fabulis ſuis addere cupiebant, illos celeres & laſciuos tetrametros reliquerunt.& ad iambicos ſe contulerunt,e quorum numero trimetros potiſsimum,atqne dimetros nſurparunt.hoc autem ideo fecerũt, quoniam nullum carminis genus eſt orationi ſolutæ ſimilius,quam iambicum.in comœdijs igitur & tragœdiis hnnc numerũ ideo freqnentiſſimum adhibuerunt,quoniã quãdã ueritatis ſimilitudinẽ habere uideaẽ.ut ĩj,qui fabulas agunt,quodammõ loquĩ naturaliter appareant. eadem rõne poetæ recentiores uerba ẽt illa repudiarunt, quæ à nulgari genere ſermonis abhorrẽt,& ornamẽta illa,quibns priſci poetæ utebantur.neque ſane tragici comicique cum heroicis poetis in dicendi genere conueniunt,ꝙ heroici magniloquentiam ſeqnuntur, tragici uero & comici quotidianum ſermonem imitãtur.Quocirca ridicule facinnt orarores illi,qui poeticam eam locutionem imitantur,quam ẽt ipſi poetæ repudiarunt.cũ in dicendo uitium uel maximũ ſit(ut ait Cicero)a uulgari genere orationis, atque à conſuetudiue communis ſenſus abhorrere.

Perſpicuum igitur eſt,non eſſe nobis omnia diligenter explicanda,quæ ad elocutionem attinent, ſed tantum ea,quæ ad oratoriam elocutionem, de qua ſermonem inſtituimus.nam de illa altera diximus in ijs, quæ de Arte poetica ſunt à nobis pertractata.maneant igitur illa firma. TEXT.

Stringit à præſenti tractatn poeticam elocutionem,non(inquit)eſt à nobis hoc in loco de omni elocutione diſputandum,ſed de illa tãtũ, qua expolitur ſoluta oratio,& qua ipſi oratores urũtur.quoniam de Arte rhetorica totus hic à nobis ſermo ſuſceptus eſt.at uero de poetica elocutione,ſatis multa uerba fecimns eo in libro,ubi de poetarum arte ſtudioq́ue pertractauimus.itaque non eſt opus ea repetere,quæ ſatis accurate declarata ſunt. COMM.

Hic autem elocutionis uirtus eſſe ſtatuatur,ut aperta ſit,atque dilucida.cuius rei ſignum eſt,quod niſi oratio rem declaret,finem ſuum non aſſequetur. TEXT.

Iam de oratoria locutione tractare incipit,cuius primam eſſe uirtutem ait,ut ſit dilucida atq; perſpicua.nam ea de cauſa nata eſt oratio, ut ſenſa mẽtis aperiat,qnod ſi obſcura fuerit,finem ſuum aſſequi non poterit.Quintilianus li.1.capite.6.ſic ait; Orario cuius sũma uirtus eſt perſpicuitas,q̃ ſit uitioſa ſi egeat interprete?idem li.2.ca.3.Nã & prima eſt eloqnẽtiæ uirtus perſpicuitas.Cicero in Partitionibns cum quinque lumina orationis enumeret,primo loco dilucidũ ponit, ꝙ ait fieri uſitatis uerbis ,ppriis & bene diſpoſitis.oportet aũt ut orator & rerum & uerborum claritatem ſequatur, ne ea tractet,quæ ab auditoribus intelligi nõ poſſint, aut ne iis ntatnr nerbis,quæ à communi loquendi conſuetudine abhorrent. Claritatem nero eſſe maximam orationls uirtutem ex eo põt intelligi, qđ optimus qniſqne ſcriptor etiam clariſſimus eſt, ut apud Græcos Homerus, Demoſthenes,Iſocrates, apud Latinos Virgilius,Cicero,Cęſar. nt uerisſimum ſit illud,quod Quintilianus ait,erit eo obſcurior,quo quiſque deterior. COMM.

Sed nec humilis,nec nimis elata eſſe dẽt, uerũ ipſis rebus cõueniẽs.nã poetica locutio non humilis quidem eſt,ſed tamen ſoluta orationi non conuenit. TEXT.

Altera uirtus elocutionis eſt,ut reb. ipſis cõueniat,neq; aut humilior aut elatior ſit,q̃ res poſtulẽt, elocutio nãq; poetica nõ iõ reiicit.ab oratore qđ ſit humilis,ſed ꝙ orationi ſolutæ non eſt cõueniens.is igitnr nere eſt eloqnens(ut in oratore ait Cic.)qui & hnmilia ſubtiliter,& magna grauiter, & mediocria tẽperate põt dicere.neque.n.eloqnẽs alia re potins q̃ elocutione cenſetur. Elocutio aũt omnis rebus accommodari debet,alioquin eas rectè ſignificare nõ poterit,porro rerum tria genera ſunt,aliquæ.n.ſunt humiles, aliquæ magnæ,aliquæ mediocres.itaque totidem ẽt elocutionis genera eſſe debent. quo fit ut res humilis tenuiter & ſubriliter tractari debeant, magnæ uero ſublimiter & grauiter, mediocres denique leniter, & COMM.

tem-

temperatè. quam enim indecorum eſt (ait Cicero) de ſtillicidijs cū apud unum iudicem dicas ampliſſimis uerbis & locis uti communibus. de maieſtate populi R. ſummiſsè & ſubtiliter? elocutio nimium humilis contemni ſolet, nimis elata ſolet irrideri, ut Horatius in arte poetica.

Fortunam Priami cantabo & nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatum?

Itaque merito Statius à doctis uiris irridetur, tā quam nimis turgidus & inflatus, quippe qui ſuam Achilleidem ita ſit exorſus.

Magnanimum Aeacidem, formidatamq́ue tonanti
Progeniem, & patrio uetitam ſuccedere cœlo
Diua refer.

in ſumma debet Orator diligenter aduertere quid, ei cauſæ, quam tractet, conueniat, & quid deceat, deinde totam elocutionem ipſis rebus accommodare.

TEXT. *Ex nominibus autem & uerbis illa præcipuè dilucidam orationem efficiunt quæ propria ſunt: non humilem autem ſed exultatam, & ornatam alia reddūt de quibus in Arte poetica dictum eſt.*

COMM. Cum duas elocutionis uirtutes eſſe dixerit, nūc oſtendit quibus ex uerbis illæ uirtutes conſtent. uerba (inquit) propria faciūt orationem dilucidā. uerba autem alia de quibus in Arte poetica dictū eſt, faciunt ornatam & politam. ea uero ſunt tranſlata, iuncta, peregrina. ac propria quidem uel natiua ſunt, uel reperta. natiua, quæ ſignificata ſunt ſē ſu, ut homo, equus, reperta, quæ ex ijs facta ſunt, ut humanus, equinus. octo uerò modis præcipuè proprietas capitur. primo ratio ipſa ſignificandi proprietas dicitur, & ſua cuique appellatio, ut uirtus, uitium, corpus, color. Secundo cum unum uerbum principaliter unam habet ſignificationem, ſed etiam ſimilitudine quadam ad alias transfertur, ut ſanum proprie de animali non ægroto dicitur, ſed cibus etiam ſanus uocatur, & urina ſana. Tertio cum res communis pluribus in uno habet nomen eximium, ut carmen commune nomē eſt, ſed carmen funebre proprie nænia dicitur. Quarto cum nomen commune multis uni peculiariter ꝑ excellentiam attribuitur, ut cum dicimus oratorem proprie Ciceronem intelligimus, cum philoſophum, Ariſtotelem. Quinto proprium uocatur, quo nihil ſignificantius eſſe poteſt, ut Cato dixit C. Cæſarem ad euertendam Remp. ſobrium acceſſiſſe. Horatius, Annibalem dirum. Sexto ex adiectis nominibus proprium dicitur, ut dulce muſtum, dentes albi. Septimo quod bene tranſlatum eſt, ut ira ardere, inflammatum eſſe cupiditate. Octauo quod in aliquo præcipuum eſt, ut Fabius propriè cunctator dictus, & Plato diuinus, hæ uero proprietates perſpicuam & illuſtrem orationē efficiunt. quæ uero ſplendidam & ornatam reddūt deinceps oſtendemus.

TEXT. *Quippe uerborum immutatio facit orationem uideri grandiorem. quemadmodum enim erga peregrinos, & erga ciues affecti ſunt homines, ita etiam erga orationem, itaque dictionem reddere peregrinam oportet. res enim externas homines admirantur. quod autem gignit admirationem ſuaue eſt.*

Variare orationem maximè oportet, nam, ut ait Cicero, omnibus in rebus ſimilitudo eſt ſatietatis mater. immutatio uero locutionis & uariatio facit orationem uideri grandiorem & admirabiliorem. ſicut enim homines ea, quæ quotidie uident, & quæ uicina ſunt, quamuis ſint eximia non multum admirantur, ut ſapientiſſimos & præſtantiſſimos ciues ſuos, quæ uero rara ſunt, & peregrina quadam cum admiratione ſuſpiciunt, et ſi non admodum ſint eximia, ut peregrinos mediocri prudentia præditos. ita etiam in oratione faciunt. cum enim nullum nouum, nullum à communi conſuetudine loquendi remotum uerbum, nullam figuratam locutionem, nullam externam dictionem audiunt, nihil omnino commouentur, ſed quadam ſatietate afficiuntur. cum autem nouum aliquod dicendi genus, à uulgari & quotidiano diuerſum auribus inſonat, tunc eriguntur, animum aduertunt, & magna uoluptate complentur. quare laborandum eſt, ut oratio peregrina uideatur, cum illud exploratum ſit, homines ſolere res externas admirari. quicquid autem admirationem gignit, illud iucundum eſt ac ſuaue. ut in primo libro dictū eſt. quod autem homines res domeſticas faſtidiāt, etiam Cicero queritur primo de Finibus his quidem uerbis; Ego autem ſatis mirari non queo, unde hoc ſit tam inſolens domeſticarum rerum faſtidium. huc ſpectat illud ex euangelio, nullum in patria ſua prophetam eſſe gratum. COMM.

Ac in poetarum quidem ſcriptis multa ſunt, quæ hoc efficiunt: ſed ibi ea conueniunt; nam res & perſonæ de quibus agunt poetæ, ualde à cæteris remotæ ſunt. ſed in oratione ſoluta multò paucioribus uti licet ornamentis, cum etiam ipſum argumentum multò ſit inferius. TEXT.

Quoniam dixerat, curandum eſſe, ut oratio à communi conſuetudine remota, & quodammodo peregrina uideatur, nunc ait hoc eſſe poetis longe facilius, quam oratoribus, quoniā poetę de rebus & perſonis tractāt, quæ ualde ſunt à cæteris remotæ, & hoc eſt quod oratio poetica maiorem dignitatem & ſplendorem habet. nam de deis immortalibus, de cœleſtibus rebus, de regum & heroū fortunis & caſibus poetæ canunt, ut Iopas ille Virgilianus in primo Aeneidos, COMM.

Qui canit errantem lunam, ſoliſq́ue labores,
Vnde hominum genus, & pecudes, unde imber & ignes
Arcturū, pluuiaſq; hyadas, geminoſq́ue Triones
Quid tantum oceano properent ſe tingere ſoles
Hyberni, uel quę tardis mora noctibus obſtet.

At in ſeptimo ſic intonat,

--dicam horrida bella.
Dicam acies, actoſq́ue animis in funera reges.
Tyrrhenamq́ue manum, totamq; ſub arma coactā
Heſperiam, maior rerum mihi naſcitur ordo.
Maius opus moueo.

Sed orō ſoluta cū argumēta multo iferiora tractet, ut cās forenſes, & res ciuiles atq; cōes, multo

etiam paucioribus ornamentis utitur. de qua re Iſocrates in Euagora conqueritur, quod poetis maiori cum libertate liceat & peregrinis, & nouis & translatis nominibus uti, atque efficere ut Dei ipſi ad homines accedant, & cum eis colloquãtur, & cũ quibus uoluerint, cõgrediãtur, oratoribus autem hæc omnia ſint denegata. Craſſus apud Ciceronem tertio de Oratore ſic ait: Inuſitata ſunt priſca ferè & uetuſta & ab uſu quotidiani ſermonis iã diu intermiſſa, quæ ſunt poetarum licentiæ liberiora, quam noſtræ, ſed tamen raro habet ẽt in oratione poeticum aliquod uerbum dignitatem.

TEXT. *Quin etiam in hac arte ualde eſſet indecorũ, ſi aut ſeruus, aut ualde iuuenis, aut qui de rebus admodum minutis agit, elegantiori, atque ornatiori ſermone uteretur, eſt enim etiam in ſoluta oratione decorum, quo & contrahi & dilatari debeat.*

COMM. In elocutione oratoria rerũ & pſonarũ rõ diligenter haberi debet, ut ſicut poeta, Reddere perſonæ ſcit conuenientia cuique, ita ẽt orator, ſi fortaſſe cõtingat inducere loquẽtẽ ſeruum hominẽ, aut puerum, non debet eis politiorem attribuere ſermonem, ſed eorũ ꝓpriũ & quotidianũ. ita ſi orator ipſe de rebus ualde minutis uerba faciat, uerba ampla, grãdia deuitabit, & ornamenta ſublimiora, nam in ſoluta ẽt oratione, nõ minus q̃ in arte poetica quoddã eſt decorum, ꝙ oratores docet, aut orationem contrahere, qñ opus eſt, aut eam ampliare, atque dilatare. Cicero ꝓ Milone ubi de Seruorum qõne uerba facit, oẽm penitus ornatũ abijcit, & uerbis uulgaribus utit, ut cũ ſic ait; heus ubi Ruſcio, ubi Caſca? Clodius inſidias fecit Miloni? fecit, certa crux. nullas fecit. ſperata libertas, quid hac qõne certius? pro M. Cœlio Clodiæ fratrẽ minorẽ ita loquentem inducit, quid tumultuaris ſoror? quid inſanis? quid clamore exorſa, uerbis paruam rem magnam facis? uicinum adoleſcentem aſpexiſti. candor huius te & proceritas, uultus, oculiq́ue perpulerunt, ſæpius uidere uoluiſti. nonnunquam in iiſdem hortis uiſa nobilis mulier. & quæ ſequuntur. quid cum de minutis rebus agit Cicero quam ſubtiliter & acute, quam tenuiter & demiſſe loquitur? declarat hoc illa, quam pro. A Cæcina habuit oratio, quæ tota ferè in tenui dicendi genere uerſatur. declarant epiſtolæ plurimæ, quotidianis uerbis contextæ. ſed nullus eſt modus uel contrahendæ, uel dilatandæ orationis, quem non artificioſe Cicero uſurparit.

TEXT. *Quare danda eſt opera, ut hoc clam fiat, ne uideamur fictè dicere, ſed ut nobis dictat ipſa natura: ſic enim erit probabilis oratio, illo uero modo cõtrarium eueniet. nam oratorem tanquam inſidiatorem ſuſpectum habent, non aliter atque permixta uina.*

COMM. Quamuis Orator artificioſè loquatur, tamẽ artem ipſam quantum poteſt occultare debet; ne uideatur fictè dicere, ſed ex animo, atque ut ueritas & natura ipſa dictat. nam hoc modo facile fidem faciet, & quæcunque uult, probabit. quod ſi ars deprehenſa fuerit, non modo fidem auditor non habebit, ſed etiam tanquam inſidiatorem uitabit ipſum Oratorem. quemadmodum ij, qui uino delectantur, ſolent habere ſuſpecta plura uina ſimul confuſa & temperata, ne ab eis capiantur & inebrientur. hoc præceptum etiam in amore Ouidius tradit, ut ars occultetur.

Si latet ars, prodeſt, affert deprehenſa pudorem.

M. Antonius ſecundo de Oratore ſic ait; ſuſpicionem artificii apud eos, qui res iudicent, oratori aduerſariam eſſe arbitror, imminuit enim & oratoris auctoritatem, & orationis fidem. eadem penè dixit in primo libro de Inuentione, ubi de exordio præcepta tradit, ſic enim ait; ex his ſuſpicio quædam apparationis, atque artificioſæ diligentiæ naſcitur, quę maxime orationi fidem, Oratori adimit auctoritatem. Ariſtoteles ualde appoſita ſimilitudine utitur hoc in loco, ſicut enim uina plura permixta incautos facile decipiunt, & inebriant, ita uerba artificioſè prolata, & ficto animo compoſita, facile auditores in errorem inducunt, itaque latere debent, & ita pronunciari, ut à natura prouenire uideantur. hoc eſt quod ait Quintilianus libro quarto: optimæ uero præparationes erũt, quæ latuerint, ut à Cicerone ſunt quidem utiliſſimæ prædicta omnia per quæ Miloni Clodius, nõ Clodio Milo inſidiatus eſſe uideatur. plurimum tamẽ facit illa callidiſſima ſimplicitatis imitatio; Milo autem cum in Senatu fuiſſet eo die quoad Senatus eſt dimiſſus, domum uenit, calceos & ueſtimẽta mutauit, pauliſper dum ſe uxor, ut fit, comparat, commoratus eſt. quam nihil præparato, nihil feſtinato feciſſe uidetur Milo? quod non ſolum rebus ipſis uir eloquentiſſimus, quibus moras & lentum profectionis ordinem ducit, ſed uerbis etiam uulgaribus, & quotidianis, & arte occulta conſecutus eſt. hęc Quintilianus.

Debet igitur eſſe oratio, qualis eſſe Theodori uox uidebatur ad aliorum hiſtrionum uocem comparata. nam eius ipſius qui dicebat, illa eſſe uidebatur, uoces autem reliquorum alienæ. TEXT.

COMM. Naturam perſonarum imitari debet Orator in dicendo, atque ita eloqui ut nihil fictum nihil ſimulatum eſſe in oratione uideatur. nam ficta omnia celeriter tanquam floſculi decidunt, nec ſimulatum quicquam poteſt eſſe diuturnum. talis denique debet eẽ oratio, qualis uidebatũ eſſe uox Theodori tragici hiſtrionis. quoties ad aliorum hiſtrionum uocem comparabatur. nam ita cuiuslibet ætatis, ordinis, conditionis, ſexus, hominum uocem imitabatur, ut non hiſtrionis uox; ſed eius ipſius perſonæ, quæ loquens inducebatur, eſſe uideretur, cum aliorum hiſtrionum uoces, ut erant, ita etiam alienæ uiderentur. de hoc hiſtrione libro ſeptimo Politicorum ita inquit, profecto haud male de hoc Theodorus tragœdiarum actor cenſuit, neminem enim unquam uel leuem actorẽ ante ſe agere paſſus eſt, quod eis quæ prima audiuntur, ſpectatorum animi conciliari ſoleant. meminit etiam Plutarchus multis in locis de hoc hiſtrione nominatim in eo libro ĩ quo tractat, quo mõ quis ſine inuidia ſeipſum laudare poſſit. debet igitur Orator

ma-

magnam in eo diligentiam adhibere, ut quamuis ſummo artificio utatur in dicendo, tamen eius locutio propria naturaliſque eſſe uideatur.

TEXT. *Facile uero artificium occultatur, ſiquis è communi ſermonis conſuetudine uerba ſeligens, orationē ſuā componat, quod Euripides obſeruat, & primus hanc rationem oſtendit.*

COMM. Occultandi artificii rō (inquit) illa eſt, ut orator uerba ſeligat è cōi ſermonis conſuetudine, & ex delectis uerbis orationem ſuam cōponat. hoc enim modo duas res utiles aſſequetur. primò quia dicendi genus ſuſpectum eſſe minime poterit, quod uſitatis uerbis, & quodammodo ijs, qui audiunt innatis, utatur. deinde quia in ipſo uerborum delectu, quod, ut Cæſar aiebat, initium eſt eloquentiæ, poterit elegantiora ſumere, nimis uero plebeia atque uulgaria dimittere, ſic. n. erit ornata oratio, & quodammō noua atque peregrina, neque tamen ob artificium ſuſpecta. hanc (inquit) rōnem ſecutus eſt Euripides, & primus fuit, q uiam hāc aperiret. cū ante illum poetæ multo liberiores eſsēt in dicēdo, & uoces alienas, remotiſsimas à uulgari conſuetudine, & nimis dure translatas uſurparent, ut ex tragædijs Aeſchili facile intelligi pōt. uſus igitur quotidiani ſermonis, cum uerborum delectu uſurpatus, non tantum Oratoribus, ſed etiam poetis maximam afferre laudem poteſt. at uero contra, nihil, ut ait Quintilianus, odioſius eſt affectatione. unde fit, ut qui nimis uetuſta, aut obſoleta, aut externa uerba orationi ſuæ frequenter inculcant, merito rideantur.

TEXT. *Cum autem è nominibus & uerbis oratio conſtituatur, & nominum tot ſint ſpecies, quot in arte poetica declaratum eſt, rarius Orator & paucioribus in locis uti debet peregrinis, & iunctis nominibus & factis: ubi uerò deceat uti, poſtea dicemus.*

COMM. Quæ uocabula rarius & quæ frequentius uſurpare debeat Orator hic explicat. oīs. n. oratio conſtituitur e noībus & uerbis. ſed nominū uariæ ſunt ſpecies, ut in Arte poetica demonſtratum fuit. ſūt enim propria, hoc eſt patrij ſermonis uocabula, ſunt peregrina, quæ ab Ariſtotele dicuntur gloſſæ hoc eſt linguæ, ſunt translata, ſunt figurata, ſunt facta, ſunt extenſa, ſunt contracta, ſunt immutata. ex his tot formis, tres tantum excipit, quibus uti rarius, & paucioribus in locis Orator debeat, hoc eſt peregrina, iuncta nomina, quæ ēt extenſa uocātur, & facta. quibus tamen aliqñ utitur, ſed quibus in locis eis uti liceat, poſtea declarabit. quas Ariſtoteles γλώττας appellat, nos peregrina uertimus, ea de cā, qm̄ infra docet Ariſtoteles cū affectus mouere uolumus, poſſe nos uti peregrinis uerbis, & iūctis & factis. quo in loco apertè uocat ea ξένα hoc eſt peregrina, quas hic appellat γλώττας .i. linguas. Quintilianus 1. li. ita ſcribit, protinus. n. pōt interpretationem linguæ ſecretioris, quas Græci gloſſas uocant, dum aliud agitur ediſcere. Ariſtoteles in Arte poetica ſic ait, Proprium quidē dico, quo ſinguli utuntur, glottam uerò quo cæteri. quibus ex uerbis ſatis liquet glottas eſſe, quibus utuntur aliæ nationes & idem uocabulum poſſe eſſe propriū, & peregrinū, ꝓpriū eorum, qui in patrio ſermone illo utuntur, peregrinū aūt aliis nationibus, qn in hetruſco ſermone ſiquis latinū ponat uocabulū, id quodāmō peregrinum dici poterit, & ſiquis in latino ſermone græcum, atque ita de aliis.

TEXT. *Cur aūt eis abſtinere debeat, tam dictum eſt: nempe quia, magis quam oporteat, orationem immutant.*

COMM. Repetit cām quare debeat Orator peregrina, et iūcta n. ía, & facta dimittere, neque eis uti niſi certis locis. qm̄ (inquit) plusquam conueniat, & utile ſit, orationē mutāt, & à quotidiano ſermone ita remouent, ut ficta eſſe uideatur, & artificium appareat. quæ res plurimum cauſę nocet.

TEXT. *Propria uero tantum nomina atque ſua, & tranſlata ad ſolutam orationem exornandam ſunt utilia. cuius rei ſignum eſt, quod his ſolis omnes utuntur. nam in loquendo translatis, & ſuis, & proprijs nominibus quilibet utitur.*

COMM. Cum oīs oratoria locutio debeat a cōi loquēdi cōſuetudine, delectu tm̄ uerborum adhibito ꝓmanare, pſpicuum eſt duo tm̄ uerborum gñа ſufficere, ad eā exornandum, hoc eſt ꝓpria, & trāslata. qđ ex argumēto ꝓbari pōt. ꝙ in familiari collocutione, & quotidiano ſermone, nemo eſt, qui nō & ꝓpriis, & trāslatis noībus utatur. ꝓpria duobus modis appellat Ariſtoteles, primo, quibus paſſim oēs eiuſdem nationis utuntur, ut in Arte poetica ipſemet explicat, & tunc eis opponuntur glottæ ac peregrina uerba. Secundo quibus ipſæ res primo ſignificātur, & tūc eis opponūtur trāslata uerba. Cicero cōiūgit utrūque modum in tertio de Oratore cū ait. Atq; in hoc gñe pſæpe mihi admirandū uī, quid ſit, quod omnes translatis, & alienis magis delectantur uerbis, quam propriis ac ſuis. nam propria ſunt oppoſita trāslatis, & ſua alienis. quæ igitur peregrina ſupra nominauimus, ea poſſumus ēt ex auctoritate Ciceronis, aliena uocare. Quod aūt ait Ariſtoteles quemlibet hominem non tantum propriis atque ſuis, ſed ēt translatis uti nominibus, id ēt Cicero in Oratore ad Brutum ita confirmat, ubi de tenui Oratore loquitur; translatione fortaſſe crebrior, qua frequentiſſimè ſermo omnis utitur, non modo urbanorum, ſed ēt ruſticorū. ſiquidem eſt eorum gemmare uites, ſitire agros, lætas eſſe ſegetes, luxurioſa frumenta. Quintilianus lib. 8. de translatione ſic ait: Quæ quidem cum ita eſt ab ipſa nobis cōceſſa natura, ut indocti quoque ac non ſentientes ea frequenter utantur, tum ita iucunda, atque nitida ut in oratione quanlibet clara proprio tamen lumine eluceat.

TEXT. *Quare dubium eſſe non poteſt, quin ſiquis hoc rectè fecerit, conſequatur, ut, & peregrina uideatur eius oratio, & ars lateat, & aperte dicat, quæ locutionis oratoriæ uirtus eſt.*

COMM. Concludit ſe iam tria docuiſſe, quæ ad uirtutem locutionis Oratoriæ pertineāt. nam ſiquis, inquit, ea, quæ docuimus diligenter obſeruauerit, primo conſequetur, ut eius oratio noua, & neſcio quid peregrinitatis in ſe habere uideatur, cum ex

delectis tãtum uerbis fuerit compoſita,deinde ut artificium lateat,quia non ſint aliunde petita nomina,neque inuſitata,neq; prorſus inaudita, tum ut aperta dilucidaque ſit oratio,quod proprijs nominibus explicetur,& translationes adhibeantur, quæ ſolent illuſtriorem & clariorem reddere totã orationem. uidetur autem Ariſtoteles inter peregrina tranſlationem etiam conſtituere, quod in Arte poetica apertiſsimè facit,cum ita inquit; peregrinum appello glottam,& metaphoram,& extenſionem, & quicquid non eſt proprium. quem imitatus in Oratore Cicero, inter aliena tranſlationem ponlt,nam ita ſcribit; iu alienis aut tranſlatum, aut factum, aliunde, aut mutuo, aut factnm ab ipſo,aut nouum aut priſcum & inuſitatum.

TEXT. *Nomina quæ ſunt ambigua Sophiſtæ conueniunt, ex iis enim fallaciter concludut.quæ uero cognominata, poetæ ſunt utilia. uoco autem propria & cognominata ut eo,& uado,& proficiſcor, hæc enim & propria ſunt,& inter ſe cognominata.*

COMM. Sunt quædam nomina,quæ multas habent ſignificationes, ut canis, quod animal terreſtre latrans,& piſcem marinum,& ſidus cœleſte ſignificat,hæc à græcis dicuntur homonyma,à latinis ambigua,à dialecticis recentioribus ęquiuoca, quod æqualiter multa uocent,hoc eſt ſignificent. atque hæc quidem nomina Sophiſtis apta ſunt, qui non uerè aliquid concludere,ſed fallere,atque in errorem inducere tentant. uel efficere ut aduerſarius res abſurdas concedat,ut,quicquid currit habet pedes,fluuius currit,igitur fluuius habet pedes. Qui pecunijs indiget,pauper eſt,imperator pecunijs indiget,ergo imperator eſt pauper.quod eſt ſanum, bene ualet,urina eſt ſana,ergo urina bene ualet. hi ineptijs,& ridiculis concluſiunculis Sophiſtæ delectantur.itaque nomina quę ſunt ambigua uenantur,ut quos uoluerint, captionibus ſuis irretiant. cõtra uerò poetæ qui numeris aſtricti ſunt,ſed uerborum ſibi licẽtiã uſurpant, frequenter multa uerba idem ſignificantia congerunt,huiuſmodi uero nomina gręcè ſynonyma dicuntur, uel polyonyma,latinè uero cognominata, quod latinum uocabulum pauci aduertunt. cum tamen eo Cicero in Partitionibus utatur, & cognomines ij dicuntur, qui inter ſe ſunt eiuſdem nominis.ſunt igitur cognominata interdum etiã propria,ut hęc tria uerba idem ſignificant, eo, uado, proficiſcor. & hęc tria nomina,terra,humus,tellus. poetę igitur cognominatis frequenter utuntur. ut Virgilius initio tertij libri Aeneidos quater idem dixit uerbis cognominatis.

Poſtquam res Aſię, Priamiq; euertere gentem
Immeritam uiſum ſuperis, ceciditque ſuperbum
Ilium & omnis humo fumat neptunia troia.

Sæpe etiam Oratores cognominatis utuntur, ut abijt,euaſit,exceſsit,erupit.& pro Milone; hęc tanta uirtus ea hac urbe expelletur, exterminabitur,eijcietur.

TEXT. *Quid igitur horum unumquodque ſit, & quot ſint translationis ſpecies, & quem fructum poetæ & oratori translationes ferant,dictum eſt(ut antea monuimus)in Arte poetica.*

COMM. Quoniam Orator horum omnium nominum naturam habere cognitam debet,ut eis commodo ſuo uti poſsit,& hic eam Ariſtoteles non aperiat, locum oſtendit ubi hæc omnia fuerant iam ab eo diligenter tractata.nam in arte poetica ſingula explicat,ac docet quot modis translationes fiant, & quantam utilitatem & poetis & oratoribus afferant.itaque non uult eadem hoc in loco repetere.

TEXT. *Tanto autem maiorem induſtriam in transferendis nominibus oratio ſoluta poſtulat,quanto pauciora ad exornandum adiumenta,quam uerſus habet: cum præſertim orationem dilucidam,& iucundam,& peregrinam translatio faciat,neque eam ab alio quiſquam accipere poſſit.*

COMM Supra dixerat poetas habere multo plura ornamenta quam Oratores,quod etiam Iſocratis teſtimonio probauimus.poſtea uero translationes Oratori conceſsit.nunc igitur admonet longe maiori induſtria opus eſſe Oratori, ut ſcitè nomina transferat,quam poetę,& tãto maiori quanto pauciora habet adiumenta quibus orationem ſuam exornet.eſt enim quaſi neceſſaria tranſlatio, quod his uerbis Cicero teſtatur. Tertius ille modus transferendi uerbi latè patet,quem neceſsitas genuit inopia coacta & anguſtiis.pręterea tria maxima bona ſecum affert opportuna translatio.primo quod orationem apertam ac dilucidam facit,quam primam eſſe uirtutẽ orationis ſupra docuimus. Secundo quod magnam habet ſuauitatem, uel quod ingenij ſpecimen eſt quoddam ait Cicero,tranſilire ante pedes poſita,& alia longe repetita ſumere, uel quod is,qui audit,alio ducitur cogitatione, neque tamen aberrat,quę maxima eſt delectatio. Tertio quod efficit,ut oratio peregrina uideatur,& admirationem excitet.eſt enim translatio quaſi mutuatio quædam,cum,quod non habeas, aliunde ſumas.huc accedit ea translationis laus, ꝙ eam ab alio non poſſumus accipere, ſed opus eſt, ut ingenij noſtri acumine eam excogitemus, dum à propria ſignificationé,per ſimilitudinem quãdam uerbum ad aliam rem deducitur. quidam hunc locum ita intelligunt,ut ſignificet Ariſtoteles, non poſſe translationem accipi ab alio, quod.ſ. nihil habeat ſimile.nam aliud dicitur, quod penitus eſt diuerſum.conſtat autem à penitus diuerſo nullam accipi poſſe metaphoram,quæ ſemper à ſimilitudine quadã ducitur,& hoc eſt quod tertio de Oratore Craſſus inquit;Similitudinis eſt ad uerbum unum contracta breuitas. quod uerbum in alieno loco tanquam in ſuo poſitum,ſi agnoſcatur, delectat, ſi ſimile nihil habet,repudiatur.atque hæc ſanè interpretatio mihi non diſplicet, licet priori magis aſſentiat.

Oportet autem & addita ad nomen, & translationes accommodatas ſumere.hoc autem fiet, ſi ex proportione ducantur:ſin minus indecorum apparebit;cõtraria nanque inter ſe collata maximè perſpiciuntur.

In

COMM. In tractatione uerborum uis eloquentiæ maxime perſpicitur, nam etiam ſi optima ſint uocabula, tamen uenuſtatem omnem & gratiam amittunt, niſi quis eis opportunè, & accommodatè utatur. hoc eſt quod ait Ariſtoteles, oportere addita ad nomen & translationes accommodatas ſumere. uoco autem addita ad nomen quæ Græcè Epitheta nominãtur, & à grammaticis adiectiua, Quintilianus apposita uocat, ſic enim ait octauo libro ornat etiam ἐπίθετον, quod rectè dicimus appoſitum. Cicero in Partitionibus aditum ad nomen appellat, ut nos uertimus. erunt, inquit, accommodata epitheta, & laudabiles translationes, ſi ducantur ex proportione. nam ſi proportio nõ conſeruetur, ſtatim apparebit id, quod eſt indecorum, quoniam quæ contraria ſunt & non conuenientia, cum inter ſe conferuntur, magis fiũt perſpicua. uideamus igitur in epithetis primo quomodo ſit proportio conſeruanda, deinde etiam in translationibus. nam ſi contrarium epitheton cõtrario nomini conueniet, etiam id quod apponere uolumus erit accommodatum, ut ſi pauperem demiſſum & humilem appellare uoluero, uidebo an diues rectè arrogans & ſuperbus dicatur. ſi læta iuuentus benè dicitur, bene etiam triſtis ſenectus appellabitur. & ſi trãquilla pax bene dicitur, etiam turbulentum bellum rectè dicetur. quod ſi contraria nomina non fuerint, uidendum eſt an contrarium epitheton eidem nomini conueniat. tunc enim id, quod addere uolebamus, nõ erit accommodatum, ut ſi bene dixit Virgilius Monſtrũ horrendum, informe, male dicet, qui, Monſtrum amabile, formoſum appellarit. interdũ etiã cõtraria epitheta eidẽ cõueniunt, cũ qualitates aut quãtitates mutantur, ut mala mens, malus animus, bona mens, bonus animus, lati humeri, lata frons, anguſti humeri, anguſta frons. interdum plura epitheta eidem nomini adduntur, ut ſingularis eximiaque uirtus, incredibilis ſapientia ac pene diuina, multaque eiuſdem generis quæ paſſim occurrunt apud bonos auctores. & poetæ præcipuè ſibi laudes epithetorum uſurpant, ut in arte poetica ait Ariſtoteles. Virgilius hoc in genere ſicut in aliis rebus excellit, ut in quarto Aeneidos

Hinc Numidæ infreni cingunt, & inhoſpita Syrtis
Hic deſerta ſiti regio, lateque furentes Barcæi.

Sæpe etiam epitheta uim efficientis cauſæ exprimunt. præcipuè apud poetas, quam figuram Grammatici Metonymiam uocant, Rhetores hypallagen, ut Virgilius in ſexto Aeneid.

Luctus & ultrices poſuere cubilia curæ
Pallenteſque habitant morbi, triſtiſque ſenectus
Et metus & male ſuada fames, & turpis egeſtas.

Tale eſt illud, Infelix lolium & ſteriles dominantur auenæ. ſic Horatius. Pallida mors æquo pulſat pede, pauperum tabernas, Regumque turres Sic lætam uictoriam dicimus, calamitoſam offenſionem, bellum triſte, pacem ſalutarem ab effectu. quibus epithetis etiam in ſoluta oratione frequenter utimur. In translationibus proportio ſeruabitur eodem modo ſi contraria contrariis adhibeantur, ut ſi ſenectus, occaſus uitæ rectè dicitur, etiam infantia rectè dicetur ortus uitę. Si uir ignauus in actionibus ſuis dicitur eſſe frigidus, qui diligens eſt & ſedulus appoſitè calidus uocabitur. oportet autem magnam eſſe ſimilitudinem eius rei ad quam transfertur uocabulum cum ea, à qua tranfertur. ut ardere amore, inflammatum eſſe cupiditate. quod ſi minima ſimilitudo ſit, merito ridetur metaphora, ut in eo Furij carmine, Iuppiter hybernas caña niue conſpuit alpes. & illud Ennij merito reprehenſum; cœli ingentes fornices.

Sed uidere oportet, ſicuti iuueni purpura, ita ſeni quid conueniat, neque enim eadem eum ueſtis decet. TEXT.

COMM. Docet qua ratione proportionem ſeruare ualeamus, ſi diligenter ea, quæ oppoſita ſunt, obſeruemus. exempli gratia iuuenis & ſenex oppoſita ſunt, ergo non eadem ambobus conueniunt, quoniam (ut ait ille) non omnibus annis omnia cõueniunt. quod ſi purpura iuueni conuenit, aliud q̃rendum eſt ueſtis genus, quod ſeni cõueniat. quoniam non eadem ueſtis eum decet. idem in translatione ſeruandum eſt, ut ſi adoleſcentia flos ætatis appelletur, non poterit eodem modo ſenectus appellari. ſed dicetur ætas matura, uel ingrauesſcẽs, uel emerita. quæ omnes ſunt translationes. ita ſi pax dicatur tranquilla, uel ſerena, uel candida, uel iucunda, bellum dicetur turbulentum, uel procelloſum, uel atrum, uel moleſtum atque odioſum. atque hoc modo proportio ſeruabitur tam in epithetis, quam in translationibus. nam frequentiſſime epitheta per translationem proferuntur.

Et ſi quem exornare uolueris ab eis, quæ ſunt in eodem genere præſtantiſſima translationem ſumere debes, ſi uero uituperare, ab eis, quæ ſunt deterrima. TEXT.

COMM. Quoniam translationes plerunque uel laudandi, uel uituperandi gratia adhiberi ſolent, admonet Ariſtoteles ut quotieſcunque laudationis gratia translationem adhibere uolumus, trãsferamus ea, quæ ſunt in eodem genere præſtãtiſſima, quoties autem uituperationis gratia, tunc ea transferamus, quæ ſunt omnium deterrima. exempli gratia uolumus aliquem laudare, quod ſit prudentiſſimus & temperatiſſimus, per translationem igitur eum uocabimus, clariſſimum ciuitatis lumen, & exemplar antiquæ ſeueritatis. contra, uolumus uituperare, quod ſit ignauus, & uoluptatibus deditus, appellabimus eum tenebricoſum hominem è popina extractum. Cicero pro Milone, cum iudices à Pompeio delectos laudare uellet, ita per trãſlationem exornauit, delegit è florentiſſimis ordinibus ipſa lumina. cum autem Clodium tanquam importuniſſimum hominẽ uituperare uellet, ita dixit; atque illam belluam iudicij laqueos declinãtem irretitam teneret. & alibi, aliter perire peſtis illa non potuit. ſed quoniam hoc præceptum Ariſtotelis paulo obſcurius uidebatur, ideo nonnullis illud exemplis illuſtrat.

Dico autem hoc modo, quoniam contraria ſunt in TEXT.

eodem

eodem genere: ut ſi quis dicat, mendicantem deprecari, deprecantem uero mendicare. quoniam utrunque eſt petere, certe id faciet, quod ante dictum eſt.

COMM. Contraria ſub eodem genere ſemper ſunt. uel propinquo, uel remoto. propinquo ut candor et nigror ſub colore, dulcę & amarum ſub ſapore, virtus & uitium ſub habitu. remoto. ut fortitudo & ignauia ſub qualitate. uerum eſt igitur ſemper cōtraria ſub eodem eſſe genere, ſicut hęc duo mendicare, & deprecari, quæ tanquam contraria ſunt, & eorum genus eſt petere, nam & qui mendicat, petit, & qui deprecatur. ſed in hoc differunt, quod alterum uerbum eſt laudis, alterum uituperationis. deprecari enim dicuntur, qui aliquid à Deis immortalibus poſtulant, & piis votis ab eis opem implorant. quod omnino eſt laudabile. qui enim hoc faciunt, ſe Deis ſubijciunt, & eorum prouidentia res humanas adminiſtrari confitentur. mendicare uero dicuntur illi qui ſtipem, cibum, potum, & cętera, quibus producere uitam ualeant, uel hoſtiatim, uel in publicis locis conſidētes, petunt. quod certè abiectiſſimorum eſt hominum. ergo (inquit Ariſtoteles) ita per translationem immutabimus, cum laudare uolumus eum, qui uictum mēdicet, dicemus illum deprecari. quam artem uidentur etiam ipſi mendici intelligere, cum amore Dei, & religionis ergo petunt. cum autem uituperare uolumus eum, qui Deum aſsidue deprecetur, dicemus illum aſſidue mendicare. hac ratione ſeruabimus id pręceptum, quod ſupra poſitum eſt.

TEXT. *Quemadmodum Iphicrates Calliam uocabat Metragyrtem, non autem Daduchum. at ille reſpondit, profanum eſſe Iphicratem. nam ſi initiatus fuiſſet, nō ipſum Metragyrtem ſed Daduchum appellaſſet. ambo enim hæc nomina ſunt miniſtrorum magnæ Deæ, ſed alterum honeſtum eſt, alterum abiectum.*

COMM. Secundum exemplum eiuſdem præcepti, quo vſus eſt Iphicrates in vituperando Callia, & ipſe Callias in Iphicratem acutè retorſit. quod vt melius intelligi poſsit, ſciendum eſt olim apud Athenienſes & cæteros græcos multos, fuiſſe qui Matris Magnæ ſacris initiarentur religionis gratia, quoniam putarēt initiatos poſt mortem recta ad ſuperos euolare, ſi ea ſacra caſte coluiſſent, quoniam, vt ait Tybullus, caſta placent ſuperis. & Virgilius caſtos ſacerdotes in beatorum ſedibus collocat. Sic enim ait in Sexto Aeneidos,

Quique ſacerdotes caſti dum vita manebat.

Sed inter ſacerdotes illos Magnæ matris erat maxima differētia. quoniam alij nobiliores & præſtantiores erant, alij viliores & abiectiores. inter nobiliores erant, qui Daduchi dicebantur, quod in peragendis ſacris lampades geſtarēt, vt noſtro tempore publicis in ſpplicationibus, qui digniores ſunt ſacerdotes ſacram hoſtiam circumferūt, & proximi funalia tenent accenſa. at vero inter ignobiliores erāt Metragyrtæ, qui pro ſacris peragendis ſtipem à populo petebant, & nummos eo modo cogebant, quibus in vſu ſacrorum vterētur, ita vero dicti ſunt à congreganda ſtipe pro Deorum matre. verbum eſt enim compoſitum à mater, & agyrtæ. ſunt enim agyrtæ qui ſub religionis nomine mendicant. Cicero libro ſecundo de legibus appellat famulos Ideæ matris, cum ſic ait; præter Idęæ matris famulos, eoſque certis diebus, ne quis ſtipem cogito. nam omnino Cicero Metragyrtas intellexit. mirum eſt Eraſmum virum alioqui doctiſsimum in hoc vocabulo fuiſſe deceptū, qui in prouerbio Metragyrtes non Daduchus putat Metragyrtem à Mithra dictum, quod Perſæ ſolem mithram appellant, quaſi Solis eſſent ſacerdotes, cum à matre denominati ſint, & Matris Deū eſſent famuli ſtipem cogentes, & tympana pulsātes, vt rectè Budæus ſentit. nā Plutarchus in Cleomenis vita Ptolemeum Aegypti regem irridens Metragyrtem appellat, quod eſſet mollis & effœminatus, & voluptatib. ſordidis datus, quales erāt Metragyrtæ, quem locum Tudertinus interpres non intellexit, nam mitratum inepte conuertit. ſicut etiam hoc in loco Hermolaus Barbarus hallucinatus eſt. cum tamen apertè Iulius Pollux libro tertio ſcribat Metragyrtem Phrygię Deæ ſacerdotem ſignificare. Suidas ſcribit Metragyrtem fuiſſe quendam, qui cum Athenas veniſſet, mulieres matri Deorum initiabatur, Athenienſes autem illum interfecerunt, ac præcipitem in barathrum quoddam deturbarunt. ſed cū deinde peſtis exorta fuiſſet oraculum acceperunt, vt interfectum placarent, ideo locum illum, in quo Metragyrtem interfecerant, matri Deorum conſecrarunt, & Metragyrtæ ipſi ſtatuam erexerunt. Sed vt ad rem redeamus, Iphicrates cum vituperare Calliam vellet, Matris magnæ ſacerdotem, vocauit illum Metragyrtem, non autem Daduchum. vt ſiquis hoc tempore vituperans Epiſcopum, vocaret eum ſacrificulum, aut æditiuum. nam Callias eo nomine gloriabatur, quod eſſet Daduchus, de quo Xenophō libro Rerum græcarum ſexto. ſic autem Callias Iphicratis conuicium repreſsit, vt diceret, omnino profanum eſſe Iphicratem, & à ſacris alienum, neque rebus diuinis operam dare ſolitum. nam ſi ſacris (inquit) initiatus fuiſſes, profecto intellexiſſes me non eſſe Metragyrtem, ſed Daduchum. qui enim frequenter ſacrificiis interſunt, ſacerdotes agnoſcere ſolent, & nobiliores ab ignobilioribus diſcernere. Subdit autem Ariſtoteles hæc duo nomina miniſtrorum eſſe Magnæ Deę, ut alij Metragyrtæ, alii Daduchi vocarentur, ſed alterum honeſtum eſt. nam Daduchus nomen erat dignitatis, vt hodie Epiſcopus, vel Abbas, vel præpoſitus. alterum abiectum. Metragyrtes enim, vt diximus, is erat, qui tympana pulſabat, & ſtipem cogebat, ſicut hodie qui cuſtodes vocantur, vel clericuli, qui ære campano ſacrorum ſigna dāt, & pecunias ad vſus ſacros à populo petūt. qui certè non adeo magno in pretio eſſe ſolent. quod autem tales eſſent Metragyrtæ, declarat etiam Clearchus apud Atheneum libro duodecimo, qui Dionyſium iuniorē Siciliæ tyrannum infelicem exitum habuiſſe memorat. factus (inquit) Metragyrtes, & tympanorum

panorum

panorum geſtator miſerè nitam finiuit.

TEXT. *Et a'ij quidem Dionyſii adulatores, ipſi uero ſe artifices appellabant. hæc autem ambo tranſlata ſunt, ſed alterum ſordidorum eſt hominum, alterũ contra.*

COMM. Apud Athenienſes erat ſacra Liberi patris, qui Dionyſius etiã, & Bacchus dicebatur, & Lænçus pater, unde ſacra Liberalia, & Dionyſia, & Bacchanalia, & Lęnęa dicta ſunt. ter autẽ ſingulis annis magno apparatu Dionyſia Athenis celebrari ſolebant, iu quibua variaa fabulas agebant. nam in eia (ut Libaniua refert) & tragici, & comici poetæ, & tibicinum chori contendebant. choroa autem ipſæ tribua conſtituebant, & ornabant, quæ decem erant numero, atque in unaquaque tribu Choragus unua erat, qui ſumptus neceſſarios ſuppeditaret. aderant etiam magiſtri, qui ſcenas ornarent, & actores exercerent, & choros inſtituerẽt. quos uulgo Dionyſocolacas uocabãt, hoc eſt Dionyſij adulatorea, quod iu gratiã Dionyſij laborarẽt, & eius laudes canendo celebrarent. ſed quoniam hoc uocabulum ſordidum & abiectum uidebatur, ut adulatores dicereutur, ipſi ſe artifices appellabant. ſicut etiam Athenæus eos appellat libro quinto, cum ita inquit; poſt eoa ibat Philiſcua poeta qui Dionyſij ſacerdoa erat, & omnes ipſiua Dionyſij artifices. ambo autem hæc uocabula (inquit Ariſtotelea) translata ſunt, ſiue adulatorea Dionyſij, ſiue artifices dicantur. Sed hæc eſt differentia qđ alterum eſt ſordidorum hominum. nam adulatorem appellari ſordidum eſt, alterum contra. artifex enim laudia nomen eſt. hæc eſt uera huiua loci interpretatio. nam qui uolũt hunc locum ad familiares Dionyſij Siciliæ tyranni referre, non mihi ſauè probantur. qui ab aliis adulatores Dionyſij uocarentur, ipſi ſe artificea appellareut. quod arte ſua ſcirẽt Dionyſij animum tractare. niſi fortaſſe hoc, à ſacrificiis illis, & ludia Liberi patria, ad Diouyſium tyrãnũ tranſtuliſſent. quod fieri facile potuit, cum nomen illud eſſet uulgatisſimũ, & ita Bacchi hiſtriones dicerentur. Epicurus ſane, ſicuti Diogenea Laertius ſcribit, cum Platonicia malediceret, eos Dionyſocolacas appellare conſueuerat. quoniam Plato cum utroque Dionyſio, patre (inquam) & fillo Siciliæ tyrannis aliquo tempore uixit. & nonnulli Platonis familiares cũ Dionyſio diu uixerũt, unde anſam arripuit Epicurus, ut eos Dionyſij adulatorea uocaret duplici conuicio, & quod eſſent adulatores, & quod hiſtriones imitarentur.

TEXT. *Et prædones hoc tempore ſe conquiſitores uocant.*

COMM. Apud autiquos turpe non erat, prædonem aut latronem appellari. quod Thucydidea primo libro copioſè docet, & Numanus ille apud Virgilium libro nono Ita ſe laudat,

Caniciem galea premimus, ſemperque recentes
Conuectare iuuat prædas, & uiuere rapto.

Et apud Lacedæmonios laudabile erat occultè furari. poſtea uero cæperunt fures & prædones odio haberi, & id nomen uituperari. Itaque ait Ariſtoteles hoc tempore quo nomen prædonum magno uitio datur, qui prædones ſunt, mutant ſibi nomen, & loco prædonum ſe conquiſitores uocant, qnod magno ſtudio pecuniam undique conquirant, & hoc modo rem familiarem amplificẽt. hoc autem uomen laudia eſt, ut quis uocetur conquiſitor. uel (ut ita dicam) lucrator. hoc enim græcum illud ποριστὴς proprie ſignificat.

TEXT. *Quare licet eũ, qui ſe iniuſtè geſſit, dicere lapſum eſſe, qui uero lapſus eſt, iniuſtè ſe geſſiße: ita eum, qui furatus eſt, ſumpſiſſe, uel depopulatum eſſe.*

COMM. Hæc ratio ualet etiam ad amplificandum & imminuẽdum in cauſis forenſibua, ut ſi defendamus eum, qui iniuſtè ſe geſſerit, dicemua eum eſſe lapſum, & per imprudentiam peccaſſe, ideo illi eſſe ignoſcendum. ſi uero accuſemus eum, qui leuiter peccarit, dicemus eum iniuſte ſe geſſiſſe, & magnam feciſſe iniuriam, ideo eſſe puniendum. eodẽ modo, qui defendit furem, dicet, eum ſumpſiſſe rẽ eam, de qua furti arguitur, non furatum eſſe. qui uero accuſat, dicet eum depopulatum fuiſſe. nam accuſatio ſemper crimen auget, atque amplificat, defenſio minuit, atque extenuat.

TEXT. *Illud autem, quod apud Euripidem Telephus ait, remo imperans, & in Myſiam deſcendens, indecorum eſt: maius eſt enim imperare, quam conueniat. itaque non latet.*

COMM. Quoties maior eſt, aut minor translatio, quam conueniat reprehendi debet, quoniam proportionem non ſeruat. quare uitioſæ translationis exemplum ponit Ariſtoteles, ſumptum ex fabula Euripidis, quæ Telephus inſcribebatur. nam hoc tempore non ampliua extat ea tragœdia. reprehendit autem Euripidẽ quod dixerit remo imperare. quoniam maius eſt hoc uerbum imperare, uel regnare, ut græcum uerbum ſonat, quam remo conueniat. quo fit ut translatio latere non poaſit, ſed ars affectata appareat, quod uitioſum eſt, ut ſupra demonſtratum fuit. alibi etiam idem Euripidea dixit κώπης ἄνακτας, ideſt, remi regea, quod eodẽ modo uitioſum eſt. nam gubernatores nauium non bene reges uocantur, cum hoc uerbum quadam maieſtate plenum ſit, & potiua diuinum quam humanum. itaque uiria tantum excellentiaſſimis accommodari debet, & ad ea, quæ ſunt in ſuo genere præſtantisſima transferri, ut rex ferarum, Leo, regina auium, aquila, rex apum. quæ per translationem dicuntur. hoc eſt quod tertio de Oratore Craſſus ait, Nolo eſſe aut maiua quam res poſtulat, ut tempeſtas comeſſationia, aut minus, ut comeſſatio tempeſtatis. uolo eſſe uerbum anguſtius id, quod trãlatum ſit, quam fuiſſet illud propriũ ac ſuum. Quidnam eſt obſecro, quid te adiri abnutas? melius eſſet, uetas, prohibes, abſterres. non debet igitur eſſe tranalatio vel humilis, ut, ſaxea eſt uerruca, uel ſordida, ut ſtercus curiæ, uel obſcœna, ut caſtratam eſſe Remp. uel dura, ut capitia niues, uel nimis poetica, ut paſtor populi, uel diſſimilia, ut florida Senectua. Metaphora enim (ut ait Quintilianua) aut uacantẽ occupare locũ dẽt, aut ſi in alienum venit, plua ualere eo, qđ expellit.

Eſt

TEXT. *Eſt etiam interdum in ſyllabis ipſis error, cum non iucundæ uocis ſigna ſunt, ut Dionyſius cognomento Aeneus in Elegijs ſuis poeſim appellauit, ſtridorem Calliopes. quoniam ambæ uoces ſunt. ſed improbanda eſt tranſlatio, quæ fit in uocibus non ſignificantibus.*

COMM. Magna diligentia adhibenda eſt in transferendo, quoniam non tantum in rebus peccatur, ſed etiam in uerbis, atque adeo in ſyllabis ipſis, ac ſono uerborum, ſi uoces, quę transferuntur. ſyllabas habent inſuaues atque aſperas, & res ipſa iucūdas ac ſuaues requirat. tunc enim ſyllabę ſoniq́ue iucūdæ uocis ſigna eſſe non poſſunt. in quod uitiū incidit Dionyſius poeta elegiarum ſcriptor qui cognomento Ferreus uel Aeneus dicebatur. is enim in ſuis Elegiis poeſim appellauit κραυγὴν καλλιόπης, ideſt, ſtridorem Calliopes. quamuis enim ambæ uoces ſint, hoc eſt, & poeſis, & ſtridor, tamen hæc metaphora uituperanda eſt, quæ fit in uoce aſpera, nihilque ſignificante, nam ſtridor aſpera uox eſt, nihilque ſignificat, præter inanem quendam & odioſum ſtrepitum. at poeſis uocem habet iucundam, ſuauem, amabilem, & bene ſignificantē. itaque non ſtridor, aut clangor, aut ſtrepitus, ſed cantus, aut oda, aut harmonia Muſarum uox eſt appellanda. nam fortaſſe etiam Horatius iuſte reprehendi poteſt, qui ita de procis Penelope uerba faciens, dixit,

Ad ſtrepitum Citharæ ceſſatum ducere curas.

Cum ſuauius eſſet, Ad ſonitum, uel Ad cantum.

Sed hoc tamen longe minus uitioſum eſt, quā illud Dionyſij cum Horatius de Cithara, Dionyſius de Calliopa Muſa loquatur. Atheneus libro quinto decimo narrat, qua de cauſa Dionyſius hic fuerit Aeneus appellatus. quoniam (inquit) Athenienſibus perſuadere conatus eſt, ut numiſmate æneo uterentur. quod ſi rem aſperam & odioſam ſignificare uolumus, debemus etiā ſyllabas & uoces aſperas inueſtigare, alioqui translatio carere uitio non poterit, ut Virgilius in Bucolicis cum imperitum cantorem notare uellet, ingenioſiſsime uoces tranſtulit, hoc modo;

—non tu in triuiis indocte ſolebas
Stridenti miſerum ſtipula diſperdere carmen.

Quatuor enim trāslatis uocibus mirificè ignorantiam cantoris expresſit, quæ omnes aſperitatē quandam à ſuaui cantu alieniſsimam habēt. quod ſi dixiſſet, clamanti uarium palea diffundere carmen, quamuis totidem ſint translatæ uoces, tamē quia non ſeruant illam aſperitatem, omni laude carebunt.

TEXT. *Praterea uidendum eſt, ne longe ducantur tranſlationes, ſed ex propinquis atque einſdem generis, ut quæ proprium nomen non habent, eis illud imponatur, quod ſtatim affine eſſe uideatur: ut in celebri illo ænigmate; Hominem uidi, æs igne, in homine conglutinantem. hac enim affectio proprio nomine caret. ſed tamen in ambobus eſt appoſitio quædam. conglutinationem igitur appellauit ipſam cucurbitulæ adiectionem.*

COMM. Metaphoræ quæ nimis è longinquo ducuntur, ſemper uitioſæ ſunt, ut capitis niues, pro furfuribus, hoc eſt quod Craſſus præcipit tertio de Oratore. Deinde uidendum eſt (inquit) ne longe ſimile ſit ductum, Syrtim patrimonij, ſcopulum libentius dixerim. Charybdim bonorum, uoraginē potius, facilius enim ad ea, quæ uiſa, quā ad illa, quæ audita ſunt, mentis oculi feruntur. debent igitur ex propinquis, atque eiuſdem generis metaphorę duci, ut quæ proprium nomen non habent, eis ſimilitudine quadam imponatur, ut agros ſitire, lætas eſſe ſegetes. Ouidius,

Luxuriat phrygio ſanguine pinguis humus.

Nam humum luxuriare, & eſſe pinguem, duæ ſunt, appoſitæ & accommodatæ metaphorę. hac enim de cauſa fuit inuenta metaphora, ut rebus quæ nomine carent, aliquod nomē addatur, quod affinitatem aliquam habere uideatur. hoc autē declarat Ariſtoteles quodam eo tempore celebri & peruulgato ænigmate, quod ita proponebatur, ut uerbum uerbo reddamus, Hominem uidi, igne æs in homine conglutinantem. quo ænigmate ſignificabat auctor, ſe uidiſſe hominem, ideſt chirurgū aut medicum, qui cucurbitulas ad eliciendum ſanguinem, quas uulgo uentoſas appellant, homini ęgroto ſcilicet, impoſita flamma (ſicuti fieri ſolet) apponeret. ſunt autem in hoc ænigmate tres metaphoræ, omnes è propinquo & ſimili ductę. nam primo ipſas cucurbitulas appellauit æs, à materia ex qua fiebant eo tempore. nam licet hodie fiant ex uitro, tamen apud antiquos ex ære fieri conſueuerant, quod apertè Cornelius Celſus oſtendit libro ſecundo capite undecimo cuius hæc ſunt uerba, Cucurbitularum duo genera ſunt, æneū & corneum, Aenea altera parte patet, altera clauſa eſt, cornea altera parte æque patens, altera foramē habet exiguum. in æneam linamentum ardens conijcitur, ac ſic os eius corpori aptatur, imprimiturque donec inhæreat, & quæ ſequuntur. Paulus Aegineta libro ſexto etiam ex uitro fieri ſuo tempore ſolitas oſtendit. ſed tamen æneas longe uitreis anteponit, quoniam ad ſanguinem euocandum maiorem uim habent, propterea quod maiorem flammam ſuſtinent, uitreæ uero facile frangātur. Sic igitur cucurbitula æs appellatur, ut enſis, ferrum dicitur, & pecunia argentum, & lectus pluma. ſecunda tranſlatio eſt à genere, nam ignē pro flamma poſuit; quæ in cucurbitula concipitur ardente linamento. quod autē flamma ſit ignis ſpecies, affirmat Ariſtoteles Topicorum libro quinto. tertia ducitur à ſimili propter inopiam proprij uocabuli, nam conglutinare proprie de materia dicitur, quæ alteri materiæ glutine aptatur, unde glutinatores, qui glutine aliquid cōiūgūt. cū aūt illa affectio atque actio apponendæ cucurbitulę nomine careat, uſus eſt auctor illius ænigmatis ſimilitudine quadam à glutinatoribus ducta, quoniam in utraque actione quędam eſt appoſitio, ſicut enim faber glutine lignum ligno accōmodat, ita medicus corpori ęgrotantis cucurbitam apponit,

nit, hac de cauſa illam adiectionem cucurbitulæ conglutinationem uocauit. ſic igitur explicatum eſt illud ænigma. nam idem eſt ac ſi dixiſſet. uidi medicum, qui cucurbitulas, in quas linamentum ardens coniecerat, ægrotãtis corpori ſic appoſuit, ut inhærerent. hæc autem ideo pluribus uerbis explicui, quoniam interpretes quidam peruersè locum hunc conuerterunt. Plutarchus in conuiuio ſeptem ſapientum, quod nos olim adoleſcentuli in latinum ſermonem conuertimus, hoc ænigma attribuit Eumeti puellæ doctisſimæ, quę à patria nomine Cleobulina fuit etiam appellata. nã eius pater Cleobulus, inter ſeptẽ numeratur. Sic enim in eo conuiuio loquitur Aeſopus, An non magis ridiculum eſt, hæc enigmata ſoluere nõ poſſe? quale illud eſt quod paulo ante quam cænaremus nobis iſta puella propoſuit: uidi hominem igne ęs in homine conglutinantem. quid hoc eſt? poſſes ne dicere? imo vero neque intelligere poſſum (inquit Cleodemus) Atqui nemo magis (iquit Aeſopus) quam tu, hoc nouit. neque quiſquam melius facit. quod ſi negaueris cucurbitulas huius rei teſtes habebo, Tunc ridere cæpit Cleodemus. utebatur enim ipſe cucurbitulis, pluſquam alii ſolerent eius tẽmporis medici, & maxime per eum cæpit hoc genus curationis in uſu eſſe, & ubique diuulgari.

TEXT. *Atque omnino ex bene confectis ænigmatibus licet egregias translationes ſumere. nam ex translationibus ænigmata fiunt, quare perſpicuum eſt ratione ſumptam eſſe translationem.*

COMM. Siquis aduertat ęnigmata quæ bene confecta ſunt, & uulgo laudantur, poterit ex eis laudabiles ſumere translationes. propterea quod ęnigmata omnia ab ipſis translationibus oriuntur. itaq; nõ dubium eſt, quin ea translatio, quæ ex bene confecto ęnigmate ſumitur, ſit cum ratione ſumptá. ponamus enim exempli gratia unum ęnigma, & uideamus, quomodo ex eo, commodæ translationes ſumi posſint. notum eſt carmen illud de glacie,

Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me.

Mater eſt aqua, unde glacies gignitur, ſed cum liqueſcit glacies, iterum in aquam conuertitur. Ergo, qui dixerit, aquam glaciei matrem, aut glaciem aquæ filiam, bene atque appoſitè duo uocabula transferet, hoc eſt quod ſignificare uult Ariſtoteles. quod autem ex trãslationibus ęmigmata fiãt, affirmat etiã L. Craſſus tertio de Oratore his quidem uerbis, Eſt hoc magnum ornamentum orationis, in quo obſcuritas fugienda eſt. etenim ex hoc genere fiunt ea, quæ dicuntur ęnigmata. Iam cum fluxerunt continuæ plures translationes (ut ait Cicero) alta plane fit oratio, itaque genus hoc gręci appellant allegoriam, nomine recte, genere melius ille, qui iſta omnia translationes uocat. intelligit autem Cicero Ariſtotelem qui hoc in libro allegoriam ſub translatione comprehendit, quoniam re uera nihil aliud eſt allegoria, quam continuata translatio, ut ea Virgilij in Georgicis,

Sed nos immenſum ſpaciis confecimus ęquor.
Et iam tempus equum ſpumantia ſoluere colla.

TEXT. *Debet à pulchris rebus dici translatio.*

COMM. In oratione deformitas omnis fugienda eſt, & pulchritudo atque elegantia quęrẽda. quamobrẽ (ut ait Craſſus) in translatione fugienda eſt omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos qui audiunt, trahet ſimilitudo. nolo morte dici Africani caſtratá Remp. nolo ſtercus curię dici Glauciã, quamuis ſit ſimile, tamen eſt in utroq; deformis cogitatio. Quędam etiam (ut ait Quintilianus) parum ſpecioſa dicta per translationem explicantur, ut Virgilius tertio Georgicorum;

Hoc faciunt nimio ne luxu obtuſior uſus
Sit genitali aruo, & ſulcos oblimet inertes.

Talia ſunt, liberis operam dare, uentrem exonerare. quæ ſi propriis nominibus dicerentur, eſſent omnino deformia. Illa uero pulchra ſunt, & ad ornatum mire faciunt, lumen & ornamentum Reip. nunc imperij noſtri ſplendor illis gentibus lucet. è florentisſimis ordinibus ipſa lumina. claritas generis, flumen aureũ fundens orationis, & innumerabiles alię, quibus ubique ſcatet Cicero. Sed illa etiam quę ſignificantiorem faciunt orationem inter pulchra numerantur, ut pro Milone, Et quidẽ cęteras tempeſtates & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum, ſemper putaui Miloni eſſe ſubeundas.

TEXT. *Nominis autem pulchritudo (ſicuti Lycimnius tradit) aut eſt in ſono, aut in ſignificatione. & turpitudo ſimiliter, Sed præter hæc, tertium quiddã eſt, quo fallax concluſio Sophiſtarum ſoluitur. neque enim uerum eſt, quod Bryſon dixit; neminem eſſe qui turpiter loquatur, cum idem ſignificetur ſiue hoc, ſiue illo modo dixeris. hoc autem falſum eſt, nam aliud alio nomen magis eſt proprium, & rei magis ſimile, & magis accommodatum, ut res oculis quaſi ſubijciatur.*

COMM. Quoniam à pulchris rebus translationes eſſe ducendas docuit, nũc quærit, quę ſit nominis pulchritudo, quoniam nomina ſunt rerum notæ. ſed tamen ſæpe fit, ut res pulchrę turpi notentur nomine, & contra res turpes honeſto nomine ſignificentur. at Orator turpia ſemper & ſordida nomina fugere debet, ſiue res honeſtas ſiue turpes tractet. nam ſi contingit eſſe neceſſe rem turpem ſignificare, debet orator nomen eius rei proprium dimittere, & à re pulchra nomen aliud mutuare. neque enim dicet Orator concumbere cum muliere, ſed rem habere. neque merdam appellabit, ut Martialis, ſed detractionem confecti conſumptiq́ue cibi, ut Cicero de Vniuerſitate. Itaq; cum pulchris nominibus in translatione ſit utendum, uidẽdum eſt quibus in rebus ſit nominis pulchritudo, & Lycimnius quidem rhetor, Gorgię Leontini auditor ac ſodalis, ut Halicarnaſſeus in uita Lyſię ſcribit, aut in ſono, aut in ſignificatione pulchritudinem nominis eſſe cenſuit, & eodem modo turpitudinem. ſed hęc enumeratio tanquã manca & imminuta reprehenditur ab Ariſtotele, quoniam prĝter ſonum & ſignificationem, eſt quiddam tertium à Lycimnio prętermiſſum, quod ad

orationis

orationis pulchritudinē faciat, & quo fallax quædam Sophiſtarum concluſio diſſoluitur. quod quale ſit intelligemus, ſi concluſionem illam Sophiſtarum prius explicuerimus, & refutauerimus. ait enim Bryſon Sophiſta, Neminem eſſe qui turpiter loquatur. neque ulla eſſe turpia uocabula. nam ſi duo ſunt, quæ idem ſignificent, aut ambo pariter obſcœna erunt, aut neutrum, ut cacare, & uentrem exonerare, ſed uētrem exonerare non eſt obſcœnum, ergo neque cacare. quod itē de aliis omnibus quæ turpiora uidentur, ſentiendum eſt. hæc eſt Bryſonis ratio, quam Stoici poſtea ſtudioſe defenderūt. ut epiſtolarum libro nono Cicero teſtatur his uerbis, Placet Stoicis ſuo quamque rē nomine appellare. ſic enim diſſerūt nihil eſſe obſcœnum, nihil turpe dictu, & quæ ſequuntur. nam tota illa epiſtola ad Papirium Pætum de hac re docte & ingenioſe Cicero diſputat, & Stoicorū ſententiam defendit. ſed tamen in extrema epiſtolæ parte ſic ait, Ego ſeruo & ſeruabo (ſic enim aſſueui) Platonis uerecundiam. Ariſtoteles Bryſonis concluſionem nonnullis rationibus euertit, quarum prima hæc eſt, Quāuis aliqua nomina idem ſignificent, non tamen ſunt æque turpia, aut æq; honeſta, quoniam facile fieri poteſt, ut aliquod nomen ſit alio magis proprium, & magis ſimile, & magis accommodatū ad rē oculis ſubiiciendā. ut cum illud nomen quis audit, ob ſimilitudinem quaſi oculis rem ipſam cernere uideatur. ut ſiquis rem ueneream dicat, & membra ueneri dedicata, honeſte loqui putabitur. ſed ſi ipſum actum coeūdi cum muliere, & pudenda membra propriis nominibus appellet, quia rem turpem, quaſi oculis ſubiicit, turpiter loquetur.

TEXT. *Præterea non eodem modo rem ſeſe habentem hoc & illud nomen ſignificat, quare hac etiam de cauſa aliud alio pulchrius, aut deformius nomen exiſtimandum eſt.*

COMM. Altera eſt ratio, quod ſæpe eadem res, aliquo modo eſt honeſta, & aliquo modo turpis. ergo uocabula quæ rem exprimunt, quatenus eſt honeſta, debent honeſta exiſtimari, quæ uero notant rem, quatenus eſt turpis, omnino ſunt turpia. atq; ita hac ēt ratione fit, ut aliud alio nomē pulchrius aut deformius exiſtimetur. ut rem habere cū muliere, duabus de cauſis fieri poteſt; uel ut filij generentur, & hoc modo res eſt honeſtiſſima, ſi legitime fiat, uel ut libido tantum expleatur, & ita res turpis eſt. licet igitur una tātum res ſit, aliquo modo eſt honeſta, & aliquo turpis. itaque ſiquis dicat, liberis dare operam, honeſtiſſime loquetur. ſi uero concumbere uel quidpiam tale, turpiſſime loqui uidebitur. ita uirile membrum honeſte dicitur, mentula turpiter. mulieris pudenda non deformiter dici putantur, cunnum ſiquis dixerit, obſcœnum habebitur.

TEXT. *Ambo quidem & honeſtum, & turpe ſignificant, ſed non quatenus eſt honeſtum aut turpe, uel eandem quidem rem, ſed aut magis aut minus.*

COMM. Quia poterat inſtare Bryſon aduerſarius dicens, ambo uocabula rem eandem ſignificare, atque ideo uel utrūque eſſe obſcænum, uel neutrū. quia uocabula non exprimunt cauſas actionū, ſed res ipſas. hoc uerum quidem eſſe fatetur Ariſtoteles, ſed ait eſſe differentiam in uerbis, quoniā res poſſunt eſſe & honeſtæ & turpes. quædam igitur uerba, res, quatenus honeſtę ſunt, exprimunt, quędam autem quatenus turpes. ut Virgilius equarum uuluam, genitale aruum honeſte nominauit. at Catullus epigrammatum licentia ductus, ita turpiter ait,

Præterea rictum, qualis defeſſus in æſtu,
Meientis mulæ cunnus habere ſolet.

Vel ſæpe etiam aliud uerbum alio magis aut minus rem eādem exprimit. quod ſatis eſt ad probandum alia eſſe honeſta, alia turpia uocabula. quo fit ut in tranſlatione ſit hoc diligenter aduertendum, ut honeſtioribus uerbis ſemper utamur.

Tranſlationes igitur à rebus ducendæ ſunt, quæ uel uoce, uel poteſtate, uel aſpectu, uel alio aliquo ſenſu pulchræ ſint. plurimum enim intereſt, ſiquis potius auroram dicat, roſeam, quam purpuream, aut, quod adhuc eſt deterius, rubram. **TEXT.**

Reuertitur ad propoſitum, refutata Bryſonis ſentētia. cum enim propoſuiſſet, à pulchris rebus tranſlationes eſſe ducendas, poſtea quæſiuit, quibus in rebus eſſet pulchritudo uerborū, & ex Lycimnij rhetoris ſentētia dixit eſſe, aut in ſono, aut in ſignificatione. nunc ſuam explicat ſententiam, & ait in quatuor rebus eſſe verborum pulchritudinem, primum in voce, deinde in poteſtate, tertio in aſpectu, quarto in aliis ſenſibus. vno autem exēplo ꝓbat referre plurimū, vtrū trāslatio ſēſus noſtros aut magis aut minus afficiat. Homerus (inquit) auroram ῥοδοδάκτυλον, hoc eſt roſeos digitos habētem appellat, quæ certe pulchra eſt metaphora. quoniam illam roſæ venuſtatem amabilē, oculis noſtris quaſi ſubiicit. quod ſiquis dicat aurorā puniceos digitos habentem, multum de illa venuſtate detrahet, ſi vero dicat, rubros digitos habentem longe adhuc deterior erit tranſlatio. atque in voce quidem eſt pulchritudo, cum rebus ita voces accommodantur, vt res aſpera verbis aſperis enūcietur, iucunda iucundis. vt in primo de Oratore Cicero; Nam qui locus quietis & tranquillitatis pleniſſimus fore videbatur, in eo maxime moleſtiarum & turbulentiſſimę tempeſtates extiterunt in poteſtate cum ſignificantius vocabulum ponitur, vt inflammatum eſſe cupiditate, longe maiorem habet vim, quam ſiquis dicat, vehementer cupere. in aſpectu. quoniam oculorum ſenſus eſt acerrimus, vt ait Craſſus, ideo pulcherrimę sūt tranſlationes, quæ ad aſpectū referuntur, vt ſplendor generis, claritas familiæ, lumen Reip. decus & ornamentum ciuitatis. ab aliis etiam ſenſibus pulchræ tranſlationes fiunt, vt ab auditu, murmur maris, ſonitus orationis, ventorum ſtrepitus. ab odoratu, odor vrbanitatis. odorari pro intelligere, & pſentire. à guſtatu, dulcedo ſermonis, dulce

gaudium,

gaudium, amara voluptas, acerbitas moleſtiarum, à tactu, ut mollitudo humanitatis, duritiess animi.

TEXT. *Quin etiam in epithetis licet à deteriori & turpiori additamentum ſumere, ut Oreſtes matricida, licet etiam ab honeſtiore, ut patris ultor.*

COMM. Epitheta, quæ ſupra diximus à Cicerone uocari, addita ad nomen, trãſlationibus adiunguntur. & ſæpe uim habent maximam uel ad laudandum, uel ad uituperandum, uel ad augendum, uel ad minuendum. nam quoties à deteriori & turpiori ſumuntur, ad uituperationem ſpectant, ut Oreſtes matricida, Brutus Cæſaris imperatoris interfector. L. Sylla Romanæ plebis euerſor. quoties autem ab honeſtiori, laudationis uim habẽt, ut Oreſtes, patris ultor, Brutus patriæ liberator, Sylla nobilitatis propugnator. ad augendum crimen ualẽt, in accuſationibus, ut ſecunda in Verrem actione, depeculatorem ærarij, uexatorem Aſiæ atque Pãphiliæ, prædonem iuris urbani, labem atque perniciem prouinciæ Siciliæ. ad imminuendum etiã crimen adduntur, ut pro M. Cælio, qui primoribus labris guſtaſſent genus hoc uitæ, & extremis ut dicitur, digitis attigiſſent. Sic auarum hominem; parcum appellabimus, prodigum liberalem, temerarium fortem, ignauum cautum, uerſipellem prudentem, ut quo vitio datur, in laudem conuertatur.

TEXT. *Et Simonides cum ei paruã mercedem traderet is, qui mulabus uictoriam conſecutus fuerat, noluit eũ carmine ſuo celebrare, tanquam indignum putaret in mulas carmen condere. poſtquam uero iuſtam illi mercedem tribuit, ita canere cæpit;*

Saluete ò uolucrum filiæ equorum,

Atqui etiam aſinorum erant filiæ.

COMM. Probat alio exemplo pulcherrimo, quod ſupra dixerat, poſſe nos & à turpiori, & ab honeſtiori epitheta ſumere. Simonides (iquit) poeta lyricus, ſummo vir ingenio, ſed lucri paulo cupidior, cum ab Anaxila Meſſenio (ſicut Heraclides Ponticus auctor eſt) rogaretur, ut uictoriam ſuam celebraret, quam in ludis Olympicis mularum quadrigis fuerat conſecutus, & paruam ei mercedem Anaxilas polliceretur, reſpondit, nolle ſuo carmine mulas celebrare, quod ea res indigna eſſe uideretur, cum ipſe maioribus in rebus uerſari ſolitus eſſet, uerum poſtea quam Anaxilas mercedem auxit, & Simonidi cumulatè ſatisfecit, confeſtim Simonides Odam ſuauiſſimam conſcripſit, cuius initium hoc eſt quod ponit Ariſtoteles hoc in loco.

Saluete ò uolucrum filiæ equorum.

Neque enim poterat mulas magis laudare, quã à generis nobilitate, quod ab equis eſſent procreatæ, qua in re, quod turpe erat, tacuit. namque etiã aſinorum erant filiæ, cum ab equis & aſinis muli naſcãtur. quod autem erat honeſtum, prædicauit, & eas ſalutauit tanquam à uelocibus equis progenitas. laudat igitur Ariſtoteles Simonidis artem, qui cum mulas uituperaret, ἡμιόνους uocauit, quod latine ſonat, ex dimidia parte aſinas. cum autem eaſdem laudaret, appellauit, ἀελλοπόδων θυγατρες ἵππων, i. uelocium filias equorum. Notandum eſt, olim ſolitos etiam mulabus in Olympicis ludis currere, quod non tantum ex hoc loco, ſed etiam ex Pindaro ſatis liquet. qui Olympiorũ Oda ſexta Ageſiam Syracuſanum celebrat, qui mularũ curru uictoriam ex Olympiis reportauerat. ubi tamẽ interpres ait octogeſima quinta Olympiade, ſublatos eſſe mularum currus.

TEXT. *Poſſunt etiam ipſa nomina diminui. eſt autem diminutio, quæ uel malum, uel bonum minus uideri facit, ut Ariſtophanes in Babylonijs cauillatur, cũ pro auro, dicat aurulum, & pro ueſtimento ueſtimentulum, & pro conuicio conuiciolum, & pro morbo morbulum. cautè uerò rem utranque tractare oportet, & in utraque modum ſeruare.*

COMM. Nomina (inquit) diminui ſępe ſolent, ut uel bonum, uel malum minus uideatur. bonum, ut gloriola, pro parua gloria. pulchellus homo, pro mediocriter pulchro. malum, ut febricula, pro parua febri, pauperculus, pro mediocriter paupere. ſed latini ſæpe, etiam blandiendi gratia, nomina diminuunt, ut corculum, animula, labellum, ocellus. & alia plurima. Ariſtophanes apud Græcos diminutis nominibus delectari uiſus eſt, ut ex eius comœdiis patet. Ariſtoteles hoc in loco quatuor exẽplã ponit, ex fabula Ariſtophanis, quæ non amplius extat, quæ Babylonij inſcribebatur. in ea fabula, pro auro dixit aurulum, pro ueſtimento. ueſtimentulum, pro conuicio conuiciolum, pro morbo morbulum. Sic enim græca uerba Ariſtophanis latinè reddi poſſunt, licet hæc diminuta nomĩna, uel nunquam, uel raro apud latinos reperiantur. quin in oratione graui, & in heroico uerſu huiuſmodi nomina diminuta locum non habent, niſi forte aliqua neceſſitas ea uſurpare cogat. in epiſtolis uero, elegiis, epigrammatibus, dialogis cæteriſque eius generis ſcriptionibus adhiberi poſſunt, ſicut etiam epitheta. ſed tamen cautè (inquit Ariſtoteles) utranque rem, hoc eſt epitheta, & diminuta nomina tractare oportet, & in eis uſurpandis modum ſeruare, qui in rebus omnibus eſt optimus.

TEXT. *Quatuor autem modis elocutio frigida fit, primo in iungendis nominibus: ut Lycophron Cælum appellat Polyproſopon, & terram Megalocoryphon, & litus, Stenoporon.*

COMM. Quod ſine ulla gratia eſt ac uenuſtate, neque audientes aliquo modo excitat, ſed languorẽ quẽdam potius animis inducit ac tædium atque moleſtiam, id græci ψυχρὸν latini frigidum appellare conſueuerunt. Cicero pro A. Cæcina, caue in iſta tam frigida, tamq; ieiuna calumnia deliteſcas. in libro de Claris oratoribus. T. Iuuentium ſcribit, nimis lentum in dicendo, & penè frigidum fuiſſe. & ibidem, acumen M. Piſonis ſæpe ſtomachoſum nonnunquam frigidum. tertio libro Epiſtolarum ad Quintũ fratrem, accuſatoribus (inquit) frigidiſſimis utitur. in Oratore ad Brutum ait, ridicula domo allata plerunque eſſe frigida. & M. Antonius libro de Oratore ſecundo monet, ut

quæ

quæ frigidiora ſunt uitemus. Igitur Ariſtoteles hoc in loco docet, quot modis elocutio frigida fieri ſoleat, vt cognito hoc vitio poſſimus illud facilius euitare, & docet quatuor modis elocutionem frigidam fieri poſſe, Primo in coniunctione ſiue compoſitione verborum, Secũdo in peregrinarũ vocum vſu, Tertio in epithetis non accommodatis, Quarto In tranſlationibus indecoris. primo igitur exempla ponit eius elocutionis, quæ frigida fit, in iungendis nominibus. dicũtur autem nomina iuncta, quæ grammatici compoſita vocant, vt armipotens, grandiloquus, peſtifer. quibus poetæ frequentius, quam Oratores vtuntur, licet interdum etiam oratores admittant huiuſmodi nomina ex coniunctione facta & nouata. nam de uſitatis nihil hoc in loco dicimus, quæ frequentiſſima ſunt apud Oratores, & maiorem vim habent quam ſimplicia, vt In Partitionibus Ciceronis docuimus. ſed orator non diceret, mare veliuolum, vt Virgilius, neque horriferum Boream, neque aprum nemoriuagum, vt Catullus, neque alia ſexcenta, quæ paſſim apud poetas occurrunt. Ariſtoteles tria nomina iuncta reprehendit, quibus Lycophron poeta tragicus vſus fuerat. primum eſt Polyproſopon, quod ſignificat multarum facierum. ſic enim Lycophron cælum appellauit, propter ſtellarũ varietatem, & formas diuerſas. quod verbum latine multiforme dici poteſt, vel, vt quidam verterunt, multifrontium. Secũdum eſt, Megalocoryphon, quod latine magnos vertices habẽtem ſonat. terram autem ita nominauit, propter montium eminentiam, & collium. nos ficto nomine magniceruicam, vel grandiuerticem vertere poſſumus. Tertium eſt, Stenoporon, quod anguſtas vias habentem interpretatur. ſic enim litus appellauit. quoniam apud littora ſæpe ſunt anguſtæ ſemitæ, nos anguſtiuium ficto nomine vertimus, vt vitium hoc latine intelligamus. quã enim frigida locutio videretur, ſiquis ita diceret; Thales in cælum multifrontium aſpiciens, per grandiuerticem terram propè litus anguſtiuium ambulabat. quis hæc ſine riſu verba poſſet audire? hoc vitio cumulata eſt Apuleij Madaurenſis locutio, quid enim frigidius eo membro? eneruam, & exoſſam ſaltationem explicat. ita ſagam diuinipotentem dixit, & domuitionem, & plurima alia.

TEXT. *Et Gorgias adulatorem uocauit, Ptochomuſum. dixit etiam peierantes, & deierantes.*

COMM. Tria etiam Gorgiæ Leontini verba iuncta tanquam frigida notat, primo quod adulatorem appellarit, Ptochomuſum. ideſt doctè mendicantẽ, nam adulatores omnia loquuntur ad gratiam; nõ alia de cauſa niſi vt aliquid ab eis accipiant, quibus adulantur. itaque quodammodo ſcite atque docte mendicant. ſiquis latine velit fingere, dicat licet, adulator doctipetẽs. deinde quod dixerit ἐπιορκοῦντας, καὶ κατευορκοῦντας. & q̃ verba ſunt ex cõiunctione nouata, ſicut apud Latinos peierantes, & deierantes, tantũ addita præpoſitione. ſed apud latinos in frequenti uſu eſt, deierare, & peierare, quæ ſunt iuncta verba, apud Græcos aũt ἐπιορκίζειν καὶ κατευορκίζειν nõ ita ſunt in vſu. quare Hermolaus vt etiam apud nos illam nouitatem ſeruaret, uertit Gorgiæ uerba praueiuros, & probeiuros ſatis accommodate ad uitium oſtendendum. quod autem uerba addita præpoſitione coniuncta dicantur, docet etiam L. Craſſus tertio de Oratore, qui verbum expectorare, ait ex cõiunctione factum.

TEXT. *Et quemadmodum Alcidamas, furore quidem animus plenus, igniuoma uero facies erat. & Finiferentem exiſtimauit eorum alacritatem futuram, & Perſuaſionem orationum ſtatuit eſſe finiferentem, & Caeruli colorem maris planiciem, quæ omnia propter duplicationem uidentur eſſe poetica.*

COMM. Alcidamas rhetor fuit inſignis de quo ſupra dictum eſt, is tamen hoc in loco ab Ariſtotele reprehenditur, quod nonnulla uerba nimis licentioſe coniunxerit. quatuor igitur mẽbra recitat ex Alcidamantis ſcriptis, in quibus tria uerba iuncta reprehendit. primum membrum eſt hoc; furore quidem animus plenus, igniuoma uero facies erat. in quo nomen eſt illud iunctum græcè πυρίχρων. quod latine colorem ignis habentem ſignificat, vnde ignicolor, à quibuſdam uertitur. quòd irati quodammodo ardere uideantur. ſed id vocabulum neque apud græcos eſt oratorium, neque apud Latinos, ſiue ignicolor, ſiue igniuoma facies dicatur. Secundũ membrũ eſt. Finiferentẽ exiſtimauit eorum alacritatem futuram. Tertium autem, perſuaſionem orationum ſtatuit eſſe finiferẽtem. in quibus duobus membris, vnum tantum verbum iunctum reprehenditur. ideſt τελεσφόρον, quod finem adferentem ſignificat, ſed in vſu non eſt apud græcos, ſicut neque apud nos, finiferens, aut finiferũ. Quartum membrum eſt, Cærulicolorem maris planiciem, in quo notatur κυανόχρων ex coniunctione factum. quod ſignificat cæruleum colorẽ habentem. hæc (inquit Ariſtoteles) propter compoſitionem & duplicationem non oratoria ſed poetica eſſe videntur. Laberius poeta in Mimis ſuis, Arietes reciprocicornes, & laniçutes vocauit. Tertullianus beſtias exũgues, & excornes uocat, quæ unguibus & cornibus carent.

TEXT. *Atque hæc una quidem eſt frigidæ locutionis cauſa. Altera uero eſt, cum quis peregrinis uocibus utitur, ut Lycophron Xerſem pelorium hominem appellauit, dixit etiam Sciron ſinnis homo.*

COMM. Iam primum modum frigidæ locutionis expoſuit, nũc ſecũdum aggreditur, qui naſcitur ex uſu uocum peregrinarum & barbararũ. quo uitio præcipue laborat apud nos ex ueteribus Plautus, & recentioribus plurimi, ſed præcipue Apuleius, Apollinaris, Martianus, alioqui ſatis eruditi. Cicero tertio de Oratore, vocem Romanã nihil vult olere peregrinum. notat Ariſtoteles Lycophrontem in duabus vocibus quibus vſus eſt, primo quod Xerſem regem appellarit πέλωρον ἄνδρα, hoc eſt ingentem vaſtumque hominem. cum Pelorõ, vel pelorió uox ſit externa atque peregrina, quod mõſtroſum & prodigioſum ſignificat. Euſtathius

thessalam

theſſalam fuiſſe uocẽ vr̃ innnuere, cũ ſcribit apud Theſſalos Pelorum Iouẽ fuiſſe cultum, & Peloria fuiſſe ſacra Iouis apud Theſſalos, Iliadis libr. 17. Idem tamẽ Euſtathius lib. 3. Odyſſeæ πελώριον quaſi πέλας ὄρος dictum ſcribit. hoc eſt, qđ montis magnitudinẽ æquare uideatur. deinde qđ dixerit Sciron ſinnis hõ, nã Sciron inſignis latro fuit à Theſeo interfectus, qui hoſpites acceptos è quodã ſcopulo in mare ꝑcipites dabat, dictus aũt eſt Sinnis à Lycophrone ꝑꝑ detrimenta quæ hoĩbus importabat. nã Sinnis latronẽ & pernicioſum hoĩem ſignificat, ut Euſtathius auctor eſt in 1. Iliadis libro q̃ uox à Lemniis eſt deducta, ut idẽ Euſtathius cẽſet. ſiquidẽ Lemnij Sinties fuerũt appellati, à uerbo σίνεσθαι quod nocere ſignificat, uel qđ armorũ inuentores fuerunt, q̃ maxime nocent, uel quod olim eſſent piratę. itaq; poſtea σίντης, uel σίντος vel σίνις latro fuit appellatus, qualis Sciron.

TEXT. *Et Alcidamas dixit, athyrma poeſis, & naturæ ataſthaliam, & mera animi ira exacutum.*

COMM. Notat ẽt Alcidamantem Rhetorem, ꝙ peregrinis uocibus & oratori non conuenientibus uſus fuerit. tres aũt uoces ponit quas Alcidamas uſurpauerat. prima eſt, athyrma, q̃ uox antiqua eſt & peregrina, & rẽ leuem, ac ludicrã ſignificat. Sũt. n. athyrmata, q̃ latini crepũdia uocant, q̃ pueris danẽ ludi gratia, à crepãdo & obrependo dicta. quo uocabulo uſus eſt Homer. lib. 18. Odyſſeæ. cũ ſic ait;

–δῶκεν δ' ἄρ' ἀθύρματα θυμῷ.

Vbi Euſtathius ait apud antiquos athyrmata idẽ fuiſſe quod παίγνια. i. ludicra quibus paruuli delectanẽ. uox igitur hæc priſca eſt & oĩno poetica. vr̃. n. Ariſt. ea uerba quæ mere poetica ſunt, inter peregrina cõſtituere. Itaq; reprehendit Alcidamantem, qđ cũ ſuperuacaneũ ornatũ artis poeticæ ſignificare uellet, dixit athyrma poeſis. ſcđa uox eſt ataſthalia, q̃ errorẽ & peccatũ ſignificat, ſed oĩno poetica eſt. ea multis in locis vtiẽ Homerus. noĩatim uero in. 1. Odiſſeę. ubi de ſociis Vlyſſis ita ait;

Αὐτῶν γὰρ σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν ὄλοντο. I.

ſuis ipſorum ſtultiis periere. ubi Euſtathius ait Ataſthaliam non tñ ſignificare dementiã q̃ damnis abundet, ſed ẽt detrimentum qđ in conuiuiis ex ebrietate naſciẽ. unde ſatis intelligi põt frigidè dictum ab Alcidamante; naturæ ataſthaliam. Tertia uox eſt τεθηγμένον, q̃ rara eſt, atq; inuſitata. deriuatur à uerbo θήγω, quod ſignificat exacuo, & proprie de apris dr̃, qñ indignantur contra canes, & eos dilaniant. hoc uerbo uſus eſt Euripides in Pheniſſis κάπρω δ' ὅπως θήγοντες ἀγρίαν γένυν i. tanquam apri maxillam aſperam exacuentes. quod quidem Euripides ab Homero ſũpſit, qui libr. Iliadis. 13. de apro ſic ait, αὐτὰρ ὀδόντας θήγει i. ſed dentes exacuit, ubi Euſtathius ait, hoc eſſe propriũ ſuis agreſtis, ut propter iram dentes exacuat, ideo Virgilius etiam tertio Georgicorum ita inquit;

Ipſe ruit, denteſq́ue Sabellicus exacuit ſus.

& in quarto eiuſdem operis de ira apum ſic ait;

Spiculaque exacuunt roſtris.

Quod ſiquis ad hominem transferat, & dicat, eum ira exacutum eſſe, frigidè ſanè atque ineptè locutus fuiſſe putabitur. ut Alcidamas.

TEXT. *Tertius modus frigidæ locutionis eſt, cum quis epithetis uel longe petitis, uel intempeſtiuis uel crebris utitur. nã in poeſi lac album dicere cõceditur, at uero in ſoluta oratione ſunt indecẽtia huiuſmodi epitheta.*

COMM. Tertium modum aggreditur frigidæ locutionis qui fit, quoties epitheta non apta adhibentur. in quibus tria uitia notat. poſſunt. n. eſſe uel longe petita, ut deſultoria ſcientia, ientaculum ambulatorium, apud Apuleium, aut intempeſtiua & inania, ut lac album, niger æthiops, humida uina. aut deniq; nimis crebra, ut Apuleius Hymettos attica, & Iſthmos Ephyræa. & Tenaros Spartiaca, glebæ felices, æternũ libris felicioribus creditæ mea uetus proſapia eſt. poetę quidem longe liberiores ſunt in epithetis, quã oratores, itaque conceditẽ eis ita dicere, Lac niueũ potes, purpureamq; ſapã, ut Ouidius, neq; reprehenditẽ poeta ſi dixerit, dentes albi, Cygnus cãdidus, niger coruus, durus adamas, ferrea ſeges telorũ, ſed apud oratorẽ (ut ait Quintilianus) quæ nihil efficiunt, epitheta redundant.

TEXT. *Quædã ẽt ſiquis crebrius utatur artẽ detegunt, planũq; faciunt eã eſſe poeſim. qua quidẽ uti oportet, quoniã quotidiani ſermonis cõſuetudinẽ immutat, & elocutionẽ peregrinam facit, ſed mediocritate opus eſt.*

COMM. Quamuis epitheta bona ſint & accommodata, non tñ eis crebrius utendũ eſt, alioquin erit oro frigida, atq; affectata, q̃ artificium deteget. & efficiet, ut is potius poeta quã orator eſſe uideaẽ, quo ſanè uitio undiq; ſcatet Apuleius, ut cũ ait; Poſtquã ardua montiũ, & lubrica ualliũ, & roſcida ceſpitũ, & glebosa cãporũ emerſi, me equo indigena peralbo uehens, & reliqua. opus eſt quidẽ interdũ uti poetica locutione, qua excitenẽ audientiũ animi, quia ſermonẽ quotidianũ uariat, & q̃dã oroni peregrinitatẽ adfert. ſed modũ ſeruare opus eſt, ne artificiũ detegaẽ, & ne nimis poeticè loquamur. In hac re mirus eſt artifex Cic. qui ſæpe in rebus grauioribus planè poeticis utiẽ epithetis, & figuris, atq; id tamen ſine arte, & naturæ ipſius ductu facere vr̃, ut ꝓ Milone, q̃d illa exclamatione multis epithetis exornata magis poeticũ? uos. n. Albani tumuli atq; luci, uos, inquam, imploro atque obteſtor, uoſq́ue Albanorum obrutę aræ ſacrorum populi R. ſociæ & æquales, quas ille pręceps amentia, cæſis proſtratisq́; ſanctiſſimis lucis, ſubſtructionũ inſanis molibus oppreſſerat, & q̃ ſequunẽ.

TEXT. *Quoniam ſi modum excedit maius eſt uitium quã ſiquis ex tempore loquatur. nam ſubita dictio uirtute caret. nimis autem ornata uitioſa eſt.*

COMM. Hæc eſt rõ, quare mediocritas diligenter obſeruãda eſt, & cauendũ ne nimis poeticè loquamur. hoc enim (inquit) magis damnandum eſt, quam ſi temere atque inconſideratè loquamur. cum enim ſubito dicimus. atque ita ut ẽt alij loquunẽ, oratio q̃dẽ nr̃a uirtutibus oratoriis caret, ſed non tñ ideo uituperari meritò poteſt. cũ autẽ nimis curioſi ſumus in exornãdo, & modũ tranſgredimur, tũc oro fit uitioſa, iureq; uituperatur. nihil eſt. n. odioſius

affectatione(ut ait Quintilianus)quicqd aūt modū excedit,& importune inculcaē,id affectatū eſt.

TEXT. *Quapropter Alcidamātis oratio frigida uidetur, qui non tanquam condimentis, ſed tanquam cibis utitur epithetis,adeo crebra , & maiora quam deceat, & aperta uſurpat.*

COMM. Alcidamantē rhetorē multum in eo uituperat, ꝙ opportunè epithetis uti neſciat, atq; ideo frigidā orationē ſuam efficiat; qm̄ hi ornatus orationis tauquā condimentū quoddā eſſe dēt, qui ſuauiorē elocutionē reddat. ut.n.condimenta q̄ epulis adhibentur,ſi moderata ſint,& accōmodata,lōge ſuauiores & gratiores epulas efficiunt : ſi uero ſint immodica , aut non conuenientia faſtidiū & nauſeam mouent,ita epitheta, & reliquus orationis ornatus modicus & accommodatus eſſe dēt, alioqui faſtidiū auribus audientium affert. peccat igitur Alcidamas,qui nō tāquā condimētis,ſed tāquā cibis & epulis affatim epithetis utitur . quaſi eis ſolis uelit auditorū famem atque auiditatē explere,nimis enim crebra uſurpat , & maiora, quā rei,de qua agitur,conueniat, & adeo aperta atque manifeſta,ut omnibus ars appareat . quod exemplis probat Ariſtoteles.

TEXT. *Non enim ſudorem dicit , ſed humidum ſudorem, neque ad Iſthmia , ſed ad Iſthmiorum celebritatem, neque leges,ſed ciuitatum reginas leges. neque curſu,ſed animi impetu curſorio.neque muſæum,ſed,inquit,cum natura muſæum accepiſſet , & triſtem animi curam.neque gratiæ,ſed popularis gratiæ fabricator,& diſpenſator uoluptatis audientium , neque ramis. ſed ſyluæ ramis occultauit.neque corpus uelauit,ſed corporis pudorem , & cupiditatem animi repræſentatricē.hoc autē & iunctum eſt,& epitheton, quare poema ſit, & ita immenſam improbitatis exuperantiam .*

COMM. Vt probet Alcidamantē epithetis immodicè atq; īportunè uti,duodecim locos ex eius ſcriptis citat,oēs uitioſos,aut ſaltē ocioſos,quorū primus eſt,qđ non ſimpliciter ſudorē dixit ſed inepte,humidū ſudorē,quaſi ēt aridus aut ſiccus ſudor inueniatur.uel quaſi nota non ſit oibus ſudoris natura humida,& licet hoc poetis concedi fortaſſe poſſit,tamen in oratore frigidū eſt.alter locus eſt,ubi non contentus dixiſſe Iſthinia , dixit ad Iſtmiorū celebritatē. qđ ideo uitioſum eſt , quia notiſſima erat ea celebritas,q̄ apud Iſtbmum fiebat, & ſatis erat dixiſſe aliquē profectū eſſe ad Iſthmia. erant aūt Iſthmia ludi,qui in honorē Melicertæ & Neptuni apud Iſthmū celebrabātur,magno totius ferè Græciæ conuentu. Tertius locus eſt,ubi dixit, ciuitatū reginas leges,hoc fortaſſe tolerari poſſet, qm̄ oino uis oīs,& ſalus ciuitatis in legibus ſita ſit,& Plato in conuiuio eodē ferè mō locutus ſit, ſed inter crebra epitheta hoc quoq; reprehēditur ab Ariſt.qđ ſi eſſet rarū gratiam hrēt. Quartus locus eſt ubi dixit animi impetn curſorio,cum ſatis eſſet dicere,curſu.qđ non tm̄ eſt affectatū , ſed ēt ridiculū,& inſulſum.ut ſiquis dicat , Titiū animi impetu curſorio domū rediiſſe. Quintus eſt , ubi dixit,cū naturæ Muſæū accepiſſet.eſt aūt Muſæū locus Muſis & bonis artibus ꝯſecratus.fortaſſe naturæ Muſæū uocauit Alcidamas Gymnaſiū ī quo de rebus naturalib.diſputareē , qđ tamē ineptum eſt. Sextus eſt,ubi inqt,triſtem animi curā. nā iō ſupuacaneū eſt illud epithetō,qm̄ cura animi, q̄dā ſecū triſtitiā & moleſtiā ſemp hēt. Catullus tñ dixit,Et triſtes ai leuare curas , & Virg.4.Georg. Nate licet triſtes animo deponere curas.

Sed hoc in poetis nō eſt uitioſū. Septimus eſt, popularis gr̄æ fabricator, cū ſatis eſſet,gr̄æ fabricator,uel opifex dicere. Octauus locus eſt,diſpēſator uoluptatis audientiū,qđ affectatū eſſe, quis non intelligit?ſic.n.oratorē appellat, qui delectare ſtudeat. Nonus eſt, Syluæ ramis occultauit , cū ſatis eſſet ramis,dicere.ſunt.n.in ſyluis rami. Decimus,corporis pudorē uelauit , quaſi nō ſatis eſſet dicere,corpus uelauit.neq;.n.alia de cā corpus uelant præ pudore,niſi ut q̄ cælare oportet,ne appareant. Vndecimus eſt ubi ait ; & cupiditatē animi repræſentatricē. quo in loco duplex uitiū eſſe cenſet Ariſt. primo quia affectatū & inſulſum eſt epitheton,deinde quia poetico more cōpoſitū.qđ efficit ut in poema euadat oratio. uocabulū.n. illud *ἀντιμίμον* oino poeticū eſt,& cōpoſitū, quo utitur ēt Ariſtophanes,& ſignificat id,quod alicuius rei imaginē præ ſe fert,atq; illā repræſētat.itaq; nos repræſentatricē uertimus. Duodecimus locus eſt, ubi ait,Et ita immenſam improbitatis exuperantiā. Satis.n.erat dicere immēſā improbitatē, ſi cupiebat rē augere.dicere uero immensā exuperantiā,cum omnis exuperantia modū excedat,& quodammodo ſit immenſa,fatuum eſt & ineptum.

Itaque cum poetico more loquātur,quia rē indecorā faciūt,& ridiculi,& frigidi fiunt,& propter loquacitatem incidunt in obſcuritatem . quicquid enim inculcatur ei, qui rem iam percepit, ſplendorem adimit ,& tenebras offundit. TEXT.

Generatim oſtēdit quot incōmoditates incurrant oratores illi, qui poetica locutione delectantur. primo.n.rē faciunt indecorā, qm̄ poetæ ꝓſertim apud Græcos quaſi aliena lingua locuti ſunt, ut apud Cic.lib.de Orat.2.M.Antonius teſtaē,& Pōtanus in eo Dialogo,qui Actius inſcribitur,copiosè docet,deinde ridiculi fiunt & frigidi, ꝑꝑ affectationē illā odioſam ac moleſtā.nā quid magis ridiculū aut frigidū eſt ea dicēdi rōne, qua utitur Apuleius.1.Floridorū,cū ita inqt;Neq;.n.iuſtius religiosā morā uiatori obiecerit, aut ara floribus redimita, aut ſpelūca frōdibus inūbrata, aut quercus cornib. onerata, aut fagus pellibus coronata, uel.n.colliculus ſepimine cōſecratus,uel truncus dolamine effigiatus,uel ceſpes libamine humigatus,uel lapis unguine delibutus. qs riſū cōtinere poſſit cū hæc audiat?ꝑterea in magnū uitiū incidūt,ꝑꝑ iſtā inanē & futilē loquacitatē,qđ obſcuri fiūt.cū. n. auditor ipſam rē ſemel percepit, ſiquis deinde plura uelit inculcare, tollit omnem orationis ſplendorem,& animo audiētis tenebras offundit.quare omnino uitanda eſt huiuſmodi locutio. COMM.

Solent

TEXT. *Solent autem homines uulgo iunctis uti uerbis, cum alicui rei nomen nondũ eſt impoſitum, & facilis eſt cõpoſitio, ut χρονοτριβεῖν, qđ eſt tẽpus fruſtra cõſumere, ſed ſi hoc frequentius fiat, erit omnino poeticũ.*

COMM. In coniungendis uerbis debet orator uulgi cõſuetudinem imitari. nam hoĩes uulgo cum rẽ aliquam uno noĩe nõ poſſunt exprimere, uidẽtq́; facilem eſſe compoſitionem, tunc nomina coniungunt. hoc uno exemplo probat Ariſt. cum uellent (inquit) ſignificare uno uerbo tempus fruſtra conſumere, dixerunt χρονοτριβεῖν, quod uerbum compoſitum eſt ab hoc nomine χρόνος, quod ſignificat, tempus, & τρίβω, quod ſignificat tero & conſumo. talia ſunt apud latinos uilipẽdo, magnifacio, procraſtino, perenno, & multa alia. ſed perennare potius poeticum eſt, ut Ouidius,

Defuit ars uobis, arte perennat amor.

Poteſt igitur etiam orator interdum ex coniunctione uerba noua proferre, ut Cic. 2. Philippica, Hunc tu agrum compranſoribus ſuis & colluſoribus diuidebas. ſed hoc rarius efficere debet, ne locutio poetica uideatur, ut ſi dicat, expectorare, aut uerſutiloquas malitias.

TEXT. *Quare iuncta nomina Dithyrambicis poetis ſunt aptiſſima, ſunt enim hi grandiloqui, ac ſonori.*

COMM Dithyrambici poetæ, qui Bacchi laudes tumido & inflato ore decantabant, compoſitis uerbis & nominibus, ut poeſis grandior & magis ſonora uideretur, frequenter utebantur. hoc eſt quod ait Ariſt. iuncta nomina Dithyrambicis eſſe aptiſſima: cuius rei rationem affert, qm̃ hi poetæ ſunt grandiloqui & ſonori. unde Horatius audaces appellat quarto Carminum ubi de Pindaro ita loquitur. Seu per audaces noua Dithyrambos Verba deuoluit, numeriſq́; fertur, Lege ſolutis. ubi Acron ait, ideo audaces fuiſſe appellatos, quia cæteris rythmis uehementiores ſunt, & ſæpe numeros uariant. uel fortaſſe melius, quia noua uerba frequenter fingunt. quod Horatius apertè dicit.

TEXT. *Voces autem externæ poetis heroicis conueniunt, habent enim in ſe granditatem & maieſtatem.*

COMM. Epici poetę qui res geſtas regumque ducũque & triſtia bella (ut ait Horatius) canunt, uocibus externis interdum utuntur. qm̃ ei generi conueniunt. nam in ſe neſcio quid grande, & quodammodo arrogans externæ uoces habent, quod heroicæ maieſtati ſit accommodatum. quæ uulgarẽ conſuetudinem faſtidire uideatur. ut Arma uirũ, tabulæque, & troia gaza per undas. gaza enim peregrina uox eſt. & in ſecundo Aeneid.

Et iam argiua phalanx inſtructis nauibus ibat.

Nam phalanx macedonicum eſt uocabulum. & ĩ decimo, Corytiq́; leues humeris & lætifer arcus. ſiq̃dẽ Corytus eſt theca ſagittarũ, ſed externa vox.

TEXT. *At uero translatio iambicis apta eſt, quo metri genere nunc utuntur (ut antea dictum eſt)*

COMM. Translatio quæ in communi ſermone etiã ruſticorum frequentiſſima eſt ideo iambicis apta eſt, qm̃ iambus maximè quotidianum ſermonem imitatur, atque ideo poetæ comici & tragici eo potiſſimum metri genere (inquit) hoc tempore vtuntur, ſicut antea demonſtratum eſt. in iambicis autem eſſe frequentes tranſlationes cum ubique uidere licet, tum in illa Horatij Cantione,

Quid immerentes hoſpites uexas canis
Ignauus aduerſum lupos?
Quin huc inanes, ſi potes, uertis minas,
Et me remorſurum petis?

quæ tota ferè tranſlationibus conſtat.

TEXT. *Quartus modus frigidæ locutionis fit in translationibus. ſunt enim etiam indecoræ translationes, & hæ quidem propter ridiculum. nam comici etiam poetæ translationibus utuntur, illæ uero propter nimiã granditatem tanquam tragicæ ſunt.*

COMM. In quarto frigidæ locutionis modo uitioſæ trãſlationes ponũtur. quoties ſunt indecorę, uel quia ex nimis humili genere ſermonis ducũtur, & ideo fiunt ridiculæ, quibus etiam comici poetæ riſus captandi gratia utuntur, uel quia nimis altæ atq́; exaggeratæ ſunt, ut tragicam quandam granditatem præ ſe ferant. prioris generis ſunt eiuſmodi, ut ſiquis dicat Iouem mingere cũ pluit, aut ſpuere cum mingit, ridiculus erit, ut Furius;

Iuppiter hybernas cana niue conſpuit alpes.

Alterius generis eſt, ut ſiquis dicat, mõtes belli fabricare, campos pacis auferre, aut lingua cœlũ ferire. in utroque genere Plautus ridendi gratia plurimus eſt. vt in Amphitrione. Quiſquis huc venerit, pugnos edet. item geſtiunt pugni mihi. itẽ, uox mihi ad aures aduolauit. item, Quo ambulas tu, qui uulcanum in cornu concluſum geris? Sed pene infinita ſunt exẽpla, quibus ludit Plaut.

TEXT. *Quin etiam obſcuræ fiũt ſi longe petantur, ut Gorgias, pallida atque exanguia negocia: Tu uero hæc turpiter ſeminaſti, male autem meſſuiſti, nimis enim poeticè dicta hæc ſunt.*

COMM. Translationes illuſtrandæ orationis gratia ſolent adhiberi, itaq́; ſemper uitioſæ ſunt, cum ſunt obſcurę, tunc autem fiunt obſcurę, eum nimis lõgè petuntur, ut Gorgias Leontinus dixit, pallida, atque exãguia negocia. duxit. n. ab animalibus ad facta, quod nimis è longinquo ſit. nam animalia pallida proprie atque exanguia dicuntur, quibus ſanguis deeſt. ita peccaret ille, qui Syrtim patrimonij, aut Charybdim bonorum diceret. reprehendit ẽr illã Gorgię locutionẽ, ut nimis longè petitã, & planè poeticã, Tu uero hæc turpiter ſeminaſti, malè autẽ meſſuiſti. nã ab agricolis deducta eſt, & de flagitioſo negocio dictum eſt à Gorgia. qđ tamẽ non admodum vr̃ eſſe uituperandum, cum pſertim illud a Cicerone laudetur, de Orat. 2. qđ M. Pinnarius Ruſca M. Seruilio reſpõdit, cum. n. M. Seruilius ita illum interrogaſſet, Dic mihi M. Pinnari, nũ ſi contra te dixero, mihi male dicturus es, ut cęteris feciſti? ut ſementẽ feceris, ita metes, inquit. atqui hæc eſt iucunda, & ſuauis translatio, non admodũ illi qua Gorgias uſus eſt, diſſimilis.

TEXT. *Et quemadmodum Alcidamas, philoſophiam eſſe legum propugnaculum, & Odyſſeam eſſe pulchrum humanæ uitæ ſpeculum, & nullum huiuſmodi ludicrũ*

poeſi afferens. nam hæc omnia ſunt aliena à fide facienda, propter ea, quæ dicta ſunt.

COMM. Tres Alcidamantis metaphoras reprehendit, tanquam nimis affectatas, & alienas ab arte oratoria, atque à fide facienda. prima eſt, ꝙ philoſophiam appellarit, aggerem atque propugnaculũ legum, quoniam docet, nihil contra leges agendum, atque illis obtemperandum. altera eſt, quod Odyſſæam Homeri uocarit, pulchrum humanæ uitæ ſpeculum. quoniam (ut ait Horatius)

--quid uirtus, & quid ſapientia posſit
Vtile propoſuit nobis exemplar Vlyſſem.

Vt homines in eo poemate tanquam in ſpeculo uidere posſint, quid ſibi agendum ſit, & quid fugiendum. Tertia eſt, in qua dixit, nullum huiuſmodi ludicrum poeſi afferens. ubi uocabulo externo & translato intempeſtiuè uſus eſt, nam Athyrma, quod nos ludicrum uertimus, peregrina uox eſt, ut iam ſupra docuimus. hæ uero translationes illud habent uitij, quod artificium detegunt, & oratori fidem abrogant.

TEXT. *Illud uero Gorgiæ contra hirundinem quæ ſuperuolans cibi reliquias in eum demiſit, optimè poetæ tragico conueniret: dixit enim; Turpe tibi ò Philomela. nam aui quidem licet id effecerit, non turpe fuit, uirgini uero turpe fuiſſet. ſcitè igitur conuicium fecit, dicens id, quod fuerat, non autem quod eſt.*

COMM. Gorgiæ dictum in hirundinem ponit, quod tã quam poetæ tragici laudari poteſt, non tanquam oratoris. cum (inqnit) aliquando Gorgias ſub dio ſpatiaretur; & hirundo ſuperuolans eum ſtercore inquinaſſet, ſuſpiciens dixit, Turpe tibi ò Philomela, tanquam cum aliqua uirgine, non autẽ cum aui loqueretur. Philomelam enim poetæ tradunt olim uirginem fuiſſe, quæ poſtea ſit in hirundinẽ conuerſa. Virgilius

Quas illi philomela dapes, quæ dona pararit.

Nam (inquit Ariſtoteles) in auem nulla turpitudo cadere poteſt, itaque non eſt turpe hirundini ſtercus in hominem demittere, quare ſi Gorgiæ dictum, in hirundinem accipiatur, frigidum erit & ineptum. quod ſi capiatur tanquam in uirginẽ, erit acutum & ſalſum, hoc. n. eſſet uirgini turpisſimum, ſi ex alto aliquo loco, corpus in caput hoīs exoneraret. Scitum igitur eſt hoc apophthegma; quia non dixit hirundini qđ tũc erat, ſed qđ olim fuiſſet, quia quondã uirgo fuiſſe putabatur. hæc aũt figura eſt hypallage, quam Ariſt. ſub trãslatione comprehendit. ut Cic. annotauit. uariant autẽ poetæ in hoc, qđ aliqui Philomelam in Luſciniã, aliqui in hirundinem fuiſſe conuerſam tradunt.

TEXT. *Imago uero etiam ipſa translatio eſt. parum. n. ab ea differt. nam cum poeta de Achille dixit, Tanquam Leo irruebat, imago eſt: cum autem, Leo irruebat; eſt translatio. quoniam enim ambo fortes ſunt, translato nomine Achillem uocauit Leonem.*

COMM. Sub translatione comprehẽdit imaginem, quę eſt breuior ſimilitudo, ut eã Quintilianus appellat lib. 8. ubi totum hũc Ariſtotelis locum expreſſit. probat aũt Ariſt. exemplo parum à translatione imaginem referre. nam cum (inquit) Homerus de Achille ita loquitur, tanquam Leo in prælium irruebat, imagine utitur, cum autem ſine illo cõparationis aduerbio ſimpliciter ait, leo in præliũ irruebat, translatio eſt, quę à ſimilitudine proficiſcitur. nã quia ſunt ambo fortes, hoc eſt & Achilles, & Leo, ideo ipſum Achillem per Metaphorã Leonẽ appellauit. Cic. 1. de Inuẽtione ſic ait; Imago eſt oratio demonſtrans corporũ, aut naturarũ ſimilitudinem. Cornificius ad Herennium lib. 4. ſic ait. Imago eſt formæ cum forma cum quadam ſimilitudine collatio, ut Ibant in prælium corpore tauri ualidisſimi, impetu Leonis acerrimi ſimiles. imago eſt illa Virgilij in ſecundo Aeneid.

--inde lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos improba uentris
Exegit cæcos rabies.

Cic. in Vatinium pulcherrima imagine utitur, cũ ita inquit. Repente. n. te, tanquam ſerpens è latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis ceruicibus intuliſti. Idẽ in L. Piſonem, ſed qui tanquã truncus atq; ſtipes, ſi ſtetiſſet mõ poſſet ſuſtinere tamen titulũ conſulatûs. atq; hæ quidẽ imagines ſiquis adimat aduerbiũ illud ſimilitudinis, trãſlationes fiẽt. ut, Leges ſunt tãquã ꝓpugnacula muriq; trãquillitatis atque ocij. imago eſt, Sed ita, leges propugnacula muriq; ſunt trãquillitatis atque ocij, translatio erit. hoc eſt, qđ docet Ariſt.

Vtilis eſt autem imago etiam in ſoluta oratione, ſed ea raro utendum, quoniam magis poetas decet. TEXT.

Quamuis imago ipſa fuſior & ornatior magis poetas quam oratores deceat, tamen ſi raro adhibeatur, ẽt in ſoluta oratione utilis eſt. ut Philipp. 13. Qui domini patrimonium circumplexus, quaſi theſaurum Draco. uidetur Ariſt. appellare imagines eas ſimilitudines quibus frequẽtisſime utũtur poetæ, q̃ certe ſolutæ orõni minimè cõueniũt. qualis eſt illa Virgilij de Turno in 12. Aeneidos; COMM.

Attollitque animos. Pœnorum qualis in aruis
Saucius ille graui uenantum uulnere pectus,
Tum demũ mouet arma Leo, gaudetq; comantes
Excutiens ceruice toros, fixumque latronis
Impauidus frangit telum, & fremit ore cruento,
Haud ſecus accenſo gliſcit uiolentia Turno.

Hæc eſt imago poetica ſicut aliæ plurimæ, q̃ licet immenſam poeſi uenuſtatẽ afferant, nõ tamẽ oratori ſunt accõmodatæ. illę uero breues & oratoriæ. 1. de Orat. Ac tantum in iudicia & cõiunculas, tanquam in aliqđ piſtrinum detrudi & cõpingi uidebam. 1. Tuſcul. Gloria uirtutem tanquam umbra ſequitur, 2. de Orat. timide tãquam ad ſcopulum, ſic tuam mẽtem ad philoſophiã appuliſti.

Vſurpandæ uero ſunt imagines eo modo, quo translationes. nihil enim aliud ſunt, quam translationes, ea, quam diximus, ratione differentes. TEXT.

Quæ de translationibus ꝑcepta tradita ſunt, ea ad Imagines ẽt ꝑtinent. quas ita debemus uſurpare, ſicuti translationibus utimur. nã omnino imago nihil aliud eſt, quam trãſlatio, addito aduerbio ſimilitudinis, ut cum in Piſonẽ ait Cic. atq; adeo COMM.

uos

uos geminę uoragines, ſcopuliq; Reip. tráſlatione utitur. ſed ſi dixiſſet, atque adeo uos tanquã geminæ uoragines ſcopuliq; Reip. imagine uſus eſſet. quæ res eſt ad intelligendum facillima.

TEXT. *Sunt autem imagines huiuſmodi, ut Androtion cõtra Idrieum dixit; eum ſimilem eſſe canibus, qui uinctis Catenis domi tenentur; nam illi ſoluti poſtea in oẽs incurrũt, ſic Idricũ uinculis ſolutũ factũ eſſe acriorẽ.*

COMM. Nonnulla profert imaginum exempla, quo res apertior & clarior ſit. ac prima quidem hæc eſt, qua Androtion cõtra Idrieum uſus eſt. nã Idrieus (ut coniectare licet) per aliquod tempus in uinculis fuerat, deinde carcere liberatus, cum eam ignominiã iniquo animo ferret, aduerſarios ſuos acriter inſectabatur, ut eis talionem redderet, & par pari referret. Itaque Androtion eius aduerſarius comparauit illum canibus, qui catenis uincti tenẽtur. nam ſi accidit, ut ſoluantur, omnes inuadunt. talis eſt illa qua uſus eſt Aeſchines contra Demoſthenem, dixit. n. eum ſimilem eſſe tibiis. quibus ſi lingua adimatur, reliquum corpus erit inutile, & Demoſthenes reſpondit; Aeſchinẽ bilanci eſſe ſimilem, q̃ in eam partem inclinat, in quã maius põdus imponitur, ita Aeſchinem, eorum eſſe amicum, à quibus pluribus donis eſſet corruptus.

TEXT. *Et Theodamas, Archidamũ dicebat, Euxeno Geometriam ignoranti, ſimilẽ eſſe, hac enim proportione, & Euxenus Archidamo Geometriã ſcienti ſimilis erit.*

COMM. Altera imago hæc eſt, qua Theodamas contra Archidamum uſus eſt. comparabat enim eum Euxeno Geometrę, dicebatque nulla alia in re Archidamum ab Euxeno differre, niſi quod Euxenus eſſet Geometriæ peritus Archidamus imperitus. quod ſi Euxenus Geometriam ignoraret, nulla plane eſſet inter Archidamum & Euxenum differentia. quod cæteris in rebus pares eſſent, & iJſdẽ uitiis inquinati. nam conijcere licet, Euxenum improbum fuiſſe hominem, & id tantum in ſe boni habuiſſe, quod Geometriam intelligeret, qua artẽ Archidamus erat priuatus, ut in aliis omnibus Euxeno par & ſimilis eſſet. in Geometriæ cognitione ſolum ab Euxeno ſuperaretur. atque hæc imago poteſt ex proportione commutari hoc modo; ſi Archidamus Euxeno Geometriam ignoranti ſimilis eſt, ergo Euxenus Archidamo Geometriam ſcienti ſimilis erit. hoc eſt ſi Archidamus Geometriam diſceret, tum planè Archidamo ſimilis eſſet. Talis eſt ea, qua Polemo uſus eſt in Sophocle laudando (ut ſcribit Diogenes Laertius) dixit. n. Sophoclem Homerum eſſe tragicum, & Homerũ Sophoclem epicum eſſe. & illa; Magiſtratum eſſe legem loquẽtem, & legem eſſe mutũ magiſtratũ. rurſus illa, poeſim eſſe picturam loquentem, & picturam, mutam eſſe Poeſim. multæ ſunt igitur huiuſmodi ſimilitudines atque imagines quæ ſibi uiciſſim ex proportione reſpondent.

TEXT. *Et id, quod eſt in Platonis Politia, eos, qui mortuorum corpora ſpoliant catellis eſſe ſimiles, qui lapides quidem mordent, ſed eos, qui iecerunt non attingunt.*

Hanc imaginem poſuit Plato in quinto libro de Rep. ubi docet auari eſſe animi, & abiecti hominis indicium mortuos ſpoliare. & puſillæ muliebriſque cogitationis, mortui cadauer eſſe inimicum exiſtimare. cum iam ipſe hoſtis euolauerit, & id tantum reliquerit, quo dimicabat. an putas (inquit) qui hoc faciunt, aliter ſe gerere, quam canes, qui ſæuiunt in lapides, quibus icti fuerint, eos uero qui lapides coniecerunt, attingere non audẽt?

TEXT. *Et quod de populo dixit, eum eſſe ſimilem nauclero ualido quidem, ſed ſurdaſtro.*

COMM. In ſexto libro de Rep. Plato hac utitur imagine. cum. n. Socrates dixiſſet, tũc beatas fore Reſp. cum aut ſapientes eas regerent, aut qui illas regũt ſapientibus obtemperarent, poſtea utitur hac ſimilitudine atque imagine, ut dicat ciuitatem quæ rectorem non habeat, eſſe tanquam nauẽm ſine gubernatore, quæ nauclerum ualidum quidem & robuſtum habeat, ſed ſurdaſtrum, & rerum maritimarum imperitum, in qua ſinguli nautæ imperandi cupiditate trahantur, atque ita inter ſe contendant, & nauclerum quaſi ſtupore attonitum circumſiſtant, & precibus ac minis rogẽt, ut ſibi clauum tradat, & aduerſarios eijciat, quo in loco nauem pro ciuitate poſuit, nauclerum pro populo, nautas inter ſe contendentes, pro magiſtratibus qui Remp. adminiſtrant. Horatius populũ R. belluæ multorum capitum comparauit. Cicero pro L. Murena, populi inconſtantiam, freto atque Euripo comparat; quod fretum (inquit) quem Euripum tot motus, tantas, tam uarias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio comitiorum?

TEXT. *Et quod de poetarum uerſibus, quos adoleſcentibus, nulla pulchritudinę præditis dixit eſſe ſimiles; nã illi quidem cum defloruerint, hi uero ſi diſſoluantur, non iJdem amplius eſſe uidentur.*

COMM. Idem Plato libro de Rep. decimo, cum oſtendiſſet poetas non ipſam ueritatem attingere, ſed tantum ſimulacra uirtutis imitari. ſicuti pictores artificio ſuo faciunt ut aliquis ſutor eſſe uideatur, quamuis ipſi ſint eius artis imperiti: ita poetæ de quacunque re canant, ſic illam numeris & harmonia exornant, ut perite dicere uideãtur. Sed ſiquis eos uerſus harmonia numeriſq; ſpoliauerit, & ad ſolutam orationem deduxerit, omnẽ ſtatim gratiã & uenuſtatem amittent. ut adoleſcentes qui minimè ſunt formoſi, dũ in illo ætatis flore conſiſtũt, aliquid pulchritudinis habere uidẽtur, ſed cũ primum ætas defloruerit, corporis eorum deformitas tota penitus apparet. Iſocrates in Euagora hoc idem ſine imagine dixit, ſiquis (inquit) eorũ, qui excellentes habentur, poetarum carmina metro ſpoliet, & ornamẽta poetica remoueat, multo certe inferiora, quam nunc habeãtur. eſſe uidebũtur.

TEXT. *Et quod Pericles de Samiis dixit, eos ſimiles infantibus eſſe, qui cibum quidem capiunt, ſed tamen plorant.*

COMM. Pericles Athenienſium celeberrimus imperator, cum inſulam Samum in Athenienſium ditio-

nem redegiſſet, & poſtea Samiorum commodis, tanquam eorum patronus ſtuderet, atque illi beneficia quidem oblata reciperent, ſed tamen perpetuò de Athenienſibus conquerentur, facetiſſimè dixit; Samios infantibus eſſe perquã ſimiles, qui cibum quidem à nutricibus accipiunt, ſed tamen plorare non deſinũt. quidam amicus noſter, hominem alienas menſas cupidiſſimè appetentem, qui tamen uitium boc diſſimulabat, & rogari nolebat, antequam ad conuiuium accederet, facete coram dixit, ſimilem eſſe fœminæ intemperãti, neque tamen proſtratæ pudicitiæ, quæ rem habere cum amante recuſat quidem, ſed tamen uim ſibi afferri uehementiſſimè deſiderat.

TEXT. *Et Bœotios ilicibus dixit eſſe ſimiles, ut enim ilices ſe uiciſſim frangunt, ita Bœotios inter ſe præliari.*

COMM. Idem Pericles Bœotios ilicibus comparabat. nam ex ilicibus fiunt cunei & clauæ, quibus dein de ilices aliæ frangantur. eſt.n. ilex è genere quercuũ arbor dura & robuſta, atq; aptiſſima ad uſus ignis neceſſarios, quæ cuneis ſcindi ſolet, unde Virgilius in ſexto Aeneid. cuneis & fiſſile robur ſcinditur. & in primo Georg.

Nam primi cuneis ſcindebant fiſſile robur.

Bœotij uero domeſticis atque inteſtinis ſeditionibus laborabant, & inter ſe frequentiſſimè dimicabant. itaque uenuſta eſt hæc Periclis imago, ſicut (inquit) ilices ſe uiciſſim frangunt, ita Bœotij inter ſe digladiantur. Themiſtocles dicebat ſe Platano ſimilem eſſe, ad quam homines, cũ pluit, confugiunt, ut ab imbre protegantur, cum autem ſudum eſt, folia decerpunt & euellunt, ſic Athenięſes in aduerſis rebus (inquit) ad me cõfugiũt, in proſperis autem me inuadunt, & offendunt.

TEXT. *Et Demoſthenes dixit populum eis eſſe ſimilem, qui in naui nauſeant.*

COMM. Hic Demoſthenes non ille eſt, qui fuit oratorum præſtantiſſimus, ſed alius in Rep. magni nominis, de quo Thucydides meminit, qui cũ Nicia bellum geſſit contra Siculos. hic igitur populum Athenienſem eis comparabat, qui ſolent in mari nauſeare. cum enim præter ſolitum aliquis in mari nauigat, ſolet nauſeare. ſic populus ſæpe ẽt quæ recta ſunt, faſtidit. quod ita Cic. pro Milone teſtatur; Nihil.n. eſt tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quam uoluntas erga nos, ſenſusq; ciuium, qui non mõ improbitati iraſcuntur candidatorũ, ſed ẽt in recte factis ſæpe faſtidiunt.

TEXT. *Et Democrates nutricibus oratores comparabat; quæ cibos ipſæ deuorant, ſaliua aũt pueros inungũt.*

COMM. Democrates cum inuaderet oratores ſui tpis, tanquam expilatores Reip. qui eos fructus, quos populus Athenienſium capere debebat ipſi intercipiebant, & exiguam partem populo relinquebant, dixit eos nutricibus eſſe ſimiles, quæ cibos præmandunt, quos infantibus tradant, ſed meliorem partem ipſę deuorant, aliquid autem ſaliuæ permiſtum pueris in os inſerunt. hinc factum eſt, ut præmanſum in os inſerere dicantur, qui omnia etiã minima in docẽdo pſequũtur. 2. de Ora. Cic. ſic ait, Atq; oĩa minima mãſa (ut aiũt) nutrices, infantibus pueris in os inſerant. Nonius ex Lucillio citat hoc carmen: ſperans ſi ætatem eandem proferre poteſſet, Manſum ex ore daturum.

TEXT. *Et Antiſthenes Cephiſodotum tenuem ac gracilẽ hoĩem, thuri dixit eſſe ſimilẽ, quod cũ abſumitur, hilaritatem affert. has.n. omnes, & tanquam imagines, & tanquam tranſlationes proferre licet.*

COMM. Antiſthenes, qui Cynicæ ſectæ princeps & auctor fuit, cum Cephiſodotum quendam gracilẽ & macrum hoĩem paulatim tabeſcẽtem, & recta ad mortem properantẽ, tanquam improbum & omnibus inuiſum notare uellet, dixit eſſe thuri ſimilem, qđ cum incenditur & abſumitur, odore ſuo iucundo præſentes exhilarat, ſic eum ut perditũ ciuem interitu ſuo multis hoĩbus gaudium excitare. Iam igitur ſatis declaratum eſt, quomodo fiant imagines, ſed in arbitrio atq; iudicio oratoris eſt, utrum eis tanquã imaginibus, an tanquam trãſlationib. utaĩ, qm̃ parua eſt inter eas dr̃ia, & exigua mutatiõe facta uel imagines uel trãſlationes fiũt.

TEXT. *Quare q̃cũq; probãtur, rũ tãquã trãſlationes prolatæ fuerint, pſpicuũ eſt, ẽt imagines eſſe poſſe. nã imagines, sũt trãſlatiões orationis cõformatiõe ĩdigẽtes.*

COMM. Facillimum eſſe docet ex tranſlationibus imagines conformare. cum imagines nihil aliud ſint, quam tranſlationes, quæ orationis conformatione indigeant, addita ſimilitudinis particula. ideo quæcunq; laudabiles erunt translationes illæ facile pñt ad imagines traduci hoc mõ; pro M. Cœlio ait Cic. uideor mihi ieciſſe fundamenta defenſionis meæ, hęc eſt tranſlatio. conuerte hoc mõ, uideor mihi tanquam fundamenta ieciſſe defenſionis meæ, erit imago. pro P. Seſtio eſt hæc pulchra translatio, ubi de P. Clodio loquitur; hanc tetram immanemq́ue belluam, uinctam auſpiciis, alligatam more maiorum, conſtrictam legum ſacratarum catenis, ſoluit ſubĩto legum conſul. conuerte boc modo, hunc quaſi tetram immanemque belluam, & ſtatim fiet imago.

TEXT. *Verum ſemper oportet eam translationem, quæ à proportione ducitur, ab utraq; parte ſibi reſpondere, atq; in rebus eiuſdẽ generis fieri. ut ſi phiala Clypeus Bacchi dicitur, etiam Clypeus rectè Martis phiala uocabitur.*

COMM. Supra demonſtratum eſt, quaſdam eſſe translationes, quæ ſibi viciſſim ex proportione reſpondent. eas ait Ariſtoteles hoc loco oportere ſibi ab utraque parte reſpondere, atque in rebus eiuſdẽ generis fieri, qđ exemplo declarat; ſiquis. n. Bacchum ridere uelit, tanquã ebrioſum & inertẽ, parũ idoneũ ad bella gerenda, poterit tranſlate dicere, phialã eſſe Bacchi Clypeũ, & eadẽ rõne cõmutata, ſiq̃s Martẽ laudare uelit, tanquã ſobrium & bellicis rebus ſemp̃ intentũ, dicet Clypeum eſſe Martis phialã. ita ſi uiſus dicatur eſſe corporis intelligentia, recte etiam intelligentia uiſus animi eſſe dicetur. & ſi bene gubernator ciuitatis dicatur, etiam rector nauis bene dicetur.

TEXT. *At oratio quidẽ ex ijs, quæ dicta ſunt cõponitur.*

Hacte-

COMM. Hactenus de ſimplicibus uerbis locutus eſt, & docuit quæ uſurpanda ſint ab Oratore, & quæ fugienda, quoq́ue modo ſint tractanda, qm̃ ex eis, tã quam ex materia quadam oratio componitur. ut enim domus ex lignis lapidibus & cemento conſtruitur, ita oratio ex ſimplicibus uerbis, quæ niſi ſtructura quadam artificioſa inter ſe coniungantur, laudabilem orationem efficere non poſſunt. Itaque deinceps de uerborũ coniũctione diſſerit.

TEXT. *Initium autem & fundamentum elocutionis eſt emendate loqui.*

COMM. Oratoria elocutio debet in primis eſſe emendata, & omni uitio carere, ut omnis barbariſmi, & ſolæciſmi fœditas abſit (ut ait Quintilianus) quæ diſciplina traditur à Grammaticis, ut nullum ſit in uerborum conſtructione uitiũ, ſiue græco ſermone utamur, qđ Ariſtoteles uocat, *ἑλληνίζειν*, hoc eſt ita loqui, ut græci ſermonis proprietas appareat, ſiue latino, ſiue hetruſco, ſiue quocunq; alio. quam partem Cicero prætermiſit, quia facilem eſſe ſuo tempore putabat, cum omnes latinè loquerentur, & tamen quaſi digito mõſtrauit, unde poſſit hauriri, cum ita ſcribit; Prætereamus igitur p̃cepta latine loquendi, quæ puerilis doctrina tradit, & ſubtilior cognitio, ac ratio literarum alit, ac conſuetudo ſermonis quotidiani, ac domeſtici libri confirmant, & lectio ueterum oratorũ ac poetarum. & in tertio de Oratore; linquamus (inquit) hæc, quæ cognitionem habent facilem, uſum neceſſarium. noſtro tempore ſunt hæc maxime difficilia, cum neque græcum, neque latinum ſermonem natiuum habeamus, ſed tamen à Grammaticis, non à Rhetoribus ſunt petẽda. Ariſt. breuiter hæc perſtringit, & neceſſaria tantum attingit.

TEXT. *Hoc autem ex quinque rebus conſtat. Prima eſt in cõiunctionibus, ut quis eas, ſicuti natura poſtulat, uel ante, uel poſt in ordine collocet, ut inter ſe reſpondeant: ut, quidem, &, ego quidem, poſtulat, uero, &, ille uerò.*

COMM. Vt emendate loquamur quinque rebus potiſſimum nos conſequi poſſe docet, primo ut recte coniunctionibus utamur, ſecundo, ut proprietatẽ ſeruemus, tertio ut ambigua uitemus, quarto ut genera diſtinguamus, quinto ut numeros obſeruemus. Ac primo quidem de coniunctionibus uerba facit, quo in loco aduertendum eſt Ariſt. appellare coniunctiones ẽt pronomina coniunctionibus appoſita. ut, ego quidem, ille uero. nam tres tm̃ orationis partes olim faciebant, nomen, uerbũ & coniunctiones, quas poſteriores deinde auxerunt. coniunctiones igitur ita diſtinguuntur, ut aliæ præponi uelint in ordine, aliæ uerò poſtponi, quædam ẽt ſibi uiciſſim reſpondent. oportet igitur eis uti, ſicuti earũ natura poſtulat, neq; ordinẽ puertere, alioqui uitiũ erit, ut hæ duæ cõiunctiones, quidẽ, &, ego quidẽ, p̃poni ſolent, & poſt ſe duas illas poſtulare, uero, &, ille uerò. ut conſilium quidem præcedere debet, actio uero ſubſequi. Ego quidem bono animo hoc feci, ille uero malã in partẽ accepit. Ingenium quidẽ diligentiã excitat, diligentia vero perficit ingenium. ego quidem illũ ſubleuaui, ille uero mihi nocere ſtuduit.

TEXT. *Sed eas oportet ita inter ſe reſpondere, ut facile memoria comprehendi poſſint, quod fiet, ſi non nimis longo interuallo diſiunctæ fuerint.*

COMM. Non ſolũ curãdũ eſt, ut opportune cõiunctiones collocentur, ſed ẽt ne nimis longo interuallo ſibi reſpondeant, nã hoc memoriã impedit, & orationẽ confuſam reddit. Itaque tm̃ ſpacium inter coniunctiones eſſe dẽt, quantum memoria facile comprehendi poſſit. peccant. n. nonnulli, qui periodos uſque eo protrahunt, ut uno ſpiritu pronunciari non poſſint. & multa ſæpe in media periodo inculcant, q̃ confuſam & perturbatam orationem reddant. ut ſiquis ita dicat, Poſtea quã mihi renũciatum eſt de obitu filij tui, qui ualde ingenioſus erat adoleſcens, & omnibus amabilis, gratioſus & ſuauis, & qui iam plurimum in literis profecerat, oẽs. n. æquales ſuos longo iam interuallo ſuperauerat, & cum natu maioribus contendebat, adeo ut oẽs admirarentur, & de eius ingenio atque doctrina ſibi magna pollicerentur, ſane q̃ pro eo ac debui, grauiter moleſteq; tuli. certè quia duæ illę coniunctiones poſtea quã, & ſanequã, nimis lõgo interuallo diſiunctæ ſunt, uitioſa eſt oratio. qđ ſi ita dicamus, ut Ser. Sulpitius ad Ciceronem; Poſteaquam mihi renunciatum eſt de obitu Tulliæ filiæ tuæ, ſanequam pro eo ac debui, grauiter, moleſteque tuli. bene & eleganter dixerimus. nam ea eſt coniunctionum diſtantia, quam auditor recordari facile poſſit, ut Ariſtoteles præcipit.

TEXT. *Neque oportet ante coniunctionem neceſſariam, aliam coniunctionem collocare: n tm̃ hoc paucis in locis conuenit: ut, Ego uero poſtquam mihi rem narrauit, uenit enim ad me Cleon rogans, atque obſecrans, eis in ſocietatem aſſumptis profectus ſum.*

COMM. Docet non oportere coniunctiones coniũctionibus accumulare, priuſquã ſnĩa ſit perfecta, qm̃ hæc res magnã gignit obſcuritatẽ, & odioſam ac moleſtã reddit orationem. hoc eſt qđ ait, nõ opus eſſe, ante cõiunctionem, q̃ neceſſaria eſt, ad ſnĩam orationis abſoluendã, aliã coniunctionẽ inculcare. qm̃ hæc res vel nunquã, uel certè rariſſimè conuenit. atq; hoc exẽplo probat, qđ ipſe fortaſſe ab aliquo ſcriptore ſumit, cuius nomen nõ ponit, ne uideat̃ aliquã cupide uituperare. Sic. n. ille, Ego uero poſtquã mihi rẽ narrauit, uenit. n. ad me Cleon rogans atq; obſecrans, eis in ſocietatẽ aſſumptis p̃fectus ſum. nã in hac piodo priuſquã abſolueretur ſnĩa, q̃ incepta fuerat ab illis cõiunctionibus, Ego uero poſtquã, alia coniunctio fuit inculcata q̃ eſt illa, uenit. n. qđ ſanè tollit omnem orationis ſplendorẽ. ſed hoc exemplum qđ ponit Ariſt. nõ eſt admodum uitioſum, qm̃ una tantum cõiũctio fuit inculcata. ſunt qui plures & longiores periodos cõmiſceãt, ut nihil odioſius aut affectatius eſſe poſſit. nup qdã amicus meus orõnẽ ad me detulit, quã ita exorſus fuerat, Quãquã nulla mihi Iudices eſt cũ aduerſario meo inimicitia, q multa ĩ me meoſq; beneficia contulit, & poſtquã ciuitas nr̃a

à turbulentiſsimis belli tempeſtatibus cæpit conquieſcere, mecum familiariter uixit, quoniam iiſdem ſtudiis ambo dediti ſumus, & antequam eius pater moreretur, quotidie cum meo, qui adhuc uiuit, uerſabatur, atque eius cõſobrinus ſororẽ meã habet in matrimonio, & præterea quãtum ego potui ſemper ante hac eius commoditate ſtudui. cuius rei cum ipſe, tum alij multi, qui utrunque noſcunt, teſtes eſſe poſſunt, neque enim res eſt obſcura, cum una ambo publice cauſas agamus, & multorum patrocinia ſimul ſuſcipiamus. non potui tamen facere, quin pro ſalute Aurelij Cottæ, quem inquiſiſsime oppugnat, hanc cauſam ſuſciperem, & eius iniquitati, quãtum facultas mea fert, aperte reſiſterem. hoc ego exordium cum perlegiſſem, iucunde ridere cæpi. quod ille admiratus, qui ſe magnifice dixiſſe putabat, cauſam à me quæſiuit, cur illud non probarem. ego ſtatim ei locum hunc Ariſtotelis oſtẽdi, atque interpretatus ſum, deinde monui, ut huiuſmodi inanes inculcationes uerborum & coniunctionum fugeret, quod ille uitium cum libenter agnouiſſet, ingentes mihi gratias egit, & ſe illud poſtea uitaturum recepit. in hoc uitium incurrunt etiam illi, qui parentheſes, aut longiores, aut frequentiores ſuis ſcriptis interponunt, ſemper enim uitioſa eſt parẽtheſis, niſi cum breuis eſt, & quodammodo neceſſaria.

TEXT. *Nam in his uerbis multa coniunctiones interpoſita ſunt, antequam neceſſaria coniunctio reddatur. & ſi magnum interuallum eſſet inter initium, & illud uerbum, profectus ſum, eſſet obſcura locutio. Atque hic quidem unus eſt emendatè loquendi modus in coniunctionibus.*

COMM. Vitium notat, quod in ſuperiori exemplo commiſſum eſt. multæ (inquit) coniunctiones inculcatæ ſunt, atque interpoſitæ, priuſquam neceſſaria coniunctio redderetur. quod ſi plures etiam interiectæ fuiſſent, aut maius fuiſſet interuallum inter initium orationis, & illud ultimum uerbum, profectus ſum, certe etiam uitioſior, & obſcurior locutio facta eſſet. ut ſi ita dixiſſet; Ego uero, poſtea quam rem mihi narrauit, uenit enim ad me Cleon rogans atque obſecrans, ut quamprimum in forum accederem, neque diutius eius fortunas periclitari paterer, ſed non tantum ipſe ueniré, uerum etiam alios, qui præſentes aderant, mecũ adducerem, eis in ſocietatem aſſumptis profectus ſum. hæc ſane eſſet obſcura locutio, quare uitandæ ſunt huius generis interpoſitiones, quæ nimis in longum protrahuntur. Atque ita iam explicatus eſt primus modus emendatæ locutionis, qui fit in coniunctionibus.

TEXT. *Altera eſt, cum proprijs ac ſuis nominibus res appellantur, non autem circumſcribuntur.*

COMM. Altera pars emendatæ locutionis, eſt quando res appellamus propriis atque ſuis nominibus, non autem eas multis ambagibus circumſcribimus. hoc eſt, quod & Quintilianus libr. 8. docet, cum de perſpicuitate loquitur, primus (inquit) intellectus eſt, ſua cuiuſque rei appellatio. nam qui relicto proprio nomine rei, uult eam deſcribere, ſæpe in obſcuritatem incidit, ut ſiquis medicus (ut ait Cicero ſecundo de Diuinatione) ægroto imperet ut ſumat, Terrigenam, herbigradam, domiportã, ſanguine caſsã, potius quã hoĩum more Cochleã dicere uelit. nã Pacuuianus (inquit) Amphiõ,

Quadrupes tardigrada, agreſtis, humilis, aſpera,
Capite breui, ceruice anguina, aſpectu truci,
Euiſcerata, inanima, cum animali ſono,

Cum dixiſſet obſcurius, tum Attici reſpondẽt, non intelligimus niſi apertè dixeris, at ille uno uerbo, teſtudo, non potueras igitur hoc à principio Cythariſta dicere? ſunt igitur huiuſmodi circumſcriptiones uerborum uitioſæ cum rem proprio ac ſuo nomine poſſumus appellare, ut ſiquis pro oculis dicat, eam corporis partem, qua uidemus, pro auribus, ea membra, quibus ſonos percipimus. pro equo, animal aptum ad ſeſſorem ſuſtinendum & hinniendum. quę licet etiam ſint apertæ, tamen ſæpe ridiculæ ſunt. ut (quod ait Quintilianus) ille, qui in actione Ibericas herbas, ſe ſolo nequicquam intelligente dicebat, niſi irridẽs hãc uanitatem Caſsius Seuerus Spartum eum dicere uelle indicaſſet. riſimus nuper ludi magiſtrũ quẽdam, qui cum nos domi ſuæ ad bibendum inuitaret, dixit, uultis ne ingredi ad Bacchum meum ſalutandum? Sunt tamen deſcriptiones quædã, quæ minime uituperantur, quę rem clariorẽ efficiunt, & ornatum afferunt orationi, de quibus hic nõ loquimur. nam hoc in loco damnatur eorum uanitas, qui cum rem aliquã proprio nomine poſſunt apertè dicere, uolũt eam obſcure circumſcribere.

Tertio eſt, cum ambigua uitantur. TEXT.

COMM. Ambiguitas orationis ei uitanda eſt, qui cupit emendate loqui. nam (ut in Partitionibus ait Cicero) ambiguitate fit obſcura oratio, quare qđ ambiguum eſt, ſemper eſt uitioſum, niſi fortaſſe id dedita opera fiat, ut ſtatim dicetur. Cornificius ad Herennium libro quarto, Ambigua uitãda ſunt, quæ obſcuram reddunt orationẽ. fit ambiguitas uel in ſimplicibus uerbis, cũ uerbũ aliquod plura ſignificat, & incertũ ſit, qua in ſignificatione ſit capiẽdũ, ut Taurus & bouẽ ſignificat, & ſidus cœleſte, & montẽ, & eſt ꝓpriũ nomen uiri. uel in cõiunctis, cũ una oratio duas aut plures diuerſas ſententias hẽ pt, vt in illo Ennij carmine Aio te Aeacida Romanos uincere poſſe. utraq; ambiguitas diligenter eſt euitanda. de hac re tota ſic ait Quintilianus lib. 8. cap. 2. uitãda in primis ambiguitas, non hæc ſolũ, q̃ incertũ intellectum facit, ut Chremetẽ audiui ꝑcuſiſſe Demeã, ſed illa quoq;, q̃ & ſi turbare non poteſt ſenſum, in idẽ tamen uerborum uitium incidit. ut ſiquis dicat, uiſum à ſe hominem librum ſcribentem. Nam etiam ſi librũ ab homine ſcribi pateat, male tamen cõpoſuerat, feceratque ambiguum, quantum in ipſo fuit.

Hæc uitanda ſunt, niſi quis contraria pro ſe facere exiſtimet. quod ij faciunt, qui, cũ nihil habẽt, quod dicant, aliquid tamen dicere uideri uolunt. huiuſmodi ambages poetico more talia proferũt, ut Empedocles. TEXT.

Duo

Duo præcepta ſuperiora ſemper ab Oratore ſeruanda ſunt, hoc eſt, ne in rebus apertis, & ſuo proprio ac certo nomine ſignatis, circumſcriptione utatur, & ne ambiguè loquatur, niſi fortaſſe intelligat, contraria ſibi prodeſſe poſſe. tunc enim licet & uerborum circumſcriptione, & ambiguis uti, non quia laudabile ſit, ſed quia neceſſarium, cum non aliter Orator in cauſa poſſit eſſe ſuperior. hoc autem (inquit Ariſtoteles) ij plerunque facere ſolent, quos in cauſis uerba deficiunt, & nihil habent quod dicant. nam uagari incipiunt & circumlocutionibus uti, & poetico more fiugere, ut aliquid tandem dicere uideantur, in qno ultio multus eſt Empedocles. Cicero pro Roſcio Am. Erucium accuſatorem facete irridet, quod cũ nihil haberet, quod diceret contra Roſcium, tamen inania quædam nugatoriaque proferebat. Empedoclem multis in locis Ariſtoteles damnat, ꝙ & ambiguè locutus ſit, & ſibi ipſe ſæpe ſit contrarius. Cicero in Lucullo ſic ait, iſti phyſici cum hærent aliquo loco exclamant, quaſi mente incitati; Empedocles quidem nt interdum mihi ſurere uideatur, abſtruſa eſſe omnia, nihil nos ſentire, nihil cernere, nihil omnino quale ſit poſſe reperire. primus autem Empedocles mouiſſe aliqua circa Rhetoricen dicitur ut ait Quintilianus libro tertio capite primo.

TEXT. *Nam circuitus ille uerborum cum longus ſit, facile decipit, & auditores ſic ab eo afficiuntur, ut imperita multitudo cum ariolos audit ambigua loquentes; temere enim aſſentitur. quale eſt illud;*

Crœſus Halym penetrans magnam peruertet opum uim.

COMM. Exponit qnam utilitatem interdum habeat orator ex longo uerborum circuitu, & circumlocutione, atque ex ambiguis dictis. facile enim auditores decipiuntur, qui cum multa uerba audiunt, magna cum grauitate prolata putant ea, quæ dicuntur eſſe uera, iiſque temere aſſentiuntur. cum antẽ audiunt ambigua, ſic afficiuntur, ut ij, qui ariolos audiunt, atque oracula, quæ etiam imperiti putant ſe intelligere, ſed tamen in eis facile decipiuntur. ſicuti deceptus eſt Crœſus Lydorum rex. is enim cum oraculum adiiſſet, ut peteret an exercitũ ſuũ ultra Halym fluuium cõtra hoſtes traduceret, hoc reſponſum habuit;

Cræſus halym penetrãs magnam peruertet opum uim.

Nam (ut ait Cicero ſecundo libro de Diuinatione) hoſtium uim ſe ſe peruerſurum putauit, peruertit autem ſuam: eſt autem facillimum in ambiguis decipi, quare qui decipere uolunt, ambigua loquuntur, ut diuinatores, & Sophiſtæ, & interdum etiam Oratores uincendi gratia, ſed cum ambigue multa dicantur, qui nouit, quomodo quicque eorum diuidi explanarique oporteat, nunquã decipitur. ſunt etiam quædam ambigua dicta ridicula & faceta, quæ in primis acuta, atque ingenioſa putantur, ut in ſecundo de Oratore ait Cicero.

TEXT. *Nam arioli generibus rerum utuntur in prædicendo, quoniam in eis minus peccatur. ut qui ludit par impar, facilius diuinat, ſi uel paria, uel imparia eſſe dicit, quàm ſi certum numerum explicat.*

COMM. Hæc ars (inquit) eſt diuinantium, ut generatim, non autem particulatim ſutura prędicant, quod ideo ſaciunt, quia minus peccatur in generibus, quam in ſingularibus. ut ſi aliquid e longinquo loco quis uideat, facilius cognoſcet eſſe animal, quã eſſe equum, aut bouem. eodem modo facilius cognoſcet eſſe hominem, qnam eſſe Fabium, aut Cornelium. ita qui ludit par impar, ait Ariſtoteles, cum interrogatur à ſocio, quid manu teneat, facilius diuinat, cum dicit eſſe paria, uel imparia, quam ſi dicat eſſe quinque aut decem. ludus hic eſt uulgaris inter pueros etiam noſtro tempore, de quo ita Horatius, Ludere par impar, equitare in arundine longa. ſolent enim pueri uel lapillos, uel fabas, uel aliquid aliud manu comprehendere, deinde ita ſociũ interrogare, quod manu teneo, eſt ne par, an impar? quod ſi interrogatus diuinat, uictoriam conſequitur. atque ita uiciſſim ludunt, interdum etiam pecuniis expoſitis de hoc ludo ſic ait Ouidius in Elegia de Nuce;

Eſt etiam par ſit numerus qui dicat an impar.
Vt diuinatas auferat augur opes.

Facilis eſt autem diuinatio, quoniam duo tantum ſunt hæc numerorum genera, par & impar. quod ſiquis ad ſingulares uumeros deſcendat, & uelit explicare, quot ſint ea, quæ à ſocio manu tenentur, ut quatuor, aut ſex, aut octo, quoniam hi numeri penè ſunt infiniti, facile peccabit, & longè rarius diuinabit idem ꝙ in aliis generibus fit, ut ſi quis dicat Græcos eſſe uanos ac mendaces, minus errabit, quam ſi dicat hunc, uel illum Græcum ut Demoſthenem, uel Thucydidem uanum ac mendacem eſſe.

TEXT. *Ita qui dicit aliquid futurum, facilius diuinat, quã ſi addat, quando. quo fit, & ut uates non adiungant, quando.*

COMM. Rationem affert quare uates & augures in diuinationibus ſuis certum tempus non explicet, neque dicat, quando id euenturum ſit, quod ipſi prædixerint. quoniam hac ratione nnłta peccant, ſi dixerint ſimplititer aliquid futurum, quam ſi certũ tempus addant, & diem atque horam, qua id futurum ſit enunciẽt. nam ſi Chaldæus dicat, Catilina interficietur, reſpiciens ad eius prauas actiones, & fortaſſe etiam ad influxum ſiderum, facile diuinabit. ſed ſi dicat, Catilina cum ad annum quadrageſimum peruenerit, menſe Septembri, die Martis hora uigeſima interficietur, rariſſime diuinabit. hoc in loco uidetur Ariſtoteles omnem diuinationem tollere, atque eos, qui diuinandi artem profitentur, oſtendere, nihil aliud eſſe, quam fallaces homines, qui artificio ſuo multos in errorem inducant, quod etiam Cicero ſecundo libro de Diuinatione copioſe perſequitur, ubi docet, nullam omnino diuinationem eſſe, in hiſtoriis tamen multa exempla habemus eorum, qui non tantum annũ ſed

etiam

etiam diem prædixerunt, in quo magnum periculum alicui immineret. notiſsimum eſt id, quod C. Cæſari accidit, cui Spurina augur prædixerat, ut Idus Martias caueret, & cum eo ipſo die Cæſar Spurinam irrideret, tanquam uanum, quod Idus Martiæ ſine ullo ſuo periculo ueniſſent, Spurina reſpōdit, uenere quidem Idus Martiæ, ſed nondum præteriere. paulo poſt Cæſar in Senatu fuit à coniuratis multis uulneribus confoſſus. ſed tot ſunt huius generis hiſtoriæ, ut impudentia ſit, omnem penitus diuinationem negare, quamuis plurimi ſint mendaces & fallaces diuinatores, plurimi etiam ſint qui ad diuinandum cacodæmonum opera utātur, qui fit ut eam artem tanquam ſuperſtitioſam atque illicitam, merito reijciat chriſtiana religio.

TEXT. *Hæc enim omnia ſimilia ſunt; quare niſi fiant alicuius rei gratia ſunt fugienda.*

COMM. Ambigua, circumlocutiones, generalia dicta, ſunt inter ſe ſimilia, & ad fallendum accommodata, quare debet Orator, qui bonus uir eſt, ea refugere, neque unquam eis uti, niſi fortaſſe aliquādo neceſsitas cogere uideatur.

TEXT. *Quarta eſt, cum genera diſtinguuntur; quod Protagoras fecit, qui dixit alia nomina eſſe uirilia, alia muliebria, alia neutra, hæc enim etiam accurate ſeruanda ſunt; ut, Illa autem reuerſa, & collocuta diſceſsit.*

COMM Quarta res, quæ locutionem emendatā facit, eſt cum genera non confunduntur, ſed ita diſtinguūtur, ut quæ uirilia ſunt, uirilibus accommodentur, quæ muliebria muliebribus, quæ neutra neutris. quam diſtinctionē Protagoras Abderites primus obſeruauit, & admonuit ex conſuetudine beneloquentium. dixit enim alia eſſe nomina maſcula, alia fœminea, alia σκεύη hoc eſt uaſa, & inſtrumēta, quę neque maſcula, neque fœminea ſunt, quæ poſtea Grammatici οὐδέτερα. i. neutra uocarunt, hanc eandem diuiſionem in Arte poetica facit Ariſtoteles. Cicero in Partitionibus conſecutionem uocat, cū genera, numeri, tempora, perſonæ, caſus diligenter obſeruantur. ſic enim ait; Conſecutio autem ne generibus, numeris, temporibus, perſonis, caſibus perturbeē oratio, nam ut in ſimplicibus uerbis, quod non eſt latinum, ſic in coniunctis quod non eſt conſequens uituperandum eſt. Ariſtoteles ponit exemplum conſecutionis in genere, de fœmina ſic inquiens, Illa autem reuerſa, & collocuta diſceſsit: nam ſi poſtquam dixit, Illa autem reuerſa, poſtea ſubiunxiſſet, & collocutus diſceſsit, eſſet genere perturbata oratio. ſed hæc facillima ſunt, & a Grāmaticis petenda.

TEXT. *Quinta eſt, cum multa, & pauca & unum recte quis appellat: ut, Hi cum acceßiſſent, me percuſſerunt.*

COMM. Non tantum ad genera, ſed etiam ad numeros in uerborum conſtructione reſpiciendum eſt, ne forte perturbentur. ut multa & pauca plurali numero (ut uocant Grammatici) unum autem ſingulari proferatur. quod exemplo demōſtrat. ita enim bene dicitur, Hi, cum acceſsiſſent, me percuſſerunt. quod ſi quis dicat, Hi, cum acceſsiſſent, me percuſſit, numero eſſet oratio perturbata.

Omnino quod ſcribitur eiuſmodi eſſe debet, ut & legi, & proferri facile poſſit, quæ duæ res eodem modo ſunt. hoc autem, non habet ea locutio, in qua multa ſunt coniunctiones, & quæ non facile interpungi poteſt, qualia ſunt Heracliti ſcripta. **TEXT.**

COMM. Qui laudabile aliquid conſcribere cupit, is duo debet ante omnia prouidere, primo, ut quod ſcriptum eſt, ſine ulla moleſtia atque impedimento legi facile poſsit, deinde ut eadem facilitate proferri pronunciarique ualeat, quę duo ſunt ita inter ſe connexa, ut alterum ex altero pendeat. quod enim in legendo facile intelligitur, idem etiam in pronunciando facile percipitur. contra uero cum in legendo laboratur, etiam in pronunciando eodem ſcripto laborari neceſſe ē quo uitio laborat primo ea locutio, quæ multas habet coniunctiones, deinde illa quæ non facile poteſt interpungi. nam coniunctiones ſunt illæ quidem utiliſsimæ in oratione, ſi benè collocentur, & ſibi uiciſsim opportunè reſpondeant, ſicuti ſupra demonſtratum eſt, ſed quoties multiplicantur, & inculcantur ita, ut in lōgum nimis ſpacium protrahatur oratio, & ſenſus implicetur, magnam afferunt obſcuritatem. itaque minus frequentes coniunctiones uitandæ ſunt. Interpunctio uero facit orationem apertam & illuſtrem, ſed ea, quæ interpungi non bene poteſt oratio, ut moleſta ſit, & obſcura neceſſe eſt. quo genere ſcribendi delectatus eſt Heraclitus Epheſius, qui ideo σκοτεινὸς fuit appellatus, quoniam obſcure ſcriberet, de quo ita Lucretius primo libro. Heraclitus init quorum dux prælia primus clarus ob obſcuram linguam. Cicero ſecundo de Finibus, ut Heraclitus, cognomento qui σκοτεινὸς perhibetur; quia de natura nimis obſcure memorauit. hoc utroque uitio laboraſſe Fuſium quendam & Pomponium tertio de Oratore Craſſus oſtendit his uerbis; Eaſdem res autem ſimul ac Fuſius, aut ueſter æqualis Pomponius agere cœpit, non æque, quid dicant, niſi admodum attendi, intelligo, ita confuſa eſt oratio, ita perturbata, nihil ut ſit primum, nihil ut ſecundum, tantaque inſolentia ac turba uerborum, ut oratio, quæ lumen adhibere rebus debet, ea obſcuritatem & tenebras afferat, atque ut quodam modo ipſi ſibi in dicendo obſtrepere uideantur. de hoc genere hominum qui confuſè ſcribunt, ſic ait primo Tuſculanarum Cicero; Sed mandare quenquam literis cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere nec illuſtrare poſsit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt, intemperanter abutentis, & ocio & literis.

Magna enim difficultas eſt, Heracliti ſcripta notis atque interpunctionibus diſtinguere; quia dubium eſt, cuinam parti uerba hæreant, poſteriori ne, an priori, quod ex operis eius initio intelligi poteſt, ubi ita inquit; Rationis eius, quæ uere eſt, ſemper, ignari ſunt homines: incertum eſt enim utri parti illud aduerbium ſemper, ſit applicandum. **TEXT.**

Cau-

Cauſam explicat quare ſcripta Heracliti ſint obſcura, neque facile poſsint interpunctionibus diſtingui, nam uir ille dedita opera ita ſcripſit, ut plerunque dubium ſit, utrique parti uerba in medio poſita cohæreant, hoc eſt, utrum præcedēti, an ſub ſequenti. quod exemplo probatur, ſumpto ab initio eius operis quod Heraclitus de Natura ſcripſit. Sic enim id opus exorſus eſt; Rationis eius, q̄ uerè eſt, ſemper, ignari ſunt homines. incertū eſt autem, ait Ariſtoteles, utri parti ſit applicandum illud aduerbium, ſemper. Vtrum ita dicat, Rationis eius, quæ uerè eſt ſemper; an ita ſemper ignari ſunt homines. loquitur autem Heraclitus de ratione diuina, quæ ſemper uerè eſt, cum reliqua omnia nunquam uerè ſint. ſed in perpetuo fluxu poſita, continenter mutentur, & modo oriantur, modo intereant. adeo ut eundem fluuium nemo poſsit bis ingredi. quam opinionem ſecutus eſt etiam Plato, qui ſic ait in Timæo; Quid eſt, quod ſemper ſit, neque ullum habet ortum, & quod gignatur, nec unquam ſit, quorum alterum intelligentia, & ratione comprehenditur, quod unum ſemper, atque idem eſt. alterum quod affert opinionem per ſenſus, rationis expers, quod totum opinabile eſt, id gignitur & interit, nec unquam eſſe uerè poteſt. quo ex loco poteſt intelligi, illud aduerbium, ſemper, priori parti eſſe applicandum, hoc modo, Rationis eius quæ uerè eſt ſemper, nam in rebus naturalibus Plato ſecutus eſt Heracliti opinionem, ut tantum ea, quæ ratione & intelligentia comprehenduntur, ſemper uerè ſint, quæ uerò ſub ſenſum cadunt, nūquam uerè ſint. nā omnino rationes rerum & notiones ſiue ſpecies ſolæ conſeruantur, atque æternæ ſunt, ſingularia uero continenter mutantur, & modo naſcuntur, modo intereunt, ut hominū ſpecies ſemper eſt, ſinguli homines naſcuntur, & moriūtur, atque ita in reliquis rebus omnibus ſit, præterquam in cœlo, quod æternum & impatibile eſſe ſtatuunt. illa uero ratio ſempiterna, de qua ſenſit Heraclitus, quæ ſemper uerè eſt, nihil aliud eſt, q̄ Deus optimus Maximus, quem nemo hominum perfectè intelligit, & hoc eſt, quod ait Heraclitus, Homines ignaros eſſe rōnis eius, quæ ſemper uerè eſt, de qua doctè & eleganter Cicero ſic ait in Academicis. Partes autem eſſe Mundi omnia, quæ inſunt in eo, quæ natura ſentiente teneantur, in qua ratio perfecta inſit, quæ ſit eadem ſempiterna: nihil enim ualentius eſſe, à quo intereat, quam nim animum eſſe dicunt Mundi, eandemq́ue eſſe mentem, ſapientiamq́ue perfectam, quem Deum appellant, omniumq́ue rerum quæ ſunt ei ſubiectæ, quaſi prudentiam quandam, procurantem cœleſtia maximè, deinde in terris ea, quæ pertinent ad homines.

TEXT. *Præterea fit ſolœciſmus, cum in uerborum coniunctione, non redditur unicuique uerbo, quod exigit. ut, ſi dicas. Sonitum & colorem uidens, non bene dixeris, quia non eſt commune, ſed, ſentiens, quod eſt commune.*

COMM. Solœciſmus eſt (inquit) & maximum in loquendi ratione uitium quoties duo uel plura nomina copulamus uni uerbo quod non ambobus aut omnibus ſit commune, uel cum diſtinguere uolumus quoties nō unicuique uerbo id aſsignamus, quod exigere uidetur. ut exempli gratia, ſiquis uelit, ſonitum & colorem copulare, non bene dicet; Sonitum coloremq́ue uideo, quoniam uidere, non eſt commune ſonitus, & coloris, ſed ad colorem tantum pertinet. neq; enim ſonitus uidetur, color autem uidetur. Itaque uitioſum eſt dicere, Sonitum coloremq́ue uideo, quòd ſi dicas, Sonitum coloremq́ue ſentio, bene dixeris, quia ſentire commune eſt utriuſque. iam enim ſonitus, quam color ſentitur, hoc eſt ſenſibus percipitur. hæc eſt Ariſtotelis ſententia. quod ſi hæc diſtinguere uolueris, utrique quod conuenit, & proprium eſt, aſsignare debes, ut ſonitum audio, & colorem uideo. multi igitur imprudentes in hoc uitium incurrunt, ut q. dixit; uaſa omnia, pecunias, equos, ſeruos ſecum abduxit. neque enim abducere commune eſt omnibus, ſed equis, & ſeruis tantum. Itaque dicendum erat, uaſa omnia & pecunias abſtulit, equos & ſeruos ſecum abduxit. in hunc errorem uidetur incidiſſe Virgilius in duodecimo Aeneid. cum ita ait,

Diſce puer uirtutem ex me, uerumq́ue laborem,
Fortunam ex alijs.

Quia diſcere non eſt commune uirtutis & fortunæ. ſed enim excuſat ratio carminis. in ſoluta certè oratione non haberet excuſationem.

TEXT. *Fit etiam obſcura locutio, niſi initio poſueris id, quod multis interpoſitis poſtea dicendum eſt: ut, parueram, poſtquam cum eo collocutus fuiſſem, hac, & hac, & hoc modo, diſcedere. rectius enim dixeris; Parueram diſcedere, poſtquam collocutus cum eo fuiſſem hac, & hac, & hoc modo.*

COMM. Præceptum hoc utiliſsimum eſt, ad effugiendā orationis obſcuritatem. ut quando multa ſunt dicenda atque inculcanda, initio periodi ponamus illud, quod poſtea multis interpoſitis eſſet dicendū. ſic enim & nimis longas ſermonis continuationes & tardas uerborum traiectiones, atque hyperbata quæ uocantur, facile uitabimus. ponit autem exemplum primo uitioſum, deinde admonet, quomodo poſsit emendari. ſiquis enim ita dicat, Parueram, poſtquam cū eo collocutus fuiſſem de rebus meis domeſticis, ut eas me abſente procuraret, res ruſticas frequēter inuiſeret, in urbe uadimonia obiret, accepti & expenſi rationem haberet, domum inſtrueret, filijs & ſeruis cibos & ueſtimenta pararet, ab urbe diſcedere. certe quia multa ſunt inculcata, priuſquam incepta ſententia abſolueretur, fit obſcurior oratio. Quod ſiquis ita dicat, Parueram ab urbe diſcedere, poſtquam cū eo collocutus fuiſſem, & quæ ſequuntur, nihil obſcuritatis habebit. hunc autem loquendi modum quo uſus eſt hoc in loco Ariſtoteles, interdum etiam latini uſurpat, breuitatis gratia, ut Cicero primo de Inuentione; Quidnam amplius deſideratis Iudices cum uobis hoc & hoc planum factum ſit? & Quintilianus libro ſexto, Licet etiam dubitare, nunquid & nos ſu gerit,

gerit,& quid reſpōſurus ſit aduerſarius his, & his. nam cum orationem habemus, illa deinde ſunt explicanda,ſicuti notarij ſolent, qui in ſtipulationibus & ſcriptis ſuis,frequenter ponunt, & cætera. Sed cum opus eſt ea dilatare,tunc omnia explicant ita igitur etiam Ariſtoteles hoc in loco,poſtquam cum eo collocutus fuiſſem hæc, & hæc,& hoc modo,ſi enim ſingula explicentur, ut nos ſupra conati ſumus, fit contextus ſermonis traiectione tam tardus,ut in hyperbatum finis eius differatur. quod euitandum eſſe,benè cenſet Ariſtoteles. de hac re ſic ait Quintilianus libro octauo capite ſecundo; Etiam interiectione, qua & oratores & Hiſtorici frequenter utuntur,ut medio ſermone,aliquem inſerant ſenſum,Impediri ſolet intellectus,niſi quod interponitur breue eſt.nam virgilius illo loco,quo pullum equinum deſcribit cum dixiſſet;

Nec uanos horret ſtrepitus
–compluribus inſertis alia figura, quinto demum uerſo redit,
–Tum ſiqua ſonum procul arma dedere
Stare loco neſcit.

–Talis eſt ille locus in ſecundo Aeneidos, ubi Aeneas ita ſocius alloquitur.

–Iuuenes fortisſima fruſtra
Pectora,ſi uobis audentem extrema cupido
Certa ſequi,quæ ſit rebus fortuna uidetis,
Exceſſere omnes adytis,arisque relictis
Dij, quibus imperium hoc ſteterat, ſuccurritis urbi
Incenſæ, moriamur, & in media arma ruamus.

Nam longe clarior & apertior fuiſſet oratio, ſi ita dixiſſet,

–Iuuenes fortisſima fruſtra
Pectora,ſi uobis audentem extrema cupido
Certa ſequi, moriamur, & in media arma ruamus.

Illa igitur interiectio plurium uerborum per aliam figuram Senſum & Intellectum impedit. quocirca ſemper quod interponitur breue eſſe debet.

TEXT. *Ad locutionis autem amplitudinem & granditatem hæc proderunt;primum ſi definitionem loco nominis ponas:exempli gratia,ſi non circulum dicas,ſed figuram planam,cuius extremitas paribus a medio radijs attingitur.qui uero breuitati ſtudet,is contra, nomen loco definitionis ponat.*

COMM. *li.8.ca.3* Quoniam omnis uis oratoris(ut ait Quintillanus)in augendo minuendoque conſiſtit:ideo diligenter amplificandi minuendique præcepta notāda ſunt,quæ ex hoc loco tractare incipit Ariſtoteles. Ac primo quidem ad orationis amplitudinem & granditatem,ait illud prodeſſe, ſi definitionem loco nominis ponamus.ut, ſi pro philoſophia, rerum humanarum atque diuinarum ſcientiam dicamus. Si pro Rhetorica,apte,diſtinctè & ornatè dicendi facultatem. pro homine Animal ſagax,prouidum,acutum,memor,plenum rationis & conſilij, ut primo de legibus definit Cicero. exemplum Ariſtotelis eſt, ſi pro circulo,dicas,figuram planam, cuius extremitas paribus à medio radiis attingit. ſic enim nos latinè uertimus hanc Circuli definitionem,quam alii barbarè ſunt interpretati. quam ex libro de uniuerſitate Ciceronis accepimus, ubi ait Mundum eſſe globoſum,cuius omnis extremitas paribus à medio radiis attingitur.poteſt etiam ita definiri latine.Circulus eſt forma plana, cuius a medio tantum abeſt extremum, quantum idem a ſummo.ut in ſecundo de Natura Deorum notauimus,hæc ideo adſcripſi præter conſuetudinem meam,quia nonnulli putant, circulum non poſſe benè latinè definiri.Sæpe igitur in amplificando, pro uno nomine,definitio ponitur, quæ pluribus uerbis explicatur,ut Cicero pro Milone, cum poſſet breuiter ita dicere,uidimus curiam incendi. tamen curiam definiens ita dilatauit. uidimus templum ſanctitatis,amplitudinis,mentis, conſilii publici,caput urbis,arā ſociorum, portum omnium gentium,ſedem ab uniuerſo populo R. conceſſam uni ordini,inflammari,excindi, funeſtari. hoc eſt quod in Partitionibus ait Cicero ad amplificandum definitiones conglobatas maxime ualere, ut ſecundo de Oratore M. Antonius hiſtoriam ita definit;Hiſtoria eſt teſtis temporum, lux ueritatis, uita memoriæ,magiſtra uitæ,nuncia uetuſtatis. in peroratione pro Milone conglobatam gloriæ definitionem ita ponit,Eſſe hanc unam, quæ breuitatem uitæ poſteritatis memoria conſolaretur, quæ efficeret ut absētes adeſſemus,mortui uiueremus, hanc denique eſſe,cuius gradibus homines in cœlum uideantur aſcendere. in commentario noſtro quem ſcripſimus in Partitiones Ciceronis, obſeruauimus a Cicerone, quatuor potisſimum rationibus ex uno uerbo per amplificationem, plura uerba fieri,hoc eſt, per definitionem ſiue deſcriptionem,per enumerationem,per interpretationem,& per incrementum,quarum omnium exempla poſuimus. Quoties autem breuitati ſtudemus (inquit Ariſtoteles)tunc contra, nomen loco definitionis ponere debemus.atque ita definitionem ad unum uerbum reuocare,ut in Partitionibus docet etiam his uerbis Cicero, Ex oratione autem cum aut definitio ad unum uerbum reuocatur. ut ſiqs pro eo, qui poteſt conſilio atque oratione, & Senatus,& populi,& eorum qui res iudicant, mentes permouere,dicat oratorem pro laudatarum artium omnium procreatrice,atque parēte philoſophiam dicat.pro Troiani belli ſcriptore,Homerum.

Quod ſiquid acciderit obſcœnum,aut parum decorum,id ſi erit in definitione,nomen uſurpabimus.ſi autem in nomine definitionem. TEXT.

In ciuili oratione uitanda eſt omnis obſcœnitas & turpitudo,neque ullum penitus uerbum admittendum eſt, quod aut inuerecundum aut parum decorum eſſe uideatur.ſed quoniam interdum nos cogit neceſſitas,de rebus parum dictu ſpecioſis uerba facere,tunc uti hac arte debemus, ut aduertamus utrum illa obſcœnitas ſit in uerbo,an in definitione.nam ſi in uerbo fuerit ad definitionem confugere poterimus,ſi uero in definitione, con- COMM.

fugie-

fugiemus ad uerbum, atque ita facile uitabimus obſcœnitatē, huius rei ſunt in promptu exempla. Quod enim poetis epigrammatum & ſatyrarum, conceditur, non idem heroicis poetis, aut oratoribus conuenire putandum eſt. licet igitur Catullus, Martialis, Iuuenalis uerba obſcœniſsima uſurpēt, non tamen Virgilius aut Cicero eis unquam utuntur, ſed cum eas res appellare opus eſt, uerbis honeſtis circumſcribunt. non igitur culum nominabit Orator, neque cacaee dicet, ut Catullus dixit, ſed ita deſcribet, ut pro culo, dicat, partem corporis ad naturæ neceſsitatem datam, ut Cicero primo de officiis, pro cacare, dicat, ipſi neceſsitati corporis parere. atque ita pro uerbo definitionem ponet. Contra uero cum in definitione uerbi eſt obſcœnitas, uerbum ipſum Orator uſurpabit, definitionem fugiet, ut, generare, uerbum eſt honeſtum, ſed eius definitio turpis. neque enim poteſt quiſquam actū ipſum generandi explicare, niſi obſcœnas corporis partes nominet, & earum coniūctionem. quod quam obſcœnum ſit, quis non intelligit?

TEXT. *Erit etiam grandis oratio quæ translationibus & epithetis illuſtrabitur, modo ne in poeticam licentiam exeat.*

COMM. Translationes & addita ad nomen grandem & illuſtrem orationem efficiunt. ſed aduertere ſemper opus eſt id, quod ſupra dictum eſt, ne nimis poetica ſit oratio. quantum autem dignitatem & grauitatem orationis translationes adferant, atque epitheta penè infinitis exemplis oſtendi poteſt, ſed nos duobus aut tribus erimus contenti, poterat ita Cicero pro L. Murena dicere; non enim potuiſtis uirtutem ueſtram oſtendere, ſed duobus translatia uerbis ita illuſtrauit; Nullum enim uobis ſors campum dedit, in quo excurrere uirtus, cognoſcique poſſet. in Piſonem cum liceret ita dicere; Qui Remp. conſeruaſſem, multo ſplendidius, & grauius dixit; Qui in maximis turbinibus ac fluctibus Reip. nauem gubernaſſem, ſaluamque in portu collocaſſem. pro Milone, cum dicere poſſet, atque illum inuitum in iudiciū uocaret, maiori quadam grauitate dixit; Atque illam belluam iudicii laqueos declinantem iam irretitam teneret. de Epithetis nulla eſt dubitatio, quin plurimum orationem illuſtrent, ſi bene accommodata fuerint, ut iā ſupra copioſe diſputatum. poterat ita Cicero pro lege Man. proponere, dicendum eſt enim de Cn. Pompeij uirtute, ſed duobus adiectis epithetis maiorem in modum membrum illud illuſtrauit, hoc modo, Dicendum eſt enim de Cn. Pompeii ſingulari eximiaque uirtute. ſed hoc (ut dixi) frequentiſſimum eſt.

TEXT. *Et ſi ex uno plura fiant, quod poetæ ſæpe faciūt; ut quamuis unus tantum portus ſit, tamen dicunt, Intra portus Achaicos, tale eſt illud;*

Luctu ſcatentes has tibi do epiſtolas.

COMM. Poſſumus (inquit) orationem augere, cum pro numero unius, multitudinis numerū uſurpamus, quod poetæ frequenter faciunt, & hoc duobus exēplis probat. quamuis enim de uno tantum portu loquatur poeta, tamen dicit, intra portus Achaicos. & apud Euripidem Iphigenia, cum epiſtolam unā Oreſti fratri ſuo daret, quem tamen non agnoſcebat, ut eam deferret, ad Oreſtem, quem eſſe abſentem arbitrabatur ita dixit;

Luctu ſcatentes has tibi do epiſtolas.

Huius generis plurima ſunt etiam apud latinos poetas & oratores exempla. Vt virgilius Georgicorum ſecundo, ubi de Italia loquitur;

Extulit hæc Decios, Marios, magnoſque Camillos,

Quamuis unus tantum Marius, & unus Camillus celeber fuerit. in primo Aeneidos de Sicheo ſic ait;

--Ora modis attollens pallida miris
Crudeles aras traiectaque pectora ferro Nudauit.

Quamuis unum os, & unum pectus tātum Sicheus haberet.

Sic etiam Cicero ad Brutum cum de ſe tantum loqueretur; Populo (inquit) impoſuimus, & oratores uiſi ſumus. Sed hoc frequentiſsimè facit, ut, cū de ſe tantum loquitur, numero multitudinis utatur; ut ad Lentulum, Nos in cauſa auctoritatem eo minorem habemus, quod tibi debemus. Quintilianus libro. 8. cap. 6. ſic ait; Maximè autem in ornando ualebit numerorum illa libertas; nam & Liuius ſæpe ſic dicit; Romanus prælio uictor, cum Romanos uiciſſe ſignificat. ubi docet Quintilianus non tantum cum multitudinis numerum pro ſingulari ponimus, ſed etiam contra, cum ſingularem ꝓ numero multitudinis, orationem exornare.

Et ſi nomina non coniungantur, ſed ſeparatim ſingula proferantur, ut, eius mulieris, quæ noſtra eſt: & cōtra breuiter hoc modo, noſtræ mulieris. TEXT.

Ad augendam orationem pertinet diſiunctio nominum, & membrorum, cum licet copulari poſſint, tamen non copulantur, ſed ſeparatim ſingula proferuntur, quod exemplo facili oſtendit, ſiquis enim dicat; Eius mulieris, quæ noſtra eſt, ornatum abſtulit, neſcio quid grandius oratio uidetur habere, quam ſi dicat; noſtræ mulieris ornatum abſtulit. hoc enim ad dicendi breuitatem ſpectat. ita ſi dicamus, is, qui Reip. gubernacula tenet. grandius erit, quaſi dicamus, gubernator ciuitatis. & amor, quo ſeipſum unuſquiſque diligit, amplius & grandius eſt, quam, Amor ſui. COMM.

Et ſi in dicendo copulæ adiungantur, nam contra breuius dicitur, detracta copula, modo ne diſſoluta ſit oratio; ut, eo profectus ſum, atque diſſerui, &, eo profectus diſſerui. TEXT.

Etiam hoc facile eſt, dilatatur, inquit, oratio ſi copula adiungatur, contrahitur, ſi adimitur copula. modo ne oratio diſſoluta fiat, quoniam eſſet uitioſa, niſi ex arte proficiſceretur. exemplum hoc eſt, ſi dixeris; Eo profectus ſum, atque diſſerui. ita, Animum tuum & uoluntatem laudo, grauius, quā Animi tui uoluntatem laudo. ita, Cicero, In puppi ſedebamus, clauumque tenebamus, cum breuius, detracta copula potuiſſet hoc modo dicere. in puppi COMM.

pi

pi ſedentes clauum tenebamus. Virgilius.

-- Molemque & montes inſuper altos Impoſuit.

Magnificentius dixit, quam ſi dixiſſet, molem montium, ſed huius generis plurima ſunt.

TEXT. *Atque etiam illa Antimachi ratio utilis eſt, nempe ea commemorare, quæ rei non adſunt, quod ille facit in celebrãdo colle Theumeſſo: Eſt quidam modicus collis, quem ſpiritus afflat, & quæ ſequuntur. nam hoc modo infinitè poteſt oratio amplificari.*

COMM. Pulchrum eſt hoc præceptũ, quo Antimachus poeta uti ſolebat in carminibus ſuis, ut cum in aliqua re celebranda nobis oratio deeſt, tunc ea commemoremus, quæ rei non adſunt, & probemus ideo magnopere laudabilem eſſe, quod multis rebus malis careat, quæ in aliis rebus inueniuntur. hac ratione uſus eſt Antimachus, cum Theumeſſum agri Bœotii collem celebraret & poemate qđ ita incipit; Eſt quidam modicus collis quem ſpiritus afflat, pluribus enim uerſibus collem eum laudauit Antimachus, ut teſtis eſt etiam Strabo libro nono. ſed Ariſtoteles hoc loco principium tantum poematis citat, quoniã notiſſimum erat, ut ſiquis hoc tempore dicat celebratum eſſe portum à Virgilio hac ratione, Eſt in ſeceſſu longo locus, hoc ſatis eſſet, quoniam omnes ſciunt eam deſcriptionẽ eſſe in primo Aeneidos. ſic Antimachus in primo libro Thebaidos collem hunc celebrauit, ut Stephanus eſt auctor. aduertendum eſt autem quod ait Ariſtoteles, hoc modo poſſe orationem infinitè amplificari, quoniam ea penè infinita ſunt, quibus ſingulæ res carent, ut ſi uelim Cæſarem laudare, mihique deſit oratio, confugiam ad ea, quæ Cæſari non adſunt, & eis commemorandis orationem amplificabo, ut Cæſar non crudelis eſt, ut multi principes, non auarus, non intemperans, non ſuperbus, non contumelioſus, atque ita licebit plurima perſequi. hac ratione uſus eſt Virgilius in ſecundo Georgicorum ubi laudat Italiam, ſic enim ait;

Hæc loca non tauri ſpirantes naribus ignem
Inuertere ſatis immanis dentibus hydræ
Nec galeis denſiſque uirum ſeges horruit haſtis.

Et paulo poſt in eiuſdem laudibus.

At rabidæ tigres abſunt, & ſæua Leonum
Semina, nec miſeros fallunt aconita legentes.

TEXT. Quin etiam Cicero in Pompeij laudibus hanc rationem non prætermiſit, cum ait; Non auaritia ab inſtituto curſu ad prædam aliquam reuocauit, non libido ad uoluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipſe ad quietem. Sic etiam arrogans ille Phariſæus in ſacris literis ſeipſum laudãs, Deo gratias agit, quod non ſit talis, quales reliqui ſunt homines, quod non ſit raptor, non iniuſtus, non maleficus.

TEXT. *Atque hac quidem ratio in utranque partem utilis eſt, & in bonis, & in malis, quæ non adſunt commemorandis. Vnde etiam poetæ nomina confinxerunt, ut Achordum, Alyrum, quas appellationes à priuatione ſumpſerunt.*

COMM. Magna eſt huius rationis utilitas ſiue laudare ſiue quis uituperare uoluerit. nam in utranque partem plurimum ualet hoc modo. Si enim laudare uoluerimus, mala quæ non adſunt commemorabimus, ut iam ſupra dictum eſt. Cicero Quintũ fratrem laudans ita inquit: non itineribus tuis per terreri homines, non ſumptu exhauriri, non aduentu commoueri. uel utraque ſimul hoc eſt & bona, & mala commemorantur, ſed bona adiunguntur, mala remouentur, ut in eadem epiſtola; cum urbs cuſtodem, non tyrannum, domus hoſpitem non expilatorem, recepiſſe uideatur. Plinius in Panegyrico Traiani perquam ſanè artificioſè ſic ait; Non enim periculum eſt, ne cum loquar de humanitate, exprobrari ſibi ſuperbiam credat, cum de frugalitate, luxuriam, cum de clementia crudelitatem, cũ de liberalitate auaritiam, cum de benignitate, liuorem. cum de continentia, libidinem, cum de labore, inertiam, cum de fortitudine, timorem. Cicero pro M. Cœlio cum non haberet fortaſſe quæ bona commemoraret, in laudando Cœlio mala remouet, hoc modo, In M. Cœlio nulla luxuries reperietur, nulli ſumptus, nullum æs alienum, nulla conuiuiorum ac luſtrorum libido. quoties autem uituperare uolumus, bona quæ non adſunt, commemorabimus. unde (inquit Ariſtoteles) etiam poetæ nomina à priuatione confinxerunt uituperandi gratia, ut Achordum, & Alyrum. quæ duo nocabula ſunt à Muſica deſumpta, nam Achordum dici poteſt inſtrumentum muſicum cum eius chordæ nõ benè ſunt intentæ, neque inter ſe conueniunt, quo tempore ſi tanguntur, inſuauem, & iniucundum ſonum emittunt. eodem modo alyrum dicitur, qđ & ſuauitate priuatum eſt, quam lyra ſeu cithara fundere conſueuit. cuius generis etiam apud Latinos ſunt infinita penè nomina, ut, excors, & uecors dicitur, ſtolidus & fatuus homo, quaſi ſine corde, aut deprauato corde ſit, in quo putabant eſſe ſapientiam. iners uocatur piger & deſidioſus, quaſi nulla arte præditus. iã ignauus, imperitus, amẽs, demẽs, inhumanus, impius, intẽperãs, inſipiẽs, impudicus & infinita alia ſunt à priuatione ſumpta. Sed ĩ uituperando frequentiſſimè bona quæ non adſũt commemorantur, ut improbior qui uituperatur appareat. Cicero pro A. Cluentio de Saſſia Cluentii matre. Deinde ita flagrare cœpit amentia, ſic inflammata ferri libidine, & eam non pudor, non pudicitia, non pietas, non macula familiæ, non hominum fama, non filii dolor, non filiæ mœror à cupiditate reuocaret. aliquando in uituperando tolluntur aliqua mala, ut grauiora ponatur, quod tertia in uerrem actione Cicero facit hoc modo; Non enim furem ſed ereptorem, non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ, non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum religionumque, non ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificem ciuium, ſociorumque in ueſtrum iudicium adduximus. pro Milone de Clodio: cui iam nulla lex erat, nullum ciuile ius, nul-

nulli poſſeſſionum termini, qui non calumnia litium, non iniuſtis uindiciis ac ſacramentis alienos fundos, ſed caſtris, exercitu, ſignis inferendis petebat.

TEXT. *Hoc idem magnopere probatur in eis translationibus, quæ ex proportione ducuntur, ut ſiquis dicat tubæ ſonitum eſſe cantum alyrum.*

COMM. Sed quædam translationes à proportione ductæ, de quibus iam ſupra diximus, ut ſiquis dicat libros eſſe tela philoſophi, & tela eſſe libros militis. aut, amicos eſſe diuitias uiri liberalis, & diuitias eſſe amicos auari. in huiuſmodi translationibus (inquit Ariſtoteles) ualde commendantur hæc nomina quæ à priuatione ſumuntur. quod exemplo declarat, ſiquis enim dicat, tubæ ſonitum, eſſe cantum a lyræ ſuauitate multum alienum, & planè alyrum, optimè dicet. uideamus igitur proportionem, quæ ſemper eſt in quatuor rebus, ut Geometræ docent, nocemus autem docendi gratia ſonũ tubæ, clangorem, & lyræ ſonum tantum. Sicut igitur tuba ad clangorem, ita lyra ad cantum ſe habet, & conuerſa proportione, ſicuti clangor ad tubam, ita cantus ad Lyram, & permutata proportione, ſicuti tuba ad cantum, ita lyra ad clangorem. quare poſſumus hac ratione dicere, tubæ ſonum, eſſe cantum alyrum, hoc eſt ſine lyrica ſuauitate, & lyræ ſonum eſſe clangorem muſicum. ita ſiquis dicat, triſtitias eſſe animi epulas inſuaues, aut aliquem ab epulis diſcendi ſemper inſatiatum diſcedere.

TEXT. *Decorum autem illa ſeruabit oratio, quæ motus animi miſcebit, & quæ mores exprimet, & quæ ſubiectis rebus conueniet.*

COMM. Iam de orationis decoro uerba facere incipit, quod maximi eſſe momenti non minus in eloquentia quam in cæteris rebus ſapientes ſtatuerunt, de quo ita Cicero in Oratore ad Brutum; Sed eſt eloquentiæ ſicut reliquarum rerum fundamentum ſapientia. ut enim in uita, ſic in oratione nihil eſt difficilius, quam quid deceat uidere. πρέπον appellant hoc Græci, nos dicamus ſanè decorum. de quo præclarè & multa præcipiuntur, & res eſt cognitione digniſſima. huius ignoratione non modo in uita, ſed ſępiſſimè & in poematis, & in oratione peccatur. Ariſtoteles tribus in rebus ponit orationis decorum, primo in motibus animi, ſecundo in moribus exprimẽdis, tertio in ſubiectis rebus. primum ad ipſos auditores pertinet, ſecũdum ad oratorem, tertium ad cauſam, de qua agitur. decet enim & miſcere motus animi quando cauſa poſtulat, ut iudices contra improbos incitentur, eos oderint, illis iraſcantur, ſeuerè condemnent, & puniant. contra uero tueantur innocentes, diligant, in eos comes & miſericordes ſint, & benigne abſoluant. de iis autem motibus animi ſatis in ſecundo libro dictum eſt. decet etiam in oratione mores amabiles exprimere. nihil arroganter de ſe dicere, non ſe nimium deprimere, ſe beneficum & officioſum oſtendere. de qua re etiam ſupra ſatis dictum eſt. denique decet analogiam & proportionem rerum earum, quæ tractantur conſeruare, ut humilia demiſſe, mediocria temperate, magna ſublimiter dicantur. hanc decori diuiſionem uidit etiam Cicero in Oratore ad Brutum, cum ita inquit; Semperque in omni parte orationis ut uitæ, quid deceat, eſt conſiderãdum: quod & in re, de qua agitur, poſitum eſt, & in perſonis, & eorum qui dicunt, & eorum, qui audiunt.

TEXT. *Erit autem rebus conueniens, ſi neque de rebus amplisſimis tenuiter & ſummiſsè, neque de tenuibus rebus grauiter & amplè quis dixerit.*

COMM. Sigillatim tria illa explicat, quæ ad orationis decorum pertinent, ac primo docet, quomodo poſſit analogia ſeruari ita ut oratio rebus conueniat. neque enim ullo modo conuenit ut res amplisſimæ grauisſimæque tenui & ſummiſſa oratione tractentur, neque contra, ut res tenues, graui & amplo ſtylo proferantur. Quam enim (ait Cicero in Oratore) indecorum eſt, de ſtillicidiis cum apud unum iudicem dicas, amplisſimis uerbis, & locis uti communibus, de maieſtate populi R. ſummiſsè & ſubtiliter, & magna grauiter, & mediocria temperatè poteſt dicere.

TEXT. *Sed neque abiecto nomini ornatus eſt adhibendus, alioqui comœdia uidebitur: quod crebro facit Cleophõ. talia enim quædam profert, ac ſi diceret, uenerandam ficum.*

COMM. Vt in rebus decorum ſeruetur, illud etiam aduertendum eſt, ne abiectis nominibus ornatum aliquem elegantiorem adhibeamus. quod non oratoriæ dignitati, uerum potius comicæ dicacitati conuenit. Comici enim poetæ ut riſum concitent, ſæpenumero ſupra decorum res aliquas exornant, ut Cleophon facere crebro ſolitus eſt. is enim ait Ariſtoteles, uilibus & abiectis nominibus excellentiorem ornatum adhibet, ut non dubitaret etiam dicere, uenerandam ficum. Græcum illud epithetum, πότνια, rebus tantum cœleſtibus ac diuinis accommodatur. Sic enim frequenter Homerus deas appellat, ridiculum igitur eſſet πότνια συκῆ, idest uenerandam ficum dicere, hoc eſt planè quod græco prouerbio dicitur, τὸ ἐν φακῇ μύρον idest, in lente unguẽtum, quoties egregia res aliqua, uili & abiectæ adiungitur, ut ſiquis dicat, egregiam atque præſtãtem meretriculam, honeſtiſsimum & grauisſimũ ganeonem, optimum & integerrimum ſcurram, eruditiſsimum cerdonem, præſtantisſimum tabernarium, amplisſimum olitorẽ, quæ ſi ridiculi gratia dicantur, interdum leporem quendam & urbanitatem præ ſe ferunt, ſi uero ſerio proferantur, omnino ſunt uitioſa, & ab oratore magnopere fugienda.

TEXT. *Motum animi miſcebit oratio irarum plena; cum de aliqua contumelia agitur.*

COMM. Qui ſe contumelia affectum ab aliquo probare uult, is oratione uti debet irarum plena, quo motum animi miſceat, & iudices ad indignationem concitet, alioqui fidem facere non poterit. quod Demoſthenes ſummus orator oſtendit, cũ enim ei uis quidam ad eum acceſſiſſet, ut eo patrono utere

tur

tur contra illum à quo ſe uulneratum eſſe dicebat, idque lenrè ac remiſsè peteret, negauit Demoſthenes id eſſe uerum, neque ſe patrocinium eius ſuſcipere uelle dixit. tunc ciuis ille, elata uoce clamare cœpit & uociferari uerisſimum eſſe quod diceret, & ſe graui contumelia affectum. itaque ſumma cũ indignatione diſcedebat, cum Demoſthenes eum reuocans dixit. nunc demum intelligo te uera dicere, cum animi dolorem oſtendas. hac ratione Cicero M. Calidium hominem alioqui diſertisſimum refutauit, quod ille cum Q. Gallium accuſaret ueneficii cum peſtem capitis ſui, cum indicia mortis ſe comperiſſe manifeſto, & manu tenere diceret, tam ſolutè egiſſet, tam leniter, tam oſcitanter, Tu iſtuc (inquit) M. Calidi niſi fingeres, ſic ageres? præſertim cum iſta eloquentia alienorum hominum pericula defendere acerrimè ſoleas, tuam negligeres? ubi dolor? ubi ardor animi? qui etiam ex infantium ingenijs elicere uoces, & querelas ſolet? in hac re mirabilis eſt ubique Cicero. quin etiam Virgilius mira frequenter arte motus animorum exprimit, ut in undecimo Aeneidos, cum Turnum inducit reſpondentem Dranci, qui de illo contumelioſè concionatus fuerat, ſic enim ait;

Talibus exarſit dictis uiolentia Turni
Dat gemitum, rumpitque has imo pectore uoces.

Neque enim magis iratum animum effingere potuiſſet, quam in illa finxit oratione, quam Turno attribuit.

TEXT. *Quod ſi impia & turpia facta tractanda ſunt, id cum indignatione, cauteque & quaſi timidè faciendum eſt.*

COMM. Quoties ea tractamus, quæ ſunt contra religionem & honeſtatem, plena impietatis & turpitudinis, magnam indignationem oſtendere debemus, & illa tam cautè timideque proferre, ut ab eis toto animo atque omni cogitatione abhorrere uideamur. ut Cicero tertia in Verrem actione, Tantæne tuæ Verres libidines erũt, ut eas capere ac ſuſtinere, non prouinciæ pop. R. non nationes exteræ poſsint? tune quod uideris, quod audieris, quod cõcupieris, quod cogitaris, niſi id ad nutum tuum præſto fuerit, niſi libidini tuæ, cupiditatique paruerit, immittẽtur homines? expugnabuntur domus? ciuitates nõ modo pacatæ, uerum etiam ſociorum atque amicorum ad uim, atque arma confugient, ut ab ſe, atque ab liberis ſuis legati populi R. ſcelus, atque libidinẽ propulſare poſsint? pro A. Cluẽtio de Saſsia Cluentij matre, Nubit genero Socrus nullis auſpicibus, nullis auctoribus, funeſtis ominibus omnium. O mulieris ſcelus incredibile, & præter hanc unam in omni uita inauditum, o libidinem effrenatam & indomitam. ò audaciam ſingularem. non timuiſſe ſi minus uim deorum hominumque famam, at illam ipſam noctem, faceſque illas nuptiales? non limen cubiculi? non cubile filiæ? non parietes denique ipſos ſuperiorum teſtes nuptiarum? perfregit, ac proſtrauit omnia cupiditate ac furore. interdum etiam cautè, & quaſi timidè quæ turpia ſunt, idẽ Cicero perſequitur, ut hoc in loco præcipit Ariſtoteles. nam in ſecunda Philippica de Antonio ſic ait; ſed iam ſtupra & flagitia omittam, ſunt quædam, quæ honeſtè non poſſum dicere. tu autem eo liberior, quod ea in te admiſiſti, quæ à uerecundo inimico audire non poſſes.

Si uero laudabilia cum animi uoluptate. TEXT.

COMM. Cum aliquid in oratione noſtra ponimus, quod laudabile ſit, id cum animi uoluptate facere debemus, ut oſtendamus nos eis magnopere delectari, quod ita Cicero pro Lege Man. facit. Pro dii immortales, tanta ne unius hominis incredibilis ac diuina uirtus tam breui tẽpore lucem afferre Reip. potuit? & infra; Itaque omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompeium ſicut aliquem non ex hac urbe miſſum, ſed de cœlo delapſum intuentur. rurſus infra; humanitate iam tanta eſt, ut difficile dictu ſit, utrum hoſtes magis uirtutem eius pugnantes timuerint, an manſuetudinem uicti dilexerint. ſed tota illa pars, qua Pompeium laudat, talis eſt, ut magnam animi uoluptatem præ ſe ferat. ſic etiam pro Cor. Balbo; O Cn. Pompeii ſic latè longeque diffuſa laus ut eius gloriæ domicilium communis imperij finibus terminetur. ſic Aeneas apud Virgilium Didonem laudans animi uoluptatem oſtendit, *1. Aen.*

--Quæ te tam læta tulerunt
Secula? qui tanti talem genuere parentes?

Si miſerabilia demiſsè, at humiliter, & in cæteris eodem modo. TEXT.

COMM. Si res tractamus miſerabiles, demiſſa atque humili oratione uti debemus, ut animos iudicum per conqueſtionem ad miſericordiam moueamus. cuius rei Cicero mirabilis eſt artifex, ut in hac parte longe Demoſthenes ſuperior habeatur, quod eius perorationes declarant, quas tantum legentes, quaſi lachrymare compellimur. ut pro Milone, O me miſerum, ò infelicem, reuocare tu me in patriam Milo potuiſti per hos, ego te in patria per eoſdem retinere non potero? quid reſpondebo liberis meis qui te parẽtem alterum putant? & totus ille locus. ſed (ut dixi) omnes fere perorationes defenſionum apud Ciceronem maximam habent miſerationem ut eis nihil artificioſius excogitari poſsit. apud Virgilium nono Aeneidos oratio eſt matris Euryali, qua nihil miſerabilius, nihil demisſius, & luctuoſius inueniri poteſt.

Hunc ego te Euryale aſpicio? tu ne illa ſenectæ
Sera meæ requies? potuiſti linquere ſolam
Crudelis? nec te ſub tanta pericula miſſum
Affari extremum miſeræ data copia matri?

et quæ ſequuntur. notisſimus eſt enim locus. hoc igitur modo etiam in cæteris pro rerum, quæ tractantur uarietate motus animi miſcere licebit.

Locutio enim rebus accommodata ad perſuadẽdum plurimum ualet: nam animus auditoris in errorem trahitur, qui ea uere dici putat, quoniam in eiuſmodi rebus ita ſe homines habent. quare licet ita ſe res non habeat, TEXT.

habeat, ut orator dicit, tamen ita ſe habere putant.

COMM. Magnam eſſe uim in elocutione docet, quæ bene rebus accommodatur. adeo ut interdum non minus quam argumenta perſuadeat, hoc autẽ ab errore quodam auditorum naſcitur. nam auditoris animus in errorem trahitur, cum in ſeipſo quodammodo ita rõcinatur, hoĩes in eiuſmodi reb. ita ſunt affecti, ut hic Orator ſe affectũ oratione ſua oſtendit, ergo quæ dicit uera ſunt. ſed hæc eſt fallacia, quæ à conſequentibus fieri ſolet, ut in 2. lib. docuimus, neque. n. hæc ratio uiciſsim retro cõmeat, aut conuertitur, Qui contumelia ſunt affecti, magna cum indignatione illũ accuſant, à quo ſunt contumeliam paſsi. Igitur etiam qui cum indignatione accuſant, contumelia ſunt affecti. poteſt enim quis fictè, & ſimulatè cum indignatione dicere, qui tamen nulla fuerit affectus contumelia. eadem ratione demiſsè & humiliter interdum Orator dicit, ut miſericordiam moueat, cum tamen fortaſſe res illa, de qua dicit, nulla ſit miſeratione digna. itaque decipitur auditor, & quamuis non ita ſe habeat res, ut Orator dicit, tamen propter eius artem & locutionem ita ſe habere putat. qui uult igitur auditores commouere, ſeipſum prius cõmoueat oportet, & ita ſe afficiat, quomodo cæteros affici uult, quod etiam Horatius in Arte ſic præcipit,

Si uis me flere, dolendum eſt
Primum ipſi tibi, tua me infortunia lædent.

Ita M. Antonius ſecũdo de Oratore; Neque fieri poteſt, ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut inuideat, ut pertimeſcat aliquid, ut ad fletum miſericordiamq́ue deducatur, niſi omnes ij motus, quos orator adhibere uolet iudici, in ipſo oratore impreſsi eſſe, atque inuſti uidebantur. Quod autem indignatio, conqueſtio, miſericordia ſimulari poſſint oratione, declarant poetæ tragici, qui in rebus fictis & commentitijs ita uehementes ſunt in dicendo, ut ſæpe uel legentes tantum lachrimare cõpellant, declarant hiſtriones qui in agendo maximum ſæpe animi dolorem præ ſe ferunt, ut ſecundo de Oratore M. Antonius teſtatur.

TEXT. *Atque auditor ſemper eodem modo afficitur, quo orator, etiam ſi non uerè dicat, qua de cauſa multi oratores ita uehementer commouent auditores, ut eos quaſi attonitos reddant.*

COMM. In p̃ſẽte eſt oratoris ut auditorem q̃uo uelit afficiat, nam prout affectus eſt orator ipſe, ita ẽt auditor afficitur, neque refert utrũ uera an falſa dicat. ſic. n. in fictis rebus afficitur, ut in ueris. Itaq; multi oratores cum hoc intelligant, tantopere cõmouent auditorum animos, ut attoniti quodammodo eſſe uideantur. quod præter cæteros Pericles feciſſe dr̃, quem tonare, fulminare, permiſcere Græciam dixit Eupolis. de hac re gloriatur Cicero in Oratore ad Brutum, ſic enim ait. Quo genere nos mediocres, aut multo ẽt minus, ſed magno ſemper uſi impetu, ſæpe aduerſarios de ſtatu omni deiecimus. nobis pro familiari reo ſummus Orator non reſpõdit Hortẽſius. à nobis hõ audaciſsimus Catilina in Senatu accuſatus obmutuit. nobis priuata in cã magna & graui cũ cœpiſſet Curio pater reſpõdere, ſubito aſſedit, cũ ſibi uenenis ereptam memoriam diceret. Quid ego de miſerationibus loquar? quibus eo ſum uſus pluribus, qđ ẽt ſi plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant, in quo ut uideret excellere, non ingenio, ſed dolore aſſequebar. tradunt Virgilium cum 6. Aenei. librum recitaret coram Augusto, & eius Sorore Octauia, atque ad eum locũ peruenifset ubi Marcelli Octauiæ filij mortẽ deflet, tam uehemẽter oẽs, qui aderant, commouiſſe, ut ipſa Octauia animo deficeret, & alii præ nimio fletu quaſi attoniti redderentur. unde Auguſtus Virgilio ſilentium imperauit. ſed is ſe ad finem libri perueniſſe reſpõdit. Hegeſias Cyrenaicus humanæ uitæ calamitates tanta dicendi grauitatẽ perſequebatur, ut plerique eo audito ſibi ſtatim manus inferrent, & mortem conſciſcerent, qua de cauſa à rege Ptolemæo prohibitus eſt ea dicere. M. Antonius ille diſertus, cum Marius & Cinna quoſdã milites ad eum interficiendum miſiſſent, tam uehementi oratione eos cohibuit, ut obſtupefacti deſtrictos iam in eum gladios uaginis reddiderint, & eo incolumi relicto diſceſſerint, ſed paulo poſt P. Antonius, qui eum non audierat, ſubito irrumpens diuinum in dicendo hominem trucidauit.

TEXT. *Quin hæc a ſignis ducta demonſtratio mores exprimit; quoniam ſingula hominum genera, ſingulosq́ue habitus ſua quædam propriaq́ue conſequitur oratio.*

COMM. Tertiam decori partem aggreditur, quæ eſt, ut oratio mores exprimat. hæc (inquit) oratio quæ a ſignis ducitur, non tantum animos mouet, ſed ẽt dicentis mores exprimit, quoniã hoc oẽs penè exploratum habent ex oratione cuiuſque mores & habitus animi cognoſci. unde prouerbiũ illud uulgo celebratum; Qualis uir, talis oratio. Itaque Socrates apud Platonem, charmidem loqui iubetur, ut cum uideat, quaſi ex eius oratione de moribus & habitu iudicaturus eſſet. cum enim diuerſa ſint hominum genera diuerſos etiam mores & habitus obtinent, quo fit ut etiam diuerſo modo loquantur, nam arrogantis hominis oratio timida eſt & inflata, Demiſsi, humilis & abiecta, Triſtis, ſeuera & aſpera, Vrbani, faceta & iocoſa, Ruſtici dura & inculta, Benigni comis & affabilis, Inpidi, ieiuna & maledica, Impudici laſciua & obſcœna. atque ita de reliquis. Ergo quoties Orator indignatur propter res impias & inhoneſtas, oſtendit ſe uirum bonum atque integrum eſſe, quoties innocentium miſerias & calamitates deflet, ſe humanũ & miſericordem eſſe declarat. atque his tanquam ſignis mores ſuos affingit orationi, ut bonus omnino uir appareat. hoc eſt quod ait Ariſtoteles hanc demonſtrationem a ſignis ductam, hoc eſt à moribus animi, qui ſignificantur in oratione, mores exprimere.

TEXT. *Genera autem intelligo ſingulas ætates, ut puer, uir, ſenex. & mulier, & uir, & Lacon, uel Theſſalus.*

COMM. Quia dixerat ſingula hominum genera, & ſingulos habitus ꝓpriam orationem hr̄e, nunc declarat, quæ dicantur hominum genera, & qui dicãtur habitus, genera (inquit) primũ uoco ſingulas ætates, qualis eſt puer, uir, ſenex. Oēs.n. pueri ſimul unum genus hominum conficiunt, ita oēs uiri ſimul, & omnes ſenex. neque dubitandum eſt, quin ſicuti mores ſingularum ętatum diuerſi ſunt, ut in 2 lib. docuimus, ita ēt oratio ſit diuerſa, nam alio modo loquitur puer, alio uir, alio ſenex. uitam.n. hominum in hac tres ætates Ariſtoteles diſtinguit. præterea ſexu quoque diſcernuntur hominũ genera, nam eſt genus muliebre, & genus uirile, ſi quidem alia oratio muliebri conuenit, alia uiro. denique nationes etiam ad hominum genus diſtinguendum ualent, unde dicimus Ageſilaum Laconem genere fuiſſe, Achillem Theſſalum. Ergo genera hominum tribus rebus diſtinguũtur, hoc eſt, ætate, ſexu, natione. quidam addunt conditionem ac fortunam, quoniam aliter loquitur diues, aliter pauper; & ordinem. nam mercator alio ſermone utitur, alio miles, alio agricola. ſed hæc duo potius ad habitum uidentur referenda. Horatius in Arte poetica uidetur quinque differētias ſtatuiſſe, cum ita inquit;

Intererit multum Dauus ne loquatur an Heros,
Maturus ne ſenex an adhuc florente iuuenta
Feruidus, an matrona potens, an ſedula nutrix,
Mercator ne uagus, cultor ne uirentis agelli,
Colchus an Aſſyrius, Thebis nutritus an Argis.

Prima differentia eſt in fortuna, ſecunda in ætate, tertia in ſexu, quarta in ordine, quinta in natione. ergo tribus Ariſtotelis differentiis duæ ſunt ab Horatio additæ, hoc eſt Fortunam, & ordinem.

TEXT. *Habitus uerò quibus uita hominum informatur, non enim quouis habitu uita uariatur. quare qui uerba ad habitum accommodat, is mores affingit orationi. neque.n. eadem, aut eodem modo agreſtis homo diceret, qua uir ingenuis artibus expolitus.*

COMM. Habitum hoc in loco non in tam ampla ſignificatione capi uult ut in Dialecticis capitur, hoc eſt ꝓ omni uitæ cõſuetudine ſtabili & firma, quæ nõ facile mutari poſſit. quoniam non omnis eiuſmodi conſuetudo mores euariat, ut qui ſordidas artes tractant, cætarij, lanij, coqui, fartores, piſcatores, ut ait Terentius, cæterique opifices mercenarii. nihil enim prohibet eos iiſdem eſſe moribus, quãuis diuerſos animi habitus contraxerint propter artium uarietatem. ita qui ſunt ingenuis artibus exculti, ut Grammatici, Rhetores, Dialectici, Mathematici, philoſophi poſſunt iiſdē eſſe moribus, licet hæ ſcientiæ ſint diſtinctæ. quid ergo? uolo (inquit Ariſtoteles) hoc in loco eos habitus intelligi, quibus uita hominũ informatur, & ab aliis diſtinguitur, qui uariare mores ſolent, quales ſunt eruditio, ignorantia, mercatura, agricultura, militia, cæteraque huiuſmodi. nam ſine ulla dubitatione uir eruditus alio modo loquetur quam imperitus & indoctus. eadem ratione aliter mercator quã agricola, aliter miles quam paſtor. hoc eſt, quod elegans ille poeta cecinit;

Nauita de uentis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles uulnera, paſtor oues.

Debet igitur Orator non tantum genera hominum, ſed etiam habitus reſpicere, ut ad eos uerba ſua accommodet, ſic enim facile mores oratione exprimet, hoc eſt quod etiam Horatius docet in Arte poetica.

Reſpicere exemplar uitæ, morumque iubebo
Doctum imitatorem, & ueras hinc ducere uoces.

TEXT. *Afficiuntur etiam auditores ea ratione, qua ad ſatietatem uſque utuntur ij, qui orationes ſcribũt; Quis autem neſcit? Omnes intelligunt. aſſentitur enim auditor, ueritus ne, quod cæteri omnes intelligunt, ipſe ſolus ignoret.*

COMM. Eſt quædam ratio (inquit) utilis quidem ad mouendos auditorum animos, ſed qua tamen nimis frequenter utuntur quidam oratores, qui orationes domi conſcribunt. ea uero eſt, cum oſtendimus ea, quæ dicuntur à nobis eſſe clara & aperta, & omnibus nota, uel per interrogationem hoc modo; Quis autem neſcit? Quis eſt, qui hoc non intelligat? Cui dubium hoc eſſe poteſt? Quis hoc ignorat? uel etiam ita ſine interrogatione, omnes hoc intelligunt, Omnes ſciunt. Nemo eſt, qui neſciat. nam auditor, cum has dicendi formulas audit, confeſtim aſſentitur. quoniam ueretur ne ipſe ſolus earum rerum ignarus eſſe uideatur, quas alii omnes intelligunt. fortaſſe uero notat Iſocratem, cuius erat ęmulus in arte dicendi, apud quem crebro reperiuntur hæc uerba, quę ipſe Ariſtoteles citat, ubi aduertendum eſt etiam illa, quæ ſunt laudanda, gignere ſatietatem, ſi nimis frequenter uſurpentur, unde Cicero primo de Inuentione præcipit, orationem eſſe maximè uariãdam, quoniam in omnibus rebus ſimilitudo eſt ſatietatis mater. hoc dicendi genere etiam Cicero frequẽter utitur, ut pro Milone; An uero Iudices uos ſoli ignoratis? ibidem. Quis ignorat maximam illecebram eſſe peccandi impunitatis ſpem? in Exordio librorum de Oratore. Quis autem dubitet? & paulo poſt. Quis ignorat? Sic Dido primo Aeneidos.

Quis genus Aeneadum, quis Troiæ neſciat urbem?

TEXT. *Verum figuris omnibus & opportunè & importunè uti licet. at in omni exuperantia peruulgatum eſt illud remedium. nam oportet ipſum ſe ſua uoce corrigere. tunc.n. uerum eſſe uidetur, cum orator oſtendit ſe id intelligere, quod facit.*

COMM. Nonnullos Oratores ſupra reprehendit, quod in ſcribendis orationibus ad ſatietatem uſque illa figura uterentur. Quis neſcit? Quis non intelligit? nunc addit hoc eſſe commune omnibus dicendi figuris. ut eis & opportune uti poſſimus & importune. Quod ſi nobis oriatur ſuſpi-

ſuſpicio, ne ſortaſſe uideamur in aliqua re modũ excedere, paratum eſt (inquit) illud uulgatum remedium, ut nos ipſos noſtra uoce corrigamus, & quaſi reprehendamus, quod fines exceſſerimus. ſic enim intelligent auditores, nos non per imprudẽtiam peccare, ſed præclare intelligere quod facimus, & id dedita opera facere, ut magis ueritas elucescat. hoc frequenter facit Cicero, ut pro P. Seſtio, Et ſi me attentisſimis animis ſumma cum benignitate auditis iudices, tamẽ uereor ne quis forte ueſtrum miretur, quid hæc mea oratio tam longa, ac tam altè repetita uelit, & infra. Sed elatus odio, & meo, & Reip. nomine, quorum ille utri ſit inimicior neſcio, plura dixi, quam dicendum fuit in furioſisſimum atque egentisſimum ganeonẽ. rurſus in eadem, Quæſo hoc loco iudices ne qua me leuitate ductũ ad inſolitum genus dicẽdi labi putetis. pro A. Cluentio ita ſe excuſat; Nam illud me non præterit cuiuſmodicunque mater ſit, tamen in iudicio filii de turpitudine parẽtis dici uix oportere. non eſſem ad ullam cauſam idoneus iudices, ſi hoc, quod in communibus hominum ſenſibus, atque in ipſa natura poſitum atque infixum eſt, id ego cum ad amici pericula depellenda adhiberet, non uiderem, facile intelligo non modo reũ tere homines parentum iniurias, ſed etiam animo æquo ferre oportere, ſed ego ea, quæ ferri poſsũt, ferenda, quæ taceri, tacenda eſſe arbitror. Sic igitur Orator ſemper cum ueretur, ne modum excedere uideatur, ſeipſum corrigere, excuſare, rationem cõſilii ſui reddere debet, ne per inſcitiam id facere exiſtimetur, ſed quia id ipſa cauſa poſtulat. huc pertinent illæ reiectiones, Sed quid ego plura cõmemoro? Quorſum tam multa de re minimè dubia? Quid uerbis opus eſt? ſunt enim correctiones quædam.

TEXT.

Neque ſeruanda ſemper eſt proportio, ut omnia conſentanea uideantur, ſic enim fallitur auditor. dico autem, ut ſi nomina dura fuerint, non ſemper etiã dura uoce, & uultu, & reliquis, quæ conſentanea ſunt, utatur is, qui dicit, alioquin aperta fient omnia.

COMM.

Artis præcepta ſunt illa quidem diligenter obſeruanda, ſed ita tamen ne ipſum artificium appareat, quod ab oratore callido & aſtuto ſemper debet occultari. ergo, inquit Ariſtoteles, interdũ in oratione debemus à proportione diſcedere, neque committere ut omnia ſint conſentanea, & optimè ſibi uiciſſim reſpondeant. ſic enim fiet ut auditor decipiatur, neque artem aduertat, ſed exiſtimet nos rem ipſam, perinde ut eſt, exponere, nimia. n. diligentia plerunque nocet. unde ſolebat Apelles Protogenem reprehendere, quod manum de tabula neſciret tollere. nam eſt quædam etiam diligens negligentia. ſicut in Oratore ad Brutum ait Cicero. Sed quo res manifeſtior ſit, exemplum ponit Ariſtoteles eiuſmodi. Supra dictum eſt uerba rebus eſſe accommodanda, quod omnino ſeruandũ eſt, ſed non ita tamen ut ſemper omnia proportione reſpondeant, ut ſi nomina, exempli gratia, dura fuerint, non ſemper uocem etiam duram, & uultum, & geſtum, & actionem omnem adhibere debemus, ut omnia ſint conſentanea. nam ſi hoc perpetuo fecerimus, nullo modo poterit artificium latere, ſed omnia fierit aperta, fidemq; nobis omnẽ abrogabunt: idem in reliquis ẽt rebus intelligendum, ut ne ſemper paria paribus, contraria referãtur, licet interdum maximam habeant uenuſtatẽ, & numeroſam efficiunt orationem, ſed quod nimium eſt, ſemper aures offendit.

TEXT.

Si uero aliquid ſeruatum fuerit, aliquid non, tegetur artificium, & tamen idem efficietur, uerumtamen ſi mollia duriter, aut ſi dura molliter proferantur, fide prorſus carebit oratio.

COMM.

In diſſimulatione artis magna erit utilitas, quę fiet, ſi in aliqua parte orationis ſeruetur ars, in aliqua negligi uideatur. hoc. n. modo latebit, & tamẽ orator quod uult efficiet, & finẽ ſuum conſequẽtur. nam ars uel maxima cenſetur, aſtutè ipſam artem diſſimulare. Sed tamen illud aduertẽdum eſt, ne oratio penitus à rebus diſcrepet, quod maximũ eſſet uitium, ut ſi ea, quæ mollia ſunt, duriter proferantur, aut quæ ſunt dura, molliter. neque n. hoc modo poſſet oratio fidem ullam facere, quæ à rebus ipſis penitus eſſet aliena. mediocritas igitur quædam ſeruanda eſt, ut neque omnia præcepta artis perpetuò ſequamur, neque ea prorſus contẽnamus. Semper. n. in eo, quod aut nimium, aut parum eſt, peccatum eſſe ſolet, & quod ait Horatius uerisſimum eſt.

Dum uitant ſtulti uitia in contraria currunt.
Prudens autem & callidus orator benè omnia temperabit,
Vt neque omnia, neque nihil obſeruet.

TEXT.

Ei uero, qui commouere animos quærit, conueniũt epitheta, iuncta nomina; & peregrina.

COMM.

Pollicitus fuerat ſupra ſe declaraturum ubi peregrinis & iunctis nominibus uti liceret, qđ nũc perſequitur, in ea (inqt) orationis parte, qua uolumus aĩos commouere, licebit uti epithetis, & iunctis noĩbus, & peregrinis, ut cũ irati ſumus, qđ in Piſonẽ Cic. facit, ibi. n. sũt epitheta. Et cũ iſto ore fœtido teterrimã nobis popinã inhalaſſes. itẽ, Tu ex tenebricoſa popina conſul extractus, cũ illa ſaltatrice tõſa. item, Illud funeſtum animal ex nefariis ſtupris, ex ciuili cruore ex oĩum ſcelerũ importunitate, & flagitiorum impunitate cõcretum, ubi ſunt ẽt iũcta nomina. ſicut ibi, cõtaminatũ ſpiritũ pertimeſcerem. & ibi, Et non Ceſoninus ſemiplacentinus Caluentius. Iam uero illa peregrina sũt, neque collegæ tui Cymbala ac Crotala fugi. rurſus illa, non tragico illo Oreſte; aut Athamante dementiorem putem. nã illa ẽt quæ poetica sũt, inter peregrina ponimus. ſicut ultima actione in uerrem, ut Verris ſcelera amplificet poeticè plane loquitur hoc modo; non enim Carybdim tã infeſtã, neq; Scyllã nautis, quam iſtũ in eodem freto fuiſſe arbitror. hoc etiam iſte infeſtior, quod multo ſe pluribus & maioribus canibus ſuccinxerat Cyclops alter, multo importunior. multa etiam

uerba græca & peregrina illis accuſationibus interponit.

TEXT. *Ignoſcitur enim irato ſi dixerit, ſe paſſum eſſe malum cæliuagum, aut pelorium.*

COMM. Multa uerba conceduntur iratis, quę ſi animo quieto dicerentur, reprehēſione nō carerent. q̃uis enim auditores uitium illorum uerborum agnoſcant, tamen quia putant animum iracundia præpeditum, ea proferre, non modo ignoſcunt, ſed ēt plerunque aſſentiuntur. ut ſiquis contumelia affectus, clamet ſe malum cæliuagum eſſe perpeſſum, hoc eſt, tam magnum, ut ad cœlum uſque protendatur. ſic. n. græcum uocabulum, ὑρανόμηκις, latinè ſonat, quod uno uerbo non poteſt apud nos exprimi, niſi dicam cæliuagum, ut nos uertimus, aut cęliuolū, ſed ſatis eſt, quod intelligitur, hoc eſſe nomen ex coniunctione factum, quod ſolutæ orationi minimè conuenit, niſi cum ab irato pronunciatur. alterum uerbum hoc eſt, πελώριον, peregrinum eſt, neque orationi conueniens, ut iam ſupra demonſtratum eſt. interdum etiam irati ſordida uerba uſurpant, quod ita Quintilianus 8. lib. teſtatur An cum dicit in Piſonem Cicero, cum tibi tota cognatio in Sarraco aduehatur, incidiſſe uidetur in ſordidum nomen, non eo contemptum hominis, quem deſtructum uolebat, auxiſſe? duræ etiam translationes irato conceduntur, ut in Piſonem, Atque adeo uos geminæ uoragines ſcopulique Reip. & paulo poſt; Nunquam te in tot flagitia ingurgitaſſes.

TEXT. *Et quando iam orator auditores obſederit, atque extra ſe rapuerit uel laude, uel uituperatione, uel ira, uel amicitia, ut etiam Iſocrates in Panegyrico, in extrema parte, cum ait, Famam autem, et memoriam. &, Qui quidem tolerarunt. nam extra ſe rapti oratores huiuſmodi uerba fundunt, quæ qui audiunt eodem pacto affecti recipiunt, atque approbant.*

COMM. Tempus & opportunitatem oſtendit, qua commodè posſit Orator & epithetis, & iunctis nominibus, & peregrinis uti pro arbitrio ſuo copioſe. cum (inquit) iam Orator auditores obſederit, & orationis ſuæ ui quaſi extra ſe rapuerit, ut iam nō uerba, ſed res ipſas tantum attendant, uel inſigni aliqua laude commoti, uel acri uituperatione concitati, uel ob conceptam à dicente iram inflammati, uel denique beneuolentia atque amore conciliati, tunc exultare uerborum licentia poterit, & quodam quaſi diuino ſpiritu mentes audientium ſurſum ac deorſum uerſare, quod Iſocrates in Panegyrico facit, ex eo loco ubi ita inquit, Famam autem & memoriam, & exiſtimationem, quantum oportet arbitrari, aut uiuentes habituros, aut morientes poſteris ſuis relicturos, qui in eiuſmodi negociis principatum obtinuerint? & quæ ſequuntur. rurſus in eo loco: Quis eſt enim, qui aut præſtantiores eis uiros, aut græcorum amantiores fuiſſe demonſtrare posſit, qui quidem tolerarunt oculis ſpectare, & reliqua. cum enim oratores, quodam animi impetu, & mentis uiribus excitati, & quaſi diuino ſpiritu afflati, uerba huiuſmodi fundunt, ſic auditores afficiunt, ut iam extra ſe poſiti faueant, ut admirentur, approbent, & libentiſſimis auribus accipiant ea, quæ reſtinctis animorū incendijs irriderent. huius nos rei exempla plurima multo pulcherrima poſſemus ex Ciceronis orationibus afferre, ſed paucis contenti erimus, ne prolixiores ſimus quā oporteat. ergo pro Cor. Balbo, ſic excurrit in Cn. Pompeii laudem; O nationes, urbes, populi, reges, Tetrarchæ, Tyranni, teſtes Cn. Pompeii non ſolum uirtutis in bello: ſed ēt religionis in pace, uos denique mutæ regionea imploro, & ſola terrarum ultimarum, uos maria, portus, inſulæ, litoraque. quæ eſt enim ora, quæ ſedes, qui locus, in quo non extent huius cum fortitudinis tum uero humanitatis, tum animi, tum cōſilii impreſſa ueſtigia? huic quiſquam incredibili quadam, atque inaudita grauitate, uirtute, conſtantia præditum fœdera ſcientem neglexiſſe, uiolaſſe, rupiſſe dicere audebit? nihil enim hac laude ſublimius, nihil audacius inueniri poteſt, in qua ſunt peregrina uerba, & planè poetica, & iuncta, & addita, peregrina ſunt illa Tetrarchæ, Tyranni, poetica locutio plane eſt ea, nos denique mutæ regiones imploro, & ſola terrarum ultimarum. iuncta & addita ſunt, Incredibili quadam atque inandita grauitate. in uituperatione uero pulcherrimum illud exemplum eſt pro Milone de Clodii ſceleribus, uos enim Albani tumuli, atque luci uos, inquam, imploro atque obteſtor, uoſque Albanorū obrutæ aræ ſacrorum populi R. ſociæ & æquales, quas ille præceps amentia, cæſis proſtratiſque ſanctiſſimis lucis, ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſerat. ueſtræ tum aræ, neſtræ religiones uiguerunt, ueſtra uis ualuit, quam ille omni ſcelere polluerat. tuque ex tuo edito monte Latialis ſancte Iuppiter, & cætera. Iam in Piſonem illa ſumma cum indignatione proferuntur; Meminiſti ne cœnum, cum ad te quinta fere hora cum C. Piſone ueniſſem neſcio quo e gurguſtio te prodire, inuoluto capite ſoleatum? & cum iſto ore fœtido teterrimam nobis popinam inhalaſſes, eſcuſatione te uti ualetudinis, quod diceret uinolētis te quibuſdam medicaminibus ſolere curari. quam nos cauſam cum accepiſſemus, quid enim facere poteramus? pauliſper ſtetimus in illo ganearum tuarum nidore, atque fumo. Vnde tu nos enm improbiſſime reſpondendo, cum turpiſſime eructando eieciſti. Ad amicitiam conciliandam Archiæ poetæ Cicero poetica licentia ſpirituque illo, quem entheū, uel enthuſianum appellant, illa protulit; Sit igitur iudices ſanctum apud uos humaniſſimos homines hoc poetæ nomen, quod nulla unquam barbaria uiolauit. Saxa & ſolitudines uoce reſpondent, beſtiæ ſæpe immanes cantu flectuntur, atque conſiſtunt, nos inſtituti rebus optimis non poetarum uoce moueamur? hæc enim & cętera huiuſmodi quamuis licentioſè dicta uideantur, tamen propter nouitatem, & uim eximiam ſic in admirationem trahunt audientium animos, ut faueant, proceſſumque uelint, neque inquirāt,

quod

quod reprehendant.

TEXT. *Quare etiam poeſi conueniunt, cum poeſis res quædam diuina ſit.*

COMM. Poetæ longe maiorem ſibi licentiam uſurpanr in ſcribendo quam oratores, itaque frequentius ẽt & epithetis, & factis ex coniunctione uerbis & peregrinis utuntur. poeſis enim res quædam diuina eſt, quæ à quodam furore proficiſcitur, de qua Plato in Ione multa fecit nerba. nam Democritus dixit; Muſarum fores ſine furore fruſtra pulſari. Virgilius igitur poetarum apud nos princeps & epithetis frequentisſimis utitur, ur in quarto Aeneidos, Hinc Numidæ infreni cingunr, & inhoſpita Syrtis, Hinc deſerta ſiti regio lateque furẽtes Barcæi. in 6. male ſuada fames, & turpis egeſtas. in tertio, Monſtrũ horrendũ, informe, ingens. & factis ex coniunctione, ut, Deſpiciens mare ueliuolum, &, Horrifer inuaſit Boreas. &, Armipotens belli præſes. &, Terræ omniparentis alumnis, & peregrinis, ut, Troia gaza per undas. & Meonia mentum mitra. Et, iam argiua phalanx.

TEXT. *Vel igitur hoc modo, uel cum Ironia licet huiuſmodi uerba uſurpare, ſicuti Gorgias faciebat, & in Phædro Socrates.*

COMM. Iam explicuit, quomodo ſine uitio liceat, epitheta, iuncta nomina, & peregrina uſurpare, nunc aliã addit etiam rationem, qua duo ſummi uiri Gorgias Leontinus, & Socrates utebantur. hoc eſt, ut per ironiam huiuſmodi uerba proferamus. Gorgias enim egregius orator per ironiam multa uerba innouabat, & poetica licentia utebatur, quod ẽt apud Platonem in Phædro Socrates facit, ubi ſe diuino ſpiritu afflatum ſimulans de rebus amatoriis diſſerit. qnod etiam Cicero frequenter facit ridendi gratia, ut pro P. Seſtio, ut illo ſupercilio Reſp. tã quam Atlãte cœlum niti uideretur. paulo poſt. nobilitate ipſa blanda conciliatricula commendatus. tertio Epiſtolarum, ullam Appietatem aut Lẽtulitatem ualere apnd me plus quam nirtutis ornamẽta exiſtimas? pro M. Cœlio puſio cum maiore ſorore cubitauit. in eadem oratione ridiculi gratia ita poetice loquitur de Clodia; nam nunquam hera errans hanc moleſtiam nobis exhiberet, Medæa animo ægra, amore ſæuo ſaucia.

TEXT. *At uero forma orationis neque uerſibus conſtare, neque numerorum prorſus expers eſſe debet.*

COMM. Iam ad numerum oratorium tranſit, de quo licet nonnulla tradat utiliſſima præcepta, tamen hęc pars à Cicerone longè melius & accuratius in Oratore ad Brutum pertractata eſt, ut in commentariis noſtris, quos in illud opus ſcripſimus, copioſè docuimus. longe enim maiorem uſum & experientiã habuit in oratoria facultate Cicero, quam Ariſtoteles. itaque non mirum eſt, ſi in aliquibus rebus ab Ariſtotele libere diſſentit. Omnem autem illum ornatum qui in collocatione uerborum ſpectatur, tribus in rebus conſiſtere Cicero tradit, hoc eſt in iunctura, in concinnitate, & in numero. nam ſi oratio fuerit ex uerbis bene inter ſe coniunctis, & cõcinne, & numeroſè conſtructa, tunc erit maximè laudabilis, & planè oratoria. Primo igitur ſententiam Ariſtotelis de numero oratorio uideamus, & quibus in rebus Cicero cum Ariſtotele ſentiat, & in quibus disſideat. Ait enim Ariſtoteles, formam orationis, neque uerſibus conſtare debere, neque prorſus eſſe numerorum expertem. hanc Cicero ſententiam in Oratore ad Brutum ita commendat: Sed quis omniũ doctior? quis acutior? quis in rebus uel inueniendis, uel iudicandis acrior Ariſtotele fuit? qnis porrò Iſocrati eſt aduerſatus infenſius? is igitur uerſum in oratione uetat eſſe, numerum iubet. rradunt autem Thraſymachum fuiſſe primum, qui numerum oratorium inuenerit, ſed neminem in eo genere ſcientius uerſatum Iſocrate Cicero teſtatur. perſpicuum eſt igitur numeris aſtrictam orationem eſſe debere, carere uerſibus.

TEXT. *Illud enim orationi fidem adimit, quoniam artificioſè ficta eſſe uidetur, & ſimul auditorem auertit à cauſa, facitque ut attendat, quando ſimile aliud iterum ad aures accedat. Sicuti pueri ſolent præconem præoccupare, quem ſibi patronum adoptet is, qui manumittitur, ut Cleonem.*

COMM. Rationem affert, quare non debeat oratio conſtare uerſibns. ex ea nanque duplex incommodum conſequitur. primnm quia ralis oratio perſuadere nullo modo poteſt. qnoniam præmeditata & artificioſe conficta eſſe uidetur. atque ita creditur eſſe, inſidiarum plena. quæ res à facienda fide alieniſſima eſt. Alterum quia menrem auditoris auertit ab ipſa cauſa, & allicit ad ipſas numerorum feſtiuitates conſiderandas, itaque dum occupatus eſt auditor in attendendo illo inani artificio, uerborumque lepore & concinnitate, rem ipſam nõ animaduertit, atque omnẽ affectnm abijcit ex animo, hoc eſt quod ait Cicero, Detrahit præterea actionis dolorem, aufert humanum ſenſum actoris, tollit funditus ueritatem & fidem. in hac re Perſius etiam Pedium quendam Oratorem ridet, qui nimis erat Oratoriis numeris deditus, & ita eos librabat, ut eodem modo ſemper ferè caderent, quo nihil in oratione uitioſius eſſe poteſt, ſic enim ait;

Fur es, ait Pedio, Pedius quid? crimina raſis
Libras in antithetis, doctas poſuiſſe figuras
Laudatur.

Vtitur antem Ariſtoteles uenuſta, & appoſita ſimilitudine, ur oſtendat, quam uitioſum ſit in oratione uerſum ſectari, & efficere, ut clauſulæ frequẽter eodem modo finiantur. Idem, inquit, efficiunt auditores, cum orationem uerſibus conſtantem audire cœperint, quod plerunque pueri in foro cum præconem publicè aliquid enunciantem andiunt, nam propter conſuetudinem edictorum, quæ publicari ſæpe audierunt, præconis uerba præoccupant, & ipſi uerbis ſuis præcurrunt, & cum riſu prædicunt ea, quæ deinceps præco dicturus eſt, quod etiam hoc tempore fieri à pueris notiſſimum eſt. erat aũt ea cõſuetudo apud antiqnos ut cũ aliquis ſeruus publice manumitteret, ipſe ſibi patronũ aliquẽ adoptaret, in cuius patrocinio & clientela deinceps uiueret. præco autem elata

noce clamabat exempli gratia, Danus à Cleone manumiſſus eſt, & ſibi poſthac eundem Cleonem patronum adoptat. pueri igitur hunc morem & cõſuetudinem intelligentes, cum uerba præconis audiunt, clamantis, Dauus, a Cleone manumiſſus eſt & ſibi poſthac eundem, non expectant ut præco finiat, ſed ipſi ſuccinunt, Cleonem patronum adoptat, eodem modo (inquit Ariſtoteles) auditores, cum numeroſam orationem audiunt, quaſi ex uerſibus conflatam, & iam clauſulam unam aut alterã uerſu finientem audierint, ſtatim ipſi animo ſubſequentem clauſulam præoccupant, & quadam inani lætitia perfuſi, uerba tantum, non rem attendunt.

TEXT. *Hoc autem genus orationis, quod eſt numerorum expers, fine caret, neque cõſiſtit. oportet autem aliqua terminatione concludi, non tamen metrica. nam inſuaue eſt, & obſcurum, quod non terminatur.*

COMM. Alterũ genus orationis, quod numero caret, omnino eſt uitioſum, ut copioſè Cicero docet in Oratore. nam oratio quæ numerorum expers eſt, aut eſt infracta & amputata, aut inanis, aut incondita; aut curta, aut claudicans, aut redundans, quæ omnia uitia numerus emendat. & efficit, ut apta, & finita pronuncientur, ut oratio impleatur, ut elegãs ſit uerborum ſtructura, ut plenum habeat orbem ſuum, ut certo ordine cõtinuetur, ut nihil ſuperuacaneum adijciatur. Sunt igitur ſex uitia orationis numero ſpoliatæ. quæ omnia uno uerbo comprehendit Ariſtoteles, cum ait, quod numero caret, eſſe ἀπέραντον hoc eſt non certo fine terminatum. nã oportet omnino ut finem habeat, & inſiſtat oratio; ita tamen, ut in metrum non deſinat. quod.n. non apte finitur atque terminatur, duo maxima in ſe uitia continet. nam primo inſuaue eſt atque moleſtum & aures offendit, quarum ſenſus eſt faſtidioſiſſimus; deinde obſcuritatem gignit, & tenebras animis offendit, ut non facile poſſint aduertere, quando ſententia terminetur. mediam igitur uiam tenere oportet, ut neque uerſus in oratione ſit, neque ita numeris priuetur, ut non aptè cadat, neque bene conſiſtat.

TEXT. *Omnia quidem numero finiuntur, ſed is numerus, qui in orationis forma ſpectatur, rhythmus eſt, cuius etiam metra partes ſunt. quo fit ut oratio rhythmum quidem habere debeat, non autem uerſum; alioquin eſſet poema: neque tamen exquiſitè rhythmum ſeruare oportet, ſed quadamtenus.*

COMM. Quam poſſet aliquis obijcere, nullam orationẽ eſſe numerorum expertem, quoniam omnis oratio eſt finita, & quicquid finem habet, id etiam ut numerum habeat, neceſſe eſt. quandoquidem omnia numero finiuntur. concedit quidem omnia numerõ finiri, Si numerus generatim capiatur. Sed quia uariæ ſunt numerorum ſpecies, definit, quam ipſe ſpeciem hoc loco intelligat, & ei nomen proprium aſſignat. loquor (inquit) de eo numero qui in modo & figura orationis ſpectari ſolet; qui proprio nomine rhythmus dicitur. uerum ſub rhythmo continetur, & oratorius & poeticus numerus, unde metra, & carmina omnia ſunt rhythmi partes ſiue ſpecies. hoc eſt igitur quod dicimus orationẽ debere quidem rhythmum habere, nõ autem uerſum. nam ſi uerſus in oratione fuerit, nõ amplius ſoluta oratio erit, ſed poema potius. neque tamen exquiſitè & accuratè opus eſt in oratione, rhythmum obſeruare, ita ut omnes orationis partes certis pedibus conſtent, ſed tantum ex quadam parte, ut initio periodorum, & in clauſula. nam in principio ſatis eſt unum aut alterum obſeruare, in fine uero duo atque etiam tres pedes diligẽter aduertendi ſunt, quod ita Cicero præcipit in Oratore; Sed hos cum in clauſulis pedes nomino, non loquor de uno pede extremo, adiũgo quod minimũ ſit, proximum ſuperiorem, ſæpe etiam tertiũ. hoc eſt quod ait Ariſtoteles quadãtenus tãtum numeros eſſe in oratione ſeruandos.

TEXT. *Ex numeris autem herous grandis eſt, & elegans, & indigens harmonia. iambus autem ipſa eſt imperitorum oratio, ideo ex omni genere carminum, in iambica maximè loquentes incidunt, oportet autem orationem plenam eſſe grauitatis, & in admirationem inducere.*

COMM. Hic locus torſit ingenia multorum hominum eruditiſſimorum, quoniam in ſe maximam difficultatem habet, itaque alii aliter interpretantur. Sed nos optimi præceptoris M. Tullii Ciceronis ſentẽtiam ſequemur, qui mihi unus uidetur mẽtem Ariſtotelis intellexiſſe. quamuis Petrus Victorius Ciceronem uexet & concidat; primo quod ipſe ſibi cõtraria ſcripſerit; deinde quod Ariſtotelis ſenſum non perceperit, qua in re planè ipſe Victorius decipitur, neque Ariſtotelem, neque Ciceronem intelligit, ut paulo poſt luce clarius apparebit. nam Vincentium Magium doctiſſimum Philoſophum & olim præceptorem meum, rogatum uelim, ut ſiquando noſtros hos commentarios legerit, æquo animo ferat, me nullo modo probaſſe huius loci correctionem, qua ipſe utitur in commentariis ſuis, quos erudite ſcripſit in Poeticam Ariſtotelis. nam fas eſſe non arbitror, tam liberè uerba mutare in antiquis ſcriptoribus, ut ipſe facit. illud autem omni ratione probo, atque affirmo, quod idẽ Magius contra Victorii ſententiam ait, Ariſtotelem exiſtimare numerum heroum eſſe grauem, & aptum orationi. Sed quæ præterea adiungit, non ſatis mihi faciunt. Itaque dicam ego prius quod ſentiam, deinde Ciceronem a calumnia Victorii defendam. Cum de numeris orationis tractaturus eſſet Ariſtoteles, cogitauit quatuor eſſe potiſſimum rhythmorum genera quæ poſſunt orationẽ ingredi, hoc eſt heroum, iambicum, trochaicum, & pæanicum, de his igitur quatuor ſententiam ſuam tulit. ac primo quidem de heroo, quem Dactylum eſſe Quintilianus exiſtimat, melius autem Cicero, non tantum Dactylum, ſed etiam Spondæum, & Anapeſtum inter heroos numeros collocat, quoniam hi tres pedes paria habent interualla, ut poſtea docebimus. ait igit Ariſtoteles, numerũ heroũ eſſe quidẽ grãdẽ & elegãtẽ & aptũ ad

orato-

oratoriam granditatem & maieſtatem, ſed tamen harmonia, & temperatione aliorum pedum humiliorum indigere. nam herous per ſe numerus nimis altam & exaggeratam orationem efficit, & exametrorum magniloquentiæ eſt accommodatior. quod ſi reliquorum numerorum harmonia tẽperet, qua in ſoluta oratione maximè indiget, tũc grandem & elegantem efficiet orationem, atque talem ut in admirationem facile auditores inducat. Iambicum autem numerum penè contemnit, quod imperitorum ſermoni ſimillimus ſit, & idcirco ait, iambum eſſe ipſam imperitorum orationem. quod ea ratione probat, quoniam in quotidiano ſermone, non in aliud carminum genus, quam in iambicum frequentius homines incidunt, atque hac de cauſa comœdiæ & tragœdiæ, in quibus inter ſe perſonæ familiariter colloquuntur, & eo modo, quo populariter fieri ſolet, ex iambicis numeris conſtruuntur. Sed oportet in dicendo granditatem efficere, & auditores in admirationem adducere, cui rei iambicus per ſe numerus non eſt accommodatus, quare ad heroi temperationem eſt confugiendum, qui eſt amplus & grandis ut iam dictum eſt. neque ſanè trochaicus numerus per ſe conuenit orationi, quoniam nimis incitatus eſt & lubricus, propter ſyllabarum contractionem & breuitatem; ideo ſaltationibus laſciuis eſt aptior. ſupereſt igitur unus pæanicus numerus, qui per ſe orationi poſſit accommodari, quoniam ex eo uerſus non efficitur, & tamen oratio repletur atque artificium tunc maxime latet, cum pæanico numero orator utitur. Quocirca numerus hic aliis omnibus eſt anteponendus. Nam reliqui ſi continuentur uerſum efficiunt, quo fit, ut eorum continuatio uitanda ſit, ut ſi duos aut plures dactylos uel iambos uel trocheos Orator contexuerit, in uitium incidet. pæan autem continuari poteſt, quoniam nunquam eſt periculum, ut ex eo uerſus efficiatur. Hæc eſt, ut ego quidem arbitror, tota de numeris oratoriis Ariſtotelis ſententia, quam maiori ex parte Cicero probat, ut iam oſtendemus. prius enim Ariſtotelis uerba ſunt conſideranda, quæ parum cautos in errorem facile poſſunt inducere, nam primo numerus herous σεμνὸς dicitur, quod proprie uenerandum & ſublimem ſignificat, ſiquidem à uerbo σέβω deriuatur, ut uult Euſthatius libro quarto Iliadis, quod uerbum ad cultum deorum pertinet, unde & σεμναὶ θεαὶ idest, uenerandæ Deæ apud Athenienſes dicebantur Eumenides, ſed ad alias etiam res transfertur, ut χρῶμα σεμνὸν uenerandus aſpectus, & honeſta facies. σεμνολόγος oratio grauis & ſublimis, unde Xenophon in conuiuio compoſitum uerbum protulit, σεμνολογεῖν, quod ſignificat, graui oratione uti. & σεμνοπρέπεια ſicuti Budæus interpretatur latine uenuſtas eſt ſermo & grauis & lepidus ſciteque compoſitus: ſic appellat Halicarnaſæus rhythmos Iſocratis; atque hac in ſignificatione capitur hoc in loco, σεμνὸς ut ſignificet Ariſtoteles heroum numerum ad orationem grauem pertinere, quod apertiſſimè declarat illud, quod poſtea ſequitur, δεῖ δὲ σεμνότητα γενέσθαι quod nos ita uertimus. oportet autẽ orationem plenam eſſe grauitatis, quia ſic optimus magiſter Cicero locum hunc intelligit, cum in Oratore ſic ait; plenam tamen eam uult eſſe grauitatis, ex quo facile poteſt intelligi, quantopere decipiatur & Victorius, & Franciſcus Robortellius. qui putant heroum numerum penitus ab Ariſtotele repudiari. cum primo dicat Ariſtoteles, heroũ eſſe σεμνόν. i. grauem, paulo poſt præcipiat; σεμνότητα γενέσθαι hoc eſt, grauitatem orationi adhibẽdam, quod quis non uidet, idem eſſe, ac ſi diceret, admittendum eſſe numerum heroũ in oratione? certè miror in re tam aperta, tam eruditos uiros fuiſſe hallucinatos. cum præſertim apud Hermogenem legere potuerint, quibus rebus & modis σεμνὸς λόγος. i. grandis oratio fieri poſſit. cum enim docuiſſet Hermogenes orationem de Deis immortalibus & de rebus diuinis atque humanis quæ magnitudinẽ habeant eſſe grandem & quibus figuris, quo genere dicendi, quibus uerbis oratio illa conſtet, oſtendiſſet, tunc demum adiũxit, dactylium, & anapeſticum numerum huic potiſſimum grandi orationi conuenire, qua in re profectò cum Ariſtotele ſentit. quid quod in ſubſequenti uocabulo tantopere laborant & Victorius, & Magius, ut non ſe ſatis extricare poſſint? concludantque locum eſſe omnino deprauatum? cum tamen mihi res eſſe facillima uideatur, neque ullum eſſe mendum in ſcriptura. quid autem eruditos uiros mouerit, ut tantopere dubitarent, aperiendum eſt. neque enim ſine magna cauſa dubitarunt. nam λεκτικὸς dicitur hoc in loco numerus herous ab Ariſtotele, quod uocabulũ potius humile quiddam, ac demiſſum, quã graue & amplum ſignificare uidetur, cum præſertim idem Ariſtoteles in Arte poetica iambicũ uerſum omnium maximè λεκτικὸν eſſe dixerit: cuius hæc ſunt uerba; μάλιστα γὰρ λεκτικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖον ἐστι quæ ſic uerti commodè poſſunt. iambicum n. maximè omnium carminum in orationem cadit. Cicero ſic ait in Oratore; Et ſunt, qui iambicum putent, quod ſit orationi ſimillimus. itaque quod Ariſtoteles λεκτικὸν dixit, Cicero uertit, orationi ſimillimum. hoc autem in loco iambum Ariſtoteles repudiat, quod nimis e uulgari ſermone eſſe uideatur. quod ſi iambicus numerus maxime omnium λεκτικός eſt, ut in Arte Poetica dixit Ariſtoteles, & humilis atque nimis e uulgari ſermone, quomodo fieri poteſt, ut herous numerus λεκτικὸς dici poſſit, cum ſit amplus & grandis, & omnino diuerſus à iambo? Hac ratione motus primo Victorius putat hoc in loco deeſſe negationem, quam ipſe uult adiungi, ut dicatur, ἀλογικὸς quaſi non aptus orationi, atque hoc auctoritate Demetrii probare contendit, qui numerum heroum ἀλογικὸν eſſe dixerit, ut ſit idem λεκτικὸς apud Ariſtotelem, quod λογικὸς apud Demetrium. Magius uero noſter audacius tres dictiones immutat, atque ita legendum cenſet; ὁ μὲν ἡρῷος σεμνός, ἀλλὰ λεκτικῆς ἐστιν ἁρμονίας δεόμενος ut ſit ſenſus; herous quidem grauis eſt, & hac ratione aptus orationi, ſed cum careat harmonia

monia ſoluti ſermonis, redditur eidem ineptus. Ego uero non temere mutandam eſſe lectionem Ariſtotelis exiſtimo, cum in omnibus exemplaribus ita legatur καὶ λεκτικὸς, atque hæc lectio cum Ariſtotelis ſententia optimè quadret. neque enim abſurdum eſt, aut inconueniens, ut quamuis iambicus, & herous numerus inter ſe plurimum diuerſi ſint, tamen uterque λεκτικὸς dicatur, ideſt aptus orationi, ſed diuerſa ratione. nam iambicus ideo uocatur λεκτικὸς, quod paſſim ab omnibus uſurpatur, & in omnium orationem cadit. & quotidiano ſermoni ſimillimus eſt, herous autem numerus alia ratione λεκτικὸς appellatur, quod ſcilicet elegantem & uenuſtam orationem reddat, ſi cum Iambo, reliquisque numeris quadam harmonia temperetur. nam propter ſublimitatem ſuam hic numerus; in ſoluta oratione ſolus poni non debet quoniam harmonia ſemper ac modulatione temperationeq; aliorum numerorum indiget. quod ſi ſolus proferatur, ſine reliquorum harmonia, tunc nimis altam & exaggeratam orationem efficiet. eſt igitur herous, λεκτικὸς quidem & aptus orationi, ſed indiget harmonia. neque dubitandum eſt, quin λεκτικὸς ſæpe bonam in partem capiatur apud Græcos. eſt. n. idem ferè quod apud nos diſertus & elegãs. quod interdum ponitur pro eo, qui multum loquitur, & ſi humilis ſit & impolita, uel non ſatis exculta oratio, ut Horatius; Fœcundi calices quem non fecere diſertum? & Catullus, Eſt enim leporum, Diſertus puer & facetiarum. interdum uero pro eo, qui polite uenuſteque loquitur, ut, M. Antonius cognomẽto diſertus fuit appellatus; ita λεκτικὸς apud Græcos pro diſerto, & eleganter loquente frequenter ponitur, unde λεκτικώτατος ſuperlatiuũ nomen apud Xenophontem pro diſertiſſimo reperitur, ut Iulius Pollux libro ſecundo capite de uoce annotauit, qui etiam apud Demoſthenem λεκτικὸν inueniri tradit. Idem Pollux libro quarto capite de Theatro inter perſonas puellarum ponit etiam λεκτικήν, quam depingit, benè comatam, flauis capillis, & cãdido colore. λεκτὸς autem unde λεκτικὸς deriuare uidetur, ſignificat elegantem & præſtantem uirum, unde λεκτοὶ dicũtur ἄριστοι ideſt optimates, & principes in ciuitate, ſicut ait Phauorinus. Quin Heſychius ita ſcribit, λεκτόν, ὡς ἐγχωρεῖν. quaſi penè ſit idem, quod ſecundo loco ponit Ariſtoteles, cum eo, quod primo loco poſuerat, ut herouum grauem & elegantem eſſe ſignificet, ſed ea uerba ſubiungit, καὶ ἁρμονίας δεόμενος, ideſt, & indigens harmoniæ. quæ ego lõge aliter interpretor, quam Victorius. is enim multa turbat, & inuoluit, ſed nihil affert, quamobrem hic locus apertior fiat, quin peruerſè interpretatur. putat enim Ariſtotelem, ſignificare, herouum eſſe penitus uacuum à numero quẽ, libenter recipit ſoluta oratio. & ideo dici egere harmonia, quod ubi ea non ſit, non ualde accommodatus eſſe poſſit. tuncque uigeat cum harmoniam coniunctam habet, quæ (inquit) proſæ orationi comes non eſt, ſed poematum propria, unde, ait, parum aptus eſſe intelligitur orationi ſolutæ. hæc Victorius, qua in ſententia uidentur etiam reliqui interpretes fuiſſe, uerum ego harmoniam hoc in loco non ad uarios in cantu ſonos referendam arbitror, ſed ad orationis compoſitionem, & numerorum temperationem. ſicut enim harmonia non ex uno aliquo ſono, ſed ex plurium ſonorum uaria cõpoſitione conficitur, ita numerus oratorius non ex heroo tantum conſtare poteſt, quia nimis altus & ſublimis eſt, ſed eget harmonia & temperatione ut cum reliquis humilioribus miſceatur, & ea uarietate mentes auditorum oblectet, & orationem plenam grauitatis efficiat. Quis enim neſcit harmoniam non ex uno tantum ſublimi ſono, qualis eſt herous numerus conſtare poſſe? ſed ex acutis & grauibus & mixtis ac temperatis confici ſolere, ut omnes inter ſe bene congruant? quid porro eſt harmonia, niſi diſſimilium concordia? quod ita Quintilianus libro primo teſtatur, Nec illa modo contenti diſſimilium concordia, quam uocant harmoniam. cum igitur ait Ariſtoteles herouum numerum egere harmonia, idem eſt ac ſi dixiſſet, egere diſſimilium concordia, & permixtione aliorum numerorum, quoniam per ſe nimis eſt elatus & grandis. harmonica enim ratio cogit rerum naturam ſibi ipſam congruere, ut ſecundo libro Plinius teſtatur. Itaque ſi harmonica ratione herous hic numerus in oratione collocatus fuerit, & aliorum numerorum uarietate temperatus, ſublimem, grandem, plenam admirationis orationem reddet, qualem hoc loco uult eſſe Ariſtoteles: & qualem M. Antonius apud Ciceronem libro de Oratore ſecundo oſtendit, cum ita inquit; Quis enim cantus moderata orationis pronunciatione dulcior inueniri poteſt? quod carmen artificioſa uerborum concluſione aptius? Quid? quod multi exiſtimant herouum numerum etiam in iis, quæ demiſſo atque humili ſermone dicuntur, maxime conuenire, præſertim ſi iambico temperetur? quod Comici tum Græci, tum Latini uiderunt, apud quos heroici numeri frequentiſſimè uſurpantur. quod ideo fieri Terentianus exiſtimat, ut quæ loquuntur e uulgari ſermonis conſuetudine ſumpta uideãtur. ſic enim de hac re ſcribit: Sed qui pedeſtres fabulas ſocco premunt, ut quæ loquuntur ſumpta de uita putes, uitiant iambum tractibus ſpondaicis. Quin etiam Aſconius Pedianus ait a comicis ea de cauſa dactylos pedes in iambicis uerſibus frequenter poni ſolere, quia quotidianum ſermonem imitari ſtudent. quod noſtrum Ciceronem non fugit, qui dactylum & amplioribus & humilioribus accommodatum eſſe cenſet, modo cum aliis numeris miſceatur. quæ ſiquis diligentius aduertat, intelliget profecto uel nihil omnino, uel certe parũ hac in re Ciceronem ab Ariſtotele diſcrepare, cum Ariſtoteles, ut nos interpretamur, aptum quidem orationi numerum herouum eſſe cenſeat, cum λεκτικὸν appellet, ſed harmonia, & temperatione permiſtioneque cæterorum numerorum egere dicat. At dicet aliquis, ſi numerus herous ab Ariſtotele probatur, cur illi pæanem anteponit? & cur

non,

non ita multo poſt ait, eum & duos reliquos iambicum & trochaicum eſſe dimittendos? atqui duabus his quæſtionibus iam à nobis ſupra reſponſum eſt, pæanem ea de cauſa præter cæteros ab Ariſtotele probari, quia numerus per ſe ſatis plenus eſt, & continuari poteſt, ut uerſum nunquam efficiat. quod reliquis non accidit, Iambus enim & dactylus (ait Cicero) in uerſum cadũt maximè. itaque ut uerſum fugimus in oratione, ſic hi ſunt euitandi cõtinuati pedes. quibus in uerbis Cicero multo optimè ſententiam Ariſtotelis interpretatus eſt. cum enim præcipit Ariſtoteles ut heroum, iambicum, & trochaicum numerum dimittamus, non ita capiendum eſt, quaſi penitus abijciendi ſint hi numeri, ſicuti Victorius exiſtimat, alioqui mutos fieri oporteret. cum in omnẽ orationem & dactylus, & iambus, & trochæus cadat, & horum omnium maximè iambus, ut ipſemet Ariſtoteles teſtatur. ſed intelligendum eſt ab Ariſtotele præcipi, ut in continuationẽ dimittantur, & continuati uitentur, ut rectiſsimè uertit in Oratore Cic. & tertio de Orat. Craſſus, qui ita inquit, Iambum & trochæum frequentem ſegregat ab Oratore Ariſtoteles. & hæc eſt cauſa quoniam continuati uerſum efficiunt, & eam temperationem atque harmoniam, quam requirit oratio, nõ habere poſſunt, ſi ſinguli per ſe proferantur. nam herous per ſe grandior eſt, quam deſideret ſoluta oratio, iambus humilior & abiectior, trochæus incitatior & laſciuior. Iam igitur (ut opinor) ſatis explicata eſt à nobis Ariſtotelis ſententia de numeris oratoriis. reliquum eſt, ut etiam Ciceronem à Victorij calumnia defendamus. nam duabus de rebus grauiſsimis auſus eſt Victorius Ciceronem non minus omnium apud nos doctrinarum, quã eloquentiæ parentem accuſare. primo enim leuitatis & inconſtantiæ grauiſsimum omnium uirũ accuſat, quod ſibi ipſe contrarius ſit, ac pugnantia dicat, deinde ignorantiæ doctiſsimum hominem quod Ariſtotelis ſententiam non intelligat. Sed qua in re primo ſibi contrarius eſt Cicero? Quod (inquit) tertio de Oratore Craſſus de Ariſtotele uerba faciens, ita inquit; Quare primum ad heroũ nos dactyli, & anapeſti, & ſpondæi pedem inuitat. in Oratore uero ad Brutum ſic ait; Quod longe Ariſtoteli uidetur ſecus, qui iudicat heroũ numerum grandiorem quàm deſideret ſoluta oratio. certe hæc primo aſpectu parum accuratè Victorio conſideranti, contraria uiſa ſunt, ſed ſiquis diligentius aduertat, nullam penitus in eis repugnãtiam inueniet, & iſtam Victorij calumniam ex eo natam, quod neque Ciceronis, neque Ariſtotelis ſententiam ſit aſſecutus. Nam tertio de Oratore, Craſſus ex Ariſtotelis uerbis hunc ſenſum ueriſsimum elicit, vt nos quidem Ariſtoteles ad heroum numerum inuitet, ſed tamen ei pæanẽ longe præponat. quod illis uerbis apertè declarat: probatur autem ab eodem illo maximè pæan. in Oratore vero ad Brutum ſentit idẽ omnino. nã oſtendit, quẽadmodum Ariſtoteles heroum numerum cũ iambo comparet, & heroum grandiorem quidem iudicet, quam oratio ſoluta poſtulet, iambum autẽ nimis humilem & è uulgari eſſe ſermone. quoniã oratio neque abiecta eſſe debet, neque nimis alta. ſed tamen eam uelit eſſe plenã grauitatis, ut eos, qui audient, ad maiorem admirationem poſsit adducere. quid eſt quæſo, quod ait Ariſtoteles, uelle plenam eſſe grauitatis orationem, niſi nos ad heroum numerum inuitare? deinde quid ſibi uult illa particula aduerſaria, plenam tamẽ? nonne corrigit id, quod ante dixerat? hoc eſt, heroum grandiorem quidem eſſe, quam ſolutæ orationi cõueniat, ſed tamen admittendum, ut plena grauitatis fiat oratio? alioqui quomodo in admirationem ducet audientes, niſi fuerit alta & exaggerata? Quid præterea? nonne idem adiungit Cicero ad Brutum, quod tertio de Oratore Craſſus dixerat? pæanem ab Ariſtotele maxime probari? qua igitur in re ſibi contrarius eſt? equidem non uideo, niſi quod Victorius, cui propter uariam eius eruditionem alioqui faueo, libenter, non aduertit quid Ariſtoteles & quid Cicero ſenſerint. Cicero inquit, heroum numerum credidit omnibus locis ab Ariſtotele laudatum & alijs numeris præpoſitum, nõ animaduertens accuratè quid de illis Ariſtoteles præciperet. ubi hoc ait Cicero? ubi tu hoc in Ciceronis operibus expiſcatus es? nam neq; in tertio de Oratore, neque in Oratore ad Brutum hoc dicit, cum in utroque loco dicat pæanem ab Ariſtotele maximè probari. neque ſane in reliquis Ciceronis operibus tale quicquam inueni, ut Cicero diceret, ab Ariſtotele numerum heroum præter cæteros in oratione fuiſſe commẽdatum. tu ſi nouum aliquod Ciceronis opus habes, ubi hoc dicat, illud proferre debes ſed nimirum error tibi accidit ab illo aduerbio, primum, quod ita Craſſus tertio de Oratore dicat; Quare primum ad heroum nos dactyli, & anapeſti & ſpondæi pedem inuitat, neque aduertiſti, non ad præſtantiam numerorum, ſed ad hunc locum Ariſtotelis aduerbium illud referri: nam Ariſtoteles primo loco de heroo mentionem facit, cum ita inquit; Ex numeris autem herous grauis eſt, & elegans, & harmoniæ indigens, ſed non ita multo poſt, pæanem omnibus antepoſuit. primum igitur, hoc eſt primo loco, nos ad heroum pedem Ariſtoteles inuitat, ſed deinde pæanem maximè probat. Verum ait Victorius, hos pedes heroos Ariſtoteles aperte fugiendos eſſe præcipit, imo uero hoc aperte falſum eſt, nam ad heroum numerum primo nos inuitat, ut iam copioſe docuimus, deinde cum de pæane uerba facit, qui ſolus in oratione cõtinuari poteſt, ait reliquos illis de cauſis eſſe dimittendos, quas iam commemorauerat, hoc eſt heroum propter granditatem, iambum propter humilitatem, trocheum propter laſciuiam. & præterea quoniam ex illorum continuatione uerſus efficitur, non igitur penitus cenſet eſſe fugiendos, quod fieri nullo modo poteſt, ſed, ut optimè Cicero interpretatur, uitandam eorum ſingulorum eſſe continuationem, quę uitia

illa continet, quæ ſæpe iam dicta ſunt. cum enim heroum numerum, aut iambicum, aut trochaicū iubet Ariſtoteles eſſe dimittendum, non ita capere debemus, quaſi unum pedem heroum, ut dactylum, aut unum iambum, aut unum trochæum fugiendum eſſe præcipiat, quod nimis imperitè Victorius exiſtimat, ſed numerum conſtantem ex multis pedibus herois, aut ex multis iambis, aut ex multis trochæis, qui numeri ſunt omnino in oratione uitioſi propter cauſas ſuperius commemoratas. numerus autem pæanicus etiam ſi continuetur, atque ex pluribus pæanibus conſtruatur, non tamen habebit ea uitia, quæ reliqui pedes cōtinuati ſubeunt. atque ita Cicero ſenſum Ariſtotelis optimè percepit, & luculentiſſime interpretatus eſt, & ubique ſibi conſtat. & à Victorio iniquiſsimè accuſatus eſt. Hæc adeo pluribus agere uolui tribus de cauſis, primo, ut Ariſtotelis mentem à nullo adhuc interprete (quod ſciam) benè perceptam, dilucide explicarem, deinde, ut Ciceronem ab iniuſtiſsima Victorij accuſatione, atq; calumnia liberarem, Tum ut à præceptore meo Vincētio Magio ſummo philoſopho palmam acciperem, quam ille ſuis in commentariis in Artē poeticam Ariſtotelis mihi pollicitus eſt, his quidem uerbis; Quod ſi quiſpiam me nimis in immutandis uerbis cōtextus audacem affirmet, ſciat is, me libenter illi palmam conceſſurum, qui abſque literæ immutatione, uel abſque propriæ uocum ſignificationis euerſione locum hunc Rhetoricæ fideliter explicuerit. hæc enim (ut opinor) omnia nos præſtitimus, licet ille neminem fore putauerit. Cum hæc literis mandaremus editi ſunt in lucem de Numero Oratorio libri quinque, quos Iouita Rapicius benè ſanè atque eleganter conſcripſit. eos equidem ego ſtatim ſumma cum auiditate perlegi. ut uiderem ſiquid in eis eſſet, quod hos commentarios noſtros auctiores efficere poſſet. atque in eorum ſecundo reperi Iouitam ipſum penè cum Victorio ſentire ſuper huius loci interpretatione. ſed ita Ciceronem excuſare, quod tertio de Oratore ſub L. Craſſi perſona loquatur, ut non ſententiam ſuam proferat, ſed ut, quid Craſſo placeret, oſtendat. amauit enim (inquit) L. Craſſus membra & periodos heroo numero claudere, & cum numerum putauit alijs anteponēdum, quod ut uideretur aliqua ductus auctoritate feciſſe, Ariſtotelis uerba ad opinionis ſuæ confirmationem trahere poterat, aut forſan trahebat. ut ſiquid peccatum eſt in uerborum Ariſtotelis interpretatione, id Craſſi culpa non Ciceronis intelligamus eſſe commiſſum. At uero circa finem eiuſdem libri quaſi ſeipſum emendans, quod fortaſſe melius rem cogitauerat, uel poſtea commētarios noſtros in Oratorem ad Brutum uiderat, ubi de hac eadē re multa diximus, primo Terentiani uerſus, quos ego paulò ſupra citaui, recitat, deinde hæc uerba ſubiungit; Ex his apparet Terentianum intelligere ſpondaicos tractus, in quibus non ſpondæus eſt ſolus, ſed ij quoque qui pares ſunt ei temporibus. Dactylus, Anapæſtus, proceleuſmaticus, ſermonibus uulgi eſſe accommodatos. quod ipſum Aſconius quoque ſenſit, qui ait Comicos poetas illa quoque loca quæ iambo debebantur Dactylicis pedibus occupaſſe, dum quotidianum ſermonem imitari uolunt. & à uerſificationis obſeruatione ſpectatorem ad actum rei conuertere, ut nō fictis, ſed ueris affectibus intereſſe uideatur. quibus uerbis hic quoque Dactylum quotidiano ſermoni aptum eſſe declarat. quare uix adduci poſſum ut credam non uidiſſe Ariſtotelem quod Comici & grammatici uiderint. quod Cicero intellexerit, & memoriæ prodendum putauerit; quod denique uſus ipſe comprobarit. ſed cū heroū *σεμνὸν* appellet, & *λεκτικὸν*, hoc mihi uidetur dicere quod Cicero ait, & amplioribus, & ijs, quæ demiſſa ſūt eſſe idoneum. ut quamuis ſeſcuplę proportionis pedes aliis anteponat, heroos tamē non repudiet, ac ne iambum quidem ac Trochæum penitus ab oratore ſegreget, ſed frequentem eſſe uetet. quod Craſſus uidetur intellexiſſe cum in tertio de Oratore inquit; iambum & trochæum frequentem ſegregat ab Oratore Ariſtoteles Catule ueſter. non enim iambum & Trochęum ſimpliciter, ſed iambum & trochęum frequentem dicit, ut Ariſtoteles non omnino hos ablegarit, ſed monuerit cauēdum eſſe ne crebri eſſent, ne percuſſiones eorum inſignes uerſum facerent, & orationem nimis humilem. Quibus Rapicij uerbis perlectis uehemēter ſanè gauiſus ſum, quod eruditus uir & elegans tandem in ſententiam meam deſcendiſſet. atque idcirco etiam eius uerba huc aſcribere mihi libuit.

At uero trochæus Cordaci aptior eſt, quod apertè tetrametra declarant, in quibus numerus incitatus eſt, & lubricus. TEXT.

Trochaicus (inquit) numerus ſolutę orationi minime conuenit. cum potius laſciuis & mollibus ſaltationibus quę cordaces uocantur aptior. COMM. hoc autem intelligi poteſt ex eo, quod carmina tetrametra, quæ in choręis & ſaltationibus adhiberi ſolēt, ex hoc numero conſtant, qui quidē incitatus & lubricus eſt, & rotato quodam curſu defertur, unde etiam nomē habet. *τροχὸς* enim rotam ſignificat, à quo uocabulo Trochęus deducitur. at uero tetramētra carmina, ex octo trochęis conſtāt, ſiuè choręis, nā eodē ſpacio trochęus & choręus eſt, ſiquidē trochæus propriè tres ſyllabas breues habet, ut, facere, dominus, Decius, ideo Tribrachus etiam appellatur, ut libro decimo Quintilianus teſtatur, & nos in commētarijs noſtris in Oratorē copioſè docuimus, choręus autem ita dictus eſt quod choręis & ſaltationibus aptus ſit, eodem modo quo trochęus. ſed choreus conſtat ex longa ſyllaba & breui, ut Marcus, ore, dicit. Longa uero ſyllaba tantum habet ſpacij, quantum duę breues, quo fit, ut Trochęus & choręus eodē ſpatio ſint, ut ait Cicero, atque hac de cauſa Grammatici nullam inter trochęum & choręum differentiā conſtituunt, cum tamen re uera ſit ea, quam diximus,

mus, ut trochæus proprie tres breues habeat ſyllabas, choræus priorem longam, alteram breuem. ait autem Ariſtoteles Trochęum cordaci aptiorē, quo ſignificat tenerum, & laſciuum, & incitatum eſſe numerum. Cordax enim ſaltationis cuiuſdam laſciuæ & impudentis genus fuit, quo ueteres in cōuiuiis ridiculi gratia uti ſolebant. Vlpianus Demoſthenis interpres Olynthiaca ſecunda cordaciſmum appellat, atque ita deſcribit; κορδακισμός ἐστιν εἶδος ὀρχήσεως αἰσχρᾶς καὶ ἀπρεποῦς, Cordaciſmus eſt ſpecies ſaltationis obſcœnæ atque indecoræ. Idem ferè tradit Ariſtophanis interpres. huius ſaltationis meminit etiam Athenæus libro quartodecimo, & Lucianus in Icaromenippo. certe apud Græcos κορδακίζειν turpiter & indecore ſaltare ſignificat. Theophraſtus cum uecordem hominem ſignificare uellet, dixit eum etiam ſobrium nō dubitaturum cordacem ſaltare: ex quo intelligitur non ſobriorum, ſed eorum qui bene poti eſſent, hanc ſaltationem propriam fuiſſe: hac de cauſa dixit Ariſtoteles trochæum eſſe κορδακικώτερον idest Cordaci magis aptum, quam ſolutæ orationi. Cicero in Oratore, de hoc Ariſtotelis loco ſic ait; Trochæum autem nō probat, uel minime, qui eſt eodem ſpacio, quo choræus, Cordacem appellat; quia contractio & breuitas, dignitatem non habeat. Quintilianus libro decimo, tradit trochęum ut nimis currentem ab Ariſtotele damnari.

TEXT. *Reliquus eſt pæan, quo quidem uſi ſunt ij, qui à Traſymacho profecti ſunt; ſed tamen eius naturam non intelligebant.*

COMM. Vnum pæanicum numerum per ſe probat Ariſtoteles, quo princeps Traſymachus uti cæpit, is enim oratorij numeri auctor fuiſſe tradit, & poſt eum deinceps omnes ferè qui orationes ſcribebant, eo numero delectabantur, neque tamē eius uim atque naturam intelligebant: ideo uult eā ipſe Ariſtoteles explicare. cum præſertim hic numerus in orationem quaſi ſponte ſua incurrat, & omnes eo utantur, ſed (ut ait Cicero) non ſentiant cum utantur.

TEXT. *Eſt autem tertius pæan, atque inter eos, quos diximus, medius: eſt enim ut tria ſi ad duo conferantur; ex illis uero alter eſt, ut unum ad unum, alter autem ut duo ad unum: harum autem proportionum ſeſquialtera media eſt. atque hic eſt pæan.*

COMM. Explicat breuiter omnium numerorū naturā, ut declaret quæ ſit pæanis uis & facultas. uult.n. eum eſſe mediū, & quaſi interiectum inter alios. nam omnes pedes aut ſunt æquales, aut duplices, aut ſeſquipli. æquales dicuntur ij numeri, uel pedes qui paria habent temporum interualla, quales ſunt omnes heroi, ut ſpondæus, dactylus, & anapeſtus. nā ſpondæus duas habet longas ſyllabas, quæ certè ſunt ęquales. ſciendū eſt enim breuem ſyllabā unum habere tempus, longam duo tempora. itaque longa ſyllaba duarū breuiū uim habet. quo fit ut dactylus qui primā longā; duas ſubſequentes breues habet, ęqualis ſit ſpondeo, ſicut ēt anapeſtus qui duas primas breues habet, tertiam longam. quin etiā amphibrachus eſt ęqualis, qui tribus ſyllabis cōſtat prima & tertia breuibus, media longa, ut fuere. eſt etiā Pyrrhichius inter ęquales qui fit ex duabus breuibus, ut Deus. duplices ſunt quatuor, iābus ex breui & longa, ut dies choręus: ex longa & breui, ut ſolus. Trochęus ex tribus, ut dominus. Moloſſus ex tribus longis; ut, ductores. Seſqui maiores uel ſeſquipli, uel ſeſqui alteri, quod idē eſt, quatuor ſunt; Bacchius ex breui & duabus longis, ut amantes. Palimbacchius e duabus longis & breui, ut ę iiſis. Creticus e prima & tertia lōga, media breui, ut maximos. pęan quatuor habet ſyllabas tres breues & unā longā, longa uel breues pręcedit, ut deſinite, uel eas ſubſequitur, ut domuerant. atque hi pedes omnes ſimplices appellātur, qui numero ſunt tredecim; quinque ęquales ſpondęus, dactylus, anapeſtus ſcolius qui etiā amphibracus dicitur, & Pyrrhichius. quatuor duplices, Iambus, choręus, Trocheus uel Tribrachus, & Moloſſus: quatuor ſeſqui alteri, Bacchius, palimbacchius, Creticus, & pæan. Sed pæan (ut ait Cicero) numerus à quibuſdam, non pes habetur, quod plures habeat ſyllabas quam tres. nam qui tribus ſyllabis plures habent, compoſiti pedes vel duplices vocantur, vt diſpondæus ex duobus ſpondæis, ut præceptores, dichoreus ex duobus choręis, vt comprobauit. huius generis ſexdecim numerantur, quatuor pæanes, quatuor epitriti, duo ionici, proceleuſmaticus, dijambus, dichoreus, diſpondæus, choriambus, & antiſpaſtus. pæanes omnes habēt tres breues ſyllabas & vnā longam, ſed cum longa primo loco ponitur dicitur pæan primus, vt lætitia, cū ſecundo loco, ſecundus pæan, vt potētia, ita tertius pæan, qui tertio loco longā habet, vt alienus, quartus, qui quarto loco, vt celeritas. Epitriti contra omnes habent tres longas & vnā breuē. ſi breuis primo loco fuerit, erit primus Epitritus, vt ſacerdotes, ſi ſecundo, ſecūdus, ut cōditores, ſi tertio, tertius, vt concordiæ, ſi quarto, quartus, vt confirmatur. Ionici ambo ex duabus longis & duabus breuibus conſtant. ſed cum duæ longæ præcedūt, ionicus à maiore dicitur, vt prudentia, cū autem breues anteponuntur, ionicus à minore vocatur, vt uiguerunt. proceleuſmaticus quatuor habet breues, vt reſecuit, dijambus, dichoræus, diſpondęus noti ſunt, choriambus ex choræo & iambo, vt virginitas, antiſpaſtus ex iambo & choræo, vt amatoris. hi pedes omnes atque numeri cadūt in ſolutam orationem. qui quomodo ſint inter ſe miſcendi & temperādi in Oratore Ciceronis ſatis copioſè docuimus. nunc ſenſum Ariſtotelis videamus, qui ait pæanem eſſe mediū eorum numerorum, de quibus antea dixerat, & eſſe vt tria ad duo. nam docuimus omnes heroos ęquales eſſe, iambum autem & trochæum duplices. cū igitur pæan neque ſit æqualis, neque duplex, vt ſit tertius neceſſe eſt, cū vero ſit ſeſquipius æquales proportione ſuperat, & à duplicibus ſuperatur. quo fit vt aliorū medius eſſe videatur, vt optimè ſentit Cicero. præterea cū tres habeat breues

ſyllabas,

ſyllabas, quæ tria temporum interualla conficiũt, & unam longam quæ duo tempora continet, merito dicitur eſſe, ut tria, ſi ad duo conferantur. porrò ſeſquiplus, uel ſeſquialter, uel ſeſquimaior dicitur, ab arithmetica proportione. quoties enim maior numerus minorem ſemel & dimidiã eius partem continet, ſeſquialtera proportio uocatur, ut tria ad duo, ſex ad quatuor, nouem ad ſex, duodecim ad octo. Sed ex reliquis numeris alter eſt (inquit) ut unum ad unum, uel duo ad duo. & ideo dicitur æqualis, ut ſpondæus, qui duas habet longas, quarum una eſt æqualis alteri. & dactylus qui habet unam longam & duas breues, quarum longa duabus breuibus eſt æqualis, atque ita eſt, ut duo tempora, ad reliqua duo. alter uero eſt, ut duo ad unum, & hac de cauſa duplex uocatur, ut iambus, qui unam breuem habet, alteram longam, ſed longa ad breuem collata eſt duplex, & ſicut duo ad unum, idem etiam de choræo, & trochæo ſentiendum. quare perſpicuum eſt, ſeſquialterá proportionem harum duarum eſſe mediam ex qua pæan conſtituitur. Cicero ſic locum hunc expreſſit in Oratore; Pes enim qui adhibetur ad numeros partitur in tria, ut neceſſe ſit partẽ pedis, aut æqualem eſſe alteri parti, aut altero tanto, aut ſeſqui eſſe maiorem. ita fit æqualis dactylus, duplex iambus, ſeſqui pæan, qui pedes in orationem non cadere, qui poſſunt? quibus ordine locatis, quod efficitur, numeroſum ſit, neceſſe eſt.

TEXT. *Reliqui igitur propter iam prædictas cauſas relinquendi ſunt, & quia in uerſum cadunt maximè, pæan autem admittendus, nam ex hoc uno prædictorum omnium numerorum uerſus nullo modo conficitur. itaque maximè latet.*

COMM. Duæ ſunt cauſæ cur heroos, iambicos, & trochaicos numeros & continuatos pedes in orationem admittere non debemus. prima eſt, quia herous nimis eſt grandis, iambicus nimis humilis, trochaicus nimis laſciuus. altera eſt, quia pedes illi continuati in uerſum caduot maximè. ſed pæan accommodatiſſimus orationi eſt, quoniam ex eo uerſus effici nullo modo poteſt, vt ex aliis omnibus fit. & hac de cauſa, quamuis continuetur, non tamen apparet, ſed artificium latet, & auditores fallit. Sed cum tria ſint dicẽdi genera, iambus (ut ait Cicero) frequentiſſimus eſt in ijs, quæ demiſſo, atque humili ſermone dicuntur, pæan autem in amplioribus in utroque dactylus, ita in uaria, & perpetua oratione hi ſunt inter ſe miſcẽdi, & temperaodi, ſic minime animaduertetur delectationis aucupium, & quadrandæ orationis induſtria: quæ latebit eo magis, ſi & verborum & ſententiarum ponderibus vtemur. quo in loco Cicero tres tantum pedes nominat, iambum, dactylũ, & pæanem, ſed pro iambo duplices omnes intelligit, pro dactylo æquales, pro pæane ſeſquialteros, ut nos in Oratore pluribus exemplis oſtendimus. nam in clauſulis demiſſæ orationis octo potiſſimũ pedes conueniunt qui duplices uocantur, quatuor ſimplices, iambus, choræus, trochæus, & Moloſſus, & quatuor compoſiti, dijambus, dichoræus, choriambus & antiſpaſtus. vt in oratione pro A. Cæcina videre licet. At vero in clauſulis grauiſſimæ orationis, qualis eſt pro Cor. Balbo, ſex potiſſimum numeri optimè conueniunt, quatuor ſeſquialteri, pæan, bacchius, palimbacchius, & creticus, qui ſunt omnes pares, deinde ionici & epitriti. heroi reliquis omnibus permiſcentur, & in oratione temperata plurimum ualent. præcipue ſi dichoræo, antiſpaſto, choriambo, duobuſque ionicis miſceantur, vt pro L. Manilio Cicero iucundiſſime facit. exempla quilibet in ſingulis clauſulis aduertere poteſt.

Nunc igitur uno tantum pæane utuntur, atque in orationis principio, ſed finẽ à principio differre oportet. duæ uero ſunt pæanis ſpecies inter ſe contrariæ, quarum altera principio conuenit, ſicuti etiam utuntur, atque is eſt pæan cuius prima ſyllaba longa eſt, tres uerò poſtremæ breues ſunt. ut, Delogena, ſeu Lyciam, &c, auricome, o Hecate, nate Iouis. alter autem contra, cuius tres primæ breues ſunt, poſtrema longa. ut, humum & aquam, inde Thetidem oculum horriferã nox. atque hic bene concludit. breuis enim ſyllaba quoniam eſt imperfecta mutilatam ac mancam efficit orationem. itaque ſententiam oportet longa ſyllaba terminari. atque ipſum finem notum eſſe, non ſcriptoris opera, neque propter aliquam notam appoſitam, ſed propter numerum. TEXT.

Reprehendit oratores ſui temporis quod in numero oratorio dupliciter peccarent. primò quod uno tantum pæane vterentur, cum duo ſint eius genera, deinde quod tantum in orationis principio illum obſeruarent, cum multo magis in fine ſit numerus obſeruandus. neque ſit eodem modo finienda ſententia, quo cœpta eſt. Itaque diſtinguit ipſe pæanis genera, quæ duo ſunt inter ſe oppoſita atque contraria, vnum quod principio conuenit, alterum quod fini. primum (inquit) pæanis genus quo vtuntur oratores primam habet ſyllabam longam, & tres ſubſequentes breues. quod orationis initio bene conuenit. vt in illo Apollinis hymno cuius principium eſt Delogena ſiue Lyciam. duo ſunt enim pæanes integri, & abundans ſyllaba. quo ex loco poteſt intelligi hos numeros pæanes fuiſſe dictos, qđ in laudibus Apollinis adhiberentur, quem pæana Græci vocauerunt. quin hymnus ſiue cantus in honorem Apollinis pæan appellatur. vt Virgilius in 6. COMM.

Lætumque choro pæana canentes.

Declarat hoc etiam ſequens exemplum, quod ponit Ariſtoteles; Auricome, ò Hecate, nate Iouis. quod ex tribus pæanibus integris conſtat. modo nulla fiat in prima dictione colliſio. in quo quidem exemplo tribus epithetis exornatur Apollo, nam Auricomus vocatur à radiorum ſplendore, Hecatus, ab emiſſione luminis in lõginquas partes. natus Iouis, a nobilitate generis, quod à Deo ſol genitus fuerit. Alterum genus pæanis huic cõtrarium eſt, nam tres primæ ſyllabæ breues ſunt, poſtrema eſt longa, vt in illo exemplo; Humũ, &

aquam,

aquam,inde Thetidem occuluit horrifera nox. Sic enim utcunque uertimus Ariſtotelis exemplum, ex antiquo aliquo ſcriptore ſumptū, quod ex quatuor pæanibus cōſtat, factis colliſionibus hoc modo;hūm' et āqu' in,dē Thētid' ōc,cūlūīt hōr,rifērā nóx. Sed in exemplo græco tantum eſt una colliſio,nos aliter vertere non potuimus. ſed hoc parum refert,modo res intelligatur. cum præſertim reliqui interpretes,ne conati quidem ſint, latinè hæc exempla exprimere.Cicero tertio de Oratore ſenſum huius loci Ariſtotelis ſic expreſsit, Ab eodem illo maximè pæan probatur, qui eſt duplex, nam aut à longa oritur, quam tres breues conſequūtur,ut hæc uerba deſinite,incipite, comprimite,aut à breuibus deinceps tribus,extrema producta atque longa,ſicut illa ſunt,domuerant,ſonipedes.atque illi philoſopho ordiri placet à ſuperiore pæane, poſteriore finiri. de hoc eodem pæane ſic ait in Oratore ad Brutum; Quam commodisſime putatur in ſolutam orationem illigari,cum ſit duplex.nam aut è longa & tribus breuibus, qui numerus in primo viget,iacet in extremo,aut totidē breuibus & longa, in quem optime cadere cēſent veteres,ego non plane reijcio,ſed alios antepono. Sed quid cauſæ eſt,cur is pæan,qui poſtremam habet longam,benè concludat?quia (inquit Ariſtoteles)breuis ſyllaba eſt imperfecta,atque ideo mutilatam & curtam efficit orationem. præſertim ſi tres ultimæ breues fuerint, quod accidere neceſſe eſt.cum primus pæan in fine ponitur.atque ideo. vel nunquam vel certè rariſsimè,trochæus,qui tribus ex ſyllabis breuibus conſtat, orationem concludit.nam longa ſyllaba longè melius oratio terminatur.finis enim ſententiæ atque orationis ſua ſponte debet apparere, numeroque ipſo concludi,non ipſius ſcriptoris opera atque diligentia,neque propter aliquam notam aut ſignum appoſitum, ſed propter ipſum abſolutum verborum orbem quem accipientes aures conquieſcant. hunc locum Cicero ſic expreſsit in Oratore. Hanc igitur ſiue compoſitionem ſiue perfectionem, ſiue numerum vocari placet,& adhibere neceſſe eſt,ſi ornatè velis dicere, non ſolum, quæ ait Ariſtoteles,& Theophraſtus, ne infinitè feratur vt flumē oratio,quæ non aut ſpiritu pronunciantis,aut interductu librarij, ſed numero coacta debet inſiſtere,uerum etiam quod multo maiorem habent apta uim quam ſoluta. Duabus igitur de cauſis numerum eſſe neceſſarium in oratione uult Cicero, quarum priorem tantum Ariſtoteles hoc loco poſuit.primo igitur (inquit) adhibēdus eſt numerus, ne,tanquam flumen aliquod infinitè feratur oratio,ſed alicubi conſiſtat. nō autem inſiſtere debet ſpiritu pronunciantis,aut interductu librarij, ſed coacta numero,nam qui pronunciat,non ideo ſententiam terminat,quia inſiſtit,alioqui poſſet etiā mediam orationem abrumpere.ſed ideo ſolet inſiſtere,quia ſententia numero terminata eſt.eodem modo librarius qui ſcribit orationem,utitur interductu,hoc eſt diſtinctione,& puncto in clauſulis, ſed diſtinctio atque punctum non efficit, ut ſententia ſit abſoluta,alioquin ubicūque poneretur, ſententiam abſolueret. ſed idcirco interductu librarius utitur, quia numero finitā ſentit eſſe ſententiam.hæc igitur prima cauſa eſt,propter quam numerus in oratione neceſſarius eſſe uideatur. Altera eſt,quoniam ea,quæ apta ſunt,& compoſita, beneque diſpoſita longe maiorem vim habent, quam quæ ſoluta ſunt & libera, vt modicus exercitus ſi bene diſpoſitus & inſtructus fuerit, facile multitudinem ingentem, vagam & palantem ſuperabit.

TEXT. *Iam igitur declaratum eſt, numeroſam eſſe oportere orationem, non autem extra numerum, & qui numeri talem eam faciant, quoque modo ſunt in ea collocandi.*

COMM. Concludit hanc totam de numeris tractationē & ait ſe declaraſſe non expertem numerorum orationem eſſe debere,ſed oportere numeroſam eſſe, & præterea tradidiſſe,qui numeri ſint oratorij, & qua ratione debeant in oratione collocari.ſed (vt ingenuè fatear) nimis præciſe fecit hoc Ariſtoteles,qui nos vni tantum pęani addictos eſſe voluit, quod nec fieri commodè poteſt, nec vllo modo fieri debet.longe melius Cicero qui pedes omnes in orationem admittit. & ita temperare docet, vt omnibus dicēdi generibus quamoptimè accōmodentur. herois vero pręcipuè Cicero delectatur, quod ita pæanibus,epitritis,Ionicis,& reliquis admiſcet,vt iunctura quædam ſuauis & mirabilis appareat.ſumamus enim exēpli gratia, exordiū orationis pro L.Manilia, quod eſt maximè numeroſum,& trium aut quatuor periodorum principia, atque clauſulas conſideremus,vt videamus Ciceronis artificium in numeris. tres autem tantum aut duos pedes in principio,& totidem in fine obſeruantur,vt ipſe met Cicero docet.incipit igitur ſtatim à duobus herois numeris ſpondęo & anapeſto,cui creticum adiūgit, qui eſt ęqualis pęanī, & Ciceroni maximè familiaris. Quamquā mihi ſemper frequens terminatur hęc periodus duobus herois & pæanico numero,hoc eſt ſpōdæo, dactylo, & bacchio,nā bacchius ęqualis eſt pæani,vt ſupra dictū eſt,ſuſceptæ prohibuerunt. Secunda periodus incipit à duobus herois ſpondæo,& ſcolio,nā ſcolius æqualis eſt dactylo.itaque poteſt inter heroos numerari,ſicut etiam anapeſtus,poſt quos ſequitur moloſſus;Nam cum antea per ætatem.terminatur autem duobus hæroïs & pæanico ſicut prima,hoc eſt duobus ſpondæis & bacchio,tranſmittendum putaui. Tertia incipit à pæane & iambo,ſed vt iambi humilitas extolleretur, ſtatim addit alterum pæanem.deinde anapeſtum, Ita neq; hic locus vacuus vnquam ab iis, terminatur autē tribus grauiſsimis numeris, ſpondæo epitrito & dichoræo,fructū eſt ampliſsimum cōſecutus. qua quidem clauſula nihil aut grandius aut iucūdius fieri poteſt.Quarta periodus à tribus ſpondæis,& bacchio incipit, vt ipſo numero tarditatē rei imitetur, Nam cum propter dilationem.terminatur

autem

autē duobus herois & bacchio, alijs præſcribere tis. his igitur paucis exemplis intelligi facile poteſt, quantopere numerus herous & pæanicus Ciceroni placeat, quem & in principio & in fine periodorum frequentiſſimè collocat. uoco autē pæanicum numerum non tantum ipſum pæanem, ſed etiam alios qui cū pæane paribus ſunt interuallis, qui tres ſunt, creticus quē Cic. maximè ꝓbat, bacchius, & palimbacchius. atq; hi numeri & ampliſſimi ſunt & iucundiſſimi, & Ciceroni maximè familiares. Sed dichoreis etiam & ionicis & epitritis libentiſſimè claudere ſolet. præſertim cum rei grauitas id poſtulare uideatur, ut pro L. Manilia cum uirtutis Pompeij teſtes inuocat regiones, ex eo loco teſtis eſt Italia, primam & ſecūdam periodum dichoræo terminat, tertiam epitrito, quartā ionico, quintam epitrito, ſextam, & ſeptimam dichoræo, octauam & nonam epitrito. atque ita ſi quis aduertat, ubique maximum Ciceronis artificium in numeris obſeruandis intelliget. ut merito ſit in hac re non tantum Ariſtoteli anteponendus, à quo iure ſuo libere diſſentit, ſed omnibus, quicunque unquam de numeris aliquid locuti ſunt.

TEXT. *Elocutionem uero uel tractam ac pendentem eſſe neceſſe eſt, qua coniunctione fit una, quales ſunt Dithyramborum cantiones, uel ambitu comprehenſam & ſimilem ueterum poetarum antiſtrophis.*

COMM. Poſtquam de numeris tractauit, nunc accedit ad elocutionem, ut oſtendat, quę elocutio maximè probetur. duplex (inquit) eſt elocutio, altera ſoluta & libera, cuius partes ſubſequētes ſēper à ſuperioribus pendent, & ita trahuntur, ut coniunctionibus copulentur, altera uero apta & coniuncta ſuis membris atque periodis. prior illa ſpecies elocutionis plerunque cernitur in familiari ſermone, in epiſtolis illaboratis, in hiſtoriis, in annalibus, quæ ſua ſponte fuſa ſunt, & quaſi perpetuo curſu feruntur ad finem, nec prius inſiſtunt, quā res ipſa fuerit explicata, tales ſunt (inquit Ariſtoteles) Dithyramborum præluſiones & cantiones, quæ ἀναβολαὶ græcè dicuntur. nam Dithyrambi maximè licentioſi erant, neque leges carminum magnoperè obſeruabant. unde Horatius, Seu per audaces noua Dithyrambos Verba deuoluit, numeriſque fertur Lege ſolutis. altera elocutio lōgè melior & laudabilior, quæ certo ambitu comprehenditur, & aures implet, & quaſi in ſeipſam numeris ſuis conuertitur, & connexas inter ſe partes habet, quales erant ueterum poetarum antiſtrophæ, atque conuerſiones, quæ quaſi in orbem perfecta ſententia appoſite recurrebant, ut apud Pindarū uidere licet. Craſſus tertio de Oratore, quas Ariſtoteles hic anaſtrophas uocat, uidetur conuerſiones interpretari, ubi præcipit, ut illam elocutionem tractam ac pendentem fugiamus, & hanc ambitu comprehenſam amplectamur. ſed efficiendum eſt (inquit) illud modo uobis, ne fluat oratio, ne uagetur, ne inſiſtat interius, ne excurrat longius, ut membris diſtinguatur, ut conuerſiones habeat abſolutas.

TEXT. *Sed tracta ac pendens elocutio priſcorum eſt, qua Herodotus Thurius in hiſtoria utitur, atque eo tempore ferè omnes utebantur, nunc autem perquam pauci.*

COMM. Antiqui ſcriptores cum orationis ornamenta nondum in lucem ueniſſent, tracta illa & pendente oratione utebantur. neque enim certo ambitu ſententiam claudebant, ſed ſingulas penè ſententias abſoluebant, quas poſtea coniunctionibus inter ſe colligabant. hoc genere ſcribēdi uſus eſt in hiſtoria ſua Herodotus Thurius, cuius exordium primi libri ponit Ariſtoteles. Sic enim opus ſuū incepit, ἡροδότου θουρίου ἥδ' ἱςορίας ἀπόδειξις i. Herodoti Thurij hęc eſt hiſtoriæ expoſitio. nam Herodotum & ueteres omnes numero caruiſſe declarat etiam Cicero, qui in Oratore ſic ait; Itaque & Herodotus, & eadem, ſuperiorque ætas numero caruit, niſi quando temere ac fortuitò. & ſcriptores perueteres de numero nihil omnino, de oratione præcepta multa nobis reliquerunt, nihil igitur aliud eſt tracta elocutio niſi carens numeris & ſoluta.

TEXT. *Voco autem tractam ac pendentem elocutionem, quæ nullum ex ſe finē habet, niſi res, quæ exponitur, ad finem peruenerit, quæ ſanè eſt iniucunda, quoniam infinitè fertur: omnes enim uidere finem exoptant.*

COMM. Quo res apertior ac manifeſtior fit, declarat, quam pendētem appellet orationem, nempe illā, quæ per ſe nullum habet finem, neque unquā inſiſtit, niſi quādo tota res fuerit explicata. quod elocutionis genus moleſtum & odioſum eſt, neque ullam in ſe iucūditatem habere poteſt. propterea quod nimis eſt profluēs, & fine caret. at omnes homines in omnibus ſuis negociis & actionibus finē uidere magnopere deſiderāt. hāc elocutionē Craſſus tertio de Oratore, uocat loquacitatem perennem, & profluētem, cum ita inquit; Nam ſi rudis & indocta putanda eſt, illa ſine interuallis loquacitas perennis, & profluens.

TEXT. *Quapropter curſores cum ad flexiones peruenerunt, uehementer anhelant, ac penè deficiunt. cum antea non laborent, quia metam proſpiciunt.*

COMM. Similitudine probat eam ſententiam, quam ſupra poſuit, nempe, omnes exoptare finem uidere. Qui currunt (inquit) in ſtadio, donec metam proſpicere poſſunt, nihil fere uidētur laborare, ſed cū ad eas flexiones perueniunt, ubi meta occultatur ita, ut eam amplius uidere non poſſint, tunc uehementer anhelant, & quaſi deficiunt. ubi notādum eſt in ſtadio, ubi curſores, & quadrigæ certabant, fuiſſe quaſdam flexiones, quas καμπτῆρας uocabāt. ad quas cum perueniſſent, non amplius metam uidebant, quia illam pertranſierant, ſed ſumma arte opus erat, equos flectere ad alteram partem ne in metam impingerent in reflexione, unde Horatius,

--metaque feruidis Euitata rotis.

& Varro ait in Circo Flaminio ſolitos circa metam

metam equos currere. ad quam rem ſic alluſit Virgilius in quinto

Hic uiridem Aeneas frondenti ex ilice metam
Conſtituit ſignum nautis pater, unde reuerti
Scirent, & longos ubi circumflectere curſus.

Cum enim ad flexiones illas perueniſſent, non amplius metam poſt tergum relictam uidere poterant, ſed opus erat reuerti, & , ut ait Virgilius, curſum circumflectere. quo in loco, maximus erat labor, & ſumma opus erat induſtria. unde non mirum ſi curſores anhelabant. & in illis flexionibus penè deficiebant.

TEXT. *Ac tracta quidem pendenſque oratio talis eſt.*

COMM. Declaratum eſt (inquit) qualis ſit oratio tracta ac pendens. hanc Cicero continuatam ac productam uidetur appellare, cum tertio de Oratore ſic ait; Quod ſi cõtinuatio uerborum hæc ſoluta multo eſt aptior, atque iucundior, ſi eſt articulis, membriſque diſtincta, quam ſi cõtinuata ac producta. Aquila Romanus perpetuam interpretatur cum ita inquit, Aut perpetua, quã Græci εἰρομένην λέξιν appellant, quæ ita connectitur, ut ſuperiorem elocutionem ſemper proxima ſequatur, atque ita ſeriem quandam ſignificatus rerũ explicet. ſed quoquo modo ſit appellanda ſatis intelligitur oratoriæ maieſtati non conuenire.

TEXT. *Ambitu uero comprehenſa eſt, quæ periodis conſtat. periodum uoco orationem, quæ principium & finem ex ſe habet, & eam magnitudinem, quæ facile perluſtrari poſſit.*

COMM. Alterum genus elocutionis aggreditur, quod eſt laudabile & iucũdum, itaque multa de hoc præcepta tradit. & quomodo fieri debeat, accuratè exponit. hoc genus appellat κατεστραμμένην λέξιν, id eſt elocutionem conuerſam, quę periodis ſuis in ſe quodammodo conuertitur. declarat autem quid ſit periodus, & ait orationem eſſe, quæ principiũ & finem ex ſe habet, & quæ non ſit maior, quam quæ mentis oculis facile perluſtrari poſſit, & percipi. unde intelligi poteſt, Ariſtotelem damnare nimis longas periodos, ut infra docebimus, quia ſenſum & intelligentiam confundunt. Cicero in Oratore ad Brutum docet periodum multis nominibus latinè uocari, cum ita ſcribit, In quo quęſitum eſt, in toto ne circuitu illo orationis, quem Græci περίοδον, nos; tum ambitum, tum circuitũ, tum comprehenſionem, aut continuationem, aut circumſcriptionem dicimus. Eſt autem periodus apud Gręcos propriè uiarum circuitus, unde περιοδεύω uerbum quod circumeo ſignificat. Sed deinde generaliter ad omnem circuitum transfertur. hinc periodo Victores, ſicuti Feſtus ait, dicebãtur olim Hieronicæ, q Olympia, Pythia, Nemea, Iſthmia uiciſſent, quæ res maximam apud Græcos dignitatem habebat, ſicuti libro nono Vitruuius teſtatur. hinc etiam periodicæ febres dicuntur à medicis, quæ ſtatis diebus quodam quaſi circuitu reuertuntur, qualis eſt tertiana, & quartana. Cicero periodum plenam quæ bene aures impleat, e quatuor membris conſtare uult, ſic enim ait in Oratore; conſtat enim ille ambitus, & plena comprehẽſio è quatuor fere partibus, quæ membra dicimus ut & aures impleat, & ne breuior ſit, quã ſatis ſit, neque longior. quamquam utrunque nonnũquã uel potius ſæpe accidit, ut aut citius inſiſtendum ſit, aut longius procedendum, ne breuitas defraudaſſe aures uideatur, ne ue longitudo obtudiſſe. Sed omnis periodus aut duobus membris eſt contenta, ut pro P. Quintio; Quæ res in ciuitate duæ plurimum poſſunt, hæ contra nos ambæ faciũt in hoc tempore. aut tribus. ut prima Philippica; Antequam de Rep. P. C. dicam ea, quæ dicenda hoc tempore arbitror, exponam uobis breuiter conſilium & profectionis & reuerſionis meæ. aut quatuor, quæ iam plena, & perfecta eſt, ut pro A. Cæcina; ſi quantum in agro lociſque deſertis audacia poteſt, tantum in foro, atque iudiciis impudentia ualeret, nõ minus in cauſa cederet A. Cæcina Sex. Ebucij impudentiæ, quam tum in ui faciẽda ceſſit audaciæ. fiunt etiam è quinque membris periodi, & ſex, & ſeptem. ſed magnopere cauendum eſt, ne tam longa ſit, ut non commodè intelligentia comprehendi poſſit.

Huiuſmodi autem oratio ſuauis eſt, & facile percipi poteſt. Suauis quidem eo, quòd illi contraria eſt, quæ infinitè fertur, & quia ſemper auditor aliquid ſe tenere exiſtimat, cum ſemper aliquid ei determinatum ſit, contra uerò nihil prævidere. nihilque abſolutum habere, eſt inſuaue. TEXT.

Duas uirtutes habet (inquit) illa oratio quæ periodis comprehenſa eſt, primo quod eſt ſuauis & iucunda. deinde quod facile percipi atque intelligi poteſt. Ac primo quidẽ ea de cauſa ſuauis eſt, quia contraria eſt illi orationi, quę infinitè fertur, quam ſupra demonſtrauimus inſuauem ac moleſtam eſſe. quæ loquacitas perennis & profluens à L. Craſſo dicitur. hæc enim ita conficitur, ut qui audit, ſemper aliquid ſe tenere arbitretur. quia finem ac terminum periodi uidet. & abſolutam eſſe ſententiam intelligit, quæ res animum reficit, & ad ſequentia præparat, hoc autem eſt omnino ſuaue. Sicut illud eſt moleſtum & inſuaue, nihil præuidere poſſe, nihilque abſolutum habere. quod in ea fit oratione, quæ nullum ex ſeſe finem habet, neque inſiſtit, ſed continuata & producta eſt. COMM.

Facile autem percipitur, quia memoriæ facile mandari poteſt. & hoc accidit. quia numerum habet in periodis, quæ res omnium maximè apta eſt ad recordãdum: atque hæc cauſa eſt, cur omnes facilius carmina, quam ſolutam orationem recordentur. quia numerum habent, qui illa metiatur. TEXT.

Altera uirtus eius orationis, quæ periodis comprehenditur hæc eſt, quòd nullo ferè labore percipitur, quoniam memoriæ facile mandatur. hoc uero propter numeros accidit, quibus colligata eſt. nihil enim omnino eſt aptius ad recordandum ipſis numeris, qui quodammodo ſunt homini naturales. unde Plato dixiſſe fertur hominem ideo ſapientiſſimum omnium animalium eſſe, quòd numerare ſciat. hæc etiam (inquit Ariſtoteles) COMM.

cauſa

cauſa eſt, cur omnes homines multo facilius carmina memoriæ mandant, quam ſolutam orationem, quia carmina certum habent numerum pedum, & certam modulationis menſuram, quam facile memoria ſequitur. Cicero libro Tuſcul. ſecundo, hoc dulcedini poetarum attribuit, quod memoriæ mandentur. ſic enim ait, Ita ſunt deinde dulces, ut non legantur modo, ſed etiam ediſcantur. ſed illa dulcedo maiori ex parte à numeris proficiſcitur. Veriſsimum autem eſt, & omnibus ferè notum quod ait Ariſtoteles, lõgè facilius nos carmina memoriæ mandare, quam ſolutam orationem. & hæc fortaſſe cauſa fuit, cur antiqui carmine tantum ſcriberent, ut melius poſſent meminiſſe. nam ante Pherecidem Syrum, qui Pythagoræ magiſter fuit, nemo ſolutam ſcripſit orationem, omnes carmine ſcribebant. poſtea uero Pherecides & Hecatæus ſolutæ orationis uſum introduxerunt. namque etiam Philoſophi Parmenides & Empedocles ſapientiæ præcepta uerſibus explicuerunt, ſicut apud nos Lucretius & Manilius. & quæ ad honeſtè uiuendi rationem attinent, omnia ferè primo fuerunt uerſibus explicata.

TEXT. *Oportet autem in periodo ſententiam abſolui, non autem abrumpi. Sicut in illis iambicis Sophoclis;*
Hæc eſt quidem Calydon. ſolum potitus eſt
Quo olim Pelops.

Nam ſi periodus diuiſa fuerit ſenſus contrarius elicitur. ut in prædicto exemplo. Calydonem in Peloponeſo eſſe.

COMM. Ambitus uerborum non tantum ſuis numeris abſolutus & perfectus eſſe debet, ſed etiam habere ſententiam integram & perfectam; ut nihil interiiciatur, aut inculcetur, nihil addatur. quo uideatur abrumpi ſententia. & quod ait in Oratore Cicero, ut neque orator uerbum ita traiiciat, ut de induſtria factum intelligatur, neque inferciẽs uerba, quaſi rimas expleat, minutos numeros ſequẽs concidat, delumbetque ſententias. hęc enim periodorum diuiſio, & quaſi abruptio, præter cætera uitia illud etiam habet, quòd ſæpe contrarium ſenſum efficit ei, quem ſcriptor intendit. hoc autem probat Ariſtoteles exemplo quadam è Tragœdia ſumpto cuius auctorem Sophoclem citat. licet n. egregius ſcriptor Sophocles fuerit, nihil tamẽ prohibet eum aliquo in loco uitioſè locutum fuiſſe, ſicut in illis iambicis, ubi incipit ita narrare;
Hæc eſt quidem Calydon, ſolum potitus eſt
Quo olim Pelops.

Et quæ ſequuntur. ſic enim (inquit) diuiſa eſt, & abrupta hæc periodus, ut ex ea contrarius ſenſus elici facile poſsit. uidetur enim ſignificare Calydonẽ in Peloponeſo eſſe quod omnino falſum eſt, cum in Aetolia Calydon ſit, è regione Peloponeſi. hoc autem accidit, propter interpoſitionem eorum uerborum; ſolum potitus eſt, quo olim Pelops. non enim hæc uerba ſunt coniungenda cum illis, Hæc eſt quidem Calydon. ſed cum ſubſequẽtibus, ut uerus ſenſus habeatur. ſed hoc (ut uult Ariſtoteles) eſt uitioſum. quod autem quidem illa Iambica, quæ citat Ariſtoteles, non Sophoclis, ſed Euripidis aiunt eſſe, ex fabula quæ Meleager inſcribebatur, & quæ non amplius extat, parum refert ad huius loci ſententiam, ſatis enim intelligitur uitium in eis notatum ab Ariſtotele. facile enim fieri poteſt, ut uitio librariorum poetæ nomen ſit immutatum, & pro Euripide, Sophocles appoſitus, cum hi poetæ ambo tragicorum principes habeantur.

TEXT. *Duplex autem eſt periodus, nam altera membris conſtat, altera ſimplex eſt.*

COMM. Omnis periodus uel unum tantum membrum continet, atque unam conuerſionem, atque hæc ſimplex appellatur, ut Nihil eſt, quod non longinquitas temporum excipiente memoria, prodendiſque monumẽtis efficere atque aſſequi poſsit. aut duo uel plura membra complectitur, quæ cõpoſita rectè dici poteſt. ut, Neq; enim poteſt exercitum is continere imperator, qui ſeipſum non cõtinet, neque ſeuerus eſſe in iudicando, qui alios in ſe ſeueros eſſe iudices non uult.

TEXT. *Ex membris conſtat ea locutio, quæ perfecta eſt, & diſtinctas partes habet, & ſpiritum dicentis non impedit. non in ipſa diuiſione ſicut in prædicta periodo, ſed in toto ambitu.*

COMM. Periodus illa, quæ conficitur ex membris, omnino tria ut habeat, oportet. primum, ut perfectã non tantum inchoatam ſententiam habeat, alterũ ut in ea ſint diſtinctæ partes, quæ membra dicuntur, tertium ne longior ſit, quam ſpiritus dicentis patiatur, & in ea facile poſsit orator interſpirare, non quidem propter diuiſionem & abruptionẽ, ut in periodo ſupra dicta quam ex Sophocle citauimus, ſed propter ipſum uerborum ambitũ. uult igitur Ariſtoteles ita mẽbra copulari in periodo, ut perfectam quidem efficiant ſententiam, ſed tamen eorum diſtinctio appareat, ut facile pronunciari poſsit, ſine ullo ſpiritus impedimento. ut, Quem enim poſſumus imperatorẽ aliquo in numero putare, cuius in exercitu ueneant centuriatus, atque uenierint? hæc enim periodus ex duobus membris conflata perfectam habet ſententiã, ſicut illa ex tribus; tanta ne unius hominis incredibilis ac diuina uirtus tam breui tempore lucem afferre Reip. potuit, ut uos, qui modo ante hoſtiũ Tyberinum claſſem hoſtium uidebatis, ij nũc nullam intra Oceani oſtium prædonum nauem eſſe audiatis?

TEXT. *Membrum uero eſt altera periodi pars.*

COMM. Videtur Ariſtoteles tantum ex duobus membris uelle periodum conſtare, cum membrum alteram periodi partem eſſe definiat. quod etiã Demetrius annotauit. ſed Cicero uult etiam ex pluribus membris conſtare periodum, ut ſupra demonſtrauimus. poteſt tamen hęc membri definitio ita intelligi, ut quæcunque pars compoſitæ periodi capiatur à reliqua ſeparata, membrum dicatur, atque ita ſemper erit altera pars periodi, quamuis ex multis membris periodus conſtet. uerum aliquando membrum per ſe ſpectatur, cum membratim

bratim

bratim & per diſiunctionem orator loquitur, ut, Qui Siciliam adiit, Africam explorauit, inde in Sardiniam cum claſſe uenit. Item, Ciues aſſenſerint, ſocij obtemperarint, hoſtes obedierint. interdum in compoſitionem periodi uenit, ut, Non. n. ſolum bellandi uirtus in ſummo atque perfecto imperatore quærenda eſt. hoc enim unum eſt mẽbrum, ſed quia nondum eſt abſoluta ſentẽtia, per ſe intelligi non poteſt, addendum eſt igitur alterum; ſed multæ ſunt artes eximiæ, huius adminiſtræ comiteſque uirtutis.

TEXT. *Simplicem periodum eam appello, quæ ex uno membro conſtat.*

COMM. Cicero diſſentit ab Ariſtotele, nõ enim ex uno tantum membro conſtare uult periodum, ſed ſemper ex pluribus. hãc autem quam Ariſtoteles ſimplicem periodum uocat, ipſe Cicero membrũ nominat. ſed hoc parui refert, modo intelligamus interdum uno membro ſententiam perfectam eſſe poſſe, ut, Nunquam præſtantibus in Rep. gubernanda uiris laudata eſt in una ſententia perpetua permanſio &, Dies adimit hominibus ægritudinem. Horatius,

Pallida mors æquo pulſat pede pauperũ tabernas,
Regumque turres.

TEXT. *Oportet autem & membra, & periodos neque mutilas eſſe, neque longas.*

COMM. In omnibus rebus & quod parum, & quod nimium eſt, uituperatur, quod autem eſt mediocre laudatur. Itaque etiam in membris & periodis mediocritas eſt quærenda, ne uel non complecas uerbis, quod propoſueris (ut ait in Partitionibus Cicero) uel redundes. cum enim quod propoſitum eſt, uerbis non completur, mutila ſint membra, atque periodi neceſſe eſt, cum autem aliquid redundat, longitudinis uitio laborant. utrunque autem uitium diligentiſſime fugiendum eſt. hoc idem præceptum in Oratore ad Brutum ita poſuit Cicero; conſtat autem ille ambitus, & plena cõprehenſio è quatuor ferè partibus, quæ membra dicimus, ut & aures impleat, & neque breuior ſit, quã ſatis ſit, neq; lõgior: quamq̃ utrũq; nonnunquã, uel potius ſæpe accidit, ut aut citius inſiſtendum ſit, aut longius procedendum, ne breuitas defraudaſſe aures uideatur, ne ve longitudo obtudiſſe.

TEXT. *Quod enim curtum eſt, ſæpe cogit auditorem offendere. neceſſe eſt enim ut, cũ adhuc ultra tendit animo & menſura eius termini, quem in ſeipſo conceperat, abrumpitur, ceſſante oratore, quaſi obice quodam offendatur.*

COMM. Docet quæ Incommoda in ſe habeant membra & periodi curtæ atque mutilæ. cogunt. n. (inquit) ſæpe auditorem inſiſtere atque offendere, & hærere tanquam in ſalebra, quod nõ mediocre faſtidiũ & moleſtiã gignit. Nam cum adhuc auditor ultra tendit animo, certamq; menſurã atque terminum in ſeipſo concepit, ſi prius ceſſat oratio, quã ad eũ terminũ quẽ ſibi conſtituit animus auditoris peruenerit, neceſſe eſt, ut quaſi in obicẽ impingat, & offendatur. nã (ut ait Cic.) facile aures curta ſentiunt, & ab eis, quaſi repulſæ reſiliunt. non aliter atque ij ſolent, qui dum currunt, & ad metam feſtinant, iniecto derepente obice impediuntur & corruunt.

Longæ uero periodi faciunt, ut auditor relinquatur. ut qui ultra metam progrediuntur, eos poſt ſe relinquunt, qui unà deambulabant. eodem modo longæ periodi iam in orationem exeunt, & Dithyramborum cantionibus ſimiles ſunt. TEXT.

Quæ nimis redundantia ſunt in oratione uitiũ illud habent, ut ea non poſſit auditor animo ſuo proſequi, ſed eos terminos excedant, quos in ſeipſo iam auditor conceperat. itaque fit ut ipſe auditor quaſi deſeratur, & longo interuallo relinquatur. quemadmodum in deambulando nonnunquã fieri ſolet, ut aliquis eorũ, qui unà deambulant, vltra terminũ ac metã progrediatur, qua alij ſua ſpatia conficiunt. tunc. n. neceſſe eſt, vt qui metã egreditur, alios poſt ſe relinquat, qui uel ſubſequi nolunt, uel non poſſunt. ita periodi quæ nimis lõgæ ſunt, animum auditoris poſt ſe relinquunt. & iam non periodi ſed orationes dici poſſunt, & ſimiles ſunt (inquit) Dithyramborum cantionibus; quæ ἀναβολαὶ dicuntur, de quibus etiam ſupra meminit, cum de pendente & tracta oratione loqueretur. dicuntur autem ἀναβολαὶ hoc eſt commorationes, uel dilationes, quod longius euagantur, antequam ad propoſitum ſeſe referant, & concludant: qualis eſt illa Horatij cantio libro carminũ quarto, qua Druſi laudes complectitur, quam ita incepit, COMM.

Qualem miniſtrum fulminis alitem
Cui Rex deorum regnum in aues uagas
Permiſit expertus fidelem.
Iuppiter in Ganymede flauo. & quæ ſequũtur:

nam antequam expleat ſentẽtiam, plurima carmina interponit. ſunt igitur Anabolæ commorationes & productiones ſententiarum in longum, quibus Dithyrambici poetæ potiſſimum utebantur, & interdum etiam Lyrici, Antiſtrophæ autẽ ſunt conuerſiones, & quaſi reditus ad propoſitum, uel ad idem genus carminum, quibus frequentiſſimè Pindarus utitur.

Quare idem hac in re contingit, quod Democritus Chius Melanippidi per iocum obiecit, cum ille pro Antiſtrophis, Anabolas uſurpaſſet; TEXT.

Is ſe ipſum lædit, alium qui lædere quærit,
At carmen longum uati ipſi peſſima res eſt.

Hoc enim etiam in eos dici poteſt, qui longis membris delectantur.

Vt oſtendat omnino damnandas eſſe longas periodos & longa membra, quæ cum auditoribus faſtidium gignunt, tum etiam ipſis oratoribus moleſtæ ſunt. utitur exemplo Democriti Chij, qui Melanippidem Lyricum poetam facetiſſimè riſit, quod Anabolis delectaretur in ſuis carminibus, & conuerſiones atque Anaſtrophas quibus alij poetæ utebantur, relinqueret, ut pro eis, anabolas uſurparet. ſumpſit igitur Democritus ab Heſiodo duo car- COMM.

mina quibus Melanippidem irrideret, quorũ hæc eſt ſententia; Is ſibi ipſi mala ſtruit, quicunque alteri mala ſtruit, At uero malum conſilium conſultori eſt peſſimum, è quibus alterum protulit integrum ut erat ab Heſiodo cõſcriptum hoc modo;

Οἵ τ' αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων.

Is ſeipſum lædit, alium qui lædere quęrit.

Alterum uero commutauit. cum enim ita feciſſet Heſiodus,

Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

Conſultum malè conſultori peſſima res eſt.

ipſe Democritus ita uertit in Melanippidem,

Ἡ δὲ μακρὰ ἀναβολὴ τῷ ποιήσαντι κακίστη

At longum carmen uati ipſi peſſima res eſt.

Voluit ſignificare dilationes illas & productiones carminum, ſiue ſuſpenſiones, non tantum auditoribus & lectoribus eſſe moleſtas, ſed etiã poetis ipſis odioſas. quod idem (inquit Ariſtoteles) accidit etiam ijs, qui longis membris delectantur, etiam & aliis & ſibi ipſi ſunt moleſti.

TEXT. *Contra uero, quæ breuiora; quam opus ſit, habent membra, ne periodi quidem ſunt: nam ipſum auditorem præcipitem rapiunt.*

COMM. Sicuti damnantur illæ periodi, quæ membris nimium longis conſtant, ita quæ breuiora membra continent, quam conueniat, improbãtur. quoniam nimis uelociter procedunt, & auditorẽ quodammodo præcipitem ſecum rapiunt, adeo ut ne periodi quidem dici mereantur, quare modus quidam in eis eſt adhibendus, ut neque deficiant, neque redundent.

TEXT. *Elocutio quæ membratim profertur, partim diſtincta eſt, partim oppoſita.*

COMM. Duo genera facit eius orationis, quæ membratim fertur, uel enim membra ſoluta ſunt ac libera, ſine ullis contrariis oppoſitis, ut pro lege Manilia: nam cum hoſtium copiæ non longe abſunt; etiam ſi irruptio facta nulla ſit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deſeritur, mercatorum nauigatio conquieſcit. Item, qui Siciliam adiit, Africam explorauit, inde in Sardiniam cum claſſe uenit. & hæc à Cornificio nocatur Diſiunctio. uel membra ſingula, oppoſita habent ſua contraria ex altera parte reſpondentia, quæ contentio nominatur, ut cuius adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris non alienis præceptis, ſed ſuis imperiis, non offenſionibus belli, ſed uictoriis, nõ ſtipendiis, ſed triumphis eſt traducta. pro L. Murena; Te gallorum, illum buccinarum cantus exuſcitat, tu actionem inſtituis, ille aciem inſtruit, tu caues ne tui conſultores, ille ne urbes, aut caſtra capiantur. ille tenet, & ſcit ut hoſtium copiæ, tu ut aquæ pluuiæ arceantur, ille exercitatus eſt in propagandis finibus, tu in regendis.

TEXT. *Diſtincta quidẽ eſt. ut; Sæpius admiratus ſum eos, qui celebritates congregarunt. & eos, qui gymnica certamina conſtituerunt.*

COMM. Exemplis ab Iſocrate ſumptis declarat duo illa elocutionis genera, quæ propoſuit. nam Iſocrates nobiliſſimam orationem, quæ Panegyricus inſcribitur, ab elocutione diſtincta ſic incepit; ſæpius admiratus ſum eos, qui celebritates congregarũt, & eos, qui gymnica certamina conſtituerunt. ſicuti Cicero tertiam Philippicam ita cæpit, ſerius omnino. P. C. quam tempus Reip. poſtulauit, aliquando tamen conuocati ſumus.

TEXT. *Oppoſita uero illa eſt, cum uel in utroque membro contrarium eſt alteri contrario conſtitutum, uel idem membrum è contrarijs conſtat, ut. Nam his quidem plura quam domi poſſidebant, acquiſiuerunt: illis uero domi ſatis agri, quo ſe alerent, reliquerunt. hæc.n. contraria ſunt; ſequi & remanere, ſatis & plus. Itẽ; itaque & pecunias acquirentibus, & frui cupientibus. nam acquirere & frui, inter ſe opponuntur.*

COMM. Oppoſita elocutio duobus modis fit, uel enim membra ita diſtinguuntur, ut unum alteri contrarium ſit, uel unum atque idem membrum ex contrariis conſtat. prioris generis eſt illud exemplum ex Panegyrico Iſocratis ſumptũ, ubi ueteres Athenienſes laudat, qui cum Barbaris bellum intuliſſent, & ijs, qui ad bellum profecti ſunt, & ijs qui domi remanſerũt, multum profuere. Nam his (inquit) qui ſecuti ſunt, plura quam domi poſſidebant, acquiſiuerunt: eis uero, qui domi remanſerunt, ſatis agri, quo ſe alerent, reliquerunt. hæc autem (inquit Ariſtoteles) contraria ſunt, ſequi & remanere, ſatis & plus. ubi aduertendum eſt contraria commũniter uocari ab Ariſtotele hoc in loco, quæcunque aliquo modo ſunt oppoſita, etiam ſi propriè non ſint contraria. huius generis exempla ſunt apud Ciceronem plurima, vt pro lege Manilia; Illi libertatem ciuium Romanorum imminutam non tulerunt, uos uitam ereptam negligetis? ius legationis uerbo uiolatum illi perſecuti ſunt, uos legatum populi Romani omni ſupplicio interfectum inultum relinquetis? Alterius generis cum unum atque idem membrum ex contrariis conſtat ex eadem Iſocratis oratione ſumpſit illud exemplum; Itaque & pecunias acquirentibus, & frui cupientibus, eſt autem ſenſus imperfectus, quia ſatis habuit Ariſtoteles ea recitare, quæ inter ſe opponuntur, nam acquirere & frui quodammodo contraria ſunt. tale eſt illud Ciceronis; Ita illum in perſequendi ſtudio mœror, hos lætitia retardauit. mæror enim & lætitia ſunt inter ſe contraria.

TEXT. *Item illa; ſæpe accidit in eiuſmodi rebus, ut prudẽtes aberrent, & inſipientes rectè gerant: Statim quidem præmia fortium uirorum obtinuerunt, ſed non ita multo poſt imperium maris acquiſiuerunt. Terrã quidem nauigaſſe, maria uero ambulaſſe: Helleſpontum quidem coniunxit, Athonem uero perfodit; Qui natura ciues eſſent, lege priuati ſunt ciuitate: ex eis .n. alij malè perierunt, alij turpiter ſeruati ſunt; Priuatè quidem ſeruis uti barbaris, publicè uero pati multos ſociorum ſeruos eſſe; uel uiuentes habere, uel morientes relinquere.*

COMM. Addit alia ſeptẽ exẽpla, ex eadẽ orõne ſũpta, quo res aptior & manifeſtior ſit. primũ cõtinet prudẽtes & inſipiẽtes, aberrare, & recte gerere. Alterũ,

ſtatim

ſtatim & poſt, obtinere & acquirere. Tertium terram & maria, nauigare, & ambulare, Quartum, Helleſpontum & Athonem, coniungere & perfodere, Quintum, naturam & legem, malè perire, & turpiter ſeruari. Sextũ, priuatè & publicè, ſeruos & ſocios. Septimum, uiuentes & morientes, habere & relinquere. Semper autem, ut ait in Oratore Cicero, cum contrariis opponuntur contra numerum oratorium neceſſitate ipſa efficiunt, & eum ſine induſtria. quare Cicero ipſe frequentiſſimus eſt in hoc genere. ſicut iam ſupra demonſtratum eſt. pro P. Seſtio; ſed mihi omnis ratio eſt cum uirtute nõ cum deſidia, cum dignitate, non cum uoluptate, cum iis, qui ſe patriæ, qui ſuis ciuibus, qui laudi, qui gloriæ, non qui ſomno & conuiuiis, & delectationi natos arbitrantur. In Piſonem; Homini ille honorem, non generi, moribus non maioribus meis, uirtuti perſpectæ, non auditæ nobilitati deferebat. Plinius in Panegyrico; Non enim periculum eſt, ne cum loquar de humanitate, exprobrari ſibi ſuperbiam credat, cum de frugalitate luxuriam, cum de clementia crudelitatem, cum de liberalitate auaritiam, cum de benignitate liuorẽ, cum de continentia, libidinẽ, cum de labore inertiam, cum de fortitudine timorem, ſed plurima ſunt apud optimos quoſque auctores huius rei exempla.

TEXT. *Et quod ita Picholaum, & Licofronem quidam in iudicio dixit; Hi cum domi eſſent, nos uendebant, poſtquam ad nos uenerunt, ipſi empti ſunt. in his enim omnibus id eſt, quod antea diximus.*

COMM. Addit aliud exemplum eiuſdẽ generis, in quo inter ſe opponuntur contraria. quidam enim Orator in iudicio cum Pitholaum & Lycophronem inſectaretur, & mutatam eorum fortunam inuaderet, cum (inquit) hi domi ſuę eſſent, nos uendebãt, at poſtquam ad uos uenerunt, ipſi empti ſunt. hic enim ſunt poſita, domi eſſent, ad nos uenerant, uẽdebant, empti ſunt. Tale eſt illud Ciceronis pro Roſcio Am. Prędia mea tu poſſides, ego aliena miſericordia iuuo, mea domus ſibi patet, mihi clauſa eſt in his omnibus exemplis (inquit Ariſtoteles) eſt id, quod antea diximus arbiter, hoc eſt oppoſita elocutio. Qui nam uero fuerint Pitholaus & Lycophron de quibus meminit hoc in loco Ariſtoteles, non ſatis conſtat niſi forte credere uelimus fuiſſe duos fratres Thebes uxoris Alexandri Ferrei Tyrãni qui, ſicuti Diodorus ſcribit, impulſi à ſorore Tyrannũ interfecerunt, ac primo Rep. moderatè miniſtrãtes maximis honoribus à ſuis ciuibus affecti ſunt, poſtea uero dominatum regium inuaſerunt, contra quos Philippus Magni Alexandri pater diu bellum geſſit, ſed hi tres fuiſſe memorãtur, Pitholaus Lycophron, & Tyſiphonus, qui tandem à ſociis deſerti Philippo urbẽ tradiderunt, & fide ab eo accepta ad Phayllum profecti ſunt.

TEXT. *Iucunda uero eſt huiuſmodi locutio, quoniam contraria maximè nota ſunt, & cum inter ſe conferuntur ſunt etiam notiora: Et quia ratiocinationis formam præ ſe fert; elencus enim contrariorum collectio eſt.*

COMM. Duas affert rationes, quare oppoſita elocutio, quæ etiam contemptio uocatur, iucunda ſit, altera eſt, quia contraria continet, quæ cum per ſe notiſſima ſint, tum ex aliorum contentione fiunt etiam notiora. nihil autem iucũdius eſt perſpicua, & illuſtri oratione, q̃ res ipſas quaſi oculis ſubiicit, & efficit ut eas non audire ſed uidere uideamur, qualis eſt illa Ciceronis contra Verrem contentio; conferte hanc pacem cum illo bello, huius Prætoris aduentum cum illius Imperatoris uictoria, huius cohortem impuram, cum illius exercitu inuicto, huius libidines, cum illius cõtinentia, ab illo, qui cæpit, conditas, ab hoc, qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas. quid enim hac oratione ſuauius aut illuſtrius inueniri poteſt? altera eſt iucunditatis ratio, quòd hæc locutio ex contrariis argumentationi ſimilis eſt, & probationis uim habet. ſiquidem ea ratiocinationis forma quę Elenchus dicitur, nihil aliud eſt, quam contrariorum collectio, uocat enim Ariſtoteles Elenchum cõtradictionis ſyllogiſmum, qui fere idem eſt, aut non admodum in ſuo genere diuerſus ab eo, quod rhetores uocant Enthymema à repugnantibus, uel à contrariis, quod omnium habetur acutiſſimum, ut in Topicis ait Cicero. Tale eſt illud pro Q. Ligario; Quorum igitur impunitas Cæſar tuæ clementiæ laus eſt, eorum ipſorum te ad crudelitatem acuet oratio? & pro Milone; Eius igitur mortis ſedetis ultores cuius uitam ſi putetis per uos reſtitui poſſe nolitis? ſunt autem hæc enthymemata & ingenioſiſſima & iucundiſſima.

TEXT. *Oratio igitur huiuſmodi contentio nominatur.*

COMM. Hæc (inquit) elocutio quæ conficitur ex contrariis vocatur antitheſis, ideſt contentio. ſic enim Cornificius libro ad Herennium quarto; contentio eſt, cum ex contrariis uerbis oratio conficitur hoc pacto; habet aſſentatio iucunda principia, eadem exitus amariſſimos affert. Item, Inimicis te placabilem, amicis inexorabilem præbes. uel cum res inter ſe contrariæ conferuntur. ut, Nam qui rationibus ſuis inimicus ſemper fuerit, eum quomodo alienis rebus amicum fore ſperes? Quos ex collibus deiecimus, cum his in campo metuimus dimicare?

TEXT. *Compar. uero dicitur cum æqualia membra ſunt.*

COMM. Interdum elaborat orator, ut uerba uerbis quaſi dimenſa & paria reſpondeant, quam exornationem & concinnitatem Græci παρίσωσιν & ἰσόκωλον uocant, Cornificius compar appellat, cum ita inquit; Compar appellatur, quod habet in ſe membra orationis, quæ conſtant, ex pari ferè numero ſyllabarum. ut, In prælio mortem pater oppetebat, domi filius nuptias cõparabat. Item, Illi fortuna felicitatem dedit, huic induſtria uirtutẽ cõparauit. Quintilianus lib. 9. ſic ait; Etiã ut ſint mẽbris æqualibus qđ ἰσόκωλον dicitur, ut, ſi

quantum in agro locisq; deſertis audacia poteſt, tantum in foro atque iudiciis impudentia ualeret, non minus nunc in cauſa cederet A. Cæcina Sex. Ebutij impudentiæ, quam tum in ui facienda ceſſit audaciæ.

TEXT. *Aßimilatio uocatur cum extremæ partes utriuſque membri ſimiles ſunt. neceſſe eſt autem hoc uel initio, uel in fine fieri: atque initio quidem nomina ſemper ſimilia ſunt, in fine uero ſimiles ſunt extremæ ſyllabæ, uel eiuſdem nominis caſus, uel nomen ipſum.*

COMM. Aſsimulatio, quæ παρομοίωσις græcè dicitur, multas complectitur exornationes, uel enim initio membrorum fit, uel in fine. Si fit initio, nominum tantum ſimilitudo quædam ſpectatur, quæ latinè dicitur agnominatio, ut Virgilius, puppeſque tuę, pubesque tuorum. Deligere oportet, quẽ uelis diligere. Auium dulcedo te duxit ad auium. Amari iucundum eſt, ſi curetur nequid inſit amari. Terentius, Nã inceptio eſt amentiũ, haud amãtium. ſi fiat in fine, uel extremæ ſyllabæ ſimiles ſunt, & appellatur ſimiliter deſinens, ut eius ſemper uoluntatibus non modo ciues aſſenſerint, ſocij obtemperarint, hoſtes obedierint, ſed etiã uenti tempeſtatesque obſecundarint. uel caſus ſimiles ſunt, & appellatur ſimiliter cadens, ut labor in negociis, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo. quamuis Ariſtoteles caſus intelligere uideatur, quæ ab eodem nomine uariè commutantur, & à Cicerone coniugata dicuntur, ut homo, humanus, humaniter. Itaque dixit eiuſdem nominis caſus, ut, humaniter eũ tractare debes, cum ipſe ſit tam humanus. Terentius homo ſum, humani nihil à me alienum puto. Cicero pro Roſcio Am. Etenim rectum putabat, pro eorũ honeſtate ſe pugnare, propter quos ipſe honeſtisſimus inter ſuos numerabatur. ſed hos caſus uult Ariſtoteles tantũ in fine παρομοίωσιν, ideſt aſsimulationem facere, ut, uiri temperãtis eſt, omnia gerere temperatè. uel denique nomen ipſum in fine repetitur, quæ conuerſio nominatur, ut ex quo tẽpore concordia de ciuitate eſt ſublata, libertas eſt ſublata, fides eſt ſublata, amicitia eſt ſublata. Ex his intelligi poteſt aſsimilationem eſſe tanquam genus, quæ ad plures ſpecies pertineat.

TEXT. *Initio igitur fiunt hoc modo: Agrum accepit agrum ab eo.*

COMM. Illuſtrat exemplis partes aſsimilationis, ac primo ponit eius exempla quæ fit initio, quæ agnominatio dicitur. & gręcè quidem ager incultus & deſertus ἀργὸς uocatur, quaſi ignauus. unius igitur tantum literæ mutatio facta eſt, uel potius trãſpoſitio, ut ἀγρὸς ἀργὸς dicatur. nos ut græcam figuram latinè exprimeremus, tranſlatè & impropriè, agrum ægrũ uertimus. nã æger tantum de animalibus ꝓprie dr̃, quamuis Virg. ęgrã ſegetẽ dixerit;

3. *Aen.* Arebant herbæ, & uictum ſeges ægra negabat.

TEXT. *Placati donis, pacatique ore fuerunt.*

COMM. Alterum exemplum eiuſdẽ aſsimilationis. eſt autem Homeri carmen, ſumptũ ex nono Iliadis, ubi Phœnix Achilli ſuadet, ut cum Agamemnone in gratiam redeat, cum etiam alij multi præclari uiri acceptis iniuriis tamen poſtea placati fuerint. græce ita profertur;

Δωρητοί τ' ἐπέλοντο παράρρητοί τ' ἐπέεσσι.

agnominatio eſt in illis nominibus *δώρητοι* & *παράρρητοι* quam nos imitati ſumus in illis, placati & pacati.

In fine uero hoc modo; Non putarunt ipſum puerum peperiſſe, ſed eius cauſam extitiſſe; In cura quidem plurima, in ſpe uero minima. TEXT.

Altera ſpecies aſsimilationis eſt, cũ extremæ ſyllabę membrorum ſimiles ſunt, & dicitur, ſimiliter deſinens, & ſimiliter cadens. cuius duo ponit exempla, quorum in altero tantum extremæ ſyllabæ ſpectantur, ut peperiſſe, & extitiſſe, in altero uero & ſyllabæ & caſus, ut plurima & minima. priori ſimile eſt illud pro P. Seſtio: eaque non ſilentio conſulum disſimularentur, ſed & uoce, & ſententia comprobarentur. poſteriori illud; ſi non ſubtilius diſputandum, at certè dolentius deplorandum. COMM.

Caſus autem eiuſdem nominis hoc modo; Eſt uero dignus ærea ſtatua, qui non dignus eſt ære. TEXT.

Tertia ſpecies aſsimilationis fit in caſibus eiuſdem nominis, quod elegãti exemplo declarat Ariſtoteles, uel ab aliquo auctore ſumpto, uel ab ipſo ficto. poteſt autem dici in hominem uilẽ & abiectum, qui tamen maximos honores ambiat, & eis ſe dignum putet. nã apud antiquos, qui ſe in Rep. præclarè gesſiſſent, æreis ſtatuis decorabantur. nã Phalereo Demetrio legimus ab Atheniẽſibus trecentas fuiſſe ſtatuas erectas. Romæ etiam genus hoc honoris erat frequentisſimum. at uero uilis & abiectus homo non aſſe aut ære dignus diceba tur, quod aſſes ex ære fierent. hoc igitur exemplũ per ironiam ita pronunciandum eſt. Eſt uero dignus ærea ſtatua, qui non dignus eſt ære. COMM.

Idem nomen hoc modo; Tu illi cum uiueret, dicebas male, & nunc in eum ſcribis male. TEXT.

Quarta aſsimilationis ſpecies eſt, cum idẽ nomen in fine membrorum repetitur, quod uno exẽplo docet Ariſtoteles, Tu illi uiuenti dicebas malè, nunc in mortuum ſcribis malè. ſed hæc rarior eſt, quam ſint ſuperiores. interdum idem nomen initio membrum ſæpius repetitur, & alterum in fine eodem modo iteratur, quæ figura dicendi cõplexio nominatur, ut Cicero de lege Agraria contra Rullum; Quis legẽ tulit; Rullus. quis maiorem partem populi ſuffragiis priuauit? Rullus. Quis comitiis præfuit? Rullus. COMM.

Fit etiam in una extrema ſyllaba; ut, quodnam paſſus es malum, ſi hominem uidiſti ignauum? TEXT.

Illa quoque dicitur aſsimilatio, cũ extrema tantum ſyllaba, eodem modo deſinit, licet aliud nihil ſimile ſit, ut in exemplo quod ipſe Ariſto. attulit, in quo cum duo membra ſint, extrema tantũ ſyllaba utriuſq; mẽbri, non eadẽ eſt, ſed ſimiliter deſinit. ut Cic. pro lege Man. Qui ſæpius cũ hoſte conflixit, quã qſquã cũ inimico cõcertauit. Itẽ, Nõ libido ad uoluptatẽ, nõ amœnitas ad delectationẽ. COMM.

TEXT. *Poſſunt etiam interdum hæc omnia coniungi, ut idem ſit & contentio, & compar, & ſimiliter deſinẽs.*

COMM. Hæc ornamenta, quæ diximus, cum per ſe magnam uenuſtatem habent, tum multo maiorem ſi inter ſe coniungantur. nam interdum eadem uerborum comprehenſio talis erit ut in ea ſint, & cõtrariis contraria relata, & parla paribus, & membra ſimiliter deſinentia. qualis eſt illa pro Milone, de qua ipſemet Cicero gloriatur, Eſt enim hæc iudices nõ ſcripta ſed nata lex. quam nõ didicimus, accepimus, legimus, uerum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expresſimus. ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus. In Piſonem, ut mihi illa omnia immortalem gloriam dederint, tibi ſempiternam turpitudinẽ inflixerint.

TEXT. *Principia uero periodorum in libris ad Theodectem, ferè ſunt à nobis enumerata.*

COMM. Ex hoc loco poteſt intelligi quantopere decipiantur illi, qui putant hos libros rhetoricos, eſſe illos quos ad Theodectem ſcripſit Ariſtoteles, cũ ipſemet Ariſtoteles diuerſos eſſe oſtendat. ſimul etiam tollitur eorum dubitatio, qui ambigũt utrũ à Theodecte, an ab Ariſtotele fuerit illud opus cõſcriptũ. ut lib. 2. Quintilianus, qui ita inquit; A quo non diſſentit Theodectes, ſiue ipſius id opus eſt, quod de Rhetorica, nomine eius inſcribitur, ſiue (ut creditũ eſt) Ariſtotelis. hic enim apertè pro ſuis illos libros citat. Atque hunc eſſe locum opinor, quem Val. Max. octauo libro capite de Cupiditate gloriæ ſic innuit, cum de Ariſtotele uerba facit, Is namque Theodecti diſcipulo oratoriæ artis libros, quos ederet, donauerat: moleſteque poſtea ferens titulum eorum ſic alij ceſſiſſe, proprio uolumine quibuſdam rebus inſiſtens, planius ſibi de his in Theodectis libris dictum eſſe adiecit.

TEXT. *Sunt & falſæ quædam contẽtiones, ut Epicharmus facit: Interdum unus illorum ego eram, interdum apud illos ego.*

COMM. Fit interdum (inquit) ut ea tanquam contraria inter ſe opponantur, quæ re uera non ſunt contraria. quæ quidem falſæ contentiones uocantur. qualis eſt illa Epicharmi, interdum unus illorum ego eram, interdum apud illos ego. huius generis eſt illa Ciceronis in Piſonem, ſed longè uenuſtior & elegantior; uoluit ille ſenatum interficere, Vos ſuſtuliſtis, leges incendere, uos abrogaſtis.

TEXT. *Et quoniam de his iam ſatis diximus; ſequitur, ut aperiamus, unde urbana, & præclara dicta deducantur. quæ quidẽ formare ingenioſi eſt hominis, uel exercitati, uiam autem & rationem eorum tradere, huius eſt doctrinæ proprium. de illis igitur dicamus, atque illa enumeremus, hinc potiſſimum exordio ſumpto.*

COMM. Aggreditur rem in Oratore præclaram, de qua Cicero ſecũdo de Oratore multa diſſeruit. hoc eſt de urbanitate, præclariſque dictis. & ait ingenioſi eſſe hominis & ualde exercitati, urbana & præclara dicta formare atque proferre. ſed tamen Rhetoricæ artis eſſe proprium de illis tractare, & uiã ac rationem aperire, qua poſſint inueniri. vult igitur deinceps de illis diſputare, & eorum ſpecies enumerare, nequid intactũ relinquat, quod ad huius artis perfectionem attineat. uocantur autem hæc urbana dicta, quoniam qui degunt in urbibus inter politos & eruditos homines ſæpius in eis excellunt, ruſtici autem homines ab urbanitate atq; elegantia plerunque ſunt alieni. in hoc genere Siculi, & Rhodij, & Bizantij, & præter cæteros Attici olim excelluerũt, unde etiam attici ſales, atticus lepos, & attica eloquentia prouerbio celebratur. Sed apud Ciceronem Cęſar exiſtimat à natura potisſimum & ingenio vrbanitatem proficiſci, nullo autem modo doctrina poſſe tradi. poſtea tamen quædam præcepta iocandi tradit utilisſima, quibus natura & exercitatio poſſit adiuuari. Quocirca ſentit idem omnino Cicero cum Ariſtotele. nempe naturam primum ad facetias & urbanitatem ualere plurimum, deinde artem & exercitationem. prodeſt autem urbanitas, uel quod beneuolẽtiam oratori conciliat, uel quod ipſum oratorẽ politum eſſe hominem ſignificat, quod eruditum, quod urbanum: maximeq́ue quod triſtitiam ac ſeueritatem mitigat, & relaxat. odioſasq́ue res ſæpe, quas argumentis dilui, non facile eſt, ioco riſuque diſſoluit.

Natura hoc inſitum eſt omnibus, ut cum aliquid facile diſcunt, uoluptatem ſentiant, nomina uero ſemper aliquid ſignificant, quare quæcunque nomina rei alicuius notitiam nobis inſerunt, ea iucũdiſſima ſunt. TEXT.

Hoc primum præceptum eſt urbanitatis, ut ea nomina quæramus quæ noui aliquid auditoribus facile oſtendãt. ex eis enim hilaritatem nacti, probat hoc argumento. quod omnes homines naturę quodam inſtinctu ſcire deſiderãt, & cum aliquid ſine labore ac facile diſcunt, ſemper uoluptatem ſentiunt, ipſa uero nomina ſunt ea de cauſa inuenta, ut ſemper aliquid nobis oſtendant. itaque fit, ut illa omnia nomina, quæ ſunt eiuſmodi, ut facilem alicuius rei notitiam & ſcientiam nobis afferant, iucundisſima ſint, qm̃ illud cito, & ſine difficultate efficiũt, p p qđ inuenta ſunt nomina. quæ ſint igitur huius generis nomina uidendum eſt. COMM.

Ac peregrina quidem nomina nobis ignota ſunt, propria uero iam cognita. TEXT.

Duo genera nominũ remouet ab urbanitate, hoc eſt peregrina, & propria. ſed diuerſa ratione. nam peregrina ſunt nobis incognita, quare placere non poſſunt, cum nullam notitiã afferunt, quia non intelliguntur, propria uerò, quia cognita ſunt, nihil noui oſtendunt, itaque non admodum ſunt iucunda. quamobrem neque in peregrinis nominibus, neque in propriis ulla eſt urbanitas. COMM.

Sed tranſlatio maximè hoc efficit. Cum enim quis ſenectutem appellat ſtipulam, inſerit nobis cognitionem ac notitiam propter genus: hæc enim ambo uiriditatem amiſerunt. TEXT.

Prima uirtus urbanitatis eſt in translatione ſiue metaphora, quæ nomen à propria ſignificatione in aliam transfert, & nouam ſemper alicuius COMM.

 ſimilitu-

ſimilitudinis iucundæ notitiam affert. quod exemplo declarat Ariſtoteles. ſiquis (inquit) ſenectutem appellet ſtipulam, noſtro ſtatim animo cognitionem nouam afferet, propter genus ipſum, quoniam ambo hoc eſt ſenectus & ſtipula iam uiriditatem amiſerunt; atque ita ſunt in aridorum genere, neque amplius reuireſcere poſſunt. Cicero pro M. Cælio iucundiſsimam efficit orationem frequenti metaphora cum ita inquit; Prægeſtit animus iam uidere, primum lautos iuuenes mulieris beatæ ac nobilis familiares, deinde fortes uiros ab imperatrice in inſidiis atque in præſidio balnearum locatos. ex quibus requiram, quonam modo latuerint? aut ubi? alueus ne ille, an equus Troianus fuerit? qui tot inuictos uiros muliebre bellum gerentes tulerit, ac texerit? in ſecundo de Oratore cum de facetiis loquitur, ita inquit; Ex translatione aũt ut cum Scipio ille maior Corinthiis ſtatuã pollicentibus eo loco, ubi aliorum eſſent imperatorum: turmales dixit diſplicere. Sed ea potiſsimum iucunda eſt translatio quæ rem quaſi oculis ſubiicit, ut Ouidius cum ſignificare uellet, amorem abſcondi non facile poſſe, ſic inquit;

—quis enim celauerit ignem,
Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo?

TEXT. *Quinetiam poetarum imagines idem efficiunt, itaque ſi bene poſita fuerint, Vrbanus ſermo uidetur. eſt enim imago (ſicut antea dictum eſt) translatio, quæ tantum adiunctione differt.*

COMM. Imagines poetarum eo ſere modo, quo translationes iucundam orationem, & urbanã efficiunt, modo bene poſitæ fuerint. cuius rei cauſa eſt, quoniam (ut ſupra demonſtrauimus) imago translationis quædã ſpecies, & eſt ab ea tãtum adiunctione ſimilitudinis differt. nam ſi rapacem hominem dicimus lupum eſſe translatio eſt, ſi uero dicimus eſſe tanquam lupum eſt imago. uocat autem imagines poetarum, quia frequentius eis utũtur poetæ. licet interdum etiam oratores eas uſurpent. ut ſupra docuimus. quod autem iucundam reddant orationem non eſt dubium. quid enim ſuauius illa imagine Turni, quam Virgilius ita ponit?

Attollitque animos. Pœnorum qualis in aruis
Saucius ille graui uenantum uulnere pectus
Tum demum mouet arma Leo, gaudetque comantes
Excutiens ceruice toros, fixumque latronis
Impauidus frangit telum, & fremit ore cruento.

Vel illa Ciceronis in Vatinium? Repente enim te tanquam ſerpens e latibulis oculis eminẽtibus, inflato collo, tumidis ceruicibus intuliſti. uult tamen Ariſtoteles iucundiorem eſſe metaphoram, quia breuior eſt, & magis animum mouet, itaque ſubiungit.

TEXT. *Atque ideo minus eſt iucunda, quia longius protrahitur, & non dicit, hoc, illud eſſe. atqui non hoc eſt, quod animus quærit.*

COMM. Duabus de cauſis ait imaginẽ eſſe translatione minus iucundã. primo quia longius protrahitur. nã translatio breuior eſt, imago plerunque multis uerbis indiget. deinde quia non dicit hoc, illud eſſe, ut, non dicit, Achillem eſſe Leonem, aut, amorem eſſe ignẽ, aut ſenectutem eſſe ſtipulam, ſed dicit eſſe tanquam Leonem, & utitur ſimilitudine, quã tunc non quærit animus, cum in re eſt occupatus. magis enim delectatur, cũ audit, hoc illud eſſe, quã cum audit, hoc eſſe tanquam illud. quod exemplo facile poteſt intelligi; clamat apud Terentiũ Thais hoc modo; ſceleſta, ouem Lupo commiſiſti. hæc eſt iucundiſsima & urbaniſsima translatio. quod ſiquis ex ea faciat imaginem hoc modo; ſceleſta, puellam tanquã ouem adoleſcenti tanquam lupo cõmiſiſti, confeſtim omnem fere urbanitatẽ amittet. quãuis enim ſimilitudo ſæpe rem illuſtret, & explanet, tamen auditoris animus cupit rẽ intelligere potius quam rei ſimilitudinem. itaque magis delectatur, cum audit huiuſmodi trãſlationes, ſplendor generis, claritas nominis, ornamentum Reip. quam cum imagines aut ſimilitudines audit, ut, Scipiones fuiſſe tanquam belli fulmina, orationis copiam eſſe tanquam flumen.

TEXT. *Neceſſe eſt etiam illam elocutionem, atque illa argumenta urbana eſſe, quæ nos in alicuius rei cognitionem celeriter ducunt. quare neque argumẽta illa probãtur, quæ in promptu ſunt, (dico autem eſſe in promptu, quæ ſunt omnibus nota, & non indigent, ut quærantur) neque illa, quæ cum prolata ſunt, adhuc tamen ignorantur.*

COMM. Altera uirtus urbanitatis eſt in elocutione atque argumentis, quæ nobis alicuius rei cognitionem celeriter afferunt. itaque duo genera argumẽtorũ reprobat, tanquam ad iucunditatem non idonea, quorũ alterum nimis notum eſt, alterum nimis ignotum. nã illa argumẽta quæ ſunt in promptu atque omnibus nota, delectare non poſſunt, cum nihil nouum doceant, neque animum ad intelligendum & inueſtigandum excitent, imo uero ſæpiſsimè contemnuntur, ut pote nimis trita, & uulgaria. illa uero, quæ cum prolata ſunt, non facile intelliguntur propter obſcuritatem, omnino delectationem habere non poſſunt, ſed potius moleſtiam & faſtidium auribus afferunt. quamobrem hæc duo genera argumentorum ſunt relinquenda.

TEXT. *Sed illa, quæ ſimul atque proferuntur, nos in cognitionem ducunt, etiam ſi prius nihil ſciremus, uel quæ paulo poſt intelligentia comprehenduntur. hoc. n. modo quaſi diſciplina gignitur, ſed illo nequaquam.*

COMM. Iucũda & urbana ſunt (inquit) illa enthymemata, quæ cum audiuntur, efficiunt ut rem ſtatim intelligamus, etiam ſi prius eam ignoraremus, uel ſi non ſtatim percipimus, ſaltem paulo poſt apprehendamus, nam ita fit, ut in nobis quædam diſciplina gignatur. illo uero modo, quem ſupra diximus, neque ſtatim, neque paulo poſt, quicquam diſcimus. Sunt autem huius generis penè infinita enthymemata, quæ iucundam orationem efficiãt, ut à coniugatis, pro M. Cælio; uos laborioſos exiſti-

exiſtimet, quibus ocioſis ne In communi quidem ocio licent eſſe. à genere, pro eodem; Id nunquam tam acerbe feret M. Cælius, ut eum pœniteat, non deformẽ eſſe natum. ſunt etenim iſta maledicta peruulgata in omnes quorũ in adoleſcẽtia forma & ſpecies fuit liberalis. Item, datur enim conceſſu omnium huic aliquis ludus ætati, & ipſa natura profundit adoleſcentiæ cupiditates. ab eſfectis, ut aliquot enim in cauſis eum uiderã fruſtra litigantem. ab efficiente, ut, Quod quidem facerem uehementius niſi intercederent mihi inimicitiæ cum iſtius mulieris uiro, fratrem uolui dicere, ſemper hic erro. à repugnantibus; ut, Ideo ne ego pacem Pyrrhi diremi, ut tu amorum turpiſſimorum quotidie fœdera ferires? ſed (ut dixi) penè infinita ſunt huius generis.

TEXT. *Atque in ſententia quidem eorum, quæ dicuntur talia potiſſimum excellunt argumenta: in locutione uero conformanda, ſi contraria contrariis opponantur, ut, Eam pacem, quæ aliis omnibus communis eſt, exiſtimant ſuis priuatis rebus eſſe bellum. contrarium eſt enim bellum paci.*

COMM. Orationis iucunditas atque urbanitas, aut eſt in ipſa ſententia rerum, quæ dicuntur, aut in elocutionis forma. de ſententia iam dictum eſt, cum declaratum ſit, quę argumenta maximè probentur, reſtat, ut de forma elocutionis dicamus. eam igitur primo iucundam eſſe cenſet Ariſtoteles elocutionem, in qua contraria contrariis opponuntur, & exemplum affert ex oratione Iſocratis, quã ad Philippum de pace ſcripſit, ubi quoſdam Græcos homines notat, qui pacem turbare conabãtur, exiſtimantes priuatis ſuis rebus bellum eſſe utilius. quo in loco bellum paci opponitur. Sed apud Ciceronem hæc concinnitas contrarium eſt frequentiſſima & iucundiſſima, ut pro M. Cælio de Catilina; Quis clarioribus uiris quodam tempore iucundior? quis turpioribus coniunctior? quis ciuis meliorum partium aliquando? quis tetrior hoſtis huic ciuitati? quis in uoluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate auarior? quis in largitione effuſior?

TEXT. *In uerbis, ſi tranſlatio adhibeatur, quæ neque ſit aliena, difficile enim percipitur, neque uulgaris. nihil enim commouet.*

COMM. In ipſis uocabulis erit uenuſtas & ſuauitas, ſi bene tranſlata fuerint, ut iam ſupra dictum eſt, ſed primo uidendum eſt, ne tranſlatio ſit aliena, & nimis remota. ſic enim eſſet uitioſa, quoniam non facile percipi poſſet, ut ſiquis diceret, Syrtim patrimonij, aut Carybdim bonorum. deinde ne ſit uulgaris & abiecta. nam auditorem nihil afficeret, multæ ſunt enim translationes in promptu, atque omnibus notæ, quæ parũ aut nihil mouent, ut animo uoluere, deſiderio teneri, diem conſumere, & huiuſmodi ſexcentæ, quæ licet bonæ ſint, & uſitatæ, tamen quia notiſſimæ ſunt omnibus, & uulgatiſſimæ, nihil animos mouere poſſunt. itaq; ſunt illæ inueſtigandæ, quæ mouendi uim habeãt, ut iucunda & urbana fiat oratio. quales ſunt illæ pro Milone, delegit è florentiſſimis ordinibus ipſa lumina. Item, fontem perennem gloriæ ſuæ perdidit, Item, Atque illam belluam iudicij laqueos declamantem iam irretitam teneret. Item, polluerat ſtupro ſanctiſſimas religiones, ſenatus grauiſſima decreta perfregerat. nam huiuſmodi translationes uehementer animos mouent, atque ad aſſentiendum impellunt.

Et, ſi rem oculis ſubijciat, magis enim oportet, quæ fiant, uidere, quam, quæ poſtea ſint futura. TEXT.

Victorius hoc ad translationem refert, ut dicat Ariſtoteles eam translationem eſſe laudabilem, quæ rem ante oculos conſtituit. ſed omnino decipitur, ut aperte conſtat ex iis, quæ ſequuntur. nam ad locutionem ipſam, non ad translationem eſt referendum. tres enim ſpecies elocutionis probat Ariſtoteles tanquam iucundas & urbanas, primã in qua contrariis contraria referuntur, alteram in qua ſint egregiæ translationes, tertiam, quæ rem oculis ſubiiciat, quæ quidem elocutio uocatur ἐνάργεια, ut in ſequenti uerſu docet Ariſtoteles. Eſt igitur huius loci ſenſus. Præter ea, quæ dicta ſunt, elocutio probatur, & excellit, cum rem ante oculos conſtituit, atque efficit, ut non audire, ſed uidere uideamur. nam ut animi cõmoueantur, res quæ fiunt uidere oportet, nõ eas audire quę poſtea futuræ ſunt. De hac re Quintilianus libro octauo ſic ait. Magna uirtus eſt, res, de quibus loquimur, clarè, atque ut cerni uideantur, enunciare. Non enim ſatis efficit, neque (ut debet) plenè dominatur oratio, ſi uſque ad aures ualet, atque ea ſibi iudex de quibus cognoſcit, narrari credit, non exprimi & oculis mentis oſtendi. Plurimum (inquit) in hoc genere, ſicut In cæteris eminet Cicero. An quiſquam tam procul à concipiendis imaginibus rerum abeſt, ut cum illa in Verrem legit, ſtetit ſoleatus prætor populi Romani cum pallio purpureo, tunicaque talari, muliercula nixus in littore. non ſolum ipſum os intueri uideatur, & locum, & habitum, ſed quædam etiam ex iis, quæ dicta non ſunt, ſibi ipſe adſtruat? Ego certe mihi cernere uideor & uultum, & oculos, & deformes utriuſq; blanditias, & eorum qui aderant, tacitam auerſationem, ac timidam uerecundiam. hæc Quintilianus. hæc autem exornatio græco nomine dicitur ἐνάργεια, Quintilianus euidentiam uocat, Cicero illuſtrem explanationẽ. ſic enim in tertio de Oratore Craſſus, & illuſtris explanatio, rerumq; quaſi gerantur, ſub aſpectum penè ſubiectio. Cicero ꝓ Milone, Videte nũc illum primum egredientem e uilla ſubito. ſæpe tamen hæc inter ſe commiſcẽtur, ut contentio cum euidentia, & euidentia cum translatione, ut ſeptima in Verrem, Ipſe inflammatus ſcelere ac furore, in forum uenit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat. pro Milone; Age nunc iter expediti latronis, cum Milonis impedimentis compara te, ſemper ille antea cum uxore, tum ſine ea, nunquam non in rheda dum in equo, comites Gręculi quocunq; ibat, etiã

cum in caſtra Hetruſca properabat, tum nugarũ in comitatu nihil. & quæ ſequuntur. Nam in his & illuſtris explanatio eſt, & contentio, & tranſlationes.

TEXT. *Tria igitur hæc ſunt conſideranda, tranſlatio, contentio, euidentia.*

COMM. Vt elocutio iucũda ſit atque urbana, tribus his rebus efficitur (ut iam ante docuimus) ſi in ea fuerint appoſitæ atque accommodatæ tranſlationes, ſi contraria contrariis opponantur, ſi deniq; res dicendo ſubiicietur oculis. quare ſunt hæc tria diligenter ab oratore conſideranda.

TEXT. *Cum autem tranſlationum genera ſint quatuor, illæ maximè excellunt, quæ fiunt ex proportione: quẽadmodum Pericles dixit, de iuuentute, quæ in bello perierat, ſic è ciuitate ſublatam, ut, ſiquis uer ex anno tolleret.*

COMM. De Tranſlatione iam ſupra dictum eſt, & copioſius in Arte poetica, ubi etiam eius ſpecies numerat, & explicat, in pręſentia uerò docet, quę trãſlationes maximè excellant, & urbanæ ſunt, atque ait illas eſſe, quæ ex proportione ducuntur, cuius generis multa ponit exempla, ac primum Periclis eſt Athenienſium Imperatoris, qui, ſicut etiam in primo libro dictum eſt, cum orationem haberet in eorum laudem, qui in bello perierant, dixit, ita iuuentutem è ciuitate ſublatam, ut ſiquis uer ex anno tolleret. nam quatuor in rebus ſemper eſt proportio, quæ ita procedit in hoc exemplo, quod uer eſt in anno, idem eſt iuuentus in ciuitate. Sed uer anni pulcherrima & præſtantisſima pars eſt, itaque etiam iuuentus eſt pulcherrima & præſtantisſima ciuitatis pars. Herodotus in Polyhymnia dictum hoc Geloni Syracuſano attribuit. cum. n. Lacedæmonij atque Athenienſes peterẽt ab eo ſocietatem & auxilium contra Xerſem Perſarum regem, reſpondit Gelo ſe pręſto futurũ Græcis, modo uel maritimarum rerum, uel terreſtriũ ſibi imperium committerent. quam conditionem cum recuſaſſent, iuſſit legatos Græcis renunciare, uer ab eis ex anno ſublatum eſſe. nam ſe atque exercitum ſuum totius Græciæ florem eſſe indicabat.

TEXT. *Et Leptines de Lacedæmonijs dixit; non oportere pati, ut Græcia alter oculus erueretur.*

COMM. Alterum exemplum tranſlationis à proportione ductæ. cum enim Lacedæmonij grauiter eſſent afflicti, & quidam apud Athenienſes cenſerẽt, eorum urbem eſſe penitus euertendam, Leptines dixit, non eſſe ferẽdum, ut Græciæ alter oculus erueretur. nam hac ratione Græciam lectisſimæ fœminæ comparauit, cuius duo oculi eſſent Athenæ, & Lacedęmon, quod ſi Lacedæmon euerteretur, altero oculo Græcia priuaretur. itaque omnem uenuſtatem amitteret, ſicuti fœmina cum unum amittit oculum, non amplius pulchra dici poteſt. quod igitur oculus in corpore, hoc Lacedæmoniorum urbs in Græcia.

TEXT. *Et Cephiſodotus, cum Chares Olynthiaci belli tempore uellet adminiſtrationis ſuæ rationes reddere, id ægrè ferens dixit, eum, cum in furno populum inclusum haberet, uelle reddere rationes.*

COMM. Tertium exemplum tranſlationis à proportione. quod ut melius intelligatur, ſciendum eſt apud Athenienſes, qui Democratia, hoc eſt, populari ſtatu utebantur, hanc fuiſſe cõſuetudinem, ut, qui in aliquo magiſtratu fuiſſent, & aliquid publice procuraſſent, adminiſtrationis ſuæ deinde populo rationes redderent, & ſi bene ſe gesſiſſe, atque utilitati Reip. ſtuduiſſe probarentur, honores & præmia conſequebantur. at uerò qui aliquid in Rep. offendiſſent, debitas pœnas luebant. Igitur Chares, cum Athenienſes in bello contra Olynthios gerendo eſſent occupati, ſtudebat adminiſtrationis ſuæ rationes reddere, ſperabat enim eo tempore populum erga ſe mitem futurum, quoniã opera ſua uehementer indigebat. erat enim ſatis ſtrenuus imperator. Itaque Cephiſodotus dixit, Charetem, cum in furno populum incluſum haberet, uelle rationes reddere. ut enim qui in furno ſunt incluſi, nihil aliud curant, quam ut quamprimum exeant, ne ſuffocentur, ita qui graui bello premuntur, nihil aliud ſtudent, quam ab eo, quam celerrimè fieri poteſt, liberari. Tradunt hunc Charetem Athenienſium ducem ſolitum fuiſſe plurima cuiuis polliceri, neque tamen quicquam præſtare. quo factum eſt, ut uulgo χάρητος ὑποσχέσεις idest Charetis pollicitationes, dicerentur de ijs, qui facile benigneque promitterent. ſed poſtea nihil aut pauca præſtarent.

TEXT. *Idem cum Athenienſes aliquando hortaretur, ut in Euboeam irent, poſtquam rei frumentariæ proſpexiſſent, dixit, oportere Miltiadis decretum in expeditionem proficiſci.*

COMM. Addit aliud eiuſdem Cephiſodori dictum metaphoricum. Athenienſes cum montanam haberẽt regionem, frumento utebantur importato. itaque ſæpe neceſſe erat in alias regiones ire frumentatum, cum domi ſuæ non haberent, unde alerẽtur. cum igitur bellum contra Euboenſes olim à Miltiade decretum fuiſſet, & propter inopiam rei frumentariæ nunquam fuiſſet ſuſceptum. Cephiſodotus, poſtquam uidiſſet, ſatis ab Athenienſibus rei frumentariæ prouiſum fuiſſe, dixit, tunc demum oportere Miltiadis decretum in expeditionẽ proficiſci, ut quod Miltiadis decretum egerat in iubendo, id res frumentaria prouiſa ageret in exequendo. ſic enim à proportione erit tranſlatio.

TEXT. *Et Iphicrates poſtquam Athenienſes cum Epidauriis, & omni ora maritima fœdus percusſiſſent, id ægrè ferens, dixit, ipſos belli uiatica ſuſtuliſſe.*

COMM. Quoniam hæ tranſlationes à proportione ductæ ſunt acutæ atque ingenioſæ, ideo Ariſtoteles multa exempla recitat, Iphicrates egregius Athenienſium Imperator, moleſte ferens ab Athenienſibus cum Epidauriis, & ijs, qui oram maritimam incolebant, fœdus fuiſſe percuſſum, dixit ab eis belli uiatica fuiſſe ſublata. uoluit enim declarare, Epidaurios & oram maritimam in bello magnam Athenienſibus utilitatem afferre ... [illegible]

hæc proportio; quod uiaticum eſt iter facientibus, idem eſt Epidaurus & ora maritima bellum gerentibus Athenienſibus.

TEXT. *Et Pitholaus, eam nauē, quæ Paralus uocabatur, dixit eſſe clauam populi, Seſtum autem arcam frumentariam Piræi.*

COMM. Athenienſes nauem quandam miræ celeritatis habebaut, quæ Paralus dicebatur, à quodam Paralo antiquo heroe Athenienſium, de quo meminit ēt Cicero in Verrem actione ſexta, ea nauis in marinis negociis & prœliis Athenienſibus erat utiliſſima, quod hoſtes derepente inuaderet, & ſæpe nec òpinātes opprimeret. qua de cauſa Pitholaus eleganter eam populi clauam appellauit, ut quod Herculi, uel alii robuſtisſimo uiro claua eſt, idem populo Athenienſi Paralus eſſet. idem Pitholaus, cum uideret Athenienſes maximam frumēti uim quotannis à Seſto, quod oppidum erat in Helleſponto, Athenas conuehere, atque in Piræum, qui portus erat, & emporium Athenienſium, dixit, Seſtum eſſe Piræi arcam frumentariam. quam tranſlationem uſurpauit etiam apud Romanos M. Cato: qui Siciliam dixit eſſe Reip. Romanæ cellam penariam, ut quod arca frumentaria, uel cella penaria eſt priuatis hominibus, idem eſſet Seſtus Athenienſibus, & Sicilia Romanis.

TEXT. *Et Pericles Aeginam tolli iubebat, quæ eſſet Piræi lippitudo.*

COMM. Aegina inſula eſt (ut ait Strabo) Cycladum nobilisſima. quæ maris aliquando imperium tenuit, & in prælio nauali de principatu cum Athenienſibus contēdere non dubitauit. in ea fuit urbs eiuſdem nominis cum inſula. frequenter autem Aginetæ cum Athenienſibus disſidebant. itaque cum eſſet oppoſita & uicina Piræo Athenienſium nauali & emporia uidebatur eius gloriam obſcurare, & quaſi Piræi luminibus officere. quare Pericles Athenienſium Imperator ſuadebat Athenienſi populo, ut Aegina deſtrueretur, quod eſſet tanquā Piræi lippitudo. ut enim lippitudo, qui morbus eſt oculorum, uiſum impedit & offuſcat, ita Aegina Piræi ſplendorem imminuebat. Cicero libro de officiis tertio ita ſcribit; durius etiam Athenienſes, qui ſciuerunt, ut Aeginetis, qui claſſe ualebant, pollices præciderentur. hoc uiſum eſt utile: nimis enim imminebat propter propinquitatem Aegina Piræo, ſed nihil quod crudele, utile.

TEXT. *Et Merocles, cum probum quendam hominem appellaſſet, dixit, ſe illo nulla in re eſſe improbiorem, illum enim ternis fœnoribus improbitatem exercere, ſe uero denis.*

COMM. Hic locus ualde eſt obſcurus, & à nullo adhuc interprete (quod ſciam) explicatus. neque enim apparet ubi ſit tranſlatio, neque quomodo ſeruetur proportio. quare coniectura eſt utendum. Ego ſane iocum eſſe elegantem & facetum exiſtimo ductum ab eo nomine τόκος, quod proprie fœtum & filium ſignificat, tranſlatè uerò uſuram, ut enim filii à patribus gignuntur, ita uſuræ à pecuniis creditis. ſed erant uſuræ, quæ concedebantur. & à probis etiam uiris exercebantur, ut trientes, & ſemiſſes uſuræ, ſicuti noſtro tempore illi etiam qui boni uiri conceduntur ita fœnerantur, ut ex centum aureis creditis, annuo ſpacio quinque pro fœnore exigant. erant etiam uſuræ, quas tantum improbi, & auari exercebāt, ut centeſimæ, & quinquageſimæ. dicebantur autem centeſimæ, quæ centum menſibus ſortem æquabant. itaque ex cētum quotannis duodecim pro fœnore exigebant. quinquageſimæ uero quæ menſibus quinquaginta ſortem æquarent, hoc eſt duplicatæ centeſimæ, quæ quotannis ex centum, quatuor & uiginti pro fœnore exigebant. quam uſuram noſtro tempore utinam aliqui non ſequerentur, immo non ſuperarent. Vt longè ſint antiquis improbis improbiores. Sed ad propoſitum. Merocles cum accuſaretur, tanquam improbus fœnerator, & decem haberet filios, nominauit quendam probum uirum, qui tres tantum filios haberet, & dixit ſe illo uiro nulla in re improbiorem eſſe. nam illum ternis tātum fœnoribus improbitatem exercere, pro numero filiorum, ſe uero denis, quoniam tot haberet filios. iocus igitur eſt acutisſimus, & tranſlationem habet, atque proportionem. tranſlationē quidem à filiis ad fœnora, proportionem autem æqualem hoc modo, ut ſe habent tres filii, ad tria fœnora, ita decem filii, ad decem fœnora: hūc ego ſenſum huius loci puto eſſe. ſiquis meliorem inuenerit, libenter eum ſequar.

Et illud Anaxandridæ iambicum de filiabus ſuis, quæ nubendi tempus tranſierant. TEXT.

O uirgines, uos non ſtitiſtis nuptijs.

Anaxandridas eleganter in filias ſuas iam uetulas iocatus eſt, quæ non amplius aptæ nuptiis propter ætatem uidebantur, dicens eas nuptiis non ſtitiſſe. Eſt enim metaphora ſumpta ab iis, qui in iudicium uocati, die præſtituto nō adſunt, ſed legitimum tempus tranſire patiuntur. nam tales homines à Græcis dicuntur ὑπερήμεροι, quaſi legitimum diem tranſgresſi. latinè dicuntur, non ſtitiſſe: Cicero pro P. Quintio; Veniunt frequentes: teſtificantur iſti; P. Quintium non ſtitiſſe, & ſe ſtitiſſe quod uulgo dicunt, in iudicio non comparuiſſe. ſatis igitur, in hoc ioco Anaxandridæ, apparet tranſlatio, & proportio, quaſi diceret, cauſa cecidiſtis ò uirgines, neque amplius nubere poteſtis, quia legitimus dies nuptiarum pertranſiuit. COMM.

Et illud Polyeucti, in Speuſippum quendam apoplexia laborantem; eum non poſſe conquieſcere, quamuis à fortuna in penteſyringo morbo colligatus eſſet. TEXT.

Polyeuctus orator Athenienſis, in Speuſippum quendam attonitum hominem, & apoplexia laborantem, & tamen in Rep. tumultuantem, neque in aliqua certa ſententia permanentem, ingenioſe iocatus eſt, dixit enim ita: quamuis a fortuna Speuſippus iſte ſit in penteſyringo colligatus, tamen adhuc quieſcere non poteſt. tota uis ioci & translatio- COMM.

tranſlationis eſt in eo, uocabulo Penteſyringum. quod erat genus uinculi, quo nocentes homines ita in carcere colligabant, ut ſe mouere nullo modo poſſent, atque id ita fuit appellatum, quoniam erant in eo quinque foramina in quæ, caput, brachia, & pedes ita inſerentur ut nullo modo ſe extricare, aut euadere poſſent, idem accidit iis, qui, apoplexia corripiuntur. nam ita corpore ſtupent, ut ſe mouere non poſſint. aliquando uero totum corpus, aliquando pars una tantum corporis, ut brachium aut crus attonitum redditur ab apoplexia. patet igitur metaphora & proportio. ut enim ij, qui in carcere ſunt penteſyringo conſtricti, ita qui apoplexia debilitati ſunt, mouere ſe nullo modo poſſunt. & tamen Speuſippus, apoplexia correptus, animo quieſcere non poterat. unde iocus intelligitur Polyeucti uenuſtiſſimus.

TEXT. *Et Cephiſodotus triremes uocabat, piſtrina uaria.*

COMM. Apud ueteres, ſerui qui grauiter deliquiſſent, in piſtrinum tradebantur, ut molas circumagerent, quam pœnam Simo ille Terentianus Dauo ſeruo ſuo minatur, at uero condemnati multi publicis triremibus affigebantur, ut remos impellerent; quemadmodum fit etiam noſtro tempore. quare Cephiſodotus facetè triremes uaria piſtrina uocauit, quòd in triremibus remiges ita puniātur, ut in piſtrino ſerui. Varia autem appellauit, quia triremes uariis picturis diſtingui ſolerēt, atque hæc mea interpretatio magis conuenire uidetur, quam quod ait Victorius, ideo triremes à Cephiſodoto piſtrina dictas, quòd frumentum Athenas comportarent.

TEXT. *Cynicus autem cauponas uocabat Attica Phiditia.*

COMM. Diogenes Cynicus multis rationibus intemperantiam & luxuriem Athenienſium inſectabatur, Lacedæmoniorum autem parſimoniam ſuſpiciebat, & continenter laudabat. Erant autem apud Lacedæmonios conuiuia publica, in quibus frequenter epulabantur, quæ Phiditia uocabantur, quòd in eis parcè ac temperatè cibum ſumerent, nam φειδὼ parſimoniam ſignificat, de quibus Cicero quinto Tuſculanarum Quæſtionum ſic ait; Quid? uictum Lacedæmoniorum in Phiditiis nō ne uidemus? erant igitur Phiditia, quaſi ſcholæ ſobrietatis ac temperantiæ. Quamobrem facetiſſimè iocatus eſt in Athenienſes Diogenes Cynicus, qui dixit, cauponas eſſe Attica Phiditia. ut. n. in Phiditiis Lacedæmonij frequenter epulabantur, ita Athenienſes in cauponis. ſed longe alia de cā, nam Lacedæmonii in Phiditiis epulabantur, ut temperantiam exercerent, Athenienſes in cauponis, ut uoluptati indulgerent.

TEXT. *Aeſion uero dixit, Athenienſes in Siciliam ciuitatem effudiſſe: atque hæc quidem tranſlatio eſt, & ſubiectio ſub oculos.*

COMM. Athenienſes quodam tempore bellum contra Siculos ſuſcepere, ut eam inſulam ſi fieri poſſet, in ditionem ſuam redigerēt. Sed infeliciſſimum exitum habuerunt, ut copioſè Thucydides ſcribit, adeo ut omnes ferè milites cum ducibus calamitoſè perierint. Iſocrates in oratione de Pace tradit in eo bello fuiſſe quadraginta millia Athenienſium, & ducentas ſexaginta triremes. Vt non ſine cauſa dixerit Aeſion ciuitatem ab Athenienſibus in Siciliam fuiſſe effuſam. quod Aeſionis dictum (inquit Ariſtoteles) non tantum elegantem in ſe tranſlationem habet, ſed etiam rem oculis ſubiicit. Vt enim ex aliquo uaſe pleno, uinum aut aqua effunditur, cum inuertitur, & cum murmure quodam atque impetu liquor effluit, ita milites ex urbe Athenarum in triremes ut in Siciliam tranſmitterent, cum tumultu deſcendebant, atque ita hæc tranſlatio, cum ciuitas effuſa dicitur, rē ante oculos ponit.

TEXT. *Et illud; ita ut Græcia clamorem ediderit, quodammodo & tranſlatio eſt, & ſubiectio ſub oculos.*

COMM. Hoc quoque dictum Aeſionis; ita ut Græcia clamorem ediderit, duplicem habet uirtutem, nā & tranſlationem habet egregiā, & rem quaſi oculis ſubiicit. facit enim ut Græciam, quaſi mulierem aliquàm clamantem & ololantem, uidere uideamur. ex hoc loco poteſt intelligi uerum illud eſſe, qđ ait in Oratore Cicero Metonymiam, quā Rhetores Hypallegen uocant, & Abuſionem, & Allegoriam ab Ariſtotele ſub tranſlatione comprehendi. nam hæc eſt Hypallage, cum res quę cōtinet, pro ea, quæ continetur, uſurpatur, ut Græcia, pro Græcis hominibus. ſic Ennius, Africa terribili tremit horrida terra tumultu. Pro hominibus, qui Africam incolunt. ſic dicimus, totam Italiam in armis eſſe; hoc eſt homines, qui in tota ſunt Italia.

TEXT. *Et quemadmodum Cephiſodotus admonebat, ut cauerent, ne multos hoſtiles concurſus facerent ipſas conciones.*

COMM. Cephiſodotus cum uideret Athenienſes multas turbulentè & ſeditioſè conciones habere, admonuit, ut cauerent ne multos hoſtiles concurſus facerent, a congreſſu bellico ſumpta metaphora. ut enim in prælio qui concurrunt, omni ope conantur hoſtem proſternere & uictoriam reportare, ita in concionibus Athenienſium unuſquiſque tumultuando nitebatur aliorum ſententiam infirmare, ſuam confirmare. dè qua conſuetudine pro L. Flacco Cicero ſic meminit; Græcorum autem totę Reſp. ſedentis concionis temeritate adminiſtrantur. itaque ut hanc Gręciam quæ iamdiu ſuis conſiliis perculſa & afflicta eſt, omittam, illa uetus, quæ quoniam opibus, imperio, gloria floruit, hoc uno modo concidit libertate immoderata ac licentia concionum. cum enim in theatro imperiti homines rerum omnium rudes ignarique conſederant, tum bella inutilia ſuſcipiebant, tum ſeditioſos homines Reip. præficiebant, tum optime meritos ciues è ciuitate eiiciebant. hoc eſt igitur quod Cephiſodotus ſignificare uoluit, cum eccleſias ſeu conciones Athenienſium

ſium

ſium appellauit συνδρομάς, nam συνδρομὴ propriè ſignificat belli impetum, atque hoſtilem concurſum.

TEXT. *Et Iſocrates, apud eos, qui in celebritatibus concurrunt.*

COMM. Iſocrates in oratione quam ſcripſit ad Philippum, comparans ſcripta ſua cum Sophiſtarũ orationibus, quas illi haberent in publicis celebritatibus, ait ſcripta ſua eſſe longè utiliora, quoniam (inquit) apud omnes qui in conuentibus publicis cõcurrunt, uerba facere, idem eſt, ac ſiquis apud neminem uerba faceret, tota uis translationis, & proportionis plana eſt in eo uerbo, concurrunt.

TEXT. *Et in funebri oratione; æquum eſſe ut in ſepulchro quo ſepelirentur ij, qui in Salamine occubuerant, Græcia ſibi capillum tonderet, quoniam una cum eorum uirtute etiam libertas Græciæ ſepeliebatur. nam ſi dixiſſet; æquum eſſe, ut Græcia lugeret, quod una cum eis uirtus ſepeliretur, eſſet translatio, & ſubiectio ſub oculos; cum uerò dixerit, una cum eorum uirtute, etiam libertas Græciæ, eſt etiam quædam contentio.*

COMM. Lyſias Orator ſubtiliſſimus & uenuſtiſſimus orationem funebrem ſcripſit, in qua eos ornauit, qui miſſi à Corinthiis ad commune bellum totius Græciæ contra Perſas in Salamine fuerant interfecti. atque ut eorum uirtutem magis amplificaret, dixit, æquum eſſe ut in eorum ſepulchro tota Græcia ſibi capillum tonderet, quoniam una cum eorum uirtute Græciæ quoque libertas ſepeliretur. erat enim ea Græcorum conſuetudo, ut in funeribus propinquorum ſibi capillos tonderẽt, & eos in ſepulchro ponerent. Laudat autem uehemẽter Ariſtoteles hoc Lyſiæ dictum, quòd omnes eas uirtutes habeat, quæ iucundam & urbanã orationem efficiant, hoc eſt, translationem, energiam, & contentionem. Nam ſi tantum dixiſſet (inquit) æquum eſſe, ut Græcia lugeret, quòd una cum eis uirtus ſepeliretur, duas uirtutes eſſet amplexus, ideſt translationem, & ſubiectionem ſub oculos. nam uirtutem ſepeliri translatio eſt, una cum mortuis militibus, eſt ſubiectio ſub oculos. uidemur enim quodammodo uidere, copulatam cadaueribus Græcorum uirtutem tumulari. ſed cum dixerit; una cum eorum uirtute, etiam libertas Græciæ ſepelitur, quandam etiam contentionem adiunxit, non quod uirtus & libertas ſint cõtraria, ſed quia quodammodo uidentur eſſe diſtincta atque oppoſita, cum uirtus parere aliquando, & ſubiecta eſſe uideatur, libertas autem ſemper uelit eſſe ſuperior. ideo non ſimpliciter dicit Ariſtoteles, eſſe contentionem, ſed eſſe quandam contentionem.

TEXT. *Et quemadmodum dixit Iphicrates, iter orationis meæ fiet per medias res à Charete geſtas. hæc enim translatio eſt à proportione. & illud, per medium rem oculis ſubijcit.*

COMM. Iphicrates cum eſſet uerba facturus de rebus à Charete geſtis, ita propoſuit; Iter orationis meæ fiet per medias res à Charete geſtas. quæ locutio duas (inquit Ariſtoteles) uirtutes habet, hoc eſt translationem ex proportione, cum dixit; Iter orationis, & ſubiectionem ſub oculos, cum addidit per medium rerum geſtarum, uel per medias res. ſic enim res à Charete geſtæ uidentur diuidi, ſicut ager ab iter agentibus quaſi per medium diuiditur.

TEXT. *Et qui ita dixit: pericula conuocanda ſunt, quæ periculis auxilium ferant, translatione utitur, quæ rẽ oculis ſubijcit.*

COMM. Dictum hoc incerti eſt auctoris, ſed elegans & uenuſtum. quoniam & translationem ex proportione continet, & rem ſubijcit oculis. cum enim aliqui ſunt in maximis periculis conſtituti, nulla uia certior aut expeditior eſt euadendi, quam ſi periculosè aliquid aggrediantur. qui igitur, ut periculum euitet, rem aliquam periculoſam tentat, is dicitur pericula conuocare, quæ periculis auxilium ferant.

TEXT. *Et Lycoleon pro Chabria; Neque eius æneam ſtatuam reuerebimini, quæ uobis pro illo ſupplex eſt? translatio nanque eſt in præſenti, ſed non ſemper: uerum ſemper eſt ſubiectio ſub oculos. nam eo periclitante ſupplicat imago. itaque inanime fit animatum. quod eſt monumentum rerum a ciuitate geſtarum.*

COMM. Chabrias egregius fuit Athenienſium Imperator. is cui reus eſſet apud populum Lycoleon patronus eius ac defenſor, ut Athenienſes ad eum abſoluẽdum facilius incitaret, ita dixit; Neque ipſius ſtatuam æneam reuerebimini quæ uobis pro illo ſupplex eſt? quod eſt monumentum rerum à ciuitate geſtarum? quibus in uerbis duæ ſunt trãslationes, prior illa eſt, cum ſtatuam ſupplicem appellat, quæ translatio (inquit Ariſtoteles) tantum eſt in præſenti tempore, hoc eſt dum Chabrias eſſet in periculo conſtitutus, illo enim periclitante uidetur imago ſupplicare. itaque fit translatio ab animato ad inanime. nam inanimi ſtatuæ ſenſus tribuitur, & hoc modo inanime fieri uidetur animatum. quamuis autem in præſenti tantum ſit translatio, tamen ſemper eſt ſubiectio ſub oculos, quia ſemper imago Chabriam repræſentat. altera translatio eſt, cum ſtatuam appellat monumentum rerum à ciuitate geſtarum, hæc enim uerba poſtrema ſunt, cum illis primis Lycoleontis coniungenda, licet Ariſtoteles docendi gratia ſeiunxerit.

TEXT. *Et, omni modo humiliter ſentire meditantes. nam meditari quiddam eſt augere.*

COMM. Verba ſunt Iſocratis in Panegyrico, ubi Perſarum educationem damnat, qui in conſpectu Regis ſui ſe proſternerent, & omni modo humiliter ſentire meditarentur, atque mortalem hominem tanquam Deum adorarent. ut mirandum non ſit, ſi poſtea tam ignaui & timidi euaderent, qui perpetuæ ſeruituti addicti eſſent, ubi uero uis translationis ſit, ipſe declarat Ariſtoteles, nempe in eo uerbo meditantes. cum enim meditari propriè ſit

augere

augere tamen Iſocrates tranſtulit ad contrarium hoc eſt ad diminutionem, cum ait, meditante: humiliter ſentire.

TEXT. *Et illud, Mentem Deus lumen accendit in animo. Vtrunque enim aliquid illuſtrat*

COMM. Cuius hæc ſint uerba non ſatis conſtat. Sed apertus tamen eſt ſenſus, & clara translatio ex proportione. Sicut enim lumen tenebras pellit, & aerem illuſtrat, ita mens in animo fulgorem ſuum explicat, & efficit ut à cæteris animantibus homo differat, itaque expulſis ignorantiæ tenebris rerũ cognitionem adipiſcitur. Deus enim (ut ait Plato in Timæo) mentem in animo, animum concluſit in corpore. fortaſſe igitur hæc etiam trãslatio Platonis eſt, quam Ariſtoteles ſine auctoris nomine ponit hoc in loco. nam omnino Plato uult mentem eſſe tanquam lumen quoddam fulgentiſſimum, quo totus animus illuſtretur. utrunq; enim (ait Ariſtoteles) hoc eſt & mens, & lumẽ aliquid illuſtrat. nam mens illuſtrat animum, lumẽ autem circunfuſum aerem.

TEXT. *Et, Neque enim bella diſſoluimus, ſed differimus: ambo enim futura ſunt, & dilatio, & eiuſmodi pax.*

COMM. Aliud exemplum ex Panegyrico Iſocratis ſumptum, ubi Græcos adhortatur, ut firmam ac ſtabilem pacem inter ſe concilient, non autem morem & conſuetudinem eius temporis ſequantur, quo licet inter aliquos pax ſanciretur, tamen erat inſtabilis & paruo tempore durabat, hoc (inquit) nõ eſt bella diſſoluere, ſed differre. notat igitur Ariſtoteles translationem ex proportione in hoc exẽplo. habent enim, ait, dilatio, & eiuſmodi pax hoc inter ſe commune, quod ambo futura ſunt. uocatur autem dilatio cum aliquid in aliud tẽpus reiicitur, ut in iudicijs cum ampliatur cauſa, & comperendinatur reus. Itaque proportio hoc modo procedit, ut in iudiciis dilatio non tollit controuerſias, ſed in aliud tempus reiicit, ita eiuſmodi pax non bella diſſoluit, ſed ea differt.

TEXT. *Et cũ ait; Fœdera eſſe trophæum multo pulchrius, quam ea, quæ in bellis ſtatuuntur, quoniam trophæa paruis ſæpe rebus geſtis, & uno fortunæ impetu, fœdera uero omni bello ex ſententia confecto ſtatuuntur. hæc enim ambo ſunt inſignia uictoriæ.*

COMM. Ex eodem Panegyrico ſumptum eſt hoc exemplum, ubi conqueritur Iſocrates de fœdere, quod Græci deuicti bello cum Perſarum Rege percuſſerant. & ait illud fœdus multo maiorem honorẽ & gloriam regi Perſarum attuliſſe, quam ſi trophæum de Græcis ſtatuiſſet, atque hoc ab adiunctis probat hoc modo per comparationem. trophæa ſæpe ſtatuuntur paruis etiam rebus geſtis, & uno fortunæ impetu cum hoſtes in fugam conuerſi fuerint, fœdera uero non niſi bello ex ſentẽtia confecto cum uictis ſanciũtur. hæc autem ambo (inquit) hoc eſt trophæa & fœdera ſunt inſignia uictoriæ, ſed cum fœdus Iſocrates appellauerit trophæum, translatione proportionis uſus eſt.

TEXT. *Et, Ciuitates propter hominum uituperationem graui pœna multantur: nam multari pœna eſt detrimentum ex legibus accipere.*

COMM. Vltimum hoc eſt exemplum translationis à proportione ductæ, quod ſanè eſt elegans ut reliqua omnia, cuius autem ſit ignoratur. Senſus eſt, ciuitates liberæ quamuis poteſtatem habeant efficiendi quicquid uoluerint, tamen à rebus turpibus & iniquis abſtinere debent. licet enim à nemine puniri poſſint, tamen graui pœna multantur, cum paſſim ab omnibus uituperantur. Eſt igitur elegans metaphora à multa quæ legibus irrogatur ſumpta: nam propriè multari pœna (inquit Ariſtoteles) eſt detrimentum legibus accipere. Vituperatio uero eſt detrimentum honoris. quare qui uituperatur, quodammodo multari pœna uidetur. Vt enim multa pecunias adimit, ita uituperatio honorem. Illud non iniucundum eſt aduertiſſe, uiginti quinque exempla huius tranſlationis à proportione ductæ, hoc in loco ab Ariſtotele fuiſſe poſita, ſiue id caſu acciderit, ſiue, qđ magis crediderim, dedita opera factum ſit, ut hac exemplorum uarietate ac multitudine declararet, quam elegans & uenuſta ſit hæc translatio.

TEXT. *Ac urbana quidem dicta duci à translatione, quæ fit ex proportione, & ſubiectione ſub oculos, declaratum eſt.*

COMM. Hactenus (inquit) multis exemplis docuimus urbanitates & facetias, & dicta iucunda ab ea translatione duci, quæ fit ex proportione, & ab eis uerbis, quæ rem oculis ſubiiciunt, & efficiunt ut eam uidere uideamur. ſed quia nondum apertè declaratum eſt, quæ ſint ea uerba, quæ rem oculis ſubiiciant, ideo nunc accuratè exponit.

TEXT. *Dicendum eſt autem quid ſit ſubiectio ſub oculos, & quomodo ea fieri poſſit; dico igitur ex eis uerbis conſtare ſubiectionem ſub oculos, quæ actionem aliquam ſignificant.*

COMM. Siquis rem oculis dicendo ſubiicere cupit, is ea uerba ſtudioſè quærere debet, quæ actionem & motum ſignificant, non autem quæ ſunt ocioſa & quieta. nam actio ipſa ſic mentem excitat, ut non audire, quæ dicuntur, ſed uidere ſe exiſtimet. ut cum Virgilius in quinto de Entello & Darete ſic ait;

Conſtitit in digitos extemplo, arrectus uterque
Brachiaque ad ſuperas interritus extulit auras,
Adduxere retro longè capite ardua ab ictu
Immiſcentque manus manibus pugnaſque laceſſunt.

Quis non hæc legens aut audiẽs ſtatim animo duorum dimicantium ſpeciem concipit?

TEXT. *Vt, ſiquis dicat hominem probum eſſe quadratum, translatio quidem erit, nam ambo perfecta ſunt, ſed tamen nullum actum ſignificat, Illud uero, qui florentem ætatis uigorem habeat, actum exprimit.*

COMM. Exemplo declarat translationem à ſubiectione ſub oculos ſeparari poſſe, quamuis frequentiſ

ſimè coniunctæ reperiantur. Siquis(inquit) hominem probum dicat eſſe quadratum, translatione quidem utetur, quoniam & probus uir, & quadrata figura perfectionem habent, atque iō ſunt aliquo modo ſimilia, ſed tamen quia nulla actio ſignificatur, ideo rem nequaquam oculis ſubiicit. primo etiam Ethicorum libro uirum ſapientem ac fœlicem quadratum appellat, quod ea figura quocunque modo cadat, ſemper eſt recta. eſt igitur hæc translatio tantum, quod ſiquis dicat, ut Iſocrates ad Philippum ſcribens, qui florentem ætatis uigorem habeat, is actum exprimet, atque ideo rem oculis ſubiiciet, nam florere quandam actionem ſignificat.

TEXT. *Et illud; Te uero tanquam ſolutum & liberum, actum continet.*

COMM. Ex eadem Iſocratis oratione ad Philippum ſunt hæc uerba, quibus ſnadet Philippo, ut uniuerſam Græciam, ſuam patriam exiſtimet, quaſi liber ac ſolutus a legibus unius ciuitatis. in his igitur uerbis ait Ariſtoteles eſſe tranſlationem & energiam. translatio ſumpta eſt à beſtiis, quæ ſine cuſtode, quocunque uoluerint, uagantur alicui Deo conſecratæ. Virgilius in tertio;

Læta & bonm paſſim campis armenta uidemus
Caprigenumque pecus nullo cuſtode per herbam.

Hinc ille Appii iocus in Luculli pecus. cum. n. premeret Lucullus ab iis, qui à pecore eius depaſci agros publicos dicerent, non eſt(inquit) Luculli pecus illud, erratis, ego liberum puto eſſe, qua lubet, paſcitur. eſt etiam energia & ſubiectio ſub oculos. cum. n. ſolutum & liberum dicimns, quandam actionem ſignificamns.

TEXT. *Et illud; Hinc concitati cum impetu Græci ruunt.*

COMM. Hic eſt ſenarius Euripidis ex Iphigenia in Aulide ſumptus, quo declarat Græcos homines à Menelao propter iniuriam qua illum Paris affecerat abducta Helena concitatos ad bellum cum impetu proficiſci. quo in uerſu duplicem eſſe uirtutem ait Ariſtoteles, hoc eſt Metaphoram & energiam. ſic enim ſubiungit

TEXT. *Concitati enim energia & Metaphora eſt.*

COMM. Concitati propriè dicuntur curſores in ipſo currendi actu. quare cum milites ad bellum concitati dicuntur, tranſlatio fit, quæ actionem oſtendit.

TEXT. *Hoc genere multis in locis Homerus uſus eſt. nam per metaphoram quæ inanimata ſunt, animata eſſe dicit. ſed ex omnibus ea maximè probantur, in quibus actus exprimitur. ſicut in illis;*

Ille pudore uacans iterum lapis ima petebat.
&, -- Volat ecce ſagitta.
&, -- Cupiens attingere. *&,*
Stant terræ defixa, optantque in corpore figi
Spicula. *&,*
At cuſpis pectus pertranſit plena furoris.

COMM. Translationibus quæ rem oculis ſubiiciant multis(inquit) in locis Homerus utitur. nam ſæpe rebus inanimatis ſenſum attribuit, ut tranſlationem efficiat. illa uerò præcipue laudari ſolent, & cæteris antecellere, quæ actionem aliquam pre ſe ferunt. quorum e numero quinque ponit exempla. primum ſumptum eſt ex undecimo Odyſſeæ, ubi Homerus Siſyphi labores narrat, qui ſaxum ingens uolueret ad montis cacumen. ſed cum ad ſummam partem perueniſſet, ait Homerus;

Ille pudore uacans iterum lapis ima petebat.

Quo in uerſu non tantum lapidi ſenſum, ſed actionem etiam tribuit, cum dicat eum omni pudore uacare, & iterum ima petere. Alterum exemplum ex tertiodecimo Iliadis ubi ait, Volat ecce ſagitta. nā ſenſum & actionem ſagittæ attribuit. Tertium exemplum ex eodem libro poſt quatuor uerſus etiam de ſagitta, cum ait;

Cupiens attingere. ſic enim loquitur quaſi de re ſenſu prædita.

Quartum exemplum eſt in undecimo Iliadis, de ſpiculis acutis, & ad bellum preparatis;

Stant terræ defixa, optantque in corpore figi
Spicula.

Cum enim ait, Spicula optare, ſenſum & motum illis attribuit. Quintum exemplum eſt in decimo quinto Iliadis de haſta, quam Menelaus in hoſtem iaculatus fuerat, cui furorem & impetum poeta tribuit.

At cuſpis pectus pertranſit plena furoris.

In his enim omnibus, quoniam animata finguntur, actus apparet. nam pudorem uacare, & furore quodam agitari, & alia, ſunt actus. TEXT.

COMM. In ſupradictis omnibus exemplis ineſt tranſlatio & ſubiectio ſub oculos, quoniam inanimatis rebus ſenſus tribuitur, & actus exprimitur, ut pudore uacare, & furore quodam agitari. tales metaphoræ ſunt etiam apud Virgilium frequentes, ut in nono;

Et fugit horrendum ſtridens elapſa ſagitta,
Perque caput Romuli uenit, & caua tempora ferro
Traiicit. in primo Aeneidos.
--Furit æſtus arenis
Item,
--Geminique minantur in cœlum ſcopuli.
Rurſus in nono.
--Sed auræ
Omnia diſcerpunt, & nubibus irrita donant.

Hæc autem inter ſe copulauit per tranſlationem ex proportione: Sicut enim ſe habet lapis ad Siſyphum, ſic impudens ad eam rem, cuius ipſum non pudet. TEXT.

COMM. Has Homeri translationes laudat, quod ex proportione ſint confectæ. nam lapidem illum, quo Siſyphus affligitur ideo uocat Homerus impudentem, quoniam ſicuti ſe habet lapis ad Siſyphum in eo affligendo & uexando, ita homo impudens ad eam rem, cuius ipſum non pudet. eam enim arbitrio ſuo nerſat, & uexat. quod autem in uno exemplo declaratur, idem etiam in aliis intelligi poteſt. tales ſunt etiam apud Virgilium multæ tranſ-

latio-

lationes,ut in ſecundo Georgicorum.

Miraturque nouas frondes, & non ſua poma.

Sicut enim homines res nouas & inſolitas mirantur,ſic arbor inſita,cum nouas frondes,& alterius arboris poma producit, quaſi rem inſolitam mirari dicitur.

TEXT. *Facit hoc etiam in imaginibus,quæ maximè excellunt,de rebus inanimatis;*

Curuæ, albeſcentes nunc hinc nunc inde recurrunt.

Fingit enim omnia moueri ac uiuere.

COMM. Quod in translationibus ſæpisſimè facit Homerus,ut rebus anima carentibus ſenſum & actionem tribuat,idem etiam in eis imaginibus, quæ maximè laudantur,obſeruare ſolet.quod intelligi poteſt ex eo loco,qui eſt in libro Iliadis decimo tertio,ubi cum impetum Troianorum in hoſtes exprimere uellet,ſimilem eum eſſe dicit marinæ tempeſtati quæ maximos fluctus concitet. ubi ſatis apparet imagines ab Ariſtotele uocari,quas cæteri ſimilitudines & comparationes uocant.quod autem notat Ariſtoteles hoc eſt, quod Homerus in ea ſimilitudine,ſiue imagine,quanuis de rebus inanimatis loquatur,ut de tempeſtatibus & fluctibus,tamen fingit omnia moueri & uiuere, atque illis actionem attribuit. Facit enim undas quaſi uiuentes partim antecedere,partim uerò ſubſequi & nunc in hanc partem,nunc in illam diſcurrere, ut hac ſimilitudine melius exprimat Troianorũ impreſſionem in Græcos factam. cum igitur de undis à uento concitatis loqueretur,ita dixit.

Curuæ, albeſcentes; nunc hinc,nunc inde recurrunt.

Quo uerſu animum atque actum Homerus undis affingit.hoc etiam Virgilius elegantisſimè facit in ſeptimo cum ita de latino ait;

Vt pelagi rupes magno ueniente fragore.
Quæ ſeſe multis circumlatrantibus undis
Mole tenet, ſcopuli nequicquam & ſpumea circum
Saxa fremunt.

Nã & undas latrare dixit,& Saxa fremere, quæ ſunt animantium actiones.

TEXT. *Eſt autem ipſe actus,imitatio.*

COMM. Hæc eſt ratio cur Homerus actum ſæpe rebus inanimatis tribuat.quoniam poetæ proprium eſt res ipſas imitari.& tota ars poetica nihil aliud eſt, quam imitatio.ut in Arte poetica docet Ariſtoteles.& Horatius egregium poetam uocat doctum imitatorem.actus autem eſt quædã imitatio. quare quoties poeta actum aliquem exprimit,tũc imitãtur,& quod ſibi proprium eſt,efficit.

TEXT. *Translationem autem ducere oportet (ut antea dictum eſt) à propinquis rebus, non tamen perſpicuis.*

COMM. Cum ſupra dictum ſit oportere translationes à propinquis rebus ducere, quoniam quę nimis longe ductę ſunt,delectare non poſſunt,nunc admonet,ut ne à rebus plane perſpicuis & ab omnibus cognitis ducantur, quod enim uulgare eſt & omnibus notum, mouere omnium nullo modo poteſt.quare media quædam uia tenenda eſt, ut neque nimis longe ducatur translatio, neque à re notisſima.

TEXT. *Quemadmodum in Philoſophia ſolertis acutique hominis eſt,cernere,quid in rebus multum inter ſe diſtantibus ſimile ſit.*

COMM. Non cuiuslibet hominis eſt bene ſimilitudines inter ſe comparare,ſed ſolertis & acuti ingenii. Sicut(inquit) in philoſophia ſolet accidere, quamuis enim res ſæpe maximè arduæ ſint atque difficiles,& plurimum inter ſe diſtantes,tamen ingenioſi uiri ex unius cognitione propter ſimilitudinem aliquam in alterius cognitionem deueniũt.rudes autẽ atq; imperiti nõ ita facile uidere poſſunt,quid in rebus ſimile,quid disſimile ſit,itaque concludi etiam in translationibus inueniẽdis acuto ingenio & prompto opus eſſe.

TEXT. *Sicut Architas dixit,idem eſſe arbitrum & aram quoniam ad utrunque is, qui iniuriam accepit, confugere ſolet.*

COMM. Quis non intelligit quanta differentia ſit inter arbitrum & altare? certè nemini dubium eſt, quin duæ res ſint multum inter ſe diſtantes.& tamẽ Architas Tarentinus acuti uir ingenii tantam inter eas ſimilitudinem excogitauit,ut eoſdem eſſe diceret.cum enim quis iniuriam accepit, is uel ad homines uel ad Deos confugere ſolet. Si ad homines, arbitrum quærit,qui de iniuria cognoſcat,& iniurium hominem puniat,ſi ad Deos,ad aram accedit,& humili deprecatione poſcit,ut qui iniuriã intulit,debitas luat pœnas.Itaque hac ratione arbiter & ara idem eſt.

TEXT. *Vel ſiquis dicat,anchoram & cremaſtram idem eſſe,ambo.n.idem efficiunt,ſed in eo differunt, quod alterum infernè,alterum supernè pendet.*

COMM. Alterum exemplum quo declarat, quomodo ſimilitudo in rebus multum inter ſe diſtantibus inueniatur,nam ab effectu ſimilitudo ſæpe reperitur. Vt in nauibus anchora ſeruatur, ut cum opus eſt naues firmare demittatur in mare, qua de cauſa dixit Virgilius.

--Tum dente tenaci
Anchora fundabat naues.

Cremaſtra uerò uncus eſt multiplex, qui in domibus e lacunari pendet,ut in eo res aliquæ ſuſpẽſæ conſeruentur. quamuis interpres Ariſtophanis in Nubibus, dicat eſſe uas quod ſuſpenditur, ut in eo ciborum reliquiæ ſeruentur, ſed utrunque ſignificat. dicet igitur acutè,qui anchoram & cremaſtram idem eſſe affirmabit. quoniam ut anchora naues tenet ac firmat,ita cremaſtra res,quæ in ea ſuſpenduntur.ſed tamen hæc eſt differentia qđ anchora in parte inferiori naues tenet, & eas ſuprà ſe habet. Cremaſtra uero ſupra collocata res habet infra ſe,quod continet.

TEXT. *Et inæquales factas eſſe ciuitates,in multum diſtãtibus rebus idem ualet,nam & in ſuperficie,& in poteſtate eſt æqualitas.*

COMM. Sæpenumero accidit ut unum uerbum in rebus

bus plurimum diſtantibus idem ualeat. quid enim tam diſtãs eſt quam ſuperficies, ab imperio & poteſtate? & tamen cum dicimus ciuitates inæquales eſſe factas, uel de ſuperficie in qua ſitæ ſunt, uel de poteſtate quam habent, intelligere poſſumus, quoniam æqualitas ad utrunque referri poteſt, dicitur enim ſuperficies æqualis, & poteſtas æqualis. atque eadem ratione ẽt inæqualis. Senſus igitur eſt apertisſimus, quanuis Victorius falſo putet locum eſſe deprauatum.

TEXT. *Maxima uerò pars urbanorum dictorum a tranſlatione, & ab errore proficiſcitur. magis enim perſpicuè res intelligitur, cum aliter quis exiſtimabat. nam tunc animus ſecum dicere uidetur, quam uerum hoc eſt, ſed ego decipiebar.*

COMM. Iam pluribus uerbis oſtendit, quomodo urbana dicta à tranſlatione ducantur. nũc addit etiam ab errore proficiſci, cum auditor rem alio ſpectare putabat, quam poſtea declaratur. tunc enim (inquit) accidit, ut res apertius intelligatur, quando de illa contraria erat opinio. ſecum enim auditoris animus ita ratiocinatur, hoc omnino uerũ eſt, at ego prius in errore uerſabar. De hoc genere facetiarum ſic ait Quintilianus libro ſexto; Supereſt genus decipiendi opinione, aut dicta aliter intelligendi, quæ ſunt in omni hac materia uel uenuſtisſima. Secũdo de Oratore Cicero ſic ait; Sed ſcitis eſſe notisſimum ridiculi genus cum aliud expectamus, aliud dicitur. hic nobiſmetipſis noſter error riſum mouet, quod ſi admiſtũ eſt etiam ambiguum, fit ſalſius. Pontidius, cum quidam ab eo petiſſet, qualem exiſtimaret eum, qui in adulterio deprehenditur, tardum reſpondit. at ille fortaſſe expectabat, ut improbum ac ſceleſtum reſponderet. Cicero, ſicuti ſcribit Quintilianus, cum improbum quendam & mendicum laudare uideretur ita dixit; Quid huic abeſt, niſi res & uirtus? Domitius Afer de malo quodam Oratore, homo (inquit) in agendis cauſis optimè ueſtitus. talis eſt ẽt arguta ſignificatio cum parua re, & ſæpe uerbo res obſcura & latens illuſtratur: ut, cum C. Fabricio P. Cornelius homo (ut exiſtimabatur) auarus & furax, ſed egregie fortis, & bonus imperator, gratias ageret, quod ſe homo inimicus Conſulem feciſſet, bello præſertim magno & graui, nihil eſt, quo mihi gratias agas (inquit) ſi malui compilari, quam uenire. hoc exemplum accommodatisſimum eſt, ad id exprimendum, quod ait hoc in loco Ariſtoteles, nam poterat aliquis exiſtimare Fabricium in gratiam cum P. Cornelio redijſſe, ꝙ illum conſulem feciſſet, ſed, Fabricius dicto ſuo declarauit ſe non gratiæ cauſa, uerum cauſa Reip. quoniam illum fortem eſſe cognouerat, conſulem feciſſe, quamuis intelligeret hominem eſſe furacem.

TEXT. *Quinetiam apophthegmata, ex eo ſunt urbana, quod aliud ſignificant, quã uerba dicant: ut illud Steſichori: cicadæ apud eos humi cantabunt.*

COMM. Quædam ſunt apophthegmata, hoc eſt breuiter & ſcite dicta, quæ ideo ſunt urbana & uenuſta, quoniam aliud uerbis oſtendunt, aliud ſenſu ſignificant, quæ uel per allegoriam, uel per ænigma proferuntur. quale eſt illud Steſichori poetæ dictum, de quo etiam in ſecundo huius operis libro mentionem fecimus, cum de ſententia loqueremur; Cicadæ apud eos humi cantabunt. uoluit. n. eo dicto Steſichorus uaſtationem omnium rerum & extremam ruinam ſiguificare, adeo ut non modo ædificia ulla, ſed ne arbores quidem ſtantes relinquantur, atque omnia ita proſternantur, & ſolo æquentur, ut cicadæ nihil habeant, quo inſideant, ſed humi cantare compellantur.

Et uoces, quæ acutè formantur in ænigmata, propter eandem rationem iucundæ ſunt, nam in eis eſt cognitio, & tranſlatè dicuntur. TEXT.

Rationem affert, quare ſæpe accidat, ut ænigmata, atque obſcurè dicta, cum intelliguntur, ſint iucundisſima, quoniam (inquit) animus, qui prius dubitabat, & errore quodam huc illuc trahebatur, poſtquam rem percepit, & clare intellexit, quodã modo quieſcit, & uoluptatem etiam ex tranſlatione capit. Semper enim in ænigmate plures tranſlationes continentur. apud antiquos erat ea conſuetudo ut proponerentur ænigmata ſoluenda, præmiaque ijs darentur, qui ingenioſius obſcurè dicta fuiſſent interpretati. itaque paſtor etiam ille Virgilianus aduerſario ſuo tale proponit ænigma; COMM.

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tris pateat cœli ſpacium non amplius ulnas.

Auſonius ad Theonem ſcribens ita inquit;

Aut adſit interpres ſuus,
Aenigmatum qui cognitor
Fuit meorum, cum tibi
Cadmi nigellas filias
Melonis albam paginam
Notasque furuæ ſæpiæ
Gnidiosque nodos prodidit.

Nam uidetur Auſonius tale ænigma Theoni propoſuiſſe, ut diceret; Quæ eſſent, nigræ filiæ Cadmi, à nodis gnidiis in alba Melonis pagina, notis atræ ſepiæ deſignatæ? quod quidem ænigma fuit a quodam Theonis ſocio declaratum. nihil. n. aliud ſignificat, quam literas in papyro ſcriptas. literæ nanque dicuntur Cadmi filiæ, quia Cadmus eas primus in Græciam tulit. alba Melonis pagina ipſa eſt papyrus. nam Melo fluuius eſt Nilus, in quo magna eſt papyri copia. nodi guidii ſunt Calami, nam in Guido calami ad ſcribendum aptisſimi naſcuntur. notæ furnæ ſepiæ eſt atramentum. nam ſepia piſcis atramentum habet pro ſanguine; unde Perſius. Nigra quod infuſa uaneſcat ſepia Lympha. ex hoc genere illud eſt Ciceronis facetisſimum dictum in Pletorium Fonteii accuſatorem, cuius matrem dixit, dum uixiſſet ludum, poſtquam mortua eſſet, magiſtros habuiſſe. Dicebantur autem, dum uixit, infames fœminæ ad eam conuenire ſolitæ, poſt mortem, eius bona uenierunt.

Iucundum

Iucundum eſt etiam, quod ait Theodorus nouas res dicere.

Vulgari prouerbio fertur, omnia noua placere, quod etiam Homerus libro Odyſſeæ primo affirmat, qui ait eam cautiouem hominibus eſſe iucundiſsimam quæ nouiſsima fuerit. & rhetores admonent, ut quoties uolumus auditores attentos reddere polliceamur nos de rebus nouis uerba facturos. hoc Theodorus Bizantius uetus Sophiſta, de quo multis in locis Plato & Cicero uerba faciũt, aſſeuerabat, nempe iucundum eſſe res nouas dicere, quoniam omnibus mirè grata eſt nouitas, uſque adeo, ut quotieſcunque nobis uacat, nihil nobis ſuauius eſſe uideatur, quam noui aliquid audire, & obuios interrogemus ecquid noui habeant?

TEXT. *Id autem fit, cum nec opinatum fuerit, atque (ut ille aiebat) priori opinioni minimè conſentaneum, ſed quemadmodum in ridiculis ea, quæ nouo modo conformantur.*

COMM. Quia dixerat iucundum eſſe nouas res dicere, nunc oſtendit quo modo id fieri poſsit, nempe ſi id, quod dicitur, inopinatum fuerit, hoc eſt contra illam opinionem quam homines prius conceperant. id enim quoniam eſt admirabile, delectationem afferre ſolet, & hac de cauſa comœdiæ iucundæ ſunt, quia ſemper inopinatos exitus habent. de hac re ita Cicero in Partitionibus; Fit etiam ſuauis oratio cum aliquid aut inuiſum, aut inauditũ, aut nouum dicas. delectat enim quicquid eſt admirabile. ubi notandum à Cicerone dici admirabile, quod παράδοξον ab Ariſtotele uocatur. hinc totum exordium pro Quinto Ligario Cicero ducit per ironiam, ut Cæſarem exhilararet, & eius animum offenſum iocando mitigaret. ſic enim incipit; Nouum crimen C. Cæſar, & ante hunc diem inauditum propinquus meus ad te Q. Tubero detulit. ſic igitur (inquit Ariſtoteles) hæc noua & inopinata delectant, ut in ridiculis ea, quæ nouo modo conformantur, & præter expectationem proferuntur, quale eſt illud Domitii Afri, quod ſupra diximus; Homo in agendis cauſis optimê ueſtitus. hoc enim ultimum uerbum præter opinionem & expectationem additum eſt. ſiquidem auditoris animus expectabat fortaſſe, ut diceretur, optimè exercitatus, aut aliquid tale in laudẽ. cum autem audit, quod non expectabat, errore ſuo delectatus magnam iucũditatem percipit. Talis eſt illa narratio pro A. Cluentio de Cepaſio maiore, qui oppianici patronus erat; Itaque cum callidiſsimè (inquit) ſe dicere putaret, & cum illa uerba grauiſsima ex intimo artificio deprompſiſſet, Reſpicite Iudices hominum fortunas, reſpicite dubios uarioſque caſus, reſpicite C. Fabricii ſenectutem: cum hoc reſpicite ornandæ orationis cauſa ſæpe dixiſſet, reſpexit ipſe: at C. Fabricius à ſubſellijs demiſſo capite diſceſſerat. hic Iudices ridere, & quæ ſequuntur.

TEXT. *Quod idem faciunt etiam cauillationes, quæ mutatis fiunt literis.*

COMM. Sæpe ridiculi gratia in uno uerbo mutantur aliquæ literæ, quæ paranomaſia græco nomine uocatur, uel παράγραμμα, quæ res ideo delectat, quoniam præter opinionem & expectationem plerunque accidit ut cum pro nobili, dicitur mobilis, pro Oratore arator. Cicero ſecunda Philippica; En cur magiſter eius ex Oratore arator factus ſit. primo libro ad Atticum, triginta (inquit) fuerunt, quos fames, magis quam fama commouerit. Et in eodem libro de Piſone conſule; Conſul autem ipſe paruo animo & prauo, tantum cauillator genere illo moroſo, quod etiam ſine dicacitate ridetur, facie magis quam facetiis ridiculus. De hoc genere Cæſar ſic ait ſecundo de Oratore; Alterum genus eſt, quod habet paruam uerbi immutationem, quod in litera poſitum Græci uocant παρονομασίαν, ut nobiliorem mobiliorem. Cato cum cuidam dixiſſet, eamus deambulatum, & ille, quid opus fuit, de? imo uero (inquit) q̃d opus fuit, te? aut eiuſdem reſponſio illa; ſi tu & aduerſus & auerſus impudicus es.

TEXT. *Hoc in uerſibus quoque decipit, ut;*
Illi nanque pedes munibat pernio eunti:
Auditor enim putabat calceum uelle dici. Sed hoc oportet, ſtatim ut prolatum eſt, perſpicuum eſſe.

COMM. Hoc (inquit) quod in ſoluta oratione nos interdum iucundè fallit, nonnunquam etiam fit in uerſibus, ut cum aliud expectamus, aliud dicatur. atque ita nobis noſter gratus ſit error. hoc autem confirmat Ariſtoteles exemplo cuiuſdam ueteris poetæ, qui uerſum fecit in hunc ſenſum, ut nos uertimus;

Illi nanque pedes munibat pernio eunti,

Iocus enim eſt egregius. nam cum auditor expectaret ut aliquod munimentum pedis proferretur, cum iam poeta dixiſſet, illi nanque pedes munibat, ſtatim præter opinionem audiens uerbum quod ſequitur, hoc eſt, pernio, ſuo errore commotus, in riſum ſoluitur. Eſt enim pernio morbus quidam hyberno tempore propter frigus in pedibus præcipue puerorum naſcens, & calces infeſtans. Græci χίμετλα uocant. Plinius ait rapum feruens impoſitum perniones ſanare. eſt igitur in eo ridiculum poſitum, quòd cum auditor putaret calceum uelle dici, quo pedes muniuntur, ſtatim, præter opinionem ſuam, audit pernionem, quo pedes læduntur. Sed hoc genus facetiarum debet eſſe planum atque perſpicuum, ut ſtatim intelligatur, cum prolatum fuerit. huius generis eſt illud Horatii carmen in Arte Poetica;

Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.

Cum enim eius carminis initium audimus, magnũ aliquod prodigium expectamus, ſed cum in ridiculum murem deſinat, facere non poſſumus, quin rideamus.

TEXT. *Ridicula uero quæ fiunt mutatis literis, non id ſignificant, quod dici uidetur, ſed quod mutatum nomen ſignificat. ut illud Theodori in Niconem Citharœdum θράττει σε. fingit enim dicere, Cõturbat te, ſed decipit,*

decipit, nam aliud dicit. quocirca iucundum eſt intelligenti. niſi enim Thracem eſſe exiſtimaret, non urbanum dictum eſſe putaret.

COMM. Facetiæ illæ, quæ dicuntur à Græcis παράγραμμα ſunt quidem ſæpenumero lepidæ ac feſtiuæ, ſed opus eſt acuto ingenio, atque ut auditor aliquo modo rem prius intelligat, neque.n. id ſignificant quod dici uidetur, ſed quod inuerſum ac mutatũ nomen ſignificat. ut Theodorus Bizantius cum Niconem Citharœdum à quodam uexatum, acutè uellet irridere, quoniam ignobili genere materno ortus eſſet, quòd eum ſerua mulier e Thracia genuiſſet, dixit; θράττουσι quod dictum primo aſpectu uidetur ſignificare, conturbat te. ſed aliud uoluit dicere Theodorus. nempe eum, à Threicia matre genitum, atque ideo ſeruum & ignobilem. nam in Græcia multi Thraces & mares & fœminæ ſeruiebant, porro θρᾶττα lingua Attica fœminam Threiciam, ſignificat, uerbum autem θράττω idem eſt quod latinè conturbo, quo uerbo cum alii Græci ſcriptores tum etiam Plato utitur. totus igitur iocus eſt in mutatione unius literæ, ſeu diphthõgi. nam ſi ſcribatur hoc modo; θράττει σε, ſignificat, cõturbat te, ſi uero ita θρᾶττ' εἶ σύ, ſignificat, Threicia mulier te. cui ſubintelligendum eſt genuit, aut peperit, atque hoc iucundum eſt ei, qui iam ſcit, Niconem citharœdum è Thracia muliere natum. niſi enim (inquit Ariſtoteles) eum Thracem eſſe exiſtimaret, neque dictũ eſſe urbanum putaret. huic ſimile eſt, atque etiam (meo iudicio) lepidius, quo Cicero dicitur eſſe uſus in quendam candidatum, qui eſſe coqui filius putabatur, quem cum uidiſſet prehenſantem, & populi ſuffragia mendicantem, dixit. Ego quoque tibi fauebo. quo dicto uidebatur Cicero ſuum illi fauorem polliceri, ſed aliud intellexit, nempe eum eſſe coquum, nam coquus in uocandi caſu coque facit, quod in ſcribendo parum differt à coniũctione quoque. in pronunciando nihil.

TEXT. *Et illud, Tu uis ipſum πέρσαι.*

COMM. Hoc dictum eiuſdem eſſe Theodori crediderim, quannis Ariſtoteles non explicet, conuenit enim quodammodo cum ſuperiore. nam uidetur ſignificare, tu uis ipſum uexare ac depopulari, ſed aliud acutius intellexit, nempe, uis ipſum inducere ut Perſis faueat, & Græcorum ſit proditor, ſicuti Pauſanias Lacedæmonius feciſſe legitur. nã πέρσαι modi eſt infiniti, à uerbo πέρθω quod ſignificat naſto, depopulor. quod ſi a nomine πέρσης, fingatur πέρσω uerbum, uel περσίζω, ut ſunt Græci in fingẽdis uerbis licentioſi, quod ſignificet Perſis faueo, ſicuti Demoſthenes dixit Pythiam φιλιππίζειν, id eſt, rebus Philippi ſtudere, ſtatim apparebit iocus ex ambiguo lepidus & acutus. neque obſtat, quod Ariſtoteles hoc in loco uideatur loqui de iocis qui fiunt literarum mutatione, non autem de ijs, qui fiunt ex ambiguo, quoniam has duas ſpecies permiſcet Ariſtoteles, ut ſatis apparet ex ſubſequentibus. eſt enim etiam in ambiguis mutatio, ſi non literarum, at ſignificationis, cum unum uerbum poteſt duobus aut pluribus modis intelligi, quod tamen unam habeat primariam ſignificationem. nam primo aſpectu uidetur pro illa primaria ſignificatione capi, ſed deinde per iocum ad aliam inflectitur.

Sed aduertendum eſt, ut ambo conuenienter dicantur. TEXT.

Qui ſalsè uult aliquem irridere, diligenter aduertere debet, ut quæ dicit in eum ambigue bene conueniant, & in eius perſonam ambo cadant. alioqui res erit frigida & inepta, ut exempli gratia, ſi Cicero dixiſſet alicui nobiliſſimo uiro prehenſanti, Ego quoque tibi fauebo, nullus fuiſſet riſus excitatus, neque urbanum dictum uiſum fuiſſet. uerum cum eſſet ſuſpicio, illum, qui prehenſabat, eſſe coqui filium, nihil eo dicto ſalſius & feſtiuius exiſtimatum eſt. Idem Cicero cum Milonis accuſator identidem interrogaret, quo tempore Clodius occiſus eſſet, reſpondit, ſero. cum enim ſero duobus modis poſſit intelligi, utroque modo conuenienter dicitur, nam uel extrema diei parte hoc eſt occidente ſole, uel tardè, cum longe prius interfici meruiſſet Clodius, intelligi poteſt. COMM.

Sicut etiam in urbanis dictis, ut ſiquis diceret. Athenienſibus maris principatum, non fuiſſe malorum principium. quoniam eis utilitatem attulit. TEXT.

Quod in ſcommatibus & ſalſis dictis, quibus alicuius uitium acutè & facetè perſtringitur, obſeruandum eſſe diximus, ut ambo conuenienter dicantur, idem in omnibus urbanis dictis intelligendum eſt, in quibus ſæpenumero ex ambiguitate, & multiplici unius nominis ſignificatione, primum quidem auditor decipitur, ſed poſtea cognito errore ſuo delectatur. quod exemplo declarat Ariſtoteles apud Græcos quidem perſpicuo, ſed quod non ſatis commode latine uerti poteſt, nos utcunque adumbrauimus. nam ἀρχὴ duo ſignificat, hoc eſt, principium alicuius rei, & principatum. Athenienſes autem quodam tempore longè lateque maris imperium tenuerunt. & quidam dicebant illud imperium fuiſſe Athenienſibus initium omnium malorum. ſiquis igitur (inquit Ariſtoteles) diceret, Athenienſibus maris ἀρχὴν non fuiſſe ἀρχὴν malorum, quoniam eis utilitatem attulit, urbanum eẽt dictum ex ambiguo. qm̃ ἀρχὴ primo ponitur pro imperio, deinde pro initio. huic ſimilis eſt illa exornatio, quam Cornificius traductionem uocat, cum idem uerbum modo ponitur in hac, modo in altera re, hoc mõ; Cur eam rem tam ſtudioſè curas, quæ multas tibi dabit curas? Itẽ, amari iucundum eſt, ſi curetur, nequid inſit amari. Itẽ; ueniã ad uos, ſi mihi Senatus det neniã. Sed qđ ait Ariſtot. eſt, cum idẽ uerbum plura ſignificat, ut Cæſar Auguſtus cũ quidam araret locum paternę ſepulturæ, dixit, hoc uerè eſt patrẽ colere. & apud Suetonium de Nerone;

Quis neget Aeneæ magna de ſtirpe Neronem,
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.

Nam ſuſtollere modo ſignificat humeris ſuſtinere, ſicut Aeneas patrem ſuſtulit, modo interficere, ſicuti Nero matrem.

TEXT. *Vel quemadmodum dixit Iſocrates; principatum ciuitati fuiſſe malorum principium. nam utroque modo id dictum eſt, quod quiſquam dici non exiſtimaſſet, & cognitum eſt eſſe uerum. nam dicere principium eſſe principium, nihil habet, quod argutum ſit, uerum non ita ait, neque principium idem dicit, quod iam dixerat, ſed alio modo.*

COMM. Aliud exemplum ſuperiori ſimillimum, uel potius idem. nihil enim à ſuperiore differt, niſi quod in eo eſt negatio, quæ in hoc nõ eſt, alioquin idẽ eſt nomen, & eadem ambiguitas nominis. eſt autem in oratione Iſocratis ad Philippum, ubi de Lacedæmoniis loquitur, & ait eum non mentiri, qui dicat tunc ἀρχὴν malorũ fuiſſe Lacedæmoniis, quãdo ἀρχὴν maris acceperunt. tota uis urbanitatis eſt in uocabulo ἀρχὴ, quod (ut ſupra diximus) duo ſignificat, hoc eſt principium & imperium. ait igitur Iſocrates; tunc malorum principium fuiſſe Lacedæmoniis, quando maris principatum acceperunt. utroque ergo modo, hoc eſt & ſuperiore, cũ diximus Athenienſibus, maris ἀρχὴν, non fuiſſe, ἀρχὴν malorum. & præſenti, cum dixit Iſocrates, tunc ἀρχὴν malorum fuiſſe Lacedæmoniis. quando ἀρχὴν maris acceperunt, id dictum eſt, quod auditor non exiſtimaſſet, & tamen cognitum eſt eſſe uerum. nam ſiquis ſimpliciter intelligat, principium eſſe principium, nihil erit, quod acutum & urbanum exiſtimari poſſit. uerum Iſocrates nõ ita ſentit, neque cum ſecundo loco ponit ἀρχὴν, ſignificat principium, quod iã dixerat, ſed alio modo, hoc eſt in alia ſignificatione, nempe imperium ac principatum.

TEXT. *In his enim omnibus, ſiquis nomen commodè protulerit, in quo uel translatio fit, uel ambiguitas, tunc bene ſe ſe habet. ut, Importunus non importunus, ambiguè dictum. uerum commodè ſemper fit, cum uerbum iteratur.*

COMM. Hæc urbana dicta, quæ uel a trãslatione uel ab ambiguitate ducuntur, tunc laudari ſolẽt, quoties conuenienter proferuntur, ut exempli gratia, ſit aliquis, qui proprio nomine uocet, Importunus. & tamen ſit modeſtus ac uerecũdus. ita ut mores eius nomini non reſpondeant, urbanè profecto & facetè dicet, quicunque ita dixerit, Importunus non eſt importunus, neque enim hæc eſt contradictio, licet in nomine eſſe uideatur. ita ſiquis nomine proprio uocetur, Victor. & in aliquo certamine ſit inferior, ingenioſè & urbanè dicetur, Victor non uictor. ſit igitur ſemper commoda & conueniens urbanitas, cum ita uerbum iteratur, ſed diuerſo ſenſu. ut Lepidus, non lepidus. Cato, non cato. quod idem etiam affirmando facere poſſumus, ut Cicero in diuinatione contra Verrem, Sed repente è ueſtigio Verres ex homine, tãquam aliquo Circæo poculo factus eſt Verres, redit ad ſe, atque ad mores ſuos. illud uero urbaniſſimum pro A. Cluentio, ex ambiguo. Atque ẽt ipſe conditor totus negocii Guttam aſpergis huic Bulbo. itaque minime amarus is uiſus eſt.

Et illud; Ne fias magis hoſpes, quam oporteat, o hoſpes. TEXT.

COMM. Eandem uim habet dictum illud ueteris poetæ, qui cum uideret hoſpitem ſuum nimis eſſe uerecundum, & modeſtum, admonuit ne uellet eſſe magis hoſpes, quam hoſpitem eſſe deceat. in quo dicto, uerbum hoſpes iteratur quidem, ſed diuerſa notione. nam primò uocat cum proprio nomine ò hoſpes, deinde admonet officii ſui, ne fiat magis hoſpes quam conueniat, hoc eſt ne uelit uti nimia uerecundia. nam licet hoſpitem deceat eſſe uerecundum, tamen omnibus in rebus, quod nimium, eſt uitioſum.

Vel, Ne magis quam te oporteat, repetendo idẽ. TEXT.

COMM. Quod in ſuperiore exemplo ualet (inquit) idẽ etiam in alijs ualere poteſt, cum idem uerbum repetitur. ut, Ne uelis magis eſſe ſapiẽs, quã te oportet ò ſapiens. Ne fias magis rhetor, quam te oportet ò rhetor. ne ſeuerius philoſopheris, quã Philoſophũ deceat ò Philoſophe. atq; ita in cæteris erit urbanitas ex iteratione eiuſdem uerbi, diuerſo tamen ſenſu.

Vel, Non decet hoſpitem ſemper eſſe hoſpitem, nam hæc quoque diuerſa ſunt. TEXT.

COMM. Erit ẽt urbana ac feſtiua repetitio ſiquis dicat, Non decet hoſpitem ſemper eſſe hoſpitem. quamuis. n. idem uerbum repetatur, tamen diuerſa eſt ſignificatio. itaque ex multiplici unius uerbi notione fit urbanitas. ita, Non decet ſapientem ſemper eſſe ſapientem, quoniam interdũ iocis animus eſt relaxandus. Non decet facetum ſemper eſſe facetum, quoniam in atrocibus rebus non eſt iocandum.

Hanc uim habet etiam illud Anaxandridæ celebre dictum; TEXT.

Pulchrum eſt mori, morte antequam dignum geras, Nam idem eſt, ac ſi dixiſſet; Dignum eſt mori, quando quis non eſt dignus mori. Vel dignum eſt, mori eum, qui non ſit dignus morte, uel, cum quis non facit, quæ morte digna ſunt.

COMM. Eadẽ uis urbanitatis eſt in eo Anaxãdridæ poetæ ſenario, qui à doctis uiris magnopere laudatur; Pulchrũ eſt mori, morte antequã dignum geras. Quẽ uerſum uehementer ſuſpicit Ariſtoteles, cũ ꝑp egregiã ſniam, tum ẽt ꝑp uenuſtatem. itaque tribus modis uariat, & interpretatur, idem eſt (inquit) ac ſi dixiſſet, Dignum eſt mori, qñ quis non eſt dignus mori, Vel dignum eſt mori cũ, qui nõ ſit dignus morte, Vel, cũ quis non facit, quæ morte digna ſunt. Felix. n. ac beatus hr ille, qui ſine crimine moritur. itaque pulchrum exiſtimabat eſſe Anaxandridas, eo tempore è uita excedere, cum quis eſſet innocens, & probatis moribus, neque ullo prorſus flagitio uitam ſuam commaculaſſet. quæ ſententia omnino chriſtiana eſt. huc referri poteſt id, quod eſt in Somnio Scipionis apud

apud Ciceronem; immò uero hi uiuunt, qui ex corporum uinculis, tanquam e carcere euolauerunt, ueſtra uero quæ dicitur uita, mors eſt, nam idem ualet, ac ſi dixiſſet, ij ſoli uiuunt, qui non amplius uiuunt, & qui uiuere dicuntur, ij non uiuũt. ita dicimus; Non moritur, qui pro patria moritur. Non uiuit, qui libidinosè uiuit, atque ita de cæteris.

TEXT. *Et forma quidem locutionis in his omnibus eadem eſt, ſed quanto breuius, magisque contrariè prolata fuerint, tanto uenuſtiora fiunt. cauſa uero eſt, quia contrariæ res propè collocatæ melius intelliguntur, et breuitas temporis celeriorem gignit ſcientiam.*

COMM. Exempla quæ ſupra poſita ſunt, habent eandẽ elocutionis formam. ſed in hoc genere duo ſunt aduertẽda. primo, ut locutio breuiter abſoluatur, deinde ut contraria proferantur. quanto enim breuius, & quanto magis contrarie fuerint prolata, tanto uenuſtior & iucundior erit oratio. cuius rei cauſa eſt, quia quoties contraria uicina ſtatuuntur, & propè inter ſe collocantur, longè facilius alterum ex altero intelligitur. quod ſi breuis eſt uerborum ambitus, & comprehenſio, celerius ẽt percipitur. quoniam mens longitudine temporis nõ diſtrahitur. quam .n. iucunda eſt illa Ciceronis ſententia: ueſtra uero quæ dicitur uita mors eſt. nam & breuitatem habet & repugnantiam. qd' ſi dixiſſet, ueſtra uero quæ dicitur uita, non eſt uita, maiorem ẽt uenuſtatem habuiſſet. in hoc genere eſt facetiſſimus ille Martialis uerſiculus, in quo breuitas eſt, & repugnantia;

Qui rex eſt, regem Maxime non habeat.

TEXT. *Verum oportet ut ſemper adſit, uel in quem dicantur, uel elegans dicendi ratio; ſiquidem id, quod dicitur, uerum eſſe, non autem inane uideri debet.*

COMM. Duo potiſſimum in his urbanis dictis aduertẽda ſunt, alterum, ut in eum accommodata ſint, & bene conueniant, in quem dicta fuerint. alterũ ut uenuſtam & elegantem uerborum ſtructuram habeant. quod ſi hæc defuerint, neque uerum eſſe uidebitur id, quod dicetur, neque urbanitas apparebit, ſed inanis potius & uulgaris erit oratio. Fabius Maximus, cum rogaret eum Salinator, & meminiſſet opera ſua ſe Tarentum recepiſſe, quid ni (inquit) meminerim? Nunquam ego recepiſſem, niſi tu perdidiſſes. hoc dictum eſt urbaniſſimum, quoniam duas illas uirtutes habet, nam & adeſt is, in quem uerè dicitur, ſiquidem Tarẽtum amiſſum fuerat, cum eſſet in eo Salinator, & elegãs eſt dicendi ratio, quæ conſtat ex contrariis, recipere, & perdere.

TEXT. *Alterum enim eorum ſine altero adeſſe poteſt, ut, Mori oportet nihil in uita peccantem, ſed urbanum non eſt. Dignam oportet dignum uxorem ducere, ſed non urbanum eſt. Sed ſi utrunque ſimul habuerit. Dignum eſt mori, quando quis non eſt mori dignus.*

COMM. Cum docuiſſet in urbanis dictis duo eſſe conſideranda, primo ut adſit in quem dicantur, deinde ut ſit elegans dicendi ratio. nunc oſtendit hæc inter ſe frequenter ſeparari, & alterum ſine altero eſſe. uerum tunc urbanum dictum appellari non poteſt, etiam ſi ſit egregia ſententia, aut ornata locutio. ut ſiquis dicat, Mori oportet, nihil in uita peccantem, grauis quidem erit ſnia, & laudabilis, ſed quia caret ea concinnitate, quæ in uerborum ſtructura quæritur, urbana dici non poteſt. ita ſiquis dicat, Dignam oportet dignum uxorem ducere. benè dicet & ſententiosè, ſed non urbanè. cum autem utrunque ſimul coniungitur, ut in eo dicto; Dignum eſt mori, quando quis non eſt mori dignus, tunc magna ſtatim apparet urbanitas.

TEXT. *Quanto uero plura coniuncta habuerit, tanto fiet urbanior oratio, ut, ſi nomina translata fuerint, & ea translatione, quæ probata eſt, & contentio, & cõpar adhibeatur, & euidentiam habeat.*

COMM. Multa ſunt, quæ urbanam orationem efficiunt (ut iam ſupra demonſtrauimus) quæ ſi coniungãtur maiorem uenuſtatem habebunt. nam quanto plura ex eis oratio habuerit, tanto iucũdior atque urbanior euadet. Vt ſi translationes adhibeantur, præſertim eius generis, quod magnopere probatur, hoc eſt quod à proportione ducitur. & ſi contraria contrariis, paria paribus referantur, & ſi ita res exprimatur, ut oculis ſubiiciatur. talis eſt illa Ciceronis oratio de Stoicis pro L. Murena; Fuit .n. quidam ſummo ingenio uir zeno, cuius inuentorum æmuli Stoici nominantur, huius ſentẽtiæ ſunt & præcepta huiuſmodi; ſapientem gratia nũquam moueri, nunquam cuiuſquam delicto ignoſcere, neminem miſericordem eſſe, niſi ſtultum & leuem, uiri non eſſe, neque exorari, neque placari, ſolos ſapientes eſſe, ſi diſtortiſſimi ſint, formoſos, ſi mendiciſſimi, diuites. ſi ſeruitutem ſeruiant, reges. & quæ ſequuntur. Quintil. li. 6. putat urbanitatem in dicendo, nihil aliud eſſe, quam detractis omnibus uitiis perfectam & abſolutam orationẽ, ſic enim ait; Nam meo quidem iudicio, illa eſt urbanitas, in qua nihil abſonum, nihil agreſte, nihil inconditum, nihil peregrinum, neque ſenſu, neq; uerbis, neque ore, geſtu ue poſſit deprehendi, ut non tam ſit in ſingulis dictis, quam in toto colore dicendi, qualis apud Græcos atticiſmus ille, redolens Athenarum proprium ſaporem.

TEXT. *Atque etiam imagines (ut ſemper antea dictum eſt) ſunt excellentes quodammodo translationes. ſemper enim ex duobus conſtant, ſicuti translatio, quæ fit ex proportione, ut clypeum dicimus eſſe Martis phialam, & arcum eſſe citharam ſine fidibus. quã cũ ita pronunciantur, non eſt ſimplex translatio, ſed cũ appellamus arcum citharam, & clypeum phialam, tunc eſt ſimplex.*

COMM. Nunc ad imagines tranſit, de quibus iam ſupra copiosè dictum eſt. ut probet eas etiam multum ualere ad orationis urbanitatem. nam maior pars urbanorum dictorum ex translatione ducitur (ut demonſtratum eſt) atque imagines, ſunt excellentes quodammodo translationes. itaque etiam ex imaginibus urbana dicta plurima duci poſſunt. Quod autem imagines

ſiut excellentea translationes, probatur ea rõue, quod illæ translationes, quæ a proportione ducũtur, maximè excellumt, ut declaratum eſt, & imagines ſemper ex duobus conſtant, ſicuti translatio quæ fit ex proportione. quod duobus exemplis probat Ariſtoteles. nam ſi dicamus clypeum eſſe Martis phialam, & arcum eſſe cithharam ſine fidibus, erunt duæ translationes ex proportione, quæ facile fieri poſſunt imagines, addito tantum ſimilitudinis aduerbio, ut clypeum eſſe tãquam Martis phialam, & arcum eſſe tanquam citharam ſine fidibus. Sed aduertendum eſt hoc in loco duplicem ab Ariſtotele poni translationem ex proportione, alteram non ſimplicem, alteram ſimplicem. nõ ſimplex eſt translatio, cũ utrũque nom̃ e ponitur, ut, clypeum eſſe phialam Martis, & arcum eſſe citharam ſine fidibus. ſimplex autem eſt, cum unũ tantum nomen, atque id translatè ponitur. ut ſi quis de clypeo uerba faciens, dicat, affer mihi phialam Martis, aut arcum iutelligena, dicat, Da mihi citharam ſine fidibus. Simplici translatione uſa eſt Cornelia Gracthorum mater, cum enim (ut ſcribit Valerius) Campana matrona apud illam hoſpita, ornamenta ſua pulcherrima ſeculi illius ei oſtenderet, traxit eam ſermone quouſque e ſchola redirent liberi, & hæc (inquit) ornamenta mea ſunt. quod ſi dixiſſet, hi liberi ornamenta mea sũt, non ſimplici translatione uſa fuiſſet.

TEXT. *Hoc autem modo fingunt imagines, ut ſimiæ tibicinem eſſe ſimilem. & ſtillanti lucernæ luſciosum. ambo enim contrahuntur.*

COMM. Imagines quadam ſimilitudine fioguntur, quę ſi benè fictę fuerint, ualde ſunt urbanæ, riſumq́; commouent, ut ſiquis tibicinem ſimiæ dicat eſſe perſimilem. quoniam ut ſimiæ contracto corpore ſedere ſoleut manibus ad os appoſitis, ita etiam tibicines dum tibias inflant, quodammodo ſimias imitari uidentur. talis eſt ille uerſus Ennii.

Simia quam ſimilis turpisſima beſtia nobis.

Vel, ſiquis luſcioſum hominem ſtillanti lucernæ ſimilem eſſe dicat. quia ſicuti ſtillantis lucernæ contrahere ellychnium oportet, ut ſtillare deſinat & clarius luceat, ita luſcioſus niſi palpebras contrahat, uidere non poteſt. dicuntur autem luſcioſi uel myopes græco nomine, qui à primo ortu proxima quidem uident, remota uero longius non uident. Ariſtoteles in problematibus ſectione trigeſima prima tradit myopes licet non acute uideant, tamen minutas literas ſcribere ſolere, quia palpebras in arctum contrahunt, atque ita exiens collectus uiſus acutius uidet. ita etiam ſtillans lucerna ſi contrahatur, ut ſtillare deſinat, clarius lucet. De hoc genere ſic ait Cæſar apud Ciceronem libro de Oratore ſecundo; Valde autem ridentur etiam imagines, quæ ferè in deformitatem, aut in aliquod uitium corporis ducuntur, cum ſimilitudine turpioris, ut meum illud in Helmium Mancium, Iam oſtendam cuiuſmodi ſis, cum ille Oſtende quæſo, demonſtraui digito pictum Gallum in Mariano ſcuto Cimbrico ſub nodis diſtortum; eiecta lingua, buccis fluentibus, riſus eſt commotus, nihil tam Manciæ ſimile uiſum eſt.

TEXT. *Benè uero fiunt imagines, cum in eis eſt translatio. Licet enim per imaginem dicere, clypeum eſſe Martis phialam, & ruinam eſſe pallium attritum ædificij. Et Niceratum eſſe Philoctetem demorſum à Pratye, quemadmodum Thraſymachus aſſimilauit eum, cum uidiſſet Niceratum à Pratye ſuperatum in uerſibus heroicis adhuc ſordidatum & incompta coma.*

COMM. Laudantur (inquit) imagines, quoties in eis apparet translatione, præſertim eius generis, quod à proportione ducitur. hoc autem tribus exemplis declarat. primum eſt illud; Clypeum eſſe Martia phialam, de quo iam ſupra dictum eſt, eſt enim metaphora à libero patre ſumpta, quem geſtare phialam poetæ tradunt, ut Mara clypeum geſtat. Alterum eſt illud; ruinam eſſe pallium attritum ædificii, quæ à ueſtimento ducta eſt metaphora. ut. n. pallium attritum nou amplius uſui eſt, ita neque domus ruinoſa. Tertium eſt illud; Niceratum eſſe Philoctetem demorſum à Pratye: quæ, à ſerpente illo qui Philoctetem momordit, translatio ducta eſt. ut enim Philoctetes à ſerpente demorſus in ſqualore & ſordibus diu uixit, ita Niceratus poeta ſuperatus à Pratye in certamine carminum heroicorum, in mæſtitia & ſqualore uitam agebat. quẽ, cum Thraſymachus ſordidatum & incompta coma, uidiſſet, facetè & urbanè dixit, en Niceratus à Pratye demorſus, tanquam Philoctetes à ſerpente.

TEXT. *In quo genere maximè labuntur poetæ, niſi benè aſſimilauerint, etiamſi aliter excellant. dico autem cum ita inquiunt;*

Diſtorta ut apium crura procedens gerit.

Sicut Philammon iuga gerens cum Coryco.

Atque huiuſmodi cætera, quæ omnes ſunt imagines: qđ ãt imagines, ſint metaphoræ, iã ſæpe dictũ eſt.

COMM. Docet periculoſas eſſe imagines atque ſimilitudines, niſi quis eas bene tractauerit. nam poetæ, inquit, exploduntur & exibilantur, niſi bene res aaſimilauerint, etiam ſi in aliis rebus fuerint excellentes. cuius generis duo ponit exempla, quæ licet imaginem & translationem contineant, tamen quia non bene ſunt aſſimilata reprobantur, cuius autem poetæ ſint, non addit. duo ſunt uerſiculi ſenarii, quorum ille prior

Diſtorta, ut apium crura procedens gerit.

Neque. n. uidetur ſatis accõmodata ſimilitudo, ut qui tortuoſa crura habeat, apio cõparetur, cum alteri rei fortaſſe melius comparari potuiſſet. ut cornibus lunæ, quod Martialis fecit, eo uerſu,

Cum ſint crura tibi ſimulent quæ cornua Lunæ.

Vel, falci meſſoriæ, uel, hemicyclo.

Alter eſt ille,

Sicut Philammon iuga gerens cum Coryco.

In quo ſimilitudo ẽ, & trãslatio. hi duo Philãmon & Corycus fuerũt athletæ fortes & ſtrenui, q cũ inter ſe cõtenderent, nõ facile alter alterũ ſuperabat.

bat de Philãmone meminit Demoſthenes in oratione pro Cteſiphõte, de Coryco extat apud Græcos prouerbium, cum Coryco luctari, de iis, qui ſumunt inanem operam, quaſi Corycus eſſet inſuperabilis. ergo uerisimile eſt poetam de duobus inter ſe fruſtra contendentibus uſum fuiſſe ea ſimilitudine, ut diceret alterum cum altero ita contendere. Sicut Philemmon iuga gerens cum Coryco. uerum translatio non uidetur accommodata, quã is poeta duxit ab equis, uel bobus eidem iugo copulatis. neque enim qui contendunt inter ſe, bene dicuntur iuga gerere, uel, ut græcum uerbum ſonat, ſub iugo contendere. ſicut interdum boues indomiti faciunt, ut inter ſe cõtendant, & alter in alterum iugum reiiciat. hæc autem translatio magis conueniret in eos, qui eiuſdem oneris ſocii uiciſſim alter onus illud in alterum reiicerent, quã in athletas inter ſe dimicantes. Sũt etiam (inquit) eiuſmodi cætera apud poetas exempla, non ſatis probata, quæ omnia ſub imaginibus continentur. imagines autem ſunt translationes quædam, ſicuti iam ſæpe teſtati ſumus.

TEXT. *Et prouerbia ſunt translationes à ſpecie ad ſpeciem: ut ſiquis domum comportet aliquid, unde commodum ſperet, & ex eo poſtea damnum accipiat: Carpathius leporem. ambo enim id, quod dictum eſt, pertulerunt.*

COMM. Prouerbia (inquit) etiam translationes ſunt nõ ex eo genere quo imagines, ſed ab una ſpecie ad aliã, quod exemplo declarat. Siquis (inquit) rem aliquam domum ſuam afferat, tanquam utilem ſibi futuram, & ex ea, pro utilitate quam ſperabat, ingens detrimentum accipiat, commode poterimus in eum dicere prouerbium illud; Carpathius leporem, quoniam ambo damnum acceperint ex eo, unde emolumentum ſperauerant. originem huius prouerbii explicat Iulius Pollux libro quinto. Scribit enim olim in Carpatho inſula nullos fuiſſe lepores. itaque Carpathii, cum illud animal eſculentum eſſe intelligerẽt, & in obſonijs optimum, ſummo ſtudio curarunt ut unum par leporum in ſuam inſulam importaretur. ſed cum breui tempore, ut eſt animal fœcundiſſimum, magnopere multiplicaſſent, omnes fere fructus agrorum corrumpebant, unde natum eſt prouerbium in eos, qui ſibi ipſi malefaciunt, & id quærunt, quod damnum afferat; Carpathius leporem. tale eſt illud; Capra gladium. Et illud: Ipſe ſibi mali fontem reperit.

TEXT. *Vnde igitur urbana dicta proferantur, & quamobrem adhibeantur, expoſitum eſt.*

COMM. Concluſio, qua ſe iam ſatis multa de urbanitate dixiſſe oſtendit, cum & unde ducantur aperuerit, & cauſam attulerit, quamobrem adhibeantur in oratione. Sed antequam ab urbanis dictis diſcedat, nonnulla de ſuperlatione uerba facit, quæ ſæpe urbana eſt, & ingenioſas translationes continet, ſi opportune adhibeatur, alioquin eſſe puerilis uidetur.

TEXT. *Quin etiam illæ ſuperlationes, quæ probãtur, quædam translationes ſunt. Vt in eum, qui ſugillationibus faciem commaculatam habeat; exiſtimauiſſetis eum eſſe mororum fiſcinam. eſt enim quidam rubor in ſugillatione. ſed hæc locutio modum excedit.*

COMM. Quæ græco nomine uocatur Hyperbole, eam Cornificius appellat ſuperlationem, quæ eſt oratio ſuperans ueritatem alicuius augendi minuendive cauſa. Vt Virgilius de equis Turni;

Qui candore niues anteirent curſibus auras.

Quintilianus libro octauo uocat ſuperiectionem ementientem, ut ſecunda Philippica; Vomẽs fruſtis eſculentis gremium ſuum, & totum tribunal impleuit. Cicero in Topicis ita inquit; Aut aliquid quod fieri nullo modo poſſit, augendæ rei gratia dicatur, aut minuendæ, quæ ὑπερβολὴ dicitur. Ariſtoteles ait id genus hyperbolæ quod probatur, eſſe translationem, quoniam ſunt etiam hyperbolæ quæ non probantur; ut infra declarabitur. probat autem illo exemplo; Quidam erat (inquit) qui faciem ſugillatam habebat, & uariis maculis ſubrubentibus inquinatam, de quo alius ita facetè dixit; exiſtimauiſſetis eum eſſe mororum fiſcinam. nam in ſugillatione quidam eſt rubor, qualis in moris apparet, quæ ſanguinea uidentur, unde Virgilius in Bucolicis;

Sanguineis & frontem moris & tempora pingit.

Eſt igitur translatio, cum faciem ſugillatam dicat eſſe mororum calathum. ſed quia hæc locutio modum excedit, ideo nomen translationis amittit, & hyperbole nominatur. tradunt L. Syllam Dictatorem candida quidem facie fuiſſe, ſed in ea crebras habuiſſe maculas rubras, unde quidam maledicus Athenis dixit, eum eſſe morum farina reſperſum. De hoc genere Cæſar libro de Oratore ſecundo ſic ait; Etiam illa, quæ minuendi aut augẽdi cauſa ad incredibilem admirationem efferuntur, ueluti tu Craſſe in concione, ita ſibi ipſum magnum uideri Memmium, ut in forum deſcendẽs, caput ad Fornicem Fabii demitteret. Ex quo genere etiam illud eſt, quod Scipio apud Numantiã cum ſtomacharetur cum C. Metello, dixiſſe dicitur; ſi quintum pareret mater eius, aſinum fuiſſe parituram.

TEXT. *Imago uero, in qua dici ſolet, tanquam hoc aut illud, ſuperlatio eſt, quæ dicendi genere tantum differt; ut,*

Sicut Philammon iuga gerens cum Coryco.

Putauiſſetis omnino ipſum eſſe Philammonem cum Coryco dimicantem.

Diſtorta, ut apium, crura procedens gerit.

Putabam eum, non crura ſed apia habere, adeo diſtorta ſunt.

COMM. Imagines, & ſuperlationes genere dicendi tantum inter ſe differre oſtendit, atque ideo eſſe facile, ex imaginibus ſuperlationes facere, cum omnis imago ſit quædam ſuperlatio, niſi quod in imagine dicitur tanquam hoc aut illud. eſt enim in ea ſemper aliquod ſimilitudinis aduerbium (ut ſupra docuimus) quod in ſuperlatione adimitur. hoc au

tem duobus exemplis probat, quæ iam ſupra declarata ſunt. hæc eſt (inquit) imago, quamuis non ex optimo genere;

Sicut Philammon iuga gerens cum Coryco.

Quæ facile conuerti in ſuperlationem hoc modo poteſt; Putauiſſetis omnino ipſum eſſe Philammonem cum Coryco dimicantem. ita illa eſt imago;

Diſtorta ut aptum crura procedens gerit,

Sed in ſuperlationem uertitur hoc modo; Putabam eum non crura, ſed apia habere, adeo diſtorta ſunt. tale eſt illud Virgilii,

--Credas mirare reuulſas Cycladas.

Ita ſi dixiſſet Cicero de Verre; Verſabatur in Sicilia, non tanquam Dionyſius ille, nec Phalaris, ſed tanquam nouum quoddam monſtrum ex uetere illa immanitate, Imagine fuiſſet uſus. ſed cum illud tanquam, dimiſerit, & hoc modo rem amplificanerit; uerſabatur in Sicilia longo interuallo, non Dionyſius ille, nec Phalaris, tulit. n. illa quondam inſula multos & crudeles tyrannos, ſed nonũ quoddam monſtrum ex uetere illa immanitate, quæ in iiſdem nerſata locis dicitur, ex imagine, ſuperlationem fecit.

TEXT. *Habent autem ſuperlationes iuuenile quiddam: uehementem enim animi motum indicant. itaque irati præcipuè ſuperlationibus utuntur.*

Non mihi ſi tã multa daret, quam magnus arenæ eſt
Pulueris & numerus.—
Omnino uxorem non ducam Agamemnone natam,
Quamuis ingenio ſapientem Pallada uincat,
Et pulchra Veneri præſtanti corpore certet.

COMM. Suplationes (inq̃t) iuuenili ætati ꝓcipuè côueniũt, qm̃ uehemẽtẽ animi motũ indicãt, qui ferè in iouenibus eſſe ſolet, ut in 2. lib. dictũ eſt, & hac (inquit) de cã, qui irati ſunt, ꝑꝑ uehementem animi cômotionem ſuperlationibus uti conſueuerunt. ut Achilles apud Homerum li. 9. Iliadis, Agamẽnoni iratus eius munera contẽnit, & ait; Non mihi ſi tam multa daret, quam magnus arenæ eſt, Pulueris & numerus.

Poſsẽ animũ meũ mitigare, & cũ Agamẽnone in gratiã redire. & quia legati ꝑter ingẽtia munera, quæ Agamẽnon Achilli ꝓmittebat, addebãt ẽt Agamemnonem decreuiſſe; ſibi Achillem generũ aſciſcere, & filiam ſuã illi in matrimoniũ dare, rñder Achilles iratus;

Non ducã nxorẽ, mihl crede, Agamẽnone natã,
Quamuis ingenio ſapientem Pallada uincat,
Et pulchræ Veneri præſtanti corpore certet.

Hmôi igitur ſuplationes iratis côneniũt, & iis qui hoſtili aĩo quẽpiã inſectãtur, nt Cicer. 2. Philippica; Quæ Charybdis tã uorax? Charybdim dico? q̃ ſi fuit, fnit animal nnum. Oceanus medius fidius uix vr̃ tot res, tã diſſipatas, tã diſtãtibus in locis poſitas, tã cito abſorbere potuiſſe. côneniũt ẽt laudatoribus interdũ ſuplationes, ut ꝓ Cor. Balbo Cice. de Pôpeio; Qui tot habet triũphos, quot oræ ſunt, parteſque terrarũ, tot uictorias bellicas, quot ſunt in rerũ natura genera bellorũ, & pro L. Man. de eodẽ. Qui ſæpius cũ hoſte conflixit, quã quiſquã cũ inimico côcertauit: plura bella geſsit, q̃ cæteri legerũt, plures ꝓuincias confecit, q̃ alii côcupluerũt. præterea ſæpe in perorationibus & miſerationibus ſuplationes adhibentur, ut ꝓ Milone; O terrã illã beatam, quæ hunc uirum exceperit, hanc ingratam ſi eiecerit, miſeram ſi amiſerit. neque tantum in augendo, ſed etiam in minuendo ſuperlationes fiunt, ut Virgilius, Vix oſsibus hærent. pro Milone; vulnus in latere, quod acu pũctum uideretur, pro ictu gladiatoris putari.

Hoc genere maxime utuntur Attici oratores. Quare ſenem uti ſuperlatione minime decet. TEXT.

Atticos oratores reprehendit, quod in ſuplationibus nimis iuueniliter exultarẽt, cũ ea res grauitatẽ non habeat, niſi qñ cã ipſa poſtulare vr̃. itaque neque ſenem hominem uti ſuperlatione decet. qm̃ ſedatum & tranquillum ab omni ꝑturbatione animum ſenex hẽre debet, ſuperlatio uero uehementem animi motũ indicat. hæc quidẽ eſt Ariſtotelis ſñia, ſed nos uidemus optimũ dicendi magiſtrum Ciceronem frequentiſsimè ſuplationibus utentem, nô tãtum in eis orationibus, quas iuuenis habuit, ſed ẽt in Philippicis, quas iam ſenior côſcripſit, quod quidem optima rône factũ à Cicerone putamus. cum. n. uis oratoris omnis (nt in octano libro ait Quintilianus) in augendo minuendoque conſiſtat, & hyperbole ad utrũque maximè ſit accommodata, conſectarium eſt, ut hyperbole ſit oratoris maximè propria, & ab eo frequenter uſurpanda, quotieſcunque uult aliquid uel augere, uel minuere. neque intereſt utrum orator ſit ſenex an iuuenis, quoniam hæc exornatio ſemper eſt illi accommodata. uerum eſt, quòd iuueni magis conceditur exultare, & liberius euagari oratione, quod ſenex cauere debet, cuius ætas iam deferbuit, & hoc eſt fortaſſe, quod ait Ariſtoteles. COMM.

Illud uero non oportet ignorare, in unoquoque genere diuerſam eſſe locutionem, neque enim eadem eſt locutio, qua aliquid ſcribimus, & qua in contentionibus utimur, neque ea, qua ad deliberationes pertinet, & qua iudicia tractantur. TEXT.

Nũc rẽ aggrediẽ à Cicerone in oratore ad Brutũ copioſè & diligentiſsimè tractatã, hoc eſt non oĩbus dĩcẽdi generibus eandẽ locutionẽ atq; eundẽ ſtylũ côuenire, ſed in unoquoq; gñe diuerſam eẽ locutionẽ oportere. Sed aliter tractat hũc locũ Ariſtoteles, aliter Cice. quamobrem in pręſentia ſñiam Ariſtotelis ſequemnr. Duplicem igitur orationem facit Ariſtoteles, alteram à forenſibus cauſis remotam, qua aliquid ſcribimus, & literarũ monumentis mandamus, qđ Cicero, æquabile & temperatum orationis genus appellat, Ariſtoteles γραφικὴν λέξιν alteram in forenſibus controuerſiis poſitam, quæ ἀγωνιστικὴ uocatur, & deliberationes atque iudicia continet, quam diſtinctionem etiã Cicero poſuit in procemio librorum de officiis, cũ ita inquit; Et id quidem nemini uideo Græcorũ adhuc côtigiſſe. ut idẽ utroq; in genere laboraret, COMM.

ſequere-

ſequereturque & illud forenſe dicẽdi, & hoc quietum diſputandi genus. Porro illa oratio quæ in cõtentionibus uerſatur duplex eſt, δημηγορικὴ idest concionalis, uel deliberatiua, & δικανικὴ ideſt iudicialis, quæ duo genera diuerſam etiam locutionẽ requirunt.

TEXT. *Verum utrunque genus ſcire oportet, alterum.n. efficit, ut emendatè loqui ſciamus, alterum nequis tacere cogatur, cum alijs quippiã impartiri cupit. quod ijs accidit, qui ſcribere neſciunt.*

COMM. Neceſſe eſt (inquit) ut quicunque nomen aliquod in literis atque in ciuilibus negocijs aſſequi uult, utrunque genus teneat. duo ſunt enim præcipua uiri ciuilis officia, hoc eſt, loqui, & ſcribere. Sed in illo forenſi genere quo deliberationes & iudicia tractantur, opus eſt, ut emendatè loqui ſciamus, alioqui ridetur, & exploditur Orator, qui uel barbarè, uel impolitè loquatur. huic autem generi ſatisfacere poteſt, etiam qui rectè ſcribere neſciat. quoniam in deliberationibus & iudicialibus controuerſijs non requiritur accurata ſcriptio, ſed ſatis eſt, argumentis, uoce, & actione præcellere, ſicut apud Græcos Demades, qui licet eſſet doctrinarum ignarus, tamen inter præcipuos Oratores habitus eſt. at uero qui ſcribendi rationem non tenet, is quamuis in dicendo multum ualeat, & diſertisſimus ſit, tamen cum aliquid uel abſentibus uel poſteris impartiri cupit, id efficere nullo modo poteſt, ſed tacere cogitur, quare qui in aliquo numero eſſe uult, is utrunque ſummo ſtudio perſequi debet, ut, & emendate loqui, & recte ſcribere diſcat.

TEXT. *Dicendi genus, quo aliquid ſcribimus, eſſe debet exquiſitisſimum, quo uero in contentionibus utimur, ad actionem aptiſſimum.*

COMM. Docet quomodo inter ſe differant, ſcriptura, & forenſis dictio. Scriptura (inquit) exquiſitisſima eſſe debet, ut nihil habeat ocioſum, nihil redundans, aut imminutum. de qua re ſic ait Craſſus primo de Oratore; Caput autem eſt, quod (ut uerè dicam) minimè facimus, eſt enim magni laboris, quem plerique fugimus, quam plurimum ſcribere. Stylus optimus & præſtantisſimus dicendi effector ac magiſter eſt. neque iniuria. nam ſi ſubitam & fortuitam orationem commentatio & cogitatio facile uincit, hanc ipſam profectò aſſidua, ac diligens ſcriptura ſuperabit. Dictio autem forenſis debet ad agendum eſſe aptisſima. quo animos audientium commouere facile poſſit, & excitare uel ad iram, uel ad miſericordiã, uel ad odiũ, uel ad beneuolentiam, quod ipſa actione, & pronunciatione boni oratores maxime conſequi ſolent. actio uero dicitur à Græcis ὑπόκρισις, cui primas, ſecundas, & tertias Demoſthenes tribuiſſe dicitur, cum eſſet interrogatus quid in eloquentia præcipuum eſſe exiſtimaret hac de cauſa uult Ariſtoteles, forenſem dictionem, eſſe ὑποκριτικωτάτην, ideſt, maximè accommodatam ad actionem.

TEXT. *Sed huius duæ ſunt ſpecies, quarum altera ad mores, altera ad motus animi pertinet.*

Dictionis forenſis duas ſpecies facit. quarum una pertinet ad mores effingendos in oratione, & appellatur, ἠθικὴ altera ad animos uehementius commouendos, & παθητικὴ dicitur. de quibus ita ſcribit in Oratore Cicero; Duo ſunt, quæ bene tractata ab Oratore admirabilem eloquentiam faciant, quorum alterum eſt, quod Græci ἠθικὸν uocant ad naturam & ad mores, & ad omnem uitæ conſuetudinem accommodatum. alterum quod iidem παθητικὸν nominant, quo perturbantur animi, & concitantur, in quo uno regnat oratio. Illud ſuperius come, iucundum, ad beneuolentiam conciliandam paratum, hoc uehemẽs, incenſum, incitatum, quo cauſæ eripiuntur, quod cum rapidè fertur, ſuſtineri nullo modo poteſt. COMM.

TEXT. *Atque ideo hiſtriones huiuſmodi fabulas potiſſimum exquirunt, & poetæ tales hiſtriones deſiderant.*

COMM. Hiſtriones, quorum omne ſtudium eſt in agendis & recitandis fabulis, ut magis artem ſuam & ingenium oſtentare poſſint, eiuſmodi tragœdias & comœdias exquirunt, & libenter agunt, in quibus illa duo uident eminere, hoc eſt ἠθικὸν & παθητικὸν. alterum, ut mores omnium ætatum, ordinũ, & fortunarum in agendo bene ſpectantium oculis ſubijcere ualeant. alterum, ut commouere ſpectatores, & quomodocunque uoluerint afficere poſſint. Itaque ẽt ipſi poetæ fabularum auctores tales deſiderant hiſtriones, qui in agendo præcellant. de hac re ſic ait M. Antonius ſecũdo de Oratore; Quid poteſt eſſe tam fictum, quam uerſus, q̃ ſcena, quam fabulæ? tamen in hoc genere ſæpe ipſe uidi, cum ex perſona mihi ardere oculi hominis hiſtrionis uiderentur, & paulo poſt, Quæ ſi ille hiſtrio quotidie cum ageret, tamen rectè agere ſine dolore non poterat, quid Pacuuium putatis in ſcribendo leni animo ac remiſſo fuiſſe? fieri nullo modo potuit.

TEXT. *Probantur autem ij poetæ, qui etiam in legendo delectant, ut Charemon, qui diligens eſt, non aliter atque orationum ſcriptor. & Lycimnius ex eorũ numero qui Dithyrambici dicuntur.*

COMM. Aliqui poetæ tãtũ in ſcena placent, ſed cũ eorũ fabulæ domi leguntur, leues & frigidæ uidentur, de quorum fabulis ita Horat. Hæc placuit ſemel. aliqui uero non tãtum in ſcena delectant, ſed etiã cum leguntur, atque hi præcipuè probantur, de quibus Horatius.

--Hæc decies repetita placebit. duos aũt laudat Ariſt. q̧ ẽt in legendo delectent, Chæremonem, quia diligẽs ſit in ſcribendo, neque minus exq̃ſitè ſcribat, quam ij ſolent, qui orationes cõponunt, & Lycimniũ, quia magno & elato ſtylo utatur. & formam dicendi grandem & exaggeratam ſequatur, ut Dithyrambici poetæ ſolent. ita nos Terentium commendare poſſumus, quod elegantisſimè ſcribat, & ſummam artem adhibeat, in exprimendis moribus & affectionibus eorum quos loquentes facit.

Quod ſi inter ſe compararentur orationes; quæ TEXT.

 ſcri-

ſcriptæ ſunt, in contentionibus humiles anguſtæque uidentur: quæ uero bene habitæ ſunt, cum in manibus ſumuntur, ſimiles ſunt imperitorum orationibus. cuius rei cauſa eſt, quod in contentionibus ea conueniunt.

COMM. Nunc comparat inter ſe ſcripturam, & dictionem forenſem, & ait ſæpe euenire, ut quod in ſcripta oratione placet, & præclarum eſſe uidetur, id in forenſibus actionibus minime probetur, ſed humile & anguſtum eſſe uideatur. quod autem placet in dicendo, cum inter ſe contendunt oratores, id ſi forte ſcribatur, & remiſſo illo impetu legatur, modicam habeat gratiam, ſed potius ſimile ſit imperitorum hominum orationi. cuius rei cauſam eſſe ait, quod in contentionibus dum clamant, & uociferantur Oratores illa conuenire uidentur, ſed cum animi ſedati ſunt, non amplius conueniunt. Itaque ſcriptæ orationes ideo nō probātur in foro ac iudicijs, quia neque neruos neq; aculeos oratorios ac forenſes habent, nihil iratū, nihil inuidū, nihil atrox, nihil mirabile, nihil aſtutum. & hoc ideo fit, quòd ſedato, non incitato animo ſcribuntur. tales ferè ſunt Iſocratis orationes, quæ licet politisſimæ ſint, & iucundisſimæ, neruis tamen oratorijs carent. illæ uerò quæ ſine ſcripto habentur in forenſibus controuerſiis dum ardent animi perturbationibus uariis incitati, uidētur admirabiles, ſed cum reſtinctum eſt illud animorum incendium, inanes & imperitæ uidentur. quod de Hortenſio legimus, qui longo tempore princeps Oratorum fuit, aliquando æmulus Ciceronis exiſtimatus, nouisſimè quoad uixit ſecundus, ut appareat (ſicut ait Quintilianus) placuiſſe aliquid eo dicente, quod legentes nō inuenimus. hoc accidiſſe Sergio Galbæ ſcribit Cicero in Bruto, ut longè melius diceret, quam ſcriberet, ſicut apud Græcos Demadi, & Hyperidi. duo tamen fuere omnium præſtantisſimi Oratores, Demoſthenes & Cicero, qui non minus uehementes & acres in ſcribendo, quam in dicendo extitiſſe uideantur.

TEXT. *Quamobrem illa, quorum uis in actione poſita eſt, ſublata actione, cum ſuo munere non funguntur, inania ſunt.*

COMM. Sunt quædam apta ad actionē, quæ ὑποκριτικὰ græce dicuntur, quæ ſi quis ſine actione, & acrimonia pronunciet, inania ferè uidentur, quales dicunt Menandri fabulas fuiſſe, quæ in ſcena magnopere placebant, ſed cum domi legerentur, nihil ferè delectabant. cum enim in actione uis animi dicentem incendit, efficitur, ut & incitata, & grauis & uehemens oratio ſit, ſed cum motus animi tanquam uentus deficit, flacceſcit oratio. quare quæ etiam per ſe uehemens eſt, nihil uis addatur in pronunciando plerunque inanis uidetur.

TEXT. *Vt ea, quæ diſſoluta ſunt, & quæ ſæpius repetuntur, in ſcriptione rectè reprobantur, ſed eis in contentionibus oratores utuntur, ſunt enim actioni conuenientia.*

COMM. In iudicialibus & deliberatiuis orationibus, crebræ ſunt repetitiones & diſiunctiones, quæ multum in augendo ualent. ſed in alio ſcriptorū genere non probantur, ut in ſcriptis philoſophicis, aut in hiſtoriis rectè damnantur ea, quæ diſſoluta ſunt, & quæ ſæpius repetuntur. at in oratoriis contentionibus ideo laudantur, quod actioni maximè ſint accommodata. uocantur autem diſſoluta, quæ ſine ulla coniunctione proferūtur, & quaſi congerie quadam, ut magis animus incēdatur. qualia ſunt illa in Catilinam, abiit, exceſſit, euaſit, erupit. & illa pro Q. Ligario, qui ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? & illa pro Milone; Scutorum, gladiorum, frenorum, ſparorum, pilorumque etiam multitudo deprehendi poſſe iudicabatur. Quæ ſæpius repetūtur, uel uerba ſunt in principio membrorum, ſiue periodorum, uel ſententiæ quæ idem ſignificant, uerbis tantum uariatis uerba enim ſæpe repetuntur, ut in Catilinam; Nihil ne te nocturnum præſidium palatii, nihil urbis uigiliæ, nihil timor populi, nihil conſenſus bonorum omnium, nihil hic munitisſimus habendi Senatus locus, nihil horum ora, uultusque mouerunt? Sæpe etiam eadem ſententia repetitur, mutatis tantum uerbis, ut in eadem oratione; Si neque nox tenebris obſcurare cœtus nefarios, nec priuata domus parietibus continere uocem coniurationis tuæ poteſt, ſi illuſtrantur, ſi erumpunt omnia. teneris undique. Luce ſunt clariora nobis tua conſilia omnia. & paulo poſt; Non feram, non patiar, non ſinam. Vbi & uerborum & ſententiæ repetitio eſt. Item, hic tu qua lætitia perfruere, quibus gaudiis exultabis, quanta in uoluptate bacchabere? hæc autem qui proferre uult, quodammodo etiam inuitus cogitur uoce ac geſtibus adiuuare, qua de cauſa dixit Ariſtoteles actioni eſſe accommodata. Aquila Romanus locū hunc Ariſtotelis explicuit, cum ita inquit; Ideoque Ariſtoteli & iteratio ipſa uerborum ac nominum, & repetitio frequentior, & omnis huiuſmodi motus actioni magis & certamini, quam ſtylo uidetur conuenire.

TEXT. *Neceſſe eſt autem, ut, qui idem dicunt, orationem uarient, quæ res tanquam aditum munit ad actionē: Iſte eſt, qui uos expilauit, iſte eſt, qui decepit, iſte eſt, qui denique uos hoſtibus prodere conatus eſt.*

COMM. Probat repetitiones actioni & certamini maximè conuenire. nam in agendo uariare orationem ſæpius oportet. qui autem idem repetunt, neceſſe eſt ut orationem uarient. itaque repetitio quaſi uiam ad actionem aperit. hoc autem illo exemplo probat, quod uel ipſe finxit, uel ab aliquo uetere Oratore ſumpſit; Iſte eſt, qui uos expilauit, iſte eſt, qui decepit, iſte eſt, qui denique uos hoſtibus prodere conatus eſt. cuius generis exempla ſunt apud Ciceronem penè innumerabilia, ut in Piſonem; Non leges, non Inſtituta, non mores, non iura noritis? Item. Tu luctum ſenatus, tu deſiderium equeſtris ordinis, tu ſqualorem Italiæ, tu curiæ taciturnitatem annuam, tu ſilentium

lentium perpetuum iudiciorum, ac fori, tu cętera illa iu maledicti loco pones? Item, hæc ego ſemper de uobis expetiui, hæc optaui, hæc precatus ſum.

TEXT. *Quemadmodum etiam Philemon hiſtrio faciebat, in Alexandridæ Gerontomania, ubi Rhadamantus & Palamedes uerba faciunt, & in Prologo Pioru, ubi Ego ſæpius iteratur.*

COMM. Philemon hiſtrio cum intelligeret in repetitionibus uocem eſſe maximè uariandam, hoc diligentiſſimè ſeruabat in agendo. nunquam enim illum locum agebat ex Alexandridæ fabula, quæ Gerontomania inſcribitur, ubi Rhadamantus & Palamedes colloquuntur, quin uocem frequenter mutaret, ſicut etiam in eius fabulæ Prologo, quæ inſcripta eſt, Pij. ubi uox illa Ego, repetitur. Philemon hoc in loco non intelligitur ille poeta comicus, vel de nobilis, ſed hiſtrio quidam eiuſdem nominis, qui fuit Ariſtotelis tempore, quem ipſe Ariſtoteles audiuit Anaxandridæ fabulas in ſcena recitantē, ut ex ipſius Ariſtotelis uerbis intelligi poteſt. Porrò Anaxandrides Rhodius fuit, qui multas cōſcripſit fabulas, & decies uictor euaſit. Sed cum Athenienſibus maledixiſſet, ab eis fame atq; inedia mori coactus eſt, ut Euſtrathius ſcribit. de quo ſenſit Ouidius In Ibin, cum ita ait;

Vtque parum ſtabili qui carmine læſit Athenas
Inuiſus pereas deficiente cibo.

Duas autem nominat Ariſtoteles hoc in loco fabulas Anaxandridæ. quarum altera Gerontomania uocatur, quod in ea furentes atque inſani ſenes inducerentur. altera εὐσεβεῖς, id eſt, Pij, uel, Religioſi nominatur. quod in ea primas partes agerent uiri quidam Pij. ſicut apud Plautum Captiui, & Menechmi, apud Terentium Adelphi.

TEXT. *Hac enim niſi actione adiuuentur, id fit, quod prouerbio dicitur: Trabem geſtans.*

COMM. Eiuſmodi repetitiones uerborum & ſententiarum frigidæ uidētur & ineptæ, niſi quis eas actione & pronunciatione ſuſtentet, ut quod prouerbio dicitur. Trabem geſtans. nam (ut ait Eraſmus hoc prouerbium explicans) qui trabe onuſtus eſt, non eſt idoneus ad geſticulationem. ſed oneri ſeſe accommodet oportet. Qui ergo, cum loquuntur, nullam, neque in uoce, neque in geſtibus gratiam habent, ij trabem geſtare poſſunt urbane dici. ſicut enim baiuli oneribus preſſi lento gradu procedunt, & nihil loquuntur, ita qui eadem uoce, ſine ulla ui actionis, repetitiones & diſſoluta proferunt, baiulos trabem geſtantes imitari uidētur. quamuis hoc prouerbium alibi non reperiatur, & coniectura potius, quam uera ſcientia poſſit intelligi. nam fortaſſe (ut idē ait Eraſmus) Ariſtoteles de Atlantibus ſentit. ſunt autem Atlantes columnæ quædam humana imagine formatæ, quæ trabes ædificiorum ſuſtinent. uidentur enim (inquit) laborare, cum nihil agant. actio autē quaſi uita eſt orationis. licet autem origo prouerbij, & cauſa ſit ignota, ſenſus tamen eſt perſpicuus, ut qui aliquid frigidè & ineptè agit, trabem geſtare dicatur. ut ſiquis ſine ulla uocis cōtentione, & corporis motu ſine interrogatione demiſsè ac leniè illa pronunciet; Quis tota Italia ueneficus, quis gladiator, quis latro, quis ſicarius, quis parricida, quis teſtamentorum ſubiector, quis circumſcriptor, quis ganeo, quis nepos, quis adulter, quę mulier infamis, quis corruptor iuuentutis, quis corruptus, quis perditus inueniri poteſt, qui ſe cum Catilina non familiariſſimè uixiſſe fateatur.

TEXT. *Eodem modo etiam diſſoluta, ut, ueni, occurri, rogaui. neceſſe eſt enim eis actionem adhibere, neque, tanquam res una dicatur, eodem habitu animi, ac ſono uocis uti.*

COMM. Quemadmodum repetitiones actione debent adiuuari, ita etiam diſſoluta, quæ ſine coniunctione, quaſi cumulo quodam proferuntur, ut, ueni, occurri, rogaui. & quod Cæſar de Pharnace dixit, Veni, uidi, uici. neque enim hæc ita pronuncianda ſunt, quaſi rem tantum unam ſignificarent, eodem habitu animi, atque eodem uocis ſono. ſed actio illis eſt adhibenda, & in ſingulis inſiſtendum, & uarianda uox, atque mutandi geſtus. ut in illo pro Milone; Per me unum effectū eſt, ut ius, ęquitas, leges, libertas, pudor, pudicitia in ciuitate manerent.

TEXT. *Habent præterea quiddam peculiare, quæ diſſoluta ſunt, quod eodem tempore multa dici uidētur. Nā coniunctio ex multis unum efficit, quæ ſi detrahatur, perſpicuum eſt fieri contrarium, ut ex uno fiant multa. habet igitur amplificationem, ueni, narraui, ſupplicaui. multa enim ſunt. & uidetur autem omnia negligere, quæ narro, quæ dico.*

COMM. Non parua eſt utilitas in diſſolutis, nam præter quam quòd animos mouent & excitant, habēt etiam aliud quiddam peculiare, quod ad amplificationem attinet. nam efficiunt, ut eodem tempore, quamuis unum tantum dicatur, tamen multa dici uideantur. cum enim coniunctio uim eam habeat, ut ex multis unum efficiat, certè cum ea detrahitur, ut fit in diſſolutis, contrarium accidit, hoc eſt, ut ex uno multa fiant. quare diſſoluta ſemper habent uim amplificādi, ut, ueni, narraui, ſupplicaui. nam hæc multa ſunt. Item, uidetur omnia negligere, quæ narro, quæ dico. quamuis idem repetatur, tamen aliud dici uidetur. ut in eo Ciceronis, Non patiar, non feram, non ſinam. & illud cum unum ſit, tamen multa uidentur, leges, inſtituta, mores, iura ciuitatis.

TEXT. *Hoc idem etiam Homerus facere uoluit in eo loco: Nireus, qui ex Symo, Nireus Aglaiæ filius, Nireus qui pulcherrimus: nam de quo multa dicuntur, neceſſe eſt, ut is ſæpe nominetur. Itaque ſi ſæpe nominatur, etiam multa dici uidentur. amplificauit igitur, cum ſemel tantum de illo mentionem fecerit, & hac fallacia effecit, ut memoriæ hæreat, etiam ſi poſtea nuſquam illum nominet.*

COMM. Locum Homeri maximè artificioſum explicat, qui eſt in Catalogo nauium, in ſecundo Iliadis libro. ibi enim cuiuſdam Nirei mentionem fecit, quem ad Troiam cum cæteris Græcis profe-

ctum

ctum fuiſſe ait, & poſtea reliqnis in libris nuſquã eum amplius nominat, cum tamen artificio quodam effecerit, ut Nirei nomen uno tantum in loco poſitum, non minus celebretur, & memoriæ noſtræ hæreat, quam Achillis, Vlysſis, Agamemnonis & reliquorum heroum qui penè ſingulis in uerſibus nominantur. hoc autem per repetitionem & aſyndeton aſſecutus eſt, nam Nirei nomẽ ter repetiuit, & nulla coniunctione nſus eſt. ſic enim ait, ut nos uertimus;

Nirens è Simo ternis cnm nauibus lbat,
Nireus, Aglaiæ Charopique è ſanguine natus,
Nireus, aſpectu ante alios pulcherrimus omnes.

Quo in loco fallaciam adhibuit Homerus, quã Dialectici à conſequentibus uocant, quoties exiſtimamus ea uiciſſim retro commeare, & reciprocari, quæ minime reciprocantur. nt ſiquis dicat, omnes philoſophi ſunt eruditi, uerum dicet. ſed ſi conuertens ita concludat, ergo etiam omnes eruditi ſnnt philoſophi, ſalſum erit. hoc modo Ariſtoteles Homeri fallaciam argutam aperit. nam hoc (inquit) effatum uerum eſt; De quo multa dicuntur, neceſſe eſt, ut is ſæpe nominetur, neque enim poſſumus aliquem multis & uariis laudibus exornare, quin eius nomen ſæpius repetamus. Sed ſiquis illud conuertat boc modo; Ergo, qui ſæpe nominatur, neceſſe eſt, ut de eo multa dicantur, non erit uera conſecutio. poſſumus enim eundem hominem ſæpe nominare, quamuis non multa de illo dicamus. Sed auditores illa repetitione deliniti, quæ uim habet amplificationis, decipiũtur, & qui ſæpius nominatur, putant etiam de illo multa dici. quod cum Homerus præclarè intelligeret, uoluit Nireum hac fallacia commendare, & eius nomen in legentium memoria figere, de quo poſtea nihil eſſet amplius omnino dicturus. & quia pulcherrimum omnium fuiſſe Nireum præter Achillem ait Homerus, ideo cum aliquem à pulchritudine laudare uolumus, eum Nireo comparamns. Horatius,

Formaque uincas Nirea.

TEXT. *At uero deliberatiui generis elocutio, ſimilis eſt umbratili picturæ. in qua, quanto maior fuerit eorũ, quæ depicta ſunt, turba, tanto longius ſpectatur. quare quæ exquiſita ſunt in utriſque, ſuperuacanea & deteriora uidentur.*

COMM. Cum iam generatim de omni elocutione uerba fecerit, nunc aggredirur docere, qualis in unoquoque genere eſſe debeat. ac primo in deliberatiuo non nimis exquiſitam ac minutam, ſed grandiorem & conſonantiorem eſſe uult. hoc enim genus turbæ atque imperitæ multitudini accommodari ſolet, quæ non aduertere poteſt ea, quæ ſubtiliter & exquiſitè dicta ſunt, ſed illa tantum attendit, quæ extant atque eminent, & ad uulgarem ſenſum ſunt accommodata, & quæ talia ſunt, ut omnes ea poſſint intelligere uel ad utilitatem, uel ad honeſtatẽ ſpectare. Itaq; cõcionalẽ elocutionẽ umbratili picturæ cõparat. ſicut. n. In pictura, q̃ ſubtiliter & ingenioſe picta ſunt, ꝓcul ſpectari nõ poſſunt, ſed tñ à peritis eius artificij in propinquo loco intelligũtur, q̃ uero ampliori magnitudine, & frequentiore numero ſunt depicta, poſſunt etiam ab ijs, qui ſunt in longinquo loco ſpectari, ſic in deliberatione, quæ nimis ſubtiliter enucleantur, & minutè diſputantur, à turba non percipiuntur, ſed inaniter in concione iactãtur, quæ uero populariter ac ſimpliciter efferuntur cum amplo & elato uocis ſono, ſæpe cum plauſu excipiuntur. Itaq; tam ln pictura, quã in deliberatione, ea, quæ fiunt exquiſitè, apud populum ſuperuacanea, & longè deteriora uidentur. Hoc idem ferè Cicero præcipit in Partitionibus, cum ita de genere deliberatiuo uerba faciens ait; Tota autem oratio ſimplex, & grauis, & ſententiis debet ornatior eſſe quam uerbis. Quintilianus libro tertio ſic ait; Ideoque Theophraſtus quam maximè remotum ab omni affectatione in deliberatiuo genere uoluit eſſe ſermonem, ſecutus in hoc anctoritatem præceptoris ſui. Sed ipſe Quintilianns audacter ab Ariſtotele & Theophraſto diſſentit. qui non minorem in deliberatiuo genere quam in iudiciali uim eloquentiæ oportere eſſe iudicat. Nam & Philippicas (inquit) Demoſthenis eiſdem, quibus habitus in iudiciis orationes, uideo eminere uirtutibus. Et Ciceronis ſententiæ & conciones non minus clarum, quam eſt in accuſationibns ac defenſionibus eloquentiæ lumen oſtendunt. qnod quidem uerum eſt, ſi intelligamus de grauitate & amplitudine orationis, quæ ln deliberatione eſſe debet, non autem de acumine, & ſubtilitate contendendi, ac diſſerendi, quæ cum in iudiciis multum ualeat, à deliberationibus abhorrere quodammodo uidetur. in quibus omnino uitanda eſt ingenij oſtentationiſque ſuſpicio. M. Antonius ſecundo de Oratore ſic ait; Concio capit omnem uim orationis, & grauitatem uarietatemq́ue deſiderat. Ergo ln ſuadendo nihil eſt optabilius quam dignitas.

Sed in iudiciali genere, debet exquiſitius eſſe genus dicendi. quod ſi coram uno tantum iudice res agatur, tanto magis elaborandum eſt. nam minus præſidiis artis uti licet. facilius enim perſpici poteſt, quid cauſæ proprium ſit, & quid alienum. ipſumq́ue ſtudium contentionis abeſt. itaque iudicium eſt incorruptum. TEXT.

Iudiciale genus, in quo ſunt accuſationes & defenſiones accuratius & diligentius orationis genus requirit. quoniam multo pauciores in iudiciis eſſe ſolent, quam ln concionibus. quando uero tantum unus eſt iudex quæſtionis, longe maiori diligentia opus eſt. tunc enim non licet uti præſidiis artis in concitandis animis & mouendis affectibus, ſed de ipſa tantum cauſa dicere oportet. quoniam nnus iudex facile perſpicit, quid cauſæ conueniat, & quid ab ea ſit alienum, nt non poſſit orator à cauſa digredi, & certamine, contentioniſque ſtudio niti, quo fit ut iudicium ipſum purum & ſyncerum relinquatur. hoc eſt, de quo Cicero conqueritur in oratione pro D. iotaro, quod ſibi apud unum Cæſarem in loco priuato dicen- COMM.

dum

dum eſſet; Moueor (inquit) etiam ipſius loci inſolentia, quod tantam cauſam, quanta nulla unquã in diſceptatione verſata eſt, dico intra domeſticos parietes, dico extra conuentum, & eam frequentiam, in qua oratorum ſtudia niti ſolent. Et certè audientium multitudo maximè oratorem excitare ſolet, ideo non ſine cauſa Quintilianus dixit, Non eſſet in rebus humanis eloquentia, ſi tantum cum ſingulis loqueremur. at uero de huius generis difficultate ſic ait M. Antonius ſecũdo de Oratore; Omnium cæterarum rerum oratio, mihi crede, ludus eſt homini non hebeti, neque inexercitato, neque communium literarum, & politioris humanitatis experti. in cauſarum contentionibus magnum eſt quoddam opus, atque haud ſcio an de humanis operibus longe maximum, in quibus uis oratoris plerunque ab imperitis exitu & uictoria iudicatur, vbi adeſt armatus aduerſarius, qui ſit & feriendus, & repellendus, ubi ſæpe is, qui rei dominus futurus eſt, alienus atque iratus, & quæ ſequuntur.

TEXT. *Quapropter non in omnibus dicendi generibus ijdem oratores excellunt, ſed ubi maximè actione opus eſt, ibi minimè debet eſſe minuta diligentia. requiritur autem actio ubi uoce opus eſt, & præſertim maxima.*

COMM. Hoc in Oratore ad Brutum copioſè diſputat Cicero, non in omni genere dicendi eoſdem Oratores excellere. niſi fortaſſe quis perfectè eſſet eloquens. is enim in omni genere excelleret, ſed talis nemo unquam extitit, licet Demoſthenes & Cicero proximè ad perfectam eloquentiam acceſſerũt. Qui igitur actione præcellunt, ij non iudiciis, ſed concionibus accommodati ſunt. quoniam in eis non debet eſſe minuta diligentia, ſed uoce maxima opus eſt, ut ab omnibus audiantur. tales plerunque ſunt imperitiores qui uulgo maiorem habere copiam uidentur, quia dicunt omnia, clamãt, obſtrepunt, tumultuantur. Quintilianus libro ſecundo multas affert rationes, cur ineruditi uulgo ingenioſiores habeantur. docti uero cum electionem habeãt, & modum, acuteque ac ſubtiliter diſſerant, magis in iudiciis & contentionibus excellũt. Sed qui prudens eſt orator, pro tempore, pro loco, pro cauſa, uariare ſtudebit orationem.

TEXT. *Demonſtratiui igitur generis oratio, maximè idonea eſt ad ſcribendum; quoniam eius officium eſt, ut legatur, proximaq́ue ab ea iudicialis eſt.*

COMM. Cum tria ſint dicendi, uel potius rhetoricæ genera, demõſtratiuum, iudiciale, deliberatiuum, docet Ariſtoteles hoc in loco, quodnam eorum aptiſſimum ſit ad ſcribẽdum, & quod minus aptum, & quod minimè. ac demonſtratiui quidem generis orationem ad ſcribendum eſſe omnium maximè idoneam uult. quoniam huius generis orationes nõ publicè habebantur, ſed potius ſcribebãtur ea de cauſa, ut deinde in manus ſumptæ legerentur, ideo dixit Ariſtoteles eius officium eſſe, ut legatur. itaque omnia ornamẽtorum genera debet in ſe continere demõſtratio. magis enim ad oſtentationem ingenij, quã ad ueritatem inſcribitur. ideo dulce genus orationis, & ſolutum, & effluens, ſententiis argutum, uerbis ſonãs (ut ait Cicero) eſt in hoc epidictico genere, proxima à demonſtratione eſt iudicialis oratio, quæ diligens & exquiſita eſſe debet, quoniam cum ad paucos & ſæpe ad unum agatur, nõ poteſt in ea latere ſiquid eſt incõditum & negligẽtius dictum. itaq; magnæ artis eget ad iudices capiẽdos, & cum opus eſt, fallendos. at uero deliberatiua cum ſæpius apud imperitam multitudinem habeatur, & actionis, atque uocis uiribus ſuſtẽtetur, minimè ad ſcribendũ eſt idonea, minimeq́ue eſſe debet exquiſita. multa enim audita delectant, & perſuadẽt, quæ ſi eadem ſcribãtur, inſulſa & inepta uidẽtur. hæc eſt Ariſtotelis ſentẽtia de ſcribẽdis orationibus. ut demõſtratiuę principem locum tribuat, ſecundum iudiciali, tertium & ultimum deliberatiuæ. uidemus tamen multas deliberatiuas ſcriptas, nõ minus politas atque elegãtes, atque haud ſcio an etiam magis dicam, quã demonſtratiuas, & iudiciales. ſed hic Ariſtoteles agit de natura orationum, non de illorum facultate, qui eas ſcribunt.

TEXT. *Diſtinguere autem ita locutionem, ut, & ſuauem, & magnificam eſſe oporteat, ſuperuacaneum eſt. cur enim magis eam ita, quam temperantem, & liberalem, & ſiqua huiuſcemodi uirtus eſt? nam eam ſuauem (ut perſpicuum eſt) efficient ea, quæ dicta ſunt. ſiquidem locutionis uirtus à nobis rectè definita eſt.*

COMM. Quia nonnulli rhetores ita locutionem diſtinguebant, ut dicerent, & ſuauem, & magnificam eſſe oportere, docet Ariſtoteles hãc diſtinctionem eſſe ſuperuacaneã. neque enim maior rõ eſt, quòd dicãt oportere eſſe magnificam, quam ſi dicerent oportere eſſe temperãtem, aut liberalem, aut alia aliqua uirtute præditam, quod quam ſit abſurdũ, quis non intelligit? deinde quid opus eſt ſeparatim præcipere ſuauem illam eſſe debere, cum perſpicuum ſit, ea, quæ dicta ſunt à nobis, eo pertinere, ut ſuauis & iucunda fiat oratio? nam omnis locutionis uirtus, quæ iam ſupra copioſè definita atque expoſita fuit, eo potiſſimum tendit ut oratio iucunda & plena grauitatis efficiatur.

TEXT. *Cuius enim rei gratia diximus dilucidam eſſe oportere? & non humilem, ſed cum re conuenientem? nam ſi nugatoria fuerit, non erit dilucida, neque ſi fuerit conciſa; quare, dubium non eſt, quin medium conueniat.*

COMM. Ea ſe omnia præſtitiſſe docet, quæ ad locutionis uirtutẽ pertinent, ut nulla alia diſtinctione ſit opus. nam antea demonſtratum eſt, primam orationis uirtutem, eſſe ſplendorem & perſpicuitatẽ. in qua tamen diligenter aduertendum ſit, ne humilis & abiecta eſſe uideatur, ſed cum ipſa re, de qua agitur, conueniat. perſpicuitati vero duo ſunt uitia contraria, quorum alterum in exuperantia poſitum eſt, alterum in defectu. in exuperantia eſt loquacitas, & nimia ſermonis protractio. neque enim qui nimis multa loquitur, apertè loqui poteſt. & hoc eſt, quod ait Ariſtoteles, nugatoriam locutio-

locutionem non eſſe dilucidam. in defectu, breuitas eſt orationis, & conciſio, quæ obſcuritatem gignit. unde Horatius, breuis eſſe laboro Obſcurus fio. Itaque planum efficitur, mediocritatem eſſe optimam in locutione, ſicut in aliis etiam pleriſque rebus. de qua re minimè dubitandum eſt.

TEXT. *Quod ſi ea, quæ dicta ſunt, benè cōmixta fuerint, hoc eſt uſitata uerba, & peregrina, & oratorius numerus, & perſuadendi ratio cum decoro, ſuauem efficient orationem.*

COMM. Breuiter ea repetit, quæ ſupra declarata ſunt, ut oſtendat ad orationis ſuauitem ea pertinere, ſi bene inter ſe commixta fuerint. ſunt autem quinque numero, quæ iucundiſſimam efficiunt orationem, hoc eſt, uerba uſitata, modo neque ſordida, neque abiecta ſint, & peregrina, cum oportunè adhibentur, & oratorius numerus, & ratio perſuadendi. & decorum, quod reliquorum omnium eſt quaſi condimentum. Cicero tamen in Partitionibus, uidetur uti ea diſtinctione, quam hic Ariſtoteles improbat. cum enim de ſimplicibus & coniūctis uerbis locutus fuiſſet, deinde ita ait; communia autem ſimpliciū coniunctorumq́ue ſunt hæc quinque quaſi lumina; dilucidum, breue, probabile, illuſtre, ſuaue. deinde docet, quibus modis unūquodq́ue fieri poſſit. quæ præceptio mihi uidetur pulcherrima.

TEXT. *Ac de locutione quidem dictum eſt, & communiter de omnibus, & ſpeciatim de unoquoque genere, ſupereſt ut etiam de ordine dicamus.*

COMM. Totus hic liber in duas partes erat diuiſus, hoc eſt, in locutionem & ordinem. iam igitur ſe alteram partem abſoluiſſe oſtēdit, cum & generatim de omni locutione uerba fecerit, & ſpeciatim docuerit, quæ cuique generi locutio conueniat. reliquum eſt igitur, ut etiam alteram partem aggrediatur, & de ordine, atque diſpoſitione partium orationis uerba faciat.

TEXT. *Sunt autem orationis partes duæ. neceſſe eſt enim rem primo, de qua agitur, exponere, deinde illam argumentis confirmare. Quare nemo, uel narrare, niſi poſtea confirmet, uel confirmare niſi prius narrauerit, commode poteſt. qui enim argumentis utitur, aliquid confirmat, & qui rem exponit, id ideo facit, ut eam poſtea confirmet. horum autem alterum propoſitio, alterum probatio eſt. quemadmodum ſiquis rem aliquam diuidat in quæſtionem, & demonſtrationem.*

COMM. Cum de ordine & collocatione ſit uerba facturus, primo quærit, quot ſint orationis partes, & duas tantum vult eſſe neceſſarias, hoc eſt propoſitionem, & probationem. quod ea ratione confirmat; quoniam cum de aliqua re verba facturi ſumus, primo oportet eam proponere, deinde rationes & argumenta ad illam confirmandam afferre. nam ſiquis rem tantum proponeret ac narraret, nullis additis argumentis confirmādi gratia, nullo modo fidem facere poſſet. neque vero quiſquam poteſt eam rem confirmare, quam prius nō expoſuerit. harum duarum partium altera, qua res proponitur, vt poſtea probetur, propoſitio nominatur, altera vero qua res iam propoſita confirmatur, probatio nuncupatur. quemadmodum in Mathematicis diſciplinis, primò, quæſtio demonſtrāda præponitur, quod Problema uocant, deinde additur demonſtratio, quæ dicitur apodixis. & hoc fit etiam in aliis artibus ac diſciplinis, in quibus aliquid demonſtratur, in omnibus enim eſt, quæſtio, & demonſtratio. Sicut in oratione Rhetorica, propoſitio, & probatio. ex his intelligi poteſt Ariſtotelem ſub propoſitione narrationem complecti, & ſub probatione confirmationem & refutationem. reliquas autem partes, ut exordium, & perorationem non putare neceſſarias, quoniam non ad fidem faciēdam, ſed ad mouendos animos adhibentur. Cicero in Partitionibus, quatuor partes orationis facit, quarum prima hoc eſt exordiū & poſtrema peroratio ad motum animi ualet. is enim (inquit) initiis eſt, & perorationibus concitandus. ſecunda narratio, & tertia confirmatio fidem facit orationi. quæ diuiſio ferè conuenit cū hac Ariſtotelica. licet enim primo duas tantū Ariſtoteles orationis partes faciat Propoſitionem & probationem, quoniam hæ duæ ſemper ſunt neceſſariæ, cum exordium non ſemper adhibeatur, ſicuti neque peroratio, tamen poſtea procœmium etiam & perorationem adiungit, quibus licet nō ſemper, frequenter tamen utuntur oratores, & de illis accuratè præcepta tradit. Itaque Ciceroni bene cum Ariſtotele conuenit, niſi quod eam, quam Ariſtoteles propoſitionem, Cicero narrationem vocat.

TEXT. *Nunc autem ridicule diuidunt: narratio enim in iudiciali tantum genere uerſatur. nam demonſtratiui & deliberatiui generis, qualem ipſi uolunt, quomodo narratio eſſe poteſt? uel quæ contra aduerſarium dicuntur, uel peroratio quænam eſt in exornationibus?*

COMM. Vt ſuam diuiſionem accommodatam eſſe oſtēdat, more ſuo diuiſionem aliorum reprehendit, nā in varias partes orationem ab antiquis rhetoribus diuidi ſolitam teſtis eſt etiam Cicero & Quintilianus. docet igitur Ariſtoteles, neque narrationem, neque refutationem, neque perorationem, neque procœmium, neque ullam aliam præter illas duas, quas ipſe poſuit, orationis partem eſſe neceſſariam. nam in iudiciali tantum genere narratio uerſatur, vbi & accuſator & defenſor ita narrat rem geſtam, vt ſuæ cauſæ utile eſſe exiſtimat. in demonſtratiuo autem, & deliberatiuo genere nulla talis eſſe narratio ſolet, qualem iſti rhetores eſſe volunt, hoc eſt, quæ ſit ab alijs partibus diſtincta, & in qua res geſta narratur, & poſtea poſſit argumentis confirmari. licet enim in demonſtratiuo genere ſit perpetua quædam narratio rerum laudabilium, cum amplificatione, tamen huiuſmodi narratio non poteſt dici pars orationis demōſtratiuæ, ſicut iſti uolunt. idem etiam in deliberatione ſentiendum, in qua licet aliquando narrādum ſit, non tamen ſemper, neque eo modo quo in iu-

diciali genere. quid ea, quæ contra aduerſarium dicuntur, nonne tantum in iudiciali genere locũ habent? nam in Demonſtratione, refutatio certè locum non babet, ſicuti neque peroratio. cũ enim aliquem laudamus, non ſolemus ea refellere, quæ cõtra dicũtur, quod fit in defenſionibus, ſed eius res geſtas amplificare, & ſine exceptione cõmẽdare, diſſimulatiis ijs, quæ in eo uituperari poſſent, neque commouere animos opus eſt in peroratione, cum laudamus. itaque ſatis eſt ea proponere, quæ laude digna uidentur, cum amplificatione, quæ probationis uim habeat. quod egregiè facit Iſocrates in Euagora, atque in Helenes Encomio, & apud nos Plinius in Panegyrico, quẽ Traiano dixit, nam Ciceronis nulla extat oratio, quæ tantum demonſtratiua ſit.

TEXT. *Proœmium autem, & contentio, & enumeratio tunc in deliberatiuo genere ponuntur, quando inter eos, qui ſententiam dicunt, controuerſia eſt; ſiquidem etiam accuſatio, & defenſio adhibetur, ſed non quatenus eſt deliberatio.*

COMM. In deliberatiuo genere procemium non requiritur, quia qui deliberant ſua ſponte parati ſunt ad audiendum, niſi fortaſſe controuerſia ſit inter eos, qui ſententiam dicunt. tunc enim quaſi in iudicio res agatur, non tantum procemio opus eſt, ſed etiam argumentorum collatione, ut intelligatur quæ firmiora ſint, & quæ minus firma. & enumeratione ad extremum, ut quaſi ſub unum aſpectum rationes omnes collocẽtur. quin etiam tunc & accuſationes & defenſiones adhibentur, ſed nõ quatenus eſt deliberatio, ſed quatenus aduerſarios tanquam in iudicio refutare oportet. quod pro lege Manilia Cicero facit, in qua pulcberrima oratione, non tantum utitur Proœmio, ſed etiam refutatione in extrema parte, qua Catuli & Hortenſij ſentẽtiam reprehendit. at uero in oratione de lege Agraria contra Rullum, nihil prætermiſit eorum, quæ in iudiciis adhiberi ſolent, quia grauem aduerſarium ipſum Rullum habebat, & contra populi Romani utilitatem pugnare uidebatur. eam orationem Plinius uehementer admiratur.

TEXT. *Sed neque peroratio in omnibus iudicijs adhibetur: ut ſi parua fuerit oratio, aut res eiuſmodi, quæ facile memoria comprehendi poſſit: nam ex longitudine detrahi ſolent.*

COMM. Epilogus, quæ latine peroratio dicitur, in qua ſolet orator breuiter ea repetere, quæ in tota oratione probata fuerunt, nõ adhibetur in omnibus cauſis iudicialibus. nam quæ tã paruæ ſunt, ut memoria comprehẽdi facilè poſſint, non opus eſt ut repetantur. ſiquidem enumeratio fit tantum per capita rerum, quæ confirmatæ ſunt, detractis rationibus & argumẽtationibus; illa uero detractio fit ex præcedẽtis orationis longitudine, ſed ſi breuis oratio fuerit, ſuperuacaneum erit uelle eadem repetere, cum ex longitudine tantum per repetitionem detrahi ſoleat.

TEXT. *Neceſſariæ igitur ſunt partes duæ, propoſitio & probatio ac propriæ quidem hæ duæ partes ſunt: ſed ſi plures fuerint, tunc erit proœmium, propoſitio, probatio, peroratio, nam quæ ad reprehendendum aduerſarium attinent, probationi ſubijciuntur.*

COMM. Refutatis aliorum opinionibus de orationis partibus concludit duas tãtum eſſe neceſſarias in omni oratione, hoc eſt propoſitionem, & probationem, quæ cuiuſlibet orationis propriæ ſunt. quod ſi aliæ partes ſunt adiungẽdæ, addatur ſane in prima parte proœmium, in poſtrema peroratio, quibus animi commoueantur. atque ita quatuor erunt partes, proœmium, propoſitio, probatio, peroratio. neque eſt quod quiſquam uel adderet refutationem tãquam partem, quoniã ea, quæ ad reprehendẽdum aduerſarium attinent, probationi ſubijciuntur. hãc Ariſtotelis ſentẽtiam Cicero in Partitionibus ſequitur, nam quatuor tãtum orationis partes facit, ut ſupra docuimus, & reprehẽſionem probationi ſubiicit, cum ita inquit; Nẽpe ea ſequuntur, quæ ad faciendam finem pertinent? ita eſt, quæ quidem in confirmationem & reprehẽſionem, diuidũtur. nam in confirmando noſtra probare uolumus, in reprehẽdendo redarguere contraria. Quintilianus autem libro tertio audacter ab Ariſtotele & à Cicerone diſſentit, cum ita inquit; Tamẽ nec ijs aſſentior qui detrahũt refutationem, tanquam probationi ſubiectam, hæc enim eſt quæ conſtituat, illa quæ deſtruat. eodem in loco cauſam affert cur Ariſtoteles Proœmio nõ narrationem ſed propoſitionem ſubiũgat, ſic enim ait; Hoc quoque idem aliquatenus nouat, quod proœmio nõ narrationem ſubiũgit ſed propoſitionem. uerũ id facit, quia propoſitio genus, narratio ſpecies uidetur, & hac nõ ſemper, illa uero ſemper, & ubique credit opus eſſe. Sed non eſt dubitãdum quin bene ſentiat Ariſtoteles, cum refutationem probationi ſubiicit, qua probamus ea, quæ dicta ſunt ab aduerſario eſſe falſa, & ea reprehendimus, ut melius noſtra confirmare ualeamus.

TEXT. *Contentio uero eſt amplificatio ſuarum rationum, quo fit ut pars quadam ſit probationis, nam qui hoc facit, aliquid demonſtrat.*

COMM. Quoniam rhetores quidam contẽtionem unã eſſe partem orationis uolebãt, ait Ariſtoteles hoc minimè uerum eſſe, quoniam non alia de cauſa contentione uti ſolemus, niſi ut rationes noſtras amplificemus, & ex aliorum comparatione ueras eſſe probemus. itaque contentio uel comparatio pars quædam eſt probationis. qui enim comparatione utitur, hoc ideo facit, ut aliquid demõſtret, ac probet. quoniam quæ inter ſe comparantur, melius cognoſcuntur, ſicut ait Cicero pro lege Manilia; ſumma enim omnia ſunt Quirites, ſed ea magis ex aliorum contentione, quam ipſa per ſeſe cognoſci, atque intelligi poſſunt. frequentiſſimè autem ſummi oratores Demoſthenes & Cicero contentione utuntur probandi gratia, quod ex ſingulis eorum orationibus uideri poteſt.

At

TEXT. *At procemium non hoc efficit, neque peroratio, ſed tantum in memoriam reducit.*

COMM. Probat non ſine cauſa procemium & perorationem inter orationis partes numerari. neq; enim probationi ſubijci poſſunt, ut contentio, quia vim non habet confirmandi, neque idem efficiunt, quod comparatio, ſed procemium conciliandi gratia orationis initio ponitur. peroratio autem ideo tantum adhibetur, ut quæ iam probata ſunt in memoriam reducat, non ut iterum probet. uidetur autem Ariſtoteles epilogum pro enumeratione tantum capere, quoniam Athenis non licebat in peroratione animos commouere.

TEXT. *Quod ſiquis ita diuidat, ut Theodori ſectatores faciebant, erit alia pars narratio, alia ſupernarratio; alia prænarratio, alia reprehenſio, alia ſuperreprehenſio.*

COMM. Irridet Theodorum Bizantium & eius ſectatores, quòd nimis minutè partes orationis diuiderent. neque enim contenti narrationem inter partes ponere, addebant etiam ſupernarrationem; & prænarrationem. neque tantum reprehenſionem uolebant orationis eſſe partem, ſed etiam ſuperreprehenſionem. quas ineptias etiam Plato in Phædro merito ridet & contemnit.

TEXT. *Sed tunc nouum nomen ponere oportet, cum aliquam rem nouam, & ab aliis differẽtem aliquis dicit, alioqui res eſt inanis & nugatoria. ſicuti Lyemnius in arte ſua facit, qui nominat irruptionem, & aberrationem, & ramos.*

COMM. Noua nomina non ſine magna cauſa ſunt fingenda. licet enim conceſſum eſſe uideatur aliquando nomina fingere, tamen id tantum eo tempore faciendum eſt, quando rem aliquam nouam, quæ ſpecie ac forma differat ab aliis, afferimus, rebus enim nouis etiam noua nomina ſunt imponẽda. quod ſiquis rebus iam uulgatis & cognitis, noua nomina imponat, ſine ulla neceſſitate, is ſanè rẽ inanem & nugatoriam faciet, in quod uitium Lycimnius rhetor incidit, qui cum de Arte rhetorica ſcriberet, nominauit ἐπούρωσιν, quaſi hoſtilem irruptionem, & ἀποπλάνησιν, ideſt aberrationem, uel declinationem à propoſito, & ὄζους, ideſt ramos, quibus probatio quaſi per partes diffunditur, ab uno principio quaſi trunco. ſed de his nominibus non debemus admodum eſſe ſoliciti, quæ nihil ad artis cognitionem faciunt, & ut ſunt leuia, ſic ab Ariſtotele contemnũtur. hoc uitio cumulatus eſt etiam Hermogenes, qui multa nomina in hac arte innouauit.

TEXT. *Procemium igitur principium eſt orationis, ſicut in poeſi prologus, in tibicinis cantu proaulium. nam hæc omnia principia ſunt, & quaſi uiæ munitio ei, qui pertranſire uelit.*

COMM. Cum iam demonſtratum ſit, quatuor tantum eſſe partes orationis, nunc ſigillatim de omnibus tractat. ac primo de procemio. ſic enim (inquit) appellatur orationis principium. ſicut in poeſi, ut in comœdiis & tragædiis, principium uocatur prologus, in cantu uero tibicinis quod emerendi fauoris gratia canitur, priuſquam legitimum carmen inchoent, proaulium appellatur. hæc autem tria ſunt quædam principia, quæ uiam quaſi muniunt ei, qui uelit ultra pertrãſire. idenrelt igitur procemium in oratione, quod prologus in poeſi, & proaulium in cãtu. quod autem ait Ariſtoteles procemium eſſe quaſi uiæ munitionem, id M. Antonius ſecundo de Oratore ſic imitatus eſt; omne autem principium, aut rei totius quæ agitur, ſignificationem habere debebit, aut aduum ad cauſam & munitionem, aut quoddam ornamentum & dignitatem.

At proaulium quidem ſimile eſt procemio demonſtratiui generis. nam tibicines quicquid ſibi uidentur bene canere poſſe, id præcinentes cum ſequenti cantu copulant: ſic etiam in demonſtratiuo genere ſcribendæ ſunt orationes, quicquid uoluerit orator initio dicere poteſt, deinde progredi, & cum oratione id coniungere. TEXT.

Docet in demonſtratiuo genere procemia eſſe maximè libera, adeo ut unde uelit orator incipere demonſtratiuam orationem posſit, etiam ſi principium ſit à re propoſita penitus remotum, modo in progreſſu orationis paulatim ad id quod propoſitum eſt deueniatur. itaque proaulium ait eſſe procemio demõſtratiui generis ſimile. ſolẽt enim tibicines antequam cantum incipiant, proluſione quadam uti, & quicquid eis placet canere, quo fauorem aſtantium promereantur, deinde legitimũ cantum incipiunt; ita qui laudare aliquid, aut uituperare uolunt, pro arbitrio ſuo poſſunt, unde uoluerint, orationis principium ducere, etiam ſi illud exordium nullam habeat cognationem aut ſimilitudinem cum ea re quæ laudatur aut uituperatur, modo paulatim progredientes ad cauſam ueniant, atque extremam exordij partem laudationis initio benè copulent. quo genere exordij interdum etiam hiſtorici utuntur, ut Salluſtius in coniuratione Catilinæ, & in Bello Iugurthino. nã illa principia nihil habent cum ſubſequentibus hiſtoriis commune. ſed in iudiciis & deliberationibus talia exordia ſunt omnino uitioſa, & ſeparata uocantur; Itaque M. Antonius libro de Oratore ſecundo, cum de Iudiciali genere uerba facit, ita præcipit; Connexum autem ita ſit principium conſequenti orationi, ut non tanquam Citharœdi procemium affictum aliquod, ſed cohærens cum omni corpore membrum eſſe uideatur. COMM.

Cuius rei omnes exemplum ſibi aſſumunt procemium illud Iſocratis in encomio Helenæ. nihil enim habent commune Sophiſtæ cum Helena. TEXT.

Quod exordium in demonſtratiuo genere liberum eſſe debeat, omnes, inquit, rhetores probant ex eo, quod fecit Iſocrates in Enconio Helenæ. cum enim ſibi propoſuiſſet Iſocrates Helenã laudare, tamen orationis initio contra Sophiſtas copioſe diſputat. hoc autem perſpicuũ eſt, ipſos Sophiſtas nihil penitus habere commune cum Helena. quare totum illud exordium eſt à cauſa ſeparatum. quod igitur fecit Iſocrates optimus COMM.

dicendi

dicendi magiſter, idem etiam nos facere debemus.

TEXT. *Simul etiam, cum à propoſita materia digreditur orator, adeſt illa commoditas, quòd oratio tota non ſit unius generis.*

COMM. Varietas in oratione plurimum delectat, ſicut in aliis etiam rebus. cum autem totum genus demonſtratiuum iucunditatis gratia fuerit excogitatum, id potisſimum ſpectare debet orator, qua ratione posſit auditores oblectare. quare ſi exordio utatur à propoſita materia ſeparato, duplex commodum conſequetur. primò ut libere posſit exordiri unde uoluerit, deinde ut orationis uarietate uoluptatem auditoribus. nam oratio quæ unius tantum eſt generis & eodem tenore perpetuo progreditur, delectare non ſolet. quoniam (ut ait Cicero) in omnibus rebus ſimilitudo eſt ſatietatis mater. ualet igitur exordium ſeparatum etiam ad uarietatem, & oblectationem.

TEXT. *Ducuntur autem exordia demonſtratiui generis à laude uel uituperatione, ut Gorgias in Olympico: Apud multos admiratione digni ſunt uiri Græci. laudat. n. eos, qui celebritates instituerunt: Iſocrates autem uituperat, quod corporis uirtutibus præmia ſtatuiſſet, ſapientia uero præditis nullum uictoriæ præmium poſuiſſent.*

COMM. Quamuis libera ſint exordia demonſtratiui generis, tamen præcepta quædam dantur, unde facile duci posſint. tres enim locos oſtendit Ariſtoteles unde ducantur. & ſingulorum exempla tradit. uel enim à laude aut uituperatione, uel à conſilio, uel à perſona duci ſolent. Ac primo dat exempla quomodo à laude aut uituperatione ducantur. à laude (inquit) ut Gorgias in Olympico. ſic enim Gorgias orationem ſuam appellauit, quam in quinquennali illa celebritate ludorum Olympicorum publice habuit, cuius illud erat principium; Apud multos admiratione digni ſunt uiri Græci. quo in exordio laudat eos, qui celebritates instituerunt. tradit Pauſanias ex illâ oratione Gorgiam magnum nomen & gloriam ſibi acquiſiuiſſe, ſicut etiam ex legatione quam obiit apud Athenienſes. at uero Iſocrates Panegyricum ſuum incepit à uituperatione; quod non ſatis prudenter feciſſent ij, qui celebritates inſtituerant. propterea quòd tantum corporis uirtutibus præmia ſtatuiſſent, non autem uirtutibus animi, quæ longè ſunt præſtantiores. ideo maioribus præmiis ad eas homines inuitari, atque excitari deberent. Plinius Panegyricum ſuum, quem Traiano dixit, à laude ſic incepit; Benè ac ſapienter Patres Con. maiores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initia à precationibus caperētur, quod nihil rite, nihilque prouidenter homines ſine deorum immortalium ope, conſilio, honore auſpicarentur.

TEXT. *Ducuntur etiam à conſilio, ut, Quoniam probi uiri ſunt honorandi, ideo mihi Ariſtidem laudandum ſuſcepi. uel ſiquis dicat eos eſſe laudandos, qui neque uulgo celebres ſunt, neque improbi, ſed cum probi ſint, tamen in tenebris iacent, ſicut Alexander Priami filius. nam qui ita exorditur, conſultat.*

COMM. Alter locus unde in genere demōſtratiuo exordia ducantur eſt à conſilio. ut ſiquis uelit Ariſtidem uirum iuſtisſimum laudare, atque ita exordiatur; Quoniam probi uiri ſunt honorandi, ideo mihi Ariſtidem laudandum ſuſcepi. uel ſiquis dicat, non opus eſſe illos laudare, qui iam ſunt omnibus cogniti, & ubique celebrantur, neque enim de eorum laude quiſquam amplius dubitat, neque eos qui ſunt improbi, tales enim potius uituperandi ſunt. Sed eos potisſimum eſſe laudandos qui cum probi ſint homines, tamen adhuc in tenebris iacent, & eorum uirtus non eſt cognita, ſicut Alexander Priami filius. tali enim exordio uidetur uſus ille fuiſſe, qui Paridis encomium conſcripſit. de quo ſupra mentio facta eſt in ſecundo libro. quod ingenioſum ſanè eſt exordium. hunc autem locum concludit Ariſtoteles, & ait eum qui ita exorditur conſultare. nam aperit conſilium ſuum, & aliis etiam oſtendit, quid faciendum ſit. eſt aliud genus conſilij cum orator in exordio communicat aliquid cum ipſis auditoribus, ut Cicero ſecunda Philippica; Quonam meo fato Patres con. fieri dicam, ut nemo his annis uiginti Reipub. hoſtis fuerit, qui non bellum eodem tempore mihi quoque indixerit.

Quin etiam ab ijs, quæ propria ſunt iudicialis generis, exordia ducuntur, quæ perſonam auditoris reſpiciunt: ut ſi de re incredibili fiat oratio, uel ardua, uel peruulgata; tunc enim uenia petenda eſt, ut Cherilus, TEXT.

At nunc cum omnia iam uulgata.

Tertius locus exordij demonſtratiui eſt ab auditoris perſona, qui proprius eſſe uidetur iudicialis generis. in quo non alia de cauſa ſumūtur exordia, niſi ut, auditorum animi concilientur, & præparentur ad audiendum. hoc autem exordij genere tunc utimur, cum de re incredibili uerba facturi ſumus uel ardua, uel peruulgata. nam tunc eſt ab auditoribus uenia petenda. quod Cherili poetę exemplo probat Ariſtoteles, qui cū de re iam nota & peruulgata uerba facturus eſſet, ita eſt exorſus. COMM.

At nunc cum omnia iam uulgata.

Quod autem ait Ariſtoteles huiuſmodi exordia, quæ auditoris perſonam reſpiciunt, eſſe iudicialis generis propria, id ipſe paulo poſt accuratius exponet. cum enim ueniam petimus ab auditoribus, quod nobis aut de re incredibili atque inopinata, aut difficili aut ab omnibus cognita ſit dicendum, tunc eos nobis beneuolos facimus, & attentos atque dociles reddimus, quæ docent rhetores in exordio iudiciali diligenter eſſe obſeruanda, quo in genere cauſarum plurimum intereſt, quo animo ſit auditor.

Quapropter exordia demonſtratiui generis ex his ducuntur, ex laude, ex uituperatione, ex ſuaſione, ex TEXT.

ne, ex

ne, ex diſſuaſione, ex iïs, quæ perſonam auditoris reſpiciunt, quæ uero uiam ad orationem aperiunt, uel longe à materia ducere oportet, uel ei uicina eſſe.

COMM. Concludit per enumerationem eorum, quæ docuit, exordia in demonſtratiuo genere, uel à laude & uituperatione duci, uel à conſilio, quod duas partes habet, hoc eſt ſuaſionem & diſſuaſionem, vel denique ab his, quæ ad auditorem pertinent. præterea uel eſſe remota à re de qua tractatur, uel eidem eſſe uicina, & propria. quem locum ita Quintilianus libro tertio expresſit, de Ariſtotele uerba faciens; In demonſtratiuis uero procœmia eſſe maximè libera exiſtimat, nam & longe à materia duci, ut in Helenæ laude Iſocrates fecerit, & ex aliqua re uicina, ut idem in Panegyrico cum queritur plus honoris corporum, quam animorum uirtutibus dari.

TEXT. *De procœmijs autem iudicialis generis ita ſtatuendum eſt, idem ea ualere, quod fabularum prologi, & heroici carminis progmia.*

COMM. Docuit quæ exordia demonſtratiuo generi cõueniant, nunc ad iudiciale tranſit, & ait in iudiciis eandem uim habere procœmia, quam habent in comædiis & tragædils prologi, uel in heroicis carminibus principia. ſicut enim in prologis fabularum argumẽtum explicatur, fauorq́ue multitudinis captatur, & in heroici poematis initio sũma totius operis futuri proponitur, ita etiam in iudiciali oratione, ſumitur exordium ea de cauſa, ut intelligant iudices & auditores qua de re ſit iudicium futurum, & ut attente beneuoleque audiant.

TEXT. *Nam principia Dithyramborum ſimilia ſunt exordijs demonſtratiui generis, ut, propter te, tuaque munera atque ſpolia.*

COMM. In hunc numerum (inquit) non ueniunt principia Dithyramborum, quæ plerũque remota ſunt, & ſimilia procœmiis demonſtratiui generis, ſicut etiam proaulia ut iam demonſtratum eſt. hoc autem probat exemplo à uetere poeta ſumpto, qui carmen Dithyrambicum in hunc ſenſum exorſus fuerat, propter te, tuaq́ue munera atque ſpolia. fortaſſe enim poeta ille, quiſquis fuerit, initio carminis ad Bacchum ſermonem ſuum dirigebat, & illum propter ſua munera, & ſpolia quæ ex boſte deuicto reportarat, celebrare uelle proponebat. magna uero licentia uſos fuiſſe olim Dithyrambos poetas iam ſupra docuimus. ut in hac re ſimiles ſint eis, qui laudant, aut uituperant. & arbitrio ſuo undecunque uoluerint, carminum ſuorum exordium ducant, etiam ſi à propoſita materia fuerit alienum.

TEXT. *In fabulis autem & heroicis uerſibus principium eſt ſpecimen orationis futuræ, ut præuideant auditores de quibus rebus ſermo futurus ſit, & ne eorum animus ſuſpenſus ſit: quod enim indefinitum eſt, huc & illuc mentem uagari cogit, qui igitur rem tanquam in manum tradit, facit ut auditor orationem ſequatur, & percipiat.*

COMM. Prologi qui fabulis & heroicis uerſibus adhibentur, eam habere uim debent, ut tanquam ſpecimen ſint, & demonſtratio quædam orationis futuræ. ut auditores præuidere posſint atque intelligere de quibus rebus poeta ſit acturus, & quodnam ſit totius poematis argumentum. nam ſi hoc non agnouerint, neceſſe eſt ut eorum animus dubius atque ſuſpenſus ſit. quoniam res incertæ atque indefinitæ mentem efficiunt aberrare, atque huc & illuc dubiam circumferri. Quamobrem qui orationis initio rem auditoribus tanquam in manum tradit, illud commodum aſſequitur, ut ſtatim auditor intelligat, & quaſi ſecutus orationem percipiat ea, quæ dicuntur omnia. Atque hæc eſt cauſa cur omnes boni poetæ ſtatim operis initio proponant, de quibus rebus uerba facturi ſint, ut Virgilius,

Arma, uirumque cano,

& in Georgicis

Quid faciat lætas ſegetes,

Ouidius in Metamorphoſi;

In noua fert animus mutatas dicere formas
Corpora.

Lucanus,

Bella per Aemathios pluſquam ciuilia campos
Iuſque datum ſceleri canimus.

Sillius Italicus,

Ordior arma, quibus cælo ſe gloria tollit
Aeneadum.

Statius in Thebaide,

Fraternas acies, alternaque regna profanis
Decertata odiis.

Eodem modo reliqui omnes.

TEXT. *Atque hac de cauſa dixit Homerus;*

Iram diua refer, &

Dic mihi muſa uirum,

& ille alter;

Muſa age iam, alterius dux nobis carminis eſto,
Vt magnum ex Aſia bellum proceſſit in oras
Europæ.

COMM. Exemplis probat id, quod ſupra dixerat, principium heroicis uerſibus eſſe ſpecimen, & demonſtrationem futuræ orationis, ſic enim Homerus utrunque opus ſuum incepit, hoc eſt Iliadem, & Odyſſeam, ut ſtatim initio proponat, quid deinceps tractaturus ſit. nam Iliadem ita eſt exorſus;

Iram diua grauem Pelidæ profer Achillis,
Quæ tulit immenſas Danais varioſq́ue dolores.

Odyſſeam autem ita, ut uertit Horatius;

Dic mihi muſa uirum, captæ poſt mœnia Troiæ,
Qui mores hominum multorum uidit, & urbes.

Alius uerò quidam Epicus poeta cuius nomen Ariſtoteles non poſuit, quoddam ſuum poema ſic incepit;

Muſa age iam alterius dux nobis carminis eſto
Vt magnum ex Aſia bellum proceſſit in oras
Europæ.

TEXT. *Tragici etiam poetæ fabulam initio docent, quod ſi non ſtatim, ut Euripides, at certè in prologi aliqua parte docent, quemadmodum etiam Sophocles;*

Pater mihi fuit Polybus.

COMM. Qui Tragœdias conſcribunt idem ſolent obſeruare quod Epici poetæ, ut initio doceant quid tota fabula contineatur. & quamuis non ſtatim id faciant ſicut Euripides obſeruat, ut initio ſemper argumentum aperiat, tamen in aliqua prologi parte ſemper docent, de qua re ſint acturi, quod in Oedipo Tyranno Sophocles facit, ubi ita narrare incipit;

Pater mihi fuit Polybus.

Hæc Ariſtotelis ſententia plana eſt, & præceptum manifeſtum, ſed illud uidetur eſſe dubium, quoniam exemplum à Sophocle deſumptum non eſt in prologo, ſed in tertio demum actu Tragœdiæ, ubi Oedipus genus, narrat, quod putabat eſſe ſuum. uel igitur Ariſtoteles memoria lapſus eſt, uel prologum appellat, omnem Tragœdiæ partem, in qua poeta proponit, quid deinceps ſit agendum, quod ego magis crediderim: nam in orationibus etiam mediis frequentisſimè noua exordia ponuntur, ut docent rhetores, & apud Demoſthenem & Ciceronem pluribus in locis uidere licet, quo reficiantur auditorum animi, & quaſi ad nouam orationem præparentur. ut pro A. Cluentio Cicero in media oratione nouo quodam exordio ſic ait; Hic ego magis ut conſuetudinem ſeruem, quam quod uos non ueſtra hoc ſponte faciatis, petam à uobis, ut me dum de his ſingulis diſputo iudiciis, attentè audiatis. hoc idem faciunt etiam heroici poetæ, ut in medio poemate nouo prologo utantur, ut Virgilius in ſeptimo,

Pandite nunc Helicona Deæ cantusque mouete,
Qui bello exciti reges, quæ quemque ſecutæ
Complerint campos acies, quibus itala iam tum
Floruerit terra alma uiris, quibus arſerit armis

Non eſt igitur mirum ſi Ariſtoteles prologum illum appellauit, ubi Oedipus apud Sophoclem genus ſuum ſe explicaturum proponit, quamuis locus ille, ſit in Tragœdiæ medio.

TEXT. *Et comœdia idem ſeruat.*

COMM. Comici poetæ ſicut Epici, & Tragici, ſolent in Prologo fabulæ argumentum aperire, ut apud Plautum in Amphytrione Mercurius facit, apud Terentium in Andria Simo, in Adelphis Mitio.

TEXT. *Proœmij uero maximè neceſſarium ac proprium munus eſt, finem inſtitutæ orationis aperire. quare ſi cauſa perſpicua fuerit, aut parua, licebit non uti proœmio.*

COMM. Redit ad oratores relictis poetis, cum multa ſint (inquit) proœmij officia, illud præcipuum eſt, & maxime neceſſarium, ut aperiat, qui finis ſit orationis, & quibus de rebus agatur. quamobrem, quando res eſt aperta atque manifeſta, uel oratio parua eſt, poſſumus ipſum procemium prætermittere, tanquam non neceſſarium. quod etiam M. Antonius ſecundo de Oratore ita præcipit; Itaque in paruis atque frequentibus cauſis ab ipſa re eſt exordiri ſæpe commodius. Proprium eſt igitur proœmij docilem auditorem efficere, quod tunc maximè conſequimur, cum ſtatim initio docemus qui ſit finis orationi noſtræ propoſitus, & quem ordinem in dicendo ſequi uolumus, quod ingenioſè facit cum in aliis locis Cicero, tum in proœmio pro A. Cluentio, ubi ſic exorditur; Animaduerti iudices, omnem accuſatorum orationem in duas diuiſam eſſe partes, quarum altera mihi niti, & magnopere confidere uidebatur inuidia iam inueterata iudicij Iuniani, altera tantummodo conſuetudinis cauſa timidè & diffidenter attingere rationem ueneficij criminum: qua de re lege eſt hæc quæſtio conſtituta. itaque mihi certum eſt hanc eandem diſtributionem inuidiæ & criminum, ſic in defenſione ſeruare ut omnes intelligant nihil me nec ſubterfugere uoluiſſe reticendo, nec obſcurare dicendo, ſemper autem in iudiciali genere proœmium debet ita cauſæ eſſe coniunctum, ut ab ea ſeiungi non poſſit, & ſit tanquam caput totius orationis, quod eſſe non poterit, niſi cauſæ ſummam aperiat.

TEXT. *Reliquæ uero proœmij ſpecies, quibus utuntur oratores, remedia quædam ſunt, & ea quidem communia, quæ ducuntur uel ab Oratore ipſo, uel ab auditore, uel à cauſa, uel ab aduerſario.*

COMM. Poſtquam docuit, quod ſit præcipuum munus proœmij, hoc eſt, ut breuiter rei ſummam explicet, nunc addit alias omnes proœmiorum ſpecies, eſſe tanquam remedia quædam communia, quibus animi iudicum ſi forte offenſi fuerint, nobis concilientur, & cauſæ noſtræ faueant. cuius generis proœmia omnia, uel à cauſis ducuntur, uel à perſonis. ac perſonæ quidem tripartito diſtribuuntur, uel enim ab ipſo oratore ducitur exordium, cui perſona rei adiungitur, nam patronus & reus pro una perſona ponitur, uel ab auditore, atque iudice, uel ab aduerſario. quod in Partitionibus ita Cicero docet, à principiis primum ordiar, quæ quidem ducuntur aut ex perſonis aut ex rebus ipſis

ſumuntur autem trium rerum gratia, vt amicè, & intelligenter, ut attente audiamur, quorum primus locus eſt in perſonis noſtris, diſceptatorum, aduerſariorum. ita in ſecundo de Oratore, Sed cum erit utendum principio, quod plerunque erit aut ex reo, aut ex aduerſario, aut ex re, aut ex eis, apud quos agitur, ſententias duci licebit.

TEXT. *Ex oratore ipſo, atque ex aduerſario ducuntur ea, quæ ad inferendum crimen, & diſſoluendum pertinet, ſed non tamen eodem modo. nam qui defendit, ſtatim criminibus occurrere debet: qui uero accuſat, debet in peroratione criminari. cuius rei cauſa non eſt obſcura.*

COMM. Patroni atque aduerſarij perſonas coniungit, quamuis, non idem utriſque conueniat. quatenus (inquit) ad inferendum crimen & diſſoluendum attinet, exordia ducuntur ab ipſo oratore, atque ab aduerſario, ſed inter eos hoc intereſt, quod patronus ac defenſor cuius officium eſt obiecta crimina diluere, & refutare, debet hoc initio ſtatim orationis efficere, quo vel ſe, uel eum quem defendit, probum eſſe uirum oſtendat, aduerſarius autem atque accuſator magis in peroratione debet iudices in reum inflammare criminando, docereque illum eſſe improbum & conſceleratum. cuius rei cauſa quamuis ſit aperta, tamen ab Ariſtotele non prætermittitur.

TEXT. *Reus enim cum ſe inſinuare contendat, neceſſe habet, omnia, quæ obſtant, remouere, quare in primis aduerſarij criminationem diſſoluere oportet.*

COMM. Cauſam adfert cur patronus ſtatim orationis initio debet obiecta crimina diluere, quoniam non aliter poterit ſe in gratiam iudicum inſinuare, niſi illa, quæ obſtant, remouerit. hæc eſt cauſa, quare Cicero ſemper eos, quos defendit, ſtatim in exordio bonos eſſe uiros oſtendit, ut doceat falſa eſſe crimina, ita Milonem fortisſimum uirum ſtatim appellat, & bonum, & de Rep. bene meritum, pro Cn. Plancio ſic ait in exordio; niſi eius integerrimam uitam, modeſtisſimos mores, ſummam fidem, continentiam, pietatem, innocentiam oſtendero, nihil de pœna recuſo. pro L. Flacco, uehementer eum in exordio laudat, quod maiorum ſuorum uirtutem adæquarit; quod enim (inquit) eſſet præmium dignitatis, quod populus Romanus cum huius maioribus ſemper detuliſſet, huic denegaret? cum L. Flaccus ueterem Valeriæ gentis in liberanda patria laudem propè quingenteſimo anno Reip. retuliſſet. pro M. Cælio diligenter hoc Ariſtotelis præceptum obſeruat, cum ita proponit; Ac mihi quidem uidetur, iudices, hic introitus defenſionis adoleſcentiæ M. Cælij maximè conuenire, ut ad ea, quæ accuſatores deformandi huius cauſa, detrahendæ ſpoliandæque dignitatis gratia dixerunt, primum reſpondeam. Sic etiam pro L. Murena primo criminationi aduerſariorum reſpondet, Et quoniam in hoc officio ſtudium meæ defenſionis ab accuſatoribus, atque etiam ipſa ſuſceptio cauſæ reprehenſa eſt, antequam pro L. Murena dicere inſtituo, pro me ipſo pauca dicam.

TEXT. *Accuſator uero debet in peroratione criminari, ut facilius auditores ea, recordari poſſint.*

COMM. Quia magis hærent memoriæ, quæ poſtremo loco dicuntur, ideo debet accuſator in peroratione multa crimina congerere, quo iudices poſſint ea melius recordari. quod diligentisſimè Cicero facit in Verrem actione ultima. nam breuiter eius omnia flagitia & ſcelera repetit, deinde ita concludit; Si eius omnia ſunt inaudita, & ſingularia facinora ſceleris, audaciæ, perfidiæ, libidinis, auaritiæ, crudelitatis, dignus exitus eiuſmodi uita atque factis ueſtro iudicio conſequatur.

TEXT. *Quæ ad auditorem pertinent, eo ſpectant, ut, uel eum nobis beneuolum faciamus, uel in aduerſarium concitemus; & interdum ut attentum reddamus, uel contra: non enim ſemper prodeſt, attentum reddere. quare multi riſum conantur excitare.*

COMM. Ab auditoris perſona ſic exordiri conuenit, ut eum nobis concilicmus, & alienemus ab aduerſario. uel ut attentum reddamus quando oportet, quando uerò non oportet à re propoſita deducamus. interdum enim accidit, ut ſit utile, non eſſe attentum auditorem, & hac de cauſa periti oratores omni ratione ſtudent aliquando riſum iudicibus concitare, ut eos à cauſa abducant, neque ſinant rem diligentius perſpicere. contra hoc Ariſtotelis præceptum ſic ait Quintilianus libro quarto; Nec me quanquam magni auctores in hoc duxerint, ut non ſemper facere attentum & docilem iudicem uelim. ſed tamen paulo poſt ita inquit; Imminuenda quædam & eleuanda, & quaſi contemnenda eſſe conſentio ad remittendam intentionem iudicis, quam aduerſario præſtat, ut fecit pro Ligario Cicero; quid enim agebat aliud ironia illa, quam ut Cæſar minus ſe in rem tanquam non nouam intenderet? & alibi ſic ait; Huic diuerſa uirtus, quæ riſum iudicis mouendo, & illos triſtes ſoluit affectus, & animos ab intentione rerum frequenter auertit. Initia beneuolentiæ conciliandæ comparantur (ut ait in Partitionibus Cicero) aut meritis noſtris, aut dignitate, aut aliquo genere uirtutis, & maximè liberalitatis, officij, fidei. ut in exordio pro L. Flacco, pro Cn. Plancio, pro L. Murena, pro Cor. Balbo uidere licet. Contrariiſque rebus in aduerſarios conferendis, ut pro Roſcio Am. de Chryſogono, pro Milone, de Clodianis, pro

A. Cæcina,

A. Cæcina, de ſexto Ebucio. riſum autem ſæpe concitat Cicero, ut ad hilaritatem traducens iudicum animos minus attentos criminibus aduerſariorum efficiat, ut pro M. Cælio ubi Clodiam & eius amicos irridet, pro L. Murena ubi iuris ciuilis ſcientiam exagitat, & ubi Stoicorum dogmata recenſet.

TEXT. *Ad docilitatem uero conducunt omnia, ſiquis hoc ſtudeat, & ſi uir bonus appareat. nam talibus uiris ſe attentiores præbent.*

COMM. Quæ de proœmiis dicta ſunt omnia conducunt ad docilitatem, ſiquis hoc ſtudeat, ut intelligenter audiatur. cum enim exponit orator quibus de rebus dicturus eſt, & cum beneuolum & attentum ſibi reddit auditorem, tunc etiam docilem efficit. nam (ut ait in primo de Inuentione Cicero) is maximè docilis eſt, qui attentiſſimè eſt paratus audire. præterea ſi uir bonus appareat, docilem habebit auditorem. omnes enim homines attentiores ſe illis præbent, quos bonos eſſe uiros exiſtimant, & illa oratio maximè ſuauis eſt, quæ ſignificat ipſius oratoris amabiles mores, ut in Partitionibus ait Cicero. prima actione in Verrem ſic ait; Adductus ſum iudices officio, fide, miſericordia, bonorum uirorum exemplo, ueteri conſuetudine, inſtitutoque maiorum, ut onus hoc laboris & officij, non ex meo, ſed ex meorum neceſſariorum tempore mihi ſuſcipiendum putarem.

TEXT. *Attenti fiunt auditores propter res magnas, proprias, admirabiles, & iucūdas: quare admonere eos oportet, de huiuſmodi rebus orationem eſſe. quod ſi eos non attentos eſſe uolumus, dicemus rem eſſe puſillam, nihil ad eos pertinentem, moleſtam ac odioſam.*

COMM. Quatuor præcipuè ſunt, quæ attentos reddunt auditores. primo res magnæ, deinde res propriæ, tum res admirabiles, poſtremo res iucundæ. quamobrem qui uult attentionem captare, is polliceri debet ſe de huiuſmodi rebus uerba facturum. contra uero ſi uoluerit abducere animos ut non attendat, dicet eſſe rem puſillam, nihil ad eos pertinentem, moleſtam. Res enim magnæ mouent animos, ut Cicero pro C. Rabirio; Sic enim exiſtimare debetis, Quirites, poſt hominum memoriam rem nullam maiorem, magis periculoſam, magis ab omnibus uobis prouidēdam, neque à Trib. plebis ſuſceptam, neque à conſule defenſam. pro Roſcio Am. his de rebus tātis tamque atrocibus neque ſatis me commode dicere, neque ſatis grauiter conqueri, neque ſatis libere uociferari poſſe intelligo. Virgilius in ſeptimo Aeneidos;

—maior rerum mihi naſcitur ordo
Maius opus moueo, —

Sic etiam in Bucolicis in exordio Pollionis;

Sicelides muſæ paulo maiora canamus.

Res propriæ dicuntur, quæ ad ipſos pertinent, apud quos res agitur. tunc enim attentiores fiunt homines, cum de ſuis ac propriis rebus agi intelligunt, Cicero ſecundam in Verrem actionem ita cæpit; Quod erat optandum maximè, iudices, & quod unum ad inuidiam ueſtri ordinis, infamiamque iudiciorum ſedandam maximè pertinebat, id non humano cōſilio, ſed propè diuinitus datum, atque oblatum uobis ſummo Reip. tempore uidetur. Aeneas apud Virgilium Aeneidos libro undecimo ſic ait;

Quæ nam uos tanto fortuna indigna latini
Implicuit bello, qui nos fugiatis amicos?

Res admirabiles maximè excitant auditores,

Cum quia delectat, quicquid eſt admirabile, tum quia cauſa rerum admirabilium omnes audire, atque intelligere concupiſcunt. unde ait Ariſtoteles ex admiratione Philoſophiam eſſe natam. Cicero pro Q. Ligario; hæc non modo admirabilia ſunt, ſed prodigiis ſimilia, quæ dicam. Virgilius in quarto Georgicorum de apibus;

Admiranda tibi leuium ſpectacula rerum
Magnanimosque Duces totiusque ex ordine gentis
Facta canam.

Res denique iucundæ mouent attentionem, quia delectant. ut pro Archia poeta; quæſo à uobis ut in hac cauſa mihi detis hanc ueniam accommodatam huic reo, uobis, quemadmodum ſpero non moleſtam, vt me pro ſummo poeta, atque erudiiiſſimo homine dicentem hoc concurſu hominum literatiſſimorum hac ueſtra humanitate, hoc denique Prætore exercente iudicium, patiamini de ſtudiis humanitatis ac literarum paulo loqui liberius. iucunda eſt illa oratio in qua beneficia audientium commemorantur, & res chariſſimæ, ut poſt Reditum in ſenatu; Qui mihi fratrem optatiſſimum, me fratri amantiſſimo, liberis noſtris parentes nobis liberos, qui dignitatem, qui ordinem, qui fortunam, qui ampliſſimam Remp. qui patriam qua nihil poteſt eſſe iucundius, qui denique noſmet ipſos nobis reddidiſtis. hac enim oratione ſuauius eſſe nihil poteſt. tale eſt exordium tertiæ orationis in Catilinam, ubi Quiritibus gratulatur Reip. ſalutem ac liberationem à coniuratione Catilinæ; Remp. Quirites uitamque omnium ueſtrum, bona, fortunas, coniuges liberoſque ueſtros, atque hoc domicilium clariſſimi imperij, fortunatiſſimam pulcherrimamque urbem, hodierno die Deorum immortalium ſummo erga uos amore laboribus, conſiliis, periculiſque meis, ex flamma, atque ferro, ac penè ex faucibus fati ereptam, & nobis conſeruatam ac reſtitutam uidetis. quoties autem uult orator animos auertere à re propoſita, & efficere, ut minime attendant, tunc rationem

contrariam perſequetur, ut oſtendat res eſſe puſillas, nihil ad eos, qui audiunt, pertinentes, odioſas ac moleſtas. ut pro L. Murena, ubi iuris ciuilis ſcientiam exagitat, & de lege agraria contra Rullum ubi legem illam inutilem, pernicioſam, Reip. fore demonſtrat, & ubi Rullum ipſum irridet, quod nimis obſcurè, & ineptè locutus fuiſſet.

TEXT. *Illud uero ſciendum eſt, hæc omnia eſſe extra cauſam poſita. nam ad deprauatum auditorẽ ſpectant, & ad eum qui libenter audit, quæ nihil ad rem faciunt, niſi enim talis ſit, nihil opus eſt procœmio; ſed ſufficit id, quod cauſa poſtulat, ſummatim dicere, ut iudex caput illud, tanquam totius cauſæ corpus habeat.*

COMM. Ne ſuiipſius oblitus eſſe uideretur, quòd huius operis initio, dixerat, ea omnia, quæ probationi non ſubijciuntur, eſſe extra cauſam poſita, & ſui temporis Rhetores uituperauerat, quòd relicta probationis præceptione, de procœmiis tantum atque epilogis præcepta tradebant. nunc autem etiam ipſe multa docet, quæ ad procœmia pertineant, ait hoc eſſe tenendum, atque intelligendum, non ideo hæc præcepta tradi, quia ſint apud bonos iudices neceſſaria, ſed quia plerique auditores deprauati ſunt, & ea libenter audiunt, quæ nihil ad rem propoſitam faciunt, ideo de his etiam quæ ſunt extra cauſam poſita, præcepta eſſe tradenda, ut ſciat orator etiam apud imperitos & deprauatos auditores quomodo ſe gerere debeat. nam ſi bonus & peritus iudex fuerit huiuſmodi procœmiis non erit opus. ſed ſatis erit orationis initio totius cauſæ ſummam breuiter complecti, quod præcipuum eſſe procœmiorum munus iam ſupra dictum eſt, ut iudex ea capita percipiens habeat tanquam corpus totius cauſæ lineamentis expreſſum. hoc uidit etiam Quintilianus cum in quarto libro ſic ait; Ariſtoteles quidem in totum id neceſſarium apud bonos iudices negat. & in duodecimo, cum etiam (inquit) procœmium apud tales ſuperuacaneum eſſe Ariſtoteles exiſtimet; paucæ tamen orationes aut fortaſſe nullæ reperiẽtur apud bonos oratores, quæ non habeant exordium ad beneuolentiam atque attentionem comparandam accommodatum.

TEXT. *Attentos uero facere, commune eſt omnium partium, cum opus eſt. nam alibi magis ubique quam initio remittunt animum. itaque ridiculum eſt initio conſtituere, cum attenti tunc maximè ſint auditores. quare quoties ſeſe offert opportunitas, captanda attentio eſt.*

COMM. Refellit eorum opinionem, qui putabant, exordij proprium eſſe, captare attentionem, cum hoc ſit omnium partium commune, & in aliis partibus magis neceſſarium, quam in exordio. cum enim defeſſi ſunt audiendo, tunc animum remittunt, neque ſatis attendunt, quocirca opus eſt eo tempore renouare attentionem. nam in principio ferè ſemper ſua ſponte ſunt attenti, neque egent admonitione aut artificio ut excitentur. itaque ridicule faciunt, qui hoc exordij proprium eſſe uolunt. Semper igitur cum opus eſſe uidetur, attentio captanda eſt, ſiue in exordio, ſiue in aliis orationis partibus. hoc idem ait M. Antonius ſecundo libro de Oratore. Attentum uero tota actione crebro excitandis mentibus iudicum, non prima denunciatione efficere poſſumus. & alibi; Nam & attentum commonent Græci, ut principio faciamus iudicem & docilem, quæ ſunt utilia, ſed non principij magis propria, quam reliquarum partium, faciliora etiam in principijs, quòd & attenti tunc maximè ſunt, cum omnia expectant, & dociles magis initiis eſſe poſſunt. quod autem in tota oratione crebro captari debeat attentio, docet in orationibus ipſe Cicero, qui frequenter hoc facit, ut pro P. Quintio, in extrema parte probationis ſic ait; Quod abs te C. Aquili, & à nobis qui adeſtis in conſilio, quæſo ut diligenter attendatis, profecto intelligetis illinc ab initio cupiditatem pugnaſſe & audaciam, hinc ueritatem & pudorem, quod potuerit reſtitiſſe. pro Roſcio Am. poſt multas argumentationes, Age nunc (inquit) illa uideamus iudices, quæ ſtatim conſecuta ſunt. & alibi, Age nunc ex ipſius Chryſogoni iudicio Roſciorum factum conſideremus. ſed hæc frequentiſſima ſunt apud Ciceronem, ut mediis in orationibus iudices ad attentè audiendum excitet, ut ſexta in Verrem Actione; Accipite ſi uultis Iudices rem eiuſmodi, ut amentiam ſingularem, ut furorem iam non cupiditatem eius perſpicere poſſitis. Item. Nunc reliquum iudices attendite, de quo & uos audiſtis & populus R. non nunc primum audiet, & in exteris nationibus uſque ad ultimas terras peruagatum eſt. Item; Audite etiam ſingularem eius iudices cupiditatem, audaciam, amentiam. Item; Ad ea autem quæ dicturus ſum reficite uos quæſo iudices per Deos immortales, per eos ipſos, de quorum religione, iam diu dicimus, & reliqua. his & cæteris huius generis exemplis intelligere poſſumus id eſſe uerisſimum quod ait Ariſtoteles, non eſſe proprium exordij, attentum facere, ſed eſſe commune omnium partium.

TEXT. *Vt, Mihi animum aduertite, neque enim mea magis quam ueſtra res agitur. Et, Dicam uobis acerbũ facinus, nunquam alias à uobis auditum. aut certè non tam admirabile.*

COMM. Exempla duo refert, quibus in media oratione uti poſſumus in excitandis mentibus audientium ad attentè audiendum. nam ſi res illa, de qua agitur, aliquo modo pertinet ad ipſos auditores, poterimus ita eos excitare; Mihi animum aduertite iudices, neque enim

mea

mea magis, quam ueſtra res agitur. Si uero magna atque admirabilis res fuerit, ita dicemus; Dicam uobis acerbum facinus Iudices, ante hunc diẽ inauditum. uel; quod eiuſmodi eſt, ut nullũ unquã tam admirabile fuerit. mouentur enim auditores cum uel de ſuis rebus agi intelligunt, uel de rebus magnis & admirabilibus, ut ſupra dictum eſt.

TEXT. *Hoc enim eſt id, quod Prodicus dixit, ſe, cum auditores dormitantes aduerteret, aliquid in medio ſermone inſerere, ex illa ſua quinquaginta drachmarum demonſtratione.*

COMM. Prodicus Chius Sophiſta fuit inſignis, qui plurimas diuitias congeſſit in docenda Rhetorica. docuit autem Athenis longo tempore, nobiliſſimosque adoleſcentes deuinctos familiaritate habuit, hic in concione iactabat, ſe quandam habere demonſtrationem, qua ſiquis in dicendo uteretur, ſuperior ſemper eſſet euaſurus, eam autem drachmis quinquaginta docere conſueuerat. Itaque quoties auditores ſuos dormitantes & parum attentos eſſe uidebat, ſic eos excitare ſolebat, ut diceret, ſe aliquid ex illa demonſtratione ſua uelle differere. quare ſtatim animos erigebant, & attentiores fiebant: atque hac de re poſtea gloriabatur, quòd facile ſuos auditores ad audiendum excitaret. Quintilianus libro quarto ſic ait; Nam iudices & in narratione nonnunquam, & in argumentis ut attendant, & ut faueant rogamus, quo Prodicus uelut dormitantes eos excitari putabat. quidam aiunt ſolitum Prodicum adoleſcentes admonere precii dati. ne tempus fruſtra tererent, & pecunias amitterent nihil diſcendo, quod interdum Ludimagiſtri faciunt, ut diſcipulos attentiores habeant, ſed prior ſententia magis mihi ſatisfacit.

TEXT. *Ad auditorem autem haberi proœmia, non quatenus auditor eſt, non eſt obſcurum. omnes enim in proœmijs uel criminantur, uel metum diſijciunt;*

Dicam, haud quidem ò rex quanta diligentia.

Quid uteris proœmio?

COMM. Quia ſupra dixerat proœmia eſſe extra cauſam poſita, nunc probat eſſe uerum, licet enim (inquit) ad auditorem proœmia dirigantur, tamen non hoc fit quatenus eſt auditor. ſufficit enim auditori cauſam ipſam intelligere, quod non proœmio fit, ſed propoſitione & probatione. qui autem proœmiis utuntur, uel aduerſarios criminantur, uel ſibi aut auditoribus metum diſijciunt, quorum neutrum ad cauſam docendam pertinet, ita neque propriè ad auditorem niſi caſu & fortuitò. hoc autem oſtendit Ariſtoteles duobus exemplis, quorum alterum ex Antigona Sophoclis ſumptum eſt, ubi nuncius quidam accedens ad Creontem regem, ut ei narraret, quemadmodum contra eius edictum Polynicis cadauer ſepultum fuiſſet, exordio utitur, ut ſe ei culpæ non affinem fuiſſe oſtendat, atque ita metum & periculum à ſe diſijciat; ſic enim orditur; Dicam, haud quidem ò rex quanta diligentia, & quæ ſequuntur. ſatis enim habet Ariſtoteles locum oſtendere. Alterum exemplum ex Iphigenia in Tauris Euripidis ſumptum eſt, ubi Thoas Rex, cum Iphigeniam longo exordio ſe excuſare conantem audiret, ſic eius ſermonem interpellauit; Quid uteris proœmio? quaſi diceret; cum rem ipſam audire cupiam, debes omne proœmium dimittere, & rem exponere. Quare concluditur, nihil ad auditorem, quatenus eſt auditor, hoc eſt quatenus eſt paratus ad audiendum, proœmium pertinere. imo uerò ſæpe offenditur auditor, cum audiendi cupidus eſt, ſiquis proœmio utatur. quod autem ait Ariſtoteles in proœmijs Oratores uel criminari, uel metum diſijcere, Cicero in proœmio pro Milone facit utrunque, nam & aduerſarios criminatur, cum ita inquit; Vnum genus eſt aduerſum infeſtumque nobis, eorum, quos P. Clodij furor rapinis & incendijs, & omnibus exitiis publicis pauit, & metum diſcutit, cum in toto proœmio, tum in ea parte ubi ſic ait; Quamobrem adeſte animis iudices, & timorem ſiquem habetis deponite.

TEXT. *Et qui malam cauſam habent, uel habere uidentur, proœmijs utũtur: nam in quouis loco potius commorari melius eſt eis, quam in ipſa cauſa. itaque ſerui etiam nequaquam ad interrogata reſpondent, ſed uerborum ambagibus utuntur, & longis exordijs.*

COMM. Qui cauſæ ſuæ nõ cõfidunt eò, quòd uel re uera mala ſit, uel certè mala eſſe uideatur, ij ſolent ad proœmia confugere, atque in eis diu commorari, quoniam utilius eſt eis in quauis alia orationis parte uerſari, quam in ea, ubi fit ipſa cauſa explicanda. quocirca rhetores iubent, ut qui malam cauſam ſuſceperunt, uel quæ mala uideatur, inſinuatione utantur, & paulatim quaſi aliud agentes ſibi auditores concilient, donec tandem cum eorum bona gratia de cauſa dicere ualeant, quod in oratione de lege Agraria contra Rullum diuinitus Ciceronem feciſſe Plinius annotauit, uidebatur enim Cicero malam cauſam ſuſcepiſſe contra populi Romani utilitatem, cui Rullus agros diuidere ſe uelle dicebat. & tamen tanto artificio uſus eſt, ut in cauſa ſuperior euaſerit, & populum Romanum propria commoda ſpernere coegerit. probat autem Ariſtoteles exemplo ſeruorum, eos proœmiis uti, qui malam habent cauſam. Serui (inquit) cum aliquid peccauerint, nunquam ſolẽt heris ad interrogata reſpondere, ſed huc & illuc ſermonem torquent, & ambagibus atque exordiis utuntur, ut ſe excuſent, cuius rei multa ſunt in comœdiis & tragœdiis exempla.

TEXT. *Qnomodo uero beneuolentiam captare oporteat, antea dictum eſt, & de cæteris huiuſmodi ſingulis. & quoniam benè dictum eſt ab Homero;*

Effice, ut aduenium, diua, ad Phœaces amicus
Et miſerabilis;-

Hæc duo diligenter conſideranda ſunt.

COMM. In ſecundo libro, ubi de animi commotionibus uerba fecit, docuit etiam quibus de cauſis homines amici eſſe ſoleant, & quibus rationibus conciliari beneuolentia posſit. itaque non opus eſt ut eadem hoc loco repetat, tantum admonet ut ea duo ſumma cum diligētia obſeruemus, quę Vlyſſes prudentisſimus uir apud Homerum libro Odyſſeæ quartodecimo à Pallade precatur, cum enim naufragium paſſus fuiſſet, & omnium rerũ egenus in Phæacum regione uerſatur, ita Palladem deam ſibi amicisſimam precatus eſt;

Effice, ut adueniam, diua, ad Phœaces amicus,
Et miſerabilis;-

Nam ſi Phœaces illum amico animo ſuſcepiſſent, & eius calamitatem ac infelicem fortunam miſerati fuiſſent, non eſt dubium, quin auxilio ſubleuaſſent; quod feciſſe memorantur. Oratio ergo debet efficere ut iudices, eum, quem defendit, uirum eſſe bonum exiſtiment, ſic enim amabunt, & miſericordia dignum, ſic enim ſubleuabunt. hoc eſt, quod etiam M. Antonius de Oratore ſecundo præcipit, his uerbis; Ex reo, quæ ſignificent uirum bonum, quæ liberalem, quæ calamitoſum, quæ miſericordia dignum. hinc totum exordium pro L. Flacco, & pro Cn. Plancio. & pro L. Murena.

TEXT. *In exordiis demonſtratiui generis, efficere oportet, ut auditores una laudari putent ſe, uel genus, uel ſtudia ſua, uel alio aliquo modo. quod enim ait Socrates in funebri ſermone, uerum eſt; Non difficile eſt Athenienſes Athenis laudare, ſed Lacedæmone.*

COMM. Quamuis in demonſtratiuo genere maximè libera ſint exordia, tamen beneuolentiæ conciliandæ gratia debet orator, cum opportunum eſſe intelligit, efficere ut auditores exiſtiment etiam ſe una laudari, ut ſi ex eadem ciuitate fuerint, cum eo, qui laudatur, uel ijſdem ſtudiis dediti, uel ijſdem præditi uirtutibus, uel aliquo alio modo cum eo coniuncti. hoc autem Socratis auctoritate probat, qui, apud Platonem in eo Dialogo, qui Menexenus inſcribitur, in quo de ratione funebris orationis habendæ tractatur, dixit, non eſſe difficile Athenienſem Athenis laudare, ſed Lacedæmone. Omnes enim ferè ſuorum ciuium laudibus fauent, ut, Athenienſis ciuis gaudet, cum Athenienſem magnopere commendari audit, ita Romanus cum Romanum, Lacedæmonius cum Lacedęmoniũ. ſed inimicos non æquis animis exornari patiuntur, ut Lacedęmonius non libenter audit Athenienſem laudari, Romanus indignatur ſiquis Carthaginiēſem extollat. hoc eſt, quod aiebat Socrates, Athenienſem Lacedæmone laudare difficile eſſe.

TEXT. *Deliberationum exordia à iudiciali genere ſumuntur. natura enim deliberationes nulla habent exordia, quoniam ſciunt deliberantes de qua re ſint uerba facienda, & res ipſa nullo indiget proœmio, niſi uel propter ipſum oratorem, uel aduerſarium, uel ſi res non tanta exiſtimetur, quantam ipſe uult, ſed aut maior, aut minor.*

COMM. In deliberatiuo genere ſiqua ſunt exordia, illa ſumuntur à genere iudiciali, & eiſdem de cauſis adhibentur, quibus in iudiciis adhiberi ſolent. nam ipſæ deliberationes natura ſua proœmiis non egent. neque enim opus eſt explicare quibus de rebus dicendum ſit, cum ij, qui deliberant, iam intelligant, quæ ſint illa, quæ in deliberationem ueniant. Itaque per ſe res ipſa non eget exordio, quod ſi adhibetur, id fit, uel oratoris cauſa, ut amicè, ut intelligenter, ut attente audiatur, uel propter aduerſarium, ut eius ſententia repudietur, uel, ut rei de qua agitur magnitudo uel augeatur, uel imminuatur. Sæpe enim accidit, ut res uel maior, uel minor exiſtimetur, quam orator uelit. tunc igitur exordio utendum eſt, quo rei quantitas demonſtretur. hunc locum libro tertio. Quintilianus ita expreſsit; Ariſtoteles quidem nec ſine cauſa putat, & à noſtra, & ab eius, qui diſſentiet, perſona duci frequenter in conſiliis exordium, quaſi mutuantibus hoc nobis à iudiciali genere: nonnunquam etiam ut minor res, maior ue uideatur. Cicero de lege Agraria contra Rullum in exordio, & à ſua, & ab auditorum perſona ſimul beneuolentiam captat, ex eo loco; De me autem ipſo, uereor ne arrogantis ſit, apud uos dicere, ingrati tacere. nam & quibus ſtudiis hanc dignitatem conſecutus ſim memetipſum commemorare perquam graue eſt, & ſilere de tantis ueſtris beneficiis nullo modo poſſum. atque ita multis uerbis de ſe, & beneficiis populi Romani diſſerit. poſtea uenit ad rem ipſam, atque ad aduerſarium, & artificioſe rem extenuat, aduerſarium rapit in odium, ex eo loco; neque enim Quirites illud uobis iucundum, aut populare debet uideri, largitio aliqua promulgata, quæ uerbis oſtentari poteſt, re uera fieri niſi exhauſto ærario nullo pacto poteſt. de ipſo aduerſario ſic ait; concio tandem expectata P. Rulli, quod & princeps erat, agrariæ legis, & truculentius ſe gerebat, quã cæteri. iam deſignatus alio uultu, alio uocis ſono, alio inceſſu eſſe meditabatur. & quæ ſequuntur. in Philippicis autem ferè ab ipſa re exorditur, & illud ſeruat, quod in Partitionibus docet his uerbis; Principia autem in ſententiis dicendis

breuia

breuia eſſe debebunt, non enim ſupplex ut ad iudicem uenit orator, ſed hortator, atque auctor.

TEXT. *Itaque uel criminari neceſſe eſt, uel crimina diſſoluere, uel amplificare uel minuere. horum enim gratia prooemio opus eſt, uel ornamenti cauſa, ne temere, ſubitoque effutita oratio uideatur.*

COMM. Quinque numerat cauſas, quibus in deliberationibus uti prooemio poſſumus. prima eſt, ut aduerſarium criminemur, ſiquid inutile aut turpe ſuaſerit, quod octaua Philippica Cicero facit, ſic enim exorditur; Confuſius heſterno die eſt acta res C. Panſa quam poſtulabat inſtitutum conſulatus tui, parum mihi uiſus eſt eos, quibus cedere non ſoles ſuſtinere. nam cum ſenatus ea uirtus fuiſſet, quæ ſolet, & cum re uiderent omnes eſſe bellum, quidamque id uerbum remouendum arbitrarentur, tua uoluntas in diſceſſione fuit ad lenitatem propenſior. uicta eſt igitur propter aſperitatem te auctore noſtra ſententia. Altera eſt cauſa, ut crimina diſſoluamus, ut Philippica ſeptima; bellicum me cecinisſe dicũt, ſuſcipiunt partis patrocinium, qui ſic diſputant: irritari Antonium non oportuit. nequam eſt homo ille, atque confidens, multi præterea improbi: quos quidem à ſe primum numerare poſſunt, qui hæc loquuntur. Tertia eſt ut amplificemus, ut Philippica tertia; Quod flagitabam equidem quotidie, quippe cum bellum nefarium contra aras, & focos, contra uitam, fortunaſque noſtras ab homine profligato, ac perdito, non comparari, ſed geri iam uiderem. Quarta eſt ut minuamus, ut de lege Agraria; uideo quoſdam Quirites ſtrepitu ſignificare neſcio quid, & non eoſdem uultus, quos proxima mea concione præbuerunt, in hanc concionem mihi retuliſſe. quare à uobis, qui nihil de me credidiſtis, ut eam uoluntatem, quam ſemper habuiſtis erga me retineatis, peto, à uobis autem quos leuiter immutatos eſſe ſentio, paruam exigui temporis uſuram bonæ de me opinionis poſtulo. Quinta eſt, ut quoddam ornamentum & dignitatem habeat oratio, ne temere ac ſine ratione uideatur effutita. ſolet enim ſæpe exordium orationi multum dignitatis afferre, ut nona Philippica; Vellem Dij immortales feciſſent P. C. ut uiuo potius Ser. Sulpitio gratias ageremus, quam mortuo honores quæreremus. nec uero dubito, quin ſi ille uir legationem renunciare potuiſſet, reditus eius & nobis gratus fuerit; & Reip. ſalutaris futurus. tale eſt exordium pro L. Manilia, totum ad ornamentum & dignitatem conformatum.

TEXT. *Hoc uitio laborat Encomium Gorgiæ in Elienſes: nulla enim brachiorum extenſione, nulla præparatione ſtatim incipit; Elis fortunata ciuitas.*

COMM. Reprehendit Gorgiam Leontinum, quòd in Encomio, in quo Elienſes celebrarit, ſine ulla dignitate ſtatim ab ipſa ciuitate duxerit exordium, quaſi abruptum & inconditum. neque ſaltẽ Athletas imitatus fuerit, qui cum ad certamen accedũt, antequam conſerere manus incipiant, quadam cum uenuſtate brachia extendunt, & huc atque illuc mouent, ſeque ad certamẽ cum dignitate, & gratia præparant. at uero Gorgias ſine ulla præparatione ſuum encomium temerè ſic exorſus eſt; Elis fortunata ciuitas. ſumpſit igitur Ariſtoteles tranſlationem ab Athletis cum ait; nulla brachiorum extenſione, ſicuti Cicero ſecundo de Oratore à gladiatoribus metaphoram duxit cum hoc idem uitium reprehendit, de quo Ariſtoteles. ſic enim ait; in quo mirari ſoleo, non equidem iſtos, qui nullam huic rei operam dederunt, ſed hominem in primis diſertum, atque eruditum Philippum qui ita ſolet ad dicendum ſurgere, ut quod primum uerbum habiturus ſit, neſciat: & ait idem cum brachium cõcalefecerit, tum ſe ſolere pugnare, neque attendit eos ipſos, unde hoc ſimile ducat, illas primas haſtas ita iactare leniter, ut & uenuſtati maxime ſeruiant, & reliquis uiribus ſuis conſulant. Omnia igitur prooemia accurata eſſe debent, quoniam in eis prima eſt cognitio & commendatio orationis, quæ continuo eum, qui audit, permulcere, atque allicere debet. & hoc eſt, quod primo de Inuentione dixit Cicero, exordiũ plurimum dignitatis & grauitates habere oportere.

De criminatione, id primum eſt, ut ea dicantur, quæ ualent ad delendam ex animis malam exiſtimationẽ. nihil enim refert, ſiue ex alicuius ſermone mala exiſtimatio concitata fuerit, ſiue non. hoc enim generatim prodeſt. TEXT.

Quoniam ſæpe accidit, ut in prooemiis, aut criminandi ſint aduerſarij, quod pro Roſcio Am. Cicero facit, aut eorum crimina ſint depellenda, ut idem Cicero pro A. Cluentio, ideo docet Ariſtoteles hoc in loco quibus modis criminatio tractanda ſit, ac primo quæ ſit depellendi criminis ratio. quoniam hoc eſt exordij proprium, nam aduerſarium criminari, potius ad perorationem attinet, ut iam ſupra dictum eſt. Primus igitur locus diſſoluendæ criminationis hic eſt, ut ea diligenter orator quærat, quæ prodeſſe poſſunt, ad euellendam ex audientium animis malam de ſe exiſtimationem. ſiue illam oratione ſua aduerſarius excitarit, ſiue quocunque alio modo iudicum animis inſederit. nihil enim hoc refert, nam hoc generale præceptum eſt, poteſt autem fieri, ut auditores, uel aduerſariorum oratione perſuaſi, malè de nobis opinentur. uel ante conceptam malam opinionem in iudicium attulerint. Itaque utroque modo utile eſt, ea dicere, quæ ualent ad euellendam malam exiſtimationem. ut ſi conqueramur de hominum improbitate, qui falſos contra nos rumores ſparſerint, aut de impudentia aduerſariorum, qui apertè mentiti fuerint, ut pro M. Cælio Cicero facit, uel ſi rogemus ipſos iudices ut in iudicium nihil præiudicati afferant, & quam conce- COMM.

perunt opinionem deponant,ut pro A.Cluentio. Quamobrem à nobis Iudices, antequam de ipſa cauſa dicere incipio,hoc poſtulo, primũ id, quod æquisſimum eſt, ut nequid huc præiudicati afferatis: etenim non modo auctoritatem, ſed etiam nomen iudicum amittemus, niſi hic ex ipſis cauſis iudicabimus, ac ſi ad cauſas iudicia iam facta domo deferemus, deinde ſiquam opinionem iam ueſtris mentibus comprehendiſtis, ſi eam ratio conuellet, ſi ratio labefactabit, ſi denique ueritas extorquebit, ne repugnetis, eamque animis ueſtris aut libentibus, aut æquis remittatis.

TEXT. *Alius modus eſt,ut ita occurratur, ſicuti rebus cõtrouerſis occurri ſolet, uel non eſſe factum, uel non eſſe pernicioſum,uel non illi,uel non tam magnum eſſe,uel non iniquum,uel non magnum, uel non turpe, uel rem eſſe puſillam. nam de his ſolet eſſe controuerſia.*

COMM. Secundus modus diſſoluendæ criminationis eſt, ut illi ita reſiſtamus, ſicut in iudiciis fieri ſolet; cum de aliqua re controuerſa diſſeritur. tunc enim defenſor his vtitur remediis,vt reum,ſi fieri poteſt,abſoluat. aut enim dicit falſum eſſe crimẽ, quod obijcitur,& fictos teſtes, ut fit in coniecturali conſtitutione,aut ſi concedit factum, ait non eſſe damnoſum uel abſolutè, uel ei, qui accuſat, aut certè non tam magnum, ut ait accuſator, ut in definitiuo ſtatu quæritur. aut non eſſe iniuſtum uel turpe,quod ad iuridicialem ſtatum pertinet: ſæpe etiam de quantitate controuerſia eſt, cum reus ait rem non magnam eſſe, ſed puſillam, & nullius ferè momenti. quæ omnia copioſè tractari ſolent in iudiciis, de quibus in primo libro dictum eſt,in prooemiis autem diſſoluendæ criminationis gratia breuiter tractari poſſunt, quod ſæpe facit Cicero, ut pro P. Q. pro Roſcio Am, pro M.Cælio.

TEXT. *Quemadmodum Iphicrates contra Nauſicratem. dixit enim ſe feciſſe, quod ille dicebat, atque etiam læſiſſe, non tamen iniuſtè ſe geſſiſſe.*

COMM. Iphicrates cum accuſaretur à Nauſicrate oratore,non dubitauit factum confiteri, non tamen iniuriam confeſſus eſt.dixit enim ſe feciſſe id, quod obijciebatur à Nauſicrate,& læſiſſe,uerum tamen nihil egiſſe,quod iniuſtum eſſet. ita Cicero, cum Rabirius accuſaretur, quod arma contra Saturninum ſumpſiſſet, quo tempore ille fuit interfectus,fatetur hoc à Rabirio factum fuiſſe, non tamen eſſe iniquum, ſed potius laudabile & glorioſum. quod etiam pro Milone diſputat, factum Milonis, qui Clodium interfecerat, maximis potius præmiis, quam ulla pœna dignum eſſe.

TEXT. *Vel compenſare,quod iniuſte factum eſt, hoc modo;ſi detrimentum attulit, at fuit honeſtum, ſi moleſtum fuit,at utilitatem habuit.*

COMM. Interdum etiam compenſatio peccatis mederi quodammodo uidetur. ut ſi accuſetur Callicratides,quod cum poſſet effugere, & exercitum conſeruare, tamen cum eſſet impar hoſtibus, maluit confligere,& exercitum amittere, poterit ita criminationem diſſoluere. Quod ego feci detrimentum quidem attulit Reip.amiſſo exercitu, ſed honeſtum fuit,cum hoſte ſuperiore, potius dimicare, quam fugere. uel ſi T. Manlius in iudicium uocetur,quod filium ſuum ſecuri percuſſerit,quoniam iniuſſu ſuo contra hoſtem pugnaſſet, & uictor euaſiſſet,dicet, rem quidem fuiſſe moleſtam & odioſam,ut pater proprium filium morti traderet, præſertim uictorem & glorioſum, ſed id factum ſuum utiliſſimum Reip.fuiſſe, quòd artem militarem ſtabiliuerit, & cæteris omnibus exemplum fuerit, ne magiſtratuum imperia negligere audeant. Cicero pro M. Cælio,adoleſcentiæ eius flagitia ſtudiis literarum,& ingenuis artibus compenſat, at ſeptima in Verrem actione Hortẽſium irridet, quod ſcelera Verris laude imperatoria compenſare uellet.

Alius modus eſt, ut dicatur, aut errorem fuiſſe, aut infortunium,aut neceßitate euenuiſſe: quemadmodum Sophocles,ſe tremere dixit,non(ut calumniator obiecerat) quo ſenex uideretur, ſed neceſſario; non enim ſua ſponte ad annos octoginta perueniſſe. TEXT.

Tertius modus diſſoluendæ criminationis ille eſt,cum oſtendimus non ſponte aut dedita opera delictum fuiſſe commiſſum,ſed aut errore aliquo, aut infortunio, aut neceſsitate, quæ tria plurimum in purgationibus ualere ſolent, ut Rhetores docent.qui enim per errorem peccat, is uenia dignus eſt, nam ſublato errore non peccaſſet, ut ſiquis hoſtem patriæ ſe putans interficere,patrem aut fratrem interficiat. ita qui per infortunium delinquit, ut qui aprum petens Cræſi regis filium interfecit. neceſsitas etiam crimen non habet, quia nemo poteſt ei reſiſtere. hæc tria Cicero miſcet pro Q.Ligario, ut oſtendat contra Cæſarem non ſponte deliquiſſe, ſed partim errore, partim infortunio,partim neceſsitate. nam ita de neceſsitate ait; Tertium eſt tempus, quo poſt aduentum Vari in Africa reſtitit.quod ſi eſt criminoſum,neceſsitatis crimen eſt non uoluntatis. de errore,cum ait,alij errorem appellant. de infortunio his quidem uerbis; Ac mihi quidem ſi proprium & uerum nomen noſtri mali quæratur, fatalis quædam calamitas incidiſſe uidetur, & improuidas hominum mentes occupauiſſe. Ariſtoteles dictum Sophoclis facetum de neceſsitate recitat.cum enim accuſatus fuiſſet Sophocles, & in iudicium ueniens toto corpore contremiſceret, eius accuſator dixit, cum dedita opera tremere, quo ſenior uideretur, & iudices ad ſui miſericordiam commoueret. uerum Sophocles reſpondit, ſe non ſponte, ſed neceſſario tremere, quoniam non ſua ſponte ad annos octoginta perueniſſet. id enim naturæ neceſsitate euenerat. nam ſi potuiſſet Sophocles fortaſſe multos ſibi annos ſubtraxiſſet, ut iunior eſſet, & ne tremeret. COMM.

Licet

TEXT. *Licet etiam finem, cuius gratia factum ſit aliquid, commutare. ut, Non erat ei animus lædere, ſed aliud efficere. &, Non hoc facere ſtudebat, quod calumniator ait, ſed accidit, ut is læderetur. eſſet autē odio dignus, ſi hoc efficere ſtuduiſſet.*

COMM. Sæpe animus eius qui fecit attenditur, ut quod bono animo factum eſt, etiam ſi male ſucceſſit, non reprehendatur. itaque monet Ariſtoteles ut in diſſoluenda criminatione hoc etiam remedio utamur, & finem cuius gratia factum dicitur, immutemus. quod duobus exemplis illuſtrat, ut ſi quis quempiam offendit, & ita defendatur; Non erat ei animus lædere, ſed aliud efficere. uel hoc modo; Non hoc facere ſtudebat, quod ait aduerſarius, ſed caſu & fortuito accidit, ut is læderetur. quare non eſt odio dignus (ut eſſet) ſi hoc facere ſtuduiſſet. hac ratione Cicero Ligarium defendit, cum probat eum, non eo animo in Africa reſtitiſſe ut contra Cæſarem arma gereret. ita poteſt Adraſtus defendi, qui Crœſi filium interfecit, neque enim erat animus ei cædem illam facere, ſed aprum, quem inſectabatur conficere. malo autem fato euenit, ut Cræſi filius occideretur.

TEXT. *Alius modus eſt, ut aduertatur, an aduerſarius in ea culpa ſit hoc tempore, uel antea fuerit, aut ipſe, aut aliquis ex eius propinquis.*

COMM. Hic modus recriminationem continet. nam ſi poterit Orator oſtendere aduerſarium in ea culpa eſſe, quam in alio reprehendit, uel antea fuiſſe, facile criminationem eius eludet. aut ſi non poteſt ipſum affinem eſſe culpæ demonſtrare, idem fere ualebit, ſi aliquem ex eius propinquis eſſe oſtendat. hac ratione ſic utitur Cicero pro Q. Ligario; Habes igitur Tubero quod eſt accuſatori maximè optandum confitentem reum, ſed tamen ita confitentem ſe in ea parte fuiſſe qua te Tubero, qua uirum omni laude dignum patrem tuum. Itaque prius de ueſtro delicto confiteamini neceſſe eſt, quam Ligarii ullam culpam reprehendatis. Hinc totum exordium quintæ actionis in Verrem duxit Cicero, ut oſtendat neminem debere alterum accuſare de ea re, qua ipſe ſit infectus. Legem enim (inquit) ſibi ipſi indicunt innocentiæ, continentiæ, uirtutumque omnium, qui ab altero rationem uitæ repoſcunt.

TEXT. *Alius modus, ſi illi comprehenduntur, quos aduerſarij fatentur, non eſſe criminationi obnoxios. ut ſi adulter eſt ſceleris purus, ergo etiam hic, atque ille.*

COMM. Diſſoluitur etiam illo modo criminatio, cum oſtendimus ab aduerſario prætermitti aliquos, qui in eadem culpa comprehendūtur. Sæpe enim accidit, ut de eodem crimine unus accuſetur, alter ne nominetur quidem, uel quia ſit accuſatoris amicus, uel quia potens, uel alia de cauſa. facilis igitur erit criminationis diſſolutio ſi, uel aduerſarium interrogemus, cur non hunc aut illum accuſet, qui ſint eidem criminationi obnoxij? uel ſi dicamus, nos non eſſe condemnandos eo crimine, quod ſit nobis cum multis aliis commune, quos aduerſarius non accuſando, fatetur, non eſſe criminationi obnoxios. nam, ut in primo de officiis docet Cicero, cauendum eſt, ne iiſdem de cauſis alij plectantur, alij ne appellentur quidem. Ariſtoteles affert hoc exemplum. Si adulter eſt ſceleris purus, ergo etiam hic atque ille, quod ita intelligendum eſſe arbitror, ſi aduerſarius in oratione ſua laudarit aliquem & commendarit tanquam integrum hominem & ſceleris purum, neque ulli criminationi obnoxium, qui tamen adulter habeatur, poterit Orator à comparatione maiorum ita argumentari; ſi is, qui adulter eſt, ſceleris purus exiſtimatur, ergo multo magis hic aut ille, qui non ſunt adulteri. hoc genere argumentationis utitur Cicero pro Q. Ligario, cum ait; ſceleris uero crimine, furoris, parricidij liceat Cn. Pompeio mortuo, liceat multis alijs carere. Sic enim eam argumentationem formare poſſumus: Si Cn. Pompeius, & multi alii principes uiri, qui contra Cæſarem arma ſumpſerunt, ſceleris crimine carent, ergo multo magis Q. Ligarius, qui non ſua ſponte, ſed neceſſitate coactus arma cōtra Cæſarem tulit, ſceleris crimine carere debet. Sic Vlyſſes apud Ouidium XIII. Metam.

Quid? quod me duri fugientem munera belli
Arguit incœptum ſerum acceſſiſſe labori?
Nec ſe magnanimo maledicere ſentit Achilli?
Si ſimulaſſe uocas crimen, ſimulauimus ambo.
Si mora pro culpa eſt, ego ſum maturior, illo.
Me pia detinuit coniunx, pia mater Achillem.

TEXT. *Alius modus, ſi alios falſo inſimulauit. uel alius eoſdem. Vel ſine criminatione alicuius talis exiſtimabatur, qualis ipſe nunc: qui tamen innocentes deinde reperti ſunt.*

COMM. A rebus etiam antea iudicatis criminatio diſſoluitur, ut ſi probari potuerit, aduerſarium eſſe calumniatorem, qui falsò alios inſimularit. non eſt enim ei fides adhibenda, qui falſa crimina inferre ſolet. Vel ſi ab alio fuerint ijdem uiri accuſati, aut in ſuſpicionem eiuſdem criminis ſine ullius accuſatione uenerint, qui tamen deinde liberati ſint eo, quòd culpæ affines non eſſent. ut, pro C. Rabirio Cicero; In quo ego demiror, meminiſſe te, quid obiecerit C. Rabirio Macer inimicus, oblitum eſſe, quid æqui & iurati iudices iudicarint. Item, quo in crimine propinquus C. Rabirij iudicio clariſſimo C. Curtius pro uirtute ſua eſt honeſtiſſime liberatus, ipſe uero Rabirius non modo in iudicium horum criminum, ſed ne in tenuiſſimam quidem ſuſpicionem uerbo eſt unquā uocatus. pro Roſcio Am. Erucium accuſatorem tanquam calumniatorem, & falſa crimina inferre ſolitum inſectatur. pro M. Cœlio, cui catilinæ familiaritas obiecta fuerat, docet in eam ſuſpicionem multos incidiſſe, qui tamen boni uiri, at-

que

que innocenies fuerunt. Quare (inquit) iſta condi tio Iudices reſpuatur, nec Catilinæ familiaritatis crimen hæreat, eſt enim commune eum multis, & cum quibuſdam eriam bonis. me ipſum, me, inquam, quondam penè ille decepit. & paulo poſt; Cuius in magnis cateruis amicorum ſi fuit etiam Cœlius, magis eſt ut ipſe moleſtè ferat, erraſſe ſe; ſicut & nonnunquam in eodem homine me quoque erroris mei pœnitet, quam ut iſtius amicitiæ crimen reformidet.

TEXT. *Alius modus, ſiquis criminantem recriminetur, nam abſurdum eſt, ut eius oratio fidem faciat, qui non ſit ipſe fide dignus.*

COMM. Quidam, ut criminationem diſſoluant, maius ſtudium ponunt, in recriminando aduerſario, quam in purgandis criminibus obiectis. nam ſi potuerint oſtendere aduerſarium uirum eſſe improbum, & nulla fide dignum, facile etiam crimina diluent. eſt enim abſurdum eius orationi fidē adhibere qui nulla ſit ipſe fide dignus. hac ratione Cicero contra Salluſtium utitur, ſi tamen illa eſt Ciceronis oratio. ſic enim exorditur, Ea demum magna uoluptas eſt, Criſpe Salluſti, æqualem ac parem uerbis uitam agere, neque quicquam tam obſcœnum dicere, cui non ab initio pueritiæ omni genere facinoris ætas tua reſpondeat, ut omnis oratio moribus conſonet, neque enim qui ita uiuit, ut tu, aliter ac tu loqui poteſt. neque qui tam illoto ſermone utitur, uita & honeſtior eſt.

TEXT. *Alius modus, ſi iam factum eſt iudicium: quemadmodum Euripides contra Hygiænontem in cauſa, quæ Antidoſis dicebatur, cum accuſaretur tanquam impius, quod iuberet peierare, cum illum uerſum feciſſet;*

Iuraui lingua, mentem iniuratam gero.

Dixit, eum iniuſtè facere, qui iudicia ex certamine Liberi patris in forum adduceret; ſe enim ibi rationem iam reddidiſſe, aut redditurum, ſi ibi uellet accuſare.

COMM. Cum oſtendimus, iam factum eſſe iudicium de illa re, qua accuſamur, facilis eſt criminarionis diſſolurio. quod Euripidis exemplo docet Ariſtoteles. is enim cum in iudicio tanquam impius accuſaretur, quod iuberet peierare, cum in tragœdia, quæ Hippolytus coronatus inſcribitur, uerſum illum feciſſet;

Iuraui lingua, mentem iniuratam gero.

Sic enim tertio de officiis Cicero tranſtulit. reſpondit Hygiænontem aduerſarium ſuum iniuſtè facere, qui rem iam iudicatam in dubium uocaret, & iudicia ex certamine liberi patris, in cuius honorem tragœdiæ ludique publici fiebāt, in forum adduceret. nam ſe iam carminis ſui rationem in theatro reddidiſſe, quod ſi uellet Hygiænon relicto foro, in theatrum uenire, & ibi accuſare, ſe iterum rationem redditurum. cauſa uero, quæ Antidoſis dicebatur, erat huiuſmodi. Siquis oneribus publicis & tributis nimis grauatus fuiſſet, ita ut facile ſoluendo non eſſet, & alium minus grauatum eſſe intelligeret, qui tamen eſſet ditior, poterat eum in iudicium uocare, & cogere, ut, uel onera ſua ſuſtineret, & tributa quæ ſibi eſſent impoſita perſolueret, uel ſi hoc facere recuſaſſet, ſecum fortunas omnes commutaret, cuius actionis extat oratio Demoſthenis contra Phænippum. atque ut res clarior ſit, exemplum ponam. habeat onus Aeſchines inſtruendi duas triremes ſuis ſumptibus ad bellum nauale, Demoſthenes autem unam tantum inſtruere ſoleat, qui tamen ſit Aeſchine ditior. poteſt igitur ex lege Solonis Aeſchines Demoſthenem in iudicium uocare, & cogere, ut uel, onus commutet, & duas inſtruat triremes, uel omnes fortunas ſecum mutet, & idem onus maneat. hæc actio dicebatur Antidoſis, de qua multa Budæus in commentariis. Quod autem Euripides theatrum in quo fabulæ agebantur, certamē Liberi patris appellet, ea cauſa eſt, quoniam in Dionyſiis ac liberalibus poetæ certabant. & recitatis fabulis Victores præmia conſequebantur. erat igitur theatrum quaſi iudicium quoddam, ubi qui præerant, Victores poetas & uictos declarabant.

Alius modus, ſi calumnia ipſa uituperetur, & oſtendatur, quam graue malum ſit. quæ iudicia perturbet. TEXT.

Prodeſt etiam ad diſſoluendam criminationem ſi calumnia ipſa uituperetur & falſa criminatio, demonſtreturque quam graue malum ſit, quæ iudicia confundat & perturbet, & ſæpe innocentes etiam uiros opprimat. hac enim oratione perſuaſi auditores, ita calumniæ fient inimici, ut etiā quæ re uera non ſit, putent eſſe calumniam. Cicero pro A. Cluentio multa uerba de inuidia facit, hoc eſt de odio per aduerſariorum calumniam in A. Cluentium atque in eius cauſam concitato. ſic.n. ait; De inuidia autem ſic inter uos diſceptare debetis, ut non, quid dicatur à nobis, ſed quid oporteat dici, conſideretis. agitur enim in criminibus A. Cluentii proprium periculum, in inuidia cauſa communis. & quæ ſequuntur. Contra calumniam copioſe diſputat Iſocrates in oratione de permutatione. COMM.

Communis locus amborum eſt, cum ſigna commemorantur. ut in Teucro Vlyſſes ait; Teucrum eſſe Priamo ſanguine coniunctum, quoniam Heſione Priami ſoror fuit; ille uero dixit, patrem ſuum Telamonem Priamo hoſtem fuiſſe, neque ſe ſpeculatores indicaſſe. TEXT.

Signa ualent & ad inferendam criminationem & ad diſſoluendam. Itaque communis hic locus eſt, qui à ſignis ducitur, tam accuſatoris, quam defenſoris, quod probatur ex eo loco, qui eſt in tragœdia Teucro inſcripta. ibi enim primo Vlyſſes Teucrum tanquam Troianorum amicum & eorum rebus fauentem criminatur. atque hoc ſigno utitur, quòd eſſet Priamo ſanguine coniunctus. nam Heſioni Teucri mater, Priami ſoror fuit. cum enim Hercules Troiam expugnaſſet, ac diripuiſſet, Heſionem Laomedontis filiam & Priami ſoro COMM.

rem

rem Telamoni donauit, ex qua poſtea Telamon Teucrum ſuſcepit. atque hoc modo Teucer in ſuſpicionem ab Vlyſſe trahebatur. quod propter ſanguinis coniunctionem Priamo faueret. deinde Teucer Vlysſis criminationem diſſoluit, eis ſignis, quòd Telamon pater ſuus Priamo ſemper hoſtis fuerit, & quod ipſe quo tempore Græci ſpeculatores Troiam miſerunt, id nequaquam Troianis indicarit, cum id facile potuiſſet efficere, ſi Priami rebus fauere uoluiſſet. Cicero pro M. Cœlio, Cum aduerſarii dixiſſent, improbum eſſe Cœlium, & eo ſigno uterentur, quòd ſuis municipibus Puteolanis probatus non eſſet, hanc criminationem diſſoluit eo ſigno, quod Puteolani maximos honores M. Cœlio abſenti detulerunt. quod certè non feciſſent, niſi eum magnopere probauiſſent.

TEXT. *Alius modus accuſatoris proprius, ſi paulum laudet, ut grauius uituperet. &, ſi, quod magnum atque egregium eſt, breuiter attingat.*

COMM. Hæc ratio callida eſt & artificioſa, quæ propria eſt accuſatoris, ut ne ſtudio criminandi trahi uideatur, & inferre uera crimina exiſtimetur, aliqua eius quem accuſat facta, laudet, ut grauius deinde uituperet, &, ſi, quod magnum atque egregium eſt, breuiter attingat, ne per malitiam illud prætermittere uideatur. hac arte uſus eſt Cicero prima Philippica. primo enim M. Antónium modice laudat, & quædam eius facta egregia breuiter attingit, deinde grauiter eum uituperat, ſic enim primo ait; Præclara tum oratio M. Antonii, egregia etiam uoluntas, pax denique per eum, & per liberos eius cum præſtantisſimis ciuibus confirmata eſt, & reliqua. poſtea uero ſic ait; Ecce enim calendæ Iun. mutata omnia nihil per Senatum, multa & magna per populum & abſente populo & inuito, & quæ ſequuntur. at uero prima actione contra Verrem hac arte facetisſimè utitur, cum ita Verrem primo laudat; Eſt adhuc id quod uos omnes admirari uideo, non Verres, ſed Q. Mutius: quid enim facere potuit elegantius ad hominum exiſtimationem? æquius ad leuandam mulieris calamitatem? uehementius ad Quæſtoris libidinem coercendam? ſummè hæc omnia mihi uidentur eſſe laudanda. deinde ſtatim ſubiungit, Sed repente è ueſtigio ex homine, tanquam aliquo Circæo poculo factus eſt Verres redit ad ſe, atque ad mores ſuos: nam ex illa pecunia magnam partem ad ſe auertit.

TEXT. *Vel ſi multa bona proponat, deinde unum, quod ad cauſam faciat, crimen proferens uituperet: tales enim ſunt artificioſiſſimi, & iniquisſimi accuſatores, qui aduerſarium bonis ſuis lædere conantur. cum ea uitio permiſceant.*

COMM. Ex eodem genere eſt hoc, quo illud etiam ſuperius, & accuſatoris eſt proprium, qui interdum multa bona proponit, quæ in aduerſario laudet, atque extollat, ut unum deinde crimen proferat, quod ad cauſam faciat, & illud amplificando grauiter uituperet. qui autem hoc faciunt (inquit) callidisſimi ſunt & iniquisſimi accuſatores, quippe qui bona illa, quæ ſunt in aduerſarijs, in malum uertunt. & efficiunt, ut uitio permixta noceat eis quibus auxilio eſſe deberent. hunc morem etiam Horatius reprehendit primo ſermonum lib. cum ita calumniatorem notat;

Mentio ſiqua
De Capitolini furtis iniecta Petilli
Te coram fuerit, defendas, ut tuus eſt mos,
Me Capitolinus conuictore uſus, amicoque
A puero eſt, cauſaque mea per multa rogatus
Fecit: & incolumis lætor quod uiuis in urbe:
Sed tamen admiror, quo pacto iudicium illud
Fugerit. Hic nigræ ſuccus Loliginis, hęc eſt
Aerugo mera.

Hac tamen arte Cicero pro L. Flacco ingenioſisſimè uſus eſt, cum enim Græcis teſtibus, qui L. Flaccum premebant, omnem fidem adimere uellet, prius Græcos magnopere laudauit; & in eis multa eſſe bona conceſſit, ſed hoc unum deinde illis deeſſe ait, ut religionem teſtimoniorum colerent. eius hæc ſunt uerba; uerumtamen hoc dico de toto genere Græcorum. tribuo illis literas. do multarum artium diſciplinam. non adimo ſermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiã, denique etiam ſiqua ſibi alia ſumunt, non repugno, teſtimoniorum religionem & fidem, nunquam iſta natio coluit, totiusque huius rei quæ ſit uis, quæ auctoritas, quod pondus, ignorant.

Illud uero commune eſt, & inferenti crimen, & depellenti, quoniam fieri poteſt, ut eadem res pluribus de cauſis facta ſit, qui criminatur, debet eam deprauare, atque in deteriorem partem inflectere, qui uero crimina diſſoluit, in meliorem partẽ trahere: Vt quod Diomedes Socium Vlyſſem elegerit, ideo factum eſſe, quoniam eum Græcorum optimum exiſtimabat. immo uero, dicet alius, quia ſolum eum tanquam ignauum, ſibi non fore æmulum indicabat. Ac de criminatione quidem hæc dicta ſint. TEXT.

Vltimus criminationis modus communis eſt accuſatoris & defenſoris. qui ex eo naſcitur, quoniam ſæpe accidit, ut eandem rem, atque idem factum, & in bonam & in malam partem interpretari poſſumus. hoc enim perſpicuum eſt, pluribus de cauſis eandem ſæpe rem fieri ſolere. qui igitur criminari uult, debet eam rem in deteriorem partem inflectere, qui autem crimina depellere conatur, in partem meliorem trahere debet. hoc Ariſtoteles Illuſtrat exemplo ab Homero ſumpto. cum enim decimo Iliadis Diomedes nocturno tempore profecturus eſſet ad hoſtium caſtra, ut eorum conſilia exploraret, & princeps Græcorum illi poteſtatem feciſſent, ut ex omnibus unum quem uellet ſocium eligeret, ipſe ſibi Vlyſſem ſocium elegit. ſic enim ait; COMM.

Si uerè ſocium mihi me exoptare iubetis,
Qui nam Ithaci poſſem diuini non memor eſſe?

Qui

Qui igitur hoc Diomedis factum in meliorem partem interpretari uoluerit, dicet Vlyſſem potiſſimum à Diomede fuiſſe electum, tanquam omnium Græcorum prudentiſſimum atque optimũ. qui uero in malam partem trahere, dicet hoc Diomedis callidum fuiſſe conſilium, quod ſibi ignauũ atque imbellem ſocium elegerit. ut totam gloriã ad ſe traheret, & ne ſuæ laudis æmulum haberet. Simile huic ac fere idem eſt apud Ouidium libro Metamorphoſis decimo tertio in armorum Achillis contentione. cum enim Aiax uellet imminuere atque deprimere res ab Vlyſſe geſtas, ita inquit.

Luce nihil geſtum eſt, nihil eſt Diomede remoto,
Si ſemel iſta datis ſi meritis tam uilibus arma,
Diuidite, & pars ſit maior Diomedis in illis.

At contra Vlyſſes Aiaci reſpondens, hoc ſibi magnæ laudi tribuit, quod unus ex omnibus Græcis à Diomede ſocius eligeretur. ſic enim ait;

At ſua Tydides mecum communicat acta
Me probat, & ſocio ſemper confidit Vlyſſe.
Eſt aliquid, de tot Graiorum millibus, unum
A Diomede legi.

Cicero tertia in Verrem actione cum Verrem inſectaretur, quod à Cn. Carbone cõſule ad L. Syllam transfugiſſet, & oſtendere uellet eam rem neque ipſi Syllæ gratam fuiſſe, licet C. Verri præmia liberaliter tribuerit, ita inquit, habuit honorẽ ut proditori, non ut amico fidem.

TEXT. *Narratio uero in exornationibus non perpetua eſt, ſed in plures partes diſtincta: nam actiones & res geſtas commemorare opus eſt, ex quibus oratio conſtituitur.*

COMM. Iam ad narrationem aggreditur, quæ iudicialis orationis ſecunda pars numeratur, in qua res ipſa exponitur perinde ut geſta eſt, aut geri potuerit, uerum in demonſtratiuo genere, non ſolet (inquit) perpetua eſſe narratio, ſicut in iudiciis. Sed in plures partes diſtinguitur, cuius rei cauſa eſt, quoniam actiones & res geſtæ commemorantur, & ſigillatim amplificantur. ex eis enim tota conſtituitur oratio, quo fit, ut ſæpius narrandum ſit, & quo plures ſunt res geſtæ, magiſque diuerſæ, eo plures etiam narrationes erunt. Cicero in partitionibus ita inquit, Cõficitur autem genus hoc dictionis narrandis exponendiſque factis ſine ullis argumentationibus. Nam tota ferè exornandi ratio conſtat ex narratione & amplificatione, ut ex Helenæ Encomio, & Euagora Iſocrates intelligi poteſt. quod etiam in uituperatione ſeruari ſolet.

TEXT. *Conſtat autem oratio tunc ex iis, quæ ſunt artis expertia. neque enim, qui dicit, ullo modo auctor eſt rerum geſtarum, tum ex iis, quæ ab arte proueniunt, ut cum rem factam eſſe docere opus eſt, ſi fuerit incredibilis, uel qualis ſit, aut quanta, uel hæc ſimul omnia.*

COMM. Sicut in iudicialibus cauſis aliqua ſunt argumenta quæ dicuntur artis expertia, quia non inueniuntur ab ipſo Oratore, ſed extrinſecus ad eum afferuntur, ut teſtimonia, tabulæ, quæſtiones, aliqua artificioſa, quæ ab ipſo Oratore excogitantur, ita etiam in demonſtratiuo genere, multa ſunt artis expertia, quæ de eo dicuntur, qui celebratur. ita uero nominantur, quia non ipſe Orator ea excogitat, ſed ut audiuit eſſe geſta, cum amplificatione exponit. multa etiam ab arte proueniunt, ut cum ea narrantur, quę incredibilia uideri poſſunt. tunc enim oportet illa artificioſè cõfirmare, & oſtendere uериſſima eſſe. uel ſi de qualitate dubitatur, utrum honeſta ſit res, an turpis, utilis an inutilis. uel de quantitate, utrum magna ſit an parua, uel ſi de omnibus ambigitur. tunc enim Oratoris artificio magnopere opus eſt, ut ea, quæ dicuntur, uerisſima eſſe probentur. Cicero tamen in partitionibus confirmationem ab exornatione remouere uidetur, cum ait; non enim dubia firmãtur, ſed ea, quæ certa, aut pro certis poſita ſunt, augentur: quod quidem maiori ex parte uerum eſt, ſed interdum etiam accidit, ut confirmatione ſit opus, cum alicuius rei laudem aut uituperationẽ præter uulgatam omnium opinionem alicui tribuere uolumus. ut ipſe Cicero nona Philippica, qua Ser. Sulpicium mortuum exornat, multis argumentis probat, eum eſſe dignum ſtatua, quoniam pro Rep. mortuus fuiſſet. & hoc etiam pluribus probat rationibus, eum pro patria mortuum fuiſſe, erant enim qui contradicerẽt. ſic Iſocrates multa confirmat in Euagora exornando, quæ parum eſſe uidebantur.

TEXT. *Qua de cauſa interdum non continenti oportet uti narratione: difficulter enim memoriæ mãdantur, quæ ita demonſtrantur, ut, Ex his quidem fortis eſſe cognoſcitur, ex illis uero ſapiens, aut iuſtus. atque hæc oratio ſimplicior eſt, illa autem uaria, & non exilis.*

COMM. Quia nonnunquam accidit, ut confirmatione ſit opus, ideo fit, ut narratio non ſemper continens aut perpetua eſſe debeat, ſed in plures partes diſtincta, ut initio dictum eſt. nam quæ continenti narratione explicantur, nulla interpoſita confirmatione aut amplificatione difficulter memoriæ mandantur, uel quia non ita ſunt attenti auditores, cum res ſimpliciter narrantur, quam cum amplificantur, uel quia ſingulæ res magis eminent, in narratione plures in partes diſtincta. ut ſiquis eius, quem laudat actiones narrans, ita proponat, ex his quidem actionibus fortis eſſe cognoſcitur, ex illis uero ſapiens, aut iuſtus, atque ita perpetua narratione demonſtret omnia, quæ ſibi propoſuit. non ſanè ita conſequetur, ut auditor omnia memoriæ commendet, quam ſi diſtinguat actiones, & in ſingulis inſiſtat, & confirmando amplificet. Atque hæc quidem oratio, qua continenter omnia exponuntur ſine cõfirmatione, ſimplicior eſt, & minus artificioſa, illa uero, in qua confirmatio & amplificatio interponitur, magis eſt uaria,

& non

& nõ exilis, ſed magnifica, & ſublimis, & quadam maieſtate plena, ut ea, qua Cicero utitur pro lege Manilia in Pompeio laudando. cum ſigillatim oſtendit in Pompeio quatuor illas res eſſe, quæ in ſummo Imperatore eſſe debent, ſcientiam rei militaris, uirtutem, auctoritatem. felicitatem.

TEXT. *Notas autem & celebres actiones tantum in memoriam reducere opus eſt, quo fit ut multi narratione non indigeant, ut ſi uolueris Achillem laudare, ſciunt enim omnes, quæ res ab eo geſtæ fuerint, itaque illis tantum uti debes. Si uero Critiam laudes, narrare oportet. neque enim multi ſciunt, quæ geſſerit.*

COMM. Qui celebrem aliquem uirum laudat, & omnibus cognitum, qualis Achilles fuit, ſatis habebit res ab eo geſtas in memoriam auditoribus reducere, & eas quantis poteſt maximis eloquentiæ uiribus extollere. neque enim opus eſt ea narrare, quæ ſunt omnibus manifeſta, quare multi ſunt Oratores, qui in exornando nullius narrationis indigeant, ut qui deorum tantum, aut heroum, aut celeberrimorum hominum laudes dicunt. res.n. ab eis geſtas tanquam certas & perſpicuas in oratione ponunt, & dicendo exaggerant. at uero qui minus celebrem atque notum hominem laudandum ſuſceperit, ut Critiam, is omnino debet omnia narrare, quæ honeſtè aut utiliter ab eo geſta fuerunt. quoniam ea pauci cognita habent.

TEXT. *Laus autem eſt oratio, quæ uirtutis magnitudinem explicat, quamobrem actiones oportet oſtendere tales eſſe. laudatio uero tota ab operibus pendet. quæ enim extrinſecus aſſumuntur, ad fidem faciendam ualent ut nobilitas, atque educatio. Credibile eſt enim è bonis bonos naſci, & qui ita fuerit educatus, talem futurum. quare laudamus eos, qui iam geſſerunt, ipſa enim opera ſigna ſunt habitus animi. nam illum etiam laudaremus, qui nihil adhuc geßit, ſi certum haberemus eum talem futurum. At uero beati, & felicis appellatio eadem eſt, differt tamen à laude atque encomio. nam quemadmodum felicitas uirtutem continet, ita felicis appellatio laudem & encomium. habent autem quandam communem ſpeciem exornatio & deliberationes. nam quæ in ſuadendo conſilia dares, ea commutato dicendi genere, in laudando tranſeunt. cum igitur explicauerimus ea, quæ gerenda ſunt, & qualem eſſe hominem oportet; qui eadem uoluerit ad præcepta dicẽdi tantum genus mutare, & conuertere opus erit ut; Non oportet quenquam efferri animo propter ea, quæ dantur à fortuna, ſed propter ea, quæ in ipſo poſita ſunt. hoc enim ita prolatum, præceptum fit. illo uero modo laus; Animo ſeſe efferebat, non ob ea, quæ data ſibi fuerant à fortuna, ſed ob ea, quæ in ſeipſo poſita habebat. quare cum aliquem laudare uolueris, conſidera quæ illi præcepta dares, cum autem percipere uolueris, cogita quid eſſet in eo laudandum. dicendi uero genus neceſſario contrarium erit, cum id, quod immutatur, ex prohibente in non prohibens tranſierit.*

COMM. Hæc omnia uerba, in primo libro huius operis dicta ſunt, ubi de genere demonſtratiuo tractatũ eſt. itaque uidendum eſt, quid ibi ſuper his commentati ſumus. neque enim ulla cauſa uidetur eſſe, cur explanationes noſtras hoc in loco repetamus. immo neque oportunè uidentur hæc ab Ariſtotele repetita. quare non ſine magna ratione Victorius putat, non ab ipſo Ariſtotele fuiße repetita, ſed ab aliquo non ſatis perito rhetore huc ex primo libro tranſcripta. nam cum hic locus uideatur eſſe mutilatus atque imperfectus, quia ſtatim à narratione demonſtratiui generis, tranſit Ariſtoteles quaſi abrupte ad iudicialem narrationem, ideo fortaſſe quidam his uerbis ex primo libro repetitis locum ſupplere uoluerunt. Vtcunque ſit, ſiue Ariſtoteles ipſe repetiuerit, ut aliis etiam in operibus interdum facit, ſiue alius adiecerit ex primo libro ſumpta, nos ea ſuo loco ſatis copioſe declarauimus.

Ridiculè uero faciunt ij, qui dicunt narrationem breuem eſſe oportere. atqui, quod quidam piſtori, panem ſubigenti, percunctantique durum ne, an mollem ſubigeret, quid? bene (inquit) omnino ſubigere non licet? idem huc etiam accommodari poteſt. neque enim prolixa uti narratione oportet, neque prolixo exordio, neq; probationibus, ſed neque hac in parte rectè ſe habet, breuiter, conciſeque narrare: uerum quod medium eſt ſeruare decet; hoc eſt dicere, quæ ſatis ſint ad rem explicandam, uel quæ in opinionem inducant rem eſſe factam, uel eum læſiſſe, uel iniuſtè ſe geßiſſe, uel cætera eius generis, quæcunque uoluerit. aduerſario autem contraria conuenient. TEXT.

COMM. Plerique rhetores aiunt narrationem tres uirtutes habere oportere, hoc eſt ut ſit breuis, ut dilucida, ut ueriſimilis. quas quidem res M. Antonius libro de Oratore ſecundo, narrationis non magis putat eſſe proprias, quam totius orationis. Ariſtoteles hoc in loco præceptum breuitatis irridet, & quadam etiam ridicula ſimilitudine deludit. ridiculè (inquit) illi rhetores faciunt, qui uolunt narrationem eſſe breuem, quaſi neceſſe ſit ita facere, neque cum res poſtulat, aut longa, aut mediocri uti liceat. qua in re ſimiles ſunt illi piſtori, qui rogabat utrum mollem an durum panem ſubigeret? cui bene quidam reſpondit; an non bene ſubigere licet? neque enim aut durus, aut mollis panis laudatur, ſed mediocriter & benè ſubactus. ita neque narratio, neque procemium, neque probatio laudari debet, ſi aut prolixa fuerit, aut breuis & conciſa, ſed mediocritatẽ ſeruare decet, ut ea narremus quæ ſatis ſint ad rem aperiendam, uel ſi quempiã accuſemus, ut exponamus ea, quæ iudices in opinionem inducant, rem eſſe factam, uel eum, quem accuſamus læſiſſe, aut iniuſte ſe geſſiſſe, uel cætera eius generis quæcunque uoluerimus. ſi uero defendamus contraria ſunt narranda. Quintilianus libro quarto oſtendit Iſocratem hoc in loco ab Ariſtotele irrideri, cuius hoc fuit præceptum ut breuis eſſet narratio, ſic enim ait; Eam plerique ſcriptores, maximè qui ſunt ab Iſocrate uolunt eſſe lucidam, breuem, ueriſimilem. nec enim refert, an pro lucida perſpicuam, pro ueriſimili probabilem;

lem, credibilem ne dicamus. Eadem nobis placet diuiſio. quanquam Ariſtoteles ab Iſocrate parte in una diſſenſerit, præceptum breuitatis irridens, tanquam neceſſe ſit, longam aut breuem eſſe expoſitionem. nec liceat ire per medium. uerum hoc præceptum breuitatis non eſt contemnendum ſi ita breuitas intelligatur, ut Quintilianus intelligit, cuius hæc ſunt uerba; Nos autem breuitatem in hoc ponimus, non ut minus, ſed ne plus dicatur, quam oporteat. Cicero in partitionibus ait breuitatem in narratione ſæpiſſimè laudari. eam autem inter communia ſimplicium coniunctorumque uerborum lumina collocat. & tribus modis effici docet, primo ſimplicibus uerbis, ſecundo ſemel unaquaque re dicenda, tertio, nulli rei, niſi ut dilucide dicas ſeruiendo, quem locum nos in commentariis noſtris in partitiones exemplis illuſtrauimus.

TEXT. *Inſerere etiam narrationi debes, quæ probitatem tuam ſignificent, ut, Ego quidem nunquam admouere deſtiti, quæ iuſta eſſe ſentiebam, ne filios deſererent.*

COMM. Quoniam probis uiris facilius credi ſolet, ideo præcipit Ariſtoteles, ut in narratione inſerantur ea, quæ narrantis probitatem ſignificent, quod etiam illuſtrat exemplo, ut ſiquis ita narret cõtra illum, qui filios deſeruerit, Equidem ego nunquam admonere deſtiti, ne filios deſereret. Cicero in Partitionibus ſuauem illam eſſe orationem oſtẽdit quæ ſignificat oratoris ipſius amabiles mores. Sed illud in memoria habendum eſt, perſonam oratoris & ipſius rei pro eadem haberi ſolere, quare ſemper Cicero ſolet in narrationibus magnam eorum quos defendit probitatem oſtẽdere, ut pro Q. Ligario; cui ſic præfuit in pace, ut & ciuibus & ſociis gratiſſima eſſet eius integritas & fides. pro P. Seſtio; Si meam in illum indulgentiam coniunctam cum ſumma cuſtodia Reip. laudare uerè ſolebatis, par prope laus P. Seſtii eſſe debet, qui ſuũ ita conſulem obſeruauit, ut & illi quæſtor bonus, & uobis optimus ciuis uideretur.

TEXT. *Vel quæ declarent alterius improbitatem, ut. Ille uero mihi reſpondit; ſibi ubicunque fuerit, alios non defuturos filios. quod Aegyptios reſpondiſſe, cum à rege ſuo defeciſſent, ſcribit Herodotus.*

COMM. Vt magis alienentur ab aduerſarijs iudicum animi, prodeſt in narratione, ea dicere quæ ipſorum aduerſariorum improbitatem oſtendant. Vt in exemplo quod Ariſtoteles ponit: Ille uerò mihi reſpondit, ſibi ubicunque fuerit, alios non defuturos filios, quod exemplum cum ſuperiore coniungitur, ut ex illo probitas dicentis intelligatur, ex hoc improbitas aduerſarii. Scribit autem Herodotus, Aegyptios cum à rege ſuo defeciſſent, hoc reſpondiſſe. cum enim Pſammetichus rex Aegyptiis ſęuè & crudeliter imperaret, atque illi Tyrannidem eius non ferentes rebellaſſent, & ab Aegypto diſcederent, eos rex inſecutus rogauit, ne deos patrios deſererent, & ne filios ſuos & coniuges relinquerent. tunc unus ex eis oſtenſo genitali membro dixiſſe fertur, ubicunque hoc fuerit, nobis filij non deerunt. hoc improbum & inhumanum fuiſſe reſponſum Ariſtoteles innuit. cæterum in narratione ſæpe aduerſariorum improba conſilia & facta exagitantur, ut pro Milone Cicero ſtatim ita narrationem incipit; P. Clodius cum ſtatuiſſet omni ſcelere in prætura uexare Remp. uideretque ita tracta eſſe comitia anno ſuperiore ut non multos menſes Præturam gerere poſſet: qui non honoris gradum ſpectaret ut cæteri, & quæ ſequũtur. nam tota ferè narratione P. Clodij improbitatem oſtendit.

TEXT. *Vel quæ iudicibus ipſis iucunda ſint.*

COMM. In narratione ſæpe utile eſt ea ponere, quæ ſint ipſis iudicibus iucunda, hac de cauſa Quintilianus exiſtimat, narrationem omni qua poteſt gratia & Venere exornandam. quoniam nulla in parte attentior eſt iudex, eoque nihil rectè dictum perit. præterea (inquit) neſcio quo modo etiam credit facilius, quæ audienti iucunda ſunt, & uoluptate ad fidem ducitur. Cicero in Partitionibus præcipit ut in narrando aſſumamus etiam ſuauitatem, & docet quibus rationibus narratio ſuauis fieri poſſit.

TEXT. *Defenſori autem narratio minor eſt: ſed ſunt huiuſmodi controuerſiæ, uel non eſſe factum, uel non detrimentum attuliſſe, uel non iniuſtè factum, uel nõ tam magnum eſſe.*

COMM. Defenſor non eget tam longa narratione, quã accuſator, niſi fortè res aliter exponenda eſt, quã accuſator narrauerit, tunc enim opus eſt, ut etiam defenſor longiori narratione utatur, ut pro Roſcio Am. & pro Milone fecit Cicero. interdum etiam nulla narratione defenſor indiget, quia ſtatim poſt exordium refellere crimina accuſatoris incipit, ut pro L. Murena, pro P. Sylla, pro M. Cœlio. quod ſiqua narratio intercurrit, ea ſolet adhiberi, uel ut oſtendatur, non eſſe factum, ut nõ commiſit ambitum Murena, non coniurauit in patriã Sylla; uel non detrimentum attuliſſe, ſed potius utilitatem, ut P. Clodii mors bonis omnibus profuit, L. Flaccus pecunias quidem à Græcis exegit, ſed ut eos ab hoſtibus defenderet. Vel non iniuſte factum. Vt C. Rabirius arma quidem contra Saturninum tulit, ſed non ideo maieſtatem minuit, quia nõ iniuſtè pernicioſus ciuis interficitur. uel non tam magnum eſſe peccatum, ut M. Cœlius rem quidem habuit cum Clodia uidua, nõ tamen ut adulter puniendus eſt, quoniam illa meretricio more uiuebat. hæc enim omnia ſunt apud Ciceronem, & eloquentiſſime diſſeruntur.

TEXT. *Quare non eſt in eis cõmorandum quæ certa ſunt, niſi cauſæ proſint, ut factum quidem eſſe, ſed non eſſe iniuſtum.*

COMM. Cum ea, quæ fuerunt ab accuſatore narrata nullam dubitationem habent, non eſt in eis diutius commorandum. ne cupide uideamur uelle ueritatem impugnare. niſi fortè cauſæ noſtræ proſit iterum ea narrare, non ut falſa eſſe oſtendamus, ſed ut doceamus non eſſe iniuſta. ut pro Q.

Liga-

Ligario quanuis nulla eſſet dubitatio, quin Ligarius in Africa fuiſſet, & contra Cæſarem arma tuliſſet, tamcu ideo narrat Cicero, ut doceat Ligarium, cum eſſet adhuc nulla belli ſuſpicio, in Africam profectum, neque ſua ſponte, ſed pene coactum in Africa reſtitiſſe. & pro Milone, quamuis certum eſſet Clodium à Milone interfectum, tamen copioſe narrat, ut oſtẽdit, id factum Milonis iniuſtum non fuiſſe.

TEXT. *Præterea res eas narrare oportet, quæ factæ neque miſerationem, neque indignationem commouent.*

COMM. Diligenter aduertere defenſor debet, ne in narrando aliquid dicat, quod animos iudicum commouere poſſit, uel ad miſerationem eius, qui perpeſſus eſt, uel ad indignationem contra ſe ipſum. res igitur huiuſmodi ſunt amputandæ, uel ita dicendo molliendæ, ut reo nocere non poſſint, quod pro Milone cautiſſimè facit Cicero, cum enim narrando ad eum locum perueniſſet, ubi fatendum erat, Clodium fuiſſe interfectum, ita inquit; Fecerunt id ſerui Milonis, dicam enim non deriuãdi criminis gratia, ſed ut factum eſt, neque imperante, neque ſciente, neque præſente domino, quod ſuos quiſque ſeruos in tali re facere uoluiſſet. neque enim apertè dicit, quod tamen ſatis intelligitur, & cauſam Milonis meliorem facit à genere, quod omnes cupiuiſſent idem in tali re à ſeruis ſuis fieri, ut ſuam uitam tuerentur.

TEXT. *Exemplum eſt huius rei, Apologus Alrinoi, quem apud Penelopen ſexaginta uerſibus explicuit. ſicuti Phayllus, circulum. & qualis eſt Oenei Prologus.*

COMM. Tribus exemplis probat in narratione poſſe ea facile prætermitti, quæ miſerationem audientiũ, atque indignationem commouent. & poſſe in arctum contrahi, quæ longa narratione continentur. primum eſt ab Homero ſumptum, qui Vlyſſem inducit, apud Alcinoum regem Phæacum narrantem plurimis uerſibus miſerias & calamitates ſuas, & animos Phæacum ad ſui miſericordiam cõcitantem & ad indignationem contra aduerſarios ſuos. itaque tantum eloquentia, & dicendi copia potuit, ut Alcinoum & Phæaces omnes ad miſerationem ſui traxerit, ita ut eum honorifice ſuſceperint, & multis precioſis rebus donatũ in patriam remiſerint. poſtea uero cum ad Penelopen uxorem ſuam reuertiſſet, eadem omnia quæ libris quatuor apud Alcinoum narrauerat, paucis uerſibus expoſuit. quoniam autem multas res prodigioſas & admirabiles ac luctuoſas, ſed omnino falſas Vlyſſes Alcinoo narrauerit, factum eſt ut, Alcinoi apologus, prouerbio dicatur, de longa & mendaci narratione, prorſusque fabuloſa, de quo uide Eraſmi Chiliades. Sed quod ait Ariſtoteles ſexaginta uerſibus apud Penelopen, apologum illum explicatum fuiſſe, numerus uerſuum non conuenit nam multo paucioribus Vlyſſes ea omnia narrauit, nempe duobus & triginta, quo tamen è numero unum Euſtathius eximit, & unum tantum & triginta facit. quare locus hic fortaſſe mendoſus eſt, & pro ἑξήκοντα legendum eſt, τριάκοντα. uel in notis numerorum forte librarii decepti ſunt, quod facile fuit imperitis. Alterum exemplum nubis eſt ignotius, quia non extat auctor, ſed tamen ita intelligendum puto, ut Phayllus, de quo etiam ſupra meminit, longiſſimum poema, qui circulus dicebatur, detractis omnibus ornamentis & affectibus, in paucos uerſus redegerit, ſicut Vlyſſes apologum ſuum apud uxorem Penelopen. quod autem κύκλο. hoc eſt circulus poema quoddam fuerit, declarat etiam Ariſtoteles apertiſſime libro Poſteriorum primo. & ibi Philoponus ait, extare poema, qui Circulus diceretur, quod ab Homero quidam ſcriptum exiſtimarent. & in Elenchis Homeri poema circulum Ariſtoteles appellat, & Athenæus li. 6. circulum epicũ nominat, & Horatius in Arte poetica ſcriptorẽ quendam Cyclicum damnat.

Nec ſic incipies ut ſcriptor cyclicus olim.

Vt non dubitandum ſit, quin cyclus uel circulus poema fuerit, quod Phayllus contraxerit. Tertium exemplum ab Euripide ſumptum qui Tragœdiam Oeneum conſcripſit. quæ non amplius extat. & in eius Prologo narrat omnia breuiter, quæ deinde in tota Tragœdia tragicis affectibus amplificat.

TEXT. *Moratam autem oportet eſſe narrationem; quod facile fiet, ſi quid mores effingat, intellexerimus. ac illud primum eſt, mentem ipſam declarare, nam qualis eſſe mens oſtenditur, tales etiam mores habentur, qualis autem mens ſit, à fine cognoſcitur.*

COMM. In narratione plurimum prodeſt mores effingere, uel bonos, eorum, quos defendimus, uel malos, eorum, quos impugnamus. hoc autem non erit difficile, ſi prius cognouerimus, quæ ſint ea, quibus mores effingantur. ac primum quidem illud eſt, ut mentem ac uoluntatem declaremus. nã prout aliquid bona uel mala mente factum oſtenderimus, tales etiam mores eſſe putabuntur. Vtrum uero bona an mala mens ſit, à fine cognoſcitur, quem ſibi quiſque proponit. à fine igitur, cuius gratia factum aliqnid eſt, mentem cognoſcimus, à mente mores ipſos. ut Cicero, ſtatuit ſibi neſarios Catilinæ conatus eſſe frangendos, ut patriam ab eius coniuratione liberaret, mens Ciceronis ad patriæ ſalutem ſpectabat, quo fit, ut boni mores oſtendantur. Prima actione in Verrem ita mentem ſuam oſtendit Cicero; cum hoc unum his tot incommodis remedium eſſe arbitrarer, ut homines idonei, atque integri cauſam Reip. legũque ſuſciperent, fateor me ſalutis omnium cauſa ad eam partem acceſſiſſe Reip. ſubleuandæ, quę maximè laboraret. Pro Milone ut improbiſſimos P. Clodij mores oſtenderet, initio ſtatim narrationis eius nefariam mentem oſtendit, P. (inquit) Clodius cum ſtatuiſſet omni ſcelere in prætura uexare Remp. cum igitur mens & conſilium cuiuſque facti oſtenditur, tunc morata eſſe narratio dicitur.

Atque

TEXT. *Atque hac de cauſa mathematicæ diſputationes, non effingunt mores, quia mentem & conſilium non habent, neque enim alicuius gratia fieri ſolent.*

COMM. Diſciplinæ mathematicæ nihil de moribus diſputare ſolent, quoniam de bonis aut malis rebus nullam mentem aut cogitatioem habent, neque ad aliquem actionis finem diriguntur, ſed ſuis demonſtrationibus contentæ ſunt, neque aliquid ultra cognitionem & ſcientiam quærunt. cum autem dicimus mathematicas diſputationes mentem & conſilium non habere, ſic eſt intelligẽdum, nihil extra ſe cogitare, & ad nullum finem dirigi, ut ſciri poſſit, qua mente, aut quo conſilio fiant. hoc enim fioe carent omnino. ſicut in libro Sapiẽtiæ ſecundo confirmat Ariſtoteles, cuius hæc eſt ſententia, ut nos conuertimus; Finis autem, & illud cuius gratia, alicuius actionis finis eſt. actiones uero omnes cum motu coniunctæ ſunt. quocirca in rebus immobilibus oon poteſt hoc eſſe principium, neque aliquid, quod ſit per ſe bonum. Itaque etiam in mathematicis nihil per hanc cauſam demonſtratur. neque ulla eſt concluſio, quòd aliquid melius aut deterius ſit. neque omnino quiſquam mathematicus harum rerum meminit. atque hac de cauſa Sophiſtæ quidam, ut Ariſtippus in mathematicas diſciplinas inuadũt, cum in aliis artibus omnibus etiam ſordidis, ut in arte fabrorum & cerdonum dicatur, cur aliquid melius aut deterius ſit, mathematicæ uero de rebus bonis aut malis nullam omnino mentionem faciant. hæc eſt cauſa cur dicamus Mathematicas diſciplinas mentem & conſilium non habere.

TEXT. *At uero Socratici ſermones habent mores, quoniam de rebus huiuſmodi ſunt, quæ alicuius gratia ſunt.*

COMM. Socrates primus fuit, qui philoſophiam à rebus occultis ad uitam & mores traduxit, coegitque de bonis & malis rebus diſputare, quare moralis philoſophiæ parens habitus fuit. nam qui ab eo fuerunt edocti, & Socratici nominati, ut Plato, Xenophon, Aeſchines, & alii plurimi; de moribus & honeſtate uitæ multa conſcripſerunt, ut ex Platonis Dialogis intelligi poteſt. hoc eſt, quod ait Ariſtoteles, Socraticos ſermones habere mores, quoniã ad actionis finem diriguntur. Semper enim ferè de rebus huiuſmodi Socrates loquebatur, quæ ad bene uiuendum, & honeſtè mores conformandos pertinerent, itaque omnis eius oratio morata dici poteſt.

TEXT. *Sed ea quoque morata dicuntur, quæ cuiuſque mores conſequuntur. Vt, Hæc uociferando recedebat. hoc enim audaciam & ruſticitatem morum indicat.*

COMM. Erit (inquit) oratio illa morata, quæ notis quibuſdam atque ſignis oſtenderit ea, quæ cuiuſque mores conſequantur, & actiones atque ſermones expreſſerit, ex quibus cuiuſq; mores intelligi poſſint. ut ſiquis ita dicat; Hæc uociferando recedebat, indicabit audaciam & ruſticitatem morum. nam clamare & uociferari proprium eſſe ruſticorum uidetur, recedere autem antequam reſponſum fuerit, audacis & comminantis eſt indicium. in hac re mirificus eſt artifex Cicero, ut ſignis quibus hominum mores apertisſimè oſtendat; ut in Piſonem cum eius ſordidam uitam, & ab omni ingenuitate alienam oſtendere uellet, ſic ait; extructa menſa non conchylijs aut piſcibus, ſed multa carne ſubrancida. ſerui ſordidati miniſtrant, nonnulli etiam ſenes, idem coquus, idem atrienſis, piſtor domi nullus, nulla cella, panis & uinum à propolá, atque de pupa. pro Milone, cum audaciam P. Clodij, & contemptionem legum oſtendere uellet, ſic ait: palam agere cœpit, & apertè dicere occidendum Milonem. ſed huius generis infinita ſunt apud Ciceronem exempla.

Sunt etiam morata, quæ, non tanquam cogitata dicuntur, ut huius temporis oratores faciunt, ſed tanquam ex uolũtate, atque conſilio. ut; Ego quidem hoc ſemper uolui, & quamuis mihi non eſſet utile, tamen honeſtius eſſe conſtitui. TEXT.

Duobus modis rem aliquam narrari poſſe oſtẽdit, hoc eſt, primo ἀπὸ διανοίας, quod ex præmeditatione latinè dici poteſt, cum res cogitatæ, & meditatæ, & domo allatæ narrantur, & accuratè explicantur. quod narrationis genus ad mores exprimendos minime accommodatum eſt, ideo notat Ariſtoteles ſui temporis Oratores, quod eo tantum uterentur, & ſemper tanquam res cogitatas dicerent, deinde ἀπὸ προαιρέσεως idest, ex uoluntate atque conſilio, cum ſimplicius res exponitur, & mens atque conſilium facti explicatur, quæ narratio præcipue morata eſt. hoc igitur eſt, quod docet Ariſtoteles, morata eſſe, quæ, non tanquam cogitata dicuntur, ſed tanquam ex uoluntate, atq; cõſilio. quod exemplo maximè appoſito declarat. Ego quidem hoc ſemper uolui, & quamuis mihi non eſſet utile, tamen honeſtius eſſe cõſtitui. hæc enim narratio probi hominis mores indicat, qui utilitati honeſtatem anteponat. Sic igitur ex conſilio & uoluntate plerunque uel boni mores, uel improbi exprimuntur. boni, ut pro Roſcio Am. Cicero; hic cum omni tempore nobilitatis fautor fuiſſet, tum hoc tumultu proximo, cum omnium nobilium dignitas, & ſalus in diſcrimen ueniret, præter cæteros in ea uicinitate eam partem cauſamq; opera, ſtudio, auctoritate defendit: etenim rectum putabat, pro eorum honeſtate ſe pugnare, propter quos ipſe honeſtisſimus inter ſuos numerabatur. mali atque improbi, ut pro Milone de P. Clodio; Subito reliquit annum ſuum, ſeque in annum proximum tranſtulit, nõ religione aliqua, ſed ut haberet, quod ipſe dicebat ad præturam gerendam, hoc eſt ad euertendam Remp. plenum annum atque integrum. COMM.

Illud quidem prudentis eſt, at hoc probi uiri. prudentis enim eſt, id ſequi quod utile ſit, probi uero, quod honeſtum. TEXT.

Ex uulgari opinione, differentiam inter prudentem & probum uirum ſtatuit, quamuis re uera nemo prudens eſſe poſſit, niſi idem ſit etiam probus. COMM.

probus. Sed cum de oratione populari uerba faciat, neceſſe eſt ut etiam interdum populariter loquatur. uulgo enim prudentes atque etiam ſapientes eos uocamus, qui res ſuas utiliter agunt, & diuitias augent, atque commodis ſuis ſtudent. probos aũt eos dicimus, & pios ac religioſos, qui ut honeſtatem ſequantur, quod utile eſt negligunt, ac pro nihilo putant. ſed cum orationi mores affingere uolumus, non ex præmeditatione utilitatis & commodi, quod prudentis eſt hominis, narrare debemus, ſed ex uolutate & delectu honeſtatis, quod probi uiri proprium eſt. prudentis enim (inquit) eſt, id ſequi, quod utile ſit, probi uero quod honeſtum. rectè autem moratam orationem, non utilitatis habita ratio, ſed honeſtatis inita conſilia facere ſolent.

TEXT. *Quod ſi res incredibilis fuerit, tunc illi cauſam adiungere oportet, quemadmodum Sophocles exemplo nobis eſt in Antigona, quæ dicit, ſe magis fratrem curare, quam maritum, aut filios, nam hos etiam ſi perdiderit, ſe poſſe recuperare;*

Vtriſque uerò mortuis parentibus,
Non frater ullus exoriri unquam poteſt.

COMM. Res interdum narrantur, quæ parum ſunt ueriſimiles, tunc igitur cauſam explicare oportet, alioquin eſſet narratio uitioſa, niſi ueriſimilis eſſet. cauſa uero atque ratio adiuncta, ſæpe quod antea uidebatur incredibile, ſtatim, ut credatur efficit. quod exemplo Sophoclis probat Ariſtoteles, qui in Tragœdia, quæ Antigona inſcribitur, ipſam Antigonam inducit, dicentem, ſe magis curare fratrem ſuum, quam maritum, aut filios. quod eius dictum cum incredibile uideretur, quia omnes fere mulieres maritum & filios fratribus anteponunt, cauſam illam probabilem addidit; nam ſi (inquit) maritum aut filios amiſero, non erit mihi difficile alium maritum, atque alios filios recuperare. cum autem uterque parẽns mortuus ſit, nullo modo fieri poteſt, ut alius mihi frater exoriatur. Sumpſit autem hoc Sophocles ex hiſtoria, nam Herodotus in Thalia narrat, Intaphernis uxorem hanc rationem attuliſſe Dario regi, cum is admiraretur, quòd ea mulier, fratris uitam mariti atque filiorum uitæ prępoſuiſſet. Cicero in Diuinatione contra Verrem, cum rem propè incredibilem dixiſſet, illam accuſationem ſuam, eſſe defenſionem, ſtatim cauſa addita probat; Quo in negocio (inquit) tamen illa me res iudices conſolatur, quod hæc, quæ uidetur eſſe accuſatio mea, non potius accuſatio, quam defenſio eſt exiſtimanda, defendo enim multos mortales, multas ciuitates, prouinciam Siciliam totam; quamobrem ſi mihi unus eſt accuſandus, propemodum manere in inſtituto meo uideor, & non omnino à defendendis hominibus ſubleuandiſque diſcedere. his enim uerbis mores ſuos oſtendit, potius ad ſalutem multorum, quam ad perniciem unius eſſe inclinatos.

Si uero cauſam nullam afferre poteris, dic te non ignorare, quæ dicis, incredibilia uideri; ſed tamen tuam eſſe naturam eiuſmodi. neque enim creditur, aliquem ſuà ſponte facere id, quod utile non eſt. TEXT.

Si rem (inquit) dixeris uulgo incredibilem, neque ullam cauſam habeas, quam ad probationem afferas. poteris ad eam orationem confugere; te præclarè intelligere, quæ dicis, incredibilia uideri, ſed tamen eſſe uerisſima quoniam natura tua ſit eiuſmodi. pauci enim ſunt qui credere uelint, aliquem eſſe, qui ſua ſponte utilitatem contemnat, & res inutiles aggrediatur, etiam ſi ſint honeſtisſimæ. ſic eſt uulgus ex ueritate pauca, ex opinione multa æſtimat. plurimi tamen ſunt egregij uiri, qui pro honeſtate atque dignitate, nõ modo utilitatem atque emolumẽta contemnant, ſed etiam uitam ipſam profundere non dubitent. hos in Partitionibus, Cicero uocat, humanos, atque expolitos, qui rebus omnibus dignitatem anteponunt. pro lege Man. ita Pompeium Cicero laudat, ut dicat eum, temperantia ſua, quod antea uideretur incredibile, feciſſe, ut crederetur. nunc (inquit) denique incipiunt credere, fuiſſe homines Romanos hac quondam abſtinentia, quod iam nationibus cæteris incredibile ac falſo memoriæ proditum uidebatur. talis eſt enim ſumma uirtus (quod ait Iſocrates) ut quæ incredibilia uidentur, facile perficiat. COMM.

Debent etiam in narratione poni, quæ mouere animum poſſint, ut ſi conſequentia narrentur, aut quæ nota ſunt iis, qui audiunt: Et quæ priuatum uel ſibi uel aduerſario propria ſunt. Ille uero diſcedens ad me frequenter oculos conuertebat. TEXT.

In narratione prodeſt interdum animos audiẽtium commouere. quamobrem debet orator ea pónere in narratione, quæ mouere animos posſint, ut ſi conſequentia narret, uel quæ nota ſunt auditoribus. ut Cicero tertia in Verrem actione narrat admodum flebiliter caſum Philodami atque eius filij, quem conſecuti fuerant propter defenſam à Verre pudicitiam Virginis; conſtituitur (inquit) in foro Laodicẽæ ſpectaculum acerbum & miſerum, & graue toti Aſiæ prouinciæ, grandis natu parens adductus ad ſupplicium; ex altera parte filius, ille quod pudicitiam liberorum, hic quod uitam patris, famamq́ue ſororis defenderet. flebat uterque nõ de ſuo ſupplicio, ſed pater de filij morte, de patris filius. quid lachrymarum ipſum Neronem putatis profudiſſe? quem luctum & gemitum Lampſacenorum? & quæ ſequuntur. hæc enim cõſequentia maxime animos mouent; mouẽt etiam quæ nota ſunt, ut pro Milone; Quod ſi ita putaſſet, certè optabilius Miloni fuit, dare iugulum P. Clodio, non ſemel ab illo, neque tum primum petitum, quam iugulari à uobis, quia ſe illi non iugulandum tradidiſſet. mouent præterea, quæ ſibi uel aduerſario propria ſunt; ut ſi ita dicat orator; Ille uero diſcedens ad me frequenter oculos conuertebat. COMM.

uertebat. hoc enim eius animum, qui diſcedit perturbatum indicat. nam frequenter ad aliquem reſpectare, uel indignationis cuiuſdam uel mœroris indicium eſt. ita Cicero de Catilina; & retorquet oculos profectò ſæpe ad hanc urbem, quam ex ſuis faucibus ereptam eſſe luget. Pro Roſcio Am. Cicero ſeruat hoc diligentisſimè, ut cum per turbatione animi narret, quæ ſibi hoc eſt reo, quē defendit, & quæ aduerſariis priuatim euenerunt. hunc (inquit) miſerum, luctu perditum, qui nondum etiam paterno funeri iuſta ſoluiſſet, nudum eijcit domo, atque focis patriis, Diiſque penatibus præcipitem iudices exturbat, ipſæ amplisſimę pecuniæ ſit dominus. & reliqua. Quintilianus libro quarto multa diſputat contra eos, qui in narratione non putant eſſe utendum affectibus. & probat utilisſimnm eſſe cum iudicem docemus eundem etiam mouere, quod à Cicerone ſæpe fieri ſolitum oſtendit. ut hoc præceptum Ariſtotelis & à Cicerone & à Quintiliano uehementer comprobetur.

TEXT. *Et quod de Cratylo dixit Aſchines, eum exibilare, & manibus explodere. hæc enim fidem faciunt. propterea quod ea, quæ nota ſunt, eorum ſunt indicia, quæ ipſi neſciunt.*

COMM. Aeſchines ut oſtenderet Cratyli inſolentiam & petulantiam dixit eum exibilare & manibus explodere. ſic enim plerunque faciunt, qui aduerſarios irrident, & eorum dicta non probant, quod tamen intemperantis potius eſt, quam modeſti hominis, grauis enim uir & modeſtus neminem exibilat, neminem manibus explodit. hæc autem ſigna (inquit Ariſtoteles) fidem faciunt, quoniam nota ſunt, & indicant ea, quæ iudices neſciunt. nam ſciunt quidem iudices, hæc intemperantis hominis ſigna eſſe, uerum Cratylum intemperantem eſſe neſciunt, qui deinde per hæc ſigna talis eſſe demonſtratur. Cicero ſeptima in Verrem actione, ut Verris immanem naturam oſtenderet, ſic ait; Ipſe inflammatus ſcelere & furore, in forum uenit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas eminebat.

TEXT. *Plurima uero huiuſmodi licet ab Homero ſumere;*

Aſt anus ad faciem palmas utraſque tetendit.

Nam qui lugere incipiunt oculos manu tangere ſolent.

COMM. Sæpisſimè Homerus ex notis quibuſdam & ſignis motus animorum indicat, itaque plurima huiuſmodi exempla poſſumus ab eo ſumere, ut Odyſſeæ libro decimo nono, ubi Euryclea nutrix Vlyſsis inducitur, quæ cum eius pedes eſſet lauatura, quem Penelope ſimilem Vlyſsis eſſe dixerat, heri ſui memoria commota, utraque manu oculos operuit, & lugere cœpit, quam rem ut oſtenderet Homerus, ita cecinit;

Aſt anus ad faciem palmas utraſque tetendit.

Hoc enim ſignum fuit anum illam lachrymare uelle. nam hoc ferè fit, ut qui lugere incipiūt, oculos manibus operiant.

TEXT. *Statim uero teipſum inſinua, probumque uirum oſtende, contra preme aduerſarium ut deinceps in tota oratione te, atque illum talem exiſtimeus: ſed occultè hoc facito.*

COMM. Præceptum hoc eſt utilisſimnm ad mores orationi affingendos, quod ubique diligentisſime ſeruatur à Cicerone, ut initio narrationis ſtatim ſe orator inſinuet, & ſeipſum, uel eum, quem defendit, probum eſſe uirum oſtendat, aduerſarium autem deprimat, & improbum eſſe demonſtret, ſic enim iudices hac opinione concepta, in tota deinceps oratione tales eſſe exiſtimabunt. uerū omni diligentia utendum eſt, ut hoc fiat occultè, ne artificium appareat, uerum eſt enim quod ait Ouidius;

Si latet ars prodeſt, affert deprenſa pudorem.

Cicero cum alijs in orationibus tum maximè pro P. Seſtio, narrationis initio ſtatim laudes P. Seſtii multis uerbis prædicat, & optimum ſemper fuiſſe uirum oſtendit, deinde paulatim accedit ad aduerſarios, & magnam narrationis partem in P. Clodij, & duorum conſulum Piſonis & Gabinii ſceleribus agitandis conſumit, atque hoc ſumma quadam arte efficit, ut P. Seſtius, quem defendebat, iudicibus probaretur, atque ita facilius abſolueretur.

TEXT. *Quod autem hoc facile fit, licet ex eis intelligere, qui nobis aliquid annunciant: quamuis enim de ea re nihil antea ſciuerimus, tamen ſtatim quandam opinionem concipimus.*

COMM. A ſimili probat, non eſſe difficile facere, ut auditores & iudices bonam de nobis opinionem concipiant, & malam de aduerſariis. cum enim nobis aliquid nunciatur, quamuis de illa re nihil antea audiuerimus, tamen quandam ſtatim opinionem concipimus, ut, uel eſſe ueram exiſtimemus, uel falſam, prout uerisſimiliter nunciata nobis fuerit, aut contra uerisſimilitudinem.

TEXT. *Multis autem in locis narrare opus eſt, & aliquando non eſt in principio narrandum.*

COMM. In oratione iudiciali nonnunquam accidit, ut multis in locis narrare oporteat. atque hoc in accuſationibus præcipue. nam tot narrationes eſſe poſſunt, quot crimina ſunt, quæ reo obijciuntur. hoc autem licet apud Ciceronem uidere in Actionibus contra Verrem, quam frequentes narrationes inſtituat. quod in defenſionibus etiam aliquando fit cum id cauſa poſtulare uidetur, & ſæpius narretur. nihil enim bene confirmari, aut refelli poteſt, niſi prius expoſitum atque intellectum fuerit. itaque narrationem dicunt eſſe cōfirmationis propoſitionem. Sæpe etiam accidit, ut poſt exordium non ſtatim narrādū ſit, ut ꝑ Milone Cicero fecit. qui poſt exordium tria prejudicia prius refellit,

fellit, quam ad narrationem accedat, ita etiam pro L. Murena, prius obiecta diluit, deinde narrationem inſtituit.

TEXT. *In deliberatione narratio locum non habet, quoniā de rebus futuris nemo narrat: ſed ſi ulla narratio fuerit de præteritis, erit, ut in memoriam ea reducentes, de futuris melius conſultent. ſed quæ præterita ſunt, uel uituperant, uel laudant. itaque tunc deliberantis munus non exequuntur.*

COMM. In deliberatiuo genere non eſt opus narratione: quia deliberatio eſt de futuris, narratio uero de præteritis. nemo enim de futuris narrare poteſt, niſi ſi forte uates in prædicendo, quæ futura ſunt: quod ſi in deliberatione forte aliqua narratio de præteritis fuerit, illa non alia de cauſa adhibebitur, niſi ut in memoriam reducentes melius de futuris conſulere poſſint: at uero quæ præterita ſunt, uel laudare, uel uituperare ſolent oratores; quo fit, ut tunc deliberantium officio non fungantur.

TEXT. *Quod ſi fuerit incredibile, quod narras, debes polliceri, te ſtatim cauſam allaturum, uel eorum arbitrio rem commiſſurum, quorum ipſi uoluerint.*

COMM. Narramus interdum ea, quæ uidentur incredibilia. quare tunc polliceri debemus, nos cauſam allaturos, uel ipſos audientes iudices futuros cum bene rem intellexerint, uel nos eorum arbitrio rē commiſſuros, quorum ipſi iudices uoluerint. Cicero pro A. Cluentio cum eſſet narraturus quemadmodum Saſſia Cluentii mater filio ſuo perniciem ſtrueret, & illi mortem inferre concupiſceret, quia ſciebat rem incredibilem ſe narrare, quod mater filio mortem machinaretur, ideo multis rationibus conatur eam narrationem efficere ueriſimilem; ſic enim ait primo; nam Saſſia mater huius Habiti, mater enim à me nominis cauſa, tametſi in hunc hoſtili odio, & crudelitate eſt, mater inquam appellabitur. neque unquam illa ita de ſuo ſcelere & immanitate audiet, ut naturæ nomen amittat, & reliqua. deinde ita pollicetur ſe cauſam declaraturum; Initium quod huic cum matre fuerit ſimultatis audiuiſtis, pertinuiſſe hoc ad cauſam tunc, cū reliqua cognoueritis intelligetis. nam illud me nō præterit, cuiuſmodicunque mater ſit, tamen in iudicio filii, de turpitudine parentis dici uix oportere. & quæ ſequuntur.

TEXT. *Vt Iocaſta in Oedipode Carcini ſemper pollicetur cum eam interrogaret is, qui filium quærebat; & Aemon apud Sophoclem.*

COMM. Duos locos indicat, in quibus id obſeruatur, quod ipſe præcipit, alterum ex Carcini poetæ Tragœdia, quæ Oedipus inſcribebatur, ſumptum, alterū ex Antigona Sophoclis. nā in Oedipode Carcini Iocaſta; quæ mater & uxor Oedipodis fuit ſemp pollicetur, cum ipſam percunctaretur quidam qui filium quærebat, quid autem, aut quomodo Iocaſta polliceatur, cum eam Tragœdiam non habeamus, ſcire nullo modo poſſumus. de Carcino uerò poeta Tragico dictum alibi eſt, & Gyraldus amicus noſter de poetarum Hiſtoria Dialogo ſeptimo de hoc eodem Carcino multa tractat. at uerò apud Sophoclem in Antigona Creōtis, filius Aemon cum Antigonæ ſponſæ ſuæ uitam contra patris uoluntatem omni ſtudio tueretur, pollicetur tamen ſe in patris poteſtate futurum, & quicquid ille uoluerit, ſe libenter facturum, cum tamen longe aliter animo deſtinaſſet. ita Cicero pro Milone pollicetur ſe demonſtraturum luce clarius, inſidias Miloni à Clodio factas. Idem de lege Agraria contra Rullum; omni hoc uobis ratione confirmare poſſum Quirites, hoc animo me ad legendam legem, cognoſcendamque ueniſſe, ut, ſi eam nobis accommodatam atque utilem eſſe intelligerem, auctor eius atque adiutor eſſem.

Probationes autem demonſtrandi uim habere debent. & quoniam quadripartito quæſtiones diſtributæ ſunt, ea demonſtrare & concludere oportet, de quibus cum aduerſario controuerſia eſt. ut ſi de facto dubitatur, hoc in iudicio, maxime erit argumentis confirmandum. **TEXT.**

Poſtquam de narratione ſatis dixit, nunc ad probationem tranſit; quam ait talem eſſe debere, ut demonſtrandi uim habeat, quo facilius fidem facere poſſit: erit autem eiuſmodi, ſi diligenter ea demonſtrentur & concludantur; de quibus eſt cōtrouerſia & quæ cum aduerſariis nullo modo conueniunt. ſunt autem quatuor præcipuæ quæſtiones de quibus in iudicio contenditur, quæ ſupra etiam hoc eodem libro poſitæ ſunt, prima eſt de facto, utrum factum ſit necne, altera eſt de facti qualitate, utrum iuſtè factum ſit, an iniuſtè, tertia eſt de nomine facti, utrum damnum datum ſit necne, quarta eſt de quantitate, utrum magnum an paruum ſit. ergo debet orator aduertere, quæ ſit præcipua cauſæ quæſtio, quam Græci [illegible], ideſt ſtatum poſt Ariſtotelem appellarunt, Latini conſtitutionem, quoniam ex ea pendet [illegible], quam nos iudicationem uocamus. Si igitur de facto controuerſia eſt, coniecturalis uocatur conſtitutio, quia coniecturis, probandum eſt id, quod negatur, aut refellendum, quod aſſeritur. ergo in iudicijs tunc oportet maximè id confirmare, nempe factum eſſe, aut non factum. ineptus.n. haberetur, qui crimen amplificaret atque exaggeraret, priuſquam factum eſſe oſtendiſſet. ut ſi clamaret, impium, ſceleſtum, crudele facinus eſſe, quod ab aduerſario factum negatur. ipſe quidem defenſor hoc interdum artificioſè facit, ut crimen augeat, à quo deinde ſe alienum probet, ut pro Roſcio Am. Cicero; Occidiſſe patrē Sex. Roſcius arguitur; ſceleſtum Dii immortales ac nefarium facinus, poſtea uero totus eſt in eo occupatus, ut oſtendat, non eſſe factum. **COMM.**

Quod ſi te non læſiſſe dicas, hoc probare debes, aut ſi dicas, non eſſe tam magnum aut iuſte factum. nō enim hæc aliter confirmanda ſunt, quam ſi fuerit de facto controuerſia. **TEXT.**

Quomodo coniectura tractat, ſic etiā cæteræ quæſtiones, ut **COMM.**

.ſ. ea diligentiſsime probentur, quæ in controuerſiam ueniunt,ut ſi dicat reus ſe detrimentum nullũ attuliſſe,uel quod factum eſt,non eſſe illo nõie uocandum quo cenſet accuſator, debet omnes argumentationes ſuas ad hanc rem probandam dirigere,ita ſi de quantitate facti ſit controuerſia, qđ non tã magnum dicat reus eſſe, quam aduerſarius obijcit,aut de qualitate cum ſe iuſte feciſſe defendit,non aliter hæc tractanda erunt, quam in coniectura.præceptum igitur Ariſtotelis eo pertinet,ut ne à cauſa digrediamur,priuſquam ea bene confirmauerimus quæ in controuerſiam ueniunt. quoniam Enthymemata(ſicut dictum eſt in primo libro)ſunt corpus fidei faciendæ, reliqua uero ſunt additamenta.

TEXT. *Illud uero ſciendum eſt,in hac ſola de facto controuerſia neceſſarium eſſe,ut alter litigantium improbus ſit,neque enim ignorantia controuerſia cauſa eſt: ut, ſi quidam inter ſe de æquo iuſtoque contenderent,quapropter in hoc diu commorandum eſt,in alijs uerò minimè.*

COMM. Cum ſint quatuor controuerſiarum genera,fieri poteſt,ut in tribus eorum, neque accuſator neque reus ſit improbus,ſed errore aliquo uterq; ducatur,& contrarium exiſtimet.ut ſi accuſator ſe læſum fuiſſe dicat, & ita uerum eſſe opinetur, reus cõtra,nullum ſe damnum dediſſe affirmet, ſic opinatus,non aliqua malitia ductus. eodem modo,ſi dicat accuſator iniuſtè factum, & reus iuſtè factũ defendat, poteſt uterque ſine improbitate hoc facere,cum errore ducitur. denique etiam in magnitudine & paruitate criminis error eſſe põt,quod alter magnum eſſe peccatũ alter paruum opinetur, ſed in ea controuerſia,quæ de facto eſt,ſemper neceſſarium eſt,ut,uel accuſator, uel reus ſit improbus, quoniam ignorantia non poteſt eſſe controuerſiæ cã,ſicut i reliquis generibus,ut cũ de æquo iuſtoque contenditur,quia pauci, quæ uerè iuſta ſunt,intelligunt.quamobrem cum in hoc controuerſiæ genere præter damnum etiam de exiſtimatione atque honore controuerſia ſit, opus eſt in eo diu commorari,& omnia conari,ut in aduerſarium crimen reiiciatur,uel omnino depellatur. ne qua improbitatis ſuſpicio inhæreat.ut pro Roſcio Am.Cicero,cum Roſciũ parricidii accuſatum defendat,ipſum eſſe innocentiſſimum pluribus argumentis probat, crimen autem in aduerſarios reijcit, & oſtendit ab eis fuiſſe interfectum, quem interfectum à filio Roſcio criminabantur.

TEXT. *In exornationibus ea cura eſſe debet, ut amplificando probetur,quæ facta ſunt, honeſta atque utilia eſſe.nam ea credi opus eſt: ſiquidem raro probationẽ requirunt,niſi forte uel incredibilia ſint, uel aliquis alius eorum auctor exiſtimetur.*

COMM. In demonſtratiuo genere non opus eſt argumentatio.quia res geſtæ ſic exponuntur, quaſi iã ab omnibus credantur.itaque debet Orator in eo, plurimum occupari, ut oſtendat eas, honeſtas & utiles eſſe.raro autem accidit, ut probationis indigeant.niſi quando uel prorſus incredibilia eſſe uidentur,uel non ab eo geſta,quem laudamus. tunc enim argumentis probare oportet,uera eſſe, quæ dicuntur,& ab eo geſta,qui laudatur.Cic. in partitionibus ita ſcribit; Conficitur aũt hoc genus dictionis, narrandis exponendiſque factis ſine ullis argumẽtationibus,ad animi motus leniter tractãdos magis quam ad fidem faciendam aut confirmandam accommodatè. non.n.dubia firmantur, ſed ea,quæ certa ſunt,aut pro certis poſita augentur.exempla ſunt aperta pro Lege Man.ubi Cicero Pompeium exornat,& amplificatione plurimũ utitur.ut cum ait;Iam uero uirtuti Cn. Pompeij quæ poteſt par oratio inueniri?quid eſt quod quiſquam aut dignum illo,aut uobis nouum, aut cuiquam inauditum poſſit afferre?pro M. Marcello Cæſaris clementiam ſic amplificat,ut cæteris eius laudibus omnibus anteponat,& eam ſolam ipſius propriam eſſe uelit.deinde argumentatur in re incredibili,ut probet,ipſam uictoriam à Cæſare fuiſſe deuictam.

TEXT. *In deliberationibus autem, uel non futura ea, de quibus deliberant,aliquis ambigere poteſt, uel futura quidem,ſed non iuſta,non utilia,non tam magna.*

COMM. Qõnes in deliberatiuo genere tot ferè ſunt, quot in iudiciali.poteſt.n.eſſe dubitatio,utrum ea de quibus deliberant,futura ſint nec ne, utrum iuſta,utrum utilia,utrum magna.ergo diſſuaſor primo dicet,ea non futura, hoc eſt non effici poſſe, nam ſi hoc probatum fuerit,ſtatim tollitur omnis deliberatio.deinde ſi hoc probare non potuerit,accedet ad alia,ut doceat,uel non eſſe iuſta, uel non utilia,uel non tam magna,ut à ſuaſore dictũ fuit, Cicero ſic ait in Partitionibus; Itaque cum conſtet hoc genus cauſarum ex ſuaſione, & diſſuaſione,ſuaſori proponitur ſimplex ratio,ſi & utile eſt, & fieri poteſt,fiat,diſſuaſori duplex,una ſi nõ utile eſt,ne fiat,altera ſi fieri non poteſt,nec ſuſcipiatur. Videtur ergo Cicero ſub utili comprehendere etiam iuſtum & magnum. pro Lege Man.Cic. diligenter hæc omnia perſequitur,cum bellum cõtra Mithridatem ſuadeat. docet enim bellum eſſe iuſtiſſimum, contra illum, qui multos ciues Romanos trucidauerat,eſſe utiliſſimum, ut uectigalia populi R. recuperarentur,eſſe maximum,quòd a duobus potentiſſimum regibus inferretur Mithridate,& Tigrane,facile confici poſſe,præſertim à Pompeio ſummo Imperatore. Contra uero duodecima Philippica pacem fieri cum Antonio diſſuadet, quod cum eo nulla poſſit eſſe pax. quod non iuſta,quod non utilis.

TEXT. *Aduertendum eſt etiam an aliquid falſi dixerit, quamuis extra cauſam.nam hæc aliorum indicia uidẽtur eſſe,nempe eum mentiri.*

COMM. Nihil æque fidẽ adimit ei,q. ſñiam dicit, quã ſi probetur,eũ falſa dicere ſolitũ.mendax.n.illud aſſequitur,ut ẽt quando uera dicit, nemo illi fidem habeat.ergo ſiquid falſũ dixerit aduerſarius, quis

extra

extra cauſam, illud tamen quaſi indicium erit, quo probare posſimus, eum etiam in præſentia mentiri aut inutile conſilium dare. hac ratione Cicero pro Lege Man. Q. Hortenſio, & Q. Catulo fidem ad quod alio ẽt tempore Quiritibus ea ſuadere conatus fuiſſet, quæ non uera, non utilia, non iuſta erant. & in Philippicis multis in locis Fuſium Calenum reprehendit.

TEXT. *At ex probationibus exempla ſunt deliberatiuo generi accommodatiſſima: enthymemata uero magis iudicialı conueniunt. nam deliberatio eſt de futuro: quare ex rebus iam factis exempla ad probandum ducere oportet: iudicium autem eſt de ijs, quæ ſunt, aut non ſunt, in quibus magis eſt demonſtratio & neceſſitas; quod enim præteritum eſt, in ſe neceſſitatem habet.*

COMM. Cum duobus probandi generibus Orator utatur, hoc eſt, exemplo & enthymemate, ut in 1. lib. declaratum fuit, quoties de aliqua re deliberatur multis exemplis uti eſt utilisſimum, ſunt. n. (inquit) exempla deliberatiuo generi quam accõmodatisſima. cuius rei rõnem ſubiungit, quia deliberatio eſt de ſuturo, exempla uero iam præterita, itaque ex rebus ſactis ſacile coniecturam de futuris facere poſſumus. hac ratione Cic. pro Lege Man. cum uult Quirites ad bellum contra Mithridatem ſuſcipiendum impellere, commemorat exempla maiorum qui pp ſocios multa bella geſſerunt, atque ita colligit; quare ſi pp ſocios nulla ipſi iniuria laceſſiti maiores ueſtri cum Antiocho, cũ Aetolis, cum Pœnis bella geſſerunt, quanto uos ſtudio conuenit iniurijs prouocatos ſociorum ſalutẽ una cum imperij ueſtri dignitate defendere? quoties aũt in iudicio contenditur, tunc argumentationes atque enthymemata magis proſunt. nã in iudicio plerunque de facto quæritur, utrũ factum ſit nec ne. aut etiam de nomine, & qualitate ſacti, ſicut iam dictum eſt. quo fit ut in iudicio poſſit eẽ uera demonſtratio & necesſitas. nam quod iam factum eſt ac præteritum, necesſitatem habet, neq; ullo mõ infectum eſſe poteſt. quod autem factum eſt, certis indiciis demonſtrari põt. quare enthymemata judicijs maximè ſunt accommodata.

TEXT. *Non oportet autem continuare enthymemata, ſed cum alijs permiſcere, alioqui ſe uiciſſim infringunt. nã eſt etiam modus in numero, ut;*

Care mihi, poſtquam tot tantum es uerba locutus
Quot ſolet effari prudens, —
Non enim dixit talia.

COMM. Enthymemata continuata ſpinoſam & exilem, & moleſtam orationem reddunt. itaque præcipit Ariſtoteles ne cõtinuentur aut inculcentur in oratione, ſed certo quodam modo & ordine cum alijs probationibus miſceantur, alioqui ſibi uicisſim impedimento ſunt, & ſe uicisſim infringunt, quoniam auditorum ingenia obruũt, qui ferè ſunt imperiti, neque ſubtiliores diſputationes percipere poſſunt. quocirca Demoſthenes etiam initio reprehenſione non caruit, quòd eius enthymemata lucernam olere dicerentur. quòd nimis frequẽter eis uteretur. nam (inquit Ariſtoteles) etiam in numero modus eſſe debet, quod Homeri teſtimonio probat, apud quem Menelaus quarto Odyſſeæ libro Piſiſtratum Neſtoris filium laudat, ab orationis prudentia & mediocritate, cum ita inquit;

Care mihi, poſtquam tot tantum es uerba locutus
Quot ſolet effari prudens.

Non enim (ait Ariſtoteles) dixit talia, ſed tot: Vt oſtenderet non eſſe tranſgrediendum modum in multitudine orationis, neque argumenta eſſe inculcanda. ſed tantum ea adhibenda quæ ad probationem ſufficiant, permixtis ſemper oratorijs ornamentis, ut ne ſpinoſa contentione audientium animi offendantur.

TEXT. *Neque res omnes argumentis confirmandæ ſunt: alioquin idem efficies, quod nonnulli faciunt philoſophi; qui ſyllogiſmos adhibent ad ea, quæ notiora ſunt ac certiora, quam ea, quæ ſumunt.*

COMM. Multa ſunt tam aperta & perſpicua, ut probatione non indigeant. itaque ineptè faciunt, qui conantur argumentis ea confirmare, ut quidam philoſophi ſolent de ijs rebus ratiocinari, & ſyllogiſmos conficere, quæ notiores ſunt eis, quæ probandi gratia ſumunt. de hac re ſic ait Quint. lib. 5. capite de uſu argumentorum, In rebus uerò apertis argumentari tam ſit ſtultum, quam in clariſsimum ſolem mortale lumen inferre.

TEXT. *Et cum animos commouere uis, ne argumento utaris. nam tunc argumẽtum uel commotionem extrudet, uel fruſtra proferetur commotiones. n. animi ſe uiciſſim expellunt, nec ſimul eſſe poſſunt, ſed aut euaneſcunt, aut imbecilliores redduntur.*

COMM. Vtilisſima quædam pręcepta tradit de uſu argumentorum ne fortaſſe illis intempeſtiuè utamur; cum. n. amplificatione uti uolumus ad concitandos animos, tunc argumentis ſuperſedendum eſt. nam eo tempore uel argumenta non patientur animos commoueri, uel inania erunt, fruſtraq; proferentur. Siquidem argumenta uim habent cõmouendi & fidem faciendi, commotiones autem plures ſimul eſſe non poſſunt, ſed ſe uicisſim expellunt. itaque cum quis ſimul argumentatur, & animos quærit commouere, tunc tota oratio uel inanis efficitur, uel languidior & imbecillior redditur. hoc præceptum breuiter & eleganter in partitionibus ita ponit Cic. Nec quicquam in amplificatione nimis enucleandum eſt. minuta eſt. n. omnis diligentia. hic autem locus grandia requirit. hoc autem ex perorationibus Ciceronis intelligi poteſt, ubi cum animos commouere & perturbare contendat, non occupatur in argumentis, quemadmodum in confirmationibus ſolet. nam argumenta ut intelligantur, ſedatum & quietum animum requirunt, non autem concitatum ac perturbatum.

TEXT. *Neque cum mores exprimere oratione uolumus, oportet ſimul argumenta quærere, nam demonſtratio neque mores, neque electionem exprimit.*

In illa ẽẽ orõne, q̃ ad mores exprimẽdos adhiberi ſolet, relinquenda ſunt argumẽta, & exquiſitor probandi diligentia. nam enthymema ſiue argumentum eſt demonſtratio rhetorica, ſed demonſtratio, neque mores indicat, neque iudicium mẽtis aut electionem exprimit. itaque non eſt apta ad orationem moratam efficiendam. ex hoc igitur loco colligere poſſumus neque in exordio neque in peroratione eſſe argumentis utendum, quoniam exordium plerunque ad mores exprimendos, peroratio ad commouendos animos accommodatur.

TEXT. *Sententijs autem utendum eſt, & in narratione, & in confirmatione. nam ad mores exprimendos ualent: ut, Ego uero pecuniam ei credidi, quamuis ſcirẽ nemini, fidem habendam eſſe. quod ſi uehementius, & cum animi motu; Neque tamen me pœnitet, quamuis iniuriam ac detrimentum acceperim: iſti enim lucrum supereſt, mihi uerò æquitas & iuſtitia.*

COMM. Cum argumenta remouerit ab affectibus & ab oratione morata, nunc ſententias oſtẽdit utrique orationi eſſe accommodatas. ſunt autem ſentẽtiæ quaſi partes enthymematum, ut in 2. lib. dictum eſt. ergo (inquit) ſententiis uti debemus & in narrando, & in confirmando, quia moratam efficiunt orationem. ut ſiquis dicat; Ego uero pecuniam ei credidi, quamuis ſcirem nemini fidem habendã eſſe. nam hæc ſententia declarat humanitatẽ & prudentiam. humanitatem q͏̃ egenti ac petenti pecuniam crediderit. prudentiam quòd intelligeret, nemini fidem babendam eſſe, nam Epicharmus Siculus (ut ait Cicero) dicere ſolebat, neruos eſſe ſapiẽtiæ non temere credere. quod ſi (inquit) uehementius & cum animi motu uelis eandem ſententiam proferre, poteris uerba illa adiungere; Neque tamen me pœnitet, quamuis iniuriam ac detrimentum acceperim. iſti enim lucrum supereſt, mihi uero æquitas & iuſtitia. nam his uerbis concitatur indignatio contra eum, qui amicum fefellit, & creditam pecuniam reddere noluit. in orationibus Ciceronis crebræ ſunt ubique ſentẽtiæ, quæ uel mores exprimunt, uel animos concitant, ut pro Milone; Facere enim probus adoleſcens periculosè, q̃ perpeti turpiter maluit. hæc ualet ad mores exprimendos, illa uerò ad mouendos animos. inſidiatori uerò & latroni quæ poteſt afferri iniuſta nex? iam uero in eius orationis extrema parte, qua maxime conatus eſt iudicum animos ad miſericordiã concitare, frequentes ſunt ſententiæ: ut, Fortes & ſapientes uiros non tam præmia ſequi ſolere rectẽ factorum, quã ipſa rectè facta, & quæ ſequuntur, nam ibi conglobatæ ponuntur ſententiæ.

TEXT. *Eſt autem difficilius in deliberatiuo, quam in iudiciali genere uerſari; & merito, quoniam de futuro deliberatio eſt, iudicium uero de præterito, quod iam etiam ab auguribus ſciri poteſt, quemadmodum dixit Cretenſis Epimenides: is enim non de futuris diuinabat, ſed de præteritis, quæ tamen eſſent obſcura.*

Comparat deliberatiuum cum iudiciali, & ait deliberatiuum eſſe longè difficilius ad tractandũ, idque nonnullis rationibus probat. quarum illa prima eſt à tempore ſumpta, deliberatio eſt de futuro, iudicium autem de præterito. Sed futura cognoſcere multo difficilius eſt quam præterita, igitur deliberare difficilius eſt quam iudicare, & conſilium de rebus agendis dare, quam de factis ſententiam ferre. quod .n. præteritum eſt, ẽt ab auguribus ſciri poteſt, cum futura neque ipſi augures aut uates omnino ſcire ualeant, & hoc eſt (inquit) quod Epimenides Cretenſis aiebat, qui non de futuris, ſed de præteritis diuinare ſolebat, etiam ſi præterita fuiſſent obſcura. Sententia Ariſtotelis eſt, futura nõ neceſſaria ſed quæ uel fieri, uel non fieri poſſunt, quæ contingentia uocãtur, nulla ſcientia comprehendi poſſe. itaque uates & augures irridebat, qui talia ſe ſcire profiterentur. at uerò q̃ præterita ſunt, & iam facta quia neceſſaria ſunt, ideo ſciri poſſe quamuis ſint obſcura, & horum tantum eſſe diuinationem. idque probat Epimenidis Cretẽſis teſtimonio, qui non de futuris ſed de præteritis quæ obſcura eſſent, ſe tenere diuinationis ſcientiam dicebat. diſſentit ab Ariſtotele Cicero, atque alij fere ſcriptores artis, qui iudiciale genus omnium eſſe difficillimum tradunt, ut 2. de Oratore M. Antonius ait. atque ideo maius ſtudium & diligẽtiorem operam in eo ponebant, fortaſſe p̃p cauſas forenſes, quæ frequentius tractabantur, & maiorem utilitatem afferebant, quam ſuię dictio.

Quin in iudicialibus cõtrouerſiis lex eſt, tanquam fundamentum: qui uero principium habet, is facilius probationem inuenire poteſt. TEXT.

Altera rõ, qua probat deliberatiuum genus eſſe difficilius quam iudiciale, quatenus ad inuẽtionẽ pertinet. nam iudiciale genus legem habet, cuius præſidio poſſunt oratores uti, & ea tanquam fundamento atque principio fidei faciendæ uti. nam qui principium habet, is facile poterit inuenire, q̃ ad probationem attinent. in iudiciis .n. aut de facto contẽditur, & tunc coniecturis agendum eſt, aut de qualitate facti, & tunc legibus eſt utendũ, ſed tamẽ omnia iudicia lex regere ſolet, ex quo fit, ut Oratorem legum eſſe peritum oporteat, ut primo de Oratore Craſſus ait. COMM

Neque in deliberatione multæ ſunt commorationes, ut in aduerſarium, uel de ſe ipſo, uel in perturbãdis animis: hæc enim in hoc genere minimè omnium reperiuntur, niſi quis à cauſa diſceſſerit. TEXT.

Tertia ratio ab adiunctis. ſolent enim oratores in iudicijs multis uti commorationibus & digreſſionibus; uel, ut aduerſarios in odium, in contemptionem, in inuidiam trahant; uel ut a perſona ſua beneuolentiam ſibi concilient; uel ut audientium animos perturbent & concitent, aut ad iracundiam, aut ad miſericordiam, quæ omnia deliberantem deficiunt, cuius oratio debet eſſe ſimplex, & ſententiis ornatior quam uerbis, & omni perturbatione carere. quod Cæſar apud Salluſtium COMM.

luſtium

Iuſtium ita confirmat; Omnes homines. P. C. qui de rebus dubijs conſultant, ab odio, amicitia, ira atque miſericordia uacuos eſſe decet, haud facile animus uerum prouidet, ubi illa officiunt, quod ſi quando in deliberando Oratores grauius aut aduerſarios inuadunt, aut de ſe loquuntur, id præter inſtitutam cauſam faciunt, & à propoſito digrediuntur. quod tamen in Philippicis Cicero frequentisſimè facit, dum M. Antonium & eius fautores inſectatur. & in oratione de Lege Agraria contra Rullum, in qua plurimum ſeipſum commendat, & aduerſarios inuadit.

TEXT. *Quare debent hæc tantum fieri, cum alia nõ habet Orator, quæ dicat: quemadmodum Athenis oratores faciunt; atque etiam Iſocrates in deliberationibus accuſat, ut Lacedæmonios in Panegyrico, & Charetem in oratione Sociali.*

COMM. Tunc in oratione deliberatiua licet à propoſito digredi, cum ambigit Orator, ac dubitat, neque ſuccurrunt ea, quæ dicat. Vt (inquit) Athenis Oratores facere ſolent, cum in concione de Rep. diſſerunt, & inter ſe uerbis altercantur. Iſocrates ẽt Rhetor inſignis non dubitauit in deliberationibus uti accuſatione ſicut in Panegyrico, ubi Lacedæmonios acriter accuſat, & in oratione Sociali, quæ nunc de Pace inſcribitur, Charetem plurimũ inſectatur. quin ipſe Cicero ſummus Orator in omnibus concionibus ſuis & ſententiæ dictionibus, cum opus eſt, acerrimus eſt aduerſariorum accuſator, ſicut etiã copioſisſimus laudator, ut pro Lege Man. cum Pompeium ſummis in cœlum laudibus ferat, nonnullos alios imperatores grauisſimè reprehendit, quod propter auaritiam maximas calamitates ſocijs atque amicis attulerint. de Lege Agraria Rullum atque eius ſocios acriter accuſat. ita Drances apud Virgilium Aeneidos undecimo, cum ſententiam diceret, Turnum uehementer inuadit;

Cuius ob auſpicium infauſtũ moresque ſiniſtros,
Dicam equidem licet arma mihi mortemque minetur,
Lumina tot cecidiſſe ducum, totamque uidemus
Conſediſſe urbem luctu. dum Troia tentat
Caſtra fugæ fidens, & cœlum territat armis.

TEXT. *In exornationibus uero oportet laudes hinc atque inde cumulando refertam & plenam orationem reddere: quod Iſocrates facit, ſemper enim aliquid quod laudet adiungit.*

COMM. Iã ad exornationes trãſit, quæ ſæpe multis indigẽt Epiſodijs, q̃a non ſemp multa ꝓpria sũt, quæ laudentur. uocant aũt poetæ epiſodia quæ præter fabulæ ſeriẽ atque corpus introducuntur, ut, quæ de inferis tradit in 6. Virgil. aut de amore Didonis in quarto. ſic ẽt oratores dicuntur ἐπεισοδιοῦν. i. epiſodiis orationem augere, cum hinc atque inde laudes cumulant, ut cũ patriã laudãt, uel genus, uel parẽtes, uel fortunas. nã hæ nõ ſunt propriæ laudes eius, qui celebratur, cum omnis uirtutis laus in actione conſiſtat, ut ait Cic. hac arte utitur Iſocrates, qui ſemp aliquid adiungit, tanquam epiſodium quod laudet. ut in Encomio Helenæ Theſeum magnopere laudat, qui Helenam adhuc puellam rapuit. laudat ẽt pulchritudinem, qua Helena præſtabat. laudat prę̃terea Paridem, qui Helenam ad Troiam duxit. In Buſiride uero laudes regionis in qua ille regnauit, perſequitur, celebrat Nilũ & ſacerdotes ęgyptios, eorumque inſtituta, quæ Pythagoras ſibi cognoſcenda eſſe ſtatuit.

Et hoc eſt, quod Gorgias profitebatur. ſibi nunquã orationem defuturam. nam ſi Achillem laudat, Peleum celebrat, deinde Aeacum, deinde Iouem: atque eodem modo fortitudinem extollit, & hæc, aut illa facit, quod idem eſt. TEXT.

Gorgias Leontinus primus auſus eſt in cõcione profiteri ſe omnia ſcire, nihilque eſſe de quo nõ copioſe uerba facere poſſet, de quo Cic. 3. de Oratore. hac igitur rõne (inquit Ariſtoteles) profitebatur ſibi nunquam orationem defuturam, q̃m plurimis epiſodijs utebatur. Vt ſi exempli gratia Achillem laudandum ſuſcepiſſet, eius ẽt patrem Peleũ laudabat, & prętereà Aeacum eiuſdem auum, denique Iouem proauum, atque ita laudes laudibus cumulabat. poſtea uero non tantum Achillem à fortitudine & rebus bellicis extollebat, ſed ẽt ipſam per ſe fortitudinem ornabat. atque eodem modo in cæteris orationibus ſuis, modo hæc, modo illa, dicendo perſequebatur, quod idẽ eſt in omnibus. hæc autem rõ copiam quidem alit, & quaſi nutrix eſt eloquentiæ, ſed tamen uidendum eſt, ne multum à propoſito digrediamur, & ne ea inculcemus, quæ non inſtitutam exornationem augere uideantur. COMM.

Quod ſi argumenta poteris inuenire, & mores exprimere, & argumentis uti, ſi te argumenta defecerint, totum te ad mores conferas; atque hoc ſanè probo homini magis congruit, ut ipſe potius bonus appareat, quam oratio exquiſita. TEXT.

In probatione nihil prætermittendum eſt eorũ quæ probandi uim habent, ſed omnia quæ ſunt in eã diligenter ſunt animaduertenda, ut ſi eã nobis argumenta ſubminiſtret eis utamur, & ꝑterea mores ẽt bonos orationi affingamus, ut hoc duplici bono ſuperiores eẽ posſimus. qđ ſi non poſſumus argumẽta reperire, debemus oẽm orõnem ad mores exprimendos conuertere. quæ ſane rõ uĩ magis homini probo conuenire, quam ſi oratione exquiſita uteretur, & argumentis coaceruata. nã argumenta plerũque ſuſpecta ſunt. boni aũt mores expresſi nullã habent fraudis ſuſpicionem. quã rẽ copioſisſimè Cic. pro Roſc. Am. diſputat. cũ enim Roſcius parricidii accuſatus fuiſſet, primo docet parricidam profligatũ & perditum hoiem eẽ oportere, cuius uita ultiis flagitiisq; oĩbus dedita ſit: deinde mores Sex. Roſcii bonos exprimit, qui ab omni flagitio penitus abhorreat, nedũm a parricidio. quare concluſit, nõ eſſe ueriſimile ab optimo filio parentem, pręſertim ſine grauisſima cauſa, fuiſſe interfectum, quæ probatio tota ferè à moribus COMM.

ribus pendet. Idem Cicero pro Roſcio Comœdo ſic eum à moribus defendit; Quæ cum ita ſint, qui ſit, qui ſocium fraudarit, & feſellerit, conſideremus. dabit enim nobis tam tacitè uita acta in alterutram partem firmum & graue teſtimonium. Quintus Roſcius. quid ais? nonne ut ignis in aquam coniectus continuo reſtinguitur, ſic referuens falſum crimen in puriſſimam & caſtiſſimam uitam collatum ſtatim concidit, & extinguitur? Roſcius ſocium fraudauit? poteſt hoc homini huic hærere peccatum? & reliqua.

TEXT. *Ex argumentis uero quæ uim habent refellendi, magis excellunt, quam quæ confirmant: quæ enim refutationem continent maiore ui concluſa eſſe planum eſt, propterea quod inter ſe collata contraria ſunt euidentiora.*

COMM. Hoc idem ferè ſupra lib. 2. dixit, ubi cum duo enthymematum genera feciſſet, quorum alterum ad confirmandum, alterum ad refellendum pertineat, dixit ea enthymemata magis excellere, quæ refellendi uim habent. cuius rei cauſa eſt, quia cũ aliquid contrarium eius, quod antea probatum, uidebatur, concludimus, longe firmior uidetur eſſe concluſio. nam tunc inter ſe contraria conferuntur, quo fit ut multo ſint apertiora & euidentiora. Vt Cicero pro Milone, cum aduerſarii ſatis probabiliter concluſiſſent, debere illum interfici, qui à ſe occiſum hominem fateatur, ſtatim hanc aduerſariorum concluſionem & exemplis & rationibus refellit; cum ita inquit; Negant intueri lucem fas eſſe ei, qui à ſe hominem occiſum eſſe fateatur; in qua tãdem urbe hoc homines ſtultiſſimi diſputant? nempe in ea quæ primum iudicium de capite uidit M. Horatij fortiſſimi uiri, qui nondum libera ciuitate, tamen populi R. comitijs liberatus eſt cum ſua manu ſororem interfectam eſſe fateretur. an eſt quiſquam qui hoc ignoret, cum de homine occiſo quæratur, aut negari ſolere omnino eſſe factum, aut rectè & iure factum eſſe defendi? & quæ ſequuntur. exultat. n. quodammodo oratio in refellendo, & maiore quadam ui fertur, ut audientes facile erigat, & ad credendum impellat.

TEXT. *Nam quæ contra aduerſarium dicuntur, nõ diuerſam habent ſpeciem, ſed ſunt è probationum numero, partim enim reſiſtendo atque occurrendo ſoluuntur, partim contra argumentando.*

COMM. Refutatio non eſt à confirmatione ſeparanda tanquam diuerſa ſpecies ſit, cum ab eiſdem locis ambæ ducantur. ut refutatio non minus probatio dici poſſit quam cõfirmatio. rationes enim aduerſariorum duobus modis ſoluere ſolemus, uel reſiſtendo atque occurrendo, quo fit cum oſtendimus eorum argumenta non eſſe conſectaria, neque firmiter concluſa, uel contra argumentando, cum nos alia multo firmiora in medium afferimus, de qua re ſupra libro ſecundo iam copioſius tractatũ eſt. nam Cicero etiam multis in locis confirmationem & refutationem ita copulat, ut ab eodem fonte promanare uelit, ut primo de Inuentione ubi de Refutatione uerba facit; Hæc (inquit) fonte inuentionis eodem utetur, quo utitur confirmatio, propterea quod quibus ex locis aliqua res confirmari poteſt, iiſdem poteſt ex locis cõfirmari. & in ſecũdo de Oratore; Namque una in cauſis quædam ratio eſt eius orationis quæ ad probandam argumentationem ualet, ea autem & confirmationem & reprehenſionem quærit, in Partitionibus ſic ait; Nempe ea ſequuntur, quæ ad faciendam fidem pertinent, ita eſt, quæ quidem in confirmationem, & in reprehenſionem diuiduntur. nam in confirmando noſtra probare uolumus, in reprehendendo redarguere contraria.

Oportet autem eum, qui uel in deliberatione, uel in iudicio prior dicit, cauſam primo ſuam confirmare, deinde illis, quæ contra dici poſſunt, occurrere, & ea diſſoluere, atque extenuare. TEXT.

Hoc præceptum commune eſt deliberatiuo generi, & iudiciali, ut cum quis priore loco cauſam dicit. Sua prius argumentis confirmet, deinde ea refellat, quæ contra dici poſſunt. quod in iudiciis facit accuſator. is enim prior dicere conſueuit. exẽpla paſſim occurrunt in accuſationibus Ciceronis contra Verrem, in quibus cum obiecta crimina cõfirmarit, tunc etiam irridet & refellit, quæ contra dici poſſunt. in deliberatione clarum eſt exemplũ pro Lege Man. poſtquam enim probauit Cicero Pompeium eſſe eligendum imperatorem contra Mithridatem, Q. Hortenſij, & Catuli ſententiam reprehendit, qui ab ea ratione diſſentiebant, & nihil noui ſtatuendum eſſe dicebant. COMM.

Sed tamen ſi multa ſunt, quæ in contrariam partem dici poſſunt, prius erunt illa refutanda: quemadmodum fecit Calliſtratus in cõcione Meſſanica, prius enim ea refutauit, quæ contra dici poterãt, deinde ſua confirmauit, TEXT.

Non eſſe perpetuum illud præceptum oſtendit. nam quandoque accidit, ut longè plura ſint, quæ ab aduerſariis in contrariam partem dici poſſint. tunc igitur (inquit Ariſtoteles) prius ea refellere debemus, quam noſtra confirmemus. quod à Calliſtrato nobili Oratore factum eſt, in oratione illa, quam de Meſſenijs habuit. prius enim omnia refutauit, quæ contra dici poterant, deinde ſuam ſententiam confirmauit. hoc apud nos Quintilianus ingenioſe atq; accurate fecit in eo capite primi libri, in quo diſſerit, Vtrum utilius domi, an in ſcholis pueri erudiantur. prius enim omnia, quæ dici poterant ab iis, qui domi utilius quam in ſcholis eruditi cenſebant, refellit, deinde ita ſubiungit; & ſi refutauimus, quæ contra dicuntur, iam explicemus, qui ipſi ſequamur, atque hoc modo ſententiam ſuam confirmat. COMM.

Quod ſiquis ſecundo loco dicat, prius ea, quæ obiecta ſunt ab aduerſario, refutare debet, uel diſſoluendo, uel contra argumentando, & præcipuè ſi illa fidem feciſſe uiſa fuerint. TEXT.

Defenſor & qui poſteriore loco dicit, cum ad probationem accedit, prius refutare debet, quæ COMM.

ſunt

ſunt ab aduerſario confirmata, uel oſtendendo illa falſa eſſe, uel firmioribus argumentis contra nitendo, quam ad confirmationem ſuorum deueniat. & tunc præſertim hoc facere debet, cum intelligit ab aduerſario fidem eſſe factam. ſicuti pro Milone facit Cicero, qui poſt exordium ſtatim tria illa præiudicia refellit, quæ Milonem maximè premere uidebantur. pro M. Cœlio dicit apertiſsimè uelle ſe prius ea refutare, quæ fuerant ab aduerſariis obiecta, ſic enim ait; Ac mihi quidem uidetur Iudices hic introitus defenſionis adoleſcentiæ M. Cœlii maximè conuenire, ut ad ea, quæ accuſatores deformandi huius cauſa, detrahendæ, ſpoliandæque dignitatis gratia dixerunt, primum reſpondeam. hoc idem pro L. Murena, & pro P. Sylla facit, & in nonnullis aliis defenſionibus, ut hoc Ariſtoteles præceptum diligentiſsimè ſeruet.

TEXT. *Sicut enim animus eum hominem non recipit, qui multis criminibus inſimulatus fuerit, eodem modo neque orationem ſi aduerſarius uerè dixiſſe uiſus fuerit. oportet igitur auditoris animum ad futuram orationem præparare, quod facile fiet, ſi contraria refutaueris.*

COMM. Similitudine probat oportere prius aduerſariorum argumenta diluere, quam noſtra confirmemus, cum perſuaſus ab aduerſariis auditor fuerit. Sicut enim accidit, ut bono animo recipere illum non poſsimus, & in amicitiam noſtram admittere, qui multorum flagitiorum infamia laboret; & de quo iam cóceptam opinionem habemus, quod ualde ſit improbus, ita neque attétè poſſumus orationem audire quoties iam ab eo, qui prior dixit, pſuaſi ſumus. Quamobrē debet Orator qui ſecundo loco dicit, id unum ſtudere, ut auditoris animū præparet ad audiendum, quod alia ratione facere non poterit, niſi falſa eſſe doceat, quæ iam ab aduerſario dicta fuerunt. nam cum iudex & auditor uidet patronum alacri animo & prompto paratū ad reſpondendum, & audit eum promittentem ſe demonſtraturum falſa illa eſſe, quæ obiecta ſibi fuerunt, ſtatim ſe ſe reficit & præparat ad audiendum, & putat ſe temere iam accuſatori credidiſſe.

TEXT. *Quare cum uel omnia reprehenderis aduerſariorum argumenta, uel ea, quæ maximè firma ſunt, uel quæ excellunt, uel quæ facile refelli poſſunt, tunc rationes tuas confirmare debes.*
Primo refellam quæ deis obiecta ſunt.
Iunonem ego:--
In his enim id primum attigit, quod erat infirmiſſimum. Ac de confirmationibus quidem hæc dicta ſint.

COMM. Concluſio eſt huius partis, debes (inquit) prius aduerſariorum argumenta refutare, uel omnia ſi potueris, uel ea, quæ uidentur omnium eſſe firmiſſima, uel quæ cæteris clariora ſunt, & magis eminent, uel ea denique quæ facile refelli poſſunt. deinde poteris ad rationes tuas confirmandas accedere. quemadmodum apud Euripem Hecuba facit in Troadibus. cum enim Helena prior apud Menelaum dixiſſet, & factum ſuum excuſaſſet, qđ cum Paride profecta fuiſſet, ex dearum uoluntate, multaque uerba feciſſet de uulgato illo Paridis iudicio quem Iuno, Pallas, & Venus formarū ſuarum iudicem conſtituerant, ipſa Hecuba reſpōdens primo ſe dearum patrocinium ſuſcipere uelle oſtendit, & ea refellere, quæ contra illas ab Helena dicta fuerant, quoniam ea ſciebat infirmiſsima eſſe, & facile refelli poſſe. Sic igitur proponit Hecuba;

Primo refellam quæ deis obiecta ſunt,
Iunonem ego:--

Et quæ ſequuntur.

Hoc idem Iuno facit apud Virgilium decimo Aeneidos. nam initio ſtatim refellit ea, quæ ſibi à Venere fuerant obiecta, cum ait;

Aeneam hominum quiſquam diuumque ſubegit
Bella ſequi? aut hoſtem regi ſe inferre Latino?
Italiam petiit fatis auctoribus, eſto
Caſſandræ impulſus furiis. num linquere caſtra
Hortati ſumus? aut uitam committere uentis?

Sic Turnus libro undecimo prius reſpondet ad ea, quæ ſibi Drances obiecerat, quam Latinum regem alloquatur, ut ſententiam ſuam dicat;

Pulſus ego? aut quiſquam merito fœdiſsime pulſum
Arguet iliaco tumidum qui creſcere Tybrim
Sanguine & Euandri totam cum ſtirpe uidebis
Procubuiſſe domū, atque exutos Arcadas armis?

Poſtquam uero refutauit aduerſarium, ſic ad regem ait;

Nunc ad te, & tua magne pater conſulta reuertor.

Et reliqua. Hactenus igitur de confirmatione.

TEXT. *Quod ad mores attinet, quoniam de ſeipſo prædicare, uel inuidioſum eſt, uel prolixum, uel obtrectationi obnoxium, & de altero dicere, uel conuicium, uel ruſticitatem oſtendit, opus eſt aliquem alterum, qui hoc faciat, conformare.*

COMM. Cum mores affingere orationi uolumus, tunc aut de nobis ipſis, aut de aduerſarijs aliquid prædicare opus eſt, ut noſtros mores amabiles & honeſtos, aduerſariorum odioſos & improbos oſtendamus. Sed quia de ſeipſo prædicare turpe eſſe uidetur, quoniam uel in ſe odium atque inuidiam concitat, qui ſe ipſum laudat, uel moleſtus eſt audientibus tāquam loquax & garrulus, uel denique multis contradicendi & obtrectandi occaſionem præbet, alterum aūt uituperare uel maledici conuiciatoris, uel ruſtici & agreſtis hominis propriū eē vr, ideo (inquit Ariſtoteles) ut hæc incommoda uitentur, optimum erit id per alienam perſonā efficere, & aliquē oratione conformare, & fingere qui hæc faciat. Cice. non potuit hac reprehenſione carere, q̄ de ſe ipſo nimis multa prædicaret, & inanis eſſet laudum ſuarum amplificator, ſæpe tamen de ſe modeſtiſsimè loquitur, & aliorum de ſe iudicia commemorat, ut in Piſonem, me Q. Catullus

tulus princeps huius ordinis, & auctor publici conſilij frequentiſſimo ſenatu parentem patriæ nominauit, mihi hic uir clariſſimus, qui propter te ſedet L. Gellius hic audientibus cinicam coronam deberi à Rep. dixit, mihi rogato ſenatus non, ut multis, bene geſtę, ſed, ut nemini, conſeruatæ Reip. ſingulari genere ſupplicationis deorũ immortalium templa patefecit. hoc enim modeſtum & glorioſum ſimul eſt, aliorum optima de ſe iudicia commemorare, ſicut ille paſtor apud Virgilium;

Incipe ſiquid habes, & me fecere poetam
Pierides, ſunt & mihi carmina, me quoque dicunt
Vatem paſtores, ſed non ego credulus illis.

Cum autem aliquem uituperamus cauendũ eſt ne maledici conuiciatores eſſe uideamur, aut ruſticitate quadam uti, ſed ea dicamus, quæ uel cognita ſunt omnibus, uel quæ nos ab aliis audiſſe confirmemus, uel aliquam perſonam fingamus, quæ illa proferat. niſi forte nos accuſatores aut apertos inimicos profiteamur, tunc enim amplificare crimina poterimus. ſicuti Ciceronem facere uidemus & in Verrem, & in Piſonem, & in M. Antonium. Sed idem Cicero quam modeſtus eſt pro L. Murena in Ser. Sulpitium, & M. Catonem aduerſarios? quanta urbanitate fidem illis adimit? quid pro Cn. Plancio? nonne Laterenſem aduerſarium ſumma cum modeſtia refellit?

TEXT. *Quod Iſocrates facit in oratione quam ad Philippum miſit, & in ea, quæ Antidoſis dicitur.*

COMM. Præceptum ſuum Iſocratis auctoritate confirmat, qui cum ad Philippum ſcribens uellet eum admonere de ſuſpicione quam Græci habebant, cum eum undique copias comparare uiderent, timebant enim ne Græciam inuaderet, atque Athenienſibus reliquiſque Græcis libertatem adimeret, ſic ait: Audio enim multos eſſe improbos homines, qui te falſis criminibus inuadant, & de regno atque poteſtate tua ita diſſerant, non eſſe illam pro ſalute Græciæ, ſed contra Græcorum opes augeri, teque iampridem nobis inſidiari. & reliqua. in oratione uero quæ Antidoſis inſcribitur, de quo uerbo ſupra diximus, cũ de ſeipſo prædicare uellet, ait ſe coactum ab aduerſariis id facere qui de ſua fama & uiuendi ratione detrahere non ceſſarent.

TEXT. *Quomodo uituperat etiam Archilochus. nam in Iambicis ſuis patrem de filia ſic loquentem inducit;*

Nil prorſus eſt, quod non fiat pecunia,
Vel quod futurum non iurare quis queat.

Et Charonem fabrum inducit in eis Iambicis quorum principium eſt;

Nil curo opes Gygis: --

COMM. Archilochus poeta iambicus, cum maledictis omnibus uexare Lycambem & eius filiam uellet, à quibus contemptus fuerat, non ex perſona ſua maledicta in eos congeſſit, ſed artificioſe patrem ipſum Lycambem de filia propria turpiter loquẽtem facit in eo carmine. cuius eſt illud principiũ;

Nil penitus eſt quod non fiat pecunia,
Vel quod futurum non iurare quis queat.

Tradunt enim Archilochum, poſtquam à Lycambe deluſus fuit, qui Neobulen ei filiam deſpõderat, deinde dare illam recuſarat, Epodon ex trimetris & dimetris commentum fuiſſe, quo nouo carmine Lycambem & filias tam acerbe inſectatus eſt, ut omnes ſimul ad laqueũ impulerit. quare Terentianus ita ſcribit; Archilochus iſto ſæuit iratus metro contra Lycambem & filias. Inducebat autem Archilochus patrem Lycambem turpiſſima quædam filiabus ſuis perſuadentem, ut eũ magis deformaret. eodem modo in alio carmine quẽdam fabrum nomine Charonem inducit loquentem, cuius carminis initium eſt,

Nil curo opes Gygis.

Fuit enim Gyges rex Lydiæ ditiſſimus, de quo multa Plato libro de Rep. ſecundo, & Cicero de officiis lib. 3. in oratione pro M. Cœlio Cicero inducit Appium cæcum Clodiam impudicam fœminam uituperantem, ut liberius eam & grauius accuſet; Exiſtat igitur (inquit) ex hac ipſa familia aliquis, ac potiſſimum cæcus ille: minimum. n. dolorem capiet, qui iſtam non uidebit. qui profecto ſi extiterit, ſic aget, & ſic loquetur: mulier quid tibi cum Cœlio? quid cum homine adoleſcentulo? quid cum alieno? & quæ ſequuntur. prima actione in Catilinam ita patriam de ipſo Catilina loquentem facit; Nullum iam tot annos facinus extitit niſi per te, nullum flagitium ſine te, tibi uni multorum ciuium neces, tibi uexatio, direptioque ſociorum impunita fuit ac libera, & reliqua.

TEXT. *Quemadmodum etiam Sophocles Aemonem inducit pro Antigona loquentem tanquam ea dicerent alij.*

COMM. Notus eſt locus apud Sophoclem in Antigona ubi cum Creon decreuiſſet Antigonam e medio tollere atque interficere, ſponſus Antigonæ, & ipſius Creontis filius Aemon patrem pro Antigona deprecatur. & ne uideretur ipſe patrem reprehendere, ciuitatem ait dolere mortem puellæ, quę indigniſſimè periret. & ait omnes exiſtimare magno potius honore dignam quam aliqua pœna, quippe quæ fratrem ſuum Polynicem non paſſa fuiſſet inſepultum iacere, quamuis Creon iuſſiſſet eum proiici inhumatum. Sic itaque loquitur Aemon, tanquam ea dicerent alii, quæ ipſe in patrem dicit.

TEXT. *Quin enthymemata commutare oportet, atque ex illis ſententias facere: Vt, ſunt autem à prudentibus uiris tunc cum hoſtibus fœdera facienda, cum fortunam habent proſperam, ſic enim maximè poterunt eſſe ſuperiores. per enthymema uerò ſic proferetur; Si fœdera cum hoſtibus facere oportet, quo tempore ſũt utiliſſima, & cum meliores conditiones eſſe ſolẽt, tunc profecto maximè facienda ſunt, quando fortuna eſt proſpera.*

Quia

Quia ſuperius dixerat enthymemata atque argumenta moratæ orationi non admodum conuenire, nunc admonet, ut enthymemata in ſententias conuertamus quæ moratæ orationi maximè conueniunt, & bene dicentis mores exprimunt, ut iam ſupra dictum eſt. facile autem erit intelligenti ex enthymemate ſententiam facere, aut cõtra, ex ſententia conformare enthymema. nam ſententia ſimpliciter exponitur, & conſilij uel præcepti locum habet, ut illa, quam Ariſtoteles ponit, Prudentes uiri tunc debent cum hoſtibus fœdera facere, cum fortunam habent proſperam. ſic enim poterunt eſſe ſuperiores. huiuſmodi tamen ſententiæ, quibus ſua ratio ſtatim adiungitur, uim enthymematum habent, & ideo frequenter inueniemus, ſententiam cum ſubiecta ſua ratione enthymema uocari, ut in ſecundo libro diximus. hic autem ſententiam uocat, quæ ſine figura argumentandi proponitur, etiam ſi ratio adiungatur. & docet, quomodo hæc eadem ſententia poſſit in enthymema conuerti, ut ſiquis hoc modo argumentetur; ſi eo tempore fœdera cũ hoſtibus facere oportet, quo ſunt utiliſſima, & quo meliores conditiones eſſe ſolent, tunc profecto maximè facienda ſunt, quando fortuna eſt proſpera. differt igitur à ſententia enthymema, quod illa ſimpliciter exponitur tanquam commune conſilium & præceptum, hoc autem cum argumentandi & probandi figura ſemper ab aliquo loco ducitur, ut hoc Ariſtotelis à tempore, & occaſione. Sic illud Ciceronis pro Milone à contrariis ductum; Eius igitur mortis ſedetis ultores, cuius uitã ſi putetis per uos reſtitui poſſe nolletis? ad ſententiam conuertetur hoc modo; Nemo debet mortis eius ultor eſſe, quem ſi poſſit, ad uitam reuocare, nolit. Sic illa ſententia pro lege Man. Neque enim poteſt exercitum is continere imperator, qui ſeipſum non continet, per enthymema ductum ab adiunctis ita proferetur; Nam qui ſeipſum continere non poteſt imperator, quo modo is exercitum continere poterit?

TEXT. *Quod ad interrogationem attinet, maximè opportunum eſt ea uti, cum alteram partem aduerſarius ipſe dixerit, ut deinde ex interrogatione ſequatur id, quod abſurdum eſt: ut Pericles Lamponem interrogauit de initiatione ſacrorum deæ ſalutaris: & cum ille dixiſſet nefas eſſe illa audire, niſi quis eſſet initiatus, petiit, num ipſe ea ſciret. quod cum affirmaſſet, Et quomodo (inquit) cum minime ſis initiatus?*

COMM. In contentionibus & diſputationibus ſæpe accidit ut aduerſarios interrogemus, ut ex uerbis eorum aliquid eliciamus, quod contra illos eſſe uideatur, quod Dialecticorum eſſe proprium putatur. unde Ariſtoteles propoſitionem Dialecticam per interrogationem fieri ſcribit libro Poſteriorum primo. Socrates interrogare ſemper eos ſolebat, quibuſcum diſputabat, & ingenioſa atque acuta inductione quod uolebat, ex aduerſariorum uerbis colligebat. Stoici etiam (ut ait in Lucullo Cicero) captioſiſſimo genere interrogationis utebantur, unde quidam fallacibus & captioſis interrogationibus circumſcripti, atque decepti, cum eas diſſoluere non poſſunt, deficiunt à ueritate. Oratores in iudiciis interdum aduerſarios interrogare ſolent, atque ita eos ex reſponſionibus refellere, quæ res quando fieri poſsit opportunè, docet Ariſtoteles hoc in loco. quatuor enim interrogandi aduerſarij opportunitates enumerat, quarum prima eſt, cum aduerſarius aliquid dixerit atque affirmarit, ut ex interrogatione quod abſurdum eſt, conſequatur. ut contra Lamponem uatem Pericles Athenienſium Imperator feciſſe dicitur. cum enim Pericles Lamponem de myſteriis Cereris, quæ Dea Salutaris uocabatur, propter frugum inuentionem, interrogaſſet, reſpondit ille, non licere cuiquam ea myſteria audire, niſi qui Cereris ſacris eſſet initiatus. tunc Pericles petiuit, an ipſe Lampon myſteria illa ſciret. quæ cum ille ſe ſcire affirmaſſet, qua ratione (inquit Pericles) cum tu minime ſis initiatus? hæc enim contraria ſunt, uel potius (ut Dialectici uocant) contradicentia, Neminem niſi initiatũ cereris myſteria ſcire, & Lamponem non initiatum ea ſcire. fecit igitur Pericles interrogatione ſua, ut Lãpon ipſe ſibi contra diceret, quod turpiſſimum eſt. Sacra autem cereris Deæ Salutaris maxima cũ religione, & Ceremonia Athenis celebrabantur, in quibus quædam erant myſteria quæ euulgare minime fas erat. Horatius, Vetabo, Qui cereris ſacrum
Vulgarit arcanæ ſub iiſdem
Sit trabibus, fragilemque mecum Soluat phaſellum.

TEXT. *Secundo opportunum eſt interrogatione uti, cum alterum planum eſt, alterum non eſt dubium, quin is, qui interrogatur ſit conceſſurus. cum autem unam propoſitionem interrogaueris, non debes iterum id interrogare, quod perſpicuum eſt, ſed concludere; quemadmodum Socrates, cum Melitus dixiſſet, eum non putare Deos eſſe, petiuit ab eo, num exiſtimaret dæmonium aliquid eſſe: quod cum ille fateretur, dixit, Dæmones uel Deorum filij ſunt, uel aliquid in ſe diuinum habent. quod poſtquam ille affirmaſſet; Fieri ne poteſt (inquit) ut aliquis putet Deorum filios eſſe, ipſos autem Deos eſſe non putet?*

COMM. Hoc ſecundum genus interrogationis differt à primo, quoniam in illo primo ſumimus unam partem ab ipſo iam aduerſario conceſſam, etiam ſi non ſit omnibus perſpicua, ut alteram contra illum concludamus. in hoc autem ſecundo genere fit interrogatio, cum una pars plana eſt atque omnibus perſpicua, altera uero facile conceditur ab eo, qui interrogatur, quo in genere cauendum eſt, ne interrogemus ea, quæ ſunt omnibus perſpicua. ſed ea tantum, quæ intelligimus aduerſarium facile conceſſurum, deinde ſtatim concludamus. quod exemplo Socratis Ariſtoteles confirmat,

firmat, ex Apologia Platonis ſumpto. cum enim à Melito Socrates accuſatus fuiſſet de impietate, quod nullos eſſe Deos putaret, ita Melitum interrogauit, An putas ò Melite Dæmonium aliquid eſſe? quod cum ille fateretur, dixit, nonne Dæmones uel Deorum filij ſunt, uel aliquid in ſe diuinum habent? hoc etiam Melitus affirmauit. quare ſtatim ita Socrates concluſit; Fieri ne poteſt ut aliquis putet Deorum filios eſſe, ipſos autem Deos eſſe non putet? prætermiſit autem id, quod omnibus eſt perſpicuum, nempe qui putat eſſe filium, putat etiam eſſe patrem. notum etiam erat ipſum Socratem exiſtimare Dæmones eſſe. quia frequenter dicebat, dæmonem quendam ſibi ab ineunte ætate ſemper aſtitiſſe, qui ſe à multis actionibus abſtraheret. itaque non interrogauit hæc, quæ nota erant, ſed concluſit falſum eſſe crimen à Melito ſibi illatum.

TEXT. *Tertio, cum oſtendere uis, ipſum ſibi contraria dicere, uel quæ ſint à communi opinione aliena.*

COMM. Quotieſcũque nobis probare poſſe uidemur ipſum aduerſarium ſibi contraria dicere, uel quæ abhorreant à ſenſu & opinione communi, toties eum interrogare debemus. ſic enim omnem illi fidem adimere facile poterimus. Cicero Philippica ſecunda M. Antonium ſic irridet & cõtemnit; Tam autem eras excors, ut tota in oratione tecum ipſe pugnares? ut non modo non cohærentia inter ſe diceres, ſed maximè diſiuncta atque contraria? ut non tanta mecum, quanta tecum tibi eſſet contentio? at uero in Piſonem, uehementer Piſonem ipſum exagitat, quod ea dixiſſet, quæ à communi opinione abhorrerent, nempe, ſtultos eſſe, qui gloriam, qui honores, qui triumphos expeterent. Non eſt integrum (inquit) Cn. Pompeio conſilio iam uti tuo, errauit enim non guſtarat iſtam tuam philoſophiam. ter iam homo ſtultus triumphauit. Craſſe pudet me tui & cætera. nam longa eſt irriſio. primo libro Tuſculanarum Quæſtionum Cicero per interrogationem cogit eum, qui poſuerat quæſtioñe contraria dicere, deinde ſubiungit, Iam mallem Cerberum metueres, quam iſta tam inconſiderate diceres, quem eſſe negas, eundem eſſe dicis? ubi eſt acumen tuum?

TEXT. *Quarto cum nihil habet quod reſpondeat, niſi fallaciter & captioſe. nam ſi ita reſponderit, Eſt ſane, & non eſt, uel partim quidem eſt, partim non, uel aliquo modo eſt, aliquo non, perturbantur auditores ac dubitant.*

COMM. Tunc etiam opportunum eſt aduerſarios interrogare, cum intelligimus eos non commodè poſſe reſpondere, niſi captioſo reſponſionis genere utantur, & per fallacias quaſdam elabantur, ui modo aiant, modo negent, ut cum dicunt, aliquam rem & eſſe, & non eſſe, uel partim eſſe, partim non, uel aliquo modo eſſe, aliquo non. nam auditores huiuſmodi reſponſione perturbantur & dubitant, qui non aſſucti ſunt tam minutis diſtinctionibus. ut ſiquis interroget honeſtum ne ſit patrem accuſare? reſponderi poteſt, eſſe honeſtum, & non eſſe honeſtum. nam ſi pater ſit patriæ proditor, aut aliquod grauiſſimum flagitiũ machinetur, eum accuſare atque etiam condemnare honeſtum eſſe putatur, aliter nunquam honeſtum, ſed potius turpe iudicatur. ita ſiquis petat ab aduerſario, an credat animam eſſe immortalem? poteſt reſpondere, partim eſſe, partim non eſſe. nam ratio & intelligentia & mens eſt immortalis. ſenſus autem & nutriendi facultas mortalis eſt. ita ſiquis interrogetur, an diuitias eſſe bonas exiſtimet? licebit aliquo modo bonas, & aliquo non, reſpondere. nam benè utentibus bonæ ſunt. alijs autem malorum ſæpe cauſam afferunt. Sic igitur interrogatione utendum, quæ, ut ait Quintilianus, eo ſæpe perducit homines, ut ab inuitis, quod proſit, extorqueat. Eius (inquit) rei ſine dubio nec diſciplina ulla in ſcholis, nec exercitatio traditur, & naturali magis acumine, aut uſu contingit hæc uirtus, in hoc genere Socrates cæteris omnibus longe præſtitiſſe dicitur, ut in Dialogis Platonis uideri poteſt, in quibus adeo ſcitæ ſunt interrogationes, ut cum pleriſq; bene reſpondeatur, res tamen ad id, quod uult efficere, perueniat. Eſt etiam aliud figuratum interrogationis genus, quod non ſciſcitandi gratia aſſumitur ſed inſtandi, quod in orationibus Ciceronis frequentiſſimum eſt. ut, Quouſque tandem abutere Catilina patientia noſtra? de quo genere multa Quintilianus libro nono capite ſecundo.

Aliter autem interrogatione uti non debes. nam ſi tibi occurrerit aduerſarius, ſuperatus eſſe uideberis. TEXT.

Cum nulla opportunitas adeſt earum, quas modo commemorauimus, non eſt utile aduerſarium interrogare. nam ſi commodè ille reſponderit, ſtatim nos uicti eſſe uidebimur, atque ita cauſa cademus, uel cum irriſione ludemur. quod Philippo accidit, qui cum L. Craſſum interrogaſſet, quid latraret? reſpondit ille, furem uideo. & Catulus, cum orator quidam malus eum rogaſſet, uideretur ne miſericordiam mouiſſe? ac magnam quidem (inquit) neminem enim puto eſſe tã durum, cui non oratio tua miſeranda uiſa ſit. hoc genere Martialis Priſcum ridet libro ſecundo. COMM.

Sæpe rogare ſoles qualis ſim Priſce futurus,
Si fiam locuples, ſimq́ue repente potens,
Quemquam poſſe putas mores narrare futuros?
Dic mihi, ſi fias tu leo, qualis eris?

Neque enim multa licet interrogare, propter auditoris infirmitatem. quare etiam argumenta, quam maximè fieri poteſt, contrahenda ſunt. TEXT.

Quoniam auditores apud quos orator uerba facit, ſæpe rudes & imperiti ſunt, & quę ſubtilius acutiuſq́ue dicuntur aut interrogantur, intelligere non poſſunt, ideo dicit Ariſtoteles propter auditoris infirmitatem, hoc eſt ignorantiam interrogare COMM.

rogare multa non licere, in hoc enim à Dialecticis oratores differunt, quod Dialectici frequentiſſimis interrogationibus utuntur, quibus aduerſarios irretire conantur, vt apud Platonem Socrates, Oratores autem hoc non poſſunt commodè facere, quibus oratio continua, & ad fidem faciendam accommodata magis eſt familiaris. quade cauſa non tantum longas interrogationes uitare debet orator, ne auditorum aures faſtidio afficiat, ſed etiam, quantum poteſt, argumenta contrahere, & membratim in contentione dicere, nã oratio illa conciſa maiorem probandi uim habet, & uehementius in animos influit, atque ad credendum inducit. talis eſt illa Ciceronis pro Roſcio Am. ubi docere uult ab aduerſario Roſcium patrem, non à filio interfectum fuiſſe, ſic enim breuiter argumenta contrahit, quæ poſtea fuſius etiam confirmat; Quid ſi accedit eodem ut tenuis antea fueris? quid ſi ut auarus? quid ſi ut audax? quid ſi ut illius qui occiſus eſt, inimiciſſimus? num quærenda cauſa eſt, quæ te ad tantum facinus adduxerit?

TEXT. *Cum autem ad ambigua reſpondendum eſt, tunc diſtinguere oportet, & longa uti oratione, non autem conciſa.*

COMM. Nunc docet quomodo ſit interrogationi reſpondendum, ne fortaſſe nos aduerſarius captioſa interrogatione irretiat. primo (inquit) aduertendum eſt, an aduerſarius ambiguè interrogauerit, & tũc ea, quæ ſunt ambigua diſtinguere opus eſt, & longa oratione ſignificationes uerborum ambiguorum ſeparare, non autem conciſè & breuiter, quo facilius auditor intelligat, quid concedatur aduerſario, & quid negetur. multa ſunt enim quæ ambiguè dicuntur, in quibus magna eſt obſcuritas, & frequentes captiones fiunt, niſi quis ea commodè diuidat atque explanet, unde uulgo aiunt, Qui neſcit diſtinguere neſcit ſoluere. de qua re copioſè & ſubtiliter Cicero pro A. Cæcina diſputat. ubi docet neceſſario multa eſſe ambigua, quoniam non uerborum tanta copia eſt, non modo in noſtra lingua, quæ dicitur eſſe inops, ſed ne in alia quidem ulla, res ut omnes ſuis certis ac propriis uocabulis nominentur. quod autem præcipit Ariſtoteles id eſt huiuſmodi, ut ſi nos aduerſarius interrogarit, an uoluptatem in bonis ponendam eſſe cenſeamus? quoniam uoluptas uerbum eſt ambiguum, diſtinctione utemur, ac dicemus aliquas eſſe uoluptates omnino bonas & laudabiles ut quæ à uirtutibus & præclarè geſtis rebus proueniũt, quæ quidem animo percipiuntur, aliquas autem uitioſas, & penitus repudiandas, ut quæ libidinoſæ ſunt, & ab obſcœnis rebus capiuntur. illas igitur quæ boneſtiſſimæ ſunt in bonis eſſe ponendas. has autem quæ turpiſſimæ ſunt ac planè belluinæ non in bonis, ſed potius in grauiſſimis malis ponendas eſſe.

TEXT. *Ad ea uero quæ contraria uidentur, ſtatim in reſponſione ſolutio eſt adhibenda, priuſquam quod reliquum eſt interroget aduerſarius & concludat. neque enim difficile eſt uidere, quanam in parte ſit ratio; ſed ex Topicis, cum hoc intelligi poteſt, tum etiam quæ ſolutiones adhibendæ ſunt.*

COMM. Cum aduerſarius interrogatione ſua nos eo deducere conatur, ut contraria dicamus & pugnãtia, debemus in reſpondendo ſtatim ſolutionem adhibere, priuſquam poſſit aduerſarius alia interrogatione quod cupit, affirmare & concludere. nam qui diligenter aduertere uoluerit, non difficulter intelliget, in qua parte ſit ratio ſolutionis, quam afferre ſtatim poterit. hoc autem (inquit) ex Topicis intelligi poteſt, ſicut etiam quæ ſolutiones adhibendæ ſunt, iis, quæ contraria eſſe uidentur. quare debet orator ea cognita habere, quæ in Topicis traduntur. nam in octauo Topicorum libro docet Ariſtoteles, quibus modis captioſas interrogationes euitare poſſimus.

TEXT. *Quod ſi, qui concludit, ex interrogatione concludit, cauſam opportunum eſt adiungere in reſponſione. ut Sophocles interrogatus à Piſandro, num ipſe ſententia ſua, ſicut alij publici conſilij auctores, dominatum Quadringentorum confirmaſſet? ita reſpõdit. Quid? ait ille, nonne res improba tibi illa uidebatur? ita (inquit). Ergo tu ſponte rem improbam confirmaſti? certe (inquit) neque enim erant alia meliora.*

COMM. Sæpe in reſpondendo cauſa facti addita, poſſumus aduerſarij interrogationẽ eludere, cũ præſertim is, qui interrogat, ex interrogatione ſua concludit. tunc enim cõmodũ eſt in reſpõſione cauſam adiungere. quod exemplo Sophoclis cuiuſdã Athenienſis affirmat, qui Piſandrum à quo interrogaretur, hac ratione eluſit. cum enim bello Peloponeſiaco res Athenienſium fractæ & debilitatæ fuiſſent, optimates quidam conuenerunt, & ſoluto ſtatu populari, quo antea ciuitas utebatur, ſummam totius Reip. ad quadringentos uiros transtulerunt, qui ſuo arbitrio cuncta adminiſtrarent, hi uero quadringenti uiri poſtea multa crudeliter & nefariè commiſerunt. cum igitur liberata tandem ciuitate Piſander Sophoclem interrogaret, an ipſe quoque ſententia ſua, ſicut alij ſenatores, dominatum illum Quadringentorum confirmaſſet? non dubitauit Sophocles affirmare, ſe quoque auctorem illius rei fuiſſe, cum autem inſtaret Piſander, petens ab eo, ſciret ne improbam rem illam fuiſſe? reſpondit Sophocles, ſibi improbã ſemper uiſam fuiſſe. Quid ergo (ait Piſander) tu ſponte tua rem improbam confirmaſti? qua concluſione uideri poterat Sophocles irretitus, niſi ſtatim adiuncta facti ſui cauſa fuiſſet elapſus. certè (inquit) confirmaui. quoniam tunc erat in eo ſtatu conſtituta Reſp. ut nihil melius inueniri poſſe uideretur. non eſt autem damnandus ille Senator, qui, quam exiſtimat optimam eſſe ſententiam, eam ſequitur, & approbat, etiam ſi poſtea res male ſuccedat. & quamuis

quamuis intelligat rem interdum improbam decerni, tamen eam confirmat, ſi neceſsitas incumbit, ne deterius aliquid contingat.

TEXT. *Sic etiam Lacon ille, cum magiſtratus ſui rationẽ redderet, Ephorus enim fuerat, interrogatus, an eius ſocij iuſtè condemnati uiderentur? reſpondit, uideri. quid? nonne tu eadem cenſuiſti? cenſui (inquit) Ergo etiam tu iuſtè condemnari debes. Minimè (ait ille) nam ſocij pecunia corrupti illa cenſuerunt, ego uero ex animi ſententia.*

COMM. Alterum exemplum eiuſdem generis, quo aduerſarij concluſionem docemur euadere, addita facti cauſa. quidam Lacon (inquit) cum geſti magiſtratus ſui rationẽ redderet, quippe qui Ephorus Lacedæmone fuerat, & ab aduerſario interrogaretur, an ſocios & collegas ſuos qui iam condemnati fuerant, rectè & iuſtè condemnatos exiſtimaret? reſpondit, uideri ſibi iuſtè condemnatos. tunc aduerſarius, nonne (inquir) tu eiuſdem conſilij particeps fuiſti, & eadem cenſuiſti, propter quæ illi condemnati fuerunt? reſpondit, uerum eſſe, & ſe eadem cenſuiſſe, Ergo (inquit aduerſarius) etiam tu iuſtè condemnari debes. hic Lacon, minimè uero (inquit) non.n. eadem mea eſt, quæ illorum cauſa. illi enim pecunia corrupti cenſuerunt ea, propter quæ, condemnati ſunt, ego uero non pecunia corruptus, ſed quia ita ſentiebam, & rectum eſſe putabam. Ephori erant apud Lacedęmonios oppoſiti regibus, ſicut apud Romanos Tribuni plebis conſulibus. fuerunt autem à Theopompo rege conſtituti, ad infringendam regum poteſtatem, ut tertio de legibus ait Cicero, nam ſatis conſtat ab Ephoris reges aliquos fuiſſe eiectos alios ſponte exulaſſe, alios fuiſſe interemptos. Cicero ſecundo de officiis, ſic inquit; at propter hoc iniuriæ genus Lacedæmonij Lyſandrum Ephorum expulerunt, Agin regem, quod nunquam antea apud eos acciderat, necauerunt.

TEXT. *Itaque poſt concluſionem nihil interrogare oportet, neque etiam ipſam concluſionem, niſi cum adeo uera & certa eſt, ut labefactari non poſſit.*

COMM. Vt igitur interrogando, cum opus eſt, aliquid proficiamus, aduertendum eſt (inquir) ne poſt concluſionem aliquid interrogemus, imo uerò nec ipſam concluſionem quidem interrogandò proferamus. niſi fortaſſe tam ſit aperta & clara, ut impudentiſsimi ſit eam denegare. huius rei mirus eſt artifex apud Platonem Socrates, qui tam aptis interrogationibus utitur, ut aduerſarium quo uelit, facillime deducat, & in eaurum ſæpe cogit ea concludere, quæ paulo ante negauerat.

TEXT. *De ridiculis uero, quoniam uſum aliquem in forenſibus cauſis habere uidentur, & Gorgias dixit, res ſerias aduerſariorum riſu diſcuti debere, contraque riſum rebus ſerijs, ſatis dictum eſt in ijs, quæ de arte poetica ſunt à nobis tradita: nam ibi quot ridiculorum ſpecies ſint oſtendimus.*

Quoniam hic locus poſcere uidebatur, ut de ridiculis etiam aliqua uerba faceret, quæ ſæpe multum in iudiciis ualent, ideo nos admonet, à ſe iam huic rei ſatisfactum fuiſſe in eis libris, quos de arte poetica ſcripſit. tres enim libros de artificio poetarum confecerat, ſed ad nos unus tantum peruenit. itaque locum etiam hunc de ridiculis deſideramus, quem accuratè tractauerat Ariſtoteles, ut etiam in primo huius operis libro ſignificauit. quòd autem facetiæ proſint in iudiciis auctoritate Gorgiæ Leontini comprobat, qui dicere ſolebat, opus eſſe, res aduerſariorum ſerias riſu diſcutere, & contra, riſum rebus ſeriis. nam quæ refellere non poſſumus, interdum facetiis & urbanitate diluimus. quod Ciceronem ſæpiſsimè feciſſe legimus, & præcipue cum pro L. Murena contra M. Catonem, & Ser. Sulpitium diceret, tam enim facetè cauſam illam egit, ut totum iudicium riſu diſſolutum fuerit, & M. Cato, cum riſum continere non poſſet, exclamarit; Dij boni ridiculum conſulem habemus? quamuis autem ab Ariſtotele partem hanc hodie percipere non poſſimus, quæ iniuria temporum interiit, tamen à Cicerone penè perfectam habemus, apud quem libro de Oratore ſecundo Iulius Cæſar ingenioſe plurima de facetiis atque urbanitate diſputat, & Quintilianus etiam libro ſexto de hac eadem re multa præcepta tradit.

Sunt enim ridicula, quæ libero atque ingenuo homini conueniant, ſunt etiam quæ non conueniant. itaque uidendum eſt ut apta ſibi quiſque ſumat. TEX.

Ridicula dicta partim eiuſmodi ſunt ut etiam ingenuis & honeſtis hominibus conueniant, ut quæ faceta ſunt, & urbana. partim autem ſcurrarum tantum & mimorum propria ſunt, & homine libero prorſus indigna, quæ diligentiſsimè ſunt euitanda. hoc ita præcipit Cicero; uitandum eſt oratori utrunque ne aut ſcurrilis iocus ſit, aut mimicus. & non ita multo poſt; præſtet idem ingenuitatem, & ruborem ſuum, uerborum turpitudine, & rerum obſcœnitate uitanda. COMM.

Diſsimulatio uero magis ingenuum decet, quam ſcurrilitas. nam diſsimulator propriæ uoluptatis gratia ridiculis utitur: ſcurra uerò ut alterum oblectet. TEXT.

Diſsimulationem quam Ironiam Græci uocant, Ariſtoteles minimè probat, quippe qui de illa, tanquam de uitio quodam, libro Ethicorum quarto uerba facit, cui ſit uitium ſcurrilitatis oppoſitum, ſi tamen alterum faciendum ſit, magis ingenuo uiro cõuenit, diſsimulatione uti quam ſcurrilitate, quod ea ratione probat, quia diſsimulator, dum ſibi detrahit, ut alios extollat, hoc ideo facit, ut ipſe oblectetur, & ex aliorum ſtultitia uoluptatem ipſe capiat. quod frequentiſsime Socrates faciebat, unde Zeno quidam Epicureus, eum ſcurram Atticum appellauit, ut auctor eſt Cicero, ſcurra autem id unum ſtudet, ut COMM.

aliis

aliis riſum moueat, quod omnino ſordidum eſt, atque illiberale. de Socratis diſſimulatione ſic ait in Lucullo Cicero; Socrates autem de ſe ipſe detrahens in diſputatione plus tribuebat ijs, quos uolebat refellere, ita cum aliud diceret, atque ſentiret, libenter uti ſolitus eſt ea diſſimulatione, quam Græci εἰρωνείαν uocant, quam ait etiam in Africano fuiſſe Fannius: idque propterea uitioſum in illo non putandum, quod idem fuerit in Socrate. in ſecundo uero de Oratore ſic ait; Socratem opinor in hac ironia, diſſimulantiaque longe lepore, & humanitate omnibus præſtitiſſe.

TEXT. *Iam uero peroratio quatuor ex partibus cõſtat; primum ex ea, quæ efficit, ut auditor nobis bene uelit, aduerſarijs malè, deinde ex amplificatione, & diminutione, tum ex animorum commotione, ut afficiatur auditor. poſtremo ex enumeratione.*

COMM. Extrema pars orationis à latinis peroratio & concluſio, à Græcis ἐπίλογος uocatur, quo uocabulo etiam latini utuntur, ut in ſecundo de Oratore Cicero, qui cum in Epilogo miſericordiam ſe mouiſſe putaret, & pro Cn. Plancio, ut miſerabiliores Epilogos poſſem dicere. uolunt autem rhetores, perorationem magnam habere cum procœmio ſimilitudinem, cum hæ duæ partes orationis auditoris gratia ſint comparatæ, ut eius animus moueatur, ſed in procœmio lenius & ſedatius agendum eſſe cenſent, in peroratione uero uehementius & concitatius. Ariſtoteles ex quatuor partibus ait perorationem conſtare primum ex beneuolentia auditoris: deinde ex amplificatione, tum ex commotione animorum, poſtremo ex enumeratione. Cicero autem in Partitionibus duas tantum partes perorationi tribuit; hoc eſt amplificationem, & enumerationem. uerum ſub amplificatione, quod ſatis conſtat, beneuolentiam, & commotionem animorum comprehendit, ut nulla in re diſcrepet ab Ariſtotelis ſententia, niſi in diſtinctione partium. debemus igitur in peroratione laborare, ut nobis Iudices atque auditores bene uelint, aduerſarijs autem malè, quod plurimum ad uincendum ualet: deinde uidere quæ ſint extollenda atque amplificanda, & contra, quæ extenuanda atque deprimenda, quoniã (ut ait Quintilianus) uis oratoris omnis in augendo minuendoque conſiſtit, tum efficere, ut auditor moueatur, uel ad iram, uel ad miſericordiam, & animo perturbetur, atque ita afficiatur, ut cauſa poſtulat. denique cum opus fuerit, breuiter ea repetamus atque enumeremus, quæ ſparſim in tota oratione dicta fuerunt. cur autem hæc in peroratione facienda ſint, rationes affert Ariſtoteles.

TEXT. *Fit enim hoc naturâ quodam ordine, ut poſtquam orator oſtenderit, ſe uera dicere, aduerſarium autẽ falſa, tunc laudet, & uituperet, & cauſam urgeat, atque expoliat.*

COMM. Primam partem perorationis explicat, qua efficere debemus ut auditor nobis bene uelit, aduerſariis malè, nam hoc (inquit) quaſi naturale, ut cum orator probauerit ea, quæ dicit eſſe uera, & quæ dicta fuerunt ab aduerſario eſſe falſa, tunc ſe ipſum laudet, aut eum, quem defendit, aduerſarium autem uituperet, atque in hac re plurimum laboret, non aliter atque fabri ferrarij, qui cum inſtrumenta ſua conformarint, tunc ea diligentius expoliunt, & ſplendidiora efficiunt. hoc enim tranſlato uerbo ſignificare uidetur Ariſtoteles. Atque hoc quidem præceptum diligentiſſime Cicero ſeruat, quantis enim eloquentiæ uiribus P. Clodium uituperat in extrema orationis parte pro Milone, ex eo loco polluerat ſtupro ſanctiſſimas religiones, ſenatus grauiſſima decreta perfregerat, & quæ ſequuntur: quantis deinde laudibus Milonem extollit, ubi eius uirtutem, conſtantiam, animi magnitudinem, res præclariſſimè geſtas explicat, locus eſt notiſſimus.

TEXT. *Alterum autem ex duobus conſiderare oportet: uel ut oſtendat, ſe bonum ipſis auditoribus fuiſſe, uel generaliter bonum. aduerſarium uero uel ipſis auditoribus malum, uel abſolutè malum. Sed alibi ſunt à nobis iam expoſiti loci, unde bonos aut malos conformare homines poſſimus.*

COMM. Cum aliquem laudamus duobus modis laudare poſſumus, uel enim oſtendemus eum fuiſſe bonum ipſis auditoribus & in eos multa contuliſſe beneficia, quod potentiſſimum eſt laudandi genus in iudiciis, uel ſi hoc facere non potuerimus, oſtendemus eum generaliter eſſe bonum & in omnibus ſuis actionibus ſe honeſtè & præclarè gerere. quod ſi utrunque faciendi facultatem habuerimus, longè maior in oratione uis erit. quod pro Milone facit Cicero multis in locis, ut poſt narrationem; nihil dico quid Reſp. conſecuta ſit, nihil quid uos, nihil quid omnes boni: nihil ſanè id proſit Miloni, qui hoc fato natus eſt, ut ne ſe quidem ſeruare potuerit, quin una Remp. uoſque ſeruaret. in peroratione, commemorat, quæ beneficia in ipſos auditores Milo contuliſſet; plebem (inquit) & infimam multitudinem, quæ P. Clodio duce fortunis ueſtris imminebat, eam, quo tutior eſſet uita ueſtra, ſe feciſſe commemorat, ut non modo uirtute flecteret, ſed etiam tribus ſuis patrimoniis deliniret: nec timet, ne, cum plebem muneribus placarit, uos nõ conciliarit meritis in Remp. ſingularibus. & cætera. paulo poſt generaliter eundem laudat, ubi ſic ait; ſe nihil in uita niſi præclariſſimè feciſſe, ſiquidem nihil ſit præſtabilius uiro, quam periculis patriam liberare. eadem eſt uituperandi ratio; uel enim aduerſarium oſtendemus, auditoribus ipſis malum fuiſſe, & eis damna multa intuliſſe, uel abſolute malum eſſe, & multis flagitiis contaminatum, uel utrunque ſimul faciemus, ut copioſiſſime pro Milone Clodium uituperans Cicero facit.

facit. Sed quibus modis laudare aliquem tanquam probum uirum, & uituperare tanquam improbum poſſimus, in primo huius operis libro copioſè declaratum eſt. Itaque nos ad eum locum Ariſtoteles remittit.

TEXT. *Poſtquam autem iam hæc demonſtrata fuerint, naturæ ordo poſtulat, ut uel augeantur, uel imminuantur. oportet enim ut res iam ſint cōceſſæ priuſquam de earum quantitate diſputari poſſit. nam corporum etiam accretio fit ex eis, quæ iam prius aderant Sed unde uel amplificatio uel imminutio ducatur, loci ſupra ſunt expoſiti.*

COMM. Secunda perorationis pars eſt amplificatio uel diminutio, cuius licet proprius locus ſit in perorando, tamen etiam in curſu ipſo orationis (ut ait in Partitionibus Cicero) declinationes ad amplificandum dantur, confirmata re aliqua aut reprehenſa. non oportet autem uti amplificatione aut diminutione niſi poſtquam res iam demonſtratæ fuerint, quas augere uel imminuere uolumus. ridiculus enim habetur ille, qui crimen amplificat, quod adhuc eſt dubium, & minime probatum. nam antequam de alicuius rei quantitate diſſeramus, conſtare oportet illam eſſe. corpus enim, exempli gratia, quod non eſt, neque augeri, neque minui poteſt. & omnis quæ fit in corporibus accretio, ex eis fieri ſolet, quæ iam prius aderant, quare uidendum eſt ut cauſam noſtram accurata prius diſputatione confirmemus, & rationes aduerſariorum infringamus, antequam ad amplificandum accedamus. Cauſa uero benè confirmata licebit eis ex locis eam amplificare, qui ſupra iam in primo libro ſunt à uobis expoſiti. Cicero in Partitionibus docet quemadmodum amplificatio fiat, & uerborum genere, & rerum, & de utraque amplificatione, uerborum (inquam) & rerum, multa egregia præcepta tradit. quem locum nos in commentariis noſtris in Partitiones accuratè expoſuimus, & plurimis exemplis illuſtrauimus. Itaque ſicuti placet, inde petere poteſt, quæ ad hunc etiam locum faciant.

TEXT. *Poſtea uero, cum iam perſpicuum eſt, quæ & quanta ſint ea, quæ tractantur, permiſcere motus animorum opus eſt. ſunt autem hi potiſſimum, miſericordia, indignatio, ira, odium, inuidia, æmulatio, contentio. qui quidem unde ſumantur, antea declaratum eſt.*

COMM. Poſt amplificationem, & diminutionem omni ratione contendendum eſt, ut animos audientium commoueamus. hoc enim in peroratione plurimum ualet. qua in re tantum excelluit Cicero, ut ſæpe aduerſarios de omni ſtatu deiecerit, ſicut ipſe gloriatur in Oratore ad Brutum. declarant hoc eius concluſiones, quę tam uehementes ſunt, & incitatæ, ut etiam dum leguntur, inflammare animos, & conturbare uideantur. Septem autem potiſſimum animorum motus in peroratione permiſcendos ait Ariſtoteles, Miſericordiam, indignationem, odium, inuidiam, æmulationem, contentionem, de quibus initio ſecundi libri copioſe diſputauit. & quibus rationibus excitari poſſint oſtendit. ut nihil opus ſit eadem hoc in loco repetere.

TEXT. *Itaque reliquum eſt, enumerare quæ iam antea dicta ſunt. hoc autem commodè fiet, ſi id ſeruetur, quod in procœmijs quidam ſeruari debere non rectè iubēt. aiunt enim eadem ſæpius in procœmio repeti debere, ut facilius percipiantur. Sed ibi rem tantum exponere opus eſt, ut ne lateat id, de quo futurum eſt iudicium: hic uero ſummatim ea repetere oportet, quæ demonſtrata ſunt.*

COMM. Perorationis quarta pars eſt enumeratio, cum ea breuiter in extrema oratione repetimus, quæ iam antea copioſe diſputata fuerunt. in ea (inquit Ariſtoteles) id obſeruare debemus, quod quidam imperiti rhetores aiunt in exordio faciēdum eſſe. dicunt enim eadem ſæpius in procœmio repeti debere, ut facilius percipiantur. quod præceptum omnino eſt abſurdum, cum in exordio ſatis ſit, rem ipſam proponere, de qua ſumus acturi, ut intelligant iudices id, de quo iudicium futurum eſt. at uero in peroratione ſæpe utiliſſimum ſummatim ea repetere, quæ iam demonſtrata fuerunt, ut nihil dubitationis in animia iudicum relinquatur, cum uideant omnia quæ opus erat, fuiſſe comprobata. quod accuratiſſimè pro P. Quintio, Cicero facit, ut Iudicibus quæ demonſtrata fuere quaſi oculis ſubijciat.

TEXT. *Initium autem enumerationis illud erit; cum dicet orator, ea ſe præſtitiſſe, quæ pollicitus fuerat. itaque repetere oportet quæ ſunt expoſita, & quare. Ea uero uel ex aduerſariorum contentione ducuntur, ut cum ea conferuntur, quæ de eadem re ambo dixerunt, uel quæ non ex aduerſo, neque de eadem re, ut, Iſte quidem de hac re ſic dixit, ego uero hæc; atque hac de cauſa.*

COMM. Docet unde ſumendum ſit enumerationis initium, & quo modo facienda ſit. cum enim orator cauſam ſuam partitur, quod poſt narrationem ferè fieri ſolet, tunc promittit ea, quæ probaturus eſt, ut pro P. Quintio; oſtendam primum cauſam non fuiſſe cur à Prætore poſtulares, ut bona P. Quintij poſſideres, deinde ex edicto te poſſidere non potuiſſe, poſtremo non poſſediſſe. ergo in enumeratione debet orator hoc initium ſumere, ut dicat ea ſe præſtitiſſe, quæ pollicitus fuerat. ſic in ea oratione pro P. Quintio Cicero repetit omnia ſingillatim & ordine ſuo quæ probauerat, neque ſimpliciter repetit, ſed addit etiam, quare, ut præcipit Ariſtoteles. Oſtendi (inquit) quam multa ante fieri conuenerit, quam hominis propinqui bona poſſideri poſtularentur, præſertim cum Romæ domus eius, uxor, liberi eſſent. & procurator æque utriuſque neceſſarius, docui cum deſertum eſſe dicat Vadimonium, & quæ ſequuntur.

ſequuntur. Multis autem modis fit repetitio, uel enim ex aduerſariorum contentione fit, uel per ironiam, uel per interrogationem uel per ordinem naturæ, contentio uero aduerſariorum fit in enumeratione duobus modis, aut enim argumenta è regione collata repetuntur, quæ ſunt ab utroque de eadem re dicta, aut non ex aduerſo, ſed tantum repetuntur ea, quæ à te, & quæ ab aduerſario dicta fuerunt. exemplum ponit Ariſtoteles hoc modo; Iſte quidem de hac re ſic dixit, ego uerò hæc, atque hac de cauſa. Cicero de lege Agraria contra Rullum ſic enumeratione utitur in extrema oratione, ut rationes ſuas cum aduerſariis conſerat hoc modo; Et quoniam qua de cauſa, & quorum cauſa ille hoc promulgauit oſtendi, doceat ipſe num ego quem poſſeſſorem defendam cum agrariæ legi reſiſto. Syluam Scantiam uendis, Reſp. poſſidet; defendo. Campanum agrum diuidis, uos eſtis in poſſeſſione, non cedo, deinde Italiæ, Siciliæ cæterarumque prouinciarum poſſeſſiones uenales ac proſcriptas hac lege uideo, ueſtra ſunt prædia, ueſtræ ſunt poſſeſſiones, reſiſtam, atque repugnabo, & reliqua. pro Roſcio Am. ſcelerata aduerſariorum facta repetit, per contentionem, hoc modo; prædia mea tu poſſides, ego aliena miſericordia uiuo, concedo, mea domus tibi patet, mihi clauſa eſt, fero. familia mea maxima uteris, ego ſeruum habeo nullum, patior & ferendum puto. In eadem oratione, ubi criminationem Erucij concludit, ita ait; conueniat mihi tecum neceſſe eſt, ſi ad hunc maleficium iſtud pertinet, aut ipſum ſua manu feciſſe, id quod negas, aut per aliquos liberos aut ſeruos. liberos ne? quos neque ut conuenire potuerit, neque qua ratione inducere, neque ubi, neque per quos, neque qua ſpe, aut quo precio potes oſtendere, ego contra oſtendo non modo nihil eorum feciſſe Sex. Roſcium, ſed ne potuiſſe quidem facere, quod neque Romæ multis annis fuerit, neque de prædiis unquam temere diſceſſerit. & cætera.

TEXT. *Vel per ironiam, ut, Iſte quidem hæc commemorauit, ego uero hæc. &c. Quidnam feciſſet ſi hæc probaſſet, non autem illa?*

COMM. Enumeratio per ironiam interdum fieri ſolet, ut ſiquis dicat, iſte quidem hæc commemorauit, ego uero hæc, & contraria tamen intelligi uelit. ut quæ ipſe commemorauit, & probauit, per ironiam dicat ab aduerſario probata, quę uero dixit aduerſarius, fingat à ſe dicta. ſic enim figurata enumeratio gratiam habebit & uenuſtatem, animosque iudicum excitabit. fictio etiam quædam eſt ironiæ ſpecies, ut, Quidnam feciſſet ſi hæc probaſſet? non autem illa? eſt pulchra enumeratio cum Ironia apud Ciceronem in extrema oratione de lege Agraria, quam habuit in ſenatu, his uerbis; cum oſtenderit nihil eſſe metuendum, nullum exercitum, nullam manum, nullas colonias, nullam uenditionem uectigalium, nullum imperium nouum, nullum regnum decemuirale, nullam alteram Romam, neque aliam ſedem imperij nobis conſulibus futuram, ſummamque tranquillitatem pacis, atque ocij, uerendum credo nobis erit, ne ueſtra iſta præclara lex agraria magis popularis eſſe uideatur. cum uero ſcelera cõſiliorum ueſtrorum, fraudemque legis & inſidias, quæ ipſi populo R. à popularibus Trib. pl. fiant oſtendero: pertimeſcam credo, ne mihi non liceat contra uos in concione conſiſtere.

Vel per interrogationem, ut, Quid eſt, quod à me non demonſtratum ſit? uel, Iſte quid confirmauit? TEXT.

Fit etiam enumeratio per interrogationem, ut, Quid eſt, quod à me non demonſtratum ſit, cum hoc, & illud planum fecerim? quid autem iſte confirmauit? cum ego hæc & illa falſa eſſe docuerim? Cicero pro Roſcio Am. dubium eſt, ad quem maleficium pertineat? cum uideatis ex altera parte ſectorem, inimicum, ſicarium, eundemque accuſatorem hoc tempore, ex altera egẽtem, probatum ſuis filium, in quo non modo culpa nulla, ſed ne ſuſpicio quidem potuit conſiſtere? nunquid hic aliud uidetis obſtare Roſcio niſi quod patris bona uenierunt? & reliqua. COMM.

Vel igitur hoc modo per collationem, uel ordine naturæ non immutato, ſicuti res antea dictæ ſunt, hoc modo; ut ſi prius ea repetas, quæ ipſe probaſti, deinde, ſi uolueris, ſeorſum etiam quæ dixit aduerſarius. TEXT.

Quartum enumerationis modum adiungit, qui fit ſimpliciter ordine quodam naturali, cum ea repetuntur, quæ ſparſim in oratione dicta fuerunt, ſine ulla contentione, aut collatione. nam tres illi modi, quos ſupra poſuit Ariſtoteles, fere per collationem cum aduerſariis fieri ſolent, ut exempla ipſa docent. Aut igitur (inquit Ariſtoteles) enumeratione utemur hoc modo per collationem, ut docuimus, aut ſimpliciter naturæ ordine non immutato, cum res ita repetuntur, ut antea dictæ fuerunt. tunc enim uel ea tantum repetere poſſumus, quæ ipſi probauimus, uel ſi uoluerimus, etiam quæ dixit aduerſarius. hoc autem non eſt neceſſarium, & ab oratoris iudicio pendet, ut tunc id faciat, cum eſſe cauſæ ſuæ commodum intelliget. Eſt illa ſimplex enumeratio pro lege Man. Quare cum & bellum ita neceſſarium ſit, ut negligi non poſſit, ita magnum, ut accuratiſſimè ſit adminiſtrandum, & cum ei imperatorem præficere poſſitis, in quo ſit eximia belli ſcientia, ſingularis uirtus, clariſſima auctoritas, egregia fortuna, dubitabitis Quirites, quin hoc tantum boni, quod à Diis immortalibus oblatum & datum eſt, in Remp. conſeruandam atque amplificandam conferatis? nam eo ordine ſingula repetiuit, COMM.

atque enumerauit, quo antea copioſè demonſtrauerat.

TEXT. *In peroratione conuenit illud dicendi genus, quod diſſolutum uocatur, ut peroratio, non autem oratio ſit: Dixi, audiuiſtis, rem tenetis, iudicate.*

COMM. 1 De extrema perorationis parte loquitur, in qua genus dicendi ſolutum conuenire uult; quod fit, cum nullæ coniunctiones adhibentur; ſed uel membratim, uel cæſim loquimur, ut intelligant auditores nos ad extremum perueniſſe, & ne pars illa uideatur amplius oratio coniunctionibus ligata, ſed peroratio ſoluta & libera, & à reliqua oratione diſiuncta, ut ſiquis ita totam orationem claudat; Dixi, audiuiſtis, rem tenetis, iudicate. Cicero pro A. Cluentio, conſeruate A. Cluentium, reſtituite incolumem municipio, amicis, uicinis, hoſpitibus quorum ſtudia uidetis reddite, uobis in perpetuum, liberisque ueſtris obſtringite. ueſtrum eſt hoc Iudices, ueſtræ dignitatis, ueſtræ clementiæ. pro L. Flacco, Miſeremini familiæ Iudices, miſeremini fortiſſimi patris, miſeremini filij.

Tertij & ultimi libri Commentariorum M. Antonij Maioragij, in Rhetoricam Ariſtotelis, finis.

SERIES CARTARUM.

* ** ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ. Aa Bb Cc Dd Ee Ff.

Omnes ſunt quaterniones, præter Ff, qui eſt quinternio.

INDEX RERVM,
& uerborum copioſiſsimus.

Primus numerus paginam, ſecundus lineam indicat: a, uero primam columnam: b, ſecundam. In primo quaternione, quia ſingulis paginis non affixus eſt numerus, ideo a, primam columnam: b, ſecundam: c, tertiam: d, quartam commonſtrabit.

A

ABuſio. 402.30.b
Academici bonum eſſe felicitatis partem uolunt. 56.30.b
Academici aſſertionem ſuſtinebant. 264.40.b
Accipere, quàm facere, præſtat iniuriam. 95.30.b
Accuſator debet ĩ peroratione criminari. 426.10.b
Accuſator crimina obiecta prius confirmat: tũm contraria refellit. 448.20.b. *quandoque contra fit, ut Calliſtratus fecit.* 448.30.b
Accuſatori & defenſori quot, & q̃ uidẽda. 125.50.a
Accuſare & maledicere, differunt. 212.30.a
Achilles laudatus, q. honorẽ uitæ añ tulerit. 45.40.b
Achilles fortunatus, Homeri carmine. 64.20.b
Ἀκρατεῖς qui dicantur. 152.30.b
Ἀκριβοδίκαιοι qui dicantur. 153.50.a
Acroama ſuauius quodnam ſit. 141.30.a
Actio, & pronunciatio ab Ariſt. inuenta. 343.30.a
Eſt quaſi uita orationis. 343.40.a
Actio rhetorica a nemine pertractata. 343.30.b
Actio hiſtrionũ, inſtituta a Glaucone Teio. 343.30.b
Actio a Quinctiliano curioſe conſcripta. 343.40.b
Actio in quo conſiſtat. 343.50.b
Quid ſit. 344.10.a. *Vox quãdo uariãda.* 344.10.a
Vocis ſoni, acutus, grauis, medius quando adhibendi. 344.50.a
Numeri, quibus utendum ſit. 344.10.b
in *Actione tria conſideranda.* 344.30.b
Actio in dicendo una dominatur. 344.40.b
Actionis natura. 345.10.b
Actio neglecta quantũ dãni reo afferat. 345.20.b
Actio in miſerationib. plurimum ualet. 346.20.b
Actionis & elocutionis differentia. 346.40.b
Actio, in dicendo primas, ſecundas, & tertias tenet. 415.50.a
Actio omnis cum motu coniuncta eſt. 440.20.a
Actiones de dolo malo, de inoff. teſt. & quod metus cauſa. 182.20.a
Actus eſt imitatio. 406.40.a
Ad aliquid quadam referri. 29.10.b
Ἀδύνατος quis ſit. 275.50.a
Adiuncta & conſequentia. 74.10.b
Admiratio eſt iucunda res. 142.40.a
Admiratione quinam afficiantur. ibidem.
Adoleſcentium mores, qui. 260.40.b. & *deinceps.*
Adoleſcentiũ opera, uirorum conſilia, ſenum uota. 269.30.b
Adorationes, nona honoris ſpecies. 65.30.b
Adulator eſt iucundus, & cur. 142.50.a
Adulatoribus cur delectemur. 145.50.b
Adulatores in præſentia laudant. 229.20.a
Quid facere ſoleant. 229.40.a
Adulteri qua pœna afficerentur. 161.10.a
Aduerſaria, quæ dicantur. 182.20.b
Aduerſarij qui dicantur. 97.10.b
Aediles cereales. 49.30.b
Aeger. 396.40.a
Aegina Piræi Lippitudo. 401.30.a
Aegineta. 302.30.a
Aegypti quid regi reſponderint de filijs. 438.50.a
Aemon Creontis filius. 450.30.b
Aemulatio, quid ſit, & quæ bona, ac quomodo affecti hoĩes æmulentur, & in quib. hominib. 256.40.b
Aemulatio humano generi ualde utilis. ibidem.
Aemulatio duplex, in laude, & in uitio. 257.10.a
Aemulatio eſt bonorum uirorum. Differt ab inuidia. 257.30.a
Aemulatores qui ſint. 257.10.b
Aemulatio inter clariſsimos uiros, & in literis. 257.50.b. & 258
Aemulatio propter quæ bona concitetur. 258.10.b. *et deinceps.*
Aemulatione digni qui ſint. 258.40.b. & 259. *per totum.*
Aemulus quis dicatur. 257.20.b
Aeneſidemus Leontinorum rex. 257.30.b
Aenigmata, quando dicenda. 294.10.b
Aenigmata ex tralationibus effici. 357.30.a
Aenigmata, inter urbanitates. 407.10.b
Aenigma Auſonij ad Theonem. 407.40.b
Aenigma Ciceronis in Pletorium. 407.50.b
Aequalis æqualem delectat. 145.10.a
Aequum, & bonum quid ſit. 165.10.a
Id eſſe in uoluntate legiſlatoris. 165.20.b
Aequa & bona, & æqui & boni qui dicantur. 166.20.a
Aeſchines contra Demoſth. 365.20.a
Aeſchines bilanci ſimilis. 365.20.a
Aeſion. 402.50.a
Aetates quæ, & quot. 260.20.b
Aetatis mediæ mores. 268.20.b. *ætas conſtans.* 268.40.b
Aetas media omnium præſtantiſſima. 269.20.b
Affectatio, odioſa. 351.30.a. 362.10.a

Affectus non motos eſſe Athenis. 5.40.d
Affectus, de quib. 2. lib. agitur, cur mouendi. 187.40.a.& infra.
Habent præcipue locum in iudicijs. 188.40.a
Affectus qui ſint. 190.10.a. *ægritudo & uoluptas eos comitatur.* 190.40.a
in Affectu excitando, tria cõſideranda. 190.10.b
Affectus unde naſcantur. 190.50.b
Affectus, orationis ornamenta, & lenocinia, ſuperuacanea. 346.10.a
Africanus minor, diſsimulator. 202.10.a
Africani uox laudata. 95.20.b
Agatho poeta tragicus. 281.50.a
Ἀγχίνοια *quid ſit, & quõ latine dicatur.* 78.10.b
Agendi facultas in bonis numeratur. 78.20.a
Agere ſummo iure. 153.50.a
Ager publicus coli non poterat niſi conductus eſſet a cenſoribus. 163.10.b
Agricola reprehenditur, de inductione. 27.30.a
Agricolæ uiri iuſti. & agriculturæ laus. 210.30.a
Agricultura cur reliquis præſtet artibus. 90.50.a
Aglaus ab Apolline beatiſs. indicatus. 73.50.b
Agnominatio. 396.20.a
Ἀγῶνες πολιτικοί. 276.40.a
Ἀγωνιστικὴ *oratio.* 414.50.b
Agunt homines omnia propter ſeptem. 128.40.b
Agyrtæ. 354.10.b
Ἀλαζόνες. i. *uentoſi homines.* 25.10.b
Ἀλαζονεία *uentus latine dicitur.* 25.10.b
Alcibiades contumelioſus fuiſſe dicitur. 194.20.a
Alcibiades. 271.20.a
Alcidamas Eleates. 160.20.b
Alcidamas frigida oratiõe utitur. 361.20.a. *et infra.*
Epithetis non ut condimentis, ſed ut cibis utitur. 362.10.a
Nimis crebra Epitheta adhibet. 362.20.a
Metaphoras nimis affectatas adhibet. 364.10.a
Alcidamas apud Meſſenios. 306.30.b
Alcinoi apologus. 439.30.a
Alcmæon tragadia Theodectis. 308.40.a
Alea legibus uetita. 140.10.b
Alexander Achillem occidit. 310.10.b
Alexander Helenam rapuit. 310.30.a
Alexandri magni uox de uectigalibus. 50.40.a
Alexandri liberalitas. 228.40.a
Alexandri magni natura. 261.20.b
Alirrhothius a Marte occiſus. 318.10.b
Allegoria. 357.50.a
Allegoria. 402.30.b
Amabiles ſunt, qui uirtute aliqua ualent, qui ſunt in honore, qui morũ ſuauitate præſtant, qui nõ ſunt litis amatores. 210.30.b
Qui iocoſe & facile mordent, & mordentur. 211.30.a
Qui bona noſtra laudant. 211.50.a
Qui mundi ſunt in apparatu, & ueſtitu. 211.20.b
Qui non recordantur iniurias. 211.50.b
Qui noſtri ſunt ſtudioſi. 212.50.a
Amantes iniurioſi ſunt. 157.10.a
Amare quid ſit. quos amemus, & quibus de cauſſis. 208.30.a
In amando eſſe debent uoluntas, et conatus. ibidẽ.
Amantur inimici inimicorum. 209.40.b
Et qui benefici ſunt. 210.10.a. *Et liberales.* 210.10.a
Et qui non ſunt formidoloſi. 214.50.a
Amare oportet, ut aliquando ſis oſurus. 297.50.a
Amari quid ſit. 142.20.a
Amarus, quis ſit. 127.10.b
Amaſis rex. 244.10.b
Ambigua, multa. 175.40.a
Ambigua uitanda in emendata locutione. 367.40.a
Ambigua eſſe diſtinguenda. 453.20.a
Ambiguitas uitanda in emendata elocutione. 368.30.b
Fit in ſimplicib. uerbis. In cõiunctis. } 368.40.b.
Quandoq; nõ uitanda, & quando. } & 50.b.
Quam utilitatem hæc ratio afferat ambiguorum. 369.30.a
Ambiguitas, circumlocutio, & generalia dicta, ſimilia. 370.20.a
Ambitio miſerrima dicitur. 127.40.a
Ambitioſi cur muneribus capiantur. 66.40.a
Amicitia quid. 71.10.a
Amicitia triplex. 71.30.a
Amicitia pretioſiſſimum genus diuitiarũ. 77.10.b
Amicitia maxima omnia bonorũ externorũ. 77.10.b
Amicitia eſt multorum bonorum efficiens. 77.10.b
Amicitia iucundiſsima, quæ. 142.30.a
Amicitia quid ſit. 208.50.a
Amicitiæ ſpecies, quæ. 214.20.b. *Amicitiam conciliantia.* 214.30.b
Amicitia non cum quouis iungenda. 235.40.a
Amicus quid ſit. 71.20.a
Amicus eſt una anima in duobus corporibus habitans. 77.20.b
Amicus certus in re incerta cernitur. 101.10.b
Amicus in iucundis rebus numeratur. 142.10.a
Amicus quid ſit. 208.20.b
Amicus uerus, quis. 208.30.b
Amicus ab adulatore quomodo noſcatur. 208.40.b
Amici inter ſe qui ſint. 209.20.a
Amici quibus ſimus. 209.50.a
Amici amicorum amantur. 209.20.b
Et Clementes, ac placabiles. 211.50.b. *Et non maledici.* 212.20.a
Et pares. 212.30.b. *Et æmulos.* 213.10.b
Amici Reip. oratori noſcendi. 51.20.a
Amici, Theſauri, & præſidia regni dicũtur. 71.40.a.
Amici proprium eſt, lætitiam, non dolorem afferre. 200.30.b
Amicorum communia omnia. 77.20.b
Amor, quando incipiat. 139.10.a
Amor filius paupertatis a Platone dictus. 336.20.a
Amor Cauuius, in malam partem dicitur. 336.30.a
Amphiaraus uates. 308.50.a
Amphiboliæ ſpecies innumerabiles ne ſint. 175.20.a
Amphibrachus quot e ſyllabis conſtet. 387.10.b
Ἀμφιδοξεῖν *quid ſignificet.* 22.30.a
Amplificatio eſt, in qua eſt tota uis oratoris. 46.50.b

Amplificatio

Amplificatio frequens apud poetas. 98.50.b
Amplificatio potiſsimum in genere demonſtratiuo. 122.20.a
Eius præcipuus locus eſt in exornatione. 124.30.a
Amplificatio cur demonſtratiuo generi maxime conueniat. 124.10.b
Amplificatio criminis fit duob. modis. 169.10.a
Amplificatio, communis omnium generum dicendi. 277.30.a
in Amplificatione ſumma laus eloquentiæ eſt. 277.40.a
Amplificatio culta a ſophiſtis irriſa ab Ageſilao rege. 277.10.b
Amplificatio demonſtratiuo generi maxi. conuenit. 277.50.b
Amplificatio a fine cuiuſque generis trahenda. 284.30.b
Amplificatio & diminutio non eſt elementum enthymematum. 340.50.a
Amplificatio quattuor modis. 372.30.b
Amplificatio per diſſoluta, et per repetitionem. 418.30 a
Et per contentionem. 421.40.b
Amplificatio, & diminutio in peroratione. 456.10.a
Amplificatio quando adhibenda. 456.20.a
Amplificatio quomodo fiat. 456.30.a
Amplitudo & granditas orationis ut fiat. 372.40.a
Epitheta, & tralationes ad hoc faciunt. 373.20.a
Numerorum libertas, & nominum diſiunctio. 372.20.& 30.b
Commemoratio eorum, quæ nō adſunt. 374.10.a
Anacharſis Scytha temperatiſsimus. 112.20.b
Anagnoriſis quid. 144.50.b
Analysici libri qui uocentur. 26.20.b
Ἀναβολαὶ *proluſiones dithyramborum.* 390.30.a 393.20.b
Ἀναλαμβάνειν *quid ſignificet.* 161.10.b
Anaxagoras in filij morte non doluit. 118.40.b
Anaxagoras honoratus apud Lāpſacenos. 317.20.a
Anaxandrides. 401.30.b.& 410.30.b
Anaxandrida Gerontomania. 417.10.a. *Pij. ibidem.*
Anaxandrides Rhodius decies uictor euaſit. 417.20.a
Anaxilas Meſſenius. 359.30.a
Androcles rhetor. 328.20.a
Andronicus hiſtrio Demoſth. erudiuit. 345.20.a
Androtion contra Idrieum. 365.10.a
Animus commouendus in peroratione. 456.40.a
Animi permotiones ad fidem faciendam. 21.40.a
Animi bona præſtantiora, quàm corporis. 58.30.a
Animi uis duplex. 190.40.a. *partes duæ.* 190.50.a
Annibalis reſponſum de Imperatorib. 97.20.b
Annona, cum in conſultationem uenit. 52.40.b
Annuli ferrei apud antiquos in uſu. 165.50.b
A triumphantib. & a ſenatorib. geſtabātur. ibidē.
Aureis autem utebantur legati. 166.10.a
Antidoſis cauſa, quænam eſſet. 434.50.a
Antigona cum Argia a Creonte necata. 160.30.a
Antigonus rex. 321.30.b
Antimachus poeta. 374.10.a
Ἀντίμιμον 362.20.b
Ἀντινομία, *cum lex legi contraria eſt.* 174.40.b
Antipho tragicus. 200.30.a. *Tabulam propoſuit, in qua ſe animis curationem adhibere pollicebatur.* 200.50.a
Antipho poeta. 237.30. *Thucididis magiſter fuit.* 238.10.a
Antipho tragicus poeta. 326.10.a
Antiſpaſtus. 387.30.b
Antiſthenes Cynicæ ſectæ auctor. 306.10.b
Ἀντιστρέφοντα *dilemmata.* 321.30.b
Ἀντίστροφος *dialectica Rhetorica.* 1.40.a
Ἀντίστροφος *quomodo explicetur a Cice.* 1.10.b
Ἀντίστροφος *apud Aphrodiſieū quid ſignificet.* 1.10.b
Ἀντίστροφος *an ſit ex altera parte reſpōdere.* 1.30 d
Antiſtrophæ ueterū poetarū. 390.40.a. 393.40.b
Antocles orator. 318.30.a
Apelles Protogenem reprehendebat. 379.40.a
Apellis conſuetudo, nullū diem ſine linea ducendi. 142.30.b
Aper Calydonius. 310.10.a
Aperta, & occulta, unde trahatur argu. 322.50.a
Aperta hic quo modo probanda, & occulta quōmodo concedenda. 322.30.b
Hic locus plurimum ualet ex ijs, qui cōtra communes opiniones dicuntur. 323.10.a
Apicius aſotorum princeps. 136.30.b
Ἁπλῶς *quid ſignificet apud Ariſt.* 32.20.b
Ἀπόδειξις *quo uocabulo explicanda ſit.* 19.20.b
Apollinis tria epitheta. 388.50.b
Ἀποπλάνησις. 422.40.a
Ἀποφατικὰ *contraria.* 307.30.a
Apothegmata Laconica, quādo cōueniant. 294.40.a
Apophtegmata, urbana. 407.50.a
Ἀποτύχημα, ἁμάρτημα, ἀδίκημα, *quid ſint.* 166.40.a
Ἀποτυγχάνειν. 235.10.a
Appetitus duplex. 128.40.b
Apetitus duas habet potentias. 190.40.b
Appius de Luculli pecore. 405.30.a
Approbatum in re iudicata, quid. 317.30.b
Apuleius compoſitione frigida utitur. 160.40.a
Nimis crebris Epithetis abundat, & poetice exultat. 361.10.b.& *infra.*
Ridiculus eſt. 362.40.b
Aqua cur optima dicatur a Pindaro. 92.10.b
Aqua & igni cur interdicatur exulibus. 92.20.b
Aquila Romanus de repetitione. 416.30.b
Arbiter æquū & bonū ſpectat, iudex legē. 168.10.a
Arbiter quis ſit. & cur honorarius. ibidem.
Arbiter & iudex quomodo differant. ibidem.
Arbiter & ara, idem. 406.30.b
Arbitrari uerbum in dicendo teſtimonio. 264.50.b
Arcades αὐτόχθονες. 58.50.b
Arcades προσέληνοι, *dicti.* 59.10.a
Ἀρχή 409.30.b.& 410.10.a
Archelaus Macedoniæ rex Soc. ad ſe euocabat. 314.50.b
Archidamus rex, cur multatus. 59.40.b

Archidamus. 365.30.a
Archilochus cur a Lacedæmonijs pulſus. 227.10.b
Archilochus apud Parios honoratus. 317.10.a
Archilochus quomodo maledictis uexarit Lycambem. 450.50.a
Architas arbitrum, & aram idē eſſe dixit. 406.20.b
Architæ dictum de iracundia. 132.30.b
Areopagita taciturnior, qui dicatur. 6.10.a
Areopagitæ nolebant extra cauſam quicquam dici. 5.20.d
Areopagitæ qui fuerint. 5.30.d
Areopagitæ noctu, & taciti indicabant. 5.50.d
Argumentum propriæ nota. 34.40.b
Argumentum a maiore quod uocetur. 309.30.a
Argumen. a minore, quod dicatur. ibidem.
a tēpore. 311.30.a. *quo ſæpe utitur Cic.* 311.10.b
a fictione. 311.30.b. *a. Definitione.* 313.20.b
Argumenta in quaque arte, unde ducenda. 40.30.b
Argumenta neque exordio, neque perorationi conuenire. 446.10.a
Argumenta refellentia ſunt præſtantiora. 448.10.a
Argumenta contrahenda eſſe. 453.10.a
Argumentatio aut neceſſario, aut probabiliter concludit. 34.20.b
Argumentatio quid ſit. 34.30.b
Argumentatio iudiciali generi maxime conuenit. 124.10.b.
Argumentatio, & locus, non idem. 340.20.b
Argumentationes duob. modis diſſolui. 335.10.b
Argumentandi duo genera. 33.40.a
Arioli generatim multa prædicunt. 369.10.b
Ariſtides quare Enthymematicus dicatur. 5.30.a
Ariſtides cur Themiſtoclis conſilium repudiarit. 45.40.a
Ariſtippus quid moneret. 78.30.b
Ariſtippus Cyrenaicus, Soc. auditor. 318.30.b
Ariſtocratia, quod genus Reip. 54.10.a
Ariſtocratia quid. 105.30.a
Ariſtoteles aliorū ſcripta cōbuſſit. & cur. 153.10.a
Ariſto. quem fructū a philoſophia tulerit. 172.40.b
Ariſto. quando cœpit ueſpertinis horis docere. 345.50.a
Aureum flumen orationis fundit. 346.30.a
Arrogantis hominis qualis oratio. 377.40.b
Ars ſine exercitatione non confert ad dicendum. 4.30.a
Ars ab experientia gignitur frequentatis actionibus. 29.50.b
Ars ex quibus conſtet. 30.20.a
Ars & uirtus ſemper in difficili uerſantur. 92.30.b
Ars naturam imitatur. 343.10.a
Ars in oratione occultanda. 350.40.a
Quomodo occultetur. 351.10.a
Ars diſſimulanda. 379.10.b
Artis cognitio in præceptis eſt. 19.20.a
Artis uſus in quibus ſit. 19.20.a
Artes ad loquendum pertinentes, quinq;. 2.30.c
Artes certam habere materiam. 3.10.c
Artes quædam propriæ, quædam cōmunes. 13.30.a
Artes διδασκαλικαί *quæ ſint.* 19.50.a
Artes non contineri certo numero. 39.20.b
Artes nouæ ſunt honore dignæ. 64.10.a
Artes mercenariæ, uiles. 116.30.b
Artes & ſcientiæ ſunt rerum poßibiliū. 279.40.b
Artificium occultandum, & quo modo. 351.10.a
Artificioſæ probationes, quæ. 20.30.b
Ipſarum tria ſunt genera. 21.20.a
Artoxerſis liberalitas in ruſticum. 64.40.a
Aſoti qui dicantur. 126.40.b
Aſpectus ſunt multæ uoluptates. 136.50.b
Aſſentatio ſemper auget res. 229.30.a
Aßimilatio quid ſit. 396.10.a
Ἀστεῖα παθήματα *quæ dicantur.* 246.40.b
Atalanta, a Meleagro adamata. 200.30.a
Atalanta uirgo. 310.20.a
Ataſthalia natura. 361.20.a
Athenienſes agros ſteriles habebant. 53.10.a
Athenienſes αὐτόχθονες. 58.50.b
Athenienſes Athenis laudare, facile. 117.50.b
Athenienſes ſcire recta, ſed nolle facere. 129.20.b
Athenienſes quomodo laudari poßint. 301.30.b
Et unde uituperari. 302.20.a
Athenienſes frumēto importato utebātur. 400.30.b
Athenienſium reſp. qualis. 55.20.a
Athyma poeſis. 361.20.a
Ἀτιμία. 193.30.a
Atlantis columna, quæ. 417.40.a
Atrocius quid dicatur. 171.30.a
Atrox & terribile differt a miſerabili. 244.30.b
Attentio in exordijs quomodo paretur. 427.20.a
Attentio nō ſemper facienda in exordio. 426.20.b
Attentio in omnib. partib. orationis. 428.40.a
Attica olearum ferax. 328.50.a
Attici in urbanis dictis excelluerunt. 397.10.b
Attici ſales. Atticus lepos, Attica eloquētia. ibidē.
Auaritia ſemper alieni appetens. 126.30.b
Auarus, licet diues ſit, tamen mendicus eſt. 62.50.b
Audacia alitur impunitate. 220.30.a
Audentes Fortuna iuuat. 226.20.b
Auditor ſic afficitur, ut orator. 377.40.a
Attonitus quandoque uidetur. 377.50.a
Auditorum duo genera. 7.50.c
Auditorum tria genera. 42.10.a
Auditus uoluptates, quæ. 136.50.b
Auguria, auſpicia, omina, apud ueteres. 226.20.a
Auguſtus. 377.10.b
Auſcultator, quis uocetur. 42.10.b
Auſonius Gallus. 407.40.b
Ἀξιώσεις *quando ſit orator.* 21.10.b
Αὐτομάτως *quis dicatur.* 58.10.b
Αὐτόχθονες *qui dicuntur.* 58.50.b
Αὐτοκράτορες *apud Græcos.* 387.30.a

B

Bacchus quib. nominib. uocetur. 355.10.a
Bacchi ſacra, & quid in eis fieret. ibidem.
Bacchi adulatores, ſe artifices uocabant. ibidē.
Bacchius pes. 387.10.b
Βάσανος. *quæſtio, cum quis torquetur.* 182.50.b

Batillus

Batillus uerſus Virgilianos ſibi uendicauit. 230. 20.a
Beatus quis ex Metrodori ſententia. 57.50.a
Beatus ex iucunditate uitæ. 57.50.a
Beatus dicitur, qui uacat omnibus malis,& habet bona omnia. 76.30.b
Beati non ſunt, qui in calamitatibus uerſantur. 57. 20.a
Beatitudo,& felicitas pro eodem. 121.20.a
Bellerophon. 237.30.a
Bellum & pax qui in deliberationem ueniunt. 49. 10.b
Bellum qui ſuadere uult,quæ noſſe debeat. 301. 30.a
Bella præterita uoſcenda ſuaſori. 51.30.a
Bella non ſolum ſuæ Reip.ſed aliarum etiam uoſcenda. 51.50.b
Benefacta male locata eſſe malefacta. 144.10.a
Beneficium quid ſit, quando magnum, aut paruum, Vide, gratia.
Beneficium acceptum æternæ memoriæ figendum. 114.10.a
Beneficia honore digna,quæ. 63.40.b
Beneficia mutua,iucunda eſſe. 143.50.b
Beneficia non commemoranda. 167.20.b
Beneficia non eſſe in quinque genera conferenda. 178.30.a
Beneuolentia quomodo captetur. 430.10.a
Benigni hominis oratio. 377.40.b
Bias unus e ſeptem,quæ bona putaret. 78.30.b
Biantis ſententia de amore reprehenſa. 265.40.a
Bis ad eundem lapidem impingere. 170.10.b
Bis dat,qui cito dat. 209.10.b
Βιαίωσις.i.inuerſio, argumentationis genus. 322. 30.a
Bocchyris rex Aegypti iuſtiſſ. 112.40.a
Bœotij ſimiles ilicibus. 366.20.a
Bonus uir cur legib.pareat. 72.40.b
Boni proprium eſt, ut propter ſe expetatur. 90. 10.a
Boni beati cenſentur,mali miſeri. 57.10.a
Bonos eſſe,quos inimici laudant. 82.10.a
Bonum eſſe id, quod omnia concupiſcunt. 56. 30.a
Bonum eſſe partem felicitatis. 56.30.b
Bonum quid ſit,& uariæ eius deſcriptiones. 72.50 b
Bonum eſſe,quod per ſe ſufficit. 73.40.b
Bonum quanto maius eſt,tanto optabilius. 75.10.b
Bonum cenſeri,quod a fœminis lectiſſimis iudicatur, & a iuris ſapientib.& dijs. 82.20.b
Bonum habet rationem finis. 90.10.a
Bona maxime utilia,eſſe quattuor. 15.20.b
Bona animi,corporis,& externa, partes fœlicitatis. 56.40.b
Bona in quattuor partes diſtribui. 58.20.a
Bona extra corpus,ſeptem. 58.40.a
Bona in corpore,quinque. 58.40.a
Bona animi extra animum, tria. 58.40.a.& 58. 30.b
Bona animi in animo,quattuor. 58.40.a
Bona uel in ipſo homine,uel extra. 58.50.a
Bona,quæ in ipſo homine dicuntur eſſe. 58.20.b
Bona exiſtimatio diuitijs præſtat. 63.30.a
Bona bipartito diſtribui. 74.10.a
Bona ualetudo,res optima exiſtimatur. 77.30.a
Bona ſunt,quæ alicuius ſunt propria. 83.40.b
Bona exiſtimatio,ſuauis. 141.30.a
Bona a natura data laudari. 113.30.a
Bona honeſtiora,quàm utilia. 113.30.a
Bonorum uaria genera. 232.30.b
Brabeutæ,qui. 182.30.a
Breuitas obſcuritatem parit. 40.10.a
Breuitas quomodo paretur. 372.30.b
Brutus uehemens a Cæſare dictus. 261.40.a
Bruti filiorum coniuratio quomodo cognita. 37. 30.b
Bryſo ſophiſta. 358.10.a
Byblis amore fratris capta. 336.30.a
Βύλησις quid apud ſtoicos. 128.30.b
Byzantij in dictis urbanis ualebant. 397.10.b

C

Caeci cur impudentiores. 233.10.b
Cæcilius Plocius. 308.40.b
C.Cæſar. 370.10.a
C.Cæſar in Hiſpania imaginem Alexan. uidit. 259. 50.a
C. Caligulæ inſcitia de Virgilio, & T.Liuio. 198. 40.b
C.Fabritij dictum de Cynea. 79.30.b
Calcei partes. 280.40.a
Callias quo modo Iphicratis conuitiũ repreſſit. 354. 30.b
Callippus Dionem accuſauit. 157.40.a
Callippus rhetoricorum ſcriptor. 320.40.b
Cuius tota ars in uno loco explicando conſumitur. 327.40.a
Calliſthenes. 206.20.b
Calliſthenes ab Ariſt.admonitus. 274.10.b
Calliſtratus Aphidnæus δημαγωγὸς dictus. 91.40.b
Calliſtratus orator. 168.40.b
Calliſtratus prius omnia refutauit,deinde ſua confirmauit. 448.30.b
Calydonius aper. 310.10.a
Καμπαί.i.flexiones. 390.40.b
Canes in præſepio. 193.20.a
Canus fit uno die,qui amore conflictatur. 70.20.a
Capilli tondebantur apud Græcos in funeribus. 403. 30.a
Capra gladium. 413.40.a
Captioſus quis appellandus. 17.10.b
Carcer cur repertus. 170.30.b
Carceris apud ueteres tria genera. 170.30.b
Carcinus poeta Medeam ſcripſit. 331.10.b
Carcinus Oedipum ſcripſit. 443.40.a
Carere quid ſignificet. 315.20.b
Carmen de glacie. 357.30.a
Carmina, & ſoluta oratio, honoris partes. 64. 20.b
Carmina facilius, quàm oratio memoriæ mandantur. 392.10.a

Carneades in utranque partem de iuſtitia diſputauit. 14.20.a
Carneades in diſputando in contrarias partes excelluit. 14.30.a
Carpathius leporem. 413.30.a
Caſtigatio, cuius gratia fiat. 132.20.b
Caſtor & Pollux Helenæ fratres. 310.50.a
Caſus & coniugata differre. 96.40.b
Caſus quis dicatur in purgatione. 153.20.a
Καταφρόνησις. i. contemptus. 192.50.b
Κατεστραμμένη λέξις. 391.30.a
Catilina in ſenatu a Cice. accuſatus non reſpondit. 377.10.b
Cato, iuſtiſsimus habitus eſt. 112.40.a
Cato ſenior, quoties accuſatus. 148 40.b
Cato cenſorius de adoleſcentib. 263.10.a
Cauillatio. 408.10.b
Caunius amor, pro turpi, & infami. 336.30.a
Cauſa quid ſit. 90.50.b
Cauſa pro fine. 91.30.a
Cauſa æquior facilius defenditur. 14.10.b
Cauſa, quam acturus ſis, cognoſcenda. 301.20.a
Cauſa inferior dicendo fit ſuperior. 335.10.a
Cauſa, ex qua factum quid concludatur, quo modo tractanda ſit. 329.40.b
Cauſarum locus latisſime patet. 329.40.b
Cauſas rerũ apud oẽs ſcriptores explicari. 332.30.b
Cauſæ & principij differentia. 90. 50.b
Cauſæ, quibus homines mentiuntur, tres. 4.10.c
Cauſæ, cur fallaciæ in iudicijs proſint, duæ. 8.10.d
Cauſarum genera, tria. 42.20.a
Cauſarum genera tria eſſe. 42.30.b
Cauſidici procliues ad faciendam iniuriã. 149.10.a
Celandi, & impunitatis ſpes ad iniuriam impellit. 148.30.a
Centeſimæ uſura. 401.10.b
Cephalus, Procrin uxorem per imprudentiam occidit. 166.50.a
Κεφαλίς. 280.50.a
Cephiſodotus thuri ſimilis. 366.10.b
Cephiſodotus de triremib. 402.20.a
Ceres dea ſalutaris dicta. 451.20.b
Certamina ſimplicia, & mixta. 69.50.a
Chabrias Athenienſium dux egregius. 92.20.a
Chabrias Athenienſium Imperator. 403.20.b
Chæremon poeta. 415.40.b
Chares quis, & Charetis promiſſa. 178.50.b
Chares uolebat reddere rationes Reip. geſtæ, alieno tempore. 400.20.b
Charetis pollicitationes. 400.20.b
Chilo Lacedæmonius dixit, ne quid nimis. 263.40.b
Chilo in ſenatum a Spartanis lectus. 317.20.a
χίμετλα. 408 40.b
χιτὼν calcei pars. 280.10.b
Choreus cur dicatur. 386.40.b
quot ſyllabas habeat. 387.10.b
Choragus Athenis, quis. 355.20.a
Choriambus. 387.30.b
χρηστοφιλία. i. bonitas amicorum. 71.20.a
χρονοτριβεῖν. 363.10.a
Chryſippus, ieiune conſcripſit. 346.40.a
Cibus publice alicui tributus. 65.10.b
Cicero defenſus a P. Victorij calumnia. 1.10.b
Cicero quos honores primus ſit conſequutus. 63.10.b
Cicero exemplis utitur, Demoſthe. Enthymematis. 289.20.a
Ciceronis locus ad Brutum. 1.40.a
Ciceronis ſententia de affinitate Rheto. & Dialect. 1.30.b
Ciceronis auus, fullo. 100.20.b
Cimon Athenienſis, liberalis. 109.50.a
Cimon, Miltiadis F. 271.40.a
Circulus poema Phaylli. 439.10.b. & aliorum.
Circuli definitio. 372.10 b
Circumſcriptio quando rem obſcurat, & inſuauem facit orationem. 368.20.b
Ciuitas præmio & pœna conſeruatur. 98.10.b
Ciuitates cur ſuos conditores in Deos referrent. 59.50.a
Ciuitatis nobilitas, unde. 59.20.b
Ciuitatum mores, inſtituta, & diſciplina, & leges apud Ariſto. 53.50.b
Ciuilis hominis officia duo, loqui, & ſcribere. 415.20.a
Clementia, & placabilitate nihil maius. 203.40.b
Cleobuli ſententia de uxore. 837.10.a
Cleodemus cucurbitulis utebatur. 357.20.a
Cleon cautus, & fallax. 154.40.b
cleon. 191.30.b
Cleophon orator, & ciuis turbulentus. 177.40.a
Cleophon abiecta nomina ornat. 375.30.b
Clytus ab Alexandro interfectus. 283.40.b
Cn. Lentulus orator. 343.40.a
Coacervatio exuperantiã dupliciter oſtẽdit. 99.20.b
Cognatio quid ſit. 214.20.b
Cognitio noſtra duplicem habet originem. 35.20.b
Cognominata nomina: quæ polyonyma uocantur. 352.40.a
his utuntur communiter poetæ, & oratores. 352.40.a
Κοινωνοὶ qui uocentur. 149.50.a
Κόλασις quid ſit. 132.20.b
Collatio quid. 285.20.b. Solon ſæpe utebatur. 286.10.b
Colligere licet quattuor modis. 38.50.a
Comici poetæ, & Satyrici. 234.30.b
Commemoratio eorum, quæ rei non inſunt, ualet ad amplificandum. 374.10.a. Valet ad laudan. & uitup. 374.10.b
Commotio animi, quid. 260.50.a
Commune in re iudicata, quid. 327.30.b
Communia & propria rerum, quæ dicantur. 304.30.a
Commutatio res iucunda eſt. 142.40.b
Compar quid ſit. 395.40.b
Comparatio bonorum facienda in dando conſilio. 86.10.b
Comparatio cum præſtantiſſimis facienda. 123.50.b
Compenſatio malis quandoque medetur. 432 50.a

Complexio

Complexio, argumentationis genus. 321.40.a
Valet in altercando, & in eo præſtabat Hortenſius. ibidem.
Complexio. 396.40.b
Conciliant homines mala, prouerbio dicitur. 60.10.a
Concitatus. 405.40.a
Concluſio quænam uocetur. 28.30.a
Concluſio ſimilis eſt principijs ſuis. 35.30.a
Concluſio ex duobus enunciatis ſingularibus non fit. 37.20.a
Concluſio, uide peroratio. 455.20.a
Condemnati cur conſtanter ſupplicium ſubeant. 222.30.a
Conficientia, tribus modis dicuntur. 74.50.b
Confidentia, & cõfidere timori opponitur. 222.50.b
Confidentia, & cõfidere, uerba media eſſe. 223.10.a
Confidentia quid ſit, & quomodo affecti homines confidant. 223.30.a
Confidentia fit, ſi peccatum corrigi poteſt. 223.10.b
Si auxilia uel multa, uel magna ſint, ibidem.
Si iniuriam neque acceperis, neque intuleris. 223.40.b
Si nulli ſint aduerſarij, uel debiles ſint, uel amici.
Si beneficia acceperunt. ſi plures ſint, quibus eadem conducant. 224.30.a
Confidentes homines qui eſſe ſoleant. 224.50.a. & infra.
Confidentes ſunt duabus de cauſis. ibidem.
Confidentes propter quinque res. 225.50.a
Et qui ſe Deo eſſe curæ putant. ibidē. Et iracundi.
Et cum priores aggrediuntur. 226.20.b
Confirmatio fit tribus modis. 324.50.a
Confirmatio, & refutatio eiuſdem ſpeciei ſunt argumentationes. 340.50.b
Congeries, & ſuperſtructio. 99.30.40.b
Congruentia duobus modis dici. 84.30.a
Conjecturales artes quod officium habeant. 16.40.a
Coniugata quæ uocentur. 96.40.b
Coniunctio uerborũ permiſſa oratoribus. 363.20.a
Coniunctiones ne longo interuallo diſiungantur. 367.10.b.
Coniunctiones non ſunt coniunctionibus accumulandæ. 367.30.b
Coniunctionum uſus. 367.30.a
Coniunctionum ordo. 367.40.a
Conon de Euagora. 319.50.a
Conſcientia, mille teſtes. 237.40.a
Conſecutio quid ſit. 370.40.a
Conſequens duobus modis dici. 74.50.a
Conſequens expendi debet, quo modo inde trahatur argumentum. 332.10.a. *quod fallax eſſe ſolet. ibidem.*
Conſequentia, quæ non conuertuntur, eſſe inferiora. 88.10.b.
Conſequentia tribus modis dici. 88.30.b
Conſilium & ratio in malam partem. 132.50.a
Conſilii & ratione quæ fiant. 132.10.a
Conſtans ætas, & utilis, quæ media dicitur. 268.40.b
Conſtitutio, coniecturalis. 443.30.b. *qualitatis & definitiua.* 444.10.a
Conſuetudo quaſi altera natura, & eius uis. 131.40.b
Per conſuetudinem quæ faciunt homines. ibidem.
Conſuetudo praua non parendi. 176.20.a
Contemptus negligentiæ ſpecies. 192.30.b
Contemptores qui ſint, & quos cõtemnant. 259.10.b
Contentio in ambitu orationis. 394.40.a. & 395.30.b
Contentio, compar, & ſimiliter deſinens, coniuncta. 397.10.a
Contentio falſa. 397.30.a
Contentio aduerſariorum in repetitione quo modo fiat. 457.10.a
Contingentia, quæ in nobis ſunt, in delib. cadunt. 48.10.a
Contra naturam quæ fiant. 131.40.a
Contractus, quid. 181.30.b
Contraria quattuor modis dicuntur. 307.10.a
Contraria contrariorum conſequentia. 336.50.a
Contraria ſub eodem ſunt genere. 354.10.a
Contrariorum eadem diſciplina. 322.50.b
Controuerſia ciuilis. 376.40.a
Contumacia quid ſit, & unde ducatur. 117.10.b
Contumelia, ſpecies negligentiæ. 192.30.b
Contumelia quid ſit. 193.10.b. *quot ad eam concurrant. ibidem.*
Conuerſio, orationis exornatio. 396.40.a
Conuerſiones in oratione. 390.40.a
Copiæ ſint oratori cognitæ, qui de bello loquatur. 51.20.a
Copulatio adiuncta, auget. 373.40.b
Corax rhetor. 334.50.a. *inuentor rhetorices.* 334.10.a
Coracis ars imperfecta. 334.10.a
Cordax genus ſaltationis. 387.10.a
Cordaciſmus, quid. ibidem.
Cordiſtæ Galatarum populi. 193.20.a
Coricus luctator. 69.20.a
Corinthus urbs cur a Romanis euerſa. 152.50.b
Cornelius Gallus in re Venerea mortuus. 136.30.b
Corona ciuica, quibus donabatur. 63.50.b
Corporis bona præſtant externis. 58.30.a
Correctiones, quibus utitur orator, ne faſtidiat. 379.30.a
Corui dicuntur, qui mala libẽter nunciant. 200.40.b
Corycus athleta. 412.50.b
Corycus, theca ſagittarum. 363.40.a
Cottabus ludus, & cottabia, præmium. 157.30.b
Cræſus Lydorum rex. 369.30.a
Crapula plures occidi, quàm gladio. 70.40.b
Cratylus ab Aeſchine accuſatus. 442.20.a
Credibile quid uocetur a Quinctil. 36.20.a
Credibilia ſunt in triplici genere. 17.30.a
Cremaſtra quid ſit. 406.40.b
Creon a Theſeo occiſus. 160.40.a
Crepundia, græce athyrmata. 361.20.a
Creticus. 387.10.b
Crimen, & iniuria quomodo differant. 162.40.a
Crimen reſelli, ſi meliore uia fieri potuit. 330.10.b

Crimen omne non omni perſonæ conuenire. 334.20.b
Criminatio inter perturbationes collocari. 5.10.c
Criminatio in proœmijs quo modo tractanda. 431.30.b
Criminatio quõ diſſoluẽda. 431.40.b.& 432.20.a
Et ita deinceps multis modis docet repelli eam poſſe uſque ad. 436.
Critias, unus è triginta tyrannis. 177.10.a
κριτὴς quomodo latine dicatur. 8.40.c
Critolai de uirtute ſententia. 87.30.b
Cucurbitulæ quibus nominibus ſignificentur. 356.20.b
Culpa in aliquem falſo coniecta, quomodo reijcienda, & argumentum inde ductum. 329.30.a
Cupiditas impellit ad agẽdũ, q̃ ſuauia ſunt. 132.40.b
Cupiditas quid ſit. 136.20.a
Cupiditatum ſpecies. 136.40.a
Cupiditas uel quieta, uel commouens. 152.20.a
Cupiditas, & facultas ad agẽdũ impellunt. 282.50.b
Cupiditates in ſenib. uel nullæ, uel remiſſæ. 267.20.b
Curio a Cice. perturbatus non reſpondit. 377.10.b
Curſores naſci ita habiles. 68.40.b
Curſores coronabantur. 68.50.b
Cuſtodia regionis in conſultationem uenit. 49.20.b
Cuſtodia regionis trib. potiſſimũ continetur. 52.40.a
Κυανόχρουν. 360.30.b
Cydias orator. 236.30.b
Cygnus quo modo ab Achille caſus. 304.20.b
Cynicorum impudentia damnata. 235.40.b
Cynoſarges, ubi ſpurij Athenis exercebantur. 59.50.b
Cyrſilus Athenienſis cur lapidib. obrutus. 105.50.b
Cyrus Perſarum rex nomina ſuorum militum didicit. 202.10.b

D

DAduchi ſacerdotes magnæ matris. 354.40.a
Dædalus cur Talum puerum occiderit. 356.30.a
Dea ſalutaris, & eius myſteria. 451.30.b
Deus Opt. Max. ab Heraclito ſignificatus. 371.40.a
Dei proprium. 203.30.b
Deos omnia bona laboribus uendere. 80.30.b
Decorum in oratione ſeruandum. 350.20.a
Decorum in oratione, in tribus rebus. 375.30.a
In motibus animi: ad auditorem pertinens,
In moribus exprimendis, ad oratorem.
In ſubiectis rebus, ad cauſam.
Defectus, & locus a defectu quomodo tractan. 333.20.a
Defenſor argumentis magis abundat, quàm accuſator. 338.30.a
Debet oſtendere crimina non eſſe neceſſaria, nec uerisimilia. 338.40.b
Defenſor refutare prius debet, quæ obiecta ſunt. 448.50.b
Debet auditoris animum præparare. 449.20.a
Definitio facit, ut quid res ſit, intelligatur. 18.30.a
Definitio in iudicio quandoque uerſatur. 163.20.a
Definitio quid uocetur ab Ariſt. 313.20.b
Definitionis quinque ſpecies. 313.30.b
Definitio loco nominis ad amplitudinem orationis. 372.40.a
Conglobata hoc maxime facit. 372.20.b
Delectus, & iudicium. 126.40.a
Delectus propoſitionum habendus. 303.40.a
Deliberatio dignior iudicijs. 8.30.a
Deliberatio & iudicium eadẽ uia tractantur. 8.40.a
Deliberatio eſt de reb. quæ in utranque partem cadere poſſunt. 31.50.a
Deliberatio omnis de futuro eſt. 31.30.b
Deliberatio duas habet partes. 43.10.a
Deliberatio quibus de rebus ſit. 47.30.a
Deliberatio eſt de quinque rebus. 49.30.a
Deliberatio non eſt de fine. 56.10.a
Deliberatio non de fine, ſed ijs, quæ ad finem pertinent. 72.40.b
Deliberationes & iudicia ſunt duo præcipua genera rhetor. 8.30.a
Deliberantis oratio qualis ſit. 446.50.b
Deliberatiuum genus ſpecioſius quàm iudiciale. 8.20.b
Deliberatiuum genus. 42.40.b
Deliberatiuum & demonſtratiuum quandoque conuenire. 121.30.a
Deliberatiuum genus difficilius, quàm iudiciale. 446.50.a
Deliberatiui generis orationes apud Cice. 43.20.a
Deliberatiui generis locutio. 418.40.a
Vmbratili picturæ comparatur. ibidem.
Locutio ſimplex, & grauis, & ſententioſa. 418.20.b
In hoc genereineruditi habentur ingenioſiores. 419.40.a
Delicatus quis uocetur. 127.10.a
Delicati qui reges fuerint. ibidem.
Deliri ſuas habent opiniones. 30.40.b
Demades ex piſcatore orator. 3.50.c
Demades Demoſthenis inimicus. 332.50.b
Demades melius dixit, quam ſcripſit. 416.30.a
Δημηγορικὴ λέξις quæ ſit. 415.10.a
Δημηγόρος quis dicatur apud Græcos. 91.40.b
Demetrij uox de eloquentia. 148.30.b
Demiſſi hominis oratio. 377.40.b
Democratia, uitioſus reip. ſtatus. 54.20.a
Democrates in oratores. 366.40.a
Democritus cur perpetuo rideret. 70.20.a
Democritus Protagoræ magiſter. 335.30.a
Democritus de poetis. 381.10.a
Demodocus in Mileſios. 126.10.b
Demonſtratio quia eſt, & propter quid. 37.50.a
Demonſtratio quomodo ſoluat argumentũ. 341.10.a
Demonſtratio à ſignis ducta, mores exprimit. 377.30.b
Demonſtratio. 420.10.b
Demonſtratio prodici. 50. drachmarum. 428.10.a
Demonſtratiuum orationis genus. 42.40.b
Demonſtratiuum genus duas hẽt partes. 43.10.b
Demonſt. genus eſt cum alijs mixtum. 43.10.b
Demonſtratiui generis orationes Cicero. & aliorum, quæ. 43.30.b

Demon-

Index.

Demonſtratiuum genus, quibus nominibus uocetur. 106.50.b.
In demonſtratiuo genere quæ laudentur quæque ui tuperentur. 106.50.b
Demonſtratiuum enthymema, & refellens. 305.40.a
Demonſtratiuum generis in ſcribendo, primas. iudiciale ſecundas, deliberatiuum tertias teneat. 419.20.b
In hoc genere quæ partes adhibeantur. 421.10.a
Demonſtratiui generis oratio aptiſſ. ad ſcriben. 419.40.a.
Omnia ornamentorum genera debet continere in ſe.
Dulce genus orationis, ſolutum, fluens, ſententijs argutum, uerbis ſonans. 419.10.b
Demonſtratiua ſetentia ut ſit utilis orationi. 2.30.c
Demonſtratiua propoſitio. 18.10.b
Demoſthenes quando obmutuit. 233.40.a
Demoſthenes perſuaſit Thebanis, ut Philippo deficerent. 312.20.a
Demoſthenes à Demade inſimulatus. 332.30.b
Demoſthenes non Orator, ſed alius. 366.30.a
Demoſthenis acuta uox in Pytheam. 29.10.a
Demoſthenis pronunciatio à Satyro hiſtrione emendata. 345.10.a
Demoſthenis enthymemata lucernam olebant. 445.50.a
Denarius quid ualeret. 168.30.b.
Depoſitum non reddere. 227.20.b.
Derſores. 234.30.b.
Deſiderabilia eſſe maiora ijs, quibus facile careas. 103.40.b
Deſperati non timent. 222.10.a. Et quādoque fiunt fortiores. 222.40.a. Deſperatis uetat Hippoc. adhiberi medicinam. 222.40.a
Detrectatio militiæ, & pœna. 161.30.a
Dextra fidei, & concordiæ ſignum. 371.40.b
Diagoras gaudio exanimatus. 34.20.a
Dialectica quid orationi conferat. 2.30.c
Dialectica cur omnium artium maxima. 10.10.b
Dialectica ueri, & falſi index. 11.50.a
Dialectica diſſerit de rebus in contrarias partes. 14.40.a
Dialectica per interrogationem diſputat. 14.40.a
Dialectica non eſt determinata materia. 1.20.a
Dialectica imperitus facile decipitur. 11.50.a
Dialecticam eſſe oratori neceſſariam. 10.30.b
Dialecticus etiam fallaces cōcluſiones nouit. 17.50.a
Dialectici officia duo. 3.20.d
Dialectici frequentiſſime interrogant. 453.10.a
διαθήκη uenditio. 150.40.b
δικανικὸν iudiciale genus dicendi. 42.40.b
δικανικὴ λέξις. 415.10.a
δίκη, cauſa, quæ apud iud. agitur. 12.50.a
Dicendi non eſſe artem ex Carneadis ſententia. 3.30.c
Dicendi rationem ſine arte non perfici. 4.30.a
Dicendi ratio potius facultas, quam ars. 4.40.a
Dicendi facultatem ratione, exercitatione, & caſu fieri. 4.10.b
Dichoræus. 387.20.b
Dici probabiliter, & eleganter etiam ex conſuetudine. 4.10.a
Dictio poetica cur probata. 347.20.b
Dictio forenſis qualis ſit. 415.40.a
Duas habet ſpecies. 415.10.b
διάνοια quid ſi. 12.50.a
Difficile fieri quid dicatur. 83.40.a
Difficilia, quæ pulchra, prouerbio dici. 92.30.b
Dignitas imperatoria in dicendo. 274.50.a
Dijambus. 387.30.b
Dilatio. 404.30.a
Dilemma Protagoræ, & ſacerdotis cuiuſdam. 321.10.b
Diminuta nomina ubi collocanda. 359.30.b
Dio audita filij morte, iuſsit efferri. 118.40.b
Diogenes de adoleſcente, qui erubuit. 227.10.b
Diogenes Cynicus de Cauponis. 402.30.a
Diogenis Cynici ſapientia tota in contemptu rerum. 90.40.a
Diomedes & Vlyſſes quomodo ſe ſe refellant. 435.40.b.
Dionyſius Siciliæ tyrannus. 39.10.a
Dionyſius ſuperior. 271.30.a
Dionyſius tyrannus factus metragyrtes. 354.50.b
Dionyſius poeta elegiarum ſcriptor. 356.10.a
Cur æneus ſit uocatus. 356.30.a
Dionyſii tyranni factum contra auarum. 63.10.a
Diopithes Athenienſis. 244.10.a
diſceptator græce dicitur κριτής. 8.40.c
diſcere iucundum eſt. 143.50.a
diſiunctio nominum ad amplificationem ualet. 373.30.b
diſiunctio in periodo. 394.40.a
diſpenſator, & diſpenſatio, quarum rerum ſit. 182.30.a
diſpondæus. 387.20.b
diſpoſitio. 342.20.a
diſputare in utranque partem, erat ueterum exercitatio. 14.10.a
Diſſerendi ratio, triplex. 10.40.a
diſſerendi ratio in contrarias partes ab Ariſt. tradita 13.50.b
diſſerendi ratio Oratori neceſſaria. 24.20.a
diſſidentia inter ſe ſpectanda, & inde argumenta ducenda, Et quomodo tractanda. 328.50.a
Hic locus tribus modis tractatur. 328.30.b
diſſimulatio ingenuum etiam decet. 454.40.b
Ea delectabatur Africanus. 455.10.a
diſſolutio argumentorum fit duobus modis. 335.10.a
diſſolutio argumentorum fit duobus modis. 341.10.a
diſſoluta dicendi ratio in peroratione. 458.10.a
diſſoluta quo in genere probentur. 416.10.b
Actione ſunt adiuuanda. 417.10.b
Valent ad amplificandum. 417.30.b
diſtinctio eorum, quæ dicuntur multis modis. 315.40.a
dithyrambici poetæ. 363.20.a
diues quis uere appellandus. 62.40.b
diues ex uſu, nō ex poſſeſſionibus æſtimādus. 77.50.a

diues

diues quis, ex Cic. ſententia. ibidem.
diues quis dicendus. 314.40.b
diuites liberti. 249.30.b
diuites ſtulti. 273.10.a
diuites nuper facti differunt ab alijs. ibidem.
diuites quas inferant iniurias. 273.50.a
diuitum mores. 271.10.b
diuites delicati, & teneri, & ſalacones, & elati. 272. 10.a.
diuitiæ duabus rationibus comparantur. 50.10.b
diuitiæ nobilitant. 60.10.a
diuitiæ, pars felicitatis, & quot earum partes. 60. 50.b.
diuitiæ mobiles ſunt pecunia, & ſupellex: immobiles, prædia, poſſeſſioneſque regionum: participes rationis, ſerui: expertes, pecudes. 62.10.a
diuinatio tollitur. 369.50.b
Merito reiecta. 370.20.a
diuinatio eſt præteritorum, non futurorum. 446. 19.b.
diuiſio, & locus a diuiſione periculoſus. 316.10.a
docendi artem non eſſe ſeruilem. 116.30.b
docilitas laudatur ut bonum. 78.30.a
Quid ſit. 78.10.b
docilitas in exordijs. 427.10.a
docti & indocti quo modo res probent. 299.50.b
doctrina à definitione incipienda. 18.30.a
doctrina quid ſit. 25.40.a
doctrina dicendi diuiſa in tres partes. 42.20.a
dolor unde oriatur. 252.30.a
Domitianus amphitheatrum perfecit. 146.30.a
δόξαι quæ uocentur. 187.30.a
drachma Athen. erat denarius Ro. 168.30.b
δυνάμεις: quas uocet Ariſt. 11.30.a
δυσωπία, de qua Plutarchus ſcripſit. 114.50.a

E

Brius puniendus ex Pittaci ſententia. 337. 10.a
Ἐκκλησιαστὴς quis dicatur. 7.50.b
εἰκότα, & τεκμήρια quæ uocet Ariſt. 300.30.b
Educatio quantum poſſit. 120.30.a
Εὐθέματα quæ dicantur. 158.20.b
Εὐδαιμονισμὸς quid ſignificet. 121.10.a
Εὐμάθεια, docilitas ſub ingenio eſt. 78.10.b
Εὐφυΐα acumen ingenij. 78.40.a
Ἐγκλήματα & ἀδικήματα quæ dicantur. 162.40.a
Εἰρομένη λέξις. 391.20.a
Elementa, quid ſignificent. 41.40.b
Elementa & loci enthymematum. 305.10.a
Elenchus, ſyllogiſmus contradictionis. 395.10.b
Ἑλληνίζειν eſt græce loqui, & emendate. 367.20.a
Eligi ab hominibus quæ bona ſunt. 83.20.a
Elocutio. 342.20.a
Elocutio a poetis primum exculta. 347.30.a
Poetica elocutio cur probata. 347.30.b
Poetica, & Oratoria differunt. 347.50.b
Poetica in ſoluta oratione non probatur. 348.10.a
Oratoria max. explicanda eſt hoc libro. 348.10.b
Elocutio in arte Oratoria maxime neceſſaria. 346. 20.a
Virtus elocutionis Oratoriæ. 348.20.b
Perſpicuitas maxima uirtus orationis. 348.30.b
Elocutio debet rebus conuenire. 348.40.b
dilucida, quibus nominibus & uerbis fiat. 349. 20.a
Elocutio frigida fit quattuor modis. 359.40.b
Elocutio oratoria debet eſſe emendata. 367.10.a
Hoc quinque rebus conſtat. 367.30.a
Elocutio quæ multas habet coniunctiones, uitioſa. 370. 10.b
Et quæ non poteſt interpungi. ibidem.
Obſcura quando fiat. 371.10.a. & infra.
Amplitudo orationis. 372.40.a
Elocutio priſcorum. 390.10.b
Elocutio uel tracta, uel pendens. 390.20.a
Soluta & libera, apta & coniuncta.
Pendens ex ſe finem non habet. 390.20.b
Continuata, ac producta. 391.10.a
Perpetua. ibidem.
Elocutio conuerſa, quæ periodis conſtat. 391.30.a
Huius duæ uirtutes ſunt. 391.20.b
Elocutio quæ membratim profertur, qualis. 394 30.a.
diſtincta, & oppoſita, quæ contentio dicitur. 394. 10.b
Oppoſita cur iucunda ſit. 395.50.a
Elocutio apta perorationibus. 458.10.a
Elocutionis uirtutes, ſplendor, & perſpicuitas. 419. 40.b
Eloquentia plurimum prodeſt. 77.50.b
Eloquentiæ laus apud Cic. 78.10.a
Eloquentia an utilis ſit. 320.20.b
Eloquentiæ uis. 148.30.b
Empedocles ait abſtruſa eſſe omnia. 11.10.b
Empedocles abhorrebat ab animalib. necandis. 160. 10.b
Empedocles negatur, & ambiguis utitur. 369.10.a
Emp. primus quædam monit circa rhetoricam. 369 20.a
Encomium Gorgiæ in Elienſes, reprehenſum. 431. 50.a
Ἔνδοξα in dialectica quæ ſint. 17.40.a
Ἐνέργεια. 399.20.b
Ennius in ſepulchro Scipionis poſitus. 65.50.a
Enthuſiaſmus. 380.40.b
Enthymema eſſe corpus fidei faciendæ. 4.20.d.
Enthymema tribus modis dici. 4.40.d.
Enthymema ex ueriſimilibus & ſignis 5.50.a
Enthymema, quid ſit. 9.10.b
Enthymema plurimum ualere ad probandum 9.40.b
Enthymema quomodo differat à dialectico, ſophiſtico que, & demonſt. ſyllogiſmo. 10.50.b
Enthymema eſt ſyllogiſmus imperfectus. 26.30.a
Enthymema ſimile ſyllogiſmo eſt. 26.20.b
Enthymema fit etiam ſine uniuerſali propoſitione. 28 20.a
Enthymema ex totidem propoſitionibus quot ſyllogiſmus. 28.10.b
Enthymema magis commouet animum, quàm exemplum. 29.10.a

Enthy-

Index.

Enthymema ex paucis fieri. 33. 30.a
Enthymema cur ſyllogiſmus imperfectus dicatur. 33. 40.a
Enthymema aut ſimplex, aut multiplex. 33. 20. b
Enthymema raro concludere neceſſario. 35. 40. a
Enthymema communis probatio omnium generum. 285. 30.a
Enthymema eſſe ſyllogiſmum imperfectum. 299. 10.b
Ex quibus probabilibus fiat. 300. 30.a
Non ex neceſſarijs, ſed quæ plerunque fiant. 300. 20.b
Tribus modis dici. 337. 40.a
Enthymematum elementa, & loci. 305 10.a
Species duæ. quæ differunt. ibidem.
Δεικτικὰ καὶ ἐλεγκτικὰ enthymemata. 305. 30.a
Demonſtratiua, & redarguentia. 305. 10.b
Enthymematum loci, proprij, & communes. 305. 40.b
Enthymema a contrarijs. 306. 30. a
Acutiſsimum dicitur a Cic.
Enthymema a caſibus ſimilibus. 307. 30.a
Ab ijs, quæ ſunt ad aliquid relata. 307. 10.b
Ex maiore, & minore. 309. 20.a
A tempore. 311. 30.a
Ab ijs, quæ contra nos dicuntur. 312. 20.a
A definitione. 313. 20.b
Ab ijs, quæ dicuntur multis modis. 315. 40.a
A diuiſione. 315. 40.b
Ab inductione. 316. 30.a
A rebus iudicatis. 317. 10.b
Ab enumeratione partium. 319. 20.b
A conſequentibus. 320. 30.a
A duobus contrarijs conſequentibus. 321. 20.a
Ab apertis, & occultis. 322. 50.a
A proportione. 323. 10. a
Ab euentu. 323. 30.b
Ab ijs, qui ſemper non eadem eligunt, ſed diuerſa. 325. 10.a
Cum quis dicit propter finem, qui finis non eſt. 325 50.a
Ab impellentibus & retrahentibus. 326. 30.b
Ab ijs, quæ fieri uidentur, ſed incredibilia ſunt. 327. 30.b
Cum diffidentia inter ſe ſpectamus. 328. 50.a
Ab ijs, quæ non ſunt affinia culpæ. 329. 30.a
A cauſſa. 329. 40.b
An melius alia uia res geri potuiſſet. 330. 10.b
An quicquam geri debeat, contrarium rebus geſtis 331. 20.a
Ex ijs, quæ male facta ſunt. 331. 50.a
A conſequente. 332. 10.a
Cum cauſam eſſe dicimus, quod cauſa non eſt. 332. 30.b
A defectu. 333. 20.a
Inane. 333. 30.b
A contrariis omnium firmiſſima. 336. 10.b
A quatuor fieri enthymemata. 337. 20.a
Enthymema fit ex quatuor. 337. 20.a
Tribus modis intelligitur.
Omnis ſententia enthymema uocatur. } 337. 40.a
Enthymema, & argumentum idem. } 10.b
Enthymema ex cõtrarijs apud Hermo. }
Ciceronem, & rhet. ad Alex.
Enthymema iudiciali generi magis conuenit. 445. 10.a
Enthymemata non continuanda. 445. 40.a
Enthymema magis excellit, quod refellendi uim habet 448. 10.a
Enthymema in ſententiam commutandum. 450. 50.b. *& contra.*
Enthymematis natura, quæ ſit. 27. 50.b
Enthymematis ſpecies & locus differunt. 342. 20.b
Enthymemata ex contrarijs acutiſsima. 5. 10.b
Enthymemata Demoſthenis, qualia. 8. 10.a
Enthymemata cui Oratori copioſè ſuppetant. 10. 30.a
Enthymemata non eſſe unius generis. 39. 50.a
Enthymemata rhetorica non faciunt artis peritum. 41. 10. a
Enthymemata ex proprijs artis propoſitionibus. 41. 40.a
Enthymemata pauca ex locis communibus. 41. 50.a
Enthymemata fieri ex propoſitionibus non exquiſitè. 41. 10.b
Enthymematum ſpecies, quæ. 41. 20.b
Enthymematicus quis uocetur. 7. 50.a
Enthymematici, & exemplis utentes oratores. 28. 50.b
Enumeratio partium. & arg. ab enum. 319. 20. b
Enumeratio eorum, quæ dicta ſunt, in peroratione. 456. 10.b
Enumerationis initium unde ſumendum. 456. 40.b
In enumeratione quomodo contentio cum aduerſarijs fiat. 457. 10.a
Enumeratio per ironiam, ut fiat. 457. 40.a
Enumeratio per interrogationem. 457. 10.b
Enumeratio per ordinem naturalem. 457. 30.b
Ἔπαινον καὶ ἐγκώμιον quomodo differant. 119. 40.b
Ἐπαγωγὴ inductio uocatur. 27. 30.a
Epaminondas cur incolumis relictus Thebis. 210. 10.b
Epaminondas, cum litare non poſſet, quid dixerit. 295 50.b
Ephorus apud lacedæmonios. 454. 30.a
Epica poeſis quid contineat. 347. 40.a
Epicharmus quo genere amplificationis uteretur. 99. 20.b
Epicharmi ſententia de non credendo. 22. 30.a
Ἐπιχαιρεκακία maleuolentia. 248. 30.a
Epicurus cur religionis contemptor. 126. 40.b
Epicurus nocabat Platonicas Dionyſocolacas. 355. 40.a
Epicuri de indolentia & uoluptate ſententia improbata. 103. 30 a
Epicurei omnia ad ſuam utilitatem referunt. 208. 50.a

Ἐπιδει-

E'πιδεικτικὸν genus. 42.40.b
E'πιεικεῖς,qui ſint. 153.10.b
E'πίγραμμα,litis nomen. 163.20.a
Epilogus,uide,peroratio.
E'πιτροπασμὸς negligentiæ ſpecies,quæ uiolentia dicitur
192.30.b
Epimenides cretenſis. 446.50.a
Epiſodia. 447.40.a
E'πορνίζω καὶ κατόρνίζω. 360.10.b
Epitheta,addita ad nomen. 353.10.a
In epithetis proportio ſeruanda. 353.20.a
Vis,& uſus epithetorum. 353.30.a
In epithetis Virgilii enituit induſtria. ibidem.
Habent uim ad laudandum, aut uituperandum.
359.10.a
Caute tractanda. 359.30.b
Frigida,tribus modis. 361.10.b
Epitheta illuſtrant orationem. 373.40.a
Epitheta in qua oratione uſurpanda. 379.30.b
Quando uitio uſurpentur. 381.20.a
Epitritus. 387.30.b
E'πέρεισις. 422.40.a
Ergophilus. 206.20.b
Eriphile Amphiarai uxor. 308.50.a
Error ſuus cuique attributus. 166.40.b
Error,qui riſum mouet. 407.10.a
Eruditi obſeruandi,& cur. 233.20.a
E'ταῖροι ſodales apud Græcos. 318.40.b
Euagoras Cyprirex. 319.50.a
Eubulus orator charetem accuſauit. 178.40.b
Euclio a Plauto deſcriptus. 265.40.b
Euctemon accuſatus a Sophocle. 170.10.a
Euentus,& arg. ab euentu. 323.30.b
Hoc genere utitur ſæpe Cic. ut ibidem probatur.
Euenta,quæ accidunt. 19.30.b
Eumes ænigmatis cucurbitularum inuentrix. 357.
10.a
Eumenides in iudicio Areopagitarum contra Oreſten.
318.40.a
Sacellum eis ab Oreſte conditum. 318.10.a
Eunomus Thraſius Demoſthenem in eloquentia conti
nuit. 345.20.a
Eupolis de Pericle. 377.50.a
Euripides quibus uerbis uſus ſit. 351.20.a
Euxenus. 365.30.a
Excelſitas animi quid ſit. 274.30.a
Exemplum accommodatum eſt multitudini. 26.40.a
Exemplum proportione reſpondet inductioni. 26.
20.b
Exemplum quomodo fiat. 27.20.a
Exemplum non omnino idem, quod inductio. 38.40.a
Exemplum eſſe,ut partem ad partem. 38.10.b
Exemplum quas conditiones habent. 38.40.b
Exemplum eſt deliberationi maxime conueniens. 124.
10.b
Exemplum,probatio cõis omniũ generum. 285.30.a
Exemplum,ſimile inductioni 285.40.a
Exemplorum duo genera. 285.10.b
Exemplum uerum.
Exemplum fictum. } 285.20.b
Exemplo,quomodo utendum. 286.10.a
Exemplum aut ſimile,aut diſſimile, aut contrarium.
286.40.a
Exemplo quod fit, id fieri recte putatur. 158.
40.a
Exempla magis delectant, quàm enthymemata. 29.
20.a
Exempla cur magis delectent. 29.20.a
Exempla utiliora,quam fabulæ, in deliberationibus.
288.20.b
Exempla pro teſtimonijs adhibenda. 289.20.a
Exempla uel proponi argumentis,uel poſtponi. 289.
30.b
Exempla quomodo refellantur. 339.30.b
Exempla deliberatiuo generi apta in probationibus.
445.10.a
Exercitatio ſæpe ſine arte utilis. 4.40.a
Exercitatio poteſt omnia, ut Periander ait. 291.
20.a
Exitus acta probat. 93.30.a
Exiſtimatio bona ad felicitatem pertinet. 63.20.a
Exordium orationis pro Ligario expenditur. 408.
30.a
Exordium non ſemper adhibetur. 420.20.b
Exordium,uide proœmium,& principium.
Crimina obiecta prius diluenda. 426.20.a
Exornatio multis indiget epiſodijs. 447.40.a
Expetẽdum propter ſe,ei præſtat,quod propter aliud.
89.40.b
Expetuntur quæ per ſe,quædam alterius gratia. 73.
30.a
Explanatio illuſtris,quæ. 399.40.b

F

Fabia gens Romæ. 60.40.a
Fabii max.urbanum dictum in Salinatorem. 415.
40.a
Fabula quid ſit. 285.20.b
Fabularum auctor Heſiodus. 485.40.b
Fabulæ Aeſopicæ cur dicantur. 285.40.b
Fabularum uſus in rebus probandis. 286.40.b
Fabulæ a gentibus nomina traxerunt. ibid.
Fabulæ ad perſuadendum multum ualent. 268.40.b
Fabulæ in concionibus adhibendæ. 288.20.a
Fabulæ fugi poſſunt. ibidem.
Fabulæ apud Platonem,cur adhibitæ. 288.10.b
Fabula a puero non fingenda. 295.10.a
Faceſſere,decimam eſſe honoris ſpeciem. 66.10.a
Facetiæ,ioci,ac ſales. 364.40.a
Facetiæ a natura,& arte. 397.20.b
Facetiæ in iudiciis proſunt. 454.10.b
Facilia duobus modis dicuntur. 83.40.a
Factum non poteſt eſſe infectum. 31.30.b
Factum,an non factum quid ſit, quibus ex locis quærẽ
dum. 382.20.a
Fallacia conſequentis. 332.10.a
A defectu. 332.10.b
A tempore. 333.20.a
Cum ſimpliciter dicitur,quod in parte eſt. 334.
20.a
Falſa,& iniqua difficilius probari. 14.40.b

Index.

Falſa quando liceat generatim dicere. 295.40.a
Falſum in aduerſario notandum. 444.50.b
Fama & bona exiſtimatio magis curanda, quàm diuitiæ. 63.40.a
Fames quid ſit. 136.50.a
Fames multarum rerum magiſtra. 136.10.b
Fames cibi condimentum. Et potionis, ſitis, ibidem.
Febres periodicæ. 391.50.a
Feciales apud Romanos. 49.10.b
Felicitas, & eius partes, finis conſultationis. 56.20.a
Felicitas, quid ſit. 56.30.a
Felicitas quibus in rebus conſiſtat. 56.40.a
Felicitas ex triplici genere bonorum. 56.40.b
Felicitas eſt uitæ proſperitas cum uirtute. 56.50.b
Felicitas in copia rerum, & firmo ſtatu. 57.20.b
Felicitas ſumma in quibus rebus ſit. 57.20.b
Felicitas quæ, ex Epigrammate in templo Apollinis. 57.30.b
Felicitas, ex philoſophorum ſententia in quibus conſiſtat. 57.50.b
Felicitas ex proſperitate uitæ, & uirtute. 57.30.a
Felicitas primum bonorum gradum ſibi uendicat. 76.10.b
Felicitatis partes, ut uirtutes, ſecundum locum tenent. 76.40.b
Felix non eſt, qui cruciatur. 57.20.a
Felix etiam eſt, qui poßidet ea, quibus uita contenta ſit. 57.30.a
Felix eſt, in quo ſunt omnia genera bonorum. 58.10.b
Felix, & ſapiens dicitur quadratus. 405.10.a
Fera ferum agnoſcit. 145.10.a
Feritas, quæ ϑηριότης dicitur. 170.50.b
Ficta cito decidunt. 350.30.b
Fictio ironiæ ſpecies. 457.40.a
Fides pro omni genere probationum. 9.50.b
Fides adimenda aduerſario. 22.40.a
Fides habetur, duabus maxime de cauſis. 23.10.a
Fides quibus rebus acquiratur. 63.30.a
Fides ut habeatur, tribus rebus efficitur. 189.20.a
Fidentes animi qui dicantur 223.30.a
Fieri ab hominib. res ſeptem cauſis, & quib. 128.30.a
Figulus figulo inuidet. 255.10.b
Figuris uti nos poſſe tēpeſtiue, & īportune. 378.50.b
Filius amatur, tanquam opus noſtrum. 146.10.a
Filij nō dāt beneficiū parētibus ſed reddūt. 239.40.b
Fines cuiuſque reip. cognitì eſſe Oratoris debent. 105.30.b
Finis oratoris. 16.10.b
Finis & officij oratoris differentia. 16.10.b
Finis in arte rhetorica duplex. 16.40.b
Finis orationis ad auditorem refertur. 42.30.a
Finis generum dicendi diuerſus. 44.10.b
Finis deliberationis, utilitas. 44.10.b
Finis delib. etiam honeſtas. 44.20.b
Finis iudicialis generis, æquitas. 44.40.b
Finis demōſt. generis, honeſtas. 44.50.b. Et 45.10.b
Finis eſt proponendus ab ijs, qui deliberant. 56.10.a
Finis rhetoricæ, eſt iudicium. 187.20.b
Flexiones in ſtadijs. 390.40.b
Fœderati non lædendi. 53.30.a
Fœminæ uirtus corporis, & animi. 61.30.a
Fortuita ſub deliberationē non ueniunt. 47.40.b
Fortuitæ res, quæ dicantur. 33.10.a
Fortes amantur, & cur. 210.10.a
Fortitudo publica, & priuata conſeruat. 77.10.a
Fortitudo quid ſit, & quibus in rebus ſpectetur. 109.40.b
Fortitudinis quinque genera. 100.50.b
Fortitudinis exempla. 112.20.a
Fortuna cauſa per accidens. 71.30.b
Fortuna cæca, & ſine ratione. 130.20.b
Fortunæ diſſimilitudine mores mutari. 130.50.a
A fortuna quæ dicantur prouenire. 130.20.b
In fortuna quinque conſiderari. 130.30.b
Fortuna cæca ſui ſectatores occæcat. 274.40.b
Fortuna proſpera duo mala ſecum affert. 274.50.b
Fortuna, quæ nocentur. 260.40.b
Fortunati qui dicantur. 71.50.a
Fortunati quando contemnuntur. 259.50.b
Fortunatorum mores qui, & quales. 274.10.b
Fortunati pie Deum colunt 275.20.a
Fortunatos non eſſe ſemper fortunæ caros. 325.40.b
Fran. Robortellus notatur. 383.10.b
Frequens uſurpatio formarum dicendi, ſatiat. 378.30.b
Frequentatio, & congeries. 99.40.b
Frigidū in oratione, quattuor fit modis. 359.40.b
Fructuoſa quæ ſint. 62.30.a
Frumentum aduehebatur Romam ex Africa, Sicilia, & Sardinia. 53.10.a
Frumento importato Athen. utebantur. 53.10.a
Funebres orationes. 43.10.b
Fur unde dictus, & unde facilius aliquid ſurripiat. 150.10.a
Fur rei ſuæ nemo eſt. 163.40.a
Furtū apud Lacedæmonios honoratū fuiſſe. 158.30.b
Furtum a Salomone deprehenſum. 158.50.b
Furtum quando uocandum ſit. 164.40.a
Furius ridiculus in tralationibus. 363.20.b
Fuſius, obſcurus. 370.30.b
Futurum templus duplex. 31.40.b
Futurū quibus ex locis probari poſſit. 283.40.b

G

GAlba melius dixit, quam ſcripſit. 416.30.a
Galli teſtes, falſi. & Græci. 179.20.a
Gaudium unde proficiſcatur. 252.30.a
Gaza, notatus. 280.40.a
Gaza, uox peregrina. 363.40.a
Gelo rex Syracuſanorum. 157.30.b
Generoſus quis dicatur. 270.30.b
Genus cuiuſque rei inueniendum. 1.10.a
Genus & ſpecies quandoque confunduntur. 42.30.a
Genera diſtinguenda in locutione emēdata. 367.40.a
Genera hominum ſingula ſuam habent orationem. 377.30.b
Genera dicuntur ætates, ſexus, & natio. 378.10.a
Conditio, & fortuna, ordo. ibidem.
Giges Lydiæ rex. 450.20.b
Glauco Teius de actione hiſtrionum. 343.30.b

Glaucus

Glaucus Caryſtius pugil. 69.30.a
Gloria maiorum an laudem afferat. 60.50.a
Gloria ex quibus conſtet. 63.20.a
Gloria,& laus omnium animos pertentant. 77.30.b
Gloria laboris filia. 80.30.b
Gloria reliquis rebus anteponitur. 95.40.a
Γλῶττα 280.50.a
Γλῶττα. 351.40.a
Gnatho in epulas cur ſpueret. 136.30.b
γνῶθι σεαυτόν *Noſce te ipſum.* 296.40.b
Gorgias putat oratorem de omnibus rebus poſſe dicere. 19.50.b
Gorgias poſcebat,qua de re quiſque uellet audire. 20.10.a
Gorgia ſtatua aurea Delphis poſita. 20.10.a
Gorgias primus orationem expoliuit,& ornauit. 345.40.a
Gorgias frigidus iniunctis nominibus. 360.40.a
Gorgias uerba per ironiam uſurpabat. 381.30.a
Gorgias auſus eſt profiteri,ſe ſcire omnia. 447.10.b
Gorgia cur ſtatua aurea data. 64.20.a
Graculus cum graculo. 145.10.a
Graculi homines cur timendi. 219.10.a
Adulatores ſunt. 229.20.a
Græci in concionibus de rep.ſtatuebant. 7.10.c
Græci adulatores a Romanis amati. 146.10.a
Græci,falſi teſtes,& Galli. 179.20.a
Græci uani,& mendaces. 369.30.b
Græci religionem teſtimonij non colebant. 435.20.b
Grammatica quid orationi præſtet. 2.30.c
Grandis oratio quibus uerbis fiat. 349.50.a
Γραφικὴ λέξις,*quæ ſit.* 414.50.b
Gratia quid ſit,cum idem,quod beneficium ſignificat. 238.40.a
Gratia magna,quæ dicatur, & quot in gratia ſpectentur. 238.10.b
In gratia,tria tempora obſeruanda. 239.30.a
Gratia quõ augeri dicẽdo,et remoueri poſſit. 239.10.b
Gratia in ſummis generibus conſiderata,augetur, uel minuitur. 240.10.a
Gratia quando non ſit. 240.40.a
Gratia qũ collata,aut nõ collata dici poſſit. 240.20.b

H

H*Abitus,quid.* 260.50.a.& 260.10.b
Habitus quos uocet. 378.30.a
Hærentia perſonæ conſideranda in omni genere dicendi. 302.20.b
Inhærentia rei ſpectanda. 303.30.a
Quamplurima colligenda,& propinqua. 304.10.a
Harmodius & Ariſtogiton ſtatuas conſequuti ſunt. 63.50.b
Harmonia quid ſignificet apud Ariſt. 384.10.b
Hector Patroclum interemit. 310.10.b
Hegeſias Cyrenaicus. 377.20.b
Helenæ pulchritudo,& uirtus. 319.30.a
Heraclitus Epheſius,obſcurus. 346.40.a
Heraclitus Epheſius,qui dicitur σκοτεινός. 370.30.b.
Herculis columna. 255.30.a
Hermodorus Epheſius. 55.30.a
Hermogenes de grandi oratione. 383.20.b
Hermogenes multa nomina in arte rhet. nouauit. 422.40.a
Hermolaus in nomine pancratiaſtæ reprehenſus. 69.30.b
Herodicus Sylimbrianus. 66.30.b
Herodotus quo genere orationis uſus ſit. 390.10.b
Heroum filij,noxæ. 271.20.a
Heſiodus auctor fabularum. 285.40.b
Ἡδονὴ,*uoluptas dicitur.* 134.40.a
Ἡμίονοι *mulæ.* 359.50.a
Hippias dixit,nihil eſſe,quod neſciret. 18.50.b
Hippoc.cur diuinos honores a Græcis conſecutus ſit. 239.10.a
Hiſtoria maxime utilis in conſilijs. 55.10.b
Hiſtoria utilitas Oratori. 50.30.b.Et 51.50.a
Hiſtriones in affectibus commouendis præſtantes. 377.30.a
Hiſtriones quales ſint. 415.20.b
Hiſtrionica poeſis. 347.40.a
Ἠθικὴ *pars dictionis forenſis.* 415.10.b
Ἦθος *in Oratore,quale.* 22.10.b
Homerus a Chiis cultus. 317.10.a
Homerus ſua carmina recitauit. 343.30.b
Homerus. 365.40.a
Homerus ſubiectione ſub oculos ſæpe utitur. 405.50.a
Tralationibus,& imaginibus. 408.10.a
Homerus fallacia uſus in Nireo nominãdo. 418.10.a
Homo ſapientiſſ.propter numerum. 391.50.b
Homines a natura ad ueritatem informati. 11.20.b.
Homines potentiores non irritandi. 53.20.a
Homines qui uere de nobis ſentiunt. 141.10.b
Hominum genera duo,indoctum & agreſte: & humanum,atque expolitum. 14.30.b
Hominum ſpecies in omni ciuitate,tres. 273.10.b
Homonyma,& ſynonyma nomina. 252.40.a
Honeſtum ab utili, quomodo differat. 256.30.b
Honeſtiora quæ mortuis,quam quæ uiuis tribuuntur 113.50.a
Honeſtiora quæ ſint. 115.40.b
Honor quid ſit. 63.50.a
Verus & ſtabilis. 63.20.b
Honor unde pendeat, & in quibus actionibus ſit. 63.30.b.
Honor ab arduis rebus proficiſcitur. 64.20.a
Honor aliæ artes, & ibi multa de honore. 71.30.b
Honor in rebus honeſtis ducitur. 115.40.a
Honor in rebus ſuauiſſimis ponitur. 141.30.a
Honor iucundus eſt,cum ab honoratis uiris habetur. 141.40.b
Honoris ſpecies undecim. 64.50.a
Honores deorum,quibus tribuerentur. 64.30.b
Horatius Cocles ſtatuam nactus. 63.50.b
Horribilia quæ ſint. 220.30.b
Hortenſius memoria ualuit. 78.50.a
Hortenſius Orator cultu uenuſto delectabatur. 159.40.a
Hortenſius quare quandoque par Ciceroni haberetur. 343.40.a
Hortenſius non auſus Ciceroni reſpondere pro Verre.

Index.

re. 377.10.b
Hortenſii orationes improbatæ. 416.30.a
Hoſpes uerbum diuerſa ſignificans. 410.10.b
Hoſtes qui nocentur. 97.10.b
Humanæ res, quæ ſint. 33.10.a
Humanus quis nocetur, & expolitus. 441.20.b
Hypallage figura. 364.40.a
Hypallage. 402.30.b
Hyperbaton apud Virgilium. 372.20.a
Hyperbole in urbanis dictis. 413.10.b
Hyperbole & imagines genere dicendi differunt. 413.50.b
Hyperbole iuuenili ætate conueniunt. 414.30.a
Iratis, laudantibus, perorantibus. 414.50.a. & 10.b
M. Tullius ſæpe utitur, contra Ariſt. præceptum. 414.20.b
Hyperides melius dixit, quam ſcripſit. 416.30.a

I

Iambicum carmen ſolutæ rationi ſimilius, quàm cætera. 348.40.a
Iambicum carmen frequenter fit per imprudentiam. 383.20.a
Iambus & dactylus in uerſum cadũt max. 385.10.a
Iambus. 387.10.b
Ideæ matris famulæ. 354.10.b
Ignis non eſt gladio fodiendus. 212.40.a
Ignominia, quid. 315.10.a
Ignominiam afferentia quæ ſint. 231.30.a
Ignorantia & inſcitia quomodo differant. 25.30.a
Imago eſt tralatio. 364.40.a
Imago quid. 364.10.b
Imago in ſoluta oratione utilis, ſed raro utenda. 364.30.b
Imago uſurpanda, ſicut tralatio. 364.50.b
Imagines quæ ſint. 365.10.a
Imago uſurpata a Platone. 365.10.b. Et alia quædã.
Imago fieri poteſt tralatio, & contra. 366.20.b
Imagines & ſtatuæ, ſeptima honoris ſpecies. 65.50.a
Imagines præſtantiũ uirorũ cur haberentur. 85.20.b
Imagines ex proportione, urbanæ. 411.50.b
Imagines bene fictæ. 412.30.a
Imagines, quando bene fiant. 412.10.b
Imagines, periculoſæ. 412.40.b
Imagines & hyperbolæ quõ differant. 413.50.b
Imitatio quantum ualeat. 85.10.b
Imitatio iucunda. 144.20.b
Immutatio uerborum. 349.50.a
Impellentia, & retrahẽtia eſſe cõſiderãda. 326.30.b
In his quinque ſpectantur, quæ deinceps exponuntur.
Imperitus cur multa peccet 127.20 b
Imperiti apud turbam dicunt probabilius. 299.40.b
Imperium eſt res iucundiſſima. 146.40.a
Impia, & turpia quo genere orationis exponenda. 376.30.a
Importata, & exportata in delib. cadunt. 49.20.b
Impotentes qui dicantur. 275.50.a
Improbus cenſetur infelix. 57.10.a
Improbos eſſe quos uituperant amici. 82.10.a
Imprudens non curat utilia. 53.40.a
Imprudentia in iuridiciali aſſumptiua. 153.30.a
Imprudentia interdum excuſatur. 307.10.a
Impudens, cur iniurioſus. 127.20.b
Impudici hominis oratio. 377.40.b
Impunitatis ſpes in quibus ſit. 148.30.b
Inclinati non ſunt homines ad omnes res. 86.30.a
Incredibilia, & inde argumentum, & quomodo tractandum. 327.30.b
Inconſtantia & leuitas quomodo reprehendatur. 325.40.a
Incontinentia quid ſit. 126.50.a
Indigentia, & indigentes qui ſint. 238.30.b
Indigẽtes qui ſint, & quot modis dicantur. 153.10.b
Indignatio miſericordiæ contraria, quid ſit. 246.10.b
In Deum cadit. 247.20.a
Diſtinguitur ab inuidia. ibidem.
Indignatio quid ſit. 248.30.b
Indignatio propter uirtutẽ non exoritur. 249.10.a
Indignatio quibus de rebus excitetur. 249.50.a
Indignatio contra probum uirum quando conciteтur. 250.40.a
Indignatio Aiacis propter arma Achillis. 250.10.b
Indignatio in quorum animis moueatur. 251.40.a
Indignatio non mouetur in abiectis, & ſeruilibus animis. 252.20.a
Indignatio quando adhibenda. 376.30 a
Indiuidua cõprehendi ſcientia nõ poſſunt. 30.40.a
Indolentiam ſummum eſſe bonum. 75.40.a
Inductio Socrati fuit familiaris. 26.50 a
Inductio ut fiat. 27.20.a
Inductio fit tribus modis. 27.30.a
Inductio quibus fiat. 286.10.b
Inductio paucis in locis accommodata. 289.30.a
Inductio, & arg. ab inductione, quomodo tractanda. 316.30.a
Socrates hoc genere probationis utebatur. 316.40.a
Inductionis ſpecies tres. 317.40.a
Infame eſt, eandem rem ſæpius petere. 229.10.a
Inferiores quinam obſeruandi ſint. 53.40.a
In foribus hydriam, prouerbium. 81.10.a
Ingenij acumen in bonis animi. 78.30.a
Ingenij laus. 78.40.a
Inimicitiæ & odium unde gignantur. 215.10.a
Inimicitiarum & iræ differentia. ibidem.
Inimicus non laudat, niſi a ueritate coactus. 81.30.b
Inimicos non ulciſci, laudabile. 167.30.b
Iniuria quibus fiat. 154. per totam paginam, & deinceps. ad iniuriam expoſita quattuor hominum genera. 155.30.a. & deinceps. 156.20.a. & per totũ.
Et cauſa amicorum. 157.10 a. & infra.
Iniuria maior, & minor quæ dicatur. 168.40.a. & infra. & 171. & 172. per totam paginam.
Iniuria uel damnum, uel dedecus affert. 168.10.a
Iniuria propter aliquã triũ rerũ infertur. 316.10.a
Iniuriam facere, quid ſit. 121.10.b
Iniuriam faciẽtes quo modo affecti ſint. 147.50 b

Duabus

Duabus de cauſis id fieri. 148.50.a
Iniuriam pati,quid ſit. 161.10.b
Iniuria,a conſilio,& uoluntate proficiſcitur.164.10.a
Iniurias condonare eſt animi magni. 163.30.b
Qui eas remiſerint. 167.40.b
Iniuſtus homo quam ſit pertimeſcendus. 218.30.a
Inſcitia duplex. 25.40.a
Inſidiæ occultiores quæ ſint. 155.30.b
Inſolentes non facti propter fortunæ proſperitatem. 129.10.a
Inſtrumenta rhetoris ſimilia eſſe dialecticis. 26.20.a
Inſtrumenta oratorum duo ad probandum. 285.30.a
Intelligens non eſt,qui nihil dubitat. 25.30.a
Intemperans, iniurioſus in Deum & homines. 126.50.b
Intemperans quis. 314.30.b
Interpunctio facit apertam orationem. 370.30.b
Interrogatio quando adhibenda. 451.40.a
Interrogatione Soc. ſemper uſus. 451.50.a
Quattuor tempora aduerſarios interrogandi. 451.10.b
Secundum interrogationis genus. 451.40.b
Tertium genus. 452.20.a. Et quartũ. 452.40.a
Hæc ratio potius acumine naturali,quàm præceptis perficitur. 452.20.b
Interrogatio inſtãdi,nõ ſciſcitandi gratia. 452.20.b
Interrogatio multarum rerum nõ faciẽda. 452.50.b
Interrogationi quomodo reſpondendum. 453.20.a
Inuentio. 342.20.a
Inuentores primos maxima laude dignos eſſe. 122.40.a
Inuentores multarum rerum,qui. 122.40.a
Inuerecundia quid ſit. 227.20.a
Inuerecundia, dux ad omnem turpitudinem. 227.30.a
Inuerſio. 312.20.a
Inuidia differt a nemeſi. 247.30.a
Inuidia & maleuolentia in eodem homine. 248.30.a
Inuidia quid ſit,propter quæ bona,quos in homines excitetur,& quomodo affecti ſint,qui inuident. 252.30.b
Inuidia in probos uiros non cadit. 253.20.a
Inuidia in pares cadit,& qui pares ſint. ibid.
Ad inuidiam procliues. 253.50.a
Inuidi,gloriæ appetentes,& alij p'erique. 253.30.b
Inuidiam gignentia bona. 254.30.a
Inuidia quibus de rebus moueatur. ibid.
Inuidia in uiuos,non in mortuos. 254.50.a
Inuidia inter uicinos. 254.10.b
Inuidia bonis alienis dolet, gaudetque malis. 256.50.a
Inuidi hominis oratio. 377.40.b
Inuſitata nomina,poetis conceſſa. 350.10.a
Ionicus. 387.30.b
Ionitæ Rapicij liber de numero oratorio. 386.30.a
Iphicrates Athen. imperator. 400.40.b
Iphicratis oratio contra Harmodium a Lyſia ſcripta. 311.50.a
Victus ab Ariſtophonte in dicendo. 312.10.b
acutum dictum. 314.10.b
Ipſe ſibi mali fons. 413.40.a
Ira in ingenioſos & probos facile cadit. 117.40.a
Ira quare iucunda ſit. 138.50.a
Ira laudatur a peripateticis. 138.10.b
Ira amicorum facile placatur. 149.10.b
Ira,quid ſit. 190.40.b
Ira in ſingulos homines excitatur. 191.50.a
Ira coniunctus dolor,& uoluptas. 191.40.b
Ira melle dulcior. 192.10.a
Ira cur iuncta uoluptas. 192.30.a
Ira quibus de rebus moueatur. 192.10.b
Ira omnis ab apparente negligentia naſcitur. 194.30.b
Ad iram procliues quando ſint homines. 195.30.b
Ira aut natura,aut caſu excitatur. 196.40.a
Ira in quos concitetur. 196.20.b. 197.40.a
Ira quo tempore,qua affectione,qua ætate, quo loco excitetur. 197.40.a
Ira gradus habet. 197.30.b
Ira quando maxime augeatur. 198.30.a.& infra.
Ira fratrum acerbiſſima. 199.10.a
Ira ex honore prætermiſſo. 199.20.a
Ira iniuſtiſſima. 199.40.a
Ira in abiectos,& uiles. 199.30.b
Ira inter amicos. 200.10.a
Ira in eos,qui negligunt apud quinque hominum genera. 201.10.a
Ira in ingratis. 201.40.b
Ira ex diſſimulatione. 201.50.b
Ex obliuione. 202.40.a
Ira non excitatur in mortuos. 207.20.b
Ira & odij differentia. 215.20.a
Iracundi qui ſint. ut uel natura,uel caſu. 196.40.a
Iracundi,morboſi dicebantur. 196.50.a
Iracundi pueri,& adoleſcentes. 197.10.b. & ſenes. ut ibidem.
Irati multa uerba adhibent,ſine reprehenſione. 380.10.a
Ironia,i. diſſimulatio,ex contẽptu,irã gignit. 201.50.
Ironia ab Ariſtotele reprobata,quæ. 454.40.b
Ironia & fictio in enumeratione. 457.50.a
ἰσόκωλον, ornamentum orationis. 395.50.b
ἰσονομία humorum, eſt bona ualetudo. 66.40.b
Iſocrates alacer,& integris ſenſibus ad c. an. peruenit. 67.50.b
Iſocrates iniuria lacrymas fudiſſe, cum pecunia ei a diſcipulis daretur. 116.30.b
Iſocrates queritur, plura conceſſa poetis,quàm oratoribus. 350.10.a
Iſocrates,& eius domus. 345.40.a
Iſocrates forte notatus in afficiendis auditoribus. 378.30.b
Iſocrates in deliberationibus utitur etiam accuſatione. 447.20.a
Iſoc. non maledicus,nec conuiciator, 450.30.a
Iſocratis orationes neruis carent. 416.20.a
Iſthmia ludi. 362.40.a
Iſthmum perfodere qui non potuerit. 32.10.a

Itali quomodo educarentur. 61.10.a
Iucundum duplex,uerum,& ſimulatum. 133.40.a
Iucundum quis,& quando percipiat. 134.30.b
Iucundi acti labores. 83.40.b
Iucundi acti labores. 137.50 b
Iucunda quæ ſint.134.30.b.& 135.per totum.& 136.10.a
Iucunda diſtinguuntur trib.temporib. 137.30.b
Iucundiora duab.notis cognoſci. 96.10.a
Iudex,quis. 42.10.b
Iudex non debet eſſe conturbatus. 6.30.a
Iudex quando munus ſuſtineat legiſlatoris & iudicis. 7.10.a
Iudex de finitis,& præſentib.reb.diſceptat. 7.10.b
Iudex facile capitur inſidijs. 8.10.d
Iudex quomodo à defenſore decipiatur. 338.10.b
Iudex bonus,acer,diligens. 338.40.b
Iudex proprie dicitur, in ciuilib.controuerſiis. 276.30.a
Iudicis partes quæ ſint. 7.30.c
Iudici,leges,& oratores ſunt in iudicijs. 6.10.d
Iudices Athenis iurabant ſe ex legib. iudicaturos. 173.20.b
Iudices non diſtorquendi,aut perturbandi.245.40.b
Solas probationes debent requirere. 346.10.a
Iudicatio. 443.30.b
Iudicamus uere de ijs,quæ intelligimus. 233.20.a
Iudicatum,& arg.à reb.iudicatis. 317.20.b
Trib.in generib.ſpectatur. 317.20.b
Iudicata res quomodo diſtinguantur. 317.30.b
Iudicium prudentium in omnibus reb.excellere. 95.20.a
Iudicium uerum fieri de ijs,quæ intelligimus.97.40.b
Iudicium,finis artis oratoriæ. 187.20.b
Iudicium eſſe,quo omnis referatur oratio. 275.30.b
Iudicium & arbitrium differre. 315.20.a
Iudicia tanquam ad regulam dirigenda. 6.30.b
Iudicia fieri repente plerunque. 7.30.a
Iudicia de mortuis fiunt incorrupta. 7.20.c
Iudicia difficilius tractari, quàm deliberationes. 8.30.b
Iudicia eſſe capacia doli,& fallaciarum. 8.10.e
Iudiciale dicendi genus. 42.40.b
Iudiciale genus duas habet partes contrarias. 43.40.a
Iudicialis generis locutio,accuratior. 418.40.b
In hoc genere docti præſtant. 419.40.a
Iūcta noīa cōueniunt in mouendis affectib. 379.30.b
Quando uti eis liceat ſine uitio. 381.20.a
Iungenda nomina ad uu'gi conſuetudinem. 363.10.a
Iupiter cur in ſuprema cœli parte eſſe fingatur. 65.30.a
Iurare non licet,niſi coactus ſis. 184.50.b
Iusiurandū inter ꝓbationes artis expertes. 183.50.b
Iuſiurandum quid ſit. 184.10.a
In iureiurando quæ ineſſe debeant. 184.10.a
Iuſiur.quattuor modis concipi in iudicio. ibid.
Iuriſiurandi tria genera apud Græcos. 184.30.a
Iuſiurandum qū deferendum,aut recuſandū. ibid.
Iuſiurādū qui defert,trib.uti rōnib.poteſt. 185.10.b
Iuſiurandum,quando non ſeruandum. 186.10.a
Ius naturale,quid ſit. 160.10.a.164.40.b
Ius gentium. 160.20.a
Ius legitimum. 165.20.a
Ius non ſcriptum in duas partes diuidi. 164.20.b
Ius ſummum,ſumma iniuria eſt. 165.40.b
Iuſtitia princeps uirtus,& regina. 76.50.b
Iuſtitia omnes uirtutes in ſe continet. 77.10.a
Iuſtitia quid ſit. 100.10.b
Iuſtitiæ duo munera. 109.20.b
Iuſtitia tria genera. ibid.
Iuſtitia Iouis filia,& os aureum eius eſſe. 109.30.b
Iuſtitia uult,ut de rebus ipſis tantum contendatur. 346.10.a
Iuſti amantur.& cur.210.10.a.Qui ſint. ibid.
Iuſtum eſſe in bonis. 79.10.a
Iuſtum eſſe,quod eſt uerum atque utile. 174.40.a
Iuuenes & diuites præſtantiores alijs uideri uolunt. 194.10.a
Iuuentus bene inſtituenda. 61.10 a

L

Laberius frigidus in iunctis nominibus. 360.40.b
Labor bonum obſonium ſenectuti. 73.40.b
Laboris encomium. 80.20.b
Lacedæmonij ariſtocratia utebantur. 55.20.a
Lacedæmonij quomodo filios educarent. 60.40.b
Lacedæmonij legibus Lycurgi remp. bene adminiſtrarunt. 105.40.a
Lacena fœmina,impudica. 61.20.b
Lacon quomodo interrogationi aduerſarij reſponderit. 454.10.a
Laconiſmus pro breuitate dicendi. 294.10.b
Lamentationes in ſacrificijs. 331.40.a
Lampo uates Athen. 451.20.b
Lapis lydius,uel Heraclius,qui index auri dicitur. 174.20.b
Largorum duo genera. 117.30.b
Λάθε βιώσας Epicuri ſententia laudata. 73.50.b
Laudatio eſt actionum non uirtutis. 120.20.b
Laudatio tota ab operibus pendet. 437.30.a
Laudatio ſui ipſius,inuidioſa. 449.30.b
Per alienam perſonam id agendum. 449.40.b
Laudatio fit duobus modis. 455.30.b
Quot autem modis fiat docet primo li. 456.10.a
Laudabile eſſe bonum. 81.10.b
Laudabilia,cum uoluptate animi narrāda.376.10.b
Laudandi recta ratio. 123.40.a
Laudare ſe ipſum quando liceat. 107.20.a
Laudari ſolent quattuor,deus,homo, inanima, animalia. 107.20.b
Laus,quid ſit. 437.30.a
Laus grauiſſima,quanam habeatur. 45.40.b
Laus,q̄ ab inimico proficiſcitur, uera eſt. 81.40.b
Laus & laudatio quid,& quomodo differant. 119.40.b
Laus initium amicitiæ. 211.10.b
Laudes clarorum uirorum in conuiuio celebrari. 107.30.b
Laudes unde ducantur. 301.30.b
Laudes alicuius quomodo colligendæ. 118.40.a
Laurētius Valla,de īductione reprehenſus. 27.30.b

Index.

Λεκτικῆς numerus. 383.30.b
Λεκτικώτατος diſertiſſimus. 384.30.a
Λεκτὸς elegans,& præſtans uir. 384.40.a
Lex eſt quaſi mutus magiſtratus. 6.20.d
Lex præſtantior eſt opinione iudicum. 6.40.d
Lex ab uno,uel a paucis,fertur. 6.50.d
Lex ciuitatis ſalutem continet. 53.20.b
Lex quantam uim habeat. 53.30.b
Lex quid ſit. 53.30.b
Lex a latoribus ſæpe nomen ducit. 53.30.b
Lex a quo rectè conſtituatur. 53.40.b
Lex & iuſtitia,omnium pulcherrima,contraria,contrà. 79.10.a
Lex de luſco non excæcãdo apud Locrẽſes. 103.50.b
Lex propria,uel communis.& ſcripta,uel non ſcripta 125.30.b
Lex ꝓpria,& cõis.& ſcripta,uel nõ ſcripta. 159.10.b
Lex quid ſit. 159.50.b
Lex de adulteriò. 161.10.a
Lex recta ratio imperandi,& probibendi. 174.10.b
Lex ſumma,quæ dicatur. 174.10.a
Leges quõ expẽdẽdæ in ſenatu,uel iudicijs. 173.10.b
Leges contrariæ,ambiguæ.de re quæ non maneat. 174.175.10.a
Legis officium quod ſit. 7.30.b
Legis uirtus,quæ. 7.30.b
Legiſlator quid ſpectet. 55.10.a
Leges Romanorum a x.uiris datæ. 6.50.d
Leges diligenti conſideratione fieri. 7.30.a
Leges ſunt de futuris,& de uniuerſo genere. 7.10.b
Leges,& legum ferendarum non in delib.ueniunt. 49.30.b
Leges ſumptuariæ,unde ortæ. 50.10.b
Leges oratori expendendæ. 53.20.b
Leges,& inſtituta præteriti temporis conſideranda. 55.20.a
Leges ſint accommodatæ ad ſtatum reip. 55.30.a
Leges Romanæ unde ductæ. 55.30.a
Leges Lycurgi,& Druidarũ nõ ſcribebãtur. 126 10.a
Leges telis araneærum ſimiles dixit Anacharſis. 151.30.a
Leges duobus modis interpretari licet. 165.40.b
Leges bonæ ex malis moribus ortæ. 170.30.b
Legum ſanctiones. 172.50.b
Legum ferẽdarũ apud Athenienſes cõſuetudo. 7.40.a
Lemnij ſinties dicti. 361.10.a
Lenes erga quos ſimus. 203.20.a
Lenes erga eos qui inuiti faciunt,aut coacti,aut neceſſario. ibid.
Et erga eos,qui fatentur ſe feciſſe,ſed pœnitet. ibid.
Et in eos,qui ſe humiliter gerunt. 204.40.a
Et in eos,qui ſerio nobiſcum agunt. 204.20.b
Et in non contemptores,ac deriſores. 205.10.a
Et ijs,quos timent,& uerentur. 205.30.a
Lenes qui ſint. 205.40.b.& deinceps.Et in quos. 208 10.a
Lenitudo quid ſit,& qui,quibus de cauſis,& erga quos lenes. 203.10.a
Lenitas,& lenitio,idem. 203.10.a
Ad lenitatem proclines qui ſint. 205.40.b
In lente unguentum.prouerbium. 375.40.b
Leodamas Aeſchinis præceptor. 91.30.b
Leodamas accuſatus a Thraſybulo. 330.40.a
Leonis clementia in feras humiles. 204.20.b
Liberalis,& liberalitas. 199.40.a
Liberales cur amentur. 210.10.a
Liberalia quæ uocentur. 62.30.a
Liberalitas,quæ uirtus ſit. 119.10.b
Liberi multi,& bene inſtituti. 61.20.a
Liberi non cedebantur,ſed ſerui. 304.10.a
Liberi patris certamen,quo nomine uocaretur. 434.20.b
Ligula. 280.50.a
Liuor in uiuis. 254.50.a
Locus ſuperior in ſedendo,honoris ſpecies. 65.20.a
Locus de delectu propoſitionum habendo. 304.50.b
Locus ex comparatione in utramque partem ualet. 309.20.b
Ex inuerſione. 312.20.a
Quando ualeat. 312.40.b
A diuiſione. 315.40.b.& deinceps loci omnes argumentorum.
Loci communes,quales ſint. 40.30.a
Loci enthymematum,qui. 41.20.b
Loci de re,de qua dicimus,ſe nobis quærentibus oſtendunt. 303.40.b
Locutio,uide elocutio.
Locutio & ſtylus non idem conuenit in omnibus dicendi generibus. 414.40.b
Locutio remota a forenſibus cauſis,qualis:& forenſibus apta controuerſiis. 414.50.b
Concionalis,uel deliberatina,& iudicialis. ibid.
Forenſis dictio,& ſcriptura,quomodo differant. 415.30.a
Forenſis locutionis,et ſcripturæ cõparatio. 416.10.a
Locutionis amplitudo,& granditas quomodo fiat. 372.40.a
λογισμός.i.ratiocinatio,quid ſit. 132.20.a
Loquacitas perennis. 390.30.b
L.Caſſius,iuſtiſſimus. 112.40.a
L.Caſſius iudex ſapiens. 338.30.b
L.Manlius patrem tutatus eſt contra tribunum pl. 201.10.b
L.Siccius multa præmia conſecutus. 64.50.b
L.Sicinius Dentatus,uir fortiſſimus. 112.20.a
L.Sylla,morum farina reſperſum. 413.30.b
Lucretia ſtuprata. 169.50.b
Lucretius de Heraclito. 370.30.b
Lucretius,& Manilius philoſophi. 392.20.a
Lucri appetentes omnes eſſe. 151.10.b
Lucta & palæſtra. 69.10.a
Lucus circa tumulum,aut templum. 65.10.a
Lucus Auguſti,ciuitas Hiſpaniæ. 65.20.a
Ludus conceſſus a philoſophis. 135.40.b
Ludi,in quibus corona donabatur uictor. 34.30.a
Ludi concertatorij omnes,ſuaues. 140.20.b
Ludere par impar. 369.20.b
Luna in calceis ſignum nobilitatis. 280.20.b
Lunata pellis apud Mart. 116.10.b
Lunati calcei ſenatorum. 280.20.b
Luſcioſi qui dicantur. 412.40.a
Lycimnius rhetor. 357.50.b

Lycim-

Lycimnius laudatur. 415.50.b
Lycimnius rhetor noua nomina inuexit. 422.30.a
Lycoleon pro Chabria. 403.20.b
Lycophrō Tragicus ī iūctis noībus notatus. 360.20.a
Lycophron. 395.40.a
Lycurgus leges dedit Lacedæmonijs. 6.50.d
Lycurgi de liberis educandis ſententia. 60.30.b
Lyſias contra Alcibiadem, cuius rei admonuerit Iud. 7.10.a
Lyſias orator. 325.30.a
Lyſias orationem funebrem conſcripſit. 403.20.a

M

Μακαρισμὸς quid ſignificet. 122.10.a
Macedones regio dominatu utebantur. 55.20.a
Magiſtratus ſuffragijs, aut ſorte creati. 104.30.b
Magiſtratus Athenis rationem adminiſtrationis reddebant. 400.20.b
Magnanimderi, quæ ab aliquo ſupra conditionem fiunt. 100.30.a
Magnanimitas uirtus, quæ, & quid ſit. 110.30.b
Magnificentia uirtus in ſumptib. faciendis. 110.50.b
Magnitudo, & paruitas, unde oritur quintum genus propoſitionum rhet. 46.30.b
Magnitudo corporis, quando laudanda. 68.40.a
Magnitudo, & paruitas ut reb. cōparetur. 277.30.a
Magnitudo & paruitas in omni genere. 284.20.b
Maiora bona, quæ maius bonum conficiunt. 89.50.a
Maiora, minora, & paria in comparatione ſpectari. 309.50.b
Maius, & minus quid ſit. 86.30.b
Maius & plus quomodo differant. 87.10.a
Maledicere & accuſare differunt. 315.30.a
Maledictio, & accuſatio, quid. 315.30.a
Maledicus conuitiator, reprehenditur. 450.20.a
Maledici. 234.20.b
Malum conſilium conſultori peſſimum. 189.20.b
Mali depulſio eſt bona. 75.40.a
Mali diminutio bona eſt. 75.20.b
Mali corui malum ouum. 281.30.a
Mala præterita nobis iucūda, recordatione. 216.50.b
Manlius poeta, & philoſophus. 392.20.a
M. Ant. orator cur nullā orationē ſcriberet. 13.30.b
M. Antonius orator. 377.20.b
M. Cato dixit Siciliam eſſe penu Ro. 401.20.a
M. Cic. iræ in aduerſarios cōcitādæ artifex. 202.30.b
Ad Clementiam iud. impellit. 204.40.a
Facete irridet aduerſarios. 211.40.a
M. Cic. quomodo Callidium refutarit. 376.10.a
Auditores ita, ut uolebat, dicēdo afficiebat. 377.50.a
M. Sergius, uir fortiſſimus. 112.20.a
M. Tullius cur inter coniuratos cum Bruto non fuit. 234.50.a
M. Tullius in omni oratione uel dilatanda, uel contrahenda mirus artifex. 350.40.a
M. Tull. Demoſthene ſupior ī miſerationib. 376.30.b
M. Tullius a Victorij calumnia de numero oratorio defenſus. 385.30.a
M. Tullius poeticis uerbis p riſum utitur. 381.30.a
Quib. numeris delectatur. 389.30.b. *Et* 390.10.a
M. Tullius contra Rullum quo progreſſus. 429.40.b
M. Tullius ab Ariſt. diſſentit de difficultate generis iudicialis, & deliberatiui. 446.20.b
In deliberationib. & aduerſarios accuſat. 447.30.a
Sui nimius laudatur. 449.50.b
Vrbanitas in cauſa pro L. Murena. 454.10.b
Marius apud Salluſtium. 255.40.b
Mors communis. 296.10.a
Mars cauſam dixit in Ariopago. 318.10.b
Mathematicæ diſputationes nō sūt moratæ. 440.10.a
Mentem & conſilium non habent. 440.20.a
Mathematici quo probent res ſuas. 32.20.a
Mater non ſemper filios amat. 36.30.a
Matris magnæ ſacra apud Græculos. 354.30.a
Matres de filijs poſſunt uerum diſcernere. 316.50.a
Materia ſubiecta inueſtiganda. 1.10.a
Materia communis rhet. & dialecticæ. 1.30.a
Materia ad probandū duplex apud oratorē. 20.50.b
Materia rhetoricæ duplex. 2.10.b
Materia propria oratoris, & Hermog. 33.20.a
Matuta, quibus nominibus uocetur. 331.40.a
Maxima res dicitur aut mole, aut uirtute. 101.20.a
μηδὲν ἄγαν in foribus templi Delphici. 80.30.a
Medicina, quid ſit. 19.30.b
Medicinæ ſpecies tres. 19.20.b
Mediocritas, laudabilis. 268.30.b
Meditari. 403.50.b
Megalocoryphon. 360.30.a
Melanopus orator auariſſimus. 168.40.b
Meleager de apro Calydonio. 200.30.a
Meleager Oenei filius. 310.20.a
Meleager tragœdia Antiphontis. 326.10.a
Meliora eſſe, quæ rarius fiant. 89.10.a
Melius eſſe, quod alterius ope non eget. 90.50.a
μέλλοντα. 284.30.a
Membrum quid ſit. 392.40.b
Non debet nec longum eſſe nec breue. 393.20.a
Curtum, quæ incommoda afferat. quæ longa. ibid.
Mēbra ī, uel caſim loquēdū ī peroratione. 458.10.a
Memoria in numero bonorum. 78.30.a
Et eſt rerum omnium theſaurus.
Memoria Themiſtoclis, Cyneæ, Metrodori. 78.10.b
Memoria laborum præteritorum ſuauis. 137.40.b
Memoria nulla mētio īter ptes rhe. ab Ari. 343.10.b
Menandri ſnīa de morib. dictis reprehenſa. 22.30.b
Menādri fabulæ ī ſcena placebāt, domi ñ nē. 416.40.a
Menelaus cur cōtra Troia. claſsē īſtruxerit. 201.10.b
Menenius Agrippa. 287.20.b
Mens diſcendo alitur. 143.40.b
Mens in animo concluſa a Deo. 404.10.a
Mens bona, uel mala a fine cognoſcitur. 439.30.b
Mercatores non offendendi. 53.30.a
Mercenarij qui ſint. 116.40.b
Mercurius, & Autolycus eius filius, fures. 158.30.b
Merocles. 401.40.a
Meta in ſtadijs. 390.50.b
Metaphora, uide tranſlatio.
μέθοδος ut latine dicatur. 9.30.a
Methodus quid ſit. 9.40.a
Methodici libri, qui eſſe exiſtimentur. 28.20.b
Metonymia. 402.20.b
Metragyrtæ ſacerdotes magnæ matris. 354.50.a

Metrodorus. 293.10.a
Metuentes, aut non metuentes, qui ſint. 221.30.a
Metus quid ſit, & quæ, & quos homines timeamus. 216.30.b
Metus quare datus homini. 217.10.a
Quæ mala metuantur. 217.20.a
Mala propinqua, timentur. quæ perdunt, quæ dolorem animi acerrimum offerunt.
Signa malorum impendentium. Inimicitiæ potentium. Iniuſtitia potens, & armis inſtructa. 218.20.a
Virtus affecta contumelia
Vitam habere in aliorum fide collocatam. 118.30.b
Qui iniuriam facere poſſunt. 219.10.a
Et qui iniuriam accepit.
Quique iam fecit. 219.10.b
Competitores. Qui minores aggrediuntur. Et loci quattuor unde hæc ducantur. 220.30.a
Et qui ſunt uerſuti, & diſsimulatores. Et quæ emendari nequeunt, ut infamia, &c. 220.40.b.
Quænam ſint huiuſmodi. ibid.
Militiæ tempus, quando. 323.30.a
Milites noſcendi oratori. 51.10.a
Minos Creteuſibus leges dedit. 6.50.d
Minutius magiſter equitum, ſuperbus. 275.10.a
Mirabilia, & de mirabilib. reb. opus Ariſt. 328.20.a
Miſerabilia quæ ſint: ut exilia, ſpoliationes, mortes, infamia, tormenta, laniationes, mutilationes membrorum, graues morbi, pericula, & quæ a fortuna proueniunt. 243.10.a
Miſerabilia & atrocia differre. 244.30.b
Miſerabilia, demiſſe dicenda. 376.30.b
Miſeratio actionem requirit. 346.20.b
In miſerationibus Cicero excelluit. ibid.
Miſeri cur fugiant hominum conſpectum. 237.20.a
Miſericordes qui ſint. 241.242. per totas paginas.
Miſericordia quid ſit. quæ res miſericordiam excitēt. qui ſint digni miſericordia, & quomodo miſericordes ſint affecti. 240.10.b
Miſericordia ex conſcientia infirmitatis propriæ. 241.10.a
Miſericordia qui non moueantur. 241.20.a
Miſericordia qui moueātur. 241.50.a. et tota pagella
Miſericordia ĩ quos excitetur. 244.40.a. & deĩceps.
Quĩque gñra rerũ miſericordia cõcitat. 245.50.b
Mithridates uenandi ſtudioſus. 140.40.b
Mixidemides. 318.30.a
Moderator ſententiæ quis dicatur. 42.10.b
Modus omnibus in rebus eſt optimus. 80.30.a
Modus in rebus eſt optimus. 342.30.b
Moleſta quæ ſint. 135.50.a
Mollis, & ignauus quis dicatur. 126.50.b
Moloſſus pes. 387.10.b
Monarchia, quis ſtatus reip. ſit. 52.10.a
Monarchia quid, & quotuplex. 105.50.a
Monumenta ad memoriam poſteritatis. 115.20.b
Morata oratio. 439.30.b. *Et* 440. per *totum. Et* 449.30.b
Mores ad faciendam fidem ualere. 21.40.a
Mores dicentis, non orationem ſuadere, uult Menād. 22.30.b
Mores ciuitatis ſunt oratori cognoſcendi. 106.50.a
Mores gentium pro legibus haberi. 159.40.b
Mores hominum uariari multis modis. 260.20.a
Mores quid ſignificent. 260.30.a.
Mores adoleſcentium, qui. 260.40.b. & deinceps
Mores ſenum, qui. 264.50.a. *Et deinceps in duabus paginis.*
Mores mediæ ætatis, prolixa oratione expreſsi. 268.20.b
Mores nobilium. 270.20.a
Mores diuitum. 271.10.b
Mores potentum. 273.20.b
Mores fortunatorum. 274.10.b
Mores oratoris effingere debet oratio. 268.20.b
Mors extremum malorum. 207.20.b
Mors obita ignominiæ fugiendæ cauſſa. 231.40.a
Mortes per errorem allatæ. 166.10.b
Motus animi celeres. 78.30.a
Motus animorum permiſcendi in peroratione. 456.40.a
Motus in peroratione permiſcendi, ſunt ſeptem. 456.50.a
Moſes Hebræis leges dedit. 6.50.d
Mouere alterum uiolenter licet quinque modis. 68.20.a
Mulæ in ludis Olympicis. 359.10.b
Muli Mariani. 203.20.b
Mulieres, auaræ. 61.10.b
Multatio ſit legibus. 404.10.b
Multitudo quos diligat. 63.30.a
Multum & paucum quid dicatur. 87.20.a
Munera, undecima ſpecies honoris. 66.20.a
Muſæum. 361.10.b
Muſarum fores ſine furore fruſtra pulſari. 381.10.a
Myopes qui ſint. 412.40.a
Myſorum præda. 154.50.b

N

Narratio tantum in iudiciali genere. 420.40.b
Narratio in genere demonſtratiuo qualis. 420.50.b
Narratio in genere deliberatiuo qualis. ibid.
Narratio in demonſtratiuo genere nõ perpetua. 436.30.a
Simplicior, magis uaria, non artificioſa, magnifica. 436.50.b
Narratio Cic. pro lege Man. magnifica, & ſublimis. 437.10.a
Narratio quando adhibenda, quando omittenda. 437.10.a
An breuis, & dilucida, & uериſimilis eſſe debeat. 437.20.b
In narratione ſint, quæ dicentis probitatem ſignificent. 438.20.a
Narratio defenſori conueniens, quæ. 438.20.b
Defenſor quæ narrare debeat. 439.10.a
Narratio morata eſſe debet. 439.30.b
Narratio ex præmeditatione, & uoluntate. 440.20.b
Rei incredibili eſt adiungenda ratio. 441.20.a

In narratione animi audientium mouendi. 441.30.b
Narrandum multis in locis. 442.40.b
Et quandoque non in principio. ibid.
Narratio quō in deliberatione adhibenda. 443.19.a
Naſus duo uitia habere poteſt. 54.30.b
Natura & ars ad uerum inueſtigandum. 11.50.a
Natura rerum per ſe eſt,& intelligitur. 29.10.b
Natura noſcenda eius,cui conſulas. 86.40.a
Natura,quid ſit. 131.10.a
Natura quinque modis dicitur. ibid.
Natura nihil fruſtra molitur. 279.20.b
Naturales res cauſam in ſe ipſis cohibent. 130.50.b
Naturales res ab artificioſis differre. 131.10.a
Naturalia aduentitijs maiora. 100.30.b
Neceſſitas,& eius uis. 135.40.a
Neceſsitas mater parcarum. 135.40.a
Neceſſitas in purgatione. 153.20.a
Neceſſarium,& ueriſimile quō differant. 338.40.a
Neceſſaria,contingentia,impoſsibilia. 47.40.a
Neceſſaria,& impoß. non cadunt in deliberationem. 40.19.b
Neceſſaria pauca ab oratore tractantur. 283.20.b
Neceſsitudo quid ſit. 214.20.b
Negligentia quid ſit,& eius ſpecies. 192.10.b
Vnde naſcatur in homine uiolento. 193.40.a
Nemeſis media inter inuidiam & peruerſam lætitiam 246.40.b
Nemeſis miſericordiæ oppoſita. 246.10.b
Pro dea colebatur. Et quid de ea Platonici. 246.30.b
Neoptolemus apud Ennium. 291.40.b
Ne quid nimis,quam uim habeat. 80.30.a
Nicanor interfectus. 308.30.b
Niceratus a Pratye ſuperatus. 412.20.b
Nimium quibus in rebus eſſe non poßit. 80.40.a
Nireus ab Homero nominatus per repetitionem,& aſyndeton. 418.10.a
Nobilitas uel gētis,uel unius familiæ eſt. 58.40.b
Nobilitas totius gentis,quid. 58.40.b
Nobilitas uera. 59.30.a
Nobilitas urbiū à uirorum uirtute oritur. 59.10.b
Et à uiris illuſtrib. & ijs quidem multis. 59.20.b
Nobilitas priuata a uiris et mulierib. oritur. 59.20.b
Et primi auctores ſpectandi. 60.10.a
Et diuitiæ,ſcientia,& uirtutes. 60.20.a
Nobilitas ex bona prole. 60.20.b
Nobilitas uera,in uirtute poſita. 314.30.a
Nobilitatis mores,qui,& quales. 270.20.a
Nobile quid dicatur. 270.20.b
Nomen,quid. 347.40.a
Nomina rerum imagines. 347.30.a
De his quid ſenſerit Plato,Democritus,& Pythagoras. 347.20.b
Nomina multas habent ſpecies. 351.30.a
Noīa,& uerba dilucidā orationē faciētia. 349.20.a
Immutata grādem orationem faciūt. 349.50.a
Tranſlata,ſua,& propria. 351.20.b
Propria orationem dilucidam faciunt. 349.20.a
Propria quæ ſint,quæque peregrina. 351.40.a
Tranſlata ſunt in uſu apud oēs hoīes. 351.40.b
Peregrina tranſlatis etiam cōtinentur. 352.10.a
Ambigua,apta ſophiſtis. 352.20.a. quæ dicuntur homonyma.
Synonyma apta poetis. 352.40.a. quæ cognominata uocantur.
Nomina mutanda, cum amplificare, aut minuere uelis. 355.10.b
Noīs pulchritudo, & turpitudo in quo ſit. 357.30.b
Obſcæna nomina,& honeſta. 358.40.a
Poſſunt diminui. 359.10.b
Nomina iuncta,quæ ſint. 360.10.a
Qui ſcriptores ī eis iūgēdis errarīt. 360.40.a.& 10.b
Nomina iuncta dithyrābicis cōueniūt.
Peregrina poetis heroicis. } 363.20.a
Tranſlata iambicis.
Nomina noua non fingenda ſine cauſa. 422.30.a
Nimis Theodectis opus. 316.30.b. 323.20.b
Noſce te ipſum. 296.40.b
Nouitas,grata omnibus. 408.10.a
Numerus oratorius à Traſymacho inuētus. 345.40.a
Numeri,quibus utendum. 344.10.b
Numeri obſeruandi in elocutione. 367.40.a
Quomodo ſeruentur. 370.40.a
Numerus immutatus grādē facit orationē. 373.50.a
Numerorum libertas maxime ornat. 373.20.b
Numerus oratorius melius tractatus à Cic. quàm ab Ariſt. 381.40.a
Numerus ſit ī oratione,careatq. uerſib. 381.10.b
Eodem modo ſemper cadens,uitioſus. 381.40.b
Si numerus nō ſit,oratio fine caret. 382.20.a
Quis intelligendus in oratione. 382.40.a
Numerus ī qua parte orationis eē dēat. 382.10.a
Herous Iambus. 382.20.b
Iambicus numerus,cur contemnatur. 383.10.a
Trochaicus,an conueniat orationi. 383.20.a
Pæanicus per ſe conuenit orationi. 383.30.a
Herous cur σεμνὸς dicatur. 383.40.a
Dactylicus,& anap. numerus grandi orationi aptus. 383.20.b
Herous quō λεκτικὸς dicitur. 383.30.b
Trochaicus nō cōuenit orationi ſolutæ. 386.30.b
Numerus,uel æqualis,uel duplex. 387.40.a
Demiſſæ orationis,qui pedes ſint. 388.50.a
Grauißimæ orationis,qui. 388.10.b
Temperatæ,qui. ibidem
De hoc numero M. Tullius à Victorij calumnia defenſus. 385.30.a
Numerus facile memoriæ commendatur. 391.50.b

O

Obliuio iniuriarum laudatur. 167.10.b
Obolus apud Athen. nūmi genus. 368.20.b
Obſcæna & honeſta nomina. 148.40.a
Obſcænitas uitanda. 372.40.b. Et quō uitari poßit.
Obſcura ſcribendi ratio damnatur. 370.40.b
Obſeruari qui uelint. 194.40.b
Obſtragulum. 280.40.a
Obtrectatores. 234.10.b
Occaſio ſola malitia ſufficit. 155.10.b
Octauia Auguſti ſoror. 377.10.b
Octonarij in fabulis priſcorum. 348.30.a
Oculus apertus in ſceptro pictus. 274.10.a
Oculi ſenſus acerrimus. 93.30.b
Odij,& iræ differentia. 215.20.a.& deinceps.

Odioſi qui aliorum uitia obſeruant. 212.10.a
ὁδοιπορεῖν quid ſignificet. 4.30.b
ὁδοιποροὶ uiatores dicuntur. 4.40.b
Odores,& unguenta exotica. 136.40.b
Officium oratoris,& medici. 16.50 a
Oligarchia,reip.ſtatus uitioſus. 54.20.a
oligarchia,quid,& quando ea uſi ſint Lacedæmonij. 105.10.a
ὀλιγωρία habet tres ſpecies. 192.30.b
Oliua Palladi dicata. 328.50.a
Olympici ludi,qui fuerint. 34.30.a
Olympicus,Gorgiæ oratio. 423.20.a
ὁμοίωμα, & παράδειγμα. 1.20.d
ὀνοβάτις fœmina,quæ diceretur. 161.30.a
Opiniones omnium non eſſe ſpectandas. 30.30.b
Opiniones,quæ in ſingulis ſunt artibus. 137.30.a
Optimates,qui. 54.50.b
Oratio eſt hominis magis propria, quàm uſus corporis. 14.50.b
O atio ſolius hominis eſt propria. 15.10.a
Oratio facit,ut belluis præſtemus. 15.10.a
Oratio tria reſpicit. 21.30.a
Oratio flexanima,& omnium rerũ regina. 23.10.b
Oratio ex tribus rebus conſtat. 42.30.a
Oratio mentis interpres. 42.40.a
Oratio eſt mentis interpres,uerbis diſcrepans,ſententijs congruens. 174.10.a
Oratio omnis ad iudicium refertur. 275.10.b
Oratio mores dicentis indicat. 342.40.b
Oratio ex nominibus & uerbis fit. 351.30.a
quibus nominibus & uerbis ornetur. 351.20.b
Obſcura ut fiat. 371.30.b
Oratio rebus conueniens. 375.10.b
Ad perſuadendum ualet. 376.50.b
Miſcens animi motum. 375.50.b
Mores exprimens. 377.30.b
oratio arrogantis,demiſsi,triſtis,urbani,ruſtici,benigni,inuidi,impudici. 377.40.b
oratio numerorum expers,fine caret. 382.20.
Eius ſex uitia ſunt. 382.20.a
oratio pro lege Manilia a quibus numeris incipiat,& quibus claudantur periodi. 389.30.b
oratio ſoluta ante Pherecidem non ſcripta. 392.20.a
orationis uitium maximum. 3.20.b
orationis partes ſolum tres olim. 367.40.a
orationis forma neque uerſibus cõſtet,neque expers numerorum ſit. 381.10.b
orationis partes duæ. 420.40.a
Quas Ariſt.neceſſarias putet. 420.10.b
Cic.quattuor facit. 420.20.b
Quattuor quoque ab Ariſt.ponuntur. 421.10.b
Quas adderet Theodorus Byzantius. 422.20.a
orationes Sallustij & Ciceronis quæ circunferuntur nõ eſſe ipſorũ,ſed alterius declamatoris. 85.30.a
orationis quomodo inſcribi ſolitæ. 314.20.b
orationes ſcriptæ ſunt iucundæ propter elocutionem. 347.20.a
oratoris duo officia. 3.20.d
orator quomodo fiat acer in diſputando. 7.40.d
orator contrarias cauſas dicit. 13.30.b
orator an de omni re uериſimiliter dicat. 18.30.b
orator,qui ſit. 22.50.a
orator debet non modo uir bonus eſſe,ſed etiam uideri. 23.10.b
orator eſſe ne probus,an improbus,debeat,ut perſuadeat. 22.40.b
orator quando nomen oratoris amittat. 39.40.b
orator bonus debet eſſe doctiſsimus. 41.10.b
orator quomodo res ciuiles tractet. 49.20.a
orator cur ſcire debeat de cuſtodia regionis. 52.10.b
orator noſſe debet reip.genera. 54.20.a
orator uir bonus debet uideri, præſertim in conſultationibus. 188.40.a
orator fit induſtria. 347.10.a
orator quib.nominib.utatur,& quæ uitet. 351.40.a
orator affici dicendo debet. 377.20.a
Licet etiam non uera dicat. 377.40.a
orator qũ ſe corrigat. 378.50.b. Et 379.10.a
orator quando epithetis,iunctis nominibus & peregrinis pro arbitrio ſuo uti poſsit. 380.30.a
orator non in omni genere dicẽdi excellit. 419.20.a
orator legum peritus eſſe debet. 446.40.b
oratores Athenienſes reprehenſi. 447.20.a
non ſæpe interrogant,& cur. 453.20.a
oratoris eſt perſuadere,ut dialectici ꝓbare. 14.20.b
oratoris materia propria. 31.20.a
orator ad quos auditores loquatur. 31.30.a
oratorẽ ſine differendi rõne eſſe non poſſe. 10.40.a
oratores quæſtionem proponi uidebant, de qua quis uellet audire. 20.20.a
oratores nutricibus comparati. 366.40.a
oratoria ars a Spartanis neglecta. 79.20.a
ordo res omnium optima. 73.50.b
ὀρεκτικὸν pars animi,in qua appetitus ſunt. 190.10.b
oreſtes apud Areopagitas. 318.40.a
ὀργή. 190.40.a
ornatus abiectis nominib.nõ adhibẽdus. 375.20.b
ornatus orationis,qui eſt in collocatione uerborum, in tribus rebus conſiſtit. 381.50.a
orpheus maſculæ Veneris auctor deteſtandus. 170.40.a
ὄζοι.i.rami,pars rhetoricæ a Lycimnio poſita. 422.40.a

P

PActa,quæ. 181.40.a. *contra leges,non ualẽt.ibi.*
Παίγνια ludicra puerorum. 361.30.a
pæan accommodatiſsimus orationi. 388.30.a
pæan uerſum non efficit. 383.30.a
Hoc numero uſus eſt Thraſymachus. 382.30.a
Quot ſyllabas habeat. 387.10.b
pæanis duæ ſpecies. 388.20.b
pæanes in Apollinis laudẽ cur dicãtur. 388.40.b
pæan duplex. 389.10.a
palimbacchius. 387.10.b
paludem,& ſales emere 321.40.b
pamphili rhetoris ars uno in loco fundata. 327.20.b
pancratiaſtæ. 69.10.b
panegyricus Iſocratis. 423.40.a
panegyricus Plinij. ibid.
panegyrici,quæ orationes dicerentur. 42.20.a
paralus nauis,claua populi. 401.10.b

para-

paradoxa, quæ dicantur. 329.30.b
παράγραμμα. 408.10.b
paranomaſia. 408.10 b
parentheſis uitioſa, niſi breuis, & neceſſaria ſit. 368. 20.a
pares, & ſimiles qui dicantur. 230.20.b
pares, & ſimiles, qui dicantur. 345. 10.a
παρίσωσις quid. 395.40.b
parmenides uerſib. de philoſophia ſcripſit. 392.20.a
παρομοίωσις quid. 396. 10.a
parricidij legem nullam, Solon ſcripſit, & cur. 150. 40.a
parſimonia magnum uectigal. 50.20.b
partes orationis duæ. propoſitio, & pbatio. 420.40.a
partus uentrem ſequitur. 59.30.b
pater patratus apud Romanos. 49.10.b
πάθη, perturbationes. 19. 30.b
πάθη perturbationes. 190. 40.a
παθητικὸν genus probationis, quale ſit. 23.30.a
παθητικὴ dictionis forenſis ſpecies. 415.10.b
paupertas onus miſerum, & graue. 153.20.b
paupertas nemini obijcienda. 196.30.b
pauſanias qua contumelia affectus. 193.30.b
peccata, quæ facile homines committunt. 158.20.a. & infra.
peccata quæ condonanda. 166.30.a. Et 167.20.a. & infra.
peccata grauiora, quæ cenſeantur. 170.40.a
Quomodo unum amplificandum. 171.50.a. & b.
Sunt cōtra ius ſcriptum, aut nō ſcriptū. 172. 20.b
pecuniæ inueniendæ rationes ab antiquis traditæ. 50. 20.a
pedes uel æquales, uel duplices. 387.40.a
πελώριος Xerſes. 360.50.b
pentathlicur pulcherrimi. 67.10.b. Et 69.30.b
penteſyringum. 402.10.a
peparethus inſula ex cycladibus. 316.40.a
peregrina oratio. 349.20.b
peregrina nomina ubi conueniant. 379.30.b
Quando uti eis poſſis ſine uitio. 381. 20.a
peregrinæ uoces frigidam orationē faciūt. 360. 40.b
peregrinatio utilis ad leges condendas. 55.40.a
peregrinatio ab Homero laudata. 55.10.b
periander Corinthius, poema compoſuit. 177. 10.a
pericles tonare, fulgurare &c. dicebatur. 6.10.b
pericles, & eius filij. 271.50.a
pericles de ſamijs. 365.50.b
pericles afficiebat auditores, ut uolebat, 377.50.a
Tonare, fulminareque dicebatur. ibid.
pericles ut Lamponem refutarit. 451.20.b
pericula duobus modis depelli. 155.40.b
peripatetici aiunt bonum eſſe partem felicitatis. 56. 30.b
περιπέτεια quid ſit. 144.40.b
periodus quid ſit. 391.30.a
periodi latina nomina. 391.40.a
periodo uictores, qui. 391.40.a
periodus è quattuor membris, plena. 391. 50.a
E duobus. e tribus. e quinque. & ſex. 391. 20.b
Debet habere ſententiam perfectam. 392.30.a
periodus duplex. 392.20.b
Tria in ea eſſe debent. 392. 20.b.
periodus ſimplex, quæ uocetur. 393.10.a
periodus curta, & longa nimis, incommoda. 393. 10.b
periodus diſtincta. 394.50.a
Oppoſita. 394.10.b
periurus punitur, & item eius filij. 184.30.b
periurij pœna. 186.10.b
permanſio in una ſententia non laudata. 325.10.a
pernio morbus pedum. 408.40.b
peroratio Ciceroni ab aliis relinquebatur. 346.20.b
peroratio non ſemper adhibetur. 420. 20.b
Non eſt in demonſtratiuo genere 421.10 a
Neque in omnibus iudicijs. 421.40 a
peroratio quattuor ex partibus conſtat. 455 20.a
Similitudinem magnam habet cum exordio. ibi.
Cur orator beneuolentiam ſibi, & aduerſario odiū comparet. 455.50.a
Orator oſtendat ſe bonum eſſe, & aduerſariū malum. 455.30.b
perorationis ſecunda pars eſt diminutio, uel amplificatio. 456.10.a
Tertia pars in perturbatione animorum adiungenda. 456.40.a
Quarta pars, eſt enumeratio eorum, quæ dicta ſint. 456.10.b
In peroratione quodnam dicendi genus conueniat. 458.10.a
perorationes Ciceronis. 376.30.b
perpetuæ res, quæ. 33.10.a
perſa uir cum Samia muliere. 170.40.a
perſa terrā, & aquā a Lacedæmon. petiere. 324.10.b
πέρας. 409. 40.a
per ſe ipſos quæ faciant homines, uel non per ſe. 128.20.b
per uim quæ fieri dicantur. 131.20.b
per iram quæ fiant. 132.10.b
perſona oratoris & rei pro eadem habetur. 438.30.a
perſonæ quomodo diſtinguantur. 160. 40.b
perſonæ hærentia, ſiue, attributa, ſunt. 11.302.40.b
perſuadetur tribus modis. 4.10.e
perſuadibile quid dicatur. 29.20.b
πέρθω. 409.40.a
perturbatio, idem quod affectus. quid ſit ex Zenonis ſententia. 190. 40.b
perturbationes nu. 12. unde naſcantur. 190. 50.b
perturbationes animi uariant iudicia. 23.40.a
perturbationes debere eſſe cognitas oratori. 24.50.a
φαινομηρίδες lacenæ cur dictæ. 61.30.b
phalanx uox Macedonica. 363.40.a
phalaris agrigentum occupauit. 287.40.a
phantaſia, quid ſit. 137.40.a
phayllus. 439.30.a
pherecydes & Hecatæus primi oratione ſcripſerunt. 347.50.a
phidias ſimulachrum Iouis olympici. 120 30.a
phiditia apud Lacedæmonios. 402.40 b
philamnon athleta. 412.50.b
φαλακροὶ ſenes. 266.10.b
φίλαυτοι, qui ſint. 145.10.b
philemon hiſtrio. 417.10.a

Index.

φιλεταστὴς quis dicatur. 146.20.a
φιλιππίζειν. 409.50.a
Philoctetes uitam aucupio propagabat. 78.40.b.
φιλοκόλαξ qui ſit. 146.20.a
Philocrates Athen.orator. 206.40.a
Philomela quomodo in auem mutata. 364.30.a
philoſophia a multis reprehenſa. 310.40.b
philoſophi noſtrates,barbare loquuntur. 346.40.a
φιλόφιλοι. 214.20.a
philotheori,qui dicantur. 42.20.b
φιλότεκνοι amantes liberorum. 146.20.a
φιλότιμοι honoris appetentes. 146.20.a
Philoxenus gulæ deditus 136 30.b
Collum gruis optabat. ibid.
πικρὸς amarus homo,quis ſit. 127.10.b
pictura in iucundis rebus ponitur. 144.10.b
pirata communis hoſtis omnium, non in numero perduellium. 186.10.a
piratæ apud antiquos erant in honore. 154.50.a
piſander eluſus a Sophoc.interrogando. 453.20.b
piſiſtratus quomodo tyrannidem inuaſerit. 39.20.a
piſiſtratus qua arte dominatum compararit. 162.20.
πίστεις καὶ artes,quæ. 19.10.b
πίστις latine dicitur probatio. 9.40.b
πιθανὰ quæ dicantur. 17.20.a
pitholaus. 395.40.a
pittacus in Amphiaraum. 262.10.a
pittaci ſententia in ebrios. 336.50.b
Plato & eius,dum uixit,auctoritas. 178.30.b
Plato,ab Ariſtippo arrogantiæ accuſatus. 318.40.b
plato ſecutus eſt Heracliti opinionem. 371.30.a
platonis oratio laudatur. 346.30.a
Plautus in tralationibus ridiculus frequẽs. 363.20.b
plexippus Althea frater. 200.30.a
poeſis nihil eſt aliud,niſi imitatio. 347.30.a
poeſis,res quadam diuina. 381.10.a
poeta naſcitur. 347.10.a
poetæ primi ſcripſerunt. 347.40.a
poetæ principibus chari. 141.40.a
poetæ quando ſuas fabulas egerunt. 343.10.b
poetæ quaſi aliena lingua locuti. 362.40.a
poetæ,qui in legendo delectant,probantur. 415.40.b
poetica quem uſum afferat orationi. 2.30.c
poetica oratio admirabilior,& ſplendidior,quàm oratoria. 349.40.b
poetica nomina,& quæ poetica uidentur. 379 50.b
poetica ars eſt imitatio 406.40.a
politia,quæ reſp.ſit. 54.20.a
polycrates ſoc.accuſans in Alcibiadem obiecit. 237.20.b
polyeuctus in Speuſippum: 401.40.b
polyphemus Vlyſſem non timuit. 221.10.b
πολυφιλία.i.gratia. 71.10.a
polyproſopon cælum. 360.20.a
Pomponius in ſcribendo obſcurus 370.30.b
pontanus. 347.50.a.362.40.b
populus quorum ſimilis ſit,ut ait Demoſt. 366.30.a
populares homines,qui. 54.50.b
πορευτὴς. 355.10.b
poſſibile,& impoſſibile,commune omnium generũ orationis. 277.10.a
Loci,unde argumenta ducuntur ad probandum aliquid poſſibile eſſe,& impoßibile, deinceps exponuntur. 278.30.a.279.a.b
potentium mores,qui ſint. 273.20.b
potidæates. 302.30.a
πότνια,cæleſtibus & diuinis conuenit. 375.30.b
practici ſunt ad iniuriam faciendam proni. 148.50.b
πραῦτης lenitudo,quid ſit. 203.10.a
præceptu artis eſſe communia. 29.50.b
præcepta propria artis diſcenda,ut eius peritus ſis. 40.40.b
præcepta quomodo in laudes tranſeant, & contra. 122.10.a
præcurrentia,quæ ſint. 283.30.b
prædia honeſtiora,quæ. 116.10.a
prædones apud antiquos non erant turpes. 355.40.a
præfecti annonæ apud Romanos. 49.30.b
præiudicia quæ dicantur 178.10.b
præmia in certaminibus propoſita. 64.40.b
πρέπον,decorum. 375.30.a
præſens tempus nullum eſſe. 31.40.b
præſidia ubi collocanda. 52.50.a
principes quanam arte populos expilent. 158.10.a
principes donant,ut poſtea auferant. 325.30.b
principium in omni re quodnam ſit. 18.40.a
principium habere maiorem uim, quam quod non eſt principium. 92.30.b
principium eſt dimidium totius. 90.30.b
principij magna uis eſt. 90.30.b
principia ſunt tanquam ſemina. 90.40.b
principia & cauſas a rebus effectis noſci. 91.40.a
principium pro efficiente cauſa. 91.20.a
principium a nullo effici 279.30.a
principia in ſententijs dicendis, breuia. 8.40.c
principia ſciendi,duo. 285.50.a
principia Dithyramborum ſimilia ſunt exordijs demonſtratiui generis. 424.30.a
prĩcipia fabularũ,& heroici carminis quæ. 424.40.a
principia tragicorum. 425.10.a
principia comicorum. 425.50.a
priuatio rei,quæ a nomine ſignificatur,ad laudem, & uitup. 374.40.b
proaulium principium in cantu tibicinis. 422.10.b
probatio ſola oratori neceſſaria. 4.50.c
probatio uel artificioſa,uel artis expers. 9.10.a
probatio artificioſa a dialecticu proficiſcitur. 9.20.a
probatio à uita,& moribus quãdo ducatur. 21.10.b
probatio per argumentationes ducitur a rebus. 23 40.b.
probatio in oratione,quid ſit. 420.10.b
probatio qualis eſſe debeat. 443.20.b
In ſtatu coniecturali,definitiuo,& qualitatis. 443 30.b
In exornationibus amplificãdo probãdũ. 444.40.a
In deliberationibus quomodo. 444.20.b
probatio exẽplo facta magis generi deliberatiuo,quæ uero fit enthymemate, magis iudiciali conuenit. 445.10.a
probationes non adhibendæ,quando uis animos commouere. 445.30.b
Neque cũ mores uolumus exprimere. 445.50.b

pro-

Probationes artificioſæ, quæ dicantur. 7.50.a
Probationes artis expertes, & participes. 20.40.a
Probationes artis expertes, quinq; generũ. 20.20.b
Et ſex apud Quinctil. 20.20.b
Probationes aut ueras eſſe, aut apparentes. 26.10.a
Probationes artis expertes, quæ, & quot ſint. 173.20.a
Probationes communes ſunt duæ, exemplum & enthymema. 285.30.a
Probabilis propoſitio. 18.10.b
Probabilia uere, & non uere. 17.20.a
Probabilia non omnia oratori accõmodata. 300.40.a
Probabilia quæ iudices admittant. ibidem.
Probabilium duo genera. 29.30.b
Probus quis ſit. 441.10.a
Problema. 420.10.b
Proceleuſmaticus. 387.30.b
προεδρίαι apud Græcos. 65.20.a
Proles bona in ciuitate, & in familijs. 60.30.b
Prologus, principium in poeſi. 422.50.a
Prologus Aenei. 439.30.a
Pronomina uocari & coniunctiones. 367.40.a
Pronunciatio quantam uim habeat. 343.30.a
Corporis eloquentia dicitur. ibidem.
Duos ſenſus afficit, auditũ & uiſum. } 343.40.a
Demoſthenes ei tribuit omnia. }
Proœmium, prologus, & proluſio differunt. 3.20.a
Proœmium duobus modis conſiderari. 3.30.a
Proœmium in genere deliberatiuo. 421.20.a
Proœmio ſubiungitur ab Ariſtotele propoſitio. 421.30.b.
Proœmium quid ſit. 422.40.a
Demonſtratiui generis quale ſit. 422.20.b
Proœmiũ in gñe iudiciali & deliberatiuo. 422.40.b
Connexa eſſe debet ſubſequenti orationi. ibidem.
Proœmium Iſoc. de laudibus Helenæ. 422.40.b
Proœmium ſeparatum ualet ad uarietatem, & uoluptatem. 423.20.a
Proœmiũ demonſtratiui generis unde ducatur. ibidẽ. a laude aut uituperatione, a conſilio, a perſona auditoris. 423.30.a
Proœmium iudicialis generis quid ualeat. 424.20.a
Proœmij munus proprium, quod. 425.50.a
Proœmium a perſona, ducitur trib. modis. 425.40.b
Proœmiũ ex oratore, et aduerſario, quale. 426.10.a
Proœmiũ ex auditore ductum, quale ſit. 426.20.b
Proœmia extra cauſam eſſe. 428.10.a
Proœmia demoſt. generis contineant laudes auditoris. 430.30.a
Proœmia deliberationum a iudiciali genere ducuntur. 430.10.b
Proœmia omnia eſſe accurata debere. 431.20.b
Proœmio uti Ariſt. in exotericis. 3.20.a
Proœmia quib. utitur Ariſt. qualia ſint. 3.40.a
Propinquus quis dicendus in nobilitate expendenda. 314.50.a
Proportio inter quattuor ſit, & in trib. & arg. 323.20.a
An ſimilitudini ſubijciatur. 323.40.a
Analogia dicitur. ibidem.
Proportio in oratione nõ ſemper ſeruãda. 379.30.a
Propoſitio in oratione quid ſit. 420.10.b
Propoſitiones duæ, maior & minor. 28.30.a
Propoſitiones ſere infinitæ in ſingulis artib. 41.40.a
Propoſitionum tres ſpecies. 41.50.a
Propoſitiones oratoriæ quinque generibus continentur. 46.40.a. & 47.40.a
Propoſitiones de poſſibili, & impoſſibili, omnibus dicendi generibus conuenire. 46.40.a
Propoſitiones in ſingulis rebus delectæ ſunt habendæ. 303.30.b
Propoſitionum tria genera diſtincta. 18.10.b
Propoſitum quid ſit. 2.40.b
Propoſitum & conſultatio idem. 2.10.c
Proprium alicuius quid dicatur. 63.30.b
Propria præſtare communibus. 84.10.a
Propria apud aliquas natiões, honeſtiora. 116.30.a
Propria Athenienſium. Et Lacedæmoniorũ. ibidẽ.
Propria rerum, quæ ſint. 394.50.a
Propria nomina faciunt emendatam locutionem. 368.40.a
Propriæ notæ argumenta ut refellantur. 340.30.a
Propriæ res quæ dicantur. 427.50.a
Proprietas ſeruanda in elocutione emendata. 367.30.a
Propter ſe, & per ſe expetere, differre. 72.50.b
πρόσχημα. 280.40.a
Πρός τι, ad aliquid quæ referantur. 29.10.b
πρός τι quæ dicantur. 281.10.a
πρὸς ἄλληλα. 281.10.a
Protagoras ſophiſta, baiulus. 335.20.a
fuit Democriti diſcipulus. ibidem.
Protagoras generũ diſtinctiones adhibuit. 370.30.a
Prouerbia inter teſtimonia eſſe. 178.10.a
Prouerbia uim habent ſententiarum. 296.10.b
Prouerbia ſunt tranſlationes. 413.20.a
Prouocatio impij cõtra piũ nõ eſt æqua. 185.10.a
Prudens, & probus quomodo differant. 440.50.b
Prudentia quid ſit. 95.30.a
Prudentia quid. 111.30.a
Prudentia triplex. 111.30.a
Prudentes uiros cur uereamur. 233.10.a
Prudentiſſimus, & ſapientiſſimus, quis. 12.10.a
Ψυχρὸν in oratione. 359.40.b
Ptochomuſus adulator. 360.40.a
Ptolemæus dictus metragyrtes. 354.20.b
P. Rutilius cur damnatus. 345.20.b
Pudor cuſtos uirtutum, dedecus fugiens. 114.30.a
Pudorem non eſſe uirtutem. 114.10.b
Pudor in oculis. 233.40.a
Pueri Lacedæmonij quomodo inſtituerẽtur. 60.40.b
Pugil a natura formatur. 69.20.a
Pugnantia inſpicienda, & argumentum inde ductũ, quo modo tractandum. 331.20.a
Pulchrum quid ſit. 107.50.b
Pulchrum cuique ſuum. 145.20.b
Pulchra, difficilia. 80.40.b
Pulchritudo animi, & corporis. 96.30.a
Pulchritudo mulierem ornat, ut fortitudo uirum. 61.40.a
Pulchritudo quid ſit, & eius genera. 67.10.a
Pulchritudini inuidet nemo. 67.30.a

Pulchritudini

Pulchrum cur καλὸν Græce dicatur. 67.30.a
Pulchritudo adoleſcentis, uiri, ſenis. 67.10.a.& 67.20.b
Pulchritudo tyrannis exigui temporis. 232.50.b
Pulchritudo nominum, & turpitudo. 377.30.b
In quattuor rebus. 358.20.b
Purgatio quo in ſtatu ſit, & quot eius partes. 153.20.a
Pyrrhi ad Cyneam reſponſio. 152.40.b
Pyrrhichius. 387.10.b
πυρίχρων. 360.20.b
Pythagoras in honore in Italia fuit. 317.20.a

Q

Quadratus uir, ſapiens. 405.10.a
Quadringenti uiri, qui Remp. Athen. gubernarent. 453.30.b
Quæſtio ciuilis eſt propria rhetoricæ materia. 20.30.a
Quæſtio de facto conuenit iudicijs. 277.50.b. 278.10.a
Quæſtio de futuro, conuenit conſultationibus. 278.10.a
Quæſtiones ſunt quædam teſtimonia. 182.40.b
Quæſtiones quo modo confirmandæ, aut refellendæ. 183.20.& infra.
Quæſtiones 4. de facto, de qualitate, de nomine, de quantitate facti. 443.20.b
Qualis uir, talis oratio. 299.10.a
Qualis uir, talis oratio. 377.40.b
Quinctil. defenſus a Victorij calumnia. 38.10.a
Quinctil. diſſentit ab Ariſt. in partib. orationis. 421.20.b
Et de attentione in exordio. 426.30.b
Q. Fabij excuſatio reprobata. 254.30.b. et 256.30.a
Q. Metelli felicitas. 61.30.a
Quinquageſimæ uſura. 401.10.b
Quinquertio quis uocaretur. 67.10.b

R

Rara uulgaribus anteferenda. 92.40.a
Ratio quorũ bonum a nobis ducatur. 232.20.a
Ratio, quæ uere eſt ſemper, quid ſignificet. 371.40.a
Reciprocicornes Arietes, & Lanicutes. 360.40.b
Recordatio eſt rerum futurarum. 137.30.b
Redditus ciuitatis noti eſſe oratori debent. 50.10.a
Refutatio in demonſtratione non eſt. 421.10.a
Refutatio non eſt ſeparanda a probatione. 448.40.a
Refutatio fit duobus modis. ibidem.
Refutatio & cõfirmatio ab eadem fonte manant. 448.50.a
Refutatio quãdo criminationẽ præcedat. 448.30.b
Reges perſarum. 324.10.b
Regionis peritus ſit orator. 52.40.a
Regnum pati ſocium non poteſt. 213.20.a
Regni nulla ſocietas, nullaque fides. 148.10.b
Reip. tria eſſe genera. 54.10.a
Reip. ſtatus quo modo corrumpantur. 54.40.a
Reipublicæ quattuor genera. 104.10.b
Reip. ſtatus præmio, pœnaque continetur. 323.30.b
Religioſum quid ſit. 317.20.b
Repetitio multis fit modis. 457.10.a
Repetitiones in iudicijs, & conſultationibus crebræ. 416.50.a
Quarum rerum ſint. 416.20.b
Reprehenſio quattuor modis fit. 335.40.b
Non ett enthymema. 241.20.a
Reprehenſio a re, quo modo fiat. 336.10.a
a Contrario. 336.50.a
a Similibus. 336.10.b
a Rebus iudicatis. 336.40.b
Rep. uerisſimilis argumentationis duobus modis affertur. 339.30.a
Signorum, & argumentorum, quæ a ſignis ducuntur. 339.50.a
Exemplorum. 339.30.b
Certæ notæ, quæ τεκμήριον dicitur. 340.30.a
Rerum genera quattuor, de quibus dici põt. 32.50.b
Res eſſe aut bonas, aut malas per ſe, aut medias. 15.50.b
Res argumentando confirmari. 23.30.b
Res duobus modis fieri poſſe. 83.30.a
Res humiles, magnæ, mediocres. 348.40.b
Quomodo elocutione explicandæ. ibidem.
Reſpondentia æqualiter & pariter. 1.40.d
Reſpondere ex altera parte quid ſignificet. 1.30.c
Reus debet crimĩa obiecta prius remouere. 426.20.a
Rex iudiciorum Cicero. 146.10.b
Rex & tyrannus quid ſint, & differunt. 315.20.a
Rhetor ab eloquendo nominatus. 19.10.a
Rhetoris officium, & quo modo ab officio dialectici differat. 2.10.d
Rhetores antiqui in quo errarint. 5.40.b
Rhetores cur ſe politicos philoſophos appellarent. 25.20.a
Rhetorica non habet determinatum genus. 1.20.a
Rhetorica probãdi rationes a dialectica ſumit. 1.20.a
Rhetorica in quibus uerſetur. 1.20.b
Rhetorica trib. de cauſis dicitur ἀντίστροφος. 2.10.b
Rhetorica tribus modis æqualis dialectica. 2.30.d
Rhetorica quam utilitatem orationi cõparet. 2.30.c
Rhetorica inferior, quã dialectica trib. modis. 2.50.d
Rhetorica & dialectica cões artes dicuntur. 3.10.c
Rhetorica pars ciuilis ſcientiæ. 5.40.c
Rhetorica aptior apud multitudinem, quàm dialectica. 13.30.a
Rhetorica docet ĩ cõtrarias partes diſputare. 13.10.b
Rhetorica in contrarias partes diſputat. 14.40.a
Rhetorica diſputat per continuam orationem fere. 14.50.a
Rhetorica præſtat, ut quiſque ſe oratione defendat. 14.50.b
Rhetorica exacta a Lacedæmonijs. 15.10.b
Rhetorica, & dial. non eſſe certam materiam ſubiectam. 16.20.a
Rhetorica ex dialectica, & politica cõſtare. 24.10.b
Rhetorica quomodo de reb. omnib. diſputet. 39.40.b
Rhetorica & ſophiſtica ſequuntur etiam quod tantũ uerisſimile uidetur, cæteræ artes, quod tantum eſt. 335.30.a
Rhetorica tribus perficitur. 342.20.a
Cur tres partes ſint. 343.20.a
Rhetoricæ eadem pene uis, quæ dialectica. 1.20.a

Rhetorica,

Rhetoricæ, & dialecticæ ſimilitudo, & differentia. 1.20.b
Rhetoricæ,& dialecticæ differentia. 2.30.a
Rhetoricæ duo genera,quæ. 2.20.c
Rhetoricæ ſunt omnes participes. 3.10.d
Rhetorices res propriæ ſunt probationes. 4.50.b
Rhetoricæ finis,quid ſit. 4.10.c
Rhetoricæ probationes,enthymema & exemplum. 4.40.c
Rhetoricæ artis duo præcipua genera. 8.30.a
Rhetoricæ & dialecticæ ſimilitudo. 17.10.a
Rhetoricæ definitio,eiusque partes expoſita. 18.50.a
Rhetoricæ definitio a Quinctiliano reprehenſa. 19.10.a
Rhetorices definitio cõtra Quinctil.defenſa. 19.20.a
Rhetoricæ officium quodnam ſit. 16.40.a
Rhetoricæ genera,tria. 42.10.a
Rhetoricæ finis,iudicium. 187.20.b
Rhetoricam utilem eſſe. 12.10.b
Rhetoricam non eſſe improbatur, licet ea quis male utatur,exemplo aliorum bonorum. 15.20.b
Rhetoricam eſſe particulam dialecticæ. 25.10.b
Rhetoricam ueris demõſtrationibus nõ uti. 38.30.a
Rhetoricam ex duabus partibus conflatam eſſe. 48.20.b
Rhetoricam non eſſe ſcientiam. 48.40.b
Rhodij in urbanis dictis laudati. 397.10.b
Rhypſaſpides qui dicerentur. 217.20.b
Rhythmus in oratione. 382.40.a
Rhythmorum genera orationem ingredientia, quatuor. 382.40.b
Ridicula eſſe iucunda,& eorũ tres ſpecies. 147.40.a
Ridicula ex mutatione litterarum. 408.50.b
Ridicula tractata eſſe in lib. de arte poetarum. 454.50.a
Eorum tractatio eſt 2.de Or.apud Cic. 454.20.b
Quædam ſunt ingenuorum,quædam ſcurrarũ propria. 454.30.b
Riſus tanquàm Deus a Lycurgo cultus. 70.40.a
Riſus in rebus iucundis collocatur. 147.40.a
Robuſtus quis dicatur. 68.30.a
Roma cur præſtat ceteris nobilitate. 59.30.a
Romana reſp.quando labi cepit. 54.10.b
Romani quæ uerba præfarentur. 56.40.a
Romanorum reſp.qualis fuerit a principio. 105.20.a
Ruſtici hominis oratio. 377.40.b

S

Sacerdotes magnæ matris. 354.40.a
Sacerdotes caſti. 354.40.a
Sacrificia,& immolationes. 64.50.a
Salacones qui dicantur. 230.30.a.& 272.20.a
Salamin adiudicata Athenienſibus Homeri uerſu. 176.20.b
Sales,& dicta. 264.40.a
Salluſtij proœmia,qualia. 422.30.b
Samii infantibus ſimiles. 366.10.a
Sanitas,condimentum ſuauiſſimum, & diuinum. 77.40.a
Sapiens uir,ſemper felix,ut Stoicis placet. 56.30.b
Sapiens eſt rex,diues,& pulcher. 315.30.b
Sapientes ubique coli. 317.10.a
Sapientia quid propriè ſit. 146.30.b
Sapientiæ nerui,non credere,ut ait Epicharmus. 22.30.a
Sapientes eſſe reges. 146.50.a
Sapientes ſeptem Græciæ: & qui ſapientes Romæ. 146.10.b
Sapientes qui dicantur communiter. 146.30.b
Sapientes barba,& pallio. 253.50.b
Sapientiſſimus quis dicendus. 94.40.b
Sappho poetria apud mytilenæos honorata. 317.20.a
Sapphus reſponſio ad Alcæum. 114.40.a
Sarracum,nomen ſordidum apud Cic. 380.20.a
Scelera magna ſæpe latent. 150.30.a
Scauri oratio laudata,& cur. 22.20.b
Sceleris occultandi occaſio ad ſcelus hortatur. 150.40.b
Sceleratos non a quouis homine occidi oportere. 308 40.a
Sceptici philoſophi. 11.10.b
σκεῦα nomina.i.uaſa,quæ. 370.30.a
Scientia,quæ propriè dicatur. 3.10.c
Scientia & doctrina,differunt. 25.30.a
Scientia quænam ſit. 48.50.b
Scientia aliqua alteri præſtat duob.modis. 94.40.a
Scientiæ apud imperitos nihil poſſunt. 13.50.a
Scientiæ omnes habent proprium genus. 19.40.a
Scientias & artes eſſe bonas. 78.30.b
Scientiæ ſtudia ignauiam & odium ciuium pariunt. 291.20.b
Scire quid propriè ſit. 25.40.a
Sciron,inſignis latro fuit. 361.10.a
Scopus actionum noſtrarum ad bonum dirigitur. 87.10.b
Scriptura qualis eſſe debeat. 415.30.a
Scurra. 234.30.b
Scurrilitas,improbatur. 454.40.b
Scythæ,& Aegyptij de uetuſtate cõtẽdẽtes. 59.20.a
Secura prædia quæ dicantur. 62.50.a
Securitas ciuitatis quibus contineatur. 53.20.b
Semiramis impudica amatores ſuos occidebat. 234.40.a
σεμναὶ θεαὶ Eumenides,aut furiæ. 318.10.b
σεμνολογεῖν. 383.40.a
σεμνὸς herous dicitur. 383.40.a
σεμνότης quid ſit. 274.40.a
Sempiternæ res,quæ. 32.50.b
Senatus ſtatuit de futuris. 42.30.b
Senectus bona,quæ dicatur. 69.50.b
Senectus tarda tribus de cauſis. 70.30.a
Senes cur uereantur. 233.20.a
Senum mores. 264.50.a. Et deinceps longa oratione exponuntur.
Senes quomodo ſpe longi dicantur. 267.20.a
Loquaces. ibid.
Senſus iudicium falſum eſſe. 11.10.b
Senſus eſt rerum præſentium. 137.30.b
Sententia,atque opinio mutanda. 190.30.a
Sententia quid ſignificet,quibus in rebus ea utendum ſit,quo tempore,& quibus perſonis. 290.20.a
Sententia quid ſit. 290.20.b
Sñia pars enthymematis. 285.30.a. Et 291.20.a

Semen-

Sententias uel principia, uel concluſiones eſſe enthymematum. 291.10.b
Sententiæ quando conglobentur. 291.50.b
Sententiæ quattuor ſpecies. 292.50.a
Sententiæ admirabiles. uel non 292.20.b
Sententia nullam requirens rationem. 292.40.b
Sententia, quæ pars ſit enthymematis. 293. 20.a
Sententia enthymematica. ibidem.
Sententia duobus modis enuncianda. 294.10.a
Sententiæ quando ſubiungenda ratio. 294. 30.a
Sententiæ a ſenioribus & peritioribus pronuncianda. 294.40.a
Sententia falſa q̃n uti liceat. 295.30.a. Et deinceps.
Sententia cõis, & uulgata põt adhiberi. 295.30.b
Sententia ex prouerbiis. 396. 10.b
Sententia cõtra iã peruulgatas proferẽda. 296.20.b
Sententia uulgata duobus modis oppugnatur. 297. 20.b
Sententiæ quã afferant oratori utilitatem. 297. 50.b
Sententia moratam efficit orationem. 298.40.b
Sententia omnis apud rhetores dicitur enthymema. 337.50.a
Sententia utendum in cõfir. & narratione. 446.10.a
Sententia moratam efficit orationem. 446.20.a
Sepulchra honorata, pars honoris. 65. 30.a
Sepulchra Romæ extra, & intra urbem. 65.40.a
Sermo turpis. 235.50.b
Serui ſolum uerberabantur, nõn liberi. 204.20.a
Serui cum manumitterentur, patronum adoptabant. 381.50.b
Serui in peccato heris non reſpondent. 429.50.b
Seruos & amicos eorum, quos colimus, cur uenerémur. 236. 10.a
Seſquialtera proportio. 388.10.a
Seſtos area frumentaria piræi. 401. 10.a
Sicilia cella penaria reip. Ro. dicta. 53.10.a
Sicilia, cella penaria populi Ro. 401.20.a
Siculi in urbanis dictis præſtantes. 397.10.b
Signa uocantur, quæ ad ſenſum pertinent. 35.20.b
Signa aliquando neceſſaria ſunt. 35.40 b
Signorum ſunt duo genera. 36.40.a
Signa per omnia tempora perpendi. 36.10.b
Signa neceſſaria, quæ τεκμήρια dicuntur. 36.20.b
Signa non neceſſaria, quæ. 36. 20.b
Signa habentia uim ab uniuerſalibus. 37.40.a
Signa & inditia nobilitatis apud ueteres. 116.50.a
Signa quomodo reprehendantur. 339.50.a
Signa ad inferendam, & repellendam criminationem. 434.40.b
Simile ſimili gaudet. 145.40.a
Similes res ſolent ſimiles exitus conſequi. 52.10.a
Similia quæ dicantur. 336.20.b
Similitudo quomodo tractanda. 286.20.b
Similitudo mater ſatietatis. 349.10. b
Similitudo in rebus ualde diſtantibus. 406.10. b & infra.
Similiter cadens. 396.10.b
Simonides poeta apud Scopam Theſſalum. 72.40.a
Simonides epitheta poſuit ad minuendum, & uituperandum. 359.30.a
Mulas filias aſinorum & equorum eſſe dixit. ibid.
Simonidis reſponſio ad uxorem Hieronis de diuitib. 272.10.b
Sinnis homo 361. 10.a
Sinties a σίνομαι dicti Lemnij. 361.20.a
Sitis quid ſit. 136.10.b
Socii noſcendi. 51.20.a
Socii qui dicantur. 149.50.a
Socrates uir bonus, & ueritatis amicus. 11.30.b
Socrates cur a Comicis reprehenſus ſit. 13.20.b
Socrates rhetoricam inſectabatur. 15.10.b
Socrates damnatus ob dicendi inſcitiam. 12.40.b
Socrates gratis iuuenes docebat. 113.10.a
Socrates ad mortem iit ſine ullo ſigno timoris. 118. 40.b
Socrates naturæ uitia emẽdauit diſciplina. 129.40.b
Socrates ſemper diſſimulator. 202.10.a
Socrates promiſſa regis Archelai contempſit. 314. 50.b
Socrates periclitatus propter actionem neglectam. 345.20.b
Socrates inductionibus utebatur. & interrogabat. 316.40.a. & 50.b
Nihil arroganter proferebat. 318.30.b
Socrates per ironiam uerbis poeticis utebatur. 381. 30.a
Socrates interrogatione uſus. 451. 50.a
Soc. quo genere interrogationis refellit Melitum. 451.30.b
Soc. ſcurra Atticus dictus a Zenone. 454.50.b
Soc. diſſimulator. 455.10.a
Socratici ſermones, morati. 440.30.a
Sodales qui dicantur. 214.20.a
Solœci qui uocentur. 272.40.a
Solœciſmus quando fiat. 371.50.a
Solœciſmus apud Virg. lib. 12. 371.20.b
Solon. Athenienſibus leges dedit. 6.50.a
Solon cur inſaniam ſimularit. 176.40.b
Solon de amicis comparandis. 235.40.a
Soluere, & refellere arg. non idem eſſe. 338. 40.a
Somnio beatus, quis dicatur. 192. 40.a
Somnus in iucundis rebus ponitur. 136. 10.a
Soni uocis, qui. 344. 50.a
Sophiſta falſos ſolũ ſyllogiſmos perſequitur. 17.10.b
Sophiſta quis uocetur in dialecticis. 21.50.a
Sophiſtæ qui dicantur. 17. 20.b
Sophiſtæ, quidnam inſtitutum haberent. 47. 10.a
Sophiſtæ qui dicantur. 335. 50.a
Sophiſtarum inſtitutum. 335.20.a
Sophiſtarum arrogantia. 335. 20.a
σοφιστικῶς quomodo latine dicatur. 17. 10.b
Sophiſticus quis dicatur. 17.20.b
Sophocles præ gaudio mortuus. 140. 40.a
Sophocles. 365.40.a
Sophoclis reſponſio de rebus Venereis. 267.30.b
Sortes incertæ. 104.50.b
Spes eſt futurarum rerum. 137.30.b
Spes eſt expectatio boni. 138. 20.a
Spiritus entheus. 380.40.b
Sponte aliquid facere, quid ſit. 126.20.a
σπουδή ſtudium. 192.40. b
Spurina augur. 370.10.a

Spurii

Spurii & nothi non dicuntur nobiles. 59.40.b
Spurii parentibus nihil debent. 59.50.b
Sp.Caruilius claudicans. 232.20.a
Staſinus poeta. 296.30.a
στάσις appellatur quæſtio de facto. 443.30.b
Statius poeta cur irrideatur a doctis. 349.10.a
Statuæ ccclx.Demetrio ab Athen.erectæ. 65.10.b
Statuæ etiam fœminis poſitæ apud Romanos.65.10.b
Status coniecturalis apud Ariſt. 6.40.b
Status tres eſſe. 6.20.c
Status definitiuus. 162.30.b
Status non erãt excogitati tempore Ariſtotelis.162.
40.b
Status quis primus inuenerit. ibid.
ὁρισμός.quẽ ſtatum etiam saugit Ariſt. 162.40.b
Status poſt Ariſt.nominata quæſtiones. 443.30.b
Stellionatus crimen,apud iuriſconſultos. 151.20.b
στηλῖται infames,cur dicti. 330.50.a
Stenoporon littus. 360.30.a
στερητικά contraria. 307.20.a
Steſichorus poeta Himerenſis. 287.10.a
Stipendiarij ſunt oratori noſcendi. 51.20.a
Stipendiarij non lædendi. 53.30.a
Stoici putant,nihil bonum,præter uirtutem.15.40.b
Stoici ſolam uirtutem eße bonam cenſent. 56.30.b
Stoici uolunt unamquanque rem ſuo nomine dici.
358.20.a
Stolones, qui apud ueteres. 24.20.b
Studium cuiuſque eſt ei iucundiſſimum. 147.10.a
In ſtudio ſuo qui fuerint ualde intenti. 147.20.a
Stylpo mulieroſus,naturã uitioſam domuit.129.40.b
Suauis eſt laborum præteritorum memoria. 83.40.b
Subiectio ſub oculos quid ſit,& quõ fiat. 404.30.b
Differt a tralatione,ut exemplo patet. 404.50.b
Sũptus,qui fiũt in ciuitate,noti oratori ſint. 50.50.a
Supplicationes nomine ducum facta. 64.10.a
Suſpitio artificij nocet oratori. 350.10.a
Suſtinere concluſiones,barbare dici. 3.30.d
Suſtulit,uerbum ambiguum. 410.10.a
Syllaba breuis,& longa,quot tempora habeat. 387.
50.a
Syllogiſmus demonſtratiuus,quis dicatur. 9.30.b
Syllogiſmus demonſtratiuus,quibus nominibus uocetur. 10.40.b
Syllogiſmus dialecticus,& ſophiſticus,quis.10.50.b
Syllogiſmus ſine uniuerſali ꝓpoſitione nõ fit.28.20.a
Syllogiſmus & enthymema forma differunt.28.50.a
Syllogiſmi natura. 27.50.b
Syllogiſmum uerum,& non uerum noſſe, eiuſdem artis eſt. 17.40.a
Syllogiſmi logici qui dicantur. 10.40.b
Syllogiſmi oratorij,& dialectici,qui ſint. 40.20.a
Syllogiſmorum tria genera. 10.40.b
Syloſonti honores habiti a Dario. 64.30.a
συμβεβηκότα πάθη 19.30.b
συμβουλευτικὸν rhetoricæ genus. 42.40.b
συνάλλαγμα contractus dicitur. 181.30.b
ſyncretiſmus apud Cretenſes quis eſſet. 80.10.a
ſyncratiſmus,de quo alibi. 209.30.a
συνδρομή. 403.10.a
ſyracuſani & Siculi Euripidẽ admirabãtur.235.50.a

T

TAbulæ,quomodo confirmari,& infirmari queant. 181.10.a
Tabularum maxima uis. 181.30.a
Cautiones contra tabulas. 182.50.a
Tabulis omnes contractus fiunt. 181.20.b
Si tabulæ nobis contrariæ ſint, quid agendum.
181.40.b
Tali,& teſſeræ,ludi ſenum. 140.50.a
Talionem reddere,quid ſit. 193.30.b
Tantalus cur fingatur ſiti enectus. 265.40.b
Talus puer in arte fabrica excellens. 256.30.a
Τεχνικὸν quid ſignificet. 20.10.a
Τεκμήριον unde dicatur. 36.40.b
Telamon exul. 237.30.a
Τελεσφόροι. 360.30.b
Temperantia,uirtutis domicilium. 77.10.a
Temperantia quid ſit, & quibus in rebus conſiſtat.
110.30.a
Temperantia eſt cuſtos uitæ hominum. ibid.
Temperantia a ſapientiſſimis uiris exculta. ibid.
Temperantes amantur. 210.50.a
Tempus futuri tribui deliberatiuo generi. 43.40.b
Tempus præteritum iudicijs conuenire. 43.50.b
Tempus præſens exornationibus accommodatum.
44.10.a
Tempus,rerum agendarum rõnem aperit. 331.10.a
Tempora omnia conuenire exornationi. 44.30.a
Tenedos inſula,ubi ſit. 177.10.a
Tenedia ſecuris. 177.20.a
Et Tenedius homo,& Tenedius patronus. ibid.
Terentius laude dignus. 415.50.b
Tereus cur Philomenæ linguã euulſerit. 234.40.a
Terram & aquam dare. 324.10.b
Tertius li.rhet.in duas partes diuiſus. 420.30.a
Teſtes,& ipſorum tractatio.176.& 177.& 178.
& 179.deinceps.
Teſtium duo genera. 176.10.a
Teſtes antiqui.176.20.b. Noui.178.50.a
Teſtes rerum futurarum,qui. 177.20.b
Falſi,qui. 179.20.a
Teſtes,& eorum auctoritas quõ augeri,aut minui poſſit:& qui teſtes nõ habet,quid faciat. 179.20.b
Teſtes corrumpi poſſe multis modis. ibid.
Qui teſtes habet. ibid.
Teſtium utilitas. 180.10.a
Teſtium mores,& uita. 180.40.b
Teſtimonia aut diuina,aut humana. 173.30.a
Teſtimonijs facile fides fit. 29.20.a
τεθηγμένον a uerbo θήγω. 361.40.a
Tetrametri in fabulis antiquis. 348.30.a
Teucer tragœdia. 312.20.a
Teumeſſus Bœotiæ collis. 374.10.a
θάρσος: confidentia. 223.20.a
Theages tyrannidem Megaris occupauit. 39.30.a
Theatrum, certamen Liberi patris dicebatur Athenis. 434.20.b
Themiſtocles ſpurius fuiſſe dicitur. 60.10.a
Themiſtocles habitus indoctior in cõuiuio. 84.40.b
Themiſtocles cur Platano ſimilis. 366.20.a
Theodamas. 365.20.a

Theode-

Theodectes quot fabulas ſcripſerit. 308.40.a
Theodectes Socratem defendit. 320.10.a.
In lege. 323.20.b
Aiacem tragœdiam ſcripſit. 326.30.a
Theodectet,& libri rhetorici ad Theodectem eſſe Ariſtotelis exiſtimantur. 397.20.a
Theodorus tormenta omnia tolerauit. 183.40.b
Theodorus Ptolomeo perſuaſit, ut Pomp. occideret. 275.40.b
Theodorus Byzantius,irriſus. 422.20.a
Theodori tragici uox. 350.40.b
Theophraſtus pudore obmutuit. 233.40.a
Theophraſtus a diuinitate orationis nomen inuenit. 346.30.a
θεωρικὴ & πρακτικὴ *rhetorica.* 19.20.a
θηριότης,*feritas.* 170.50.b
θεωρὸς *quis appelletur ab Ariſt.* 42.10.b
θεωρὶς *nauis,quæ uocaretur.* 42.10.b
Therſites apud Hom.quomodo loquatur. 4.10.a
Theſeus Helenam rapuit. 310.30.a
Theſpeſius cur laudetur a Plutarcho. 83.10.a
Theſpis ſuas tragœdias egit. 343.20.b
Theſtius Pleuxippi & Thoxei pater. 310.20.a
Thoxeus & Pleuxippus fratres Altheæ. 310.20.a
θράσος *audacia,multio ponitur.* 223.20.a
Thraſybulus xxx.tyrannos exegit. 330.30.a
Thraſymacus numerum oratorium primus inuenit. 345.40.a
Et de actione egit. 346.10.b
θ. ἄττω. 409.10.a
θράττει. 409.20.a
Tiberius Caſ.noluit augere uectigalia. 50.40.a
τιμή. 194.30.a
τίμια *bona,quæ dicantur.* 232.40.b
Timidus & timiditas,quid. 127.20.a
Timor quid ſit,& qui timidi,& qui timendi. 216.30.b *Vide metus.*
Timor refrigeratio eſt quædam. 265.50.b
Timor ſpem admit. 267.10.a
Timoris templum Lacedæmone. 217.10.a
Thimolaus Thebanus,proditor. 309.10.a
Timon Athen.oſor hominum,atque deorũ. 191.20.b
Timon μισάνθρωπος. 242.20.b
τιμωρία *dicitur ultio.* 132.20.b
Timotheus a quib.duplicẽ mercedẽ exigeret. 25.10.a
Tiſias rhetor,inuentor rhetoricæ artis. 334.10.a
Tindarus Helenæ pater. 304.30.b
τέχνας. 401.40.a
Topica ars. 305.10.a
Topica quæ dicantur. 26.50.b
Toxeus Altheæ Meleagri matris frater. 200.30.a
Trabem geſtaus,prouerbium. 417.30.a
Tragici dimetros,& trimetros ſequuti sũt. 348.40.a
Tragici poetæ in motibus miſcendis excellunt. 377.30.a
Tralationes frigidæ,& indecoræ. 363.10.b
Longe petitæ,ut Gorgiæ. 363.30.b
Tralatio Gorgiæ de hirundine. 364.20.a
Tralationes amplam & illuſtrem orationem faciunt. 373.30.a
Tralationes duræ,iratis conceduntur. 380.30.a
Translatio oratori conceſſa. 352.20.b
Late patet. } ibidem.
Tria bona ſecum affert. } ibidem.
Proportio in translationibus ſeruanda. 353.10.b
Sumenda a præſtantiſsimis rebus ſi laudes:contra, ſi uituperes. 353.30.b
Maior,uel minor,quàm conueniat, uituperatur. 355.20.b
Quas habere conditiones debeat. 355.40.b
Peccatur in rebus,& in uerbis. 356.10.a. *Et in ſyllabis.*
Non eſt large ſumenda. 356.10.b. *Cur inuenta.ibid.*
Ex ænigmatis fiunt tralationes,& contra. 357.30 a
Translatio a pulchris rebus duci debet. 357.10.b
Deformitas fugienda in metaphoris. ibid.
Translatio ad non honeſta dictu ſignificanda. ibid.
Ducenda a rebus uoce,poteſtate,& aſpectu pulchris. 358.30.b
Et quæ alijs ſenſibus pulchra ſint. ibid.
Translatio fit imago,& contra. 366.20.b
A proportione qualis eſſe debeat. 366.40.b
Traslatio,& eius genera. 400.10.a
Translatio ex proportione,omniũ præſtãtisſima. ibid.
Trãslatio & ſubiectio ſub oculos: 402.50.a.*& infra*
Translatio Liſiæ pulcherrima. 403.30.a
Translationis ex proportione exempla ſunt.xxv. 304.20.b
Translatio a propinquis non tamen perſpicuis ducenda. 406.50.a
Trapezuntius reprehenſus. 17.40.b
Trapezuntij error. 20.10.a
Trapezuntius notatur. 280.40.a
Tributum etiam a mortuo. 228.20.a
Tributa noua cotidie excogitari. 50.50.b
Triſtis hominis oratio. 377.40.b
Et qui numeri. 388.50.a
Triumphi,ouationes,ſtatuæ. 64.10.a
Trochæus,Choræus,tribrachus. 386.40.b
Quot ſillabas habent. 387.10.b
τρόχος, 386.40.b
Turpia nomina fugienda oratori. 357.40.b
Turpia cum indignatione dicenda. 376.30.b
Tyndaridæ,Helenæ fratres 310.50.a
Tyrannus quis,& rex. 315.20.a
Tyrannus,peſsimus omnium,qui remp.geſſit. 54.20.a
Tyranni & regis differentia. 105.10.b
Tyſiphonus. 395.40.a

V

VAletudo bona,quib.reb.definiatur. 66.20.b
Varietas in oratione delectat. 423.10.a
Vates non adiungunt tempus definitum in prædicendo. 369.40.b
Vectigalia quo expendenda oratori. 50.30.b
Vectigalia,de quib.in conſultatione agitur. 49.40.a
Vectigalia apud Romanos,in pretio habita. 49.50.a
Vectigaliũ cognitio,imperij cauſa dicebatur. 49.50.a
Venatio,& aucupium,ludi graues. 140.30.b
Veneranda bona,quæ ſint. 232.30.b
Venerea libido,quando turpis. 231.50.a
Veneti Ariſtocratia utuntur. 105.40.a
Venter pinguis non gignit ſenſum tenuem. 110.50.a

Ventus

Index.

Ventus pro inani gloria. 25.10.b
Venus cur teſtudini inſidens a Phidia picta. 61.10.b
Verba non ſemper rebus accommodanda. 379.50.a
Per ironiam uſurpanda ſine uitio. 381.20.a
Verecundia uitioſa. 114.50.a
Verecundia, quid. qui uerecundi, erga quos, & quibus in rebus, & quomodo animo ſint affecti. 226.20.b *& infra.*
Verecundia an inter uirtutes ſit numeranda. ibid.
Verec. eſſe hominis propriam. Ad omnia tempora pertinet. 227.10.a. & 231.30.a
Verecundia quibus malis excitetur. 227.40.a
Verec. ut in adoleſcentibus laudatur, ſic in ſenibus uituperatur. ibid.
Mala uerecundiam afferentia. 227.10.b. & *infra.* 228.
Et non poſſe ferre labores, quos ſeniores ferũt. 229.10.b
Et beneficium ab aliquo ſepius accipere. ibid.
Et exprobrare beneficium. Et de ſe prædicare. 230.10.a
Et aliena ſibi uendicare. ibid.
Et omnia opera, quæ à uitiis naſcuntur. & indicia, & quæ uitijs ſunt ſimilia. 230.20.a. & *deinceps.*
Verecundia propter quos homines excitetur. 232.10
Et propter quos non ſit. 236.10.a. & *infra.*
Verecundia quinã afficiantur. 236.50.a. & *deinceps*
Verecundia in uſu nominum ſeruanda. 358.20.a
Veriſimile quid ſit. 34.40.b
Veriſimile & ſignum quomodo differant. 35.20.b
Veriſimile quid ſit apud Platonem. 36.10.a
Veriſimile ſimpliciter, & aliqua ex parte. 333.40.b
Veriſimile proprie. 334.10.a
Veriſimilia & probabilia ſunt dialecticis, oratoribus que ſubiecta. 16.30.a
Veriſimilis propoſitio. 18.20.b
Veritas in profundo merſa, ut ait Democ. 11.50.a
Veritas pro iuſtitia, & uerum pro iuſto. 11.40.b
Veritatis cognitio partim facilis, partim difficilis. 11.20.b
Veritatis cognitio duob. modis intelligitur. 11.30.b
Veritatem nemo perfecte aſſequitur. 11.20.b
Verſus in oratione ne ſit. 381.10.b
Verſus quæ incommoda pariat in oratione. 381.20.b
Veſpaſianus ex qualibet re uectigal exigebat. 50.30.a
Veſpaſianus ex lotio uectigal exigebat. 228.10.a
Veſtitus nitidus, & quinã eo ſint delectati. 211.30.b
Vicinus improbus magnum eſt detrimentũ. 154.30.a
Viciſſitudo rerum omnium. 143.10.a
Victoria adorea unde dicta. 65.20.b
Victoria & honor in rebus honeſtis. 115.40.a
Victoria inter res iucundas numeratur. 139.50.b
Victorius notatur. 1.10.c
Victorius reprehenditur. 19.10.b
Victorius reprehenſus in exemplo Simonidis. 82.30.a. Et 88.50.b
Victorius notatur. 192.30.b
Victorius reprehenſus. 207.10.a
Victorius accuſatus. 382.30.b. 383.10.b. 385.30.a
Victorius reprehenditur. 399.10.b
Victorij interpretatio non admiſſa. 402.30.a. & 407.10.a
Victorij opinio laudata. 437.10.b
Vigor animi, & corporis. 269.30.b
Vina ſimul confuſa, & temperata. 350.10.b
Vincentius Magius philoſophus. 382.30.b
Violentia, negligentiæ ſpecies, quid ſit. 193.20.a
Vires, in quibus rebus conſiſtant. 68.20.a
Virgilius ſuos uerſus recitabat. 343.30.b
Virgilius ſextum Aeneid. recitans auditores ualde commouit. 377.10.b
Epithetis frequenter utitur. 381.10.a
Virginia cur a patre occiſa. 169.50.b
Virtus ſolum bonum. 15.40.b
Virtus corporis in iuuene. 60.30.b
Virtus animi in iuuene. 60.30.b
Virtus ſummũ locũ tenet ĩ felicitatis partib. 72.50.a
Virtus primum gradum bonorum obtinet. 75.30.b
Virtus ſola ſufficit ad beatam uitam. 7 .30.b
Virtus præmium eſt optimum. 75.40.b
Virtus reb. omnibus anteit. 75.40.b
Virtus in ſe habet omnia. 75.40.b
Virtutis ſpecies eſſe bonas. 76.40.b
Virtus eſſe nimia non poteſt. 80.50.a. Et 10.b
Virtus pulchra. 108.30.a
Virtus nutritur laudatione. 108.30.a
Virtutis tres deſcriptiones. 108.40.a
Virtutis laus, in actione 108.10.b
Virtutis partes, quæ. 108.30.b
Virtutes in uoluntate, & in actione. 108.30.b
Virtutes morales, & rationales. 108.40.b
Virtutes maiores, quæ. 109.10.a
Virtus ex uiro appellata. 269.20.a
Virtus ſumma perficit quæ incredibilia uĩr. 441.30.b
Virtute non poſſumus male uti. 15.40.b
Virtutes clarorũ hoĩum ĩ cõuiuijs celebratæ. 64.30.b
Virtutes quõ etiam uituperari poſſint. 116.50.b
Virtutes mediæ ætatis duæ præclaræ. 269.40.a
Vita, & uiuere, in bonis. 78.30.b
Vitellius in epulis partiendis. 136.30.b
Vitia quomodo interdum laudanda. 116.50.b
Vitia cognata rhetoricæ, & dialecticæ. 18.10.a
Vitia perſpicuitatis contraria, quæ. 419.50.b
Vitioſitas, & incontinentia impellunt, ut contra leges aliquid fiat. 126.40.a
Vitioſitas quid ſit. 126.50.a
Vituperatio eſt detrimentum honoris. 404.20.b
Viua uox maximam habet uim. 343.50.a
Vltio quid ſit. 132.30.b
Vlyſſes Polyphemum excæcauit. 207.40.a
Vlyſſes cur ſedato aĩo ab Hom. fingatur. 220.20.b
Voluntas ab ira diſtincta. 282.40.b
Voluntates noſtras liberas eſſe. 35.10.a
Voluptas duplex, corporis, & animi. 76.10.a
Voluptas bona, ut probatur multis argumentis. 76.10.a
Voluptas, uera, & adumbrata, ac belluina. 76.20.a
Voluptas peſtis, & eſca malorum. 76.20.a
Voluptas uera in animo. 57.10.b
Voluptas quid ſit. 134.30.a
Voluptas etiam ex recordatione rerum futurarum, & præt. 137.30.a

Volu-

Voluptas in luctibus & lamentationibus, 139.20.a
Et ex alijs, 139.20.b
Voluptas ex ultione. 139.10.b
Voluptas eſca malorum. 337.20.a
Voluptaria quæ ſint. 62.30.a
Vox uiua magis afficit. 297.30.a
Vox in actione quomodo narianda. 344.10.a
In iracundia, in metu, in miſeratione, in ui, in mole ſtia. ibid.
Soni uocis acutus, grauis, medius. 344.50.a
Vox, ut chordæ, intenta eſt. 344.10.b
Vocis magnitudo, paruitas, mediocritas. 344.30.b
Vrbana oratio poſtulat duas conditiones. 411.30.a
Multa urbanam facientia orationem, coniuncta, faciunt urbaniorem.
Si tralationes ſint, ſi contraria, paria, ſi oculis ſubijciatur. 411.20.b
Imagines etiã ex proportione huc pertinẽt. 411.50.b
Imagines rectæ ſictæ. 412.30.a
Superlationes probatæ. 413.50.a
Vrbanitas, & urbana dicta. 397.40.a
In dictis urbanis qui excelluerint. 397.10.b
Fit ex nominibus noui aliquid oſtẽdẽtib. 397.30.b
Peregrina, & propria nomina reijciuntur. 397.40.b
Tranſlata nomina ſunt aptiſsima. 397.50.b
Imagines poetarum. 398.30.a
Tranſlatio tamẽ eſt imagine iucundior. 398.50.a
Nimis nota, & nimis ignota argumenta non ſunt apta ad hoc ſtudium. 398.30.b
Quæ enthymemata ſint ad hanc rẽ apta. 398.40.b
Elocutio, quæ uim iucunda ſit. 399.20.a
In uerbis quomodo ſit ſuauitas. 399.40.a
Elocutio, quæ rem ſub oculos ſubijcit. 399.20.b
Maxima pars urbanitatis a tralatione, & errore. 407.10.a
Ex apophthegmatis. 407.50.a
Et ex ænigmate. ibid 10 b
Cum uerbum iteratur. 409.30.b.& 410.10.a
Breuitas, & elegantia. 411.10.a.& 30.a
Vrbani hominis oratio. 377.40.b
Vrbanitas. 264.40.a
Vrbis direptio duobus expreſſa uerſibus Homericis. 99.30.a
Vtilia quæ dicantur. 62.30.a
Vxor par eligenda. 337.10.a

X

Xenia nomina, δῶρα etiam dicũtur. 351.40.a
Xenocrates apud Athen. iniuratus. 189.30.a
Xenocrates continentiſs. 329.40.a
Xenophanes contra Hom. & Heſiodum ſcripſit. 185.10.a
Xenophanes in impios. 323.40.b
Xenophanes philoſophus colophonius. 331.30.a
Xenophilus Pythag. c v. uixit annos. 67.50.b
Xenophon Atticu muſa dicebatur. 346.30.a
Xerſes omnium, qui ſuo eſſent exercitu, pulcherrimus. 67.50.a
Xerſes premium propoſuit nouam uoluptatem inuenienti. 134.40.a

Y

Ὕβρις. 192.30.b
Ὑπέρῳα nomina. 370.30.a
Ὑπόκρισις. 3.30.d
Ὑπόκρισις. 401.40.b
Ὑποκριταὶ quid hic uocetur. 19.10.b
Ὑποκριτικὴ actio. 415.50.a

Z

Zeno parentum iniurias ultus eſt. 152.10.a
Zeno in conuiuio fiebat hilarior. 197.50.a
Zoilus Homerum inſectatus eſt. 198.40.b
Zopyrus ſimulauit ſe iniuria affectum a Dario. 162.10.a

F I N I S.

Errata, ſic corrigito.

Pagina. 2. columna prima. lin. 44. lege, imitatus. pag. ead. lin. ult. col. 4. lege, eſt. pag. 3. lin. 3. uoluit. pa. 4. li. 24. fit. lin. 30. animus. pag. 5. li. 29. poſito. pa. 12. li. 49. διχαλεῖ ζειν. pa. 20. li. 9. κατασκευάζειν uerò, ſignificat conuaſari. quo uerbo. pa. 28. li. 30. notiſsima. pa. 36. li. 17. deſinit. pa. 31. li. 15. tractabit. pa. 42. li. 25. Græcia. 44. li. 32. laudabilior. 45. li. 29. ſequa. 50. lin. 33. uiri. 51. lin. 49. habentu. 63. li. 10. primus Carthaginenſes. 65. li. 27. dicebatur. 69. l. 47. Pompeius. lin. 48. quinquertium. 70. lin. 10. effectum. p 75. li. 23. & in 76. 33. animus. 80. 26. coniunctus. 88. 27. uiuit. 92. 45 interim. li. 53. quod. 95. 17. a ſe. 98. 26. legato. 35. fatear. 101. 29. ſumm. 102. 37. eas. 103. 33. adumbrata. 104. 47. quot. 105. 19. ni. 44. cunibus. 109. 55 regere. 111. 7. accepiſſet. 119. 54. bella. 45. [illegible]. 126. 19. nam. 54. uehementior. 135. 31. moleſtiam. 137. 45. actus. 138. 42. natu. 48. canens. 145. 33. bellum. quod ni. 44. gaudent. 151. 31. aperiuntur. 154. 27. dominus. 38. prædium. 155. 28. potuit. 159. 35. dicere 172. 28. inundant. 173. 2. probationes. 192. 21. cupere. 202. 28. aliquis aut Africanus. 203. 40. annuum. 208. 27 regesne. 221. 11 baſis 223. 28. θρᾷσος 226. 9. ferreum. 11. eſto. 235. 2. ἀποτυγχάνω. 4. recitarent. 237. 9. Clodiũ. 240. 28 utrum. 250. 10. artificio. 275. 9. uideantur. 277. 8. arma. 285. 13. aliquam. 286. 35. dicere hominem. 50. proditionem. 293. 1. putabat. 302. 40. potens. 322. 20. deletum. 328. 27. obſtreperent. 331. 2. peccarat. 332. 21. canere. 333. 35. nobilẽ. 336. 12. biſariam. 339. 1. uos. 12. priuet. 42. auquiet. 346. 28. puerum infantem. 347. 45 pars. 351. 50. Ἔστι 354. 28. inſtituit. 363. 29. mugit. 364. 1. differre. 367. 44. aliquem. 370. 44. turba. 375. 7. cantum. 377. 46 tumida. 379. 5. ſicut. 9. efficiant. 383. 37. contineat. 388. 11. Manilia. 390 50. antiſtrophas. 394. 20. nam. 395. 8. contraria. 39. oppoſita. 41. mino. 43. diximus, hoc 397. 35. naſci 399. 5. declinandum. 401. 4. creduntur. 402. 6. inſererentur. 405. 29. læta bonum. 408. 43. χίμετλα. 413. 47. afferat. 29. Sanguinem frontem. 414. 9. apium. 13 ornare. 423. 10. uoluptatem afferat. 424. 47. ſummenſes. 437. 50. præcipere. 440. 11. cupa. 444. 46. potentiſſimis. 445. 5. admit. 450. 5. rogatio. 416. 41. ſicut.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

L. GOTTSCHER
1974